ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, E SOCIETATE IESU...

Alfonso Salmeron, Josè Maria Fonseca de Evora




31
9 G
7

ALPHONSI

SALMERONIS

TOLETANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI;

COMMENTARII IN EVANgelicam Historiam, & in Acta Apostolorum.

TOMVS NONVS,

QVI DE SERMONE IN COENA ad Apostolos habito inscribitur.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum,

ANNO M.DC.XIII.

Cum gratia & Priuileg. Sacrae Caesar. Maiest.

Licentia P. Visitatoris.

STEPHANVS de Oieda, Visitator Societatis Iesu, in prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt nonus tomus *De sermone Domini in cœna, sed primò de sacro sancta Eucharistia*, quem composuit Alfonsus Salmeron, vnus de primis Patribus Societatis Iesu, typis mandetur; quia iam discussus est & approbatus à viris doctis & grauibus nostræ Societatis. In cuius rei fidem has literas dedi, meo nomine subscriptas, & mei officij sigillo munitas.

Stephanus de Oieda

Approbatio.

SVPREMI *Senatus iussu magna animi voluptate perlegi Tomum nonum de sermone Domini in cœna inscriptum, autore Patre Alfonso Salmerone è Societate IESV, viro religionis & sapientiæ dotibus ornatissimo. In eo nihil Catholicæ fidei, vel sanctis & receptis Ecclesiæ moribus aduersum; aut sanctorum Patrum & Scholasticorum doctrinæ dissonum inueni: quinpotius autoris ingenium & eruditio omnibus numeris absoluta, linguarum peritia, & omnium disciplinarum copia, casti sermonis puritas, in docendo perspicuitas, in disputando acumen, in definiendo iudicium, & in arduis sacræ Scripturæ locis explicandis dexteritas, verborum elegantia perpolita, quibus aurei cuiusdam fluminis instar, omnes antiquorum & recentiorum opes secum euoluit, Alfonsum nostrum luculentissimum & opulentissimum reddunt, & sacrorum Bibliorum intelligentiæ studiosis necessarium. Dignum itaque sentio, qui ad communem Christianæ Reipublicæ vtilitatem prelo mandetur. Madriti, in conuentu nostro sanctæ Mariæ Mercedis redemptionis captiuorum, decimo quarto Calendas Aprilis. Anno 1600.*

F. Ioannes Temporal. Magister, & Commend.

PRÆ-



PRÆFATIO AD CANDIDUM LECTOREM.



Silex, Græcè πυρίτης, cur sic dictus.

TRADVNT sapientes in lapide, qui Latinis Silex, & Græcis, à calida natura dicitur πυρίτης, ignem delitescere, quem
nisi ferro excutiamus, assequi non possumus, quo incenso
lumine tenebras pellamus, atque ignis calore, frigoris omnis molestiam à nobis propulsemus. Ad eum sanè modum

Dei verbũ silici aptè comparatur.

ac rationem Dei verbum lumen quoddam diuinum cœlesteque atque reconditum continere constat, vt ea ratione
meritò dici possit lapis, & silicinus lapis: lapis quidem ob
stabilitatem & firmitatem, propter quam dicitur: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, quæ vim habent solidi cuiusdam fundamenti, & hominem suaptè natura infirmum, & Proteo quouis mutabiliorem, stabiliendi, atque corroborandi. Sunt etiam Dei verba ad peccatores Matth. 24.

Diuini verbi vis quanta sit & efficacia.

lapidandos, eosque sui muneris, ac partium commonefaciendos, ab erroreque ac peccato reuocandos accommodata, & ad superbos, & pertinaces, qui instar gigantis Goliad
frontem impudentem habent, & nesciunt, noluntve erubescere, in terram prosternedos,
valida in primis & efficacia. Quòd verò ingenium, & naturam silicis Dei verba contineant, non obscurè indicant illi ipsi sacrarum Scripturarum proximi autores;
è quibus vnus verbi Dei lumen explicans, dixit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen* Psal. 118.
tuum semitis meis, & iterum: *Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis*. De Ibidem.
calore verò in illis latitante idem ille autor non subticuit, cùm dixit: *Ignitum eloquium tuum* Ibidem.
vehementer; & seruus tuus dilexit illud: & filius eius, *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se*. Hinc discipuli audito Christo à mortuis excitato, dicebant: *Nonne cor nostrum* Prou. 30.
ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? quibus illud apertè proditur, per legitimam scripturarum interpretationem, & à Christo profectam, illud diuinæ Luc. vlt.
intelligentiæ lumen, & illum cœlestis dilectionis ignem, à verbo Dei, tanquam à silicino
lapide esse excutiendum, atque in nos tenebris ac frigore circumfusos deriuandum. Diligens itaque, & Catholica Scripturarum lectio, meditatio, discussio, atq; orthodoxa ponderatio veritatis lumen ingerit: charitatem in frigidis pectoribus nostris incendit, omniq;

Diligens sacrarum Scripturarum studium nobis quid præstet.

diuina virtute, & consolatione nos replet. Hinc Salomon dixit: *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui*. Dum enim verbum Dei exactè discutitur, dignè tractatur, doctè Prou. 27.
expenditur, Patrumque veterum sententijs exponitur atque illustratur, scintillas cognitionis Dei, & mediatoris Christi, atque adeò sui ipsius in homine emittit, flammasque geminæ charitatis, tum in Deum, tum in proximum quemque excitat, fouet, augetque. Finis
namque legis, siue præcepti, est charitas, & ad illam alendam, perficiendamq; verba Dei 1.Tim. 1.
omnia referenda sunt. Ad hos Septentriones qui non dirigit cursum sui sermonis, quasi

Quorum inutilis prædicatio sit futura.

nauigationis cuiusdam spiritualis, siue ille sit prædicator, siue lector viua voce agens; siue
interpres, & verbi Dei enarrator, scripto docens, profectò grauiter labitur, & fructum sui
laboris, qualem vult Dominus, & qualem ipsamet Scriptura poscit, non assequitur. Nec
ob aliam magis causam existimo Dominum de se dixisse: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me,*
non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ; & rursus: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo* Ioan. 8.
nisi vt accendatur? quàm vt intelligamus, hunc potissimum ex verbo eius Euangelico, fidei Luc. 12.
& dilectionis fructum esse à nobis eliciendum. Hinc etiam in igneis linguis datus est Apostolis Spiritus sanctus; quò tractatores doctrinæ Euangelicæ, & concionatores contendant elaborentque, homines ad Iesu Christi fidem, atque ad Dei, & hominis amorem succendere atque inflammare, vt illi propterea tanto charitatis ardore combusti in Act. 2.

In igneis linguis cur datus sit Spiritus sanctus.

integrum seipsos Deo offerre valeant holocaustum. Quòd si omnis alia Scriptura hoc
habet, atque hoc efficere valet; nulla, mea quidem sententia, aut efficaciùs, aut cumula-

tiùs præstat, quàm postremus ille sermo, quem Dominus ad discipulos suos in cœna nouissima habuit, quemq́ue beatus Ioannes Euangelista quinque capitulis complectitur, & quem Christo donante, beatoq́ue Ioanne Euangelista, nobis bene fauente, ad gloriam illius, qui eum habuit, illustrandam, & ad salutem nobis accersendam, quæ in nostræ ignorationis tenebris propulsandis, tepiditateque nostra fuganda consistit, aggredimur enarrare.

Sermonis Domini in cœna habiti dignitas, & excellētia.

Volumus igitur, prudens Lector, te non ignorare, hoc libro comprehendi quædam singularia, ac penitus diuina fidei opera; & ad eum finem, quem nobis præscripsimus, assequendum, maximè accommodata. Nam quatuor in eo potissimùm explicanda sunt: nimirum, sublimis illa atque ineffabilis Christi deiectio, animique submissio, qua ad Apostolorum pedes lauandos, atque linteo, quo erat præcinctus, extergendos se depressit. Deinde grande illud, & admiratione, & omni veneratione dignum sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum, in eadem ipsa cœna, qua pedes Apostolorum lauit, singulari charitate institutum, & Apostolis ad percipiendum administratum. Tertiò, insignis ille, mirabiliq́ue veritatis splendore coruscans, & corda hominum charitatis igne vulnerans sermo, quem ad charissimos suos discipulos & Apostolos habuit: qui totus penè diuinis quibusdam dogmatum luminibus, & virtutum heroicarum splendoribus emicat atque splendet. Postremò, illis completis, adiungitur precatio quædam sancta, siue oratio Domini IESV ad Patrem suum fusa, cùm iam ad locum, in quo ad mortem à Iudæis comprehendendus erat, proficisceretur: vbi intimos omnes sanctissimæ suæ animæ affectus, votaq́ue, ac desideria imminenti vitæ suæ fine Patri aperiens, tum quæ sibi, tum quæ Apostolis suis, tum denique illa, quæ Ecclesiæ suæ necessaria erant, atque opportuna ad eam construendam, augendam, & in calamitatibus firmandam, stabiliendamq́ue, atque in finem vsque seruandam, & perpetuandam, pulcherrimis, & aptissimis verbis supplex à patre suo precatur atque contendit. Ex his autem quatuor tria sunt, quæ solus Ioannes nobis suppeditabit, nempe lotionem pedum, sermonem ad Apostolos factum, & precationem sanctam ad Patrem habitam. Quæ verò ad cœnam agni paschalis, & ad mensam venerabilis Eucharistiæ attinent, & pauca quædam alia, quæ illis sunt coniuncta, ac ferè inseparabilia, ab alijs tribus prioribus Euangelistis, qui de hac re fusius sunt locuti, nobis desumemus: imò etiam si quæ ex Paulo, vel Ecclesiæ Catholicæ praxi, & consuetudine videantur adducenda, ex illis supplere non grauabimur, vt integra constet tanti Sacramenti tractatio. Interim, candide Lector, nostra iuuandi omnes sacrarum literarum alumnos studia boni consulito, & nostro labore fruere.

Huius libri argumentū atq; partitio.

Ioan. 13.

Hoc libro quę Ioannes, quæ verò cæteri Euangelistæ sibi vendicēt.



INDEX TRACTATVVM QVI IN HOC TOMO NONO CONTINENTVR.

R.P.

R. P. ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, THEOLOGI E SOCIETATE IESV, COMMENTARIORVM IN EVANGELIA & Acta Apostolorum;

LIBRI NONI,

TRACTATVS I.

In quo sermonis Domini in cęna ad Apostolos habiti necessitas, dignitas, atq; vtilitas aperiuntur, atque explicantur.

Propositum autoris.



Vo nobis lectorum beneuolentiam, attentionemq́ue ad propositi libri seriã lectionem magis conciliare valeamus, decreuimus antequã ad rem ipsam propositam aggrediamur, nonnihil in genere de tanta re præfari, non tantum vt sermonis huius nobilitas, atque vtilitas nobis innotescat, ac declaretur, sed vt etiam nonnihil de tam augusto, tremendoq́ue Eucharistiæ mysterio in hoc libro pertractando, atque explicando, vice procemij cuiusdam edisseramus. Sed hoc postremum sequenti tractatui præstandum seruamus: nam præsenti quæ primo loco proposuimus, recto ordine persequemur. Quanquam enim, quod ad rem ipsam attinet, venerabilis Eucharistiæ institutio sermonem Domini præcesserit, & vtrumque precationem illam sanctam, quæ habetur Ioannis 17. cap. ante omnia tamen præcurrit pedum Apostolorum ablutio, quam non sine mysterio tali ordine accidisse, meritò constituendum nobis est: de quo nos aliquid suo loco fortassis dicemus. Interim quò distinctior, ac dilucidior existat huius sermonis explicatio, sex eius circumstantias hoc loco expendere, operæpretium esse existimauimus: Primam, quis sit huius doctrinæ magister; Secundam, quis ac qualis extiterit eius auditor; Tertiam, quale tempus fuerit, in quo tantus sermo habitus est; Quartã, quis locus, in quo hæc doctrina sit dispensata; Quintam, quæ sint potissimum res hoc sermone cõtentæ: Postremam, modus, & character docendi in eo seruatus, considerandus erit, atque expendendus.

Sermonis Domini in cæna habiti circumstantię sex hoc loco explicandæ.

Primo loco quod erat discutiendum, se offert: doctor enim omnis veritatis Deus est, non secus atq; omnis creaturæ est conditor: nam de illo scriptum est: Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum: & alius, Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes; & quidam ex nostris dixit: *Quicquid verum à quocunque dicitur, à sancto dicitur Spiritu*. Sed vt inter creaturas, quæ omnes à Deo prodierunt, sunt gradus, & aliæ quidem maiores, ac digniores existunt, aliæ minores, ac inferiores, pro varietate creaturarum vniuoca ratione se producentium: ita inter veritates, quæ nobiliores sunt, & altiores, per digniora, & altiora organa pro diuinæ suæ sapientiæ consilio Deus docere nos voluit. Vt enim inter Angelos quædam sublimiora, & altiora mysteria nonnisi per Seraphinos, & Cherubinos docentur, quædam verò inferiora nonnisi per inferiorum ordinum Angelos, ita vt superior inferioris ministerio vtatur, & dicat illi: Curre, & loquere ad puerum istum: ita sanè inter homines accidisse videmus. Nam cum per Plato. & Aristot. Hippocra. & Galenum, atq; alios Iurisprudentiæ consultissimos, inferiores quasdam veritates siue ad vitam politicè instituendam, siue ad corporis commoda tuenda, & fouenda, siue ad iustum, æquumq́ue in controuersijs hominum decernendis statuerit, altiora tamen, & ad salutem æternam consequendam vtiliora nonnisi per viros Dei sanctos, & Prophetas tradere, ac reuelare constituit. Inter ministros autem Dei ab ipso ad nos erudiendos destinatos, ministri gloriosi Noui Testamenti illos Veteris præcedunt, vt Apostoli Prophetas: vnde Paulus dicitur vas electionis, sed inter illos omnes, qui de cœlo venit, super omnes est: cui non est datus spiritus ad mensuram, ideò eius verba altiores, sublimioresve veritates docent. Quod & Dauid Propheta olim prænouit, cùm scripsit: *Speciosus forma præ filijs hominum,* diffu-

Omnis veritatis doctor quisnam sit. *Ecclesi. 1.*

1. Reg. 2.

Ambros. in. priorem ad Corint. c. 12. prope initiũ. tom 5.

Creaturæ inter se minime sunt æquales, sed aliæ alijs digniores existunt.

Angeli superiores inferiorum vtuntur ministerio, teste Dionysio.

Actor. 9.

Ioann. 3.

Ibid.

Forma Christus quam speciosus fuerit præ filijs hominum.

Psalm. 44.
Philip. 2.

diffusa est gratia in labijs tuis. Formam vocat deitatem, de qua ait Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quæ quidem se in doctrina manifestè exerebat, & in modo illam ministrandi cum maiestate quadam, & grauitate Deum ipsum decenti: vnde Euangelista discernit eius verba ab alijs, dum ait: *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & nõ sicut Scribæ eorum, & Pharisæi:* turbæ quoq; admirabantur de verbis gratiæ, quæ procedebãt de ore ipsius, & ministri ad ipsum comprehendẽdum missi, oratione eius capti, dixerunt: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur.* Quòd si in Scripturis attendenda est persona loquens iuxta sententiã Aug. lib. de Doct. Christ. altissima ac nobilissima erunt verba Iesu: quod ponderans Apostolus, dixit: *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Inter Iesu verba nobis scripto commẽdata, principem locum obtinent duo sermones, alter in monte habitus, alter in cœna: & inter hos illustrior est, ac magnificẽtior posterior iste. Quod cum ex alijs circumstãtijs liquidum fiat, tum ex eo, quod vicinus morti illum habuit: quia purior est, & sine lege, cùm prior multa legis præcepta explicet: quia hic vndecim tãtum Apostolis, ille turbis factus est, tum quod prior à Matth. describatur, hic verò à Ioanne dilecto Iesu Discipulo, seu ab Aquila, quæ desuper ipsorum est quatuor post omnes, & super omnes volante, & inaccessam generationis diuinæ lucem penetrante, & cum alijs Euangelistis rarò ad humanitatis infirmitatem descẽdente. Ter enim tantum, vt testatur Aug. hæc Aquila in terram descẽdit: nimirum cum vt peccator ad baptismum Ioannis accessit: deinde cum in monte quinq; panibus, & duobus piscibus satiauit turbas: & cum in cœna ad lauãdos pedes discipulorum suorum se deiecit.

Qualis doctor Christus.
Matt. 7.
Luc. 4.
Ioann. 7.
Aug. libr. de Doct. Christ. tom. 2.
In scripturis quid considerandum, teste August.
Hebr. 1.
Matth. 5. 6. 7.
Sermo Domini in cœna, cur, quem in mõte habuit, cur merito antecellat.
Ezech. 1.
Christi Aquilę volatus tres.
Aug. lib. 4. de consen. Euan. c. 10. tom. 4.
Matth. 3.
Infr. 14.
Ioann. 13.
Quis ac qualis sermonis Domini in cœna auditor extiterit.
Supr. 2.

Sed iã ad secundum vt progrediamur tẽpus postulat. Si doctor est perfectus, auditorẽ, si eũ perfectè agnouit, se accommodat: hinc Christus non opus habebat vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse n. sciebat quid esset in homine. Nam qui talis est, nouit quid & quantũ, & quomodo docere debeat, & seruat illud præceptũ Sapientis: *Vbi auditus non est, non effundas sermonem.* Hic aũt auditus quia fuit apud vnam Samaritanam, multa ei reuelauit mysteria, quæ Pharisæos celauit, ne eius verba perirent. Christus etiã vt perfectus doctor, nouerat quãtum doctrinę esset cuiuis ingerẽdum: ideò & à maiorib. quæ populus capere non poterat, abstinebat: *Multa*, inquit, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò:* & Paulus dicebat: *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum n. poteratis.* Et hinc: *Quia Christus summus doctor erat, ex auditore eius licet colligere sermonis huius dignitatẽ.* Dominus enim in vniuersum loqui voluit tãtum Iudæis; vt meritò propterea dicatur minister circuncisionis, id est populi Iudæi quantũ ad Deũ attinet, ad bona percipienda magis dispositi, & ad audiẽdum Christi sapientiam amplius assuefacti propter Prophetas. Nam lex, pedagogus noster fuit in Christo, vt ait Paulus, & multum per omnẽ modum ait concessum Iudæis, quia credita sunt illis eloquia Dei: & alio loco ait, Christũ prædicasse his qui propè, & his qui longè: proximus ergo erat populus Iudæorum Christo, sicut Gentiles remotiores, quos per Apost. suos est allocutus. Cui rei duo attestantur: nam oẽs boni Iudæi confestim Christo prædicanti assensere, vt testis est Irenæ. antiquiss. & sanctiss. Pater; mali verò inani gloria, & auaritia obcæcati, & diligẽtes magis tenebras, quam lucem, ei restiterunt, aliosq; similiter affectos ne Christum sequerentur, retinuerunt. Alterũ est, quod cum tã multæ Ecclesię Gentium extiterint, nomẽ Christi profitẽtes, in nulla tamen illarum tam magni & excellentes viri Euangelica consilia amplectentes fuerunt, atque in Ecclesia Ierosolymitana, in qua oẽs ad pedes Apostolorum quæcunq; possidebãt mittentes, culmẽ Euangelicæ paupertatis, vt Aug. testatur sectabantur. Hæc ergo testantur magnã præ alijs gentibus perfectionem Iudæorum. Euseb. Cæsar. in lib. de demonstr. Euang. illud interrogat: quare non venerit Messias à principio mundi? Respõdetq; quod vt syluam primo secamus, atq; eradicamus, postea aramus, & colimus terram, vt reddat fructum: ita etiam prius fuit mundus domandus bellorũ tribulationib. lege Moysi, Philosophorũ sapientia, vt pace Aug. Cæsaris ad audiẽdum Filij Dei doctrinam necessaria fruerentur: quia silent leges inter arma. Debuit etiam fomes per ætatem debilitari: nam vt in vno eodemq; homine iã seniore, ac maturiore remissior est concupiscẽtia, quam fuerit olim in se iuuene; ita olim in mundo iuniore potentior erat carnis cupiditas, quam in mundo iam seniore. Neq; quis est aptus doctrinæ Euãgelicæ, nisi qui motus animi sui iam edomuerit. Hunc aũt sermonem nec populus Iudæorũ audiuit, nec oẽs Christi discipuli, nec omnes duodecim; qui tamen ab initio sermonẽ in monte audierunt, & alias multas in medio eius progressu cõciones: quia iã ab illis recesserat Iudas, & numerũ duodena-

Eccl. 32.
Ioan. 4. & seq.
Ioan. 16.
1. Cor. 3.
Christus vt fuerit minister Circuncisionis.
Rom. 15.
Gal. 3.
Rom. 3.
Ephes. 2.
Iren lib. 2. adver. hær. c. 34.
Ioan. 3.
Nulla Ecclesia, quam Ierosolymitana perfectiores viros habuit.
Actor. 4.
Aug. de verb. Apost. ser. 27. to. 10. Euseb. Cæs li. 7. de præpa. Euan. c. 3. to. 1. initio.
Quare non venerit Messias à principio, secundum Euseb.
Cic pro Milone.
Elegans comparatio.
Aptus doctrinę Euangelicę quisnam sit.

denarium violauerat: sed hunc in vitæ fine, & completo iam cursu suæ legationis habitum Apostoli acceperunt, quãdo per signa, & sermones quantum ad externa attinet, & cũ magno influxu Spiritus quantum ad interna, erant iam præparati ferè immediatè ad suscipiendũ aduentum Spiritus sancti. Dixi autem ferè: quia sermo Christi gloriosi & iã suscitati per quadraginta dies apparentis intercessit, vt Lucas in Act. testatur. Beati ergo serui Salomonis, quibus videre, & audire datũ est, quod multis Regibus, & iustis desiderãtibus fuit denegatum. Est ergo hic sermo sigillum, & vertex totius Euangelicæ doctrinæ per organum humanum mortale sibi vnitum traditus, & scripto posteà per dilectum discipulum commendatus.

Qualis ferè Apostolorũ ad aduentum Spiritus sancti præparatio fuerit.

Act. 1. Apostolorũ prærogatiua. *Matt. 13.*

Tertia consideratio erat de tempore: ad quam præstandam sic accingimur. Sapiens namq; tempori seruire debet, & congruo tempore singula proferre. Sic enim ait Spiritus sanctus per Salomonem: *Mala aurea in lectu argenteo, qui loquitur verbum in tempore suo.* Præterea Christus sapientissimus id potissimùm debuit obseruare, maximè iam mundo edomito per ętatem, legẽ, Philosophiam, tribulationes bellorum, & flagella: namq; vt Propheta dixit: *Sola vexatio intellectum dabit auditui*, præparato etiã per pacem Augusti Imperatoris: rectè enim dictum est: *Sapiẽtiam scribe in tempore vacuitatis.* Per subiectionem etiam Iudæorũ ad id dispositio, & per carentiam Prophetarũ, & ordinis Pontificalis: nã Pontificatus iam erat venalis. Per præcursionem Ioãnis Baptistæ, vt Christum promissum magis desiderarent, & cognitum auidiùs amplecterentur: vnde vel Samaritana Messiam expectabat. Dominus tamen initio, & medio suæ prędicationis, tam ob ruditatem auditorum, quam quia lex adhuc vim obligandi habebat, & durabat, donec in Cruce dixit: *Consummatum est*, debuit se Iudęis attẽperare, non solùm seruans legem, sed ad eius quoq; obseruantiam exhortans. Hinc illæ voces: *Non veni soluere* (scilicet legem) *sed adimplere*: Et, *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyses, in testimoniũ illis*: atq; hoc, donec veniret Spiritus sanctus, quo altiora mysteria capere possent. Hic autem sermo, quẽ in fine cursus sui, & prope aduentum Spiritus sancti hæc omnia declaraturi, secundùm illud: *Suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis*, Dominus habuit, puriorem doctrinam, & magis redolentem Nouum Testamentum continet, ideo Trinitatis, Incarnationis, mortis, resurrectionis, pacis, dilectionis, patiẽtiæ, mandati noui, Spiritus sancti aduenientis, & similium meminit: proinde verba hæc fuerunt quasi sapientis morituri, & quasi stimuli, & claui in altum defixi: fueruntq; verba mun^9 Eucharistiæ datũ exornantia, & ad memoriã accepti muneris excitantia.

Quo tempore habitus fuerit hic sermo Domini in cœna.

Prou. 25. Quale verbũ sapientis Salomonis.

Esa. 28.

Eccles. 38.

Ioan. 4. Quousq; lex Moysi Iudæos obligauit. *Infrà 19.*

Matth. 5. *Matth. 8.* *Leuit. 14.*

Ioan. 14.

Eccles. 12.

Sed iam vocamur ad quartã circumstantiam, ad locum nimirum, in quo habitus est hic sermo. Hic autem locus non vulgaris fuit, sed ipsa Ierosolyma, ciuitas Prophetalis, Regia, & Sacerdotalis, & verè visio pacis, iuxta vocis etymon. Nam Christus Dominus hoc loco, vt Propheta docet altissima Noui Testamenti mysteria, prædicitq; omnia, quæ tum sibi, tum Apostolis euentura erãt. Vt autem Rex est, præcipit mandatum nouum, & indicat armis charitatis, & patientiæ superãdos omnes aduersarios: & formam noui Regis lauãtis pedes discipulorum exhibuit. Deniq; vt Sacerdos secũdùm ordinem Melchisedec litauit Deo panem, & vinum; Apostolos ad Sacerdotiũ euexit, atque ex eo loco ad oblationem in cruce perficiendam pergere debebat; preces feruentissimas Deo obtulit, pacemque legauit, ac promisit. Erat etiam Dominus in monte Sion ciuitate Dauid; quæ hic secundùm spiritum ædificatur, & munitur, secundùm illud: *Sapientia ædificauit sibi domum*: & hæc est illa ciuitas, quæ non potest abscondi, quia supra montẽ posita est. Meritò igitur non in monte Thabor: qui interpretatur puritas, & electio ad nouum discipulatum, sed in mõte Sion habitus est hic sermo: quia cõtemplatio, speculatioq; illa voce significata perfectorum est.

Quo in loco hic sermo habitus sit. Ierosolyma quid significet.

Armis quib^9 superandi sint nobis aduersarij nostri.

Psal. 109. *Heb. 7.*

Ioan. 14. *2. Reg. 6 & 1. Par. 11.* *Prou. 9.* *Matt. 5.* Thabor quid sibi velit.

Accedamus ad quintã circũstantiam: Nihil ita magis orationem illustrat, magnificamq; reddit, atq; res ipsa, quæ docetur, ad quam explicandam, & continendam, non secus ac patina cibum, oratio, & sermo dicentis referendus est. Hinc Aug. in lib. confess. per hoc quod ad eloquentiam Manichæorum attendisset, & nõ ad res ipsas, fatetur se fuisse deceptum. Hinc Dominus voluit suos discipulos non minus facultatibus, quã verbis ipsis pauperes esse; sed rebus ipsis, & mysteriorum sapientia diuites, & opulentos, secundùm illud: *Sermo meus, & prædicatio mea nõ in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*: & alibi Apostolus, se imperitum sermone, sed non sciẽtia esse confitetur. Certè quemadmodũ columna aurea, ac rutilans non eget gypso, aut calce incrustari, quia magis pulchritudinem amitteret, quã cõpararet, ita maxima mysteria Noui Testamenti ornatum Rhetorici sermonis nõ admittunt; & vt quidam dixit:

Quę sint potissimùm res hoc sermone contentæ.

August. lib. 5. confess. cap. 6. tom. 1.

1. Cor. 2.

2. Cor. 11.

Euangelicæ doctrinæ splendorem vti dedecet eloquentia.

Manlius. *Ornari res ipsa negat, contenta doceri.*

Res igitur hoc sermone cōprehensa, longè superat materiam superioris sermonis in monte, vbi in multis lex Moysi explicata, ac declarata est. vt superiùs diximus. Estq; summè alta, & summè vtilis, ampla, & stricta, longa, & breuis. Continet enim mysterium Trinitatis, de quo: *Cùm aūt venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre:* Incarnationis arcanum, de quo ait: *Exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem;* Passionis Sacramentum, de quo dixit Euāgelista: *Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrē;* Resurrectionem: *Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicū, & videbitis me, quia vado ad Patrem;* Ascensionem: *Vado parare vobis locum;* Aduētum Spiritus sancti: *Paracletus aūt Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo;* Processionem à Patre, & Filio: *Spiritum,* inquit, *veritatis qui à Patre procedit:* & iterum: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet:* Eucharistiæ institutionem, quando accepto pane dixit: *Hoc est corpus meum;* Sacerdotium Noui Testamenti: *Hoc facite in meam commemorationem;* æternam gloriam: *Hæc est,* inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum;* Fidem: *Creditis in Deū, & in me credite;* Spem: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, Ego vici mundum;* Amorem: *Hoc est præceptum meum, Vt diligatis inuicem;* Rationem multos fructus edendi: *Sicut palmes nō potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis;* Humilitatem: *Exemplum,* inquit, *dedi vobis, vt quemadmodū ego feci vobis, ita & vos faciatis;* Orationis studium: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* Traditionis Apostolicę cōmendationem, cùm dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Prædictionem imminētium persecutionū: *Venit hora,* inquit, *vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo:* Ecclesiam in finem seculi permansuram, & opera Spiritus sancti stabiliēdam: *Ego,* inquit, *rogabo Patrē, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Atq; hæc omnia præstat apertè, & sine admixtione legis Mosaicæ, ita vt hic sermo sit compēdium quoddam, & enchiridion doctrinæ Christianæ. Vt meritò illa consuetudo omni commendatione digna obtinuerit, vt quia hęc Dominus moriturus ad Apostolos confirmandos & consolandos dixit, morituris hæc prælegantur, & proponantur, quo eorum animi ad fidem tanquàm scintillis quibusdam excitētur, atq; ad spem, charitatemq; concipiendam inflammentur.

Matt. 5. & seq. Ioan. 15. Infrà 16. Ioan. 13. Infrà 16. Suprà 16. Ibidem. Infrà 15. Infrà 16. Matth. 26. Luc. 22. & 1. Cor. 11. Ioan. 17. Suprà 14. Infrà 16. Ioan. 15. Ibidem. Ioan. 13. Infrà 16. Ibidem. Ibidem. Ioan. 14.

Cur hæc verba de more morituris prælegantur, ac proponantur.

Superest postrema huius tractatus particula, nimirum modus ipse, & character dicendi. Nā quia post mysteria agni Paschalis, ablutionis pedum, & institutę Eucharistię Dñs hanc concionē habere voluit, modum quēdam seruauit planè diuinum. Est enim simplex, clarus, abstractus, & accedēs pro captu nostro ad proprium, nō miscens quæ legis sunt; corroborans debiles, solans mœstos, erudiens ignaros: atq; hæc conuenientissimo ordine, ex quo, vt videbimus, patebit diuisio. Condiderat siquidē Christus testamentum Incarnatione, Natiuitate, vita, signis, prædicatione, in quo nos æternæ vitæ hæredes instituerat: in hoc vltimo sermone codicillum voluit conficere, in quo omnia, quę anteà legauerat, confirmauit. Mutauit tamen pauca quædam, vt illud: *Quando misit vos sine sacculo, & pera & calceamentis, &c.* mutauit legem Moysi in Euāgelium: addidit de integro pacem, institutionemq; Eucharistiæ, qua vitam spiritualem honestius sustentaremus, illique, tanquàm pretioso Margarito, ditaremur, ac nobilitaremur.

Christus in hoc sermone orationis tenorem quem seruet.

Luc. 22. Matt. 5. & seq. Ioan. 14. Matt. 26.

Ex his igitur elicimus libri huius diuisionem. Nam quia cōtemplatio præmium est actionis, & Rachelē nō contingit in sponsam accipere nisi post Liam, & actio ad illā assequendam disponit; ideo primo loco habetur esus agni, lotio pedum, & institutio Eucharistiæ, quę tum ex aliis Euangelistis, tum ex 13. c. Ioan. bona ex parte habentur. Ex actione pura ascendimus ad actionem contemplatione mixtam, qualis est prædicatio, quæ integris tribus capitib. 14. & 15. ac 16. comprehenditur. Tertio loco sequitur perfecta & pura contemplatio, quam Dñs in oratione sua ad Patrem effusa toto c. 17. docuit. Atq; ita habemus exemplum, doctrinam, & orationem in Christo Dño, seu potiùs doctrinam facto, & verbo traditam, & auxilium ad eam suscipiendā, & seruandam per Christi rogationē. In quo maximè instituitur prædicator, vt ad doctrinam, quā seminauit, efficacem reddēdam adiungat bonæ vitæ documēta, atq; etiam exemplo Apost. qui orationi, ministerioq; verbi vacabant, iugem, & solicitam precationem adferat, apud Christum Dñm nostrū, cui cū Patre, & Spi S. sit omnis gloria, potestas, & imperiū in secula secul. Amen.

Actionis premium contemplatio est. Gen. 29.

Prædicatoris doctrina erit efficax quando. Act. 6.

TRACTATVS II.

Vbi venerab. Eucharistiæ mysterij tractādi opportuna quædā pręmittuntur. Et Esai. Prophetia de conuiuio pinguiū, & vindemiæ defæcatæ exponitur. Et habetur Esa. 25.

Quo-

QVoniã ad magnifica, & excelsa opera aggredienda nemo sanæ mentis accesserit sine magna aptæ materiæ præparatione, & operariorum copia, ne fortassis cœptam operam interrumpere cogatur, & de illo illudentes possint dicere: *Hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit consummare.* Proptereà imitandum mihi proposui sapientissimum illum Salomonem, qui templi constructionem prius attentare nõ est ausus, quàm maximas à patre suo præparatas impensas haberet, nempè auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò, & ferri nõ erat pondus, eo quòd vinceretur numerus magnitudine, vt sacra Scriptura testatur. Quoniã igitur hoc libro verba Domíni, quibus hoc tantum Sacramentum instituit, continentur, illaq; altissima sunt, ac prægnãtissima; magnis tamẽ rationum humanarum machinis, & sophisticis argutiis à nostri seculi hæreticis petita, atq; impugnata sint, non decet profectò nos, qui tantũ opus molimur, & illa omnia pro nostra virili euertere, funditusq; destruere aggredimur, imparatos, & necessariis armis destitutos accedere. In primis enim, ad hanc tractationem dignè præstandam, fides quædam non vulgaris, aut cõmunis, sed ingens, & intellectum captiuans in obsequium Christi, siue Ecclesiæ, quæ Spiritui suo tanquàm eius corpus regitur quasi aurum adferenda est: qua si quis destituatur, oleum, & operam perdere necessum est. Nam quemadmodum ferrum ignitum non est quouis modo manu contrectandum, nisi velis comburi, & manus iacturam facere, sed forcipe tenẽdum est, & huc illucque versandum, vt ad vsum tuum accommodare possis, si sapis: ita sanè sublimia hæc ac diuina mysteria suo splendore ingenij aciem obtũdunt, intellectusque perstringunt oculos. vt nihil nisi quod corporeum est, & sub sensum cadit, aspicere, aut cogitare valeat. Quod vel ipsi hæretici nobis abundè testãtur, quorum argumenta haud sunt dissimilia, vel ab illis increduli olim Nicodemi, & in mysterium regenerationis argumentantis: *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* aut ab ijs, quæ olim simplex Samaritana Christo aquam viuam promittenti proferebat: *Domine, neque in quo haurias, habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob*, & quæ sequuntur: aut ab illis deniq;, quę Capharnaitæ imperiti, & carnales obiiciebant, de quibus Euangelista: *Litigabãt ergo Iudæi ad inuicem, dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ita nostri hæretici paralogizant, dicentes, Quomodo potest tantus Christus in tantilla hostię particula existere, vel de cœlo descendere, vel simul in tot locis esse, vel fractis speciebus Sacramenti, ipse non frangi, vel manducari, qui immortalis est? vt proinde mirum videatur, homines fidei immodicos laudatores, buccinatoresq;, & quã omnipotentem deprędicant, tantum in fide huius articuli frigere, & exiliter atq; tenuiter sentire. Vt vel hinc agnoscere possis, fidem quam magnificant, non esse solidã, sed mathematicam, & imaginariam, ac proinde falsam, & minimè in rerũ natura subsistentem. Nã maior profectò fides ad hoc mysterium capiendum non exigitur, quàm ad mysterium, vel Trinitatis vel creationis ex nihilo, vel Incarnationis, vel corporis ad vitam immortalem suscitandi. Et si semel firma fide apprehendas, Deum esse omnipotẽtem, qui dixit, & facta sunt: ipse mãdauit, & creata sunt, intelliges quoquomodo eum qui dixit: *Hoc est corpus meum*, omnipotentem esse, qui nec falli, nec fallere potest, & de quo meritò scriptum est: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, & sanct° in omnibus operibus suis.

Deinde ad hanc disputationem, præter solidæ fidei aurum, argentea Ecclesiæ Catholicæ, & Patrum veterum, atq; Orthodoxorum testimonia adferenda sunt, quibus tanti mysterij veritas planè elucescat: nec enim nos, aut soli sumus, aut primi in quos peruenit Verbum Dei, vt aliis proptereà legẽ credendi pręscribere debeamus. Nam asserere huius, vel alterius articuli cognitionem, comprehensionemq; nobis solis diuinitùs tributam; ingens est Christi Domini contumelia, charissimæque ipsius sponsæ, Ecclesiæ nimirum contemptus. Nam inuidus hactenùs fuisset Christus, si huius articuli veritatem, quæ ad salutẽ est necessaria, prioribus seculis tot electorum myriadibus non reuelasset: cæca prætereà, atque perniciosè seducta extitisset Ecclesia summo latriæ cultu, qui soli Deo debetur, fragmentum panis venerabunda adorans, si nihil aliud in illa, quàm substantia panis, & vini contineretur. Sed hæc quis æquo animo ferat, aut quis non videat insolentẽ ac pertinacem hominũ cogitationem, qui plus in rebus quæ omnem rationem superant, sibi ipsis fidant, quàm toti antiquitati, Patrum traditioni, atque adeò inueteratæ ipsius Ecclesiæ Dei consuetudini.

Tertiò adferenda sunt æris, plumbi, & ferri talenta, atque illa quidem sine numero, & pondere. Nam argumenta à ratione natu-

[Marginalia: Luc. 14. — 1. Paral. 22. — 2. Cor. 10. — Simile. — Hæreticorũ contra Eucharistiam argumenta qualia sint. — Ioan 3. — Infrà 4. — Infrà 6. — Fides item hæreticorum qualis sit. — Eucharistiæ Sacramentũ qualẽ fidem requirat. — Gen. 1. & seq. — Psal. 148. — Matth. 26. — Psal. 144. — I. conditio. — 1. Cor. 14. — Summus latriæ cultus cui soli debeatur. — III. conditio. Quid auri talenta, argentive, quid et-]

iam æris ac ferri, de quibus Scriptura meminit, immensum pondus designet.

naturai ducta, quæ in illis inferioribus designantur metallis, post fidei aurum, & traditionis Ecclesiasticæ argentum adducenda sunt, quo doctrinam Ecclesiæ partim propugnare possimus, partim ab importunis, & fallacibus Hæreticorum nodis vendicare valeamus. Hęc autem sine certo numero & pōdere sunt, cùm aurum & argentum certi ponderis quantitatē, & numerū contineant: quoniā infinitę propemodum rationes fiūt, & sophismata, quibus dęmones ad hanc tātam veritatem obscurandā, ac de medio tollendam insurrexerunt, quę cùm ipsi veritati officere non possint, suas prætereà solutiones habent, quas tum ipsa ratio subministrat, tum lumen fidei porrigit. Quare cùm Spiritus sanctus non ignoraret huiusmodi impostores aliquando in Ecclesiam Dei vēturos, & pacem eius suis temerarijs conatibus perturbaturos, & cōmunem Ecclesiæ vnitatē infestaturos, magna sua sapientia multa ad hoc mysterium spectantia, & in lege, & Prophetis præfari voluit, ne tātæ rei nouitate commouerentur: multa etiam ipse Dominus antequàm ad sacram mensam veniret, & sanctum panē porrigens diceret; Accipite, hoc est corpus meum, disputauit fortiter, promisitq; panē se daturum, qui carnem suā contineret, quò omnem quouismodo de eius verbo dubitādi occasionem, & ansam adimeret. Nullum itē Sacramētum ab initio nascentis Ecclesiæ in hodiernum vsq; diem, maiori reuerentiæ internæ cultu, aut splendidiori apparatu celebrari voluit in Ecclesia sua, quàm istud. Nam ad illud referūtur templa, altaria, Sacerdotes, diaconi, & alij ministri, Canonici, atque aliæ Ecclesiasticę dignitates, & deniq; totus Noui Testamenti cult⁹; quò videlicet ansa omnis, & materia dubitādi præriperetur, quid esset illud, quod in hoc Sacramento contineretur, & omnium Hęreticorum ora obstruerentur, si tam apertæ, & præscriptæ veritati, & publicæ Ecclesiæ confessioni reniterentur, vel aduersarentur.

Diuina erga Ecclesiam prouidentia.

Matth. 26. Ioan. 6.

Quonam Eucharistiæ Sacramenti tantus cultus in Ecclesia pertineat.

Sed inter alia pulchrum est, & omni discussione dignum propheticum Esaię vaticinium; quod præfationis cuiusdā vice interpretari non grauabimur. Ait enim Propheta: *Et faciet Dominus exercituum omnib. populis in monte hoc, conuiuiū pinguium, cōuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes, Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: quia Dominus locutus est. Et dicet in illa die. Ecce Deus noster iste: expectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in salutari eius. Quia requiescet manus Domini in monte isto,* & quæ sequūtur.

Esa. 25. Verba Esaiæ initio posita exponuntur. de conuiuio pinguium, & vindemiæ defæcatæ.

Hæc Esaiæ verba quidam de conuiuio Ierosolymæ, & mensæ cœlestis interpretantur, de quo Dominus: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*; & rursus: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum; Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Tamen si verba ista, & eorum circunstantias exactius pensitemus, aptiùs & congruentiùs de Ecclesia militāti, & de aduentu, & apparitione Christi in carne, & spiritali cōuiuio per eum in cœna exhibito exponuntur. Tum quod in principio Capitis gratias agit Deo: Exaltabo te, inquit, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, Amen. Vbi Deum celebrat, quod cogitationes de redimendo mundo, omni sanè admiratione dignas, per incarnationē ac mortem Filij Dei, & resurrectionem opere expleuerit.

Prior sensus.

Luc. 14. Infrà 22.

Alter aptior, & congruentior.

Deinde subdit: *Quia posuisti ciuitatem in tumulum: vrbem fortem in ruinam, domum alienorum; vt non sit ciuitas, & in æternum nō ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te.* Timore videlicet latriæ, & reuerentiæ. Quæ verba ad literam non de vrbe Roma euertenda, & ciuitate forti Israel erigenda, vt Rabbini somniant, sunt exponenda, vt etiam admonet hoc loco Beatus Hieronym. sed de euersa Ierosolyma, & de Gentibus assumptis à Christo in populum, & in Ecclesiam suam. Subdit autem caussam, cur tantam gratiam populo Gentium impenderit: *Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu.* In quo meritum incarnationis, & mortis suæ ad peccata remittenda fortissimum, & gratia ab ęstu concupiscentiæ refrigerans, & fiducia à fouea desperationis liberans varijs metaphoris pulchrè adumbrantur. Deinde finito cap. 25. rursus in initio 26. de laudibus aduētus Christi iterum philosophatur, dicens: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluatòr, ponetur in ea murus, & antemurale.* Quę propterea à me longius repetita sunt; vt ex præcedentibus, & consequentibus ostenderem, verba intermedia, quæ de cōuiuio exhibendo loquuntur, ad tempus Christi spectare: vt Hieronymus, & alij interpretes docent. Certè Cyprianus, vel potiùs Ruffinus in expositione Symboli, & Eusebius Cæsariens. libro 1. de demonstrat. Euangelic. cap. vlti.

Deus à nobis quomodo timendus, & honorandus.

Rabbini hoc loco quid somnient. *B. Hieron. in c. 25. Esaiæ, li. 8. tom 5.*

Incarnationis, & mortis Christi merita.

Idem in c. 26 eiusdem libri. Cyprian. Euseb. Cæsarien. tom 1.

de my-

de mysterio noui Testamenti, hoc est corporis & sanguinis Domini, interpretatur. Postquã ergo Propheta carmine prosecutus est omnia superiora ab initio 25. c. subiũgit prosa oratione; vt etiã Boëtius noster Latinus facere consueuit, qui vt gratiorem reddat sermonẽ, à carmine ad prosam orationẽ saltare solet. *Et faciet*, inquit, *Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium.* Vbi; primũ explicandus venit conuiuij huius autor: Deinde locus, *In monte*, inquit, *isto:* Tertiò, qui sint conuiuę; ait enim, *omnib. populis:* Quartò, quale sit cõuiuium: *pinguium*, ait, *medullatorũ, vindemiæ defæcatæ:* Demum huius conuiuij fructus; quia subiungit: *Præcipitauit in mõte isto faciẽ vinculi colligati, &c.* quibus benè explicatis, magnitudo & præstãtia huius conuiuij cũ fructibus suis elucescent. Explicemus primo loco instructorẽ conuiuij. Hic est Dñs exercituum. Quia etsi summa delitescat sapiẽtia in hoc mysterio, vt meritò dici possit à sapiente instructũ conuiuium, & Eucharistia sapientia in mysterio abscondita: quanquam etiam summa bonitas, & misericordia Dei alio loco dicatur: *Memoriã*, inquit Dauid, *fecit mirabilium suorũ, misericors & miserator Dominus: escam dedit timẽtibus se:* maximè tamẽ & admiranda Dei fortitudo atq; potentia in eo relucet, quę tot & tanta signa, & diuinæ virtutis argumẽta in huius conuiuij præparatione nobis edere voluit, quę perpetua, & continua nobiscum simul cum ipso Christo permanerent. Apteq; dicitur Christus, Dñs exercituum, qui alio loco à Dauide dicitur, Dñs fortis & potẽs, Dñs potens in pręlio; & ab Esa. Deus, Fortis, Pater futuri seculi. Et in hoc mysterio, exercitus angelorum Christo ministrant; disponendo, scilicet mentes conuiuarũ ad benè communicandum, ipsiq; Domino in mysterio contento reuerentiam, & summum cultum præstandum: quemadmodũ Chrysost. lib. de Sacerdotio, & B. Greg. in dialogis docent.

Quid propriũ, & familiare Boëtio.

Quis sit hui⁹ instructor cõuiuij.

Eucharistia quare dici potest sapientia in mysterio abscondita. *1. Cor. 2.* *Esai. 110.*

Eucharistia cũ sũmę Dei sapientiæ, tũ bonitatis & misericordiæ tum verò maximè eius fortitudinis est argumẽtum.

Christus Dominus exercituum cur dicatur. *Psalm 23.* *Esai 9.*

Angeli circa mysterium Eucharistiæ quid operentur. *B. Chrys. li. 6. de Sacerdot. tom 5.* *D Greg. lib. 4. Dialog. c. 57 tom 2.*

Dicitur etiam hoc conuiuium instructũ à Dño exercituum, quia pro exercitibus Ecclesiæ militantis corroborandis, & contra malignorũ spirituum exercitus confirmandis institutũ est. Vt interim nihil dicã de exercitibus animarũ in Purgatorio detentarum, quæ virtuti huius sacrificij è loco supplicij eruuntur, ac redimuntur.

CurDomino exercituum instructum hoc conuiuiũ dicatur.

Sed iam vocat nos secundum de loco, de quo dixit: *In monte isto.* Nimirum ciuitatem Ierusalẽ δεικτικῶς illa voce, isto, expressam intelligit: quia aliàs nihil præcesserat, cùm hæc diceret. Quemadmodũ alio in illo loco; *Fundamenta eius in montibus sanctis:* & ne dubitemus quid significet, eius, subdit: *Diligit Dominus portas Sion.* Et quanquã ad literam, hoc cõuiuium à Christo, & Apostolis celebrari cœperit in monte Sion: tamen quantũ ad mysterium attinet, Ecclesiã Catholicam & militantẽ significat, q̃ in monte Christo posita est. Vt sit sensus: in monte isto designante Ecclesiam Catholicam super montẽ positam, de quo mõte alibi ait: Ego autẽ constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctũ eius. Quia enim cætera excellentiora Christi mysteria in montibus peracta sunt: nam incarnatus est in Nazareth, quę super montẽ ædificata erat; deditq; legem in monte; satiauit turbas in monte; transfiguratus est in monte; cruci suffixus est in monte Caluariæ; suscitatus apparuit in mõte Galilææ; è monte Oliuarũ cœlos conscendit; quieuit in mõte cœli empyrei; ita voluit hunc sermonẽ, & mysterium Eucharistiæ in monte Sion instituere. Habent enim omnia Christi gesta nescio quid montanũ, excelsum, & nobis incomprehensum. Vnde de eo dicitur; Et altitudines montium ipse conspicit. Et vt aliquo modo à nobis capiantur, oportet montem fidei & cogitationis supra naturã positę cõscendere: quemadmodũ Zachęus in arborem Sycomorum ascendit vt videret Iesum; & opus est plana, & inferiora loca nos relinquere, vt ad ea quę Christi sunt assurgamus. Dicitur prętera Ecclesia mõs sanctus: quia Eucharistia Dño dicata est, & consecrata. Hinc Eucharistia, quę ipsum sanctum sanctorũ, Christum cõtinet, eget domo sacra, id est templo, in quo fit, & loco sacro, id est altari, in quo celebretur; vestibus & ornamẽtis sanctis, quibus induatur Sacerdos ad rẽ tam sacram peragẽdam. Eget ministris sacris, id est, Deo dicatis Sacerdotibus conficientibus. Indiget cõuiuis sanctis, qui talem cibum edãt, id est baptismo initiatis, q soli possunt gustare carnes agni nostri. Et si contingat peccato aliquo quempiã inquinari; opus est purificari Sacramẽto pœnitentiæ, oratione, meditatione, & spirituali præparatione sanctificari, vt cum fructu edamus, quod ad salutẽ nostrã institutum est. Perueniamus ad tertio loco propositum, id est, ad conuiuas, quos Esaias vocat oẽs populos. Nam vt Christus pro omnib. incarnatus, ac nat⁹, extra Bethleem in lucem est editus, mortuus extra Ierusalẽ, qui pro omnibus patiebatur: ascendit extra ciuitatem ex monte Olineti, qui pergebat vt omnibus præpararet locũ: ita pro omnibus populis Christianis instruxit hoc cõuiuium. Et nemo præter Christum ditissimũ, ac potentissimũ poterat tot conuiuas

Quis sit hui⁹ conuiuij locus.

Psalm. 86.

Vbi primò celebratum Eucharistiæ conuiuium.

Psalm. 2.

Excellentiora Christi mysteria in montibus peracta sunt. *Luc. 1.* *Infra 4.* *Matt. 5.* *Ioan 6.* *Matt. 17.* *Infra 27.* *Infra 28.* *Luc. vlt.* *Act. 1.*

Psalm. 94.

Luc. 19. Quomodo nos mysteriorum Christi mõtem possimus ascendere.

Ecclesia mõs sanctus cur dicatur.

Qui sint conuiuæ. *Luc. 2.* *Matth. 27.* *Hebr. 13.* *Act. 1.* *Ioan. 14.*

uiuas ad suam mēsam inuitare,& inuitatos alere. Vocat autē omnes populos, vt cum humilitate,simplicitateq; ad hoc conuiuiū accedant more populi. Et seruauit illud

Luc.24.

pręceptum: *Cùm facis prandium,aut cœnā,noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, &c.neq; diuites:ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio; sed vniuersos populos afflictos & laborantes, vt reficeret eos.* Ideo ab hoc conuiuio

Quinam eijciantur ab Eucharistiæ sanctæ conuiuio.

meritò eijciuntur proditores, vt Iudas canes mordaces,vt hæretici,& schismatici,& superstitiosi ad vomitum redeuntes; porci lasciui,hoc est,concubinarij carnis hærentēs luto,& illuc postquā loti sunt, reuertentes;serui solo metu bonū agentes,& ad hoc conuiuium & panem filiorum accedentes; omnes deniq; non adferētes charitatis vestem nuptialem,qua in tanto amoris cōuiuio dignè epulari possint:tantùm populis, qui filij sunt per adoptionē facti, vtilis est hęc mensa,atq; hic panis,de quo dicūt;*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Ioan 13.
Prou. 26.
2.Pet 3.
Matth.15.
Infra 22.

Quibus tantum Dominica mensa deseruiat.
Supra 6.

Quale sit hoc conuiuium.

Quartus succedit articulus de qualitate conuiuij,ait enim: *Conuiuium pinguium,conuiuium vindemiæ,conuiuiū pinguium medullatorū,vindemiæ defæcatæ.* Vbi consideranda est pulchra verborū in Hebręo paronomasia. Dicitur enim, Miste semanim,miste semarim, semanim memuchaim,semarim mezucakim:quam neq; Latinus,neq; Gręcus interpres aliena lingua exprimere potuit.

Eucharistia quomodo conuiuium pinguium.

Conuiuium ergo pinguium:non rei macilentæ,sed pinguis; non piscium,sed carniū delicatarū. Et cùm quidam magis delectentur cibo,quā potu;alij verò plus potu, quā cibo: propterea priores inuitat ad edendū; posteriores ad bibendū. Ideò vtrumq; hoc loco exprimitur,quia generale conuiuium est, & quia editur per se, & bibitur per se propter varias species Sacramenti; & quia editur & bibitur spiritualiter,quo cum fructu sumatur tantum mysterium. Vt autem

Cic. lib. de senectute.
Græcis conuiuia vnde dicantur.

annotauit Cicero,Gręci conuiuia à cōpotādo & cōcœnando συμπόσια, & σύνδειπνα vocabant,id est compotationes,& concœnationes, honestiori voce Latina à conuiuendo dicta sunt, quasi tunc maximè cum amicis cōuiuantibus simul viuamus,& eorum præsentia & cōfabulatione fruamur.

Bonus huius cōuiuij esus.

Facit ergo hoc sacrū conuiuium Domin', vt ipse de nostra, & nos de sua vita participemus. Ita enim rectè edimus hūc cibum, si nos à Domino edamur. Vita porrò Dei,

Vita Dei qualis sit,eiusq; cibus & potus.

in sapientia,amore & operatione consistit. Edit enim Deus, cū cogitat suam essentiā, potentiam,sapientiam, amorem; cùm cōprehendit opera creationis,incarnationis, redemptionis, gratiæ, & gloriæ suæ: Bibit Deus,cùm se tam amabilem,amatorem,&

Prou.16.

tot amabilia cōtinentem diligit:edit,& bibit,cū operatur omnia propter se. Ita nos diuinā vitam participamus; cùm diuina cogitamus & sapimus:bibimus, cū amore in illa rapimur: edimus,& bibimus, quando cùm lętitia & gustu operamur, & patimur.

Cibus item noster,potusque.

Addit pręterea,*Conuiuium pinguium,vindemiæ defæcatæ.* Id est, vini excellentis, & præstantissimi;quod est dicere, erit delicatissimū conuiuium,vt est illud, quod consistit in pingui & medulla, & illud, in quo bibitur dulce,& optimū vinum:nam pingui,& dulci nutrimur. Vt rectè dixerit Esdr. *Ite comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui nō præparauerūt sibi, quia sanctus dies Domini est.* Et Moyses in Deut. *Et hircos cum medulla tritici,& sanguinē vuæ biberēt meracissimum.* Et Ioseph: *Dabo vobis omnia bona Ægypti,vt comedatis medullā terræ.* Et Dauid gratū Deo promittens sacrificium, ait: *Holocausta medullata offeram tibi cum incēso arietum.* Quæ vt magis explicentur, perpende,

Conuiuium pinguium, cōuiuium vindemiæ defæcatæ quid sit.
Pingui,& dulci nutrimur.
2.Esdr.8.
Deut.32.
Gen.45.
Psalm.65.

Deū in veteri Testam. omniū animalium meliorē bolum sibi exegisse: *Omnis*,inquit, *adeps Domini erit, iure perpetuo in generationibus,& cūctis habitaculis vestris.* Et Abel à solo naturæ lumine instructus, obtulit Deo de primogenitis gregis sui,& de adipib.agnorum. Vt iam metaphoricè nomine adipis, excellēs,& auxiliū quid significetur. Hinc in Eccles.dicitur de Dauide: *Quasi adeps separatus a carne,sic Dauid à filijs Israel.* Vel, vt Græcè habetur: *Sicut adeps ab hostia salutari, separatus fuit à filijs Israël.* Quòd sicut adeps sit præstantior pars animalis, & Deo cedebat in hostia pacifica,quam salutarē vocat, vt pręcipitur Leuit.2. & in cuius honorem concremabatur,& separabatur ab animali: ita Dauid sanctus,& electus secundùm cor Dei, separatus ab alijs peccatoribus, vt totus Deo placeret,& seruiret illi quasi adeps Deo crematus, & sacrificatus. Quod ergo

Deus in veteri Testamento optima quæque animalium exigebat.
Leuit.3.
Gen.4.
Nomine adipis quid significetur.
Eccles.47.
Illud Ecclesiastici: Quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israël, quid significet.
1.Reg.13.

Deus in veteri lege tantopere ambiret adipē,hoc erat in pignus,quòd erat nobis ipse daturus pinguia sua, atq; medullas suas. Prohibebat quoq; edi carnē cum sāguine, & totum sanguinē animalium sibi offerri volebat,in signum quod aliquādo daturus erat sanguinē suum pretiosissimū, nobisq; cū vsura restituturum quod exigebat. Christus igitur non tantùm quatenus Deus est, sed etiam inquātum homo & gratiæ,& veritatis plenā animam habens,& carnē, floridæ, & virentis ætatis pinguis dici potest. Vnde apud Lucā sub figura vituli saginati describitur:& à Paulo sub oliua pingui,& à Dauide adeps frumenti dicitur: *Cibauit eos ex adipe frumenti*;& alibi: *Adipe frumēti satiat te*, teste Aug. cuius furfure hic pascimur;

Cur Deus in lege adipem, & pinguia sibi offerri pręceperit.
Leuit. 3. & sæpè alias.
Idem carnē cum sanguine cur edi vetuerit.
Matth. 26.
Ioan.6.
Luc.15.
Rom.11.
Psalm 80.
Psalm.146.
August. in Psalm.146.

in cœlo

Gen.49. *Psalm.19.* *Psalm.67.*

in cœlo verò adipe: Et in pane illo adūbratus est, de quo dicitur: *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Et hoc est holocaustū illud pingue, de quo Dauid: *Memor sit omnis sacrificij tui; & holocaustū tuū pingue fiat;* & mons illi Dei, mōs pinguis, mōs coagulatus. Deniq; nō sine causa dicitur Christus, id est, vnctus, & oleū effusum (seu vnguentū effusum, vt 70. legunt) nomen tuū quod corp⁹ haberet ætate virēs ad pingue sacrificiū Patri offerendum, animam plenā pinguibus, & heroicis virtutib. tanquā medullis, id est, plenā delicatis & excellentib. meritis, & admirabili rerum diuinarū gustu, vt verè dicere posset: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: labijs exultationis laudauit os meum, vt tanquā caput in oēs effunderet.* Erat etiā in eo Deitas, quę sapor est & pinguedo, & deliciarū omnium plenitudo. Ideo in plurali ait, conuiuiū pinguium. Quod etsi exterius minimè appareret, nō mirum est, quia hoc pro sapientia sua fecit ad vitandū nostrum horrorē, & locū fidei dandum. Quòd si māna omne delectamētum in se habebat, & omnis saporis suauitatem: quem gustū, aut quas delicias nō hoc spirituale medicamentū prębeat, quod instar eius quod nuncupatur à medicis electuariū, sub forma panis nobis propositū est, in quo tamē eduntur diuinitas simul & humanitas: sicut in corporeis vocatis electuariis sub specie panis sumitur pinguedo & pectus caponis delicatè condita?

Psalm. 147. *Christus qua- se vnctus, & oleum seu vnguentum effusum nominatur.*

Psalm. 62.

Cap 16. *Exod.16.*

Addit: *Pinguiū medullatorū.* Pinguia enim citò nauseam gignere solēt; at medullæ ob vicinitatē ossis sapidiores, & ad esum magis sunt aptæ, quēadmodū caro propinquior ossi sapidior est. Est pręterea in medulla vita animalis sita, vt testis est Plat. in Timęo: vt intelligamus, eum qui largitur medullas similiter nobis vitā suam donaturum. Ad hunc modū humanitas & merita Christi erāt pinguia medullata; proxima ossi, id est, fortissimę verbi diuinitati. Et quemadmodum os sustinet medullā, & ab ea quasi vicissim irrigatur: ita Deus verbū humanitati hypostasim, seu subsistētiam præstat. Sed hæc duram diuinitatē vt os, mollem nobis reddidit. Solet os omni medulla nudū, vt inutile proiici; quod si illā habeat, amatur: ita diuinitas quæ per se durior existit propter potētiam eius, & iustitiā qua vindicat peccata, ob sanctam humanitatē tanquam medullā ei coniunctā, & gratiarum fontē, qui in Christo capite fuit, cœpit nobis mollescere, ac proinde dulcescere ac diligi. Et quanquā medulla edi nō possit nisi fracto osse: hic tamē cùm infracta sit diuinitas, & scriptum sit: *Os nō comminuetis ex eo,* medulla ipsa cum osse integro esui iam facto māducatur. Et vt medulla cruda non editur, sed cocta: ita humanitas igne Spiritus sancti ab Incarnatione decocta fuit, & item igne passionis in cruce, vt reddita sit sapidissima & suauissima. Præterea vt medulla nisi in frusta panis extensa ferè nō editur: ita hic Christus nisi sub accidentibus panis nequaquam sumitur. Mirum est autem, quòd cùm tam pingui alamur cibo, cognitione tamen & amore Dei, & calore virtutum tam simus macilenti, ac tenues, vt nullum spiritus pinguedinis in nobis appareat vestigium. Cùm tamen cum Ecclesia canamus: *Christum Regem adoremus dominantem Gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.* Debes igitur toto animi affectu, & repleta pinguedine Spiritus sancti anima, apertisq; intimis medullis cordis ad hoc conuiuiū accedere, vt tum rei pretiosissimæ nobis datæ, ac dantis amori ex parte aliqua respondere valeas. Nam hic illud Zachariæ verbum impletur: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriēs ex alto.* Nam dum ad hoc conuiuium inuitamur, in visceribus Christi nobis ad edendum propositis visitamur: neque decet vt nos aliis manibus, aut faucibus, quàm ipsis intimis animi visceribus Dominum visitantem excipiamus.

Eucharistia, conuiuium pinguiū medullatorum, vt dicitur. *In medulla vitam animalis sitam censet Plato.* *Plato.* *Causis Christi quid medulla, quid os, significet: vtriusq; proprietates.*

Ad Eucharistiæ salutare conuiuium quales accedere debeamus.

Luc.1.

Addit & alterā metaphoram, dum ait: *Vindemiæ defæcatæ.* Vindemia Hebraicè dicitur Semarim, à custodiendo: quia moris est hominib. suas vineas, ne à latronibus diripiantur, custodire. Vindemiā porrò vini causa tropicè vsurpat pro vino, quod finis est vineæ, & vindemiæ; pro quo Septuaginta verterunt, Cōuiuium vini. Et significat ad literā vinum purum, dulce, defæcatum, & ab omni sorde, & fæce purgatum. Et per metaphorā innuit potū sanguinis Christi, qui in Ecclesia à populo toto sumebatur, quemadmodum nūc solis à Sacerdotibus, atq; illis quidē celebrantibus bibitur semper. Est autem domus Israël, vinea Domini exercituum, & vir Iuda, id est, Christus germen eius delectabile. Ex hac vite propagati sunt omnes palmites, qui vineā Ecclesiam Dei conficiunt: nam in illa Christi vite tanquam palmites inserti sunt omnes sancti ab initio mundi, de qua dixit Dominus: *Ego sum vitis, vos palmites.* Huius vitis folia, sunt orationes ad Deum fusę, verba, atque sermones ad populū habiti. Odor vitis, fama est celeberrima nominis Iesu, fugans dæmones tanquam serpētes. Humor, sunt lacrymæ, & sudores quos pro nobis sustinuit. Vua acerba sunt iniuriæ, calumniæ, & quę pertulit tormēta: Vuæ maturæ, sunt

Quid illud: Vindemiæ defæcatæ. *Vindemia Hebraicè Semarim vnde dicta.*

1.Cor.11.

Vinea Domini exercituū quænam. *Esai 5.*

Ioan.15. *Vitis allegoria.*

Exod.12. *Ioan.19.*

sunt opera bona: vinum, amor, amor fundens sanguinem, vel sanguis amore nostræ redemptionis fusus, delectãs, inebrians, & vt Propheta ait, germinans virgines, calefaciens amore, & iuuans ad digestionem ciborũ, id est, ad incorporanda nobis Christi mysteria, & ad patiendum pro Christo, vt Mori sanguis exacuit irã elephanto ad bellum. Vindemiata est hæc vitis à Iudæis, vt in Threnis dicitur: quia spoliatus est, quantum ad Iudæos spectabat, innocentia, iustitia, honore, deinde etiam vestibus, sanguine, atq; adeò ipsa vita. Demum in torculari crucis pressa vitis, succum dulcẽ sanguinis reddidit quasi musti: sed antequam ab alijs vindemiaretur, & veniret proditor cum cohorte ad capiendũ eum, ipse sponte sua, & omnipotenti sapientia, & virtute, sub specie vini potandum tradidit sanguinem suum. Et sicut lacryma, quæ ex myrrha, & balsamo sponte profluit, præstat illi, quæ per vulnus arboris trunco illatum educitur: ita iste sanguis spontè oblatus à Christo ante flagella, spinas, & lanceam, & datus Apostolis ad potandum, prẹstantissimus est, & amabilissimus, si attentè, & cum Spiritu Dei illum suscipiamus. Et hactenus de quarto sit dictum.

Zach. 9. — Mori sanguis ciere dicitur elephantem ad pugnam. — *Thren. 1.* — *Esai. 63.* — *Matth. 26.* — *Ibidem.* — Qualis sit Eucharisticus Domini sanguis.

Postremum iam præstandum est, vt de fructibus huius conuiuij nonnihil dicamus; de quibus: *Et præcipitauit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum; & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra.* In quibus illud verbum: *Præcipitabit*, expendendum est: nam Hebraicè dicitur balag, quod est, propriè absorbere; pro quo Septuaginta vsi sunt verbo κατέπιεν, quo verbo Paulus vtitur alludendo ad Septuaginta interpretes, cùm ait; *Absorpta est mors in victoria*, & alio loco: *Vt absorbeatur quod mortale est à vita.* Et Hieronymus, qui vertit, *Præcipitabit*; addit in Commentarijs, *Absorbebit.* Et cùm sit sermo de conuiuio, in quo editur, & bibitur; expressior erat significatio verbi absorbendi, vel deglutiendi; de qua apud Ionam legitur: *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam.* Et in Exodo; *Deuorauit virga Aaron virgas eorum*, nempè magorum. Verbum ergo balag, præcipitationem significat, sed eam, quæ fit absorbendo, deglutiendove, quasi significetur prẹceps ruina per gulam absumentem, & metaphoricè transfertur ad aliarum rerum præcipitationem.

Quales sint fructus huius conuiuij. — *Apoc. 7. & 21.* — Præcipitare faciem vinculi colligati apud Esaiam quid. — *1. Cor. 15.* — *Osea 13.* — *2. Cor. 5.* — *Hieron. to. 5.* — *Iona 2.* — *Exod. 7.* — Balah Hebræis quid signet.

Iam ad rem accedamus. Solent hominum conuiuia contentiones, & rixas parere, & interdum homicidia, vt conuiuium Adæ & Euæ factũ à serpente, & illud fraudulentum Absalom, in quo occidit Amnon fratrem suum, & illud Assueri, in quo suspensus est Aman. Ex isto autem Domini conuiuio bona omnia oriuntur, Fides, Pax, Vita, & cultus hominis erga Deum. Est enim ingens Dei laus, tanta, & talia mysteria homines fide apprehendere, non obstantibus rationibus, seu sensibus nostris, qui nos impediunt, Hæreticis, atque dæmonibus reclamantibus, & negotium facessentibus, interdum etiam nos irridẽtibus. Homo namque hac mensa, & hoc cibo manducato, omnia bona consequitur; fitque Deus participatione, ac diuinę consors naturę, quia manet in Deo, & Deus in eo. Docemur præterea proximum diligere, & illi vsque ad sanguinis profusionem exemplo Christi inseruire.

Qualianam pię illo Christi, hominum solent esse conuiuia. — *Genes. 3.* — *2. Reg. 13.* — *Esther 7.* — *2. Pet. 1.* — *Ioan. 6.* — *1. Ioan. 4.*

Primus itaq; fructus in illis verbis significatur: *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, quia Dominus locutus est.* Quod Chaldęus Paraphrastes vertit, faciem principis, cuius Principatus est super omnes populos; Aquila & Theodotion verterunt: *Faciem tenebrarũ*, Pagninus, *Faciem operimenti operti*; nam Hebraicè dicitur, Loth aloth. Et primus fructus Eucharistiæ, est abolitio, seu absorptio ignorãtiæ, & cæcitatis; quæ paulatim absorbetur, edẽdo de Christi corpore. Nam vt esus pomi reddidit homines iumentis insipientibus similes, fecitque cæcos, & ignorantes, cùm promisisset dęmon: *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum*; ita in esu huius cibi consortes diuinæ naturæ constituit, & in fractione panis aperiuntur oculi nostri; sicut oculi Ionathæ edentis de melle illuminati fuerunt. Et in hac ignorantia expulsa, intelligitur pelli dæmon princeps tenebrarum, & velaminis, & vinculi huius, adumbrans falsos deos pro veris, & falsas virtutes pro solidis: vt docet Haymo. Ipse enim fuit illorum autor, deijciendo hominem ad vilissima & probrosa opera ob ignorãtiam admissa. Hæc autem ignorantia erat super omnes populos; ait enim Paulus: *Testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.*

I. fructus Eucharistiæ. — Eucharistia quas tenebras pellat. — *Gen. 3.* — *Psalm. 48.* — *Gen. 3.* — *2. Petr. 1.* — *1. Reg. 14.* — *Haym. in Esa. cap. 25.* — Populorum omniũ ignorantia qualis Apostolo. — *Ephes. 4.*

Secundus fructus: *Et telam quam orditus est super omnes nationes.* Hoc est, peccatum originale, quod dæmon orditus est in omnes filios hominum, solicitando Heuam, & per eam Adamum, vt ederent de pomo vetito: quoniam per vnum hominem peccatum

II. fructus. Quænam tela illa, quam dæmon, teste Propheta, orditus est super omnes nationes.

catum intrauit in mundum, vt concionatur Apostolus: atque huic telæ nos adiicimus aliam peccatorum personaliũ telam, quibus tãquam operibus tenebrarum tegimur, & operimur. Et quod attinet ad hoc Sacramentum, licèt non sit institutum ad peccatum originale tollẽdum, tãquam boni, pij, & fideles dignè ad illud accedentes, effectum illius peccati præcipuum, id est, concupiscentiæ fomitem subinde ad peccata solicitãtem, & ex se hominem captiuantem, gratiæ perceptione paullatim debilitãt, & ad bonum mentem frigidam accendunt, & ad malum calidam refrigerant: vt experientia nouerunt, qui dignè hoc Sacramentum frequentant.

Fomes peccati in nobis quid efficiat.

Tertius fructus: *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Promisit olim dæmon edentibus, immortalitatem, sed decepit eos: at Christus, qui veritas est, promittit edenti, vitam æternam, iuxta illud: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; Et: *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et quod promisit, præstat pro sua erga nos fidelitate, & bonitate; quia fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Nam quia cibus qui editur, verè diuinus est, & æternus, valet in æternitatem vitam producere. Hinc martyres pro Christo extrema subituros tormenta, magnus Cyprianus Eucharistia muniebat: quemadmodum magnum initum præliũ, quo ardentius pugnent, cibo, potuque se communire solent. Hinc Ecclesia vniuersalis in Domino morituris, Eucharistiam in viaticum præbet. Et bene ait Propheta, *In sempiternum*: quia etsi homo ad tempus moriatur, postea tamen excitatus morti insultabit: Absorpta est mors in victoria. Vbi est, mors, victoria tua? Vt enim Christus mortem nostram moriendo destruxit; ita & nos moriendo fide in Christum intenta, & esu Eucharistiæ mortem vincimus, & mors absorbetur, ablato eius timore: vt dicitur ab Apostolo ad Hebræos.

III. fructus. Eucharistiæ. Gen. 3. Ioan. 6. Ibidem. Psal. 144. B. Cyprian. Cypria. fideles pro Christo morituros Eucharistia præmuniebat. Eucharistiam manducantes cum moriantur, vt sunt immortales. Osea 13. 1. Cor. 15. Hebr. 2.

Quartus fructus: *Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.* Quod est dicere; Non erit vltra peccatum, quod solum dignum est fletu, & lacrymis; & à quo præseruat Eucharistia. Sequitur enim Christi conuiuas vita quædam quieta, & tranquilla, & sine vllo morsu conscientiæ; & quisque cõtentus est illis animi bonis, quæ nul la vis auferre queat. Idcirco confirmatus hoc pane vincit peccata, & ambulat in fortitudine cibi huius vsque ad montem Dei Horeb. Cùm autẽ pro corporali pane sudandum sit, & suspirandum, iuxta illud; In sudore vultus tui vesceris pane tuo: & Iob; Antequam comedam, suspiro: pro isto tamen pane non est lacrymis, nisi fortè amoris, & deuotionis, laborandum, quia illo salsamento fit sapidior cibus; & tales lachrymæ manu Domini promerentur abstergi, & quasi filioli flentes à matre sua am plexu, & murmure suaui solent demulceri, eorumque lachrymæ abstergi. Ad eum sanè modum omnes pios propter se afflictos consolatur Dominus, & eorum fletũ, & luctum hoc dilicatissimo cibo suauissimoque reprimit, atque eorum lacrymas, & sudores consolationis suæ præmio quasi blando quodam sudario abstergit. Promittit etiam hoc verbo quietem à pœnis, & laboribus, quos esus Sacramenti deuorat, & minimum sensibiles facit.

IV. fructus. Apoc. 7. & 21. Quid solum fletu & lachrymis dignum. 3. Reg 19. Gen. 3. Iob. 3. Sacer Eucharistiæ panis quibus tãtum lachrymis, & labore comparatur. Quorum Deus lachrymas abstergat, & quo modo.

Quintus fructus: *Opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra, quia Dominus locutus est.* Nullum maius opprobrium, quam homines, prȩcipuas Dei, atq; nobiliores creaturas, nomen & honorem Creatoris tribuere saxis, lignis, & spiritibus immundis Dei, atq; nostrum capitalissimis hostibus. Alia enim quæ patiuntur serui Dei, non sunt opprobria, vel dãna, sed lucra, & sanctæ gloriationis materia, iuxta illud: Non solum aũt, sed & gloriamur in tribulationibus: at opprobrium illud idololatriæ, ignominiosæque seruitutis ab his qui edunt in mensa Domini, aufertur, de quo Sponsa in cant. pulchrè ait: *Quis mihi det te fratrem meum* (sic enim habet Hebræa lectio) *sugentem vbera matris* (id est, iam ex Virgine natũ, & ab vberibus eius pendentem) *vt inueniam te solum foris* (scilicet extra sinum Patris incarnatum, & iam hominem factum) *& deosculer te* (per Eucharistiam videlicet adorando, & ad perfectã reconciliationem sumendo) *& iam me nemo despiciat*, vel Angelus vt peccatorem, vel diabolus, vt prædã suam, vel Iudæus vt incircumcisum: quia per hoc ius osculi facta sum sponsa Dei, Regina, Imperatrix, & denique soror charissima.

V. fructus. Nullũ maius opprobrium quàm homines, saxis, lignis, malignisque spiritibus tribuere diuinitatem. Rom. 5. Cant. 8. Is locus canticorum: Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meę, &c quid signi ficet. Ioan. 1. Eucharistia ab omni opprobio, vel Angeli, vel dæmonis, vel Iudæi nos liberat.

Postremus effectus: *Et dicent in die illa, Ecce Deus noster iste.* Iste more Hebræo pro adest sumitur: & verbum Deus habetur Iehoua, quia Christus est verus Deus, & vita æterna: qui quidem est prȩsens in Eucharistia. Et subdit: *Expectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, & exultauimus, & lætabimur* (intus, & extra erumpente gaudio, & salute in corpus & animam) *in salutari eius*, id est, Sacramento saluante, vel tali modo saluãte per esum ab omni peccato, aduersitate, ignorantia, dæmone, morte, insipiditate, & ariditate cordis. Et significantur gratiarum actiones quæ fiũt sumpto hoc Sacramẽto. Etsi enim

V. effectus, siue vtilitas Eucharistiæ. Hebraismus. In salutari Dei iuxta Esaiam, quid exultare.

Christus in cruce fundendo sanguiné nos seruauerit, tamen per Sacramenta sanguinis sui meritum,& salutem nobis applicat, & potissimum per omnium maximum Sacramentum,& sacrificium, quod adsistentibus, & absentibus viuis, & mortuis, siue in purgatorio ad expiationem, siue in cęlo iam beatis, ad gratiarum actionem applicari solet. Subditque: *Quia requiescet manus Domini in monte isto*: id est, gratia, & fauor Dei ad hæc præstanda aderit, quia promisit,& iurauit perpetuitaté auxilij sui edentibus impendere,iuxta illud: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi: non solum vt in fide, & gratia sua protegat, sed vt etiam hostes debellet nostros, de quibus subiungit: *Triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.* Quo verbo significatur victoria Christi,& Ecclesiæ contra Hæreticos, qui palearum instar omni vento mouentur, atque in hoc Sacramentum impios, & iniquos,quorum conatus Christus reprimit, & ad nihilum vt paleas sub plaustro redigit, qui meritò dicuntur Moab, id est, de patre:quia de scripturis,& Deo Patre olim geniti fuere,postea verò filij diaboli,&hostes populi Dei fiunt. Hæc mihi præfationis loco præmittenda fuere ad tractationé Eucharistiæ: declaraui iam quò sermo noster tendere debeat in huius explicatione mysterij, nimirum vt iugulemus hæreticorum sententias, & fidelium mentes ad veram tanti beneficij fidem retinendam excitemus, & ad digne frequentandū hoc cõuiuium, vt quotidie Pascha epulari possimus cum Christo, & in voce exultationis, & confessionis, sit sonus epulantis. Nam qui hoc conuiuiū Christi adire non detrectant, digni erunt cœna æternæ gloriæ, quam promisit ille qui mentiri nescit, Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis gloria regni est, potestas, & imperium in secula seculorum, Amen.

Quæ manus Domini requiescat in monte Eucharistiæ. *Matt. 28.*

Quid est Triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.

Moab quid.

Psalm. 41.

Tit. 1.

TRACTATVS III.

De agni Paschalis esu à Christo, & Apostolis simul celebrato: Et habetur Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Prima autem die accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quēdam, & dicite ei, Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus: & parauerunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est, &c.

Quemadmodum institutionem Eucharistiæ tempore præcessit ablutio pedum Apostolorum, ita ablutionem pręcessit agni cœna Paschalis. Nam surgens à cœna posuit vestiméta sua, & misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum: & ideò antequam ad verba Ioannis 13. capitis explicanda accedamus, necessarium visum est nobis, cœnam agni Paschalis à tribus Euangelistis descriptam, quæ figura erat Eucharistiæ, sicut & ipsam Eucharistiæ institutionem à solo Ioanne omissam, proponere, & interpretari: quemadmodum quod ab illis tribus fuit omissum de ablutione pedum, & sermone in cœna habito, solus suppleuit Ioannes. Et ita horū singula à singulis Euãgelistis sunt petenda, vt integram, & ordini temporum congruam historiam habeamus. Iã verò ad verba Matthæi proposita adiungemus ex Marco, vel Luca, quæ adiungenda ex illis videbuntur. De cęna hac tria expediemus. Primum, de eius præparatione, & circumstantijs quæ illam pręcurrerunt: Secundū, de recubitu, & esu agni: Tertium, de verbis à Domino inter cęnandum ad Apostolos habitis. Nam primum dixit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Deinde: *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* *Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum, Domine?* Circa primum non est cogitandum, vt Matthæus & Marcus prima facie porrigunt, Christum à discipulis præuentum prima die azymorum interrogatum, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Semper enim præuenit nos Deus in omni bono opere

Ordo temporis huius historiæ. *Ioan. 13.*

Huius tractationis partes.

Cœnæ Dominicæ præparatio.

Semper in omni bono opere & co-

opere,& cogitatione,licèt interdum nobis aliter videatur, vt ille qui dicebat; *Praeueni in maturitate,& clamaui.* Nam etsi sanctum sit in bonorum operum studio alios homines præuenire,vel, vt Paulus ait ad Titum, bonis operibus præesse; non debemus tamen tantum nobis arrogare, vt velimus, vel cogitemus posse nos Deū præire: quia hoc esset quod dici solet, *Currus ante boues.* Non solum ergo Deum non præimus, sed etiam ab eo trahi nos oportet, iuxta illud: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me,traxerit eum.* Rectè proinde habet Luc. *Euntes*(inquit Dominus ad Petrum, & Ioannem) *parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus?* Nec obstat quod Matthæus dicit, discipulos accessisse ad Iesum,quasi sponte,& vltrò illum adierint:quia ex alijs Euangelistis intelligendū est illos nonnisi vocatos accessisse:quemadmodum Matth.5. dicitur, Christo mōtem ascendēte, accessisse ad eū discipulos:quod nonnisi vocatos fecisse testatur Marcus, & Lucas.Et Matth.18.dicitur accessisse ad Iesum discipulos dicentes:*Quis putas maior est in regno cælorum?* cùm ex alijs duobus constet non nisi vocatos ad se accessisse.Ita etiā hic intelligamus vocatos Apostolos ad se venisse,& dixisse:*Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* intellige,vnum ex eis,licèt in genere dicat id dixisse. Sicut etiam Matt.24. narratur,Discipulos accessisse, vt ostenderent ei ædificationes templi, cùm Marcus referat vnum ex eis id dixisse.

Considera etiam verbum illud Lucæ: *Venit dies Azymorum.* Vbi Græcè dicitur, ἦλθε pro ἐπλησίασε,id est, appropinquabat, siue imminebat, vt Chrysostomus,& Euthymius explicant: reuera enim nondum venerat adhuc:quia vel per vnum diem antè Pascha à Iudęis celebratum pręuenit,vel mane illius diei, in quo Pascha sub vesperā erat celebrandum. Deinde quod addit: In qua necesse erat occidi Pascha, occidi posuit pro, immolari:nā verbum Gręcum habetur, θύεσθαι, quod est in sacrificium mactari,siue sacrificare; nā morte animalium sacrificium perficiebatur. Quod verò ait, necesse erat: intelligendum est iuxta legis præscriptum, nō autem iuxta traditionem Iudæorum illo anno, quia ob consuetudinem in diem sequentem Sabbathi Pascha transtulerunt, vt infrà ostendemus. Christus autem nolens se indicare in aliquo legi contrarium, legis præceptū seruauit:quod omni homini mundo,& nō existenti in itinere, si non facit phase, minatur exterminium, vt habetur in Numeris. Quod verò ait,Pascha;intellige agnum Paschalem,qui mactationis,& sacrificij capax erat. Et semper pro agno siue pro vespera in qua comeditur accipi solet. Ad hæc misit duos discipulos;vt charitatem & honestatem cōmendaret; nimirùm Petrum, & Ioannem,hoc est,diligentem,& dilectum,siue præstātem potestate, & scientia:nam Sacerdotum munus est Eucharistiæ mensam instruere,& cœnā Dominicam pręparare,quam Christus cum suis edere debet.Et quia frequens est verbum præparandi: *Euntes*, inquit,*parate nobis Pascha*;Et,*Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et parauerunt Pascha: colligimus etiam Pascha ipsum suam habere parasceuen,& non tantùm Sabbatum. Vnde Ioannes ait; *Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta.* Marcus verò ait: *Erat parasceue,quod est Antesabbatum:* quia concurrebat simul illo anno primus Azymorum cum Sabbato,ob quam causam dicitur à Ioāne; *Erat enim magnus ille dies Sabbati:*non autem quòd Sabbatum incurreret in aliquem alium diem Azymorum,quia illud necessariò omni anno contingebat. Festum enim Paschale septem cōstabat Azymorum diebus; quemadmodū apud nos in festis omnibus quæ habent octauas,necessium est in aliquam ex illis octo diebus Dominicam diem incurrere: sed solennius solet esse festum, si in eandem diem & festiua solennitas, & Dominica incidat. Parasceues autem dies Sabbatum præcedebat,quod in illo lege prohiberentur cibos condire, aut mensam præparare. Die verò Paschatis,siue prima die Azymorum etsi licitum esset coquere, & præparare cibos, vt dicitur in Exodo:tamen ad Paschalem agnum edendum multa præparanda erant, quæ in initio ipsius Paschæ celebrandi obseruanda erant. Nam agnus decima die primi mensis domi concludendus erat; deinde igni coquendus atque torrendus. Adhæc oportebat præparare baculos, calceamenta, renum cingula,lactucas agrestes,panes Azymos. Et præter hæc omnia, quia illo anno cum Paschate sabbatum colebatur,opus erat cibos,& reliqua omnia per totum diem Azymorum necessaria præparare, vt meritò dicta sit dies illa, parasceue Paschæ, & parasceue Sabbati. Quia verò Apostoli dixerunt: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* planè insinuant neque Christum,neque Apostolos domum, aut diuersorium habuisse (quia Bethaniæ soliti erant habitare)sicut nec asinum ad ingressum habuit nisi precario, neque sepulchrum,ita etiam neque cœnam, vt opus fuerit illam quasi mendicare.

Cùm igitur Apostoli instarent; *Vbi vis*

Left margin notes: cogitatiōe nos pręuenit De' Psalm.118. | Tit. 3. | Prouerbium id, Currus ante boues, quibus possit cōuenire. | Ioan.6. | Luc. 22. | Discipuli an à seipsis sponte, vt Matth. inquit, an iussi à Christo, velut alij dicunt Euangelistæ,parauerint Pascha. | Marc.9. Luc.9. | Marc.13. | Chrys. ho.28. in Matt.to.2. Euthym.c.63 in Matth. | Materia sacrificiorū apud Iudæos patet, & Gētes. | Quomodo accipiendum id: Necesse erat occidi Pascha. | Num 9. | Quid Pascha

Right margin notes: Cur duos tantùm discipulos Dominus misit ad parādum Pascha & quare missi Petrus, & Ioannes. | Ioan 21. | Eucharistiæ mensam instruere,quorum sit. | Pascha præter Sabbathū habebat etiā suam parasceuen;& vnde id constet. | Ioan 19. Marc 15. Ioan 19. Exod 12. Leuit.23. Num.28. | Parasceue Paschæ cur instituta. Exod 16. Supra 12. | Ibidem. | Quænā præmitti solita esui agni Paschalis. | Christus & Apostoli, vt paupertatem coluerint. | Matth. 21. Infra 27.

paremus tibi comedere Pascha? Iesus respondit: *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei, Magister dicit; Tempus meum prope est: apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Hæc latius describit Lucas, dicens; *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus; Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnũ stratum; & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt Pascha.* In primis quòd mittit illos in ciuitatem, indicauit locum agni immolandi, tantùm esse posse Ierosolymam, vt dicitur in Deuteronomio, & ciuitas illa nõ capiebat Prophetam alibi perire, de qua præcinuerat Dominus; *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Numerum missorũ à Christo ponit Marcus, puta duos. Lucas etiam eorum nomina expressit, nempè Petrum & Ioannem.

Vbi tantum Pascha celebrare licebat. *Deut.16. Luc.13. Matth.23.*

Marc.14.

Introeuntibus vobis. Siue potius, vt Græca habent, ingressis vobis, εἰσελθόντων ὑμῶν. Non inquit, ingredientibus vobis in ciuitatẽ, occurret homo iste: sic enim ciuitatẽ exiret, ac proinde is sequendus nõ fuisset, deducturus in domum quæ esset extra ciuitatem. Et quia dixit, ad quendam, Ambrosius putat, fuisse hominem tenuem, ac pauperem. Ait enim: *Dignationem eius intuere, quia non persona diuitis, aut potentis eligitur, sed pauper ambitur, & angustum hospitium pauperis amplis nobilium ædibus antefertur.* Ite, inquit, ad quendam. Verùm huic sensui non satis quadrat, quòd cœnaculũ dicitur stratum, & grande fuisse, in quo fuerunt recepti centum & viginti viri. Erat autem fortassis ex diuitibus aliquis occultus Domini discipulus: & verbum Grçcũ πρὸς τὸν δεῖνα, significat certum, & innominatum quemuis hominem, non minus diuitem, quàm pauperem, sicut Hebraicè almoni & peloni, de quibus 1. Reg.21. Tectis autem verbis hominem describit, qui occurreret illis gestans aquæ amphoram, cuius circunstãtiæ solus Lucas & Marcus meminerunt, & domum, in quam intraret, & patremfamilias domus: non solùm vt se Deum ostenderet, & sponte pati, & qui posset etiam absentium corda in se cõuertere; sed vt etiã, teste Euthymio, ne Iudas cognita domo ad insidiatores excurreret, & illos ad se introduceret, priusquam cœnam mysticã discipulis traderet. Ex his etiã liquidè patet, alium esse hominem amphoram aquæ gestantem, qui seruus, seu famulus domini illius esse videbatur, & alium dominum domus, siue patremfamiliâs, ad quem Dominus discipulos duos destinauerat. Vide etiam honestissimum modum se inuitandi ad Pascha: *Magister*, inquit, *dicit, Tempus meũ prope est, apud te facio Pascha cũ discipulis meis.* Id est, Quoniam instat tempus, vt pro salute mundi me immolari permittam, præpara quãtum satis est mihi cum duodecim ad Paschæ celebrationem. Et quia simpliciter ait, *Magister dicit*, innuit illum fuisse ex Christi discipulis: non enim aptè tanta autoritate vti potuisset, nec vsus fuisset Magistri titulo cum alio, quàm cum discipulo. Vnde Ioã. 10. dixit Martha ad Mariam, *Magister adest.*

Quis ille, ad quem misli duo discipuli ad parãdum Pascha secundum Ambr. *Ambr. lib.10. in Luc cap 8. tom.tom.5.* Altera opinio magis probabilis. *Act.1.*

Hominis occursum amphoram aquæ baiulãtis, cur Domin' prçnuntiauit.

Euthy. ca.63. in Matth.

Christi modestia.

Illud, Tẽpus meum prope est, apud te facio Pascha cũ discipulis meis, quid mysticè.

Quis autem fuerit ille, non satis constat. Quidam dicunt, Marcum Euangelistam fuisse, & diuitem Ierosolymitanum, secretumque Domini discipulum propter euitanda scandala: quemadmodum erant Ioseph & Nicodemus, atq; alij. Atque hoc ex eo videntur elicere, quòd cùm Herodes in vincula Petrum coniecisset in diebus Azymorum Ierosolymæ, vt est in Actis, multi fideles congregati erant in domo Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, & preces pro eius liberatione suderũt. Sed hoc cùm tantum coniectura quadam dicatur, & nulla firma autoritate probetur, nõ videtur solidum. Niceph. Callistus aliter sentit; scribit enim: *Sub hac, cœna paratur in domo, vt aiunt, Ioannis Euangelistæ, quã ille possessione sua (non exigua autem ea fuit) in Galilæa Caiphæ eius temporis Iudææ Pontifici vendita (cuius gratia etiam illi notus extitit, sicuti ipse alicubi sacro suo testimonio asserit) in locis circum Sion montem sitis comparauerat. Illi igitur Discipuli apud hominem certum, priusquam Azymorum instaret dies, ita vt illis mandatum, præscriptumq; fuerat, legis Pascha instruunt.* Hæc ille, q̃ risu & cachinnis excipit Theodorus Beza homo hæreticus. Certè eius autoritas parum me permoueret, nisi idem traderent alij, vt Cedrenus in compendio historiæ, & Cyrillus Ierosolymitanus Catechef.16. vbi hanc domum vocat, superiorem Ecclesiam: & Proculus in traditione liturgiæ, in ea docet Apostolos liturgiam postea celebrasse: & nisi nonnihil persuaderet testimonium Gregorij Nazianzeni in tragœdia de Christo patiente, aliquãto post medium, qui sanctissimam Dei Genitricem inducit mulieres comites suas alloquentem ea nocte, quç Dominicam resurrectionis diem præcessit. Ait enim.

Eamus hinc citi silentes grepibus
Ædes petendo fœminæ, in quibus manent
Vt hospites cum matre Marci Maria:
Quo & consolabit, vt reor, sacer chorus,

Quis fuerit paterfamilias apud quẽ Dominus fecit Pascha cũ discipulis suis.

I. opinio. *Luc.23. Ioan.3. & 19.*

Act 12. Ibidem.

II. opinio vero propinquior. *Niceph. Callist lib.1. Eccl. hist. cap. 28. Ioan. 18.* Ioan Euang. domus Ierosolymis, teste Nicephor.

Theod Beza.

Greg. Nazã. Cedren. Græcus autor. Cyrill. Ierosol. Proclus.

Ioan. 19.

Ibidem.

Quo iure Ioannes eam domum habuerit qui paupertatis votum emiſerat.

II. opinio.

Luc. 22.

Ibiq; dulcem præſtolabimur diem.
Potiusue eamus in noui gnati domum,
Quem filius mihi arrogauit vnicus.

Hæc ille, ex quibus habes, Ioannis Euangeliſtæ domum ad Sion ſitam, qui commẽdatam ſibi à Domino Virginem matrem recepit in ſuam, ſiue, vt Græcè legitur, *εἰς τὰ ἴδια*, hoc eſt, in ſuas & proprias ædes. Neque hoc pugnat quouis modo cum paupertate, quam profeſſus erat Ioannes Euangeliſta: quia fieri potuit, vt Domini conſilio illas ædes Ioannes coëmerit ad vſum celebrandi Paſcha, & vt in illis expectandi aduentus Spiritus ſancti, & ad tempus habitandi, locum Apoſtolis conferret: & vt ſanctiſſima Dei Mater non vagaretur diuerſas inhabitando domus. Fieri etiam poterat, vt eo tempore ædes illas aliquis diſcipulus Chriſti diues, ac nobilis conduxiſſet, vt propterea miſſus fuerit ad illum Ioannes cum Petro, vt ab eo impetrarent locum ad celebrandum Paſcha: vt ille non tantum facilè conceſſerit, quia diſcipulus Domini erat, ſed etiam, quia intercedebat Ioannes, penes quem ius domus erat. Nec rurſus obſtrepat aliquis, communem hanc domum fuiſſe, & non conſecratam: quia ipſa Chriſti actione inſtituentis Euchariſtiam, & aduentu Spiritus ſancti conſecrata fuit, ac dedicata, ſicut viſio Domini quã vidit Moyſes, rubum ſanctificaſſe legitur, & nubes Dei, ſacrauit Templum. Nihil autem hic affirmatum eſſe volo, pluſquam vel ratio, vel autoritas perſuadere poſſit.

Vnde adduci potuerit hic paterfamilias Chriſto vt ad faciendum Paſcha cum diſcipulis cõmodaret hoſpitium.

Quicquid autem ſit de hoc, illud certè cõſtat, illum patremfamilias, quicumque is tandem fuerit, reuelationem habuiſſe in corde ſuo, vt facilè Chriſto petenti hoſpitium acquieuerit: ſicut acquieuerunt domini aſinæ, & pulli, Chriſto corda eorum in obſequium, & obedientiam mox permouente: quod ſi verum eſſet, ob id Dominus perſonam non nominauit patrisfamilias, ſed velut ad ignotum miſit Apoſtolos, ſicut paulo antè miſerat ad dominos ignotos pro aſina, & pullo, quo Apoſtoli virtutem Ieſu agnoſcerent, & in fide corroborarentur, & conſiderẽt nihil ſibi defuturum quin etiam ab ignotis neceſſaria ſibi ad copiam eſſent ſuppeditanda, ſicut iſte non ſolùm diuerſorium exhibuit, vt rogabatur, ſed etiam cœnaculum grande ſtratum. Petijt enim diuerſorium iuxta Lucam: *Vbi eſt diuerſorium meum?* Marcus verò: *Vbi eſt refectio mea?* Et vtrumque ſignificat eadem vox Gręca *κατάλυμα*, licèt prior ſignificatus magis congruat. Oſtendit verò cœnaculum, ſiue *ἀνώγεον*, ſic dictũ, quod à domus ſolo longè eſſet ſubductum, & eleuatum.

Luc. 22.

Cœnaculum Græcè *ἀνώγεον* cur ſic dictũ.

Cœnaculi illius, vbi Chriſtus cœnauit cum diſcipulis, magnificentia.

Euthym.

Et quod dicitur ſtratum, non referas ad pauimentum, quia erat ſupernum, ſed quòd magnificè eſſet inſtructum, & paratum tapetis, & lectis, in quibus olim diſcumbebant. Vel ſanè, quod rationi cõſentaneum eſſe videtur, vt Euthymius notat, intellige Chriſtum priuato colloquio prius ab eo hoſpitium ad Paſcha celebrandum impetrauiſſe.

Subiungit Euangeliſta: *Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum grande ſtratum*, ſiue, vt Marcus in Græco habet *ἑτοιμον*, id eſt, vt intelligas ædes illas amplas extitiſſe, & mediocriter apparatas fuiſſe. Quòd Marcus dixit, lagenam, & Lucas amphoram, eadem eſt Gręca vox *κεράμιον ὕδατος*, vas fictile ad aquã portandam, vt docet Horatij verſiculus:

Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota, cur vrceus exijt?

Budæus in Commentarijs linguæ Græcæ.

Et teſte Budæo eadem eſt menſurę quantitas vocis Græcæ, & Latinæ amphora, ſcilicet quæ capit quadraginta octo ſextarios: lagena verò apud Latinos magis eſt vas vinarium, quàm aquæ. Subditur: *Euntes autẽ inuenerunt ſicut dixit illis, & parauerũt Paſcha.* Videtur paterfamiliâs tantùm conuiuium inſtruxiſſe; reliqua verò ſpectantia ad celebritatem agni per Apoſtolos parata ſunt; ita vt cùm Chriſtus ſub veſperam eò cum Diſcipulis ſuis venerit, omnia parata inuenerit, qui ſe nobis ad edendum ſub panis & vini ſpeciebus pręparauit. Inſtruens nos, vt noſipſos in cibum, quo Chriſtus libenter veſcatur, præparemus. Vt enim fructus oliuæ, vt ex arbore colliguntur, propter acerbitatem, niſi priùs curentur, & miteſcant, ad eſum non ſunt apti: ita nec nos vt ex Adam germinati ſumus, quia peccati amaritudine, & acerbitate infecti, inepti ſumus, vt in cibum Dei veniamus, niſi prius multis condimentis præparemur. Et hactenus de præparatione cœnæ: quam conſecuta eſt cœna ipſa; nam ſubditur: *Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis*, ſiue, vt ait Marcus, venit cum duodecim: quia duo illi poſt vniuerſa parata reuerſi ſunt ad Dominum, vel potius per ſynecdochen, quia decem reliqui qui cũ Domino venerunt, Apoſtolorum duodecim Collegium repræſentabant. Lucas verò: *Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cũ eo.* Vbi hora opportuna ſignificatur veſpertina, ſiue, vt Hebræa veritas, ben arbaijm: & Chaldæus Paraphraſtes ait, inter duas veſperas; & L x x. Interpretes *ἀνὰ μέσον τῶν ἑσπερινῶν*, à quo tempore incipiebant omnia feſta Iudæorum. Quid ſit autẽ inter medias veſperas, ſiue per medium veſperarum, explicauit Rabbinus Dauid Kimhi,

Quo modo nos in Chriſti cibum parare debeamus.

Qua hora Chriſtus cœnauit cum diſcipulis.

Iudæi omnia feſta ſua vnde inchoarẽt.

Leuit. 23.

Rabbi, Dauid Kimhi.

afferens primam vesperam incipere à meridie, quando Sol incipit declinare ad Occidentem: secundam verò post Solis occasum, vt agnus immolandus intelligatur fuisse tempore illo intermedio, aliquot videlicet horis antè Solis occasum, circa quod tempus Christus tradidit spiritum, eodem nempè, quo suum Pascha Iudæi occidebāt. Idcircò Hieronymus semper vertit ad vesperam faciendam agni immolationē, non in vespera; vt ita circa vesperam intelligas, & occasum Solis agnum immolari. Vnde & Deut. 16. dicitur: *Immolabis phase vespere ad Solis occasum.* Sicut etiam hodie Iudæi azyma sua præparant decimaquarta Luna, cùm dies incipit declinare, ante Solis occasum.

Matth. 27.

Christus ne & discipuli recumbentes agnum ederint, an verò stantes. *Caietanus. Exod. 12. Theophyl. Euthy. ca. 63. in Matth.*

Deinde dicitur recubuisse cum Apostolis: quia nullibi legitur præceptum de stando, vt Caietanus annotauit: quia tantùm dicitur, vt tenentes baculos in manibus, & calceamenta in pedibus, festinanter comedant; quod poterat stando fieri, vel recumbendo. Cæterùm Theophylactus, & Euthymius retinentes traditionem de edendo agno ab stātibus, asserunt, Christum, & Apostolos edisse agnum, recumbentes verò, alios cibos præter agnum.

Villagnonis cuiusdam ad probandum, Christū morti proximum agnum non edisse Paschalem, leuissimæ rationes. *Ioan. 13.* Apud Iudæorum quāta Paschatis obseruantia. *2. Paral. 30. & seq. Infra 35. 1. Esdr. 6.*

Proinde vanum est, quod quidam Villignon nuncupatus, ex hoc verbo recumbendi, & quia intinctum panem Iudę porrexit Dominus, colligebat, testibus Patribus dictis) Christum illo anno agnum Paschalem non edisse. Sed illud perinde, atq; eius fundamenta, falsum est omnino, & cōtra Euangelium. Nihil enim erat apud Iudæos exactius præceptū, & commendatū, quàm legitima Paschalis solennitas: vsque adeò, vt qui collapsum Reipub. Iudaicæ statum in integrum restituebant, primùm curabant, vt hoc Paschæ festum legitimè perficeretur, quasi ab eo religionis pars potissima penderet: vt de historia Ezechiæ Regis constat, 2. Paral. 30. & Iosiæ Regis ca. 35. eiusdem libri, & 1. Esdr. cap. 6.

Ex quo nos elicimus, quanta religione tractanda sit vera Eucharistia, & sarta tecta seruāda, & suo ritu administranda, si Iudæi suum Pascha, typicùm tantum, & vmbratile, tanta veneratione celebrabant.

Quod agnū tunc Paschalem Christus comedent.

Quòd verò Christus, antequam antitypa institueret, ac porrigeret, Paschalem agnum comederit, liquet ex Euāgeliis. Nam Matth. 26. dixerunt Apostoli: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha.* Et Marc. 14. *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? &*

Matt. 26.

Mar. 14.

Luc. 22. *Venit,* inquit, *dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum, & Ioannem, dicens: Euntes, parate nobis Pascha vt manducemus:* & nō potest Pascha accipi pro pane azymo, qui non dicitur immolari, sed agnus, qui nomine Paschæ bis venit: ideo dicitur à B. Luca, quando Pascha sacrificabant: *Venit dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Vides igitur, Christum, qui semper fuit legis obseruantissimus, & agnū sacrificasse, & de illo cum Apostolis epulatum fuisse.

Luc. 22.

Nomine Paschæ, nō azymū panem, sed agnū venire tantummodò.

Sed obijciunt, tardius fuisse hoc præceptum à Christo discipulis datum, vt prępararent agnum; quia oportebat decima Luna segregari, & asseruari vsque ad decimam quartam Lunam, & inter duas vesperas immolari à patrefamiliâs, & eius sanguine postes liniri, carnes assari, & lactucas agrestes conquiri: quę simul omnia paucis horis Apostoli præstare non potuerunt.

Aduersariorum proponuntur argumenta, ac diluuntur. *Exod. 12. Ibidem. Ibidem.*

Item arguunt numerum 12. Apostolorū minorem fuisse, quàm sufficeret ad edendum agnum, vel hœdum anniculum in Palæstina, vbi agni dupla quantitate nostros excedere feruntur. Sed respondet Claudius de Sanctis his argumentis, ciues Ierosolymitanos exteris venientibus ad celebrandū Pascha, & agnos, & cœnacula, & cætera omnia ad hoc festum necessaria solitos pręparare, & pretio accepto subministrare: atque ad hoc allegat Iosephum lib. 5. de bel. Iud. Ideò habetur in Euangelio: *Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, &c. & ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, in eum vsum instructum,* quod Apostoli, vel pretio, vel precariò cōduxerunt. Iusta autem familia denos aut vicenos homines complectebatur, quod ex eodem Iosepho comprobat. Idem etiam confirmatur ex Chrysostomo, & ex Euthymio, qui testâtur in hac cœna Christum proposuisse primùm typicū Pascha, & deinde verum, & figuratum, corporis scilicet, & sanguinis sui, sub speciebus panis & vini. Quomodo ergo agnum nō comedit illa nocte, qui post figuram, veritatē ipsam porrexit?

II argum.

Claudius de Sanctis.

Marc 14.

Chrys. in hūc locum, hom. 28. tom. 2. Euthy. c. 63. in Matth.

Cibus porrò in hac mensa edendus, multis, & illis quidem splendidis ceremonijs edi consuetus erat: quas fide recitabimus, & rationes earum, & mysteria in illis inclusa breuibus explicabimus: quæ Exod. 12. continentur. Prima igitur ceremonia Iudæis obseruanda, erat agnum, vel hœdum assumere: vtrumque enim Hebræa vox significat, שה. Vnde subditur in textu iuxta Hebræam literā: De ouibus & capris assumetis eum, siue vt Græcè dicunt Septuaginta,

Agni edendi olim ritus quales, & eorū significata

I. ceremonia.

Ἀπὸ

Agnus vel hœdus duplicem vsum præstabat.

ἀπὸ τῶν ἀρνῶν καὶ ἀπὸ τῶν ἐρίφων λήψεσθε. Et agnus vel hœdus aptus erat ad esum, & ad intinctionem postium, & superliminis ex illius sanguine: aptus etiam ad Christum significandum, innocentem, mansuetum ac patiētem: & vt hœdus, vel hircus, pro peccato immolandus, vti Paulus ad Hebræos docet: & vt hœdus pilosus, cuius pelles induit Iacob benè odorans, & sapidus patri suo Isaac; ita Christus Patri suo per omnia placuit, & summè ei gratus fuit.

Hebr. 13.

Gen. 27.

Quid illud Deut. Immolabis Phase Dño Deo tuo de ouibus, & bobus.

Quod dicitur in Deut. *Immolabisq́, phase Domino Deo de ouibus, & bobus:* intellige victimas Paschales, quæ per septem dies azymorum offerebantur, quas in alio loco exprimit, offeretisq́; incensum holocaustum Domino, vitulos de armēto duos, arietem vnū, anniculos agnos immaculatos septē: & sacrificia singulorum ex simila, quę conspersa sit oleo, & hircum pro peccato vnū, vt expietur pro vobis: præter holocaustum matutinū quod semper offeretis. Sic enim explicatur in libro Numerorum.

Deut. 16.
Num. 28.

Agni Iudaici secunda ceremonia.

Secunda ceremonia: quòd esset masculus anniculus: quia si annum excederet, iā non esset agnus, vt textus ait: & pauperes grauarentur, nec posset vna domus ouem grandiorem comedere. Intra annum ergo existens agnus dicitur anniculus. Debebat etiam à natiuitate per septē dies excedere, vt dicitur in Leuitico: atque ita post octo dies, & infra annum aptus erat immolationi Paschæ; siue agnus, siue hœdus. Et significat Messiam, qui vir futurus erat, & in perfecta ætate, ac florida seipsum Deo oblaturus.

Exod. 12.
Leuit. 22.

Agnus anniculus quid mysticè.

III. ceremonia.

Tertia: quòd esset immaculatus, non in vellere, sed in corpore, ne fortasse esset orbus, aut cæcus, aut claudus, aut mancus, vel cicatricem, vel impetiginem, vel scabiem haberet: vt præcipitur de omnibus sacrificijs in libro Leuitici. Herodotus in Euterpe scribit, capitale fuisse sacerdoti in Ægypto, offerre pecudem maculatam, vel imperfectam: ideò inspici etiam debebat in lingua, & à Sacerdote, quę signum sanitatis vel infirmitatis nō tantùm in homine, sed etiam in animali esse solet: inspiciebat etiā, si haberet pilos caudæ secundùm naturam procreatos, quam si omnibus signis mundam inueniret, alligato cornibus canabi, deinde applicata terra sigillari annulo impresso notare debebat. Quia autem Deus nequaquam quęrebat sacrificia ob indigentiam suam, quia ille animalibus nō vtitur; & si vteretur, Dominus est omnium, sed ob honorem suum, qui in vili sacrificio oblato contemnebatur, vt in pane polluto, de quo apud Malachiam queritur: ideò petebat agnos, & oues immaculatas: ad significandum etiam Christum immaculatum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Leuit. 22.

Qualē Ægypto Sacerdoti, vt ait Herodotus, offerre pecudē capitale erat.

Cur Deus olim exigeret sacrificia, & quidem mundissima.

Malach. 1.

Esai. 53.
1. Pet. 2.

Quartus ritus seu ceremonia agni Paschalis, eiusq́; mysterium.

Quarta erat de loco: nam pręcipitur iugulari agnus in limine, siue, vt Hebraica lectio habet, in vase: & excipiebatur sanguis in lebete, quo cum hyssopo aspergebat vtrumque postem, & superliminare, vt simplices putarent, quòd sic nō intraret Deus ad percutiendum; cùm tamen Deus non egeat signo sanguinis, & maius sit cognoscere primogenitū: & vt Christus aptè repręsentaretur, cuius sanguinis confessio per os tanquam ostium facta saluat corde credentes ad iustitiam; & ore confitentes ad salutem. Sed hæc tantùm semel in Ægypto facta sunt, quia postea non erat Angelus transiturus ad percutiendum primogenitos Ægyptiorum, & quia nō debebat amplius immolari in limine domus, vel domo, sed in domo sanctuarij, vt præcipitur in Deuteronomio. Signum Thau sanguine agni pingebatur in postibus, & superliminari commendans Christi mortui memoriam in vero Paschate, & crucem nobis gestandam in irascentis, & concupiscentis animæ partibus quasi in postibus, & demum in suprema rationali parte, quasi in superliminari: Omnem, inquit Propheta Ezechiel, super quem videritis Thau, ne occidatis.

Exod. 12.

Rom. 10.

Exod. 12.
Deut. 16.

Signū Thau, quo sanguine pingebatur, vbi, & quid significabat.

Ezech. 9.

Ibidem.

V. ceremon.

Quinta, circa tempus, quia quartadecima die mēsis primi ad Solis occasum agnus erat immolandus: qui statim profecturi erant, & vt possent commodè aspersionem facere postium, & superliminaris: oblatióq́; veri agni Christi ad Solis occasum cœpit die Iouis noctu, licèt mortuus sit die decimoquinto. Et pondera verba Exodi: *Decima die mensis huius tollat vnusquisq́; agnum per familias, & domos suas. Sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum; assumet vicinū suum, qui coniunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad vsum agni.* Quæ verba interpretans Procopius Gazæus in Exodum, ait: *Christus in nobis perfectè domicilium habet participatione Spiritus sancti, nec diuiditur, vt docet diuinus Apostolus. Quid ergo aliud est congregari per familias, quàm vnumquemque nostrum sic ad hanc mensam accedere, vt nullo rancore, odio, simultate ab eo qui eiusdem secum Christi familia est, diuidatur, sint quasi vnius eiusdem tecti. Nam cùm omnes ad hoc vt summum dilectionis pignus veniant, quomodo abinuicem diuisi accedent? Cæterùm si fuerint pauciores quàm vt sufficiant oui culæ manducandæ, accersantur propinqui, & vicini: qui enim rudiores, & infirmiores fuerint, quàm vt capiant mysterium Christi, confirmabuntur*

Exod. 12.

Quid est quod vnusquisq́; agnū tollere iubetur per familias, & domos suas.

Procop. Gazæus.

1. Cor. 12.

Cur ad esum agni assumendi erant propinqui, & vicini.

buntur in vera agnitione, nacti eiusdem religionis auxiliarios. Sic eunuchus audiens Philippum disserentem, plurimùm intelligenda Prophetiæ obscuritate adiutus est, cùm illum ceu vicinum assumeret. Omnes siquidem propinqui, & vicini sumus, si spectes fidei synceram religionem. Hæc ille. Et quisque illa nocte Sacerdotio fungebatur ad agni mactationem, cùm nondum eo tempore tribus Leuitica applicata esset ad functionem Sacerdotij. Et probatur etiam autoritate Philonis, qui libro de vita Mosis, ait: *Huius mensis primi quartadecima sub ipsum tempus, quo Luna solet suum orbem complere, lumine celebratur migrationis publica festiuitas, quam Chaldaicè Pascha nominant: quo tempore non vt alias plebey homines victimas adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus, sed iubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus: tunc vniuerso populo concelebrante latas epulas, quisque se gerit pro Sacerdote.*

Act. 8.

Philo.

Sexta: Iubetur adeps agni cremari, vt in Exodo habetur: quia Christi oblatio acceptissima fuit vt adeps. Adeps autem offerebatur Deo, cui meliora debent offerri, qualia pinguia putabant esse Iudæi: hinc præstantissimum cuiusque rei dicitur adeps, vt illud: *Adipe frumenti satiat te.* Hinc Moyses irridet Gentiles, quòd adipes comederent; cùm tamen meliora quæq; essent Deo danda: *De quorum*, inquit, *victimis comedebãt adipes, & bibebant vinum libaminum.*

VI. ceremonia agni Paschalis.
Exod. 23.
Christi oblatio quã Deo fuerit accepta.
Psalm. 147.
Deut. 32.
Optimũ cuiusque rei, & præstantissimum, adeps est, idq; Deo debitum.

Septima: vt nihil crudum ederetur, quia ferinum esset, & non aqua coctum, ne moram trahere cogerentur, & iure ipsius grauarentur, sed assum igni. Quia Christum igni charitatis cõsummatum fide deuorare debemus. Et vt obseruauit Iustinus martyr in dialogo contra Tryphonem, in agno igni asso ostenditur mors veri agni. Vnum enim (inquit) rectum veru Crucem designat, quod vt ab infimis partibus ad caput peruenit, sic & crux Christi: sed non penetrauit. Adhæc, & in Eucharistia non sine præparatione, vt sumamus, nobis accedendum est. Præcipitur simul vt totus edatur: quod intellige quantum ad ea omnia quæ edi possunt, hoc est caput cum cauda, & intestinis ac pedibus; extra tamẽ sanguinem, adipem pedumq; ossa. Quia omnia, quæ in Christo sũt, siue diuinitas, siue humanitas, siue viscera, & intestina virtutum suarum, tanquã integrum holocaustum, fide edenda sunt. Debebat etiã caueri fractio ossium quia non erant partes cibi; vnde & profana proijciebantur. Quia nec Christo in Cruce ossa fracta sunt, & in Eucharistia fractis speciebus non frangitur Christus: nam vt canit Ecclesia:

VII. ceremonia.
Iustin. mart. tom. 2.
Veru, in quo agni carnes assabantur, quid figurabat, teste Iustino.
Quare agnus totus edi debebat.
Cur infractis ossibus erat edendus.
Exod. 12.
Ioan. 19.

Nulla rei fit scissura,
Signi tantùm fit fractura,
Qua nec status, nec statura,
Signati minuitur.

Gregorius Nyssenus li. de vita Moseos: *Osseum autem*, inquit, *nobis ac durum igni traditum, quale est inspiciatur: illud teneamus, duo esse præceptorũ genera. Nam alia eiusmodi sunt, vt possibile nobis sit ea planè intelligere, probabilemq; de ipsis reddere rationem: Hæc neque ignauiter, neque quasi coacti pertractare debemus, sed vt famescentes comedunt, cum desiderio scilicet, & libenter, vt ad bonam nobis hic cibus valetudinem animæ prodesse possit. Alia sic latent, vt duriora sint, quam vt planè intelligere, vel reddere rationem queamus: vt si quæreret quænam sit substantia Dei, quæ sit necessitas eorum quæ sunt (quomodo corpus Christi in Eucharistia) aliaq; quamplurima, quæ curiosi multi quærunt: Hæc omnia Spiritui sancto relinquemus, qui Dei profunda inuestigat, & scit, vt Apostolus ait. Nã ignis in sacris literis plerunque pro Spiritu sancto sumitur. Hoc etiam est quod Sapientia monet: Altiora te ne quæsieris, id est, Noli ossa Christi conterere: Non enim eges scientia ipsorum.* Hæc Nyssenus.

Greg. Nyssen.
Duplex præceptorum genus in agno infractis ossibus edendo figuratum.
1. Cor. 2.
Ignis ferè in Scripturis quid denotet.
Ecclesi. 3.
Id Ecclesiasti ci: Altiora te ne quæsieris, quid Nyssen.

Octaua: Cautum erat, vt nihil carnium remaneret in crastinum, sed illa ipsa nocte igni cõbureretur: sed non cremabantur in sacrificio. Quia non debet homo prius partem suam accipere, & postea partem Deo alteram dare: quemadmodum filij Heli faciebant, de quibus in libro Regum. Quod factum est; ne tunc in edendo morarentur, vel grauarentur portando; ob honorem etiam, quia sacrificium erat, vt dicitur in libro Numerorum; & par erat vt sacrificia distinguerentur à cibis profanis; & ne vilescerent, putrefacta non asseruabantur, vt habetur in Leuitico: ob quã etiam causam noluit manna in alteram diem asseruari, nisi tantùm in diem Sabbati; nam alioqui seruatumq; putrescebat. Nos etiam illa mysteria agni Christi, quæ capere non possumus, neque manducare, igni spiritus sancti edenda committere debemus: sed vbi dubitatio aliqua grauis, circa Sacramentum hoc præsertim, inciderit, consule viros doctos, aut pastorem, qui quæstionem resoluant.

VIII. cerem.
Agni Paschalis cur nihil carnium in sequentẽ diem seruari debebat.
1. Reg. 2.
Num. 9.
Leuit. 19.
Exod. 16.
Quid facient qui mysteri agni sacrificium in Eucharistia totũ deuorare nequeunt.

Nona: Edendus erat agnus cum azymis panibus, cum lactucis syluestribus, cũ præcinctione renum, & calceamentis in pedibus, & baculis in manibus, & festinanter. Azymi panes adhibebantur, quia ob festinationem in exitu de Ægypto farinam fermentare non potuerunt: & in azymis synceritatis, & veritatis Pascha nostrum celebrare debemus. In Eucharistia etiam est

IX. ceremonia
Exod. 12.
Ibidem.
1. Cor. 5.

azymi

azymi panis species cum carne Christi, sicut olim Heliæ in figura, carnes mane, panes autem vesperi corui deferebant secundùm Septuaginta. Et quidé vespere, nocte quidem, & vmbris legalibus vigétibus, panis; mane autem diei Noui Testamenti, caro veri agni nobis data est. Quod etiam figuratum fuit Leuit. 8. vbi præcipitur Leuitis, vt panes Propositionis cum carnibus sacrificiorum edant, vt ibidé annotauit Hesychius: *Quomodo enim*, inquit, *non in his admiranda est sapientia Spiritus; nullā dubietatem huiusmodi intellectui dereliquit: Propterea panes cum carnibus comedi præcipiens, vt nos intelligeremus ab eo mysterium dici, quod simul panis, & caro est, sicut corpus Christi panis viui, qui de cælo descendit.* Hactenùs ille. Adhibebantur lactucæ agrestes, ne suauiori cibo remorarentur, & quia in timore de Ægypto exierunt: & Eucharistia cum dolore peccati sumenda est. Præcingebantur renes propter vestes longas, & latas, quæ motum in itinere cóficiendo, & ministerium impedire solent. Hinc Heliseus, Giezi seruo suo dixit: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade:* & Tob. inuenit iuuenem præcinctum, & paratum ad iter. Nos etiam ad commemorandam rectè Eucharistiam castitate debemus præcingi. Debebant calceamenta haberi in pedibus, quibus domi pauperes non vtebantur: atque hoc ob celeritatem significandam; & quia vel à venialibus noxis mundi esse debent, qui volunt communicare Eucharistiæ: vnde vel extremas digitorum manuum partes Sacerdotes lauant in sacrificio Missæ. Tenebât etiam baculos in manibus, vt essent veluti peregrini accincti ad iter, nam illis pro itinere vti consueuimus. Debebant etiam festinâter edere, vt essent parati exire compellentibus Ægyptijs. Christus similiter sine cogitationib. agrestibus, aut carnalibus, & immúdis edendus est, non cunctando, aut hærendo, aut dubitando.

Hesychius li. 2. in Leuiticū.

Ioan. 6.

Quid esus lactucarum siluestrium ad esum agni, renumque præcinctio prænotabat.

4. Reg. 4.

Tob. 5.

Iudæi agnū Paschalem esuri, cur habere calceamenta in pedibus & baculos in manibus debebant.

X. cæremon.

Decima cęremonia: Quòd in vna tantū domo ederetur, nō extrahendo quicquam de illa. Magna enim domus poterat aliquid gustare, & in rebus ad pietatem spectantibus æqualis erat portio cuiusq;, parua verò poterat alios vicinos conuocare. Domus verò vacua nō tingebat postes domus, nec erat quod timeret ab Angelo percutiente, si nullus in ea erat. Armenta verò saluo domino non interficiebantur; alioqui armēta Hebræorum, qui foris erant, perijssent. Hæc autem significabant, Christum in Ecclesia vna edendum, extra quam non est fructuosus esus agni, neque est Sanctorum communio.

Quid, quod vna tantum in domo agnus edebatur.

Vndecima: Omnes Iudæi, & conuersi comedere debebant. Sed ante plagā ab Angelo inflictam, quia nondum habebant legem, & serui non erant conuersi (quia vulgus promiscuum Ægyptiorum innumerabile erat cum eis) ob ritum, & mutandum dominum, quo populus gaudet, non celebrarunt Phase, qui erant ex Ægyptijs, quia nondum erant circuncisi; benè auté secundùm Phase, quia nondum mortui erāt, dicitur enim in libro Numerorum: *Peregrinus quoque, & aduena, si fuerint apud vos, facient Phase Domino iuxta cæremonias, & iustificationes suas.*

XI. cæremonia, ritusve agni Paschalis.

Exod. 12.

Agnum qui edebant ex lege.

Num. 9.

Duodecima: Quòd edens, nō sit contaminatus immunditia legali, vt lepræ, & fluxus sanguinis, vel secūdùm opinionem legis contracta immunditia: macula autem, quæ semper durat, vt cęcitas, & scabies perpetua, arcet à ministerio altaris, sed non ab esu sanctificatorum, vt ait liber Leuitici: quia nihil horum prohibitū erat. Immunditia verò legalis, quę eadem die lapsu temporis vsq; ad occasum terminabatur, non impediebat Phase, quod post Solis occasum fiebat. Quæ verò post septem dies, vt qui tangebat mortuum, vel cognouerat menstruatam, vel mūdatus à lepra, qui per septem dies erat secundùm legem immundus, si erat purgatus in die Paschę, comedebat. Ideo moris erat, vt per septé, vel octo dies ante Pascha venirent ad templum, vt purificarentur. Quod si non erant purgati; expectanda erat decimaquarta dies mensis secundi, & tunc edebant, vt ca. 9. lib. Num. traditur. Et hactenùs de agno, & cæremonijs eius: quæ fusiùs persequi poteram, nisi breuitati consulerem. Illud non dissimulabo, Dominum agnó Paschali ante se proposito, in illo, veluti in primis lineis, agnouisse omnia tormenta, & supplicia, quę pro nobis seruandis, tanquàm verus, & in illo figuratus agnus perferre debebat.

XII. cæremonia.

Esuri agnum Iudęi quibus maculis carebant ex lege.

Leuit. 21.

Leuit. 22.

Suprà 14.

Ioan. 11.

Sequitur tertium, de his nimirum, quæ Dominus dixit in cœna. Primùm igitur iuxta Lucam dixit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Videntur hæc verba Domini dicta post esum agni Paschalis, & ante lotionem pedum, & Eucharistiæ institutionem: & per ea intensum suum affectum ad meritorum suorum opes, & beneficiorū diuitias communicanda significat. Nam vetus illud Pascha propter se minimè desiderauit, sed ob id quod esset vltimū conuiuiū, in quo, veteri abrogato erat nobis antitypa donatur: desiderabat implere figuras de agno mâducando eo modo, quo Sol implet colores; & vt impleret promissa de pane dãdo, q. esset eius caro

De his quæ Dominus dixit in cœna.

Luc. 22.

Quid illis Dominus verbis, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequā patiar, voluerit significare.

Ioan. 6.

 & osten-

Dominus Iesus quo magis accedebat ad crucem externam, eo magis se interiori exonerabat cruce.

& ostendere voluit admirabilem suam humilitatem in lotione pedum Apostolicorum, & insignem charitatē in Eucharistiæ mysterio instituendo; Deniq; vt doceret, mortem non modò nō esse timendam, sed & à pijs omnibus, præsertim verò à martyribus desiderandam. Sanè quo magis Dominus ad crucem externam amplectēdam pergebat, eo magis se interiori, qua maximè torquebatur, cruce exonerabat. Et cū immineret iam Domino mors contumeliosissima, & crudelissima, quam quisque suapte natura auersaretur, & quantum posset, ab ea seipsum subduceret: Christus tamen eam neque abhorruit, & ad eam excipiendam spontè occurrit, sciens non aliter nobis contingere posse salutem.

Desiderio desiderare quid. Ioan. 13.

Id enim est, *Desiderio desideraui*; id est, vehementer in votis habui, & illud: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Cumque motus naturalis circa finem sit velocior, & intensior, quàm in principio: Dominus iam proximus vitæ suæ termino, alio baptismo, nimirum sanguinis sui, desiderabat baptizari, & coarctabatur, vt perficeret. Et rectè ait: *Antequam patiar:* quia conueniebat hanc postremam cœnā cum amicis edere, ne fortè præuentus non posset.

Ardens Christi desideriū patiendi. Luc. 12.

Eucharistiæ Sacramentū cur debuerit ante resurrectionem institui.

Et Sacramentum corporis, & sanguinis sui non conueniebat post resurrectionem, sed ante passionē institui, cùm adhuc mortale circunferret corpus, eo quòd mortalitatis ipsius esset symbolum, & in mortis eius recordationem, & repræsentationem institutum. Conueniebat etiam, vt discessurus suæ magnę dilectionis memoriale relinqueret pro more discedentium amicorum, aut morientium.

Altera causa.

Tertull. li. 4. aduers. Marcio.

Vnde Tertullianus libro aduersus Marcionem scribit: *Affectum suum ostendit Christus, dicens; Concupiscentia concupiui hoc Pascha edere vobiscum, antequàm patiar. O legis destructionem, qui concupierat etiam Pascha seruare, nimirum veruecina illum Iudaica delectaret? An ipse erat, qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tondente sic os non aperturus figuram sanguinis sui salutaris implere cōcupiscebat.* Et paulò post: *Professus itaque se concupiscentia concupiuisse edere Pascha, vt suum (indignum enim vt quid alienum concupisceret Deus) acceptū panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit.* Sic ille. Non ergo Dominus quieuit in typico Pascha, sed ad suum, in quo tanta erat Apostolis donaturus, respexit.

Esai. 53. & Act. 8. & seq.

Theophyl.

Et Theophylactus in hæc verba: *Desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, eo quòd magna mysteria in hac cœna vobis sum traditurus nempe ea quæ sunt Noui Testamenti.* Eusebius in Catena Aurea ponderat illud verbum, *Hoc Pascha*, id est, Noui Testamenti mysterium, quod plures ante eum Prophetæ, & iusti desiderarunt, sed & ipse Dominus iustorum omnium, & Prophetarum caput, sitiens cōmunem salutem super omnes concupiuit, & obtulit, quod toti mundo competeret, cùm Moysis Pascha restrictum esset vni loco Ierusalem, & idcirco Gentibus non congruebat. Quis verò dicat, Christum summo suo desiderio non esse potitum, aut quis dicat eum impossibile aliquid desiderasse, & suis fuisse fraudatum desiderijs? Indicauit planè Dominus, quo affectu, & amore, & quāta animi præparatione ad hæc mysteria nobis sit accedendū.

Euseb. apud D. Tho to. 55. Matth. 13. & Luc. 12.

Deut. 16.

Christi desiderium nostræ salutis.

Quòd si Christus tantoperè tuam sitiuit salutem, cur tu adhuc tanto perditionis tuæ desiderio teneris, aut cur tam tardus, & tristis ad opera pietatis præstāda accedis, cùm non ignores Deum hilarem datorem diligere, & intelligas eum qui creauit te sine te, non tamē te, sine te saluaturum? Seruauit arca Noë ingrediētes in eam ab interitu aquarum diluuij; sed tamen cooperatus est Noë per aliquot annos ad fabricandam arcam: ita te Christus Dominus seruabit à morte æterna, si modò tu tuas præstes, hoc est fidei, & bonorum operum partes. Conijce igitur oculos in Christum, negotium tuæ salutis tam promptè perficientē. Nam vt bonæ fidei debitor, cui debiti chirographum ostenditur, promptè ac libenter soluere solet ad fidem suam liberandam: ita Christus exhibito sibi agno Paschali, & eo quasi chirographo quodam debiti sui admonitus, in tanti desiderij verba prorupit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar.* Tu ergo si ea quæ gloriæ Christi sunt, & æternæ tuæ salutis, nondum desideras, saltem, vt tibi detur desiderare, desidera, vt cū Dauide dicas, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in æternum.

2. Cor. 9. Hilarem datorem diligit Deus.

Gen. 7. & 2. Pet. 2.

Simile.

Psal. 117.

Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Vel vt alij vertunt: *Dico vobis, quod amodò, vel posthac, non manducabo illud, nisi impletum in regno Dei.* Ex hoc, scilicet tempore, quia Græcè dicitur ὅτι ἔτι, id est, non ampliùs, vel non vltrà mãducabo illud: οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, nō manducabo ex eo. Dubium est quid sit regnum Dei: nam de ea re dubitauit Hedibia fœmina doctissima petens id à Hieronymo per epistolam, & Eucherius Lugdunensis inter quæstiones Scripturæ Noui Testamēti difficiliores hoc reposuit. Sanè Chrysostomus per regnum Dei accipit resurrectionem, quia per eam Dominus regnum super mortem, diabolum, infernum: *Data est mihi*

Luc. 22. In quo regno Dei Christus Pascha implere debebat.

I. sententia.

Hierony. ad Hedib q. 2. tom 3. circa medium.

Euche. Lugdunen.

Chrysost in Matth. hom. 82. tom 2. Matth. vlt.

II. sententia. *mihi omnis potestas in cælo, & in terra:* Alij verò Ecclesiam militantem, & statum Noui Testamenti, in quo per fidem regnat Christus, & Ecclesia est eius regnum, vt docet Hyeronym[9], & Eucherius, cuius hæc sunt verba: *Regnum Dei, vt docti interpretantur, Ecclesia est, in qua quotidiè bibit sanguinem suum Christus per sanctos suos, tanquã caput in membris suis.* Tertiò, accipitur pro regno cœlesti. Est ergo sensus; ex eo quod iam præterijt in agno immolato in memoriam exitus de Ægypto, non est quòd me illud idem ampliùs facturum expectetis. Ex eo verò, quod nunc illi substituo, & quod tanto desiderio impertiri desidero, quodque mox in regno Dei implendum est, & à vobis per fidem in nouo mysterio edendum manducabo, sanè vobiscum, imò per ipsum vobiscum futurus sum omnibus diebus, vsque ad cõsummationem seculi. Notant quidam, aduerbium Donec, non ad præfigendum terminum poni, sed ad excludendum tempus intermedium: sicut illud: *Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Non enim significatur quòd in regno Dei Iesus sit comesturus Pascha, quòd compleri in regno Dei dicit; quod ridiculum esset: nam si completum est, ampliùs non est resumendum: sed significatur, quòd inter cœnam illam & regnum Dei non sit vltrà manducaturus. Sed etsi quandoq; ea vis dicti sit aduerbij: nihil tamen repugnat dicere, Christum illud in regno Dei manducasse, cùm apertè dicat Matthæus: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouũ in regno Patris mei:* Profitetur ergo Dominus se posteà in regno bibiturum.

Hieron. to. 9. Eucherius. *Caiet.* *Psal. 109. & Matth. 22.* *Matth. 26.*

Quomodo Christus per resurrectionẽ comederit Pascha. I. sensus.

Quomodo verò mãducare dicatur, dubium est. Quidam producũt illud Luc. 24. & Ioan. vlti. & Actor. 1. & 10. vbi habetur, quòd Dominus ederit, & biberit cum Apostolis iam regnum ingressus per resurrectionem, vt exponit Chrysostomus: quod non satis cum veritate constare potest. Nã quæro quomodo piscis ille assus, & fauus mellis, Pascha nouum, vel impletum dici queat, cùm hæc in sua semper natura permanserint, cibique communes extiterint, nec est in his quicquã, quod nouo modo se habuerit in ratione cibi, sed tãtùm in ratione manducantis. Alius sensus est; Christum edisse agnum typicum post resurrectionem ad tempus, quia adhuc erat in Ecclesia celebrãdum à fidelibus tanquàm in regno Deo, per annos quadraginta, donec venit Ierosolymorũ excidium: à qua ciuitate expulsis Iudæis, nunquàm ampliùs licuit sacrificium vllum, vel agni celebrari, quia sacrificium tantùm in loco Ierusalẽ, & non extra erat Deo reddendum. Licuit aũt fidelibus ex Iudaismo credentibus, ad tempus agni typici celebrationẽ perficere: tum ne contrarij paternis Moysis legibus viderentur, tum vt cum honore sepeliretur Synagoga. Et ita in regno Dei, id est Ecclesia, & cognita veritate, celebratum est Pascha typicum cum vero, & nouo, & posteà cum nouo tãtùm. Vt enim primò Sabbatũ seruatum est sine Dominico die, post Christi verò resurrectionẽ simul Sabbatum cum Dominico, vt docet Clem. in constit. Apostoli. postremò solùm Dominicus dies: ita de Paschate sentiẽdum. Et dicitur manducare, & bibere, manducantibus, & bibentibus eius membris, id est, fidelibus.

Chrys. supr. citatus. Alter sensus. *Deut. 16.* Iudæis credentibus, vt licueris edere agnum Paschalem. *Clem. Rom. l. 8 constit. Apostolic.*

III. sensus.

Tertius sensus est, vt intelligamus per regnũ Dei, Ecclesiam, siue statum Noui Testamenti, in quo impletæ sunt figuræ & exhibita veritas, exclusę vmbrę, corpore ipso dato: quod quidem cœlorum regnũ prædicacabant Ioannes, Xp̃s, & Apostoli, & de quo ipse (scil. Ioseph) erat expectans regnũ Dei: &; *Si ego in spiritu Dei eijcio dæmonia, igitur peruenit in vos regnũ Dei:* & in hoc Christus regnat per fidem, spem, charitatem, Sacramenta, & per suos ministros. Nõ ergo manducabo ex illo veteri Paschate, agnoscilicet, sed ex nouo, qui est ipse Christ[9]: ipse enim verus est agnus, & conuiua, & conuiuiũ, &: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Itaque epulemur: vt testatur Apostolus. Qui ergo epulantur in Christo nouo agno, illi manducant nõ iã in vmbra, sed in veritate. Vnde Christus suscitatus à mortuis, euntes in Castellum Emmauntis communione corporis sui participauit: & ad Iacobum vocatum fratrem Dñi veniẽs, illi suum tradidit corpus edẽdum: & deniq; in omnibus benè de Eucharistia participantib. ipse caput Christus participat, & in edẽtibus, & bibentibus, ipse edit, & bibit. Quod pulchrè explicauit Orig. in Matth. his verbis: *Ipse autẽ qui accepto calice dixit, Bibite ex hoc omnes, nobis bibentibus non discedit à nobis, sed bibit eum nobiscũ, cùm sit in singulis ipse, quoniã non possumus singuli, & sine eo, vel mãducare de pane illo, vel bibere de generatione illius vitis vera. Nec mireris, quoniã ipse est panis, & manducat nobiscũ: ipse est potus generationis de vite, & bibit nobiscũ.* Sic ille. Posthac ergo non edã ex eo. i. in futuro nõ ducã inter vos vitã humano more, sed ingrediar per resurrectionẽ in regnum Dei, & exuta mortalitate, induam immortalitatẽ, non egens ampliùs cibo & potu in me ipso, etsi ad probandã, & cõfirmandam resurrectiõis meę veritatẽ comestur[9] sim, &

Luc. 23. Matt. 12. *Ioan. 1.* *1. Cor. 5.* *Luc. 24.* *Orig. tract. 35. in Matth. tom. 2.* *Ioan. 6.*

bibiturus interdum vobiſcum: manducabo tamen, & bibam in vobis membris meis.

Quartus ſenſus.

Quartus ſenſus eſt, vt per regnum Dei intelligamus futuræ vitæ ſtatum, & iuſtorum reſurrectionem: ita vt ſignificet Dominus ſe non ampliùs mãducaturum, aut bibiturum cum ſuis, donec nouum cibum & potum, id eſt, adipem fruméti, cum illis mortali corpore exutis, & immortalitate donatis, ſit in regno cœlorum comeſturus, iuxta illud: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum; vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Nec obſtat, quòd ſuſcitatus ederit, & biberit cum Apoſtolis: quia ſignificare noluit Dominus ſe ſolito more pro vitæ humanæ ſuſtentatione edere, ſed pro reſurrectione confirmanda: atq; hoc modo accepit Gregorius Nazianze. regnum Dei, orat. 2. in ſanctum Paſcha: ſequitur & Aug. libr. 1. Quæſt. Euang. c. 43. Atque hic tertius, & quartus ſenſus alijs præſtare videntur.

Luc. 22.
Quare cum diſcipulis Chriſtus comedit poſt reſurrectionem ſi à tempore cœnæ cum eis factæ non erat ampliùs cum eis comeſturus, vt dixit.
Iuſtè 24. & Act. 1.
Greg. Nazianzen.
Aug. tom. 4.

Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Quia hæc verba repetuntur poſt inſtitutum Sacramentũ Euchariſtiæ in panis & vini ſpeciebus, à Matthæo, & Marco; propterea Aug. ait, quod Lucas bis de calice commemorauit, antequàm panem daret: deinde poſtquàm panem dedit, illud quod ſuperiùs dixit, præoccupauit. Illud verò quod ordine ſuo poſuit, nõ commemorauerat ſuperiùs: vtrumque autem coniunctum hanc ſentẽtiam fecit, quæ & illorum eſt. Sic ille. Alij verò (quorum ſententia probabilitate ſua non caret) aiunt Matthæum, & Marcum poſtpoſuiſſe hoc verbum Domini, vtentes figura recapitulationis, vt interdum facere ſolent: quod & Paulus iudicare videtur, qui 1. Corinth. 11. referens Dominicã cœnam ſecũdùm Lucam: *Similiter, inquit, & calicem poſtquã cœnauit,* nihil ibi de genimine vitis ampliùs nõ bibendo dixit; cùm tamẽ reliqua verba poſt inſtitutionem Euchariſtię, & referat, & expendat. Deinde reuera idem eſt dicere: *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat,* ac dicere: *Non bibam de genimine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei:* & nihil hæc poſteriora addunt prioribus, niſi quod aſſerit ſe bibiturum nouum in regno Patris. Tertiò, ſi prędictus ſenſus verus eſſet, quod loquitur de poculo legis, ſequeretur neceſſariò, quod Chriſtus quãdo poſt panem accepit calicem, & dixit: *Hic eſt Calix Nouum Teſtamentum in ſanguine meo,* dediſſet eis purum, & nudum vinum, vt Hæretici docẽt, ſed nõ purum ſuum, & verum ſanguinem ſub ſpecie vini, vt Eccleſia Catholica tradit. Et ita quod obijcitur, poſt hæc verba, Chriſtum acetum in cruce accepiſſe, non contradicit promiſſioni de nõ ampliùs bibendo vino: quia reuera acetum nõ eſt vinum, ſed corruptum vinum, & in aliã ſpeciem vergens, nec aſſumptum ad producendam, ſed ad finiendã, & extinguendam vitam.

Quid eſt quod Lucas bis calicis benedictionem memorauit.
Aug lib. 3. de cõſen. Euang. c. 1. eod. tom.

Altera ſententia ſatis probabilis ob tria.

I. ratio.

III. ratio.

Vt verum ſit Chriſti verbum: Nõ bibam amodò de hoc genimine vitis, & qui tamẽ deinde acetum guſtauit in Cruce.
Matt. 27.

III. ſenſus.

Præter has duas ſentẽtias eſt tertia quædam, quæ aſſerit bis Chriſtũ illa verba dixiſſe, ſemel poſt poculũ legale, & ſemel poſt poculum Euangelicum: ita tamen, vt ante ſecundum dicat, Non bibam, donec regnum Dei veniat, & poſt illud, non bibam ampliùs, donec nouum bibam in regno Patris. Quod ergo ſit aliud poculum a poſteriori, tradunt Patres, id eſt, Hieronymus, qui facit mẽtionem duorum poculorum, & Theophylact⁹, & Gloſſa ordinaria, quæ habet; Hic calix ad vetus Paſcha, cui finem imponebat, pertinet. Similia docet Interlinearis, & Beda qui in illa Matthæi verba: *Non bibam de hoc genimine vitis, &c.* ferè in hunc modum ſcribit: *Deinceps, inquit, non delectabor in ſacrificijs Synagogæ, donec credat in Patrem meum, & in me, & in Eccleſia videlicet immolet ſacrificium carnis meæ, & ſanguinis mei. Qud cum fecerit, tunc bibam, id eſt, delectabor vobiſcum in renouatione ſua per fidem Eccleſiæ.* Non aliter ſentiunt Catharinus, & Benedictus Arias Mõtanus, Caietanus, & plerique alij ex recentioribus. Tum quia veriſimile eſt, libamen aliquod interueniſſe in agni Paſchalis immolatione ad figurãdum potum euchariſticum, & Noui Teſtamenti, ſicut fuit in prima figura Melchiſedech, qui panem, & vinũ obtulit: tùm quia hanc bibendi traditionem confirmat hodierna Iudæorũ traditio: qui etſi nequeãt agnum Paſchalem extra Ieruſalem immolare, celebrant tamen agnum Paſchalem eo modo quo poſſunt. Proponũt enim tres azymos panes in menſa, & medium panem in duas frangunt partes, quarum alteram ſub mappa abſcondunt; quinquies verò vinum rubrum potant. Eſt enim de ritibus Iudaicis volumen q̃ inſcribitur כל-בו, vbi deſcribitur ceremonia panis, & poculi, quæ ſumũt Iudęi in fine cœnæ agni Paſchalis: quod volumen, Latinum reddidit Emmanuel Tremelius: *Paterfamilias, inquit, initio cõuiuÿ ſumit panẽ azymum integrum, quẽ in duas partes diuidit, quarũ vni ſic benedicit; Benedictus es Domine Deus noſter Rex vniuerſi, qui educis panem de terra: vel ſic, Benedict⁹ es Domine Deus noſter in eſu panis azymi. Alteram aũt partem recondit*

Hieronym. in ca. Matt. 26. tom. 9
Theophyl.
Gloſſ. ordi. & Interlin.
Beda lib. 4. in Matt tom. 5.
Catharinus
Benedictus Arias Mont.
Caietan.
Huius ſentẽtiæ fundamenta.
Gen. 14. & Hebr. 7.
Deut. 16.
Iudæorum noſtri ſeculi mos qualis in ſacrificando.
Emma. Tremelius.

ſub

sub mappa, vt videntes pueruli interrogent, cur panem azymum abscondamus, & differamus eũ edere? Deinde ne si cùm videant, comedant inter cœnandum imprudentes. Postea peragit cœnam suam quisque lætus: qua peracta, resumit paterfamilias partem illam, quam sub mappa absconderat, & ex ea recumbens comedit tantillum, quanta est oliua, distribuitq; singulis accumbentibus in Paschæ memoriam: nec quicquam cibi ea nocte gustant, vt gustus panis azymi maneat in ore ipsorum. Deinde ad eundem modum discumbens bibit, & recitat gratiarum actiones: quibus sumpto cibo solent agere gratias Deo. Sic ille. Vbi vides apertam, & expressam imaginem in hac cęremonia eorum quæ Christus in illa nocte gessit, si prior extitit, & ante Christum erat vsitata, ita vt ex ea possis colligere, Apostolos minimè perturbatos fuisse in sacrificio Eucharistiæ instituto ab eo nõ iam in pane azymo, sed in corpore, & sanguine suo, quòd eius rei symbola præcedentia cernerent. Neque huic traditioni obstat quod dicitur, Christum illo primo calice accepto gratias egisse: quia perpetuò solitus erat Dominus cibum & potum nonnisi præmissa benedictione, & gratiarum actione ad exemplum nostrum sumere. Et verba, quibus gratias egit, recitat Arias Monta. ex libro Misnaioth, tractatu de Dei benedictione, cap. 7. *Benedictus sis tu Domine creator cœli, & Deus solus Israel propter fructum vitis.* Et debebat fieri hęc benedictio super vinum aqua mixtum: & hic finis fuit cœnæ Paschalis in agno, & poculo benedictionis ab omnib' libato. Consecuta est mox lotio pedum, & festiua, & communis cœna, quam cum Apostolis celebrauit, additis alijs epulis, & in hac instituit sui corporis & sanguinis mysterium. Sunt tamen nonnulli qui contendunt, illud verbum Lucę de calice, siue poculo per anticipationis figuram dictum, & soli Eucharistiæ Sacramento quadrare: quemadmodum duo alij Euangelistæ Matthęus, & Marcus, apertè insinuant. Sed de ea re nos latiùs inferiùs suo loco differemus. Quod apud Matthæum legimus: *Amen dico vobis quia vnus vestrum me traditurus est*: præsenti loco non interpretamur, quia apud Ioannem cap. 13, vbi illa etiam habentur, exponemus: quo etiam in loco illa dixisse videtur Domin' noster Iesus Christus cui cum Patre & Spiritu sancto est par diuinitás, æqualis gloria, eademque potestas, Amen.

Mos Christi conuiuæ.

Arias Montan.
Quibus verbis gratias Patri egerit Christus in cœna.

IV. sententia.

TRACTATVS IV.

In illa verba Ioan. 13. *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus*, & quæ sequuntur. Vbi latè disputatur, an Iudæi illa eadem nocte, qua Christus, agnum Paschalem comederint, an in diem sequentem ob traditionem distulerint.

QVoniam caput 13. Ioãnis ab illis verbis sumit initium: *Ante diem festum Pascha, sciens Iesus, &c.* & illa prima facie manifestè aduersari videntur illis quæ superiori tractatu disseruimus de primo die Azymorum, in qua secundùm tres priores Euangelistas cœnam suam Paschæ Dominus celebrauit: propterea cogimur hoc loco grauem quẽdam, & difficilem nodum dissoluere, an videlicet Iudæi, ac Dominus cum discipulis suis eadem nocte cœnã agni celebrauerint, quemadmodũ hic nonnulli magni viri tradunt; an verò Christus cœnam suam aliquo modo anticiparit, vt Græcorum multi tenẽt; an verò Dominus Iesus nequaquàm anticipauerit, sed tempore à lege perscripto obseruauerit, Iudæi verò ex traditione festum Paschæ distulerint in sequẽtem diem, vt multorum, tum veterum, tum recẽtiorum scriptorum habet sententia. Qua in re primò cõtra Græcorum sententiam disputabo, atque illud ostendã, Dominum non decimatertia Luna, vt ipsi arbitrãtur, sed decimaquarta iuxta legis præscriptũ agnum edisse, ac proinde falsum esse quod tradunt, Dominum in pane fermentato Eucharistiam cõfecisse. Deinde bona fide diuersas sententias Patrum, pręsertim Latinorũ, ad hunc nodum dissoluẽdum adductas recitabo: & quibus rationibus illarum quęlibet nitatur, ostendam. Postremò quęnam inter illas præstantior sit, & difficultatem propositam magis euacuet, suauiusq; ad dissidentes Scripturæ sacræ locos respondeat, indicabo.

Primum igitur tradunt Gręci: Si ante diẽ Festum Paschæ celebrauit cœnam: ergo non primo die azymorum: quia azymi panes incipiebant edi simul cum ipso agno: vnde & Lucas ait: *Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Si rursus iuxta tres Euangelistas prima dies azymorũ erat dies Paschæ: ergo non per diem ante Pascha, vt ait Ioannes, quem volunt suis verbis aliorum Euangelistarum erratum correxisse. Proinde Euthym. in Matthæum, tractans hanc quæst. ait: *Primum autem azymorum dicunt diem, qui Pascha præcedit. decimũ*

Propositum auctoris.

Huius tractationis ordo.

Exod. 13. & Deut. 16.

I. opinio Gręcorum videlicet.

Exod. 12.

Luc. 22.

Ioan. 13.

Euthym. in Matth. c. 63.

tertium videlicet mensis, & quintum septimanæ: vocantes hunc primum azymorum, quasi præcedentem ipsa Paschæ azyma. Et huius sermonis manifestus testis est Ioannes, qui ait: Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quòd veniret hora eius, & cætera. Hunc ergo diem, quem Matthæus & Marcus primum azymorum vocauerunt, hic diē ante festum Paschæ nominauit. Sed hæc quidem hactenus. Quod autem de hoc die, videlicet decimotertio mensis, quinto autem hebdomadæ Marcus dixit: Et primo die azymorum, quando Pascha immolabāt; Lucas verò: Venit etiam dies azymorum, in quo necesse erat immolari Pascha: illud, Quando Pascha immolabant; & hoc, In quo necesse erat immolari Pascha, ne ad primum azymorum coniungas. Non enim decimotertio, sed decimoquarto immolabatur. Dicit enim lex: In primo mense, in decimoquarto die mensis ad vesperam per medium vesperarum Pascha erit Domino. Verùm si ad vesparam per medium vesperarum Pascha immolabant, quomodo diē appellant Pascha, & azyma? Quia vespera diei præcedenti coniungere solent Iudæi. Itaque à vespera Paschæ, & azymorum, diem quoq; ipsius vesperæ vocant azyma. Hæc ille, cuius testimonium instar multorum Græcorum sit. Sed in primis in hanc sententiam multa faciunt.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Leuit. 23. Iudæorum consuetudo.

Nequaquā (vt Græci opinantur) Dominum decimatertia Luna agnum immolasse. *Chryso. hom. 82. in Matth. tom. 2. Epiphan. in hæresin 51.*

Primò enim Christus Iesus legis obseruantissimus semper inuenitur, & nihil vnquàm contra legis præscriptum egisse tradit Chrysostomus in Matthæum; quare nō opus erat quod à legis mandato de Pascha celebrādo quartadecima Luna ad decimātertiam declinaret, siue quod minus est rationi consonum, ad duodecimum. Nam Epiphanius agens cōtra Alogianos, tradit, Dominum per biduum Pascha Iudæorum anticipasse. Quare Græci nonnisi durè & violenter interpretantur hos locos Matth. Marci, ac Lucę citatos; vt ipsa duritia testētur alienā esse à veritate interpretationem, vt constare potest ex verbis Euthym. superiùs allatis. Deinde illud durissimum, & minimè ferendum, priores tres Euangelistas, vt mendaces correctos fuisse à Ioanne: hoc enim non tantùm est iniurium ipsis Euangelistis, sed etiā in Spiritum sanctum eorum in scribendo autorem, cōtumeliosum existit. Vt interim dissimulem, quòd sacrosancta, & inuicta Scripturæ autoritas planè per hoc corruat, ac collabatur. Et si ratione esset agendum, magis trium Euangelistarum sibi cōsentientium testimonio standū esset, quàm vnius: nam in ore duorum, vel trium stabit omne verbum. Et profectò rationi, & æquitati magis consonabat, vt Græci aliquā rationem ineundæ concordiæ inter Euāgelistas excogitarent, quàm temerè asserere, tres Euangelistas priores ab vltimo correctos. Tertiò, solidum non est de pane fermentato: quia etsi Christus per diem anticipasset, sicut fecit sibi præparari agnum, ita potuisset & panes azymos: vt propterea non euincatur confecisse in fermentato; nec enim licebat aliter agnum edere. Sed profectò hoc perfugio opus non est, quandoquidem Christus secundùm tres priores Euangelistas, prima die azymorum Pascha comedit, quo quidem die panis fermentatus domi esse non poterat, vt lex mandat. Et vt hoc obiter dicam, panis azymus, & fermētatus cum substantia non differāt, sed tantùm qualitate quemadmodū homo iustus, & homo peccator, essentia idem est, sed accidentibus alius, & alius, ideo Ecclesia Latina in vtroq; posse confici, in Concil. Florent. definiuit, quanquàm Latini peccarent, qui sciēter in fermentato conficerent, quia præceptum Ecclesiæ violarent. Græcus tamen in fermentato conficiens, & credens Latinos in azymo conficientes, grauiter in Euangelium peccare, & hæresim quandam in praxim deducere, & vocās illos Azymitas tanquàm hæreticos, vt autor est Anselmus; in hæresim manifestam incidit. Et illud adhuc grauius, quòd celebrātibus Latinis in azymo in suis altaribus, quasi altaria essent contaminata, solent illa Græci, antequàm in eis celebrent, aqua lustrare, ac permundare.

Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. II. ratio. Deut. 19. Matt. 18. III. ratio. Leuit. 23.

Azymus panis, & fermentatus, in quo differant.

Ecclesia potest in azymo, & fermēto cōficere. *Conci. Flor. in bulla vnionis Armenorum.*

Ansel. lib. de fermento, & azymo. Græci altaria sua, antequàm in eis celebrēt, cur soleant aqua lustrare, ac permundare.

Sed his dimissis ad rem redeamus, & iam proponamus ea quę Latini ad propositum dubium dissoluendum adferunt. Prior igitur quorundam Patrum sentētia est, Christum legitima die iuxta mandatum Moysi decimaquarta Luna cœnam fecisse, hoc est, die Iouis in Vespera, qua incipit dies Veneris; Iudæos verò ex traditione, in diē & Vesperam Sabbathi sequētem festum illud transtulisse. Cuius traditionis meminit Rupertus Tuitiensis libro de Gloria & honore Filij hominis in principio: *Inter traditiones, inquit, plurimas, quas seniores Iudæorum superstatuerant traditionibus Dei, istud quoque statuerāt. Vt si diem ante Sabbatum, quam sextam feriam dicimus, contingeret esse quintam decimam mensis, non celebraretur solennitas, sed differretur in diem sequentem Sabbati: difficile & incommodum esse dicentes, duo Sabbata continuare, id est, duobus diebus vacare ab omni opere, multas ob causas, quarum ex præcipuis vna erat, quod cadauera duorum nonnunquam vsque in quartam diem insepulta, fœtoris molestiam generarent. Traditio hæc cognita magnam soluit quæstionem ei, qui fortè dicat: Cùm Iudæi quartadecima die ad Vesperam Pascha celebrando agnum comedissent, & sequenti die, quoniam*

Latinorum prima opinio de rem; ore quo Christus agnum immolauit.

Ruper. Tuitien. lib. 10. de Glo. & hono. Filij hom. Traditio seniorum de Paschate.

quinta decima erat, solennitatem celebrare, & se-
cundùm legem vacare debuissent; quomodo illis iu-
dicia tractare licuit, quibus tunc totum diem in-
sumpserunt in condemnatione Domini, & eorum
quos cum illo crucifixerunt? Hanc, inquam, quæ-
stionem cognitio citò soluit illius iam dictæ tradi-
tionis, quia traditum illis fuerat differre solemni-
tatem, cùm euenisset ante Sabbatum legale quin-
ta decima dies mensis, & pro duobus Sabbatis v-
num celebrare Sabbatum magnum solennitate
duplici. Vnde cùm dixisset Euangelista: Iudæi
ergo, quoniam parasceue erat, vt non remanerent
in cruce corpora Sabbato, causam istam subiun-
xit: Erat enim magnus dies ille Sabbati. His di-
ctis, pro traditione seniorum, quàm obseruantes
serui peccati, tunc in quinta decima die mensis
quasi licitum habuerunt operari, & malè opera-
ti sunt. Hæc ille ferè ante quingentos an-
nos. Hanc traditionem Paulus Burgen-
sis Hebræus, & in Hebræis literis eruditis-
simus, in additionibus in capit. 26. Mat-
thæi confirmat testimonio libri magnæ
autoritatis apud Hebræos, & qui est velu-
ti eorum Calēdarium, in quo vnumquod-
que festum, qua die, & quomodo sit cele-
brandum, traditur; qui dicitur Sederho-
lam, cuius hæc sunt verba: *Sic statuerunt*
magistri nostri iudices Sanedrin, magni nominis
in seculo, in domo sanctuarij secunda, cùm extru-
cta esset, & cōsummata, tunc apparuit solium ig-
neum perfectissimum, super quod sedebat Rex mū-
di sublimis valde stans inter porticum. Et accepe-
runt coronam, appenderuntque sigillum recondi-
tum; & sanxerunt, ordinaueruntque statutum
perpetuum, & traditum est in manibus Rabbi E-
liezer, qui reliquis omnibus maior erat. Et is or-
dinauit diem sortium non obseruari secūdo, quar-
to, septimo hebdomadæ die; neque Pascha secun-
do, quarto, sexto, neque diem retentionis tertio,
quinto, septimo; neque principium anni secundo,
quarto, sexto; neque diem expiationis primo, ter-
tio, sexto, in æternum. Confirmat deinde i-
dem decretum Gamaliel Christi discipu-
lus, & Pauli magister, qui in libro de Solis
& Lunæ motibus, vt à Rabbinis citatur, ita
habet: *Statuerunt Doctores, & patres nostri,*
neomenias, & festa in tempore conuenienti; ne
Sabbati honor minuatur, aut alia præcepta vio-
lentur. Statuerunt itaque, anni neomeniam nun-
quam feria prima, feria quarta, quinta, sexta pos-
se contingere. Festum expiationis nunquam feria
prima, feria tertia, neque feria sexta: Pascha verò
nunquam feria secunda, feria quarta, quinta, sex-
ta obseruari. Sicq; in cæteris Iudæorum festis.
Hæc ille. Fauet & Talmudica sententia in
lib. Sanedrin, vbi dicitur: *Iesus Nazarenus*
suspensus est in Vigilia Paschæ; eo quòd esset vene-
ficus, & seductor Israelis. Accedit etiam au-
toritas Tertulliani in libro contra Iudæos,

...l. 19.

...lus Bur-...

...derholam
...bræorum
...uti Kalend.
...lices Sane-
...n magni
...minis in se
...o apud lu
...os.

...amaliel Chri-
...discipulus,
...Pauli Magi-
...er.

...Talmud. in li-
...ro Sanedrin,
...lib. 6.

...Tertull.

vbi cap. de Passione Christi, & vastatione
Ierusalem scribit: *Quæ passio huius exterminij*
intra tempora LXX. hebdomadarum perfecta est
sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino, & Ru-
fio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die
VIII. Calendarium Aprilium, die primo Azymo-
rum, quo agnum vt occiderent ad vesperam, à
Moyse fuerat præceptum. Hæc ille, dicens il-
lo die quo Christus est mortuus, præce-
ptam fuisse agni immolationem; quam nō
intelligo à peculiari Dei mandato præce-
ptam, sed traditione seniorum obseruari
mandatam. Adiungitur his Chrysostom.
qui scribens in illa verba Ioannis: *Vt non*
contaminarentur, sed vt manducarent Pascha:
Sed quid significat, inquit, *vt manducarent Pa-*
scha? Atqui Iesus iam id fecerat vna die Azymo-
rum: Siue ergo totum Pascha appellat Solennita-
tem, siue quod tunc faciebant. Christus autem pri-
die cædem suam in parasceue reseruans, quando
antiquitus celebratum erat, ipsi autem armati
quod non licebat, fundentes sanguinem, locum ca-
uent. Idem Chrysostomus in Matthæum,
super illud: *Petrus autem sequebatur, & introi-*
uit videre finem: Cur autem ipsum eò duxerunt?
Ibi omnes erant congregati, & omni consilio Pon-
tificum res gerebatur. Idcircò ad eum omnes
conueniunt, qui illo anno summum Pontificatum
obtinebat: vbi pernoctarunt vigilantes, adeò vt
Pascha ea nocte comedere neglexerint. Mane
autem facto non intrarunt in prætorium, vt Ioan-
nes, inquit, vt non contaminarentur, sed vt man-
ducarent Pascha. Vnde liquidò patet, cupiditate
interficiendi Christum præuaricatos fuisse, ac alia
die Pascha comedisse. Non enim Christus, sed illi
audacissimi homines, & mille transgredientes le-
gis præcepta, quoniam ita inflammati erant, &
sæpe conati capere ipsum, nihil facere potuerunt,
ex insperato nacti quod cupiebant, tempus Paschæ
transposuerunt, vt ardentes cæde animos eorum
explerent. Euthymius tractans illud: *Erat*
autem Parasceue Paschæ, hora fermè sexta: Diem,
inquit, *ac horam significauit, ostendens quòd non*
solum ipso die Paschæ, verumetiam die iam decli-
nante, festiq; vespera appropinquante, quando
Pascha immolabant, funestum tribunal conuoca-
bant, pro paruo ducentes piaculo huiusmodi tribu-
nal accedere. Hæc ille. Mitto quamplu-
rimos alios, qui nostra tempestate magna
cum laude scripserunt, qui sententiæ huic,
vt probabiliori, & melius soluenti diffi-
dentes locos Euangeliorum, subscribunt:
vt Paulus Middelburgensis, Episcopus
Forosemproniensis in sua Paulina libro
tertio integro hoc comprobat; Ioannes
Lucidus Tractatu de vero die Passionis
Christi; Ioannes Hentenius, qui nobis
reddidit Latinum Euthymium; Ioannes
Gagneus in Ioannem; Cornelius Ianse-
nius

Leu. 23.

Chrys. ho. 82. in Ioan. to. 3.
Ioan. 18.

Idem hom. 85 in Matt. to. 2.
Matth. 26.

Ioan. 18.

Euthym. in Ioan. c. 19.
Ioan. 19.

Paulus Middel.
Ioan. Lucidus.
Ioan. Hentenius.
Ioan. Gagneus in Ioan. cap. 18.
Cornel. Iansenius.

Baptista Mantuanus lib. 2. Fasto.

nius in sua cõcordia Euangelica, & quamplurimi alij. Et ante hos carminibus celebrauit hanc traditionem Baptista Mantuanus lib. Fastorum, his versibus:

At non prætereo Christi quo tempore passi
Hæc extra depulsa suam solennia lucem,
Misit in Auroram demens Iudæa sequentem.
Nam quoties trinia Sydus mutabile festa
In Veneris fert ista diem Synagoga, propinquã
Traijcit in lucem, ne festa sequentia turbent.

In Theodorũ Bezam hæreticum hominẽ, prædictæ traditionis irrisorem, & contemptorem.

Munsterus insignis hæreticus.

Hæc ille. Vt mirum sit, Theodorum Bezã hominem hęreticum istam deridere traditionem à tot nobilibus Scriptoribus assertam. Sed ne gloriari possit, produco contra illum duos ex suis antesignanis. Ita enim Munsterus in Matth. scribit: *Eo quo Christus mortuus est anno, legalis solennitas Paschæ locum habuit in die Veneris, in cuius vespera Dominus cũ discipulis suis agnum Paschæ comedit. Iudæi verò statuto cauerant, ne id festum in secundum, aut quartum, aut sextum septimanæ diem incideret. Itaque in septimum eo anno diem peruenit, & ipsi sexta die, qua Christus crucifixus est, Pascha comederunt; vt ex Ioanne patet.*

Ioan 28.
Osiander, item hereticus.

Præterea Osiander, homo eiusdem farinæ, atque Munsterus, ita in concordantia Euangelica scripsit: *Anno Christi 34. currente, plane tale Pascha calculo astronomico ex Ptolemæo petito deprehendimus, quale nobis in passione Christi describunt Euangelistæ: hoc est, quod reuera fuit dies Veneris, quemadmodum Christus illud vnà cũ discipulis suis obseruauit (Vespere, seu crepusculo diei quinti, sexto illucescente die annumerando: ita vt primo Azymorum die Pascha legale & typicum celebrauerit, & simul in Pascha verum in cruce peregerit Dominus) à Iudæis autem in proximum Sabbatum translatum fuit, quemadmodum hodie quoq; solent, ne duo magna festa, in quibus ne ignem quidem incendere licebat, continuarentur.* Hæc illi, vt videas etiam apud externos, & hostes Ecclesiæ, hanc opinionem inualuisse: quanquam nos eorum testimonio minimè indigeamus, nec nisi ad obturandum os Bezæ attulerimus. Sunt tamen in cõtrarium, qui putant, eadem die Christum & Iudæos cœnam fecisse: & pro hac sententia allegatur August. in epist. ad Casulanum;

II opinio, quę refertur
Aug epist. 86. tom 2.

Traditus est Dominus, inquit, *ea nocte, quæ iam ad sextam Sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus Azymorum fuit à vespera incipiens. Sed Matthæus Euangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem Azymorum, quia eius vespera sequente futura erat cœna Paschalis, qua cœna incipiebat Azymorum, & ouis immolatio manducari.* Hæc ille. Vbi tamen nihil solidè video dici, quod hoc euincat. Allegatur & Hieronym. in Matth. dicens: *Prima Azymorum quartadecima dies mensis primi est, quando agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum abijcitur.* Sic ille. Sed nihil aliud dicit, quam quòd agnus immolabatur: quod intelligẽdum est iuxta decretum à Moyse præscriptũ. Additur Magister historiarum in cap. de cœna Dñi, Innocent. III. lib. Mysteriorũ Missæ, & Beda li. de Natura rerum. Sed hi omnes tantũ dicunt, Christum feria VI. passum, & Dñm nocte præcedẽti agnum cœnasse. An verò Iudęi cęnauerint tunc, aut posteà, nihil affirmãt: tantum sententia illa Gręcorum de Christo decimatertia luna cęnã celebrãte, à Petro Comestore reprehẽditur. Abulẽsis tamen Episcop⁹ in secũda parte sui Defensorij hanc sententiam sequitur, sicut & Dominicus de Soto in quartum sentẽtiarũ, & B. Thom. quem citat. Producitur & Iosephus, cęremoniarum legis peritissim⁹, qui in libris Antiquitatũ, id à Iudæis ait inuiolabiliter obseruatum, vt decimaquarta luna agn⁹ immolaretur, & decimaquinta esset primus dies Paschæ. Sed tradit id quod iuxta regulã iuris erat. Sed vt illarum traditionum Iudæorũ aut Pharisæorũ, de quib. in Euãgelijs est sermo, mentionẽ non fecit, non tamen propterea vera nõ sunt; ita etiã si hanc traditionem non cõmemorauerit.

Hieronym. in cap. Matth. 26. tom. 9.

Leuit 23.
Petrus Comestor.
Innocent. 3. lib. 4. Myste. miss ca. 2.
Beda.
Episcopus Abulen.
Dominicus à Soto in 4. dist. 9. q. 1 art. 4.
B. Thom.
Ioseph. lib 2 Anti. c 15. & lib. 3. c. 1.
Matth 15. Quib. 2 rationibus nitatur hæc opinio quę soluũtur.

Sed iam rationes producamus pro hac sentẽtia. Prima sit, ex verbis Lucę: *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha;* Marcus verò: *Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant*, nimirum Iudæi: Ergo eadem die Christus cũ Iudęis comedit. Sed facile hoc soluitur, id esse intelligẽdum iuxta legitimam legis dispositionem: secus ex traditione, & cõsuetudine à Patribus introducta, per quam sine peccato in alium diem esum agni differebant propter rationes dictas: etiam si quidam dicãt, illos irritum fecisse mandatum Dei propter traditionem suam. Sed prius magis videtur rationi, & æquitati consonum, quãdoquidẽ etiam sancti, & pij Iudęi sine vllo scrupulo traditionem illam obseruabant: & quia, si aliter fuisset, multi saltem Iudæorũ, qui pij erant, & in Christũ credebãt, eadem hora, qua Christus, cœnam agni fecissent.

I Ratio.
Luc. 22.
Marc. 14.
Matth. 15.

Secunda ratio est: Quia Deus legẽ rudi illi populo ita explicatè tradidit, vt syllabatim omnia illi explanarent, quæ seruãda erant, vt immane scelus putarent vel iota vnũ legis præterire. Cumq; Deus dicta incommoda prospexisset, si illa tanquam inconuenientia existimasset, exceptionẽ fecisset legis illius, vt fecit de eo, qui erat immundus, vel in itinere. Sed dici posset, Deũ per se ipsum hanc exceptionem nõ fecisse; sicut alias de immũdo, atq; iter faciẽte: qa si illa à Deo facta fuisset, oportebat Christum

II. Ratio.
Num. 9.

stum simul cũ Iudæis ex Dei mandato Pascha celebrare; quare vel non fuisset mortuus feria sexta, sed in Sabbato; aut si non fuisset mortuus, agni cœnam nõ celebrasset, quia ante tempus illius cœnæ præscriptum sublatus fuisset in crucẽ, vel coactus fuisset per diem vnum antè celebrare, vt Græci tradunt; quæ omnia inconuenientia tolluntur, si dicamus Christum tempore à lege præfixo cœnâ agni celebrasse, reliquos Iudæos ex traditione die sequenti. Nec mirum cuiquã videri debet, si festum Paschæ in diem Sabbati transferrent: nam nõ dissimili ratione Ecclesia Catholica festa duplicia incidentia in Dominicas Aduentus, vel Quadragesimæ, etiamsi festum Conceptionis Filij Dei, siue Annuntiationis existant, in diem sequentem transferre solet, vt sola per se honorificẽtiùs celebrentur, nũc verò cõiunctum Pascha cum Sabbato maiori religione colebatur.

III. ratio. Tertia ratio: Quia nihil, inquiunt, erat molestiæ duos simul dies feriari vacãdo ab omni opere. etiamsi in illis non liceret coqui, & parari cibos, vt propterea diẽ à Deo præstitutum mutarent. Nam si vel in ipso primo die Azimorum, qui erat sanctissimus, & omni cultu venerãdus, licebat præparare ea, quæ ad vescendum spectant, vt expresse in Exod. traditur; multo magis in alijs diebus solennib. apud Iudæos, qui nõ erant tantæ venerationis, atq; dies Paschæ; quanquàm solum Sabbatum hoc priuilegium haberet, vt ne in eo quidẽ cibos pręparare fas esset: sed pręparatos tantùm edere cogerentur. Hoc autem factum est ob memoriã, quòd Deus illa die ab omni opere quod patrarat, requieuisset. Posset huic rationi responderi, traditionem illam non fuisse nixam huic rationi de impedimento coquendi atq; pręparãdi cibos, sed alijs solidioribus, vt illa de sepeliendis mortuis producta à Ruperto: nam molestum valdè erat ꝑ duos, aut tres dies cadauera morientium in terra calidissima domi retinere, eo quòd vacare sepeliendis mortuorum corporibus non liceret. Atq; eius ferè videtur meminisse Ioannes, dum ait: *Vt nõ remanerent in cruce corpora Sabbato.* Erat pręterea illud durũ ob alias rationes, quæ perspectæ, & expensæ à maioribus, in caussa fuerunt decretum tale cõdendi. Nã alioquin opus fuisset, vt quoties festum Paschæ incideret in sextam feriam, in eo ipso præpararẽt cibos pro die sequenti Sabbati, & non tãtùm pro ipso die Paschæ, vt in Exodo traditur: quod durum videbatur, vt in die tã solenni & sancto opera seruilia pro sequenti die facerẽt, aut opus fuisset præcedẽti die Paschæ præparare Pascha, & pro primo die Azymorum, & pro secunda die Azymorum, in qua incidebat Sabbatum, q̃ durũ valdè erat & in terra illa calidissima vix tolerabile.

Exod.12. *Infrà 16.* *Gen.1.* *Deut.12.* *Ioan.19.* *Exod.12.*

IV. ratio. Quarta ratio: Videtur illa sentẽtia incurrere in errorem Græcorum, qui per diem aiunt Christum præuenisse Pascha Iudæorum; ita vt ipse decimatertia die, Iudæi decimaquarta agnũ ederint; & ita aiunt Christum Eucharistiã in fermentato confecisse. Dici potest, errorem Græcorum meritò damnatũ: quia ponit Christum decimatertia luna cœnasse; at hęc sententia Latinorũ ponit in decimaquarta luna ad vesperã iuxta mandatum Dñi: neq; dicit Christum anticipasse, aut postposuisse; sed tãtum asserit Iudęos distulisse in sequẽtem diem ob traditionẽ suam. Quod etsi à B. Chrysost. asseratur ob aliam rationem factum, nimriũ vt ardẽtes cæde animos suos explerent, neglexisse videlicet illos tẽpore legitimo Pascha celebrare; tamen in hoc cõuenit cum illa traditione à tot Patrib⁹ adductas quòd distulerint in diem sequentem esum agni.

Ibidem, & Leuit.23. & Num.28. *B. Chrys. ho. 81. in Matth. tom.2.*

V. ratio. Quinta ratio: Nouum & inauditum hoc visum fuisset hospiti, apud quem fecit Pascha, si per diem Dominus alios præuenisset. Sed hoc facilè solui potest, nõ sine caussa missos fuisse discipulos ad parãdum, qui à Christo instructi nõ sunt, admirati quòd Dñs, traditione Iudæorum neglecta, tempore legitimo cœnam fecerit. Et quemadmodum vno simplici verbo: *Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cũ discipulis meis*, statim acquieuit hospes, vt quæ petebantur, concederet. ita, si discipulus Christi erat, vt diximus, potuit intus pacari, & non admirari, aut turbari, quòd agnus, vel Azymi, & reliqua necessaria per diẽ antè prępararẽtur. Quare etsi Dominus aliàs Pascha esset solitus celebrare tempore iuxta ritum Iudæorum obseruari solito, illo tamẽ postremo anno necessariò seruando legis mandatum, per diem ante Iudæos cœnam fecit; quẽadmodum ad præcedens Pascha, de quo Ioannes meminit, legitimè impeditus nequaquàm venit: nam iam Iudæi in necem eius conspirauerant.

Matt.26. *Ioan.11.*

VI. ratio. Sexta ratio: Quia si Christus eadẽ nocte, qua Iudæi, illam cęremoniam typicam nõ expleuit, profectò vmbrę corpus & veritas nõ respondisset figuræ. Dici potest, maximè respondisse, quia duplicem veritatem substituit Christus loco illius agni typici: alteram Sacrosanctæ Eucharistiæ, quã nobis celebrandam commendauit; atque hęc completa est tempore à lege pręscripto; altera verò est veritas passionis suæ, atq; mortis, atque hanc voluit in diem sequentem

seruare, in qua, iuxta traditionem, Iudæi agnum immolabant, vt ipse tanquàm verus agnus sacrificaretur, atq; ita optimè respõdit duab⁹ veritatibus, etsi vnus sit Christus tantùm in eis cõtentus, figuræ typici agni.

Alterius opinionis rationes proponuntur.
I. ratio.
Matth. 26.

Iam videamus rationes, quas alij Patres pro sua adducũt sentẽtia. Et in primis producunt illud verbum: *Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis* Quibus verbis satis se inuitauit ad cœnandum cum ipso, sicut amicus amico suo dicit; Apud te hodie facio prandium, quod est perinde ac si diceret, Volo tuus esse conuiua. Verba autẽ illa: *Tempus meum prope est*; idem valent, quod, Tempus meæ mortis instat, nec potero celebrare Pascha, quo die alij illud celebrabunt; & propterea non possum cum illis simul celebrare, sed opus est vt paullò antè per diẽ id præstem.

II. ratio.
Luc. 22.

Secundò producunt illud: *Desiderio desideraui hoc Pascha mãducare vobiscum.* Vbi rationem reddit non expectati diei Paschæ, in quo Iudęi edebant agnũ; sed desiderio magno præstandi quæ promiserat, declarat se pręuenire, vt ponderat Euthymius: quemadmodum desiderium patiendi explicans, dixit: *Ego alio baptismate habeo baptizari & quomodo coarctor, donec perficiam illud?* Et Iudæ: *Quod facis, fac citius.*

Euthym. cap. 16. in Ioan.
Ioan. 13.
III. ratio.
Ibidem.

Tertius locus hic Ioannis propositus existit: *Ante diem festum Paschæ*, qui hanc commodam, & aptam recipit interpretationẽ: quia loquitur de festo Paschæ secundùm traditionem Iudæorum, non autem de festo Paschę secundùm legem. Et quia Ioannes cæteris posterior scripsit, quę ab alijs sunt omissa, solet addere, atq; explicare. Non ignoro, aliam huic loco assignari solutionẽ, sed quæ minimè cum ista conferri debeat; illam tamen postremo loco producemus.

Familiare Ioann. Euangelistæ quid.

IV. ratio.
Ioan. 18.

Quartò: Feria sexta Christus passus est, atq; illa futura nocte Iudæi facturi erãt Phase. Quod probatur: quia vt ait Ioannes, *Ipsi nõ introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarẽt Pascha*, id est, agnum Paschalem, videlicet illa ipsa nocte: nã Pascha nunquàm Azymos panes in Scripturis significat, sed tantũ vel agnum, vel diem, quo agnus immolabatur. Præterea ad Azymorum esum non opus erat alia sanctificatione, non magis quàm ad esum mannæ, quod promiscuè boni & mali, mundi, & immundi edebant: & hodie Iudæi, qui multis immunditijs subiacent, cùm aqua expiante careant, edunt Azymos panes, non autẽ agnum. Et quia multæ immunditiæ Iudæis contingebant, si munditia necessaria erat, non possent Iudæi per illos septẽ dies Azymos panes edere: quia panis omnis fermentatus non debebat inueniri in domibus eorum, vt lex canit; ad agnum verò edendum opus erat mũditia, vt apertè traditur in lib. Numerorum, & Ioannes nõ obscurè indicat, cùm ait: *Proximum erat Pascha Iudæorum: & ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent se ipsos.*

Pascha quid in Scripturis significet.
Exod. 13.
Num. 9.
Ioan. 11.
Excluduntur inepti quidã modi soluẽdi.

Proinde dura est expositio eorum, qui per Pascha exponunt Azymos panes, qui per septem dies Azymorum edebantur. Dura est rursus illa expositio, quam innuit Innocẽtius Tertius, quòd Pascha sit Ablatiui casus, vt sit sensus: Vt non contaminarentur, sed vt manducarent in Pascha. Sed hoc testimonio Gręcę lectionis diluitur, vbi Pascha in Accusatiuo ponitur, dicitur enim: ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα.

Innocent. III. lib. 4. Myste. Miss. c. 4.

V. ratio.
Ioan. 19.

Quintò, ait Ioãnes: *Erat parasceue Paschæ, hora quasi sexta*: Vbi nomen Paschæ Genitiui casus est, non Nominatiui, vt quidam decepti dixerunt, existimantes esse sensum: Erat autem Parasceue, quę solet accidere in Paschæ festo quotannis. Et præterquàm quòd primus dies Azymorum solennis, & celeberrimus, esset seruilibus operibus pręparandi cibos pro Sabbato sequenti deputatus: apertè Textus ait, quod erat Parasceue ipsius Paschæ, id est, noctis illius, siue vesperæ, in qua edebatur agn⁹. Dicitur enim, ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα: ex quo verbo manifestè deducitur, Christum cruci suffixum die illo præcedẽte vesperam, in qua Iudæi agnum edebãt. Nam etsi primo die solenni Azymorum licitum esset parasceue, tamen quia agnus tot cęremonijs edẽdus erat, vt Azymis panibus, lactucis syluestribus, cũ calceamentis, & baculis, & renum præcinctione, magna opus erat parasceue, siue pręparatiõe.

Exod. 12.

Vnde Dominus dixit; *Euntes parate nobis Pascha vt manducemus*; Et, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Et parauerunt Pascha.* Quia verò illo anno Pascha, atq; Sabbatũ concurrebãt; propterea Ioannes dixit: *Erat parasceue Paschæ.* Marcus inquit: *Erat parasceue, quod est ante sabbatũ*, quod Grecè dicitur προσάββατον; & ideo duplici opus erat pręparatione. Quod Lucas expressiùs docet, dicens; *Et dies erat parasceue, & Sabbatum illucescebat.* Vt vel ex hoc loco colligamus argumẽtum nouum ad probandum, Christum in parasceue Paschæ & Sabbati immolatũ fuisse.

Luc. 22.
Matth. 26.
Ioan. 19.
Mar. 15.
Luc 23.

Durè ergo tractant hunc locũ, qui cõtra apertum verbum Ioannis: erat autem parasceue Paschæ, nõ admittunt, Pascha habuisse parasceuen, nisi ratione tãtùm Sabbati; cùm tamen maiora essent parãda ratione Paschæ, quàm ratione Sabbati, & Christus nihil de parando Sabbato, sed de parãdo Pascha Apostolis præceperit.

Refellitur opinio quorundam.

Sextò producitur & ille lo-

VI. ratio.
Ioan 19.

Magnus dies Sabbati quare diceretur.

le locus Ioannis: *Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato; erat enim magnus dies ille Sabbati.* Quod illustrem sensum nō habet, nisi propterea sic vocatum illum diem dicamus, quia duo maiora festa totius anni, nempè Sabbati, & Paschæ, illo anno in eundem diem concurrebant. Vnde Beda ait: *Erat magnus dies ille Sabbati, ob solēnitatem Paschæ: quemadmodum apud nos dum dies Natiuitatis Christi, aut festū omnium sanctorum incidit in Dominicam. Si ergo Sabbatum incidisset in decimamsextam lunam, siue in secundam diem Azymorum, cùm illa dies non esset solennis apud Iudæos, non plus solito esset venerabilior, aut sanctior: & tamen dicitur, Erat enim magnus dies ille Sabbati. Ex quo constat, Christum in parasceue Paschæ & Sabbati mortuum fuisse.* Vnde Burgensis refert in historijs Hebræorum referri, Christum passum in vigilia Paschæ, & Augustinus in Ioannem, tractans illa verba: *Ibi ergo propter parasceuen Iudæorū, quia iuxta erat monumentum, posuerunt eum*; *Acceleratam*, inquit, *vult intelligi sepulturam, ne aduesperasceret, quando iam propter parasceuen, quam cœnam puram Iudei, Latinè vsitatiùs apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* Sic ille, qui quidem videtur insinuare, quòd cœnam illam ea nocte post sepulturā Christi facturi erant, in qua agnum præparatum edere debebant.

Beda.

Burgensis.

Aug. tract. 120. in Ioannem tom. 9. Ioan. 19.

VII. ratio.

Septimò producitur vrgens hæc ratio: quòd cùm Iudęi per legem conarentur facta sua contra Iesum iustificare, si primus dies Azymorum festus, quo Christ' crucifixus est, extitisset, aperto testimonio se ꝓdidissent hostes legis Moysi; cùm tamē dicerent; *Non in die festo*; Et, *Nos legē habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*; & tamen qui legem obtendebant, grauissimè in eius præcepta peccassent. Cū enim prima die Azymorum interdicta essent omnia opera seruilia, præter præparationem ciborū, iudicialia opera exercuissent ipsi; quia comprehenderūt Iesum, accusarunt; adhibuerunt testes, caussam examinarunt, sententiā pronūtiarunt in Christum primum apud seipsos, deinde coram Pilato institerunt, donec sentētiam extorserunt, angariauerunt Simonē Cyrenęum, vt tolleret crucem Iesu, & deniq; crucifixerunt: quæ omnia prohibita erant. Et quod maius est, viri sancti, & pij, vt Nicodemus, & Ioseph, emerūt aromata, inunxerūt corpus Iesu, & sepulturę tradiderunt; mulieres etiam emerunt aromata, & pręparârunt, vt ait Lucas, quæ omnia vt licita, vt irreprehēsa illo die fecerūt. Imò, vt subditur: *Ibi propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt eum*, quo verbo innuitur, existente parasceue licuisse illud præstare, quod posteà non licebat: vnde & intrante Sabbato mulieres siluerūt. Vt si maximè admittas, Iudæos ardore necis Christi inflammatos legem violasse, id minimè tamen asserēdum sit in mulieribus sanctis, atq; viris, vt Ioseph, & Nicodemo; cùm tamē Iudæi se zelatores legis ostēderent. Ergo dicendum est, in profesto illos cepisse, & occidisse Iesum, vt colorem haberēt religionis, & ne peccato inuoluamus mulieres illas, & sanctos viros. Adhæc Herodes Hebræus Petrum in carcere detinuit, qui Christum Messiam, Deumq; prædicabat, nec ausus est propter religionem in die Paschæ, vel in dieb. Azymorum illum interficere, dicitur enim in Actis: *Erant autē dies Azymorum*; Et, *Volens post Pascha producere eū populo.* Si ergo ille ferè proselytus abstinuit à cæde in festo, multò magis Iudæi, hoc est Scribæ, Pharisæi, & Sacerdotes Rege ipso religiosiores. Non ergo solida est solutio Dominici de Soto, dicentis Iudæos cōprehendisse Iesum, & adduxisse ad Pilatum: q̄a existimabāt esse officium religionis, in hominem pseudoprophetam, & quasi hæreticum in die festo sęuire, sicut nec illud etiā solidum, quod ait, Iudæos flagellasse Christum & crucifixisse, nō quidem per seipsos, sed per alios fecisse: per seipsos enim accusarunt, & multa alia præstiterunt. Deinde qui per alios facit, per seipsum facere videtur: nec licet Christiano domino præcipere seruo in die festo, etiāsi alterius religionis existat, aliquod opus seruile: quia præcipienti imputaretur.

Matth. 26. Ioan. 19.

Ioan. 19.

Luc. 23. Ioan. 16.

Luc. 23.

Act. 12.

Dominici à Soto solutio impugnatur.

Qui per alios facit, per seipsum facere videtur.

VIII. ratio.

Octaua ratio: Quia si Iudęi celebrârunt Pascha die Iouis eadē nocte cum Christo, & prima dies Azymorum fuit dies Veneris, à die Veneris computādo septem hebdomades dierum, efficerentur quadraginta nouem dies, & sequēti die Veneris oporteret esse Pentecosten Iudæorum, quæ cœpta est die Veneris nocte, & terminata in diem Sabbati sub Vesperam. Ita enim præcipitur in Leuit. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulū primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsq; ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies; & sic offeretis sacrificium nouum Domino*, & quæ sequuntur. Est autem notandum, quod vbi dicitur, *Ab altero die Sabbati*, Hebraicè habetur, *In crastinum Sabbati*, vt Lyranus notauit: & intelligit non Sabbati propriè dicti, sed crastini primæ diei Azymorum, quæ erat XV. mensis. Et confirmatur ex lib. Iosue, dicentis: *Manseruntq; filij Israël in Galgalis, & fecerunt Phase quartadecima die mensis ad Vesperum in campestribus*

Leuit. 23.

Lyranus.

Iosu. 5.

Iericho (& comederunt de frugibus Terræ die altero, & Azymos panes, & polentā eiusdem anni. Vbi Hebraicè dicitur Mimacharab aschabath, & Græcè habēt Septuaginta *τῇ ἐπαυρίον*, id est, crastina die sequenti diē Paschæ: Et ita Theodoret⁹ in Aporis super Leuiticum scribit, manipulū offerendū die Pascha ipsum sequēti, & ab eo die septē hebdomadas numerandas ad festum Pentecostes. Sic enim ait: *Et numerabitis vobis à crastino die Sabbatorum, ab ea die qua manipulum separationis obtuleritis, septem hebdomadas integras.* Isychius Ierosolymitanus lib. in Leuit. *Arguūtur autē,* inquit (scilicet Iudæi) *neq; secundum literam implētes ea, nec spiritum intelligere, qui in eis est, valentes. Altero die, prima videlicet Azymorum, offerre manipulum, & ouem immolare super eum præcepit. A die autē, in quo hoc fit, septem hebdomadas numerari, & alterū diem vltimæ hebdomadæ, sic Pentecostes celebrare festiuitatem in his, quæ nūc dixit, præcepit.* Sic ille. Et Procopius Gazęus explicat, crastino die dici primum diem Azymorum. Quod si verum est, ab ea die computādas septem hebdomadas dierum, & proximam diem esse quinquagesimam Pentecostes, computatis videlicet extremis diebus: sequitur, quòd si die Veneris fuit prima Azymorū, post quadragintanouē dies quinquagesimamPentecostes in eadem die ponendam, nempè in die Veneris. Si autem Christi Pascha fuit prima sabbati, siue die Dominico; necessarium est, vt quinquagesima Pentecostes Christianę redeat in Dominicam. Et cùm dies Pentecostes Iudæorum non constaret nisi vnico tantùm die, incidisset Iudaicæ Pentecostes solennitas illo anno in diem Veneris, quæ terminaretur in die Sabbati: festum verò Pētecostes Christianæ inciperet in Dominica; & in eadem esset eius terminus, & ita inter Pentecosten Iudæorū & Pentecosten Christianorum esset hiatus vnius diei nimirum toti⁹ diei Sabbati cum nocte sequenti. Quod esse magnū absurdum, ex eo patet: quia in Actis habetur: *Et cùm compleretur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco* (ita enim in singulari legūt, Compleretur, multa Latina exemplaria, & Græca lectio. Et ratio est: quia festū Pentecostes vno tantū die cōstabat.) Quibus verbis significatur, quòd dum compleretur festum Pētecostes Iudaicę, subintrauit festum Pentecostes Euangelicæ: quemadmodum finito Pascha Iudaico, quod ab illis illo anno celebratū fuit in die Sabbati, subintrauit die Dñica Pascha Euangelicum. Quod si asseramus, Christū & Iudæos eadem nocte agnū comedisse, quod Pascha Iudæorum dies Veneris erat; proculdubio inter Pascha Iudaicū, & Christianū, quod cœpit prima Sabbati, hiatus vnius integri diei Sabbati intercessisset: nā Pascha Euangelicum prima die Sabbati contigit. At verò secundùm rationem traditionis, quam diximus Iudæos obseruasse, transferēdo in diem Sabbati, sicut Pascha Christianorum, ita solennitas Pētecostes Christianæ exclusit Iudaicam. Atq; hæc ratio profectò si rectè inspiciatur, grauis est & magni pōderis. Quanquàm Iosephus lib. Antiquitatum, à secunda die Azymorum sumendū esse initium septem hebdomadarum asserat: quod non est neque literæ Hebrææ, neque Grææ, neque Latinæ consonum.

Theod lib. q. in Leuit q. 23. tom. 1.

Isychius Ierosol. lib. 6. in Leuit.

Iudæi nec literæ legis, nec spiritui se accommodant.

Pentecostes celebratio.

Procopius Gazæus.

Act. 2.

Festum Pentecostes apud Iudæos vno tantùm die constabat.

Ioseph. li. 3. Antiq. c. 13.

Iam verò superest, vt illud verbum: *Ante diem festum Paschæ*: iuxta priorē sententiam, quæ etiam probabilitate non caret, explicemus. Nihil enim contrarium aliis Euangelistis Ioannes expressit, sed consentiētia illis loquitur: Quod enim alij dicunt, *Primo die Azymorum*, ipse dicit, *Ante diem festum Paschæ*. Cùm enim Pascha, & prima dies Azymorum inciperent quinta feria ad vesperā in occasu Solis, decurrerentque per totam sextam feriā, & Christus in eadem quinta feria, manè, vel circa meridiem iusserit discipulis parare Pascha, optimè dixit Ioānes, Ante diem festum Paschæ. Neq; dixit pridie, aut per diem anteà, sed simpliciter ante quod impleri potest, etsi nōnisi tribus, vel quatuor horis ante occasum Solis id dixisset Dominus. Vnde Chrysost. super Matt. ait, primam diem Azymorum, Euangelistam vocasse diem, quæ est ante Azyma, id est, diem, in cuius vespera comedendi erāt Azymi. Ita etiam Theophylact. explicat in Matth. his verbis: *Primam Azymorum diem vocat, quæ diem Azymorum præcedit, vt sic dicā, quinta feria manducaturi erant Pascha, post quam sequitur parasceue. Prima Azymorum vocabatur in lege, eo quod festum incipiebat à vespera, qua vescebatur Azymis.* Sic ille. Satis etiam ex Marco perpendere possumus, primam diem Azymorum eam esse, quando agnus Paschalis immolabatur. Sic enim scribit: *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant*: & Lucas, *Venit autem dies Azymorū, in qua necesse erat occidi Pascha.* Illa enim cœna secundùm veritatem erat cœna diei, non qui inchoabat illa vespera, sed qui terminabatur. Erat enim cœna diei Iouis, & non cœna diei Veneris. Vnde & lex nominat ipsam cœnam decimæquartæ diei, & non decimæquintæ: nam in Exodo ita dicitur, decimaquarta die ad vesperam immolandum esse agnum Paschalem. Cùm ergo cœna illa esset initium diei primi Azymorum incipientis ab illo tempore, in

Conciliatur Ioannes cum cæteris Euangelistis.

Chrys. hom. 82. in Matth. tom. 2.

Theophyl. in Matt. c. 26.

Prima Azymorum dies cur diceretur in lege.

Mar. 14.

Exod. 12.

quo incipiebant vesci Azymis; ideò alij Euangelistæ verè dixerunt, prima die Azymorum Iesum cœnasse cum Discipulis. Et quia eadem cœna erat diei decimæquartæ lunæ quæ tunc terminabatur, & quæ erat, velut modo est, vigilia festi Paschæ, aut Resurrectionis, aut Pentecostes, in quib. dicimus iam esse Pascha, & offerimus bonum Pascha, estq; dies Pascha præcedens; idcircò verò dixit Ioannes Iesum cœnasse cum Discipulis ante diem festum Paschę: & Lucas magis explicās, dixit: *Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Et ita habes alteram solutionem illius loci.

Luc. 2.

Vtra opinio probabilior videatur.

Iam tertiò breuissimè expediam quod pollicitus sum. Etsi vtraque sententia probabilis sit, & à Catholicis Patribus asserta; illa tamen, quæ docet, Iudæos ex traditione distulisse in sequētem diem Sabbati festū Paschæ, semper mihi magis arrisit: tum quia minori labore, & minus durè soluit locos cōtrarios Scripturæ; tum quia plurimum Patrum testimonijs cōfirmatur; tum denique, quia grauioribus, & solidioribus nititur rationibus. Vnusquisque tamen in suo sēsu abundet, & suo iudicio liberè fruatur: nos quod probabilius, & veritati magis consonum esse existimauimus, in medium præduximus: iudicent alij; dummodo veritas Euāgelica ante omnia habeatur & gloria Iesu Christi Domini nostri, cui cum Patre & Spiritu sancto, sit sempiterna gloria, decus, ac maiestas in secula seculorum, amen.

Rom 14.

TRACTATVS V.

In illa verba Ioannis: ***Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.***

QVia pręcedētem Tractatum quęstioni illi celebri impendimus, iam ad reliqua, quæ sequuntur expedienda accedamus. Festum Paschæ solennius, & celebrius inter alios dies festiuos Iudæorū habebatur, ob summum beneficium quod in eo à Deo acceperant, id est, liberationem de Aegypti seruitute cōmemoratam; propterea simpliciter dicitur dies festus à Ioāne pluribus in locis. Vox Paschæ neq; Latina est, neque Græca: sicut existimauit Lactantius, deducta à verbo *πάσχειν*: quia passionis figura est, quam Deus præscius futurorum tradidit per Moysen populo suo celebrandam. Sed hūc reprehendit Augustinus in Ioannem. Ita etiam putauit Ambrosius in illa verba Apostoli: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*, dicens: *Pascha itaque immolatio est, non transitus, sicut quibusdam videtur.* Hæc ille: quē reprehendit Hyeronimus in Matthæum dicens: *Pascha quod Hebraicè dicitur phase, non à paßione, vt plerique arbitrantur, sed à transitu nominatur; eo quòd exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit, nec percusserit eos.* Sic Hieronymus. Quanquam Ambrosius alibi oppositum asserat: *Pascha,* inquit, *Hebraice transitus dicitur, vel profectus; scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur.* Est igitur vox Hæbrea, sed more Chaldaico terminata, Nam Hebraicè dicitur פסח pesach, quod est trāsitus à verbo pasach, quod est transire. Sed Chaldæi de more solēt nominibus addere aleph in fine, & ita dicunt פסחא pischa, & inde postea Pascha: ita enim in alijs vocibus videmus. Nam quod Hebraicè dicitur man, corban, mamon, akeldam, gabbath, & ab, ipsi dicunt, manna, corbona, mammona, akeldema, gabbatha, & abba. Græci verò dupliciter corruperūt hoc verbum, dicentes φασέχ ponentes φ pro π, & χ pro κ. Hinc Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Pascha, putat Pascha Græcū deduci à φάσχα Hebræo, vbi ponit Hebræum pro Chaldæo. Eius hæc sunt verba: *Pascha hoc magnum, & venerandum, Hebræorum lingua, phaska appellatur. Significat autē vox illa transitum, historicè quidem, ex Aegypto fugam, & transmigrationem in Chananæam; spiritualiter autem ab inferioribus ad superiora, Terramquè promißionis processum, & ascensum. Verum quemadmodum sæpius in scriptura accidere inuenimus, vt illa nomen aliquod, ab obscurioribus ad manifestiora, aut à rudioribus ad venustiora transmutet; ita & hic quoque factum cernimus. Quidam enim salutaris paßionis nomen hoc esse existimantes, ad vocem adaptarunt Græcam, pha in pa, & κ in χ, transmutarent, ac diem Pascha nominarent. Cumq; vocem hanc consuetudo suscepisset, fortiorem reddidit; cùm multorum auditus, tanquam magis pio acceßisset verbo.* Hactenus Nazianzenus. Annotat etiā Augustinus in hæc ipsa verba Ioannis: *Pascha autem, fratres,* inquit, *non sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum. Opportunißimè tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia vtrarumquè linguarum: Quia enim pati Græcè πάσχειν dicitur; ideò Pascha paßio putata est, velut hoc nomen à paßione sit appellatum.* Hæc ille. Quemadmodum beatus Basilius

Festum Paschæ cur sanctius atq; solennius cęteris à Iudæis coleretur. *Ioan 2.*

Vox Pascha Lactantio vnde descendat sed falsò. *Lactan. li 4. cap. 26.*

Aug. tract. 55. in Ioan. init. tom. 9.

Ambros. in 5. cap. prior. ad Corin. to. vlt.

Hiero. in c. 26 Matth to. 9.

Pascha vnde dicatur.

Exod 12.

Ambr. ser. 53. tom. 3.

Pascha quæ vox sit.

Pesach Hebraicè quid.

Nominibus in fine addere aleph solent Chaldæi.

Greg. Naz. orat. 4. vers. 9. initium.

Pascha Hebraice, & spiritualiter, quid significet.

Scripturæ mos.

Augnst. loco prædicto.

Pascha quid secundùm alios.

B. Basil. to. 2. Cyril. Ierosol. Catech. 10.

Iesus Hebraicè, & quid Græcè significet.

silius in Exercitamentis, siue in Asceticis, & Cyrillus Ierosolymitanus, nomen Iesu Hebręum esse aiunt, & significare Saluatorem: sed non sine causa etiam Græcè significare meminerũt curatorem, aut medicũ: quia in illud etiam hæc significatio optimè congruit, & vicina est fontis Hebræi significationi, in qua propriè salutis datorẽ, seu seruatorẽ denotat. Est autem Pascha, sicut manna, neutrius generis, & indeclinabile, quemadmodũ manna. Quanquã nonnulli declinent in prima declinatione, Pascha Paschæ. Vnde dicitur: *Cùm esset Ierosolymis in Pascha: Ante sex dies Paschæ; & erat parasceue Paschæ:* declinatur & per tertiam iuxta id: *Et manducarent Pascha.* Et, *Erat proximum Pascha dies festus Iudæorum.* Pascha paschatis; quod Poëtæ magis obseruãt. Quantum ad significationem verò Pascha, siue phase, nõ significat passionem, vt dictum est, cùm sit vox Hebræa, sed transitum. Philo Iudæus interpretatur Pascha διαβατήρια, non ipsũ transitum, sed sacrificia, quæ libamus transituri, vt res benè cedat; Iosephus verò interpretatur ὑπερβάσια, id est, trãsgressus, siue progressiones; & Septuaginta vocem in interpretatam reliquerunt φασέχ. Sed certè Hebraicè phase trãsitum significat, vt etiã ipsa Scriptura testatur, dicitur enim: *Et comedetis festinanter; est enim phase (id est, transitus) Domini. Et transibo per terrã Ægypti nocte illa, percutiamq́, omne primogenitũ in terra Ægypti.* Et infrà: *Quum dixerint vobis filij vestri; Quæ est ista religio? Dicetis eis, Victima transitus Domini est, quãdo transiuit super domos filiorum Israel, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Non ergo dicitur transitus hic ex eo quod populus transiuit per mare rubrum, aut ex eo quòd Christus verus agnus transiuit ex hoc mundo ad Patrem, & nos à lege ad Euangelium, à peccato ad iustitiam, à vitio ad virtutem, quod mysticum est; sed à transitu Angeli percutientis Ægyptios, vel Domini in eo, & parcentis Hebręis: quemadmodum Azymi erant ad commemorandum festinatum de Ægypto egressum, propter quem non licuit illis fermentare.

Ioan. 11. Infrà 12. Infra 28. Supra 6.

Philonis, & Iosephi Iudæorum, de Paschate ineptæ sententiæ.

Exod. 12. Ibidem.

Pascha vnde transitus Domini appelletur. Ioan. 13.

Azymi quid signarent. Ibidem.

Paschæ, seu Phase varia significata. Matt. 26. Ioan. 18.

Primũ igitur Phase, siue Pascha transitũ significat. Secundò, ipsum agnũ, qui victima transitus erat, de quo: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et: *Non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Tertiò, significat ipsam diem festiuam, maximè vesperam decimæquartæ lunæ, in qua agnum edebant, de quo tradit liber Leuitici: *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est: & quintadecima die mensis huius solennitas Azymorum Domini est.* Quartò, significat ipsam primã diem Azymorum, quia incipiebat à vespera, siue à Pascha, quo tempore edebatur agnus; & ita ait Lucas: *Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Quintò, significat totam hebdomadam Paschalem. Hinc in Actis dicitur: *Erant autem dies Azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradensq́, quatuor quaternionibus militum ad custodiendum eum, volens post Pascha producere eum populo,* id est, post completam solennitatem Azymorum. Sextò, significat Christum verum agnum in illo figuratum, de quo Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Itaque epulemur. Hic enim verus est agnus, nõ tantùm significans sed faciens liberationem ab Angelo percutiente, & exitum de vera Ægypto peccati, veraque seruitute Pharaonis dæmonis: qui tantùm distat ab alio agno, quantum Europa vera ab eadem in tabula quadã depicta. Erat autem hic dies festus Christi Domini, quia occasio erat in eo detegendi summũ suum amorem erga mundum: atque illo die quo agebantur Deo gratiæ pro beneficio exitus de Ægypto, Dominum Iudæi crucifixerunt pro beneficio exitus à potestate dæmonis. Discimusq; antè festum æternæ gloriæ patri, & nobis tunc festũ esse, cùm pro Deo patimur, secundùm illud: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me.*

Levit. 23. Luc. 22. Act. 12. 1. Cor. 5.

Iudæorũ in Christum animus.

Christus in die festo Paschæ patiens quid doceat nos.

Gal. 6. Matt. 5.

Sciens Iesus. Non tũc, sed ab æterno mortem sibi tũc instare sciebat, & permissam à Deo sua prouidentia ad salutem mundi ordinabat; Peccatũ autem inferentium mortem, & nouerat, & permittebat, & in bonũ mundi referebat. Ideo benè dicitur Iesus, id est, saluator, ad quem spectabat non solùm se innocentem à morte illata seruare, sed etiã suos à morte peccati liberatos ad æterna bona prouehere, vt rectè dixerit Dauid: *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Indicat ergo, quòd non ex ignorantia, aut necessitate, sed scienter, & liberè mortem perferret. *Quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Nos filij, & serui sumus horæ mortis, quia regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen: tum quia illa latet scientiam nostrã, vnde dicitur: *Qua hora nõ putatis, filius hominis veniet.* Et: *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.* Tum etiam, quia excedit vires, & potentiam nostram: non enim possumus eam à nobis depellere, secundùm illud Dauidis: *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Et Paulus: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc* autem

Christi præscientia suæ passionis, & mortis.

Duo præstat Iesus beneficia salutis.

Psalm. 97.

Omnes homines cur nesciãt horam mortis suæ. Rom. 5. Luc. 12. Matth. 25.

Psalm. 88. Heb. 9.

autem iudicium. Tum deniq; quia nostram vincit voluntatem: Naturæ enim appetitu saltem illam horremus, & nolumus expoliari, sed superuestiri. Vt meritò dixerit Dominus Petro; *Alius te cinget, & ducet quo tu non vis:* hinc est vt illam metuamus, dum putatur appropinquare: ob has causas nos sumus horæ mortis serui, Christus autem, Dominus erat horæ suæ mortis: tum quia nota sibi erat, vt proinde eam pluries Apostolis, & turbis prædixerit: deinde erat in eius potestate: nam cùm illa præfixa sit vnicuique, & præteriri non possit, etsi abbreuiari à nobis queat, Christo tamen vtrumque & depellere, & eam accersere liberum erat, ob diuinitatis suę potentiam: nec tantùm quatenus Deus erat, sed etiam in quantum homo Deo vnitus, vnde dixit: *Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumêdi eam.* In cuius signum nec alio tempore, nec alio loco, nec alio modo, vel genere mortis passus est, quàm quo voluit. Ideò fugit horam Herodis quærêtis illum infantem in Bethleem occidere, & horam Nazareth, qua præcipitare eum sui voluerunt de supercilio montis, & horam lapidationis in templo; ideo per Euangelistam dicitur: *Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* Ita etiam locus non fuit, quem Iudęi voluerunt, sed in quo ipse voluit: nam nec in Bethleem, nec in Nazareth, nec in templo, sed in sancta ciuitate: quia non capit Prophetam (scilicet illum magnum) perire extra Ierusalem. Alia enim mortis genera declinauit omnia, præter mortem Crucis prædictam, de qua in Sapientia Dominus prædixit: *Morte, inquit turpissima condemnemus eum;* Et: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Ideo frequenter tempus, vel genus mortis declinare volens, vel abscondebat se, vel terrorem sui incutiebat, vt euaderet. Erat præterea mors in sua voluntate: oblatus est enim quia ipse voluit. Ideo desiderabat illam, quatenus salutaris nobis & Deo gloriosa erat, iuxta illud: *Baptisma habeo baptizari; & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur.* Vbi perpende quàm diuersa sint hominum, atque Dei iudicia. Nemo enim nostrum horam vocaret suam, in qua sibi vita eripienda esset; Christus tamen ob illustrandam Dei gloriam, & electos à damnatione æterna liberandos, horam suam vocat; vt tu, si sapis, eam, in qua spoliaberis peccato, & cunctis miserijs, & in qua æternis diuitijs impleberis, horam tuam vocare non dubites. Erat postremò hora eius, quia præfixa sibi à Patre, & à se ipso decreta, & in figuris veteris Testamenti ad opus redemptionis designata. Sicut vocamus horam nostram, illam, in qua aliquid dicturos, vel acturos nos promisimus. Ita enim Iudices, & Consiliarij horas suas deputatas habêt ad causas agendas. Et qui inimicum diu ad mortem quæsitum, tandem oblata occasione interfecit, dicit: Venit hora mea & vltus sum: ita illa eadem hora & Christi fuit, & Iudæorum: Iudæorum quidem, iuxta illud: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum:* quia eius concessu habuerunt facultatem eum ligandi, & tandem occidendi, & quasi victores illi insultandi: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas.* Fuit & ex alio capite hora Christi, & plus ab eo desiderata, quàm à Iuda, cui dixit: *Quod facis, fac citiùs:* quia ipse dum mortem violentam perferret, mortê peccato, ac dæmoni inferebat, mortemq; ipsam sua morte prosternebat, & maximos hostes sua infirmitate vincebat: non secùs ac ille, qui in ludo se vinci permittit in modico, vt maximum de se vincente lucrum reportet. Verbum, venit, significat, appropinquabat siue instabat.

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, Periphrasis est mortis, & alludit primò ad festû Paschę, & trâsitus, qui angelus magni consilij, ne nos percuteret, seipsum percuti permisit, vt pellicanus fundit sanguinem pro pullis suis suscitandis. Hinc Christus à se dicitur traditus, & percussus: *Oblatus est,* inquit Propheta, *quia ipse voluit.* Tradebat autem iudicanti se iniustè: *Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum meorum;* quia scilicet permisi; ob quam causam Pater dicitur tradidisse, vulnerasse, percussisse.

Secundò docet, mortem non potuisse Christum tenere, quæ omnes non soluentes censum transitus detinebat: sed cû Christus Dei filius liber esset ab illo tributo, nô potuit diu retinere, sed coacta fuit, tanquâ cetus Prophetâ Ionam vomere in aridam, & contriuit portas æreas; & vectes ferreos confregit, vt pretio à se persoluto, possent pij omnes, & sancti detenti in limbo transire ad Patrem. Tertiò describit mortem nihil aliud esse secûdùm Platonicos quam μετάβασιν quandam, id est, translationem, siue transitum ad Patrem de hoc mundo, vt exilio, reliquitque nobis mortem, quæ vltimû erat terribilium, iam mitiorê, molliorem, ac magis teneram: non secùs atque poma syluestria, quæ melle, & saccharo conficiuntur, vt quæ prius propter acerbitatem edi non poterant, dulcia iam & esilia reddantur. Erat enim mors ante Christi

recessum

2. Cor. 5.
Ioan 21.
Quare Christus sciret horâ mortis suę, eiusq; Dominus esset.
Christi potentia.
Ioan. 10.
Matth. 2.
Luc. 4.
Ioan 8. & 10.
Infrà 7.
Luc. 13.
Sap. 2.
Ierem. 11.
Quibus modis Christus, cùm volebat mortem effugeret.
Ioan. 8.
Infra 7.
Esa. 53.
Luc. 12.
Horam mortis Christus cur vocet suâ.

Hæc hora mortis aliter fuit Iudęorû, & aliter Christi.
Luc. 22.
Matth. 27.
Ioan. 2.
Infrà 13.
Christ' mortem patiens à Iudæis, sicq; vinci se finês, qualis videri possit.
Mors Christi cur transitus eius ex hoc mûdo ad Patrem nominatur.
Isai. 9.
Infrà 53.
1. Pet. 2.
Ierem. 12.
Esa 53. & seq.
II. Ratio.
Iona 2.
Psal. 106.
III. Ratio.
Mors quid secundùm Platonicos.

Quam suauẽ nobis Dominus mortem reddiderit.

recessum viuus quidam, ac terribilis Leo, suo aspectu omnes perterrefaciẽs: sed iam à Christo occisus, vt possint pueri illum iã mortuum pedibus calcare, illique insultare, vt docet Athanasius. Transiuit autem Christus vt peregrinus Iacob in baculo suę crucis Iordanem mortis, & reuersus est cũ duabus turmis sanctorum Patrum, Gentilium, & Iudæorum, quos ex limbo liberauit: Transiuit autem non deitate immutabili: *Ego enim Dominus*, ipse inquit, *& nõ mutor*: non rursus anima, quę ratione superioris portionis ab instanti suæ conceptionis non solùm in gratia, vt Angeli, & beatæ Virginis anima, conditus fuit, & in natura pura, vt Adam & Heua, & extra peccatũ, in quo nos concipimur, verũ etiam in gloria: tamen ratione portionis animæ inferioris, atque adeò corporis ipsius, potuit habere transitum à mortalitate ad immortalitatẽ. Nam hora nona, quamuis hic trãsitus breuis fuerit, cœpit enim hora nona, quando dixit; *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; Dominica tamen die in aurora rursus anima coniuncta est corpori, & habuit perfectum trãsitum post quadraginta dies ascendendo ex hoc mundo ad Patrem. Porrò in eius transitu omnes nos transire censemur: quemadmodũ fideiussore pro nobis soluente, ipsi soluere iudicamur. Nam ita ille nos sibi simul concrucifixit, sicut, teste Apostolo, conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Vt enim Pontifex, dum ingrederetur Sancta sanctorum, nomina duodecim tribuum scripta portabat in Superhumerali, & in Rationali, vt in illo ingrediente Sãcta sanctorum, & ipsi viderentur quodammodò ingredi: ita Christus cœlos penetrans, & aduocatum pro nobis agens, nomina electorum suorum, tum in deitate, tum in anima sua, atq; adeo in manib⁹ suis scripta gestauit. Et ita non est ingressus in cælum solus, sed ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et vt persona diuina dicitur descendisse ad inferos ratione animæ, & in sepulchrum ratione corporis; ita dicitur ascendisse in cœlum ratione animæ & corporis illuc ascendentium.

Athan lib. de human. verbi eiusq; corporali aduentu, circ med. to. 1.
Gen. 32.
Malac. 3.
Christi priuilegium.
Luc. 23.
Pij omnes fideles, vt transeant ex hoc mundo ad Patrem.
Ephes. 2.
Exod. 28.
I. Modus.
Psalm. 67.
Ephes. 4.
II. Modus.

Ac subdit: *Ex hoc mundo*, cum articulo dicitur Græcè, & significat inferiorem mundum hunc cũ conditionis naturæ & pœnæ proprietates in se includentis, non autem conditiones vitiosas mundi, quibus Christus caruit, vt originali, personali, & veniali delicto, atque adeò fomite: nam hæc ad ciues, seruos, & amicos huius mundi, vel seculi spectant. Hinc rectè Augustinus ait: *Qui transit cum mundo, ad hostes transit; qui de mundo, ad Patrem transit.* Vnde rectè dixit Ioannes: *Mundus transit, & cõcupiscentia eius.* ¶ *Ad Patrem.* Qui vbique est, sed per tropum intelligimus domũ eius, vt illud Comici: *Eo ad Chremetem*, id est, ad domum Chremetis.

Ex quo mundo transierit Christus ad Patrem, & quomodo.
Aug tract. 55. in Ioan. to. 9.
Trãsire cum mundo, & transire ex mundo, differunt.
Terent. in Andria.

Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Scientia instantis proprij transitus ad felicem statum gloriæ, nõ impediuit quo minus obliuioni traderet suos vt pincerna ille Pharaonis, qui succedentibus prosperis oblitus est sui interpretis, nec imminuit, aut interrupit amorem; neque nouum genuit, sed antiquum continuauit atq; cõsummauit. Dilexerat enim Christus suos, ab æterno prædestinando; amorem declarauerat incarnatione, prædicatione, miraculis, & signis beneuolentiæ, & charitatis plenis. Nam reddiderat oculis visum, auribus auditum, linguæ sermonẽ, claudis ingressum, leprosis munditiam, ęgrotis sanitatem, mortuis vitam, mœstis cõsolationem, debilibus robur, peccatoribus veniã, & omnes ad æternam vitam inuitabat: hæc enim suæ dilectionis argumenta hactenus exhibuerat; sed iam maiora, & euidentiora prodere statuebat. *Suos*, ait: omnia quidem Dei sunt, ob vinculum creationis: *Si esuriero*, inquit, *non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Sui etiã, propter vinculum carnis erant Iudæi, de quibus ait Ioannes alio loco: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Sui præterea dicuntur, qui vinculo spiritali illi erant coniuncti. Atq; hoc vinculum bipertitum est: nã alterum est vinculum prædestinationis, de quo dicitur: *Cognouit Dominus qui sunt eius*; Et: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*; alterũ vinculum est Fidei, & gratiæ Dei, cum doctrina, & Sacramento coniunctæ, vt erant Apostoli: & his duobus modis hic vocat suos electos, sed præcipuè Apostolos.

Transire ad Patrẽ, quid.
Amoris Christi in suos vehementia.
Gen. 49.
Eius amoris symbola in omni vita.
Expenditur illud pronomen, suos, cũ dicitur: cum dilexisset suos.
Psalm. 49.
Ioan. 1.
Duplex vinculum Christi amoris in suos.
Ioan. 10.
2. Tim. 2.
Quinam illi à Christo dilecti, qui erãt in mundo.
Infrà 11.

Qui erant, inquit, *in mundo.* Non soli Apostoli significãtur in Iudæa siti, vel Galilæa, sed in toto mundo, de quibus alio loco ait Euangelista: *Et non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Expende, quod non ait, qui erant de mundo, vel ex mundo: vnde in hoc eodem sermone distinguens inter has locutiones, dicebat: *Et iam non sum in mundo: & hi in mundo sunt.* Et rursus: *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Et rursus rectè ait: *Qui erant in mundo*; non supra mundum, vt Angeli, vt expendit Cyrillus; vel subtus limbum, vt Patres in limbo, vel purgatorio igne detentos, vt ponderat Chrys. quia ij, qui erant in sinu Abrahæ, læti, tranquilli,

Quid est: qui erant in mundo.
Infrà 17.
Ibidem.
Cyril. lib. 9 in Ioã. c. 2. to. 1.
Chrys. ho. 69. in Ioan. to. 3.

quilli, & in spe certa viuebant Messiæ: sed qui in mundo, inquit, manebant ad certandum cum mundo, & principe eius, & nauigabāt adhuc, & propterea egebant Christo corroborante ad pugnam, & ad consequendam de hostibus victoriam, & spiritu ducente ad portum gloriæ.

Verba illa Ioā. In finem dilexit eos, variè à patribus explicantur.

Primus sensus B. Cyrilli.

In finem dilexit eos. Verba sunt paulò obscurius dicta, vnde & multiplicem sensum illis Patres tribuerūt. Primus igitur Cyrilli sensus apertior, & magis ad man⁹ est: Cùm Dominus Iesus per totam vitam multa edidisset charitatis suæ argumenta, in fine tamen vitæ suæ maius amoris erga nos signū, pignusq; declarauit. Eò etenim ꝓgressa est charitas eius, vt pedes discipulorum suorū lauerit, illis tradiderit corpus suū & sanguinem in cibum & potum ad alimētum, illos confirmauerit, ac præmunierit, ac denique duram, ac ignominiosam pro eis mortem sustinuerit, & quasi cygnus in fine vitæ suæ dulcius cecinit, & instar ignis, qui in fine in maiorem flammam erumpit. Est enim in sacris literis diligere, amorem aliquo opere declarare, iuxta illud: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Rursus: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Ita intelligo verbum Domini in hoc eodem sermone prolatum: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*, id est, si dilectionem externis beneuolentiæ signis declaraueritis: nec enim ab internis dilectionis actibus agnosci posset Christi discipulatus. Moris est autem, cùm amici inuicem separantur, mutuis officijs beneuolentiā inuicem testatam reddere. Christus autem in testamēto suo, quo nos hæredes instituit omniū meritorū suorum, seipsum nobis impertijt. Nā vt ipse erat hęres vniuersorum, tanquam vnigenitus, potuit in quos voluit, sua bona transferre. Vnde Spiritus sanctus de morte eius dixit: *Et dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti*: dolor siquidem ille, etsi magnus existat, mixtus est tamē spei, quam concipiunt fratres de succedendo in bonis primogeniti.

Matth. 26
Qualis Christi amor suos diligentis in finem.

Diligere in sacris literis quid sit.
1. Ioan. 3.
Infr. 4.

Ioann. 13.

Amicorum proprium.

Hebr. 1.

Zachar. 12.

II. sensus.
Chrysost. ibi.
Theophyl.

Secundus sensus, quem his verbis porrigunt Chrysostomus, & Theophylact. est, vt in finem, siue εἰς τέλος, idem sit quod perfectè, integrè, atq; consummatè, & vt perfectus artis amandi magister, qui nihil eorum facere omisit, quæ decebant summum & consummatum amatorem. Quidam obscęnus Poëta librum edidit, quem falsò inscripsit de arte amandi; cum reuera nihil aliud tradat, quàm acerbi odij in seipsum artem. Nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. At Christus, numeris omnibus absolutus dilectionis magister extitit, puritatemque immensam, mundiciamque cum illo coniunxit; vt nihil in eo terrenum, nihil sensui, aut carni placens deprehendere valeas. Diuinę dilectionis effectus est humilitas: vt apertè docent matres, quæ præ amore filiolis lactādis, purgandis; & à fletu mitigandis, & ad somnū illis conciliandum incumbunt. Nō ergo timeamus nobis ab humilitate, vt sæpè facimus, cùm ab operibus humilioribus & vilioribus fugimus, dicentes: Non est mihi hoc honorificum facere; & ita incidimus in elationem, & superbiam, quæ sola Angelum fecit diabolum. In finem ergo dilexit, id est, perfectè, & ad mortē vsq; ad quam promptum Christum deduxit amor. Nam maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animā suam ponat quis pro amicis suis: non enim poterat Christi charitas altius progredi. Nam si Christus diu inter nos vixisset, non potuisset magis virtutes suas exaltare, quā moriendo pro nobis fecit. Nam de charitate dixit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*; Et: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Si ergo nobiscum citra mortem permansisset prædicando Dei verbum, & signa mirabilia edendo, profectò neq; tantùm odium in peccatum concipiendum indicasset, neq; tantam Patri obedientiam etiam ad mortem præstandam docuisset, neque tantum contemnendæ mortis exemplum pro salute proximi ostēdisset: neq; nos meliores fuissemus Iudæis, sed grauiùs his Dominum persequeremur, neq; viuente illo tot Martyres triumphassent in cœlo.

Ouid. Naso. notatur.

Psalm. 10.
Dilectionis magister Christus qualis sit.

Superbia sola Angelum fecit diabolum.

Ioan. 15.
Qua maximè ratione Christus virtutes exaltauit suas.
Supr. 12.
Ibid.

Tertius sensus horum verborum est, finē accipiendo pro gloria beatitudinis æternæ quæ finis est noster, quo modo accipit Augustinus & Caieta. & nonnulli alij. Quemadmodum .n. Apostolus ait, quòd ira Dei in finem venit super Iudæos, id est, perfecta damnatio; ita per contrarium, dilectio Dei in finem, id est, perfecta, & ad finem vsque beatum perducēs dilectio. Etsi enim Deus omnia creata ad suos fines cōsequendos dirigat, ac moueat; cùm tamen homo notitiā sui finis, & viā quæ ad illum ducit, per peccatum perdidisset, voluit Dominus sua benignitate de re tanti momenti nos instruere, & gratiā ad subsidia, quibus vita æterna comparatur, suppeditare: vtque hoc nobis doctrinæ, gratiæque impertiēdæ argumentum ostenderet, illatam pro nobis mortem sustinere voluit, vt ita homines de mundo

III. sensus.
August. ibid.
Caietan.
1. Thess. 2.
Quomodo ira Dei super Iudæos venit vsque in finem teste Apostolo.

isto

isto tanquam de Ægypto educeret. Cuius rei argumentum prodidit, cùm latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, & homo in Limbo, viso Christo, fuit beatus. Deditque ad consequendum tantum finem, currum fidei, spei, & charitatis, & bonorum operũ: dedit Sacramenta, quæ sanctificarent, sanctos qui præirent, & docerent eo posse perueniri. Et hinc est, quòd cum homines dũ viuunt, diligere soleant, rari tamen in fine diligunt: at Christus, qui verus amicus erat, & de quo scribitur: *Omni tempore diligit qui amicus est*, non solùm in morte, sed etiam post mortẽ insignem suam charitatem nobis declarauit: quia non est ipse morte finitus, aut consummatus, sed per illam (quod infidelibus incredibile videtur) opulentior & gloriosior effectus, qui de se dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Atque ita Christus nouit diligere in finem æternæ vitæ, ad illamque, non obstante peccato, aut morte perducere suos. Mundus sanè ad finem ad quem cõdicti sumus, diligere nescit, sed ad media, hoc est, ad honores, diuitias, & delicias: vnde & amor ille languet, & imbecillus est. Nam cùm Philosophi tradant, finem sine mensura diligendum, ea verò, quæ ad finem sunt, nonnisi pro ratione finis: nam sanitas vt finis sine modo diligitur, ac medicina sanitatem efficiens, nõ plus, quàm conferat ad illam consequendam: ideò mundus cum ad finem vitę ęternæ, quem ignorat, diligere nesciat, tantùm in creaturis communicandis consistit eius dilectio. Et sanè cum ratione est coniunctum; vt qui seipsum diligere non nouit, sed loco amoris vero se odio prosequitur, alios quoque diligere ignoret. Nam qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & ne patiatur incisionem, vel cauterium, in manifestam mortem incurrit. Hic sensus etsi nõ sit omnino alienus à litera, superiores tamẽ commodiores esse videntur. Demus igitur operam, vt qui tantis stimulis & fomentis ad diuinam dilectionem excitamur, nostra ignauia, & socordia in tanta charitatis fornace, quam Christus nobis indicauit, ne gelidi, ac frigidi maneamus, signo planè Satanæ, quemadmodum tres pueri igne fornacis ardentis non fuerunt exusti. Sed vt intus verè, & sanctè ardeamus, ex intimis cordis medullis inuocandus est nobis in primis ille, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem, Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu S. infinita diuinitatis gloria semper potitur in secula seculorum, Amen.

(·:·)

[Margin: ...c. 23. ...quibus instru...entis finis su...emus ęternę ...atitudinis ...mparetur.]

[Margin: ...mici qui ...ri. ...rouer. 17.]

[Margin: ...at. 28. ...undi amor ...iani cæcus, ...impotens.]

[Margin: ...nis longe ali... ...r diligendus ...t, quam quæ ...ucunt ad fi...em, secundũ ...hilosophos.]

[Margin: ...nde fit, vt ...uis quempiã ...mare non ...ciat ...ccles. 14.]

[Margin: Dan. 3.]

[Margin: ...Isai. 31.]

TRACTATVS VI.

In illa verba: *Et cœna facta (cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit) surgit è cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteũ, præcinxit se*, & reliq. Ioan. 13.

Dictum est superiùs, Ioannem prætermittere, quæ ab alijs Euangelistis essent plenè narrata, vt erat cœna Paschalis, & institutio Eucharistiæ: de quibus hic nihil Euangelista: adiungit verò quæ ab alijs omissa fuerant, vt lotionem pedum, & sermonem ad Apostolos habitum. Ideo Ioannes vno verbo cœnam absoluit, dicendo: *Et cœna facta.* Quo verò proposita verba plenius intelligantur, ac degustentur, explicandus est in primis Euangelistæ scopus; Deinde quid est quod ait: *Et cœna facta.* Postremò, quid significet: *Cùm diabolus iam misisset in cor Iudæ.*

[Margin: Ioãnes ea tantum exprimere in suo Euãgelio curauit, quæ cæteri Euangelistæ tacuerant.]

Ad primum dicendum, quòd cùm hactenus Ioannes superiori sententia, veluti quodam proœmio caussam Dominici facti à se narrandi descripsisset, iam illud exaggerare studet, vt in illius admirationẽ (quod verè est admirabile) lectorem attolleret. Ad quod spectat: quod non ante cœnam, vt ait Theophylactus, sed cũ in cœna omnes recubuissent, atque inter cęnandum relictis epulis non dedignatus est sordidos, & puluerulentos Discipulorum pedes cõtingere, & in illis abluendis manus suas contaminare. Deinde proditionis à Iuda meditatæ meminit, vt Domini submissionem indicaret, quod nec Domini sui præsentia ab hoc facto est reuocatus, sed proditoris, qui tũ erat iam diaboli mãcipium, pedes lauare sustinuerit. Tertiò præmittit, Dominum diuinam suam celsitudinem, & magnitudinem non ignorasse: quia nouerat Patrem omnia in manus suas donasse, & ꝙ à Deo exiuit, & ad Deum vadit; ne putaremus factum humilitatis Christi exhibitum tanquam ab ignorante suam dignitatem, aut eius rationem non habente. Describit ergo eius incomprehensam, & ineffabilem maiestatem: quemadmodum Apostolus commendaturus Christi humilitatem, & exinanitionem, præmittit, quòd in forma Dei erat, & diuinitatis rapinam non fecerit. Ita etiam idem Ioannes cap. 1. dicturus verbi humilitatem, qua verbum caro factum est, præmittit magnificum illud exordium: *In*

[Margin: Cur hæc ab Euangelista sit instituta narratio.]

[Margin: *Theophyl. in Ioann. ca. 13.*]

[Margin: Proditionis à Iuda meditatæ cur Ioannes meminerit.]

[Margin: Cur idem de Christo dixerit: Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, &c.]

[Margin: *Philip. 2.*]

princi-

Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et cap. 6. dicturus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus,* præcedit insigne illud potentiæ eius immensæ miraculum, quãdo ex quinque panibus satiauit quinque millia hominum. Et hæc de scopo.

Lotio pedum ante, an post cœnam facta fuerit.

Circa secundum quæritur, quomodo verum sit: *Et cœna facta;* & quomodo consonum his quæ sequuntur, nimirum: *Surgit à cœna,* & quod postea Iesus buccellã dederit Iudæ, inuestigandũ est. Nam si post lotionem pedum adhuc cœna durabat, quomodo dicitur facta cœna? Respõdet B. Augustinus hoc loco, cœnam dici factam, id est paratam, & ad conuiuantium mensam, vsumq; perductam.

I. solutio. *B. Aug. tract. 60. in Ioan. tom. 9.*

Antequam ergo inciperent conuiuari, & agnum edere, volunt nonnulli, Christũ tanquam cõuiuij instructorem, lauisse pedes Discipulorũ de more gentis illius, quæ conuiuio exceptos solet prius ad pedũ lotionem admittere. Vnde apud Lucam Dñs expostulat cũ Pharisæo se inuitante: *Aquam pedibus meis non dedisti.* Sed profectò hoc non satis esse videtur, vt dicatur cœna facta, quia tantùm est præparata. Quod ex eo quod subdit, comprobatur: *Surgit à cœna;* & quia edentibus illis postea propalauit proditorẽ, secundùm alios Euangelistas, & secundùm Ioannem, data buccella exiuit. Ergo lotio non ante esum agni Paschalis fuit, qui primo loco ante alios cibos, vt res sancta edebatur: & lotio pedũ, institutionẽ Eucharistiæ debuit præcedere, vt paulò post dicemus. Rursus illa verba: *Cœna facta,* non significant cœnam omnino terminatam, & completam: quia ablutis pedibus iterum recubuit, & cœnãtibus illis instituit Eucharistiã, & dedit Iudæ panem intinctũ: quæ omnia signa sunt cœnæ perseuerantis. ¶Nec tertiò, inchoata cœna agni Paschalis, nec tamen finita: vt cùm dicitur: Dies est facta, id est, inchoata, & nõ terminata. Quia cœna agni Paschalis omnino finita erat, nec poterat interrũpi: quia festinanter erat edendus agnus iuxta mandatum Moysis, vt notauit Rupertus Tuitiensis. Et alij cibi iam cœperant edi, quia dicitur inter cœnandũ, vel dum cœna fieret. Et ita Græcè dicitur δείπνου γινομένου, hoc est, non solùm cœna parata, & esu agni finito, sed etiam aliorum ciborũ esu in finem vrgente. Ita dicitur dies factus, cum ortus est Sol, & dies inceptus. Vt enim olim in Ecclesia primitiua post Eucharistiã soliti erant sumere cœnam suam, vt habes apud Paulũ in priori ad Corinthios; ita post agnum typicum alios cibos sumebant Iudæi. Et hæc de secundo.

Secunda. *Osiander in harm. Euãg.*

Moris erat Iudæis, conuiuio exceptos prius ad pedũ lotionem admittere.

Luc. 7.

Solutio vtraque quas patiatur difficultates.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

III. solutio.

Exod. 12. Ruper. Tuit. lib in Ioan. 11

Vt olim fideles post Eucharistiam sumebant cœnã suam, ita post agnũ typicũ alios cibos sumere Iudæi consueuerant.

1. Cor. 11.

Ad tertium accedamus: *Cùm iam diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.* Vbi perpende, quòd tãtum, ac tãm infandum flagitium, & quale nunquam ab orbe condito perpetratum est, humanæ menti non erat tribuendum, sed Satanæ, ac diabolo, Christi sanguinis sitientissimo, & eius hosti capitalissimo. *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.* Primus hic est, qui in cælo autor peccati, & in terra extitit: nam inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: ita ergo partem habere voluit in hoc cõuiuio. Et rectè interpretatur criminator, vel calumniator Christi, vt Iudas calũniatus est vnguentum effusum. Est enim zoilus, & momus maximi Dei operis, hoc est, Incarnationis, quo nullum maius, aut pretiosius factũ est, aut fiet. Ideò in cœlo calumniatus est, ne Angelica natura homini à Verbo assumpto subderetur, tentauitque impedire ne fieret; & vbi factum est, aut falsò, & impudenter per organa sua negauit, aut hæreseon multarum maculis, ac nugis, quod ad se attinet, infecit. Hic igitur ille est, qui proditionẽ Domini Iudæ suggessit; Iudæis mortem petere persuasit, cùm dixerunt: *Tolle, tolle, crucifige eum;* Pontifices instigauit ad nefariam vocem: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit;* Pilato incussit timorem Cæsaris, vt Christum innocẽtem agnitum damnaret. Est etiam calumniator nostri, & accusator apud Deum; vnde de Iob dixit: *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, &c.* Est etiam calumniator Dei apud homines, apud quos docet esse crudelem, & personarum acceptatorem, & suggerit illud quod Pharaoni: *Quis est Dominus, vt audiã vocem eius, & dimittam Israel?* Denique diabolus optime comparari potest cum homine virum inter & vxorem discordias, dissidiorumq; zizania, vt se inuicem odio prosequantur, disseminante. Et rectè ait: *Iam;* quia die præcedenti, id est, die Mercurij, Dominum vendere pepigerat, & à Bethaniæ cõuiuio, in quo effusum est vnguentum, id decreuerat, id est, Sabbato ante sex dies Paschæ. Subdit: *Misisset in cor.* Et explicans quid miserit in cor, subdit: *Vt traderet eum.* Et per cor metaphoricè accipias intellectum, & volũtatem: suasit namque ei proditionem, & prodẽdi rationem, & pridiè iam impulerat, vt iret ad cõcilium Sacerdotum, & Seniorum, vt cum illis pactum proditionis à se designatæ sub certa vilissima mercede iniret, & pactũ proditionis cum Sacerdotibus pridie designandæ. Immisit ergo in cor oua sua: quæ Iudas postea ex-

Quid sibi velit illud: Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas, &c.

Sap. 2.

Diabolus quid sonet. *Ioan. 13.*

Quare dæmon Incarnationis maximum Dei opus semper impedire conatus sit.

Ioan. 19.

Ibidem.

Ibidem.

Iob 1.

Exod. 5.

Dæmon cui aptè comparetur.

Diabolus quando misit in cor Iudæ, vt Dominum traderet. *Matth. 26, Ioan. 12.*

Cor hoc loco quid significet. *Matth. 26.*

stea exclusit per opera maligna. Quod & in nobis quotidie facit: vnde alio loco Iudęis dixit: *Vos ex patre diabolo e[st]is, & desideria patris vestri vultis facere.* Dæmō ergo significatur in primis esse extra cor, quia est extra essentiam animæ, in qua nulla est operatio, nec facultas, nec eius pars est Angelus, nec eā informat, vel illi dat esse, vt anima, quæ hoc modo est in corpore. Rursus Angelus non est in essentia animæ ea ratione qua Deus, hoc est, vt cōseruās extrinsecum per essentiā, & intrinsecū per eminētiam: quia dat esse cuiuis rei. Est autem dæmō in corpore, quando solum operatur intra terminos quantitatis corporeæ, quasi in loco, & vt moror in mobili. Operari autem potest, primò in sensibus externis, illudendo eos per refluxum specierum à phātasia in sensum, vel in organum sensus: qui ab specie etiam præsente obiecto immutatur, & nō ab obiecto sine specie, quia non tangit sensum: & si tangeret, sub visum non caderet. Ideò visus non fallitur; quia verè & naturaliter à sola specie immutatur. Et reflexus specierum naturaliter gignitur à memoria, vel phantasia vim habente in somno supra naturam, quādo aliæ animi facultates sunt sopitæ: secus se habet in vigilia. Secundò dæmon illudit inficiens organum: ex quo sequitur iudiciū æstimatiuæ facultatis, vel intellectus, decipi ac falli: vt in gustu ægri amara iudicantis quæ dulcia sunt, intelligi potest, vel in ipso visu, dum fumi afficiunt organum eius, ita vt videatur domus plena vitibus, vel serpentibus. Porrò phantasia, & æstimatiua (quæ seruit intellectui iudicāti, & colligit intentiones particularium, & abstrahit intentiones non sensatas à sensatis speciebus, iudicatq; in particulari inter bonum & malum, vtile & inutile, cōmodum & incommodū, amicum & inimicū) quia corporea est, & materialis, potest dæmon, quatenus suasor, vel suggestor est, illā turbare, ita componendo, & illustrando species phantasiæ, vt videatur esse bonū quod non est, vt Iudæ vendere Christum, & Petro fugere ob species timorem incutiētes, & vt quid nouum esse videatur. Sed nō recipitur cogitatio, si non intendatur ab homine cogitante: non tamen potest sine obiecto externo, vel speciem nouam imprimere, vel creare phantasma, quia nō habet semen, sine quo ei natura non obedit. Mota autem phantasia, mouetur quasi suasione quadā intellectus: & si omnino perturbata est, vt in ebrio, vel ægroto, appetitus etiā mouetur, & vis ipsa motiua ad phātasiā, cum fortis est, & violenta, nec detinetur ab intellectu, vel voluntate, vt contingit in somniantibus. Præter hæc autē, tertiò valet dæmon appetitum sensitiuum excitare, quo inclinamur per modū desiderij, & qui subseruit voluntati, qua vna propēdemus ad volendum, vel cupiendum aliquid. Excitat autem, sciendo humorem, vel sanguinem ad iram, vel calorem ad luxuriam; siue hoc faciat per motum loci, vel applicando agentia patientibus, obseruandoq; cælum, quo corpus regitur. Hæc autem inferiora ita possunt à dæmone permoueri, vt ob defectum organi amittatur quantū ad vsum libertas ipsa: & consequenter homo tunc non peccat. Manente aūt vsu libertatis in ratione, & voluntate, dæmon per hæc inferiora potest hominē persuasione adducere in suam sententiam; minimè autē conuincere, aut cogere, nec immediatè imprimere cogitationē in intellectu, vel cōsensum in voluntate, quia nō intrat essentiam animæ, & talis cogitatio, vel consensus essent quasi innati, nec possemus eos reijcere, sicut nec dānati. Nec alij cogitationē à Deo impressam depellere valent: vnde dicitur cor regum in manu Domini; & quocunq; voluerit, inclinabit illud. Extra ergo manet dæmon, non essentia animę, vel corporis: nec in intellectu, & volūtate, principijs operationum humanarum, imprimi, sed in corpore phātasmata mouet, & suadet ad auaritiam, vel odium Deo iustè permittente. Hinc August. in hæc verba: *Cùm diabolus iam misisset in cor: Si quæris*, inquit, *quid missum sit in cor Iudæ? hoc vtique, vt traderet eum. Missio ista, spiritalis suggestio est, non fit per aurē sed per cogitationem; ac per hoc non corporaliter sed spiritualiter: neque enim spiritale quod dicitur, semper in laude accipiendum est. Nouit Apostolus quædam spiritalia nequitiæ in cælestibus, aduersus quæ nobis colluctationem esse testatur: non autem essent maligna etiam spiritalia, si non essent etiam maligni spiritus. A spiritu enim spiritalia nominantur. Sed quomodo ista fiant, vt diabolicæ suggestiones immittantur, & humanis cogitationibus misceantur, vt eas tanquam suas deputet homo? Nec dubitandum est, etiam bonas suggestiones à bono spiritu ita latenter, ac spiritaliter fieri: sed interest quibusnam eorum mens humana cōsentiat, diuino auxilio, vel deserta per meritum; vel adiuta per gratiam.* Hactenus ille. Quia ergo dæmō superioris est naturæ, & non ad malum propensi, proculdubio omnia mala nobis persuaderet, atq; in omnibus se immisceret, nisi Deus illum coerceret: quamobrem precibus ad Deum fusis est certandum, & luce, & humilitate vtendum in Regem tenebrarum, & superbiæ. Quòd si objcias, parum esse cum æquitate coniunctum, vt nos cum hoste nos vidēte congre-

Ioan. 8.

Quid est quod diabolus misisse dicitur in cor Iudæ traditionem Domini.

Dæmon in corpore quando sit.

Humani sensus quatenus à Dæmone immutari valeant.

Quare visus non fallatur.

Phantasiæ, & æstimatiuæ virtutis munus quod.

In phantasiā & æstimatiuam dæmon quatenus agat.

Appetitus sensitiuus hominis à dæmone, vt excitari valeat.

Quemadmodum hæc inferiora possint à dæmone permoueri.

Prou. 21.

Quæ cogitatio ab homine depelli nequeat vllo modo.

Quid missum sit in cor Iudæ.

Aug. ibid. & est. tract. 55. in Ioan. to. 9.

Spiritale non semper in laude accipitur, teste August.

Ephes. 6.

Spiritalia vnde dicantur.

Bonæ cogitationes, ac suggestiones à bono immittuntur spiritu, vt malæ à malo.

Contra cacodæmonem armis quib. sit decertandum.

congrediamur qui à nobis tamen nõ videtur? Respondeo, te Angelum habere custodem, per quem vides, & qui pro te non vidente, & videt, & decertat. Deinde maior gloria vincentis, qui diceret: Vel tectis oculis ego tecum pugnabo. Adhæc satis est te videre dæmonis receptaculum, tãquam lustrum feræ delitescentis: hoc autem est caro tua, quam percutiẽdo, illum percutis: quia ille nõ pugnat nisi teipso armatus cõtra teipsum, vt per Heuam seduxit Adam, & per sensum vincit rationem. Postremò videmus fide, & obedientia subijciẽdo nos alijs, qui nos regunt, & peccata agnoscẽdo esse in Deum, & in eius legem, atque adeò in nos ipsos, & conscientiam nostram.

Dæmonem vincere qua ratione valeamus.

Gen. 3.

Cæterùm caussa immissionis, quod ad Deum attinet, peccatum Iudæ illud dementis extiterat, vt qui in sordibus erat, sordesceret adhuc, & salus omnium, quam indè elicuit. Ex parte verò dæmonis, odium fuit, quo excæcatus in omni re, & sophista defraudatur. Quia autem hæc immissio ab extrinseco fuit; ideo poterat ei resistere, & non resistens peccauit. Debilis est enim hostis, qui non vincit nisi volentem. Ideo frater Domini exhortatur: *Resistite*, inquit, *diabolo, & fugiet à vobis?* & Petrus: *Cui resistite fortes in fide.* Alias Saul proijciẽs lanceam in Dauidem, per suggestionem diaboli, non peccasset: nec Ananias, & Sapphira à Satana seducti, defraudãtesq; pretium agri deliquissent: nec Heua à serpente seducta edens lignum vetitum, in legem à Deo præscriptam egisset. Cùm immisisset ergo. Intellige ante consensum, vt pugnãs pro obtinendo ingressu domus; post consensum verò intrat, vt dominus in proprium mancipium, nec potest pelli, nisi veniat fortior, & alliget fortem, & vniuersa eius arma auferat, & spolia distribuat.

Cur Iudas à Deo permissus sit in hortendum proditionis scelus incidere.

Apoc. vlt.

Debilis hostis qui.

Iacob. 4.
1. Pet. 5.
1. Reg. 18.
Actor. 5.
Gen. 3.
Supr. 2.
Luc. 11.

Vt traderet (inquit) *eum.* Expende quæso quis, & quem, & quibus, & quo pretio, & ad quid vendiderit: nam si singula diligentius perpendas, inuenies magnum syluam bonitatis diuinæ, & amplam segetem malitiæ humanæ. Vocatur autem proditor, Iudas Simonis Iscariotes. Iudas, confitens interpretatur, siue laudans. Et Christus in Iuda Iacob filio designatur, iuxta illud: Iuda, te laudabunt fratres tui. Non iuuant autem speciosa nomina, ampli tituli, status sublimis, & Apostolicus; imò nocent, si opera non respondeant vocationi, cum tãto maior sit ingratitudo. Dicitur Simonis, scilicet filius, imò etiam Christi, si voluisset significatum habere Simonis, hoc est, obedientis: sed quia noluit esse obedientis filius, neque Iudas, id est, confitens fuit Iscariotes, id est,

Iudæ proditionis Christi circũstantiæ.

Iudas quid.

Iudas quis Domini typus.
Gen. 49.
Speciosa nomina, amplique tituli, cætera si desint, quid faciant.

vir mercedis, & vir occisionis: qua ob paruam mercedem Dominum prodidit. Et quia vẽdidit vt interficeretur; dignus fuit, vt in se ipsum manus conijceret, seq; perimeret. Et ita, vt ille dixit:

Simon quid, & Iscariotes.
Matth. 26.

Conueniunt rebus nomina sæpè suis.

Sciens (siue cum sciuisset, nam Græcè eicitur εἰδὼς) *quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ne sui ignoratione videretur se deijcere; addit in Christo perfectã notitiam suæ potestatis, magnitudinis, nobilitatis, & prosperitatis, & gloriæ futuræ. Hinc Salomon ait: *Mihi dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna eorum quæ mihi dãtur:* & de Domino Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (quemadmodum deitatem rapere voluerũt Satanas, & Adam) *sed exinaniuit semetipsum, formã serui accipiens.* Et per hæc omnia non intelligitur deitas, quæ continet omnia, & quæ maior omnibus est, & propriè dicta non est in manibus, id est, sub potestate. Ideò Theophylact. exponit: hoc est, quod concredidisset ei salutem fidelium, & Gentium, de quibus: *Omnia traham ad me ipsum.* Et: *Omne quod dedisti mihi*; & reliqua: ac iterum: *Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Augustinus in hæc verba: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus: Ergo,* inquit, *& ipsum traditorem: nam si eum in manibus non haberet, non vtiq; illo vteretur, vt vellet. Proinde iam traditor traditus erat ei, quem tradere cupiebat, atque ita malum tradendo faciebat, vt de illo tradito bonum fieret quod nesciebat. Sciebat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui patienter vtebatur inimicis: ac sic omnia dederat Pater in manus eius, & in vsum mala, & in effectum bona.* Hæc ille. Vel omnia etiam salutis mysteria perficiẽda in agno Paschali, vel in ablutionis actu designata; atq; depicta: quod erat tradere ei omnes eos, qui per superbiam à Deo recesserant, & per humilitatem, & charitatẽ (quam hic vt seruus traditus docuit) reducere, & Patri cõsignare, & vt Paulus loquitur, regnum Deo, & Patri tradere; & consequenter, indirectè tamen, omnia temporalia ante resurrectionem. Directè autem, postquam à mortuis excitatus est, omnium dominium habuit, iuxta illud: *Data est mihi potestas in cœlo & in terra.* Creata vero omnia non sunt data Christo, quatenus Deus est, quia vnus est creator, qui est tres personæ, sed Christo homini procuratori, & hæredi vineæ. Et quam parce (bone Deus) hic Iesus omnia habẽs in manibus, vsus est reb⁹ paruis, hoc est, temporarijs bonis quæ contempsit, magnis vero, id est, cœlestibus, magnificè, atq; largiter est vsus, cùm opes Euangelicas, at-

Infr. 27.
Quare Christus dicitur: Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.

Sap. 7.

Philip. 2.
Esa 14.

Gen. 3.
Quæ Pater Christo dedit in manus quænam sint illa.
Ioan. 10.
Esse in manibus quid.
Theophyl. in Ioan.
Ioan. 12.
Infr. 17.
Ibidem.
Aug. tract. 55. in Ioan.

1. Cor. 15.

Matth. vlt.
Christi paupertas pro hominum salute; eiusdem in illos diuitiæ bonitatis.

TRACTATVS VII.

In illa Domini verba: *Venit ergo ad Simonem Petrũ. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea, Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus,* & reliqua. Ioan. 13.

Palmæ arboris ingenium.

TRadunt qui de plantis libros conscripserunt, palmam eo ingenio esse præditam, quo magis in altum assurgat, eo crassior, & corpulentior, in quo magis descendit, eo fit subtilior, & gracilior, contra morem & naturam aliarum arborum. Ad hunc modum iusti omnes, qui palmæ assimilantur, iuxta illud: *Iustus vt palma florebit*, grandiora indies opera præstant, seque ipsos magnitudine virtutum vincere certant, sed præcipuè Christus Dominus, qui sanctus sanctorũ in Scripturis appellatur, & de Sponsa ait: *Statura tua assimilata est palmæ*, & progressus signorum, ac virtutum indies maiores edebat. Cuius rei abunde magnum argumẽtum præsens textus suppeditat, in quo Christi charitas, & humilitas cum Petro humili, & Christi amanti contendere voluit, donec victoriam obtineret.

Iusti palmæ cõparantur. *Psal. 91.* *Dan. 9.* *Cant. 7.*

Venit ergo, ait, ad Simonem Petrum. Quæstio est celebris, vnde, & à quo Apostolo Christus lauare cœperit. Nam B. Chrysostomus cum sectatoribus suis Theophylacto, & Euthymio, à Iuda cepisse testantur exordium: qui nequaquam reluctatus est Christo, sed ex impudentia permisit se lauari. Et videtur ex ipsis verbis Euangelij probari posse. Nam cùm dixisset: *Cœpit lauare pedes discipulorum*, subiungit: *Venit ergo ad Simonem Petrum.* Vnde Origenes huic sententiæ subscribens, ait: *Videntur omnes loti ante Petrum, qui præ alijs reuerens extitit, & singularis.* Idem docet Ambrosius libro de Sacramentis, putãs omnes ante Petrum ablutos. Tamen B. Augustinus aliter existimat, dicens: *Quis enim nesciat, primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quod post aliquos ita ad illum venerit, sed quod ab illo cœperit.* Et Hilarius in Matthæũ: *Primus lauari sibi Petrus pedes prohibuit.* Sic illi. Hos sequuntur Rupertus Tuitiensis, atq; alij nõnulli ex Latinis, existimantes à Petro Apostolo initium sumpsisse lauandi: quod etiam Cyprianus serm. de ablutione pedum subindicare videtur: tum quia Petrus inter primos vocatus relictis omnibus secutus est Christum: deinde prior erat dignitate: quia designatus Christi Vicarius: ideò ei Dominus prærogatiuas tribuere solet. Quare eidem dicitur: *Da pro me, & te: Tibi dabo claues regni cœlorum. Dicite discipulis eius, & Petro*; Et: *Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Vt ergo in omnibus alijs priorem gradum, & locum habuit, ita & in hoc actu habuisse, longè est verisimile. Deinde alij etiam Apostoli idem omnino dixissent, si ab eis cœpisset, quòd Petrus dixit, detrectassentque rem tam insolitam, & minimè expectatam; imò vel ipse Iudas proditor reluctatus fuisset: nam ceremonias externæ reuerentiæ cum Domino obseruare solitus erat. Proditor enim vult prodere, at non detegi; vnde dicebat: *Nunquid ego sum, Rabbi?* Quod ergo Petrus dixit, reliqui omnes ex se idem dixisse censendi sunt: quanquam postquam viderũt Dominũ absolutè hoc velle, & vicisse in hoc Petrum secum contendentem, nequaquam restiterint, sed cum obedientia siluerint.

Vnde, & à quo Apostolo Christus lauare cœperit.

I. opinio. *Chrys. ho 69. in Ioan. to. 3. Theophyl. Euthym. c. 16. in Ioan.*

Orig. tom. 32. in Ioan.

Ambr. li. 3. de Sacr. c. 1. to. 4.

II. opinio. *Aug. tract. 56 in Ioan. to. 9.*

Hilar. Cã. 18. in Matth. Rupert. Tuit. in Ioan. li. 11.

Cyprian. *Mat. 4. & 19. Supr. 10. & Ioan. 21.* *Matth. 17.* *Supr. 16. Marc 16. Matth. 10.*

Quid sit proprium proditoris. *Matt. 26.*

Tertiò, congruè hęc lotio incipit à maiore. Nam vbi pastor, vel prælatus, aut in doctrina, aut in vita est immundus, facile reliqui immũditiam contrahunt: quomodo enim immundus alios mundabit? aut quomodo sal infatuatum reliqua saliet? At si maior sit mundus & purus, & vim habeat saliendi, totum corpus mdũum, & sapidũ redditur, & reformatio omnis quæ procedit à Petri sede, & Christi successore, cæteris aliunde perfectis præstare solet, & fructu ablutionis spiritualis antecellere. Hæ rationes etsi nõ necessariò probent, quemadmodũ nec priores, probabiliores tamen mihi videntur. Vnde Nonnus Paraphrastes ait: *A Simone incipiens vsq; ad proprium interfectorem, à primo ad vltimum.* Hæc ille.

Cur hæc lotio incœperit à maiore.

Matt. 5.

Nonnus Ioan. Paraphrast.

Quod ergo dicitur: *Cœpit lauare pedes discipulorum*; & postea: *Venit ergo ad Simonem Petrum*; non sic est accipiendum, vt monet August. quasi prius aliquos lauerit ante accessum ad Petrum; sed ita, vt sit explicatio quædam eorũ, quæ in genere dixerat: *Cœpit lauare*: quomodo cœpit? veniẽdo primùm ad Simonem Petrum. Fuit aũt hęc loquendi ratio obseruata aliàs ab Euãgelistis: nam cũ relicta Iudæa Dominus venisset in Galilæã, Ioan. 4. subijcit: Venit ergo in ciuitatem Samarię. Simon, nomen est antiquum,

Quomodo accipiẽdum: Venit ergo ad Simonem Petrum. *Augustin.*

Quos nomē Simonis, quos Petri significet.

inditum à circuncisione, sicut Petrus, ab Apostolatu: quia inferioribus, significatis in Simone, vt ouibus, summè necessaria est obedientia, vt ab alijs ducantur, & vt tanquam cera impressionem suorū maiorum recipiant: Superioribus verò in Petro significatis, opus est fortitudine, & constantia, vt portent onera inferiorum, & resistant lupis, & hostibus, quibus illud congruit: Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Debentq; proinde esse tanquam sigillum, quod formam suam in ceram imprimere natum est, iuxta illud Ezechiel. *Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Petrus etiam duplici nomine appellatur: quia & carnis, & fidei naturam expressit. Ter enim loquitur, primò quidem ex ignorantia; quā Dominus instruxit, cùm dixit: *Quod ego facio, tu nescis modò; Scies autē posteà.* Deinde ex pertinacia; cùm inquit: *Non lauabis mihi pedes in æternum*: quam Christus retudit, dicens: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Tertiò ex fide, cùm dixit: *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.*

Rom 15.

Quales debeant esse præpositi. Ezech. 3.

Petrus cur bi nominis fuerit.

Quo tēpore hæc pedū lotio cōtigerit. I. opinio.

Congruum est, vt hoc loco de tempore, quo ablutio pedum facta est, disseramus: nam etsi superiori tractatu aliquid sit dictum, hoc tamen loco fusius, & pressius definiendum est. Nam sunt qui existimant, illā non solùm post esum agni, sed etiā post institutionem Eucharistiæ contigisse. Atq; huic sententiæ subscribit Cyprian. sermone de ablutione pedum, qui illi cum alijs tribuitur, in principio, dicens: *Iam Sacramēta corporis sui Apostolis Dominus distribuerat, iā exierat Iudas, cum repentè de mensa surgens, linteo se præcinxit, & ad genua Petri lauaturus pedes eius, ipse genibus flexis dominus seruo consummatæ humilitatis obtulit famulatum.* Hæc ille. Atque hi quidem qui hoc sentiunt, eo maximè argumēto permoti vidētur, quod non videatur quo loco commodè institutio Eucheristiæ possit post lotionē pedum inseri Ioannis historiæ: nā sic Ioannes post lotionem pedum subiungit sermonem de suo proditore, vt manifestum videatur, eū mox abijsse post lotionem pedum sine aliquo medio, qui sermo non finitur, nisi ab lutione proditoris huius: ex quo colligunt, lotionem pedum secutā institutionem Eucharistiæ. Verùm hi parum efficaciter colligunt, cùm nihil obstet, Eucharistiæ institutionem inserere post ablutionem pedū, & ante illa verba: *Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu*, quemadmodum tenent, qui dicunt Sacramentis adfuisse traditorem; vel etiam postquam Iudam à suo consortio

Cyprian.

Quam debili nititur fundamento, hæc opinio.

ablegauit, & dixit, *Nunc clarificatus est Filius hominis* &c. vt asserūt qui Iudam dispensationi Eucharistiæ adfuisse negant. Iam nec ex illo quod dicitur cęna facta, & postea sequitur pedū ablutio; consequitur, post mysterium donati corporis, & sanguinis Domini illam cōtigisse: nec enim hic cæna dicitur facta, quasi iam esset absoluta, & consummata; cùm apertè Ioānes testetur, Dominum post ablutos pedes iterū accubuisse, & dedisse Iudę intinctum panē; ac de se postea dicat cap. vltim. quòd recubuerit in cœna super pectus Iesu. Ex quibus prædicta sententia satis refellitur: nā nec videtur quorsū Christus rursus accubuerit, si & agnus fuerat comestus, & Euchariſt. instituta.

Sunt verò alij, qui opinantur, etiam ante esum agni Paschalis, & antequam quicquā ederent, Christum lauisse pedes discipulorum: in qua sententia est Osiander. Hi verò hac ratione mouentur, quod putent, ipsum pedes suorum abluisse ex more illius gentis, & regionis, quo honestorum cōuiuarum pedes ante cœnam abluebantur, sicut Dominus dixit Pharisæo: *Aquam pedibus meis non dedisti: oleo caput meum non vnxisti*: quorum certè Christus nihil requisisset; nisi vulgo conuiuis gratis exhiberi solitum fuisset. Nec his obstare putat Osiāder, quod ait Ioannes, Cœna facta: nam intelligit per cœnam factam, cùm B. Augustin. non cœnam absumptam, sed cœnam paratam, ac tum primùm Dominum accubuisse, & cæteros quoq; ad accumbendum prouocasse, & antequam quicquam gustarent, Dominum surrexisse ad abluendum discipulorū suorum pedes. Sed hęc sentētia vt est noua, ita nec probabilis videtur, vel ob id, quod non sit verisimile, morem fuisse, vt discūbentibus pedes abluerētur, sed priusquam accumberent: quodq; non appareat, quomodo commodè singulorum Apostolorum pedes Dominus abluere potuerit, si iam mensæ assidebat. Quorsum ergo ad discumbēdum opus erat prouocare ante ablutionem, si ea ante sumptionem cibi erat perficienda, cùm ea ante accubitum longè commodius fieret?

II. opinio.

Osiander in harmon. Euangelica.

Luc. 7.

Confutatur hæc opinio.

Probabilius ergo est, vt etiam superius indicauimus, illud, Cœna facta, significare cœnam iam cœptam; sicut dicitur dies factus, cū exortus est Sol, & dies inceptus; vt significetur, Dominum surrexisse, cùm iā cœna progressa aliquantulū fuisset. Quod apertius significant Gręca, quę habēt Ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου. Si ergo inter cęnādū Dominus surrexit ad abluendum pedes discipulorū, relinquitur, nihil esse probabilius, quàm lotionem pedum factam post esum

III opinio probabilior.

B. Basil. to. 2. Cyril. Ierosol. Catech. 10. Iesus Hebraicè, & quid Græcè significet.

silius in Exercitamentis, siue in Asceticis, & Cyrillus Ierosolymitanus, nomen Iesu Hebręum esse aiunt, & significare Saluatorem: sed non sine causa etiam Græcè significare meminerũt curatorem, aut medicũ: quia in illud etiam hæc significatio optimè congruit, & vicina est fontis Hebræi significationi, in qua propriè salutis datorẽ, seu seruatorẽ denotat. Est autem Pascha, sicut manna, neutrius generis, & indeclinabile, quemadmodũ manna. Quanquã nonnulli declinent in prima declinatione, Pascha Paschæ. Vnde dicitur: *Cùm esset Ierosolymis in Pascha: Ante sex dies Paschæ; & erat parasceue Paschæ*: declinatur & per tertiam iuxta id: *Et manducarent Pascha.* Et, *Erat proximum Pascha dies festus Iudæorum.* Pascha paschatis; quod Poëtæ magis obseruãt. Quantum ad significationem verò Pascha, siue phase, nõ significat passionem, vt dictum est, cùm sit vox Hebræa, sed transitum. Philo Iudæus interpretatur Pascha διαβατήρια, non ipsũ transitum, sed sacrificia, quæ libamus transituri, vt res benè cedat; Iosephus verò interpretatur ὑπερβάσια, id est, trãsgressus, siue progressiones; & Septuaginta vocem in interpretatam reliquerunt φασέχ. Sed certè Hebraicè phase trãsitum significat, vt etiã ipsa Scriptura testatur, dicitur enim: *Et comedetis festinantes; est enim phase (id est, transitus) Domini. Et transibo per terrã Ægypti nocte illa, percutiamq́, omne primogenitũ in terra Ægypti.* Et infrà: *Quum dixerint vobis filij vestri; Quæ est ista religio? Dicetis eis, Victima transitus Domini est, quãdo transiuit super domos filiorum Israël, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Non ergo dicitur transitus hic ex eo quod populus transiuit per mare rubrum, aut ex eo quòd Christus verus agnus transiuit ex hoc mundo ad Patrem, & nos à lege ad Euangelium, à peccato ad iustitiam, à vitio ad virtutem, quod mysticum est; sed à transitu Angeli percutientis Ægyptios, vel Domini in eo, & parcentis Hebręis: quemadmodum Azymi erant ad commemorandum festinatum de Ægypto egressum, propter quem non licuit illis fermentare.

Ioan. 11. Infrà 12. Infra 28. Supra 6. Philonis, & Iosephi Iudæorum, de Paschate ineptæ sententiæ. *Exod. 12. Ibidem.* Pascha vnde transitus Domini appelletur. *Ioan. 13.* Azymi quid signarent. *Ibidem.*

Primũ igitur Phase, siue Pascha transitũ significat. Secundò, ipsum agnũ, qui victima transitus erat, de quo: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et: *Non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Tertiò, significat ipsam diem festiuam, maximè vesperam decimæquartæ lunæ, in qua agnum edebant, de quo tradit liber Leuitici: *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est: & quintadecima die mensis huius solennitas Azymorum Domini est.* Quartò, significat ipsam primã diem Azymorum, quia incipiebat à vespera, siue à Pascha, quo tempore edebatur agnus; & ita ait Lucas: *Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Quintò, significat totam hebdomadam Paschalem. Hinc in Actis dicitur: *Erant autem dies Azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradensq́, quatuor quaternionibus militum ad custodiendum eum, volens post Pascha producere eum populo,* id est, post completam solennitatem Azymorum. Sextò, significat Christum verum agnum in illo figuratum, de quo Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Itaque epulemur. Hic enim verus est agnus, nõ tantùm significans sed faciens liberationem ab Angelo percutiente, & exitum de vera Ægypto peccati, veraque seruitute Pharaonis dæmonis: qui tantùm distat ab alio agno, quantum Europa vera ab eadem in tabula quadã depicta. Erat autem hic dies festus Christi Domini, quia occasio erat in eo detegendi summũ suum amorem erga mundum: atque illo die quo agebantur Deo gratiæ pro beneficio exitus de Ægypto, Dominum Iudæi crucifixerunt pro beneficio exitus à potestate dæmonis. Discimusq; antè festum æternæ gloriæ patri, & nobis tunc festũ esse, cùm pro Deo patimur, secundùm illud: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me.*

Mat. 26. Ioan. 18. Leuit. 23. Paschæ, seu Phase varia significata. *Luc. 22. Act. 12. 1. Cor. 5.* Iudæorũ in Christum animus. Christus in die festo Paschæ patiens quid doceat nos. *Gal. 6. Matt. 5.*

Sciens Iesus. Non tũc, sed ab æterno mortem sibi tũc instare sciebat, & permissam à Deo sua prouidentia ad salutem mundi ordinabat; Peccatũ autem inferentium mortem, & nouerat, & permittebat, & in bonũ mundi referebat. Ideo benè dicitur Iesus, id est, saluator, ad quem spectabat non solùm se innocentem à morte illata seruare, sed etiã suos à morte peccati liberatos ad æterna bona prouehere, vt rectè dixerit Dauid: *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Indicat ergo, quòd non ex ignorantia, aut necessitate, sed scienter, & liberè mortem perferret. *Quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Nos filij, & serui sumus horæ mortis, quia regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen: tum quia illa latet scientiam nostrã, vnde dicitur: *Qua hora nõ putatis, filius hominis veniet.* Et: *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.* Tum etiam, quia excedit vires, & potentiam nostram: non enim possumus eam à nobis depellere, secundùm illud Dauidis: *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Et Paulus: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc*

Christi præscientia suæ passionis, & mortis. Duo præstat Iesus beneficia saluus. *Psalm. 97.* Omnes homines cur ne sciãt horam mortis suæ. *Rom. 5. Luc. 12. Matth. 24. Psalm. 88. Heb. 9.*

autem iudicium. Tum deniq; quia nostram vincit voluntatem: Naturæ enim appetitu saltem illam horremus, & nolumus expoliari, sed superuestiri. Vt meritò dixerit Dominus Petro; *Alius te cinget, & ducet quo tu non vis:* hinc est vt illam metuamus, dum putatur appropinquare: ob has causas nos sumus horæ mortis serui, Christus autem, Dominus erat horæ suæ mortis: tum quia nota sibi erat, vt proinde eam pluries Apostolis, & turbis prædixerit: deinde erat in eius potestate: nam cùm illa præfixa sit vnicuique, & præteriri non possit, etsi abbreuiari à nobis queat, Christo tamen vtrumque & depellere, & eam accersere liberum erat, ob diuinitatis suę potentiam: nec tantùm quatenus Deus erat, sed etiam in quantum homo Deo vnitus, vnde dixit: *Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumēdi eam.* In cuius signum nec alio tempore, nec alio loco, nec alio modo, vel genere mortis passus est, quàm quo voluit. Ideò fugit horam Herodis quærētis illum infantem in Bethleem occidere, & horam Nazareth, qua præcipitare eum sui voluerunt de supercilio montis, & horam lapidationis in templo; ideo per Euangelistam dicitur: *Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* Ita etiam locus non fuit, quem Iudęi voluerunt, sed in quo ipse voluit: nam nec in Bethleem, nec in Nazareth, nec in templo, sed in sancta ciuitate: quia non capit Prophetam (scilicet illum magnum) perire extra Ierusalem. Alia enim mortis genera declinauit omnia, præter mortem Crucis prædictam, de qua in Sapientia Dominus prædixit: *Morte,* inquit *turpissima condemnemus eum;* Et: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Ideo frequenter tempus, vel genus mortis declinare volens, vel abscondebat se, vel terrorem sui incutiebat, vt euaderet. Erat præterea mors in sua voluntate: oblatus est enim quia ipse voluit. Ideo desiderabat illam, quatenus salutaris nobis & Deo gloriosa erat, iuxta illud: *Baptisma habeo baptizari; & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur.* Vbi perpende quàm diuersa sint hominum, atque Dei iudicia. Nemo enim nostrum horam vocaret suam, in qua sibi vita eripienda esset; Christus tamen ob illustrandam Dei gloriam, & electos à damnatione æterna liberandos, horam suam vocat; vt tu, si sapis, eam, in qua spoliaberis peccato, & cunctis miserijs, & in qua æternis diuitijs impleberis, horam tuam vocare non dubites. Erat postremò hora eius, quia præfixa sibi à Patre, & à se ipso decreta, & in figuris veteris Testamenti ad opus redemptionis designata. Sicut vocamus horam nostram, illam, in qua aliquid dicturos, vel acturos nos promisimus. Ita enim Iudices, & Consiliarij horas suas deputatas habēt ad causas agendas. Et qui inimicum diu ad mortem quæsitum, tandem oblata occasione interfecit, dicit: Venit hora mea & vltus sum: ita illa eadem hora & Christi fuit, & Iudæorum: Iudæorum quidem, iuxta illud: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum:* quia eius concessu habuerunt facultatem eum ligandi, & tandem occidendi, & quasi victores illi insultandi: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas.* Fuit & ex alio capite hora Christi, & plus ab eo desiderata, quàm à Iuda, cui dixit: *Quod facis, fac citius:* quia ipse dum mortem violentam perferret, mortē peccato, ac dæmoni inferebat, mortemq; ipsam sua morte prosternebat, & maximos hostes sua infirmitate vincebat: non secùs ac ille, qui in ludo se vinci permittit in modico, vt maximum de se vincente lucrum reportet. Verbum, venit, significat, appropinquabat siue instabat.

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, Periphrasis est mortis, & alludit primò ad festū Paschę, & trāsitus, qui angelus magni consilij, ne nos percuteret, seipsum percuti permisit, vt pellicanus fundit sanguinem pro pullis suis suscitandis. Hinc Christus à se dicitur traditus, & percussus: *Oblatus est,* inquit Propheta, *quia ipse voluit.* Tradebat autem iudicanti se iniustè: *Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum meorum;* quia scilicet permisi: ob quam causam Pater dicitur tradidisse, vulnerasse, percussisse.

Secundò docet, mortem non potuisse Christum tenere, quæ omnes non soluentes censum transitus detinebat: sed cū Christus Dei filius liber esset ab illo tributo, nō potuit diu retinere, sed coacta fuit, tanquā cetus Prophetā Ionam vomere in aridam, & contriuit portas æreas; & vectes ferreos confregit, vt pretio à se persoluto, possent pij omnes, & sancti detenti in limbo transire ad Patrem. Tertiò describit mortem nihil aliud esse secūdùm Platonicos quàm μετάβασιν quandam, id est, translationem, siue transitum ad Patrem de hoc mundo, vt exilio, reliquitque nobis mortem, quæ vltimū erat terribilium, iam mitiorē, molliorem, ac magis teneram: non secùs atque poma syluestria, quæ melle, & saccharo conficiuntur, vt quæ prius propter acerbitatem edi non poterant, dulcia iam & esilia reddantur. Erat enim mors ante Christi

recessum

Marginal notes (left): 2. Cor. 5. | Ioan. 21. | Quare Christus sciret horā mortis suę, eiusq; Dominus esset. | Christi potentia. | Ioan. 10. | Matth. 2. | Luc. 4. | Ioan. 8. & 10. | Infrà 7. | Luc. 13. | Sap. 2. | Ierem. 11. | Quibus modis Christus, cùm volebat mortem effugeret. | Ioan. 8. | Infra 7. | Esa. 53. | Luc. 12. | Horam mortis Christus cur vocet suā.

Marginal notes (right): Hæc hora mortis aliter fuit Iudęorū, & aliter Christi. | Luc. 22. | Matth. 27. | Ioan. 2. | Infrà 13. | Christ. mortem patiens à Iudæis, sicq; vinci se sinēs, qualis videri possit. | Mors Christi cur transitus eius ex hoc mūdo ad Patrem nominatur. | Isai. 9. | Infrà 13. | 1. Pet. 2. | Ierem. 12. | Esa. 53 & seq. | II. Ratio. | Iona 3. | Psal. 106. | III. Ratio. | Mors quid secundùm Platonicos.

Quam suauẽ nobis Dominus mortem reddiderit.

recessum viuus quidam, ac terribilis Leo, suo aspectu omnes perterrefaciés: sed iam à Christo occisus, vt possint pueri illum iã mortuum pedibus calcare, illique insultare, vt docet Athanasius. Transiuit autem Christus vt peregrinus Iacob in baculo suę crucis Iordanem mortis, & reuersus est cũ duabus turmis sanctorum Patrum, Gentilium, & Iudæorum, quos ex limbo liberauit: Transiuit autem non deitate immutabili: *Ego enim Dominus*, ipse inquit, *& nõ mutor*: non rursus anima, quę ratione superioris portionis ab instanti suæ conceptionis non solùm in gratia, vt Angeli, & beatæ Virginis anima, conditus fuit, & in natura pura, vt Adam & Heua, & extra peccatũ, in quo nos concipimur, verũ etiam in gloria: tamen ratione portionis animæ inferioris, atque adeò corporis ipsius, potuit habere transitum à mortalitate ad immortalitatẽ. Nam hora nona, quamuis hic trãsitus breuis fuerit, cœpit enim hora nona, quando dixit; *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; Dominica tamen die in aurora rursus anima coniuncta est corpori, & habuit perfectum trãsitum post quadraginta dies ascendendo ex hoc mundo ad Patrem. Porrò in eius transitu omnes nos transire censemur: quemadmodũ fideiussore pro nobis soluente, ipsi soluere iudicamur. Nam ita ille nos sibi simul concrucifixit, sicut, teste Apostolo, conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Vt enim Pontifex, dum ingrederetur Sancta sanctorum, nomina duodecim tribuum scripta portabat in Superhumerali, & in Rationali, vt in illo ingrediente Sãcta sanctorum, & ipsi viderentur quodammodò ingredi: ita Christus cœlos penetrans, & aduocatum pro nobis agens, nomina electorum suorum, tum in deitate, tum in anima sua, atq; adeo in manib⁹ suis scripta gestauit. Et ita non est ingressus in cælum solus, sed ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et vt persona diuina dicitur descendisse ad inferos ratione animæ, & in sepulchrum ratione corporis; ita dicitur ascendisse in cœlum ratione animæ & corporis illuc ascendentium.

Athan lib. de human. verbi eiusq; corporali aduentu, circ med. tom

Gen. 32.

Malac. 3.

Christi priuilegium.

Luc. 23.

Pij omnes fideles, vt transeant ex hoc mundo ad Patrem.

Ephes. 2.

Exod. 28.

I. Modus.

Psalm. 67.

Ephes. 4.

II. Modus.

Ex quo mundo transierit Christus ad Patrem, & quomodo.

Ac subdit: *Ex hoc mundo*, cum articulo dicitur Græcè, & significat inferiorem mundum hunc cũ conditionis naturæ & pœnæ proprietates in se includentis, non autem conditiones vitiosas mundi, quibus Christus caruit, vt originali, personali, & veniali delicto, atque adeò fomite: nam hæc ad ciues, seruos, & amicos huius mundi, vel seculi spectant. Hinc rectè Augustinus ait: *Qui transit cum mundo, ad hostes transit; qui de*

Aug tract 55. in Ioan. 10. 9.

mundo, ad Patrem transit. Vnde rectè dixit Ioannes: *Mundus transit, & cõcupiscentia eius*. ¶ *Ad Patrem*. Qui vbique est, sed per tropum intelligimus domũ eius, vt illud Comici: *Eo ad Chremetem*, id est, ad domum Chremetis.

Trãsire cum mundo, & transire ex mundo, differunt.

Terent. in Andria.

Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Scientia instantis proprij transitus ad felicem statum gloriæ, nõ impediuit quo minus obliuioni traderet suos vt pincerna ille Pharaonis, qui succedentibus prosperis oblitus est sui interpretis, nec imminuit, aut interrupit amorem; neque nouum genuit, sed antiquum continuauit atq; cõsummauit. Dilexerat enim Christus suos, ab æterno prædestinando; amorem declarauerat incarnatione, prædicatione, miraculis, & signis beneuolentiæ, & charitatis plenis. Nam reddiderat oculis visum, auribus auditum, linguæ sermonẽ, claudis ingressum, leprosis munditiam, ęgrotis sanitatem, mortuis vitam, mœstis cõsolationem, debilibus robur, peccatoribus veniã, & omnes ad æternam vitam inuitabat: hæc enim suæ dilectionis argumenta hactenus exhibuerat; sed iam maiora, & euidentiora prodere statuebat. *Suos*, ait: omnia quidem Dei sunt, ob vinculum creationis: *Si esuriero*, inquit, *non dicam tibi: meus est enim orbis terra, & plenitudo eius*. Sui etiã, propter vinculum carnis erant Iudæi, de quibus ait Ioannes alio loco: *In propria venit, & sui eum non receperunt*. Sui præterea dicuntur, qui vinculo spiritali illi erant coniuncti. Atq; hoc vinculum bipertitum est: nã alterum est vinculum prædestinationis, de quo dicitur: *Cognouit Dominus qui sunt eius*; Et: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*; alterũ vinculum est Fidei, & gratiæ Dei, cum doctrina, & Sacramento coniunctæ, vt erant Apostoli: & his duobus modis hic vocat suos electos, sed præcipuè Apostolos.

Transire ad Patrẽ, quid.

Amoris Christi in suos vehementia.

Gen 49.

Eius amoris symbola in omni vita.

Expenditur illud pronomen, suos, cũ dicitur: cùm dilexisset suos.

Psalm. 49.

Ioan 1.

Duplex vinculum Christi amoris in suos.

Ioan. 10.

2 Tim. 2.

Quinam illi à Christo dilecti, qui erãt in mundo.

Infrà 11.

Qui erant, inquit, *in mundo*. Non soli Apostoli significãtur in Iudæa siti, vel Galilæa, sed in toto mundo, de quibus alio loco ait Euangelista: *Et non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*. Expende, quod non ait, qui erant de mundo, vel ex mundo: vnde in hoc eodem sermone distinguens inter has locutiones, dicebat: *Et iam non sum in mundo: & hi in mundo sunt*. Et rursus: *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo*. Et rursus rectè ait: *Qui erant in mundo*; non supra mundum, vt Angeli, vt expendit Cyrillus; vel subtus limbum, vt Patres in limbo, vel purgatorio igne detentos, vt ponderat Chrys. quia ij, qui erant in sinu Abrahæ, lęti, tranquilli,

Quid est: qui erant in mundo.

Infrà 17.

Ibidem.

Cyril. lib 9 in Ioã. c. 2. tom. 1

Chrys ho 69. in Ioan to 3.

quilli,& in spe certa viuebant Messiæ: sed qui in mundo,inquit, manebant ad certandum cum mundo,& principe eius,& nauigabāt adhuc,& propterea egebant Christo corroborante ad pugnam,& ad consequendam de hostibus victoriam, & spiritu ducente ad portum gloriæ.

Verba illa Ioā. In finem dilexit eos, variè à patribus explicantur.

Primus sensus B. Cyrilli.

In finem dilexit eos. Verba sunt paulò obscurius dicta, vnde & multiplicem sensum illis Patres tribuerūt. Primus igitur Cyrilli sensus apertior,& magis ad man⁹ est: Cùm Dominus Iesus per totam vitam multa edidisset charitatis suæ argumenta, in fine tamen vitæ suæ maius amoris erga nos signū, pignusq; declarauit. Eò etenim ꝓgressa est charitas eius, vt pedes discipulorum suorū lauerit, illis tradiderit corpus suū & sanguinem in cibum & potum ad alimētum, illos confirmauerit, ac præmunierit, ac denique duram, ac ignominiosam pro eis mortem sustinuerit, & quasi cygnus in fine vitæ suæ dulcius cecinit,& instar ignis, qui in fine in maiorem flammam erumpit. Est enim in sacris literis diligere, amorem aliquo opere declarare, iuxta illud: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Rursus: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Ita intelligo verbum Domini in hoc eodem sermone prolatum: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*, id est, si dilectionem externis beneuolentiæ signis declaraueritis: nec enim ab internis dilectionis actibus agnosci posset Christi discipulatus. Moris est autem, cùm amici inuicem separantur, mutuis officijs beneuolentiā inuicem testatam reddere. Christus autem in testamēto suo, quo nos hæredes instituit omniū meritorū suorum, seipsum nobis impertijt. Nā vt ipse erat hęres vniuersorum, tanquam vnigenitus, potuit in quos voluit, sua bona transferre. Vnde Spiritus sanctus de morte eius dixit: *Et dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti*: dolor siquidem ille, etsi magnus existat, mixtus est tamē spei, quam concipiunt fratres de succedendo in bonis primogeniti.

Matth. 26

Qualis Christi amor suos diligentis in finem.

Diligere in sacris literis quid sit.

1. Ioan. 3.

Infr. 4.

Ioann. 13.

Amicorum proprium.

Hebr. 1.

Zachar. 12.

Secundus sensus, quem his verbis porrigunt Chrysostomus, & Theophylact. est, vt in finem, siue εἰς τέλος, idem sit quod perfectè, integrè, atq; consummatè, & vt perfectus artis amandi magister, qui nihil eorum facere omisit, quæ decebant summum & consummatum amatorem. Quidam obscęnus Poëta librum edidit, quem falsò inscripsit de arte amandi; cum reuera nihil aliud tradat, quàm acerbi odij in seipsum artem. Nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. At Christus, numeris omnibus absolutus dilectionis magister extitit, puritatemque immensam, mundititiamque cum illo coniunxit; vt nihil in eo terrenum, nihil sensui, aut carni placens deprehendere valeas. Diuinę dilectionis effectus est humilitas: vt apertè docent matres, quæ præ amore filiolis lactādis, purgandis; & à fletu mitigandis,& ad somnū illis conciliandum incumbunt. Nō ergo timeamus nobis ab humilitate, vt sæpè facimus, cùm ab operibus humilioribus & vilioribus fugimus, dicentes: Non est mihi hoc honorificum facere; & ita incidimus in elationem,& superbiam, quæ sola Angelum fecit diabolum. In finem ergo dilexit, id est, perfectè, & ad mortē vsq; ad quam promptum Christum deduxit amor. Nam maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animā suam ponat quis pro amicis suis: non enim poterat Christi charitas altius progredi. Nam si Christus diu inter nos vixisset, non potuisset magis virtutes suas exaltare, quā moriendo pro nobis fecit. Nam de charitate dixit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*; Et: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Si ergo nobiscum citra mortem permansisset prædicando Dei verbum,& signa mirabilia edendo, profectò neq; tantùm odium in peccatum concipiendum indicasset, neq; tantam Patri obedientiam etiam ad mortem præstandam docuisset, neque tantum contemnendæ mortis exemplum pro salute proximi ostēdisset: neq; nos meliores fuissemus Iudæis, sed grauiùs his Dominum persequeremur, neq; viuente illo tot Martyres triumphassent in cœlo.

II. sensus.

Chrysost. ibi.

Theophyl.

Ouid. Naso. notatus.

Psalm. 10.

Dilectionis magister Christus qualis sit.

Superbia sola Angelum fecit diabolum.

Ioan. 15.

Qua maximè ratione Christus virtutes exaltauit suas.

Supr. 12.

Ibid.

Tertius sensus horum verborum est, finē accipiendo pro gloria beatitudinis æternæ quæ finis est noster, quo modo accipit Augustinus & Caieta.& nonnulli alij. Quemadmodum .n. Apostolus ait, quòd ira Dei in finem venit super Iudæos, id est, perfecta damnatio; ita per contrarium, dilectio Dei in finem, id est, perfecta, & ad finem vsque beatum perducēs dilectio. Etsi enim Deus omnia creata ad suos fines cōsequendos dirigat, ac moueat; cùm tamen homo notitiā sui finis,& viā quæ ad illum ducit, per peccatum perdidisset, voluit Dominus sua benignitate de re tanti momenti nos instruere,& gratiā ad subsidia, quibus vita æterna comparatur, suppeditare: vtque hoc nobis doctrinæ, gratiæque impertiēdæ argumentum ostenderet, illatam pro nobis mortem sustinere voluit, vt ita homines de mundo isto

III. sensus.

August. ibid.

Caietan.

1 Thess. 2.

Quomodo ira Dei super Iudæos venit vsque in finem teste Apostolo.

isto tanquam de Ægypto educeret. Cuius rei argumentum prodidit, cùm latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, & homo in Limbo, viso Christo, fuit beatus. Deditque ad consequendum tantum finem, currum fidei, spei, & charitatis, & bonorum operũ: dedit Sacramenta, quæ sanctificarent, sanctos qui præirent, & docerent eo posse perueniri. Et hinc est, quòd cum homines dũ viuunt, diligere soleant, rari tamen in fine diligunt: at Christus, qui verus amicus erat, & de quo scribitur: *Omni tempore diligit qui amicus est*, non solùm in morte, sed etiam post mortẽ insignem suam charitatem nobis declarauit: quia non est ipse morte finitus, aut consummatus, sed per illam (quod infidelibus incredibile videtur) opulentior & gloriosior effectus, qui de se dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Atque ita Christus nouit diligere in finem æternæ vitæ, ad illamque, non obstante peccato, aut morte perducere suos. Mundus sanè ad finem ad quem cõditi sumus, diligere nescit, sed ad media, hoc est, ad honores, diuitias, & delicias: vnde & amor ille languet, & imbecillus est. Nam cùm Philosophi tradant, finem sine mensura diligendum, ea verò, quæ ad finem sunt, nonnisi pro ratione finis: nam sanitas vt finis sine modo diligitur, ac medicina sanitatem efficiens, nõ plus, quàm conferat ad illam consequendam: ideò mundus cum ad finem vitę ęternæ, quem ignorat, diligere nesciat, tantùm in creaturis communicandis consistit eius dilectio. Et sanè cum ratione est coniunctum; vt qui seipsum diligere non nouit, sed loco amoris vero se odio prosequitur, alios quoque diligere ignoret. Nam qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & ne patiatur incisionem, vel cauterium, in manifestam mortem incurrit. Hic sensus etsi nõ sit omnino alienus à litera, superiores tamẽ commodiores esse videntur. Demus igitur operam, vt qui tantis stimulis & fomentis ad diuinam dilectionem excitamur, nostra ignauia, & socordia in tanta charitatis fornace, quam Christus nobis indicauit, ne gelidi, ac frigidi maneamus, signo planè Satanæ, quemadmodum tres pueri igne fornacis ardentis non fuerunt exusti. Sed vt intus verè, & sanctè ardeamus, ex intimis cordis medullis inuocandus est nobis in primis ille, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem, Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu S. infinita diuinitatis gloria semper potitur in secula seculorum, Amen.

(∴)

[Left margin notes, partly cut off: ...ue 23. ...quibus instru... ...entis finis su... ...emus ęternę ...titudinis ...mparetur. / ...mici qui ...i. / ...rouer. 17. / ...at. 28. ...undi amor ...ani cœcus, ...impotens. / ...inis longe ali ...r diligendus ...quàm quæ ...cunt ad fi... ...em, secundũ ...hilosophos. / ...nde fit, vt ...uis quempiã ...mare non ...ciat ...cclesi. 14. / ...Dan. 3. / ...Isai. 31.]

TRACTATVS VI.

In illa verba: *Et cœna facta (cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit) surgit è cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteũ, præcinxit se*, & reliq. Ioan. 13.

Dictum est superiùs, Ioannem prætermittere, quæ ab alijs Euangelistis essent plenè narrata, vt erat cœna Paschalis, & institutio Eucharistiæ: de quibus hic nihil Euangelista: adiungit verò quæ ab alijs omissa fuerant, vt lotionem pedum, & sermonem ad Apostolos habitum. Ideo Ioannes vno verbo cœnam absoluit, dicendo: *Et cœna facta*. Quo verò proposita verba plenius intelligantur, ac degustentur, explicandus est in primis Euangelistæ scopus; Deinde quid est quod ait: *Et cœna facta*. Postremò, quid significet: *Cùm diabolus iam misisset in cor Iudæ*.

[Margin: Ioãnes ea tantum exprimere in suo Euãgelio curauit, quæ cæteri Euangelistæ tacuerant.]

Ad primum dicendum, quòd cùm hactenus Ioannes superiori sententia, veluti quodam proœmio caussam Dominici facti à se narrandi descripsisset, iam illud exaggerare studet, vt in illius admirationẽ (quod verè est admirabile) lectorem attolleret. Ad quod spectat: quod non ante cœnam, vt ait Theophylactus, sed cũ in cœna omnes recubuissent, atque inter cęnandum relictis epulis non dedignatus est sordidos, & puluerulentos Discipulorum pedes cõtingere, & in illis abluendis manus suas contaminare. Deinde proditionis à Iuda meditatæ meminit, vt Domini submissionem indicaret, quod nec Domini sui præsentia ab hoc facto est reuocatus, sed proditoris, qui tũ erat iam diaboli mãcipium, pedes lauare sustinuerit. Tertiò præmittit, Dominum diuinam suam celsitudinem, & magnitudinem non ignorasse: quia nouerat Patrem omnia in manus suas donasse, & q. à Deo exiuit, & ad Deum vadit; ne putaremus factum humilitatis CHRISTI exhibitum tanquam ab ignorante suam dignitatem, aut eius rationem non habente. Describit ergo eius incomprehensam, & ineffabilem maiestatem: quemadmodum Apostolus commendaturus Christi humilitatem, & exinanitionem, præmittit, quòd in forma Dei erat, & diuinitatis rapinam non fecerit. Ita etiam idem Ioannes cap. 1. dicturus verbi humilitatem, qua verbum caro factum est, præmittit magnificum illud exordium: *In*

[Margin: Cur hæc ab Euangelista sit instituta narratio.]

[Margin: Theophyl in Ioann. ca. 13.]

[Margin: Proditionis à Iuda meditatę cur Ioannes meminerit.]

[Margin: Cur idem de Christo dixerit: Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, &c.]

[Margin: Philip. 2.]

princi-

Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et cap. 6. dicturus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, præcedit insigne illud potentiæ eius immensæ miraculum, quādo ex quinque panibus satiauit quinque millia hominum. Et hæc de scopo.

Lotio pedum ante, an post cænam facta fuerit.

Circa secundum quæritur, quomodo verum sit: *Et cœna facta*; & quomodo consonum his quæ sequuntur, nimirum: *Surgit à cœna*, & quod postea Iesus buccellā dederit Iudæ, inuestigandū est. Nam si post lotionem pedum adhuc cœna durabat, quomodo dicitur facta cœna? Respōdet B. Augustinus hoc loco, cœnam dici factam, id est paratam, & ad conuiuantium mensam, vsumq; perductam. Antequam ergo inciperent conuiuari, & agnum edere, volunt nonnulli, Christū tanquam cōuiuij instructorem, lauisse pedes Discipulorū de more gentis illius, quæ conuiuio exceptos solet prius ad pedū lotionem admittere. Vnde apud Lucam Dn̄s expostulat cū Pharisæo se inuitante: *Aquam pedibus meis non dedisti.* Sed profectò hoc non satis esse videtur, vt dicatur cœna facta, quia tantùm est præparata. Quod ex eo quod subdit, comprobatur: *Surgit à cœna*; & quia edentibus illis postea propalauit proditorē, secundùm alios Euangelistas, & secundùm Ioannem, data buccella exiuit. Ergo lotio non ante esum agni Paschalis fuit, qui primo loco ante alios cibos, vt res sancta edebatur: & lotio pedū, institutionē Eucharistiæ debuit præcedere, vt paulò post dicemus. Rursus illa verba: *Cœna facta*, non significant cœnam omnino terminatam, & completam: quia ablutis pedibus iterum recubuit, & cœnātibus illis instituit Eucharistiā, & dedit Iudæ panem intinctū: quæ omnia signa sunt cœnæ perseuerantis. ¶Nec tertiò, inchoata cœna agni Paschalis, nec tamen finita: vt cùm dicitur: Dies est facta, id est, inchoata, & nō terminata. Quia cœna agni Paschalis omnino finita erat, nec poterat interrūpi: quia festinanter erat edendus agnus iuxta mandatum Moysis, vt notauit Rupertus Tuitiensis. Et alij cibi iam cœperant edi, quia dicitur inter cœnandū, vel dum cœna fieret. Et ita Græcè dicitur δείπνου γινομένου, hoc est, non solùm cœna parata, & esu agni finito, sed etiam aliorum ciborū esu in finem vrgente. Ita dicitur dies factus, cum ortus est Sol, & dies inceptus. Vt enim olim in Ecclesia primitiua post Eucharistiā soliti erant sumere cœnam suam, vt habes apud Paulū in priori ad Corinthios; ita post agnum typicum alios cibos sumebant Iudæi. Et hæc de secundo.

[Margin: I. solutio. B. Aug. tract. 60. in Ioan. tom. 9. — Secunda. Osiander in harm. Euāg. — Moris erat Iudæis, conuiuio exceptos prius ad pedū lotionem admittere. Luc. 7. — Solutio vtraque quas patiatur difficultates. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13. — III. solutio. — Exod. 12. Ruper. Tuit. lib. in Ioan. 11 — Vt olim fideles post Eucharistiam sumebant cœnā suam, ita post agnū typicū alios cibos sumere Iudæi consueuerant. 1. Cor. 11.]

Quid sibi velit illud: Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas, &c.

Ad tertium accedamus: *Cùm iam diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.* Vbi perpende, quòd tātum, ac tām infandum flagitium, & quale nunquam ab orbe condito perpetratum est, humanæ menti non erat tribuendum, sed Satanæ, ac diabolo, Christi sanguinis sitientissimo, & eius hosti capitalissimo. *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.* Primus hic est, qui in cælo autor peccati, & in terra extitit: nam inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: ita ergo partem habere voluit in hoc cōuiuio. Et rectè interpretatur criminator, vel calumniator Christi, vt Iudas calūniatus est vnguentum effusum. Est enim zoilus, & momus maximi Dei operis, hoc est, Incarnationis, quo nullum maius, aut pretiosius factū est, aut fiet. Ideò in cœlo calumniatus est, ne Angelica natura homini à Verbo assumpto subderetur, tentauitque impedire ne fieret; & vbi factum est, aut falsò, & impudenter per organa sua negauit, aut hæreseon multarum maculis, ac nugis, quod ad se attinet, infecit. Hic igitur ille est, qui proditionē Domini Iudæ suggessit; Iudæis mortem petere persuasit, cùm dixerunt: *Tolle, tolle, crucifige eum*; Pontifices instigauit ad nefariam vocem: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit*; Pilato incussit timorem Cæsaris, vt Christum innocētem agnitum damnaret. Est etiam calumniator nostri, & accusator apud Deum; vnde de Iob dixit: *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, &c.* Est etiam calumniator Dei apud homines, apud quos docet esse crudelem, & personarum acceptatorem, & suggerit illud quod Pharaoni: *Quis est Dominus, vt audiā vocem eius, & dimittam Israel?* Denique diabolus optime comparari potest cum homine virum inter & vxorem discordias, diffidiorumq; zizania, vt se inuicem odio prosequantur, disseminante. Et rectè ait: *Iam*; quia die præcedenti, id est, die Mercurij, Dominum vendere pepigerat, & à Bethaniæ cōuiuio, in quo effusum est vnguentum, id decreuerat, id est, Sabbato ante sex dies Paschę. Subdit: *Misisset in cor.* Et explicans quid miserit in cor, subdit: *Vt traderet eum.* Et per cor metaphoricè accipias intellectum, & volūtatem: suasit namque ei proditionem, & prodēdi rationem, & pridiè iam impulerat, vt iret ad cōcilium Sacerdotum, & Seniorum, vt cum illis pactum proditionis à se designatæ sub certa vilissima mercede iniret, & pactū proditionis cum Sacerdotibus pridie designandæ. Immisit ergo in cor oua sua: quæ Iudas postea ex-

[Margin: Sap. 2. — Diabolus quid sonet. Ioan. 12. — Quare dæmon Incarnationis maximum Dei opus semper impedire conatus sit. — Ioan. 19. — Ibidem. — Ibidem. — Iob 1. — Exod. 5. — Dæmon cui aptè comparetur. — Diabolus quando misit in cor Iudæ, vt Dominum traderet. Matth. 26. Ioan. 12. — Cor hoc loco quid significet. Matth. 26.]

stea exclusit per opera maligna. Quod & in nobis quotidie facit: vnde alio loco Iudęis dixit: *Vos ex patre diabolo e is, & desideria patris vestri vultis facere.* Dæmō ergo significatur in primis esse extra cor, quia est extra essentiam animæ, in qua nulla est operatio, nec facultas, nec eius pars est Angelus, nec eā informat, vel illi dat esse, vt anima, quæ hoc modo est in corpore. Rursus Angelus non est in essentia animæ ea ratione qua Deus, hoc est, vt cōseruās extrinsecum per essentiā, & intrinsecū per eminētiam: quia dat esse cuiuis rei. Est autem dæmō in corpore, quando solum operatur intra terminos quantitatis corporeæ, quasi in loco, & vt moror in mobili. Operari autem potest, primò in sensibus externis, illudendo eos per refluxum specierum à phātasia in sensum, vel in organum sensus: qui ab specie etiam præsente obiecto immutatur, & nō ab obiecto sine specie, quia non tangit sensum: & si tangeret, sub visum non caderet. Ideò visus non fallitur; quia verè & naturaliter à sola specie immutatur. Et reflexus specierum naturaliter gignitur à memoria, vel phantasia vim habente in somno supra naturam, quādo aliæ animi facultates sunt sopitæ: secus se habet in vigilia. Secundò dæmon illudit inficiens organum: ex quo sequitur iudiciū æstimatiuæ facultatis, vel intellectus, decipi ac falli: vt in gustu ægri amara iudicantis quæ dulcia sunt, intelligi potest, vel in ipso visu, dum fumi afficiunt organum eius, ita vt videatur domus plena vitibus, vel serpentibus. Porrò phantasia, & æstimatiua (quæ seruit intellectui iudicāti, & colligit intentiones particularium, & abstrahit intentiones non sensatas à sensatis speciebus, iudicatq; in particulari inter bonum & malum, vtile & inutile, cōmodum & incommodū, amicum & inimicū) quia corporea est, & materialis, potest dæmon, quatenus suasor, vel suggestor est, illā turbare, ita componendo, & illustrando species phantasiæ, vt videatur esse bonū quod non est, vt Iudæ vendere Christum, & Petro fugere ob species timorem incutiētes, & vt quid nouum esse videatur. Sed nō recipitur cogitatio, si non intendatur ab homine cogitante: non tamen potest sine obiecto externo, vel speciem nouam imprimere, vel creare phantasma, quia nō habet semen, sine quo ei natura non obedit. Mota autem phantasia, mouetur quasi suasione quadā intellectus: & si omnino perturbata est, vt in ebrio, vel ægroto, appetitus etiā mouetur, & vis ipsa motiua ad phātasiā, cum fortis est, & violenta, nec detinetur ab intellectu, vel voluntate, vt contingit in somniantibus. Præter hæc autē, tertiò valet dæmon appetitum sensitiuum excitare, quo inclinamur per modū desiderij, & qui subseruit voluntati, qua vna propēdemus ad volendum, vel cupiendum aliquid. Excitat autem, sciendo humorem, vel sanguinem ad iram, vel calorem ad luxuriam; siue hoc faciat per motum loci, vel applicando agentia patientibus, obseruandoq; cælum, quo corpus regitur. Hæc autem inferiora ita possunt à dæmone permoueri, vt ob defectum organi amittatur quantū ad vsum libertas ipsa: & consequenter homo tunc non peccat. Manente aūt vsu libertatis in ratione, & voluntate, dæmon per hæc inferiora potest hominē persuasione adducere in suam sententiam; minimè autē conuincere, aut cogere, nec immediatè imprimere cogitationē in intellectu, vel cōsensum in voluntate, quia nō intrat essentiam animæ, & talis cogitatio, vel consensus essent quasi innati, nec possemus eos reijcere, sicut nec dānati. Nec alij cogitationē à Deo impressam depellere valent: vnde dicitur cor regum in manu Domini; & quocunq; voluerit, inclinabit illud. Extra ergo manet dæmon, non essentia animę, vel corporis: nec in intellectu, & volūtate, principijs operationum humanarum, imprimi, sed in corpore phātasmata mouet, & suadet ad auaritiam, vel odium Deo iustè permittente. Hinc August. in hæc verba: *Cùm diabolus iam misisset in cor: Si quæris*, inquit, *quid missum sit in cor Iudæ? hoc vtique, vt traderet eum. Missio ista, spiritalis suggestio est, non fit per aurē sed per cogitationem; ac per hoc non corporaliter sed spiritualiter: neque enim spiritale quod dicitur, semper in laude accipiendum est. Nouit Apostolus quædam spiritalia nequitia in cælestibus, aduersus quæ nobis colluctationem esse testatur: non autem essent maligna etiam spiritalia, si non essent etiam maligni spiritus. A spiritu enim spiritalia nominantur. Sed quomodo ista fiant, vt diabolicæ suggestiones immittantur, & humanis cogitationibus misceantur, vt eas tanquam suas deputet homo? Nec dubitandum est, etiam bonas suggestiones à bono spiritu ita latenter, ac spiritaliter fieri: sed interest quibusnam eorum mens humana cōsentiat, diuino auxilio, vel deserta per meritum; vel adiuta per gratiam.* Hactenus ille. Quia ergo dæmō superioris est naturæ, & non ad malum propensi, proculdubio omnia mala nobis persuaderet, atq; in omnibus se immisceret, nisi Deus illum coerceret: quamobrem precibus ad Deum fusis est certandum, & luce, & humilitate vtendum in Regem tenebrarum, & superbiæ. Quòd si obijcias, parum esse cum æquitate coniunctum, vt nos cum hoste nos vidēte congre-

Ioan. 8. Quid est quod diabolus misisse dicitur in cor Iudæ traditionem Domini.

Dæmon in corpore quando sit.

Humani sensus quatenus à Dæmone immutari valeant.

Quare visus non fallatur.

Phantasiæ, & æstimatiuæ virtutis munus quod.

In phantasiā & æstimatiuam dæmon quatenus agat.

Appetitus sensitiuus hominis à dæmone, vt excitari valeat.

Quemadmodum hæc inferiora possint à dæmone permoueri.

Prou. 21.

Quæ cogitatio ab homine depelli nequeat vllo modo.

Quid missum sit in cor Iudæ.

August. ibid. ad cit. tract. 55. in Ioan. to. 9.

Spiritale non semper in laude accipitur, teste August.

Ephes. 6.

Spiritalia vnde dicantur.

Bonæ cogitationes, ac suggestiones à bono immittuntur spiritu, vt malæ à malo.

Contra cacodæmonem armis quib. sit decertandum.

congrediamur qui à nobis tamen nõ videtur? Respondeo, te Angelum habere custodem, per quem vides, & qui pro te non vidente, & videt, & decertat. Deinde maior gloria vincentis, qui diceret: Vel tectis oculis ego tecum pugnabo. Adhæc satis est te videre dæmonis receptaculum, tãquam lustrum feræ delitescentis: hoc autem est caro tua, quam percutiẽdo, illum percutis: quia ille nõ pugnat nisi teipso armatus cõtra teipsum, vt per Heuam seduxit Adam, & per sensum vincit rationem. Postremò videmus fide, & obedientia subijciẽdo nos alijs, qui nos regunt, & peccata agnoscẽdo esse in Deum, & in eius legem, atque adeò in nos ipsos, & conscientiam nostram.

Dæmonem vincere qua ratione valeamus.

Gen. 3.

Cæterùm caussa immissionis, quod ad Deum attinet, peccatum Iudæ illud dementis extiterat, vt qui in sordibus erat, sordesceret adhuc, & salus omnium, quam inde elicuit. Ex parte verò dæmonis, odium fuit, quo excæcatus in omni re, & sophista defraudatur. Quia autem hæc immissio ab extrinseco fuit; ideo poterat ei resistere, & non resistens peccauit. Debilis est enim hostis, qui non vincit nisi volentèm. Ideo frater Domini exhortatur: *Resistite*, inquit, *diabolo, & fugiet à vobis?* & Petrus: *Cui resistite fortes in fide.* Alias Saul proijciẽs lanceam in Dauidem, per suggestionem diaboli, non peccasset: nec Ananias, & Sapphira à Satana seducti, defraudãtesq; pretium agri deliquissent: nec Heua à serpente seducta edens lignum vetitum, in legem à Deo præscriptam egisset. Cùm immisisset ergo. Intellige ante consensum, vt pugnãs pro obtinendo ingressu domus; post consensum verò intrat, vt dominus in proprium mancipium, nec potest pelli, nisi veniat fortior, & alliget fortem, & vniuersa eius arma auferat, & spolia distribuat.

Cur Iudas à Deo permissus sit in horrendum proditionis scelus incidere. *Apoc. vlt.*

Debilis hostis qui.

Iacob. 4. *1. Pet 5.* *1. Reg. 18.* *Actor. 5.*

Gen. 3. *Supr 2.* *Luc. 11.*

Vt traderet (inquit) *eum.* Expende quæso quis, & quem, & quibus, & quo pretio, & ad quid vendiderit: nam si singula diligentius perpendas, inuenies magnum syluam bonitatis diuinæ, & amplam segetem malitiæ humanæ. Vocatur autem proditor, Iudas Simonis Iscariotes. Iudas, confitens interpretatur, siue laudans. Et Christus in Iuda Iacob filio designatur, iuxta illud: Iuda, te laudabunt fratres tui. Non iuuant autem speciosa nomina, ampli tituli, status sublimis, & Apostolicus; imò nocent, si opera non respondeant vocationi, cum tãto maior sit ingratitudo. Dicitur Simonis, scilicet filius, imò etiam Christi, si voluisset significatum habere Simonis, hoc est, obedientis: sed quia noluit esse obedientis filius, neque Iudas, id est, confitens fuit Iscariotes, id est,

Iudæ proditionis Christi circũstantiæ.

Iudas quid.

Iudas quis Domini typus. *Gen. 49.*

Speciosa nomina, amplique tituli, cætera si desint, quid faciant.

vir mercedis, & vir occisionis: qua ob paruam mercedem Dominum prodidit. Et quia vẽdidit vt interficeretur; dignus fuit, vt in se ipsum manus conijceret, seq; periret. Et ita, vt ille dixit:

Simon quid, & Iscariotes. *Matth. 26.*

Conueniunt rebus nomina sæpè suis.

Sciens (siue cum sciuisset, nam Græcè eicitur εἰδὼς) *quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ne sui ignoratione videretur se deijcere; addit in Christo perfectã notitiam suæ potestatis, magnitudinis, nobilitatis, & prosperitatis, & gloriæ futuræ. Hinc Salomon ait: *Mihi dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna eorum quæ mihi dãtur:* & de Domino Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (quem admodum deitatem rapere voluerunt Satanas, & Adam) *sed exinaniuit semetipsum, formã serui accipiens.* Et per hæc omnia non intelligitur deitas, quæ continet omnia, & quæ maior omnibus est, & propriè dictas non est in manibus, id est, sub potestate. Ideò Theophylact. exponit: hoc est, quod concredidisset ei salutem fidelium, & Gentium, de quibus: *Omnia traham ad me ipsum.* Et: *Omne quod dedisti mihi;* & reliqua: ac iterum: *Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Augustinus in hæc verba: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus: Ergo,* inquit, *& ipsum traditorem: nam si eum in manibus non haberet, non vtiq; illo vteretur, vt vellet. Proinde iam traditor traditus erat ei, quem tradere cupiebat, atque ita malum tradendo faciebat, vt de illo tradito bonum fieret quod nesciebat. Sciebat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui patienter vtebatur inimicis: ac sic omnia dederat Pater in manus eius, & in vsum mala, & in effectum bona.* Hæc ille. Vel omnia etiam salutis mysteria perficiẽda in agno Paschali, vel in ablutionis actu designata; atq; depicta: quod erat tradere ei omnes eos, qui per superbiam à Deo recesserant, & per humilitatem, & charitatẽ (quam hic vt seruus traditus docuit) reducere, & Patri cõsignare, & vt Paulus loquitur, regnum Deo, & Patri tradere; & consequenter, indirectè tamen, omnia temporalia ante resurrectionem. Directè autem, postquam à mortuis excitatus est, omnium dominium habuit, iuxta illud: *Data est mihi potestas in cœlo & in terra.* Creata vero omnia non sunt data Christo, quatenus Deus est, quia vnus est creator, qui est tres personæ, sed Christo homini procuratori, & hæredi vineæ. Et quam parce (bone Deus) hic Iesus omnia habẽs in manibus, vsus est reb[us] paruis, hoc est, temporarijs bonis quæ contempsit, magnis vero, id est, cœlestibus, magnificè, atq; largiter est vsus, cùm opes Euangelicas, at-

Infr. 27. Quare Christus dicitur: Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.

Sap. 7.

Philip. 2. *Esa 14.*

Gen. 3. Quæ Pater Christo dedit in manus quænam sint illa.

Ioan. 10. Esse in manibus quid.

Theophyl. in Ioan. *Ioan. 12.* *Infr 17.* *Ibidem.* *Aug. tract. 55 in Ioan.*

1. Cor. 15.

Matth. vlt. Christi paupertas pro hominum salute: eiusdem in illos diuitiæ bonitatis.

que margaritas liberaliter profudit atque dispensauit.

Quemadmodum exiuit à Deo Christus, & ad Deū vadit.

Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit. Ita quidem à Deo exiuit, vt Deum non reliquerit: ita ad Deum vadit, vt homines nō deseruerit. Christus etenim quatenus à Patre gignitur, nō exit ab eo, sed in eo manet: *Non credis*, inquit, *quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; & rursus: *Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*; & illud: *Ex vtero ante Luciferum genui te*; hoc est, dissimili ratione generationis humanę, in qua masculus non parit, & habens intra me vt mulier infantem. Vnde, & alibi dixit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Nam quo res perfectior est, eo fructum magis internū producit, vt in igne gignēte alium propinquum ignē, & planta producente fructum sibi coniunctum, & animali in vtero gestanti fœtum demonstrari potest: sed in nullo magis quam in homine qui fœtum sibi intimū in intellectu gignit.

Ioan. 14. Supr. 1. Ibidem. Psal. 100.

Quid significet: Ex vtero ante Luciferū genui te: Esa. 66.

Qua ratione Christus dicatur à Patre exisse.

Veruntamen eadē æterna generatio, quatenus habet pro termino filium Dei, non tantum in Patre inuisibilem, sed in humanitate visibilē, & partu virgineo in lucem editum; propterea dicitur à Patre exisse, & venisse in mundum. Nos igitur quoniam corpore, & sensu constamus, neque intelligimus nisi externa; Dei filius cum formam nostram corpoream induerit, eatenus dicitur à Patre exiuisse, & propterea ad Deum redijsse, complens reditus sui circulum in iudicio, quando simul erit totū corp⁹ cum capite, Deoque & Patri regnum restituerit, vt & nos eius exemplo circulum faciamus. Nam à verbo exiuimus omnes, iuxta illud: *Omnia per ipsum facta sunt*, vt ad illud: *Vnum cum eo facti redeuntes rapiamur in nubibus obuiam Christo in aera.* Ad Deum ergo vadit, id est, ad gloriam decentem vnigenitum filium Dei, tum in se, tum in mēbris suis, ad iudicium vsque, in quo reddet depositum Patri.

Ioan. 16. 1. Cor. 11. Ioan. 1. 1 Thess. 4.

Quid est Christum vadere ad Patrem. 1. Cor. 15.

Etsi igitur Christus minimè ignoraret potestatem suā, originem, nobilitatemve, moxq; ad futurā gloriam, nō propterea minus se humiliauit. Cumque tria soleant homines ab humilitatis actu impedire, nēpe notitia suæ magnæ potestatis, natalium claritas, ac splēdor, prosperitas mox ad futura: nihil horum tamen, quæ homines erigere solent in superbiam, Christum à se deijciendo impedire potuit; cum tamen non ignoraret se esse filium Dei, Patris sapientiam, atque virtutem, & triumphum, atque gloriam, in quam erat breui euehendus. Et vt ait Theophyl. gloriam, quæ omnino sua erat, se deijciendo non metuebat perdere: secus noui homines, quibus aduentitia est, & recens parta nobilitas: nam tales diligenter inuigilant, ne quauis humiliationis ratione nobilitatis suæ iacturam faciāt.

Quæ tria soleant homines ab humilitatis actu impedire. 1. Cor. 1. Theophil.

Christi gloria quam dissimilis gloriæ cæterorum hominum.

Christi humilitas.

Subdit: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* Declarata Christi magnitudine, opus ipsum describit, & quasi oculis subijcit per hypotyposin, velut spectaculū quoddam à seculo nunquā visum, aut auditum: tanta enim medicina indigebat superbia nostra, ac turris ventosa Babel, qua inflati in cælū erigebamur: vt nos interim singula cum admiratione, & fructu meditemur. Deinde surrexit à cœna; contra concupiscentiā carnis quia charitas nō quærit quę sua sunt. Hinc Tob. mensæ accumbēs surgebat, vt sepeliret mortuos, & paterfamilias in parabola illa dicitur ob improbitatē petentis amici de lecto surrexisse, vt daret non solum tres panes, sed etiam quotquot haberet necessarios. Instruens Episcopos, & religiosos, qui animarū saluti incumbunt, vt & à mensa, & à lecto promptè, & hilariter surgant ad audiendam confessionem proximi, vel ad eum, qui proximus est morti, iuuandum & consolandum.

Gen. 11.

Quare Christus surrexit à cœna. 1. Cor. 13. Tob. 2. Luc. 11.

Episcoporū, Religiosorūque munus.

Deinde ponit vestimenta sua; cōtra superbiā vitæ, relinquens vestem honorificam, & externā, pręcincta interna: quia non est verisimile mansisse nudum. Tertiò, accepit linteū, & præcinxit se, ne ipse post lotionem opus haberet alio tergēte. Et ita præcinctus induit formam abiectissimi serui, atque etiam proditori vēditus Ioseph noster seruire voluit. Præcinctio siquidem habitus erat serui ministrantis, iuxta illud: *Sint lumbi vestri præcincti*; Et: *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Vestes enim longas qui gestabant, nisi præcingerent illas, ministrare non poterant; ne illæ impedirent, aut inquinarentur. Et ita innuitur diligentia, & gratia Christi in ministerio exhibito.

Quid quod ponit vestimenta sua.

Cur linteo sese præcinxit.

Gen. 39.

Præcinctio quid significabat. Luc. 12. Ibidem.

Quartò, misit aquam in peluim. Omnia per seipsum solus exequitur, ne putemus satis esse hæc per alios adimplere. Quintò, cœpit lauare pedes discipulorū suorum. Nam ad literam, tempore illo rudiori, meliorique nudis ex parte pedibus incedebant: vnde pedes contrahentes immunditias, & defatigati, per ablutionem recreabantur. Hinc Abraham & Loth lauerūt pedes peregrinorum, & Abigail assumpta in vxorem Dauidis, dixit: *Ecce famula tua sit in ancillā, vt lauet pedes seruorū Domini mei:* & Pharisæo Christus obiecit: *Aquā pedibus meis non dedisti.* Paulus viduam præficiendam Ecclesiæ ministerio vult, quòd sanctorum pedes lauerit. Procumbit ergo Iesus

Cur miserit aquam in peluim.

Apostoli nudis pedibus incedebant.

Gen. 18. & 19. 1. Reg. 25.

Luc. 7. 1. Tim.

Cur Iudæ proditoris pedes lauerit Chriſtus.

Ieſus ad genua, vt lauaret non manus, vel caput, quod honeſtius erat, ſed viliſſimos, & ſanguinolentos pedes Iudæ. Voluitque cor illud duriſſimum, & ſuperbum ad humilitatem, & charitatem inflectere tanto demiſſionis exemplo. Quòd ſi quis dicat; cur non potius oſtendit potentiam ſuam, vt Iudas a tãto flagitio deterreretur? Reſpõdeo, quod tunc Chriſtus operabatur redẽptionẽ noſtram, & pœnas dabat peccatorũ noſtrorũ, & quia docebat nos qui poteſtate deſtituti ſumus, vt non oſtentemus potentiam, quam non habemus. Iudã autem ſatis ſuperius deterruerat, indicans ei ſe ſcire quid in corde ſuo moliretur. Eſtque actus humilitatis magnæ pedum ablutio, cui ſecũdùm Auguſt. debetur remiſſio peccatorum. Et cœpit lauare, id eſt, applicare ſe ad lauandum, & detergendum, incipiendo à pæcipuo & primario diſcipulo Petro. Atq; hactenus de litera dictum ſit.

Eundem cur Chriſtus à tanto flagitio non deterrue rit per vim ac potentiam ſuam.

Auguſt.
Ablutioni pedum, ſecundum Auguſt. debetur remiſſio peccatorum.

Mystica cœnæ Domini intelligentia.

Iuxta myſterium autem non eſt ignorandum, Chriſti opera non ſolum nobis vtilia extitiſſe ad meritum, & auxiliũ impertiendum, ſed & ad exemplum præſtandum: neque ad hoc tantùm, ſed etiam ad picturam, & repræſentationẽ eorum quæ ipſe in corpore ſuo, quod eſt in Eccleſia facturus erat. Vt ergo elegãter cõſiderauit Ruper. Tuit. Chriſtus ſurgit à cœna, quando de ſinu Patris, & gloria ſibi debita, ad nos deſcendit. Exuit ſe veſtibus ſuis, quia nõ attulit regias & honorificas immortalitatis veſtes, quales accepit in die reſurrectionis, de quibus dicitur: Indutus eſt Dñs fortitudinem, & præcinxit ſe, exutis prius ſordidis mortalitatis veſtibus. Præcinxit ſe linteo humanitatis, quod eſt ex lino, quod mũdum eſt, & vt alios mundare valeat, inquinatur. Nam ita humanitas pura & munda, pœnis, & flagellis inquinata eſt pro nobis, quo nos mũdaret, iuxta illud: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*; Et: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* miſit aquam in peluim, quando Spiritum ſanctum in Eccleſiam ſuam miſit, quo vno remittũtur peccata, & vniuerſæ ſordes etiam pedum noſtrorum, hoc eſt, affectuum, diluuntur, iuxta illud: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc autẽ dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Sed quãquam ex ſe omnia præparauerit Dñs, opus tamẽ eſt, vt nobis hæc applicentur. Et vt ſ veniamus ad nuptias, id fit per aquã gratiæ diuinæ in Euchariſtia contẽtæ, in qua, vt Sacramento, & ſacrificio, paſſio Chriſti applicatur, & in qua Chriſtus veſtitus eſt veſte linea ſpecierum, & miniſtrat nobis ſpiritum gratiæ ſuæ: miniſtrat etiam aquam amoris nos trahentis, & mundantis.

Coloſſ. 1.
Opera Chriſti nobis profuerunt, triplicitet.
Ruper. Tuit. lib. 11 in Ioan.
Pſal. 92.
Eſa. 63.
Gal. 3.
2. Cor. 5.
Ioan. 7.
Deut. 18.
Ioel. 2.
Actor. 2.

Euchariſtia veſtis Chriſti eſt.

Quis ergo noſtrum iure excuſari ab humiliationis operibus poterit? Nemo ergo dicat ſordidum eſt hoc officium. Imò diuinum: quid enim purius, aut ſanctius filio Dei? Nemo dicat, Cœnandũ mihi eſt, non debet neceſſarium mihi opus interrumpi, ſi filius Dei cænam interrupit ſuam. Nemo dicat: Quæ Ieſu Chriſti ſunt, quæro; non quæ mea ſunt. At Ieſus cum cœnabat, quẽ aliũ paſcebat quàm Ieſum, & tamẽ ſurrexit à cœna? Nemo dicat, Maior ſum, quam vt humilier, & vlli ſeruiam, maieſtatem officij mei reſpicio, non debeo ſeruire, ne ſim dedecori magiſtratui quẽ gero. Sed audi quid dicat Salomon: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Vide quid fecerit Chriſtus: *Sciens,* inquit, *quia omnia dedit ei Pater in manus.* Et ita omnium Rex erat, & Sacerdos, & omnia iura magiſtratus, & Imperij gerebat, & tamen lauit; vt nos intelligamus, nullam relictam hominibus excuſationẽ, quo minus alijs debeãt prodeſſe. Nemo item dicat, Legatum ago magni Regis, aut Imper. aut Principis: nam Chriſtus à Deo nuntius venit. Nemo excipiat, Vehementer aliquo propero. Nam & Ieſus ad Deum ibat, & nulla via expeditior. Nam vt pila quo fortiùs in terrã iactatur, eo magis aſcendit ſurſum: ita quo magis quis Deo humiliatur, eo feſtinãtius ad Deũ vadit. Rectè proinde hoc loco Aug. ſcripſit: *Si tanta eſt humanæ humilitatis vtilitas, vt eam ſuo commendaret exemplo diuina ſublimitas. quia homo ſuperbus in æternum periret, niſi illum Deus humilis inueniret: Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. Perierat autem, ſuperbiam deceptoris ſecutus: ergo humilitatem redemptoris ſequatur inuentus.* Hæc ille humilimus Pater. Contendamus igitur tam ſalutare humilitatis exẽplum totis viſceribus amplecti, ſi Deũ, ac proximum diligere volumus: nam ſine charitate humilitas mortua eſt, & fructu, ac meritò caret: vtraque verò coniuncta tanquam binæ alæ ad cælum nos euehunt, & perfectos reddũt diſcipulos, imitatóreſque Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto æterni debentur honores in ſeculis ſempiternis, Amen.

Nonnullorũ obiecta diluuntur, vilia pietatis opera recuſantium, ac dectantium.

Eccleſ. 3.

A beneficiẽdo immunis eſt nemo

Nulla expeditior via ad redeundũ ad Deum, quã humilitas.

Auguſt.

Luc. 19.

Sine humilitate fuget Charitas, ſine charitate humilitas mortua eſt.

TRACTATVS VII.

In illa Domini verba: *Venit ergo ad Simonem Petrũ. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*, & reliqua. Ioan. 13.

Palmæ arboris ingenium.

TRadunt qui de plantis libros conscripserunt, palmam eo ingenio esse præditam, quo magis in altum assurgat, eo crassior, & corpulentior, in quo magis descendit, eo sit subtilior, & gracilior, contra morem & naturam aliarum arborum. Ad hunc modum iusti omnes, qui palmæ assimilantur, iuxta illud: *Iustus vt palma florebit*, grandiora indies opera præstant, seque ipsos magnitudine virtutum vincere certant, sed præcipuè Christus Dominus, qui sanctus sanctorũ in Scripturis appellatur, & de Sponsa ait: *Statura tua assimilata est palmæ*, & progressus signorum, ac virtutum indies maiores edebat. Cuius rei abunde magnum argumẽtum præsens textus suppeditat, in quo Christi charitas, & humilitas cum Petro humili, & Christi amanti contendere voluit, donec victoriam obtineret.

Iusti palmæ cõparantur. *Psal. 91.*
Dan. 9.
Cant. 7.

Vnde, & à quo Apostolo Christus lauare cœperit.
I. opinio. *Chrys. ho 69. in Ioan. to. 3. Theophyl. Euthym. c. 16. in Ioan.*

Venit ergo, ait, *ad Simonem Petrum.* Quæstio est celebris, vnde, & à quo Apostolo Christus lauare cœperit. Nam B. Chrysostomus cum sectatoribus suis Theophylacto, & Euthymio, à Iuda cepisse testantur exordium: qui nequaquam reluctatus est Christo, sed ex impudentia permisit se lauari. Et videtur ex ipsis verbis Euangelij probari posse. Nam cùm dixisset: *Cœpit lauare pedes discipulorum*, subiungit: *Venit ergo ad Simonem Petrum.* Vnde Origenes huic sententiæ subscribens, ait: *Videntur omnes loti ante Petrum, qui præ alijs reuerens extitit, & singularis.* Idem docet Ambrosius libro de Sacramentis, putãs omnes ante Petrum ablutos. Tamen B. Augustinus aliter existimat, dicens: *Quis enim nesciat, primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quod post aliquos ita ad illum venerit, sed quod ab illo cœperit.* Et Hilarius in Matthæũ: *Primus lauari sibi Petrus pedes prohibuit.* Sic illi. Hos sequuntur Rupertus Tuitiensis, atq; alij nõnulli ex Latinis, existimantes à Petro Apostolo initium sumpsisse lauandi: quod etiam Cyprianus serm. de ablutione pedum subindicare videtur: tum quia Petrus inter primos vocatus relictis omnibus secutus est Christum: deinde prior erat dignitate: quia designatus Christi Vicarius: ideò ei Dominus prærogatiuas tribuere solet. Quare eidem dicitur: *Da pro me, & te: Tibi dabo claues regni cælorum. Dicite discipulis eius, & Petro*; Et: *Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Vt ergo in omnibus alijs priorem gradum, & locum habuit, ita & in hoc actu habuisse, longè est verisimile. Deinde alij etiam Apostoli idem omnino dixissent, si ab eis cœpisset, quòd Petrus dixit, detrectassentque rem tam insolitam, & minimè expectatam; imò vel ipse Iudas proditor reluctatus fuisset: nam ceremonias externæ reuerentiæ cum Domino obseruare solitus erat. Proditor enim vult prodere, at non detegi; vnde dicebat: *Nunquid ego sum, Rabbi?* Quod ergo Petrus dixit, reliqui omnes ex se idem dixisse censendi sunt: quanquam postquam viderũt Dominũ absolutè hoc velle, & vicisse in hoc Petrum secum contendentem, nequaquam restiterint, sed cum obedientia siluerint. Tertiò, congruè hęc lotio incipit à maiore. Nam vbi pastor, vel prælatus, aut in doctrina, aut in vita est immundus, facile reliqui immũditiam contrahunt: quomodo enim immundus alios mundabit? aut quomodo sal infatuatum reliqua saliet? At si maior sit mundus & purus, & vim habeat saliendi, totum corpus mũdum, & sapidũ redditur, & reformatio omnis quæ procedit à Petri sede, & Christi successore, cæteris aliunde perfectis præstare solet, & fructu ablutionis spiritualis antecellere. Hæ rationes etsi nõ necessariò probent, quemadmodũ nec priores, probabiliores tamen mihi videntur. Vnde Nonnus Paraphrastes ait: *A Simone incipiens vsq; ad proprium interfectorem, à primo ad vltimum.* Hæc ille.

Orig. tom. 32. in Ioan.
Ambr. li. 3. de Sacr. c. 1. to. 4.
II. opinio. *Aug. tract. 56 in Ioan. to. 9.*
Hilar. Cã. 16. in Matth. Rupert. Tuit. in Ioan. li. 11.
Cyprian. Mat. 4. & 19. Supr. 16. & Ioan. 21. Matth. 17.
Supr. 16. Marc. 16. Matth. 10.
Quid sit proprium proditoris. *Matt. 26.*
Cur hæc lotio incœperit à maiore.
Matt. 5.
Nonnus Ioan. Paraphrast.

Quod ergo dicitur: *Cœpit lauare pedes discipulorum*; & postea: *Venit ergo ad Simonem Petrum*; non sic est accipiendum, vt monet August. quasi prius aliquos lauerit ante accessum ad Petrum; sed ita, vt sit explicatio quædam eorũ, quæ in genere dixerat: *Cœpit lauare*: quomodo cœpit? veniẽdo primùm ad Simonem Petrum. Fuit aũt hęc loquendi ratio obseruata aliàs ab Euãgelistis: nam cũ relicta Iudæa Dominus venisset in Galilæã, Ioan. 4. subijcit: Venit ergo in ciuitatem Samarię. Simon, nomen est antiquum,

Quomodo accipiẽdum: Venit ergo ad Simonem Petrum. *Augustin.*

Quos nomẽ Simonis, quos Petri significet.

inditum à circuncisione, sicut Petrus, ab Apostolatu: quia inferioribus, significatis in Simone, vt ouibus, summè necessaria est obedientia, vt ab alijs ducantur, & vt tanquam cera impressionem suorū maiorum recipiant: Superioribus verò in Petro significatis, opus est fortitudine, & constantia, vt portent onera inferiorum, & resistant lupis, & hostibus, quibus illud congruit: Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Debentq; proinde esse tanquam sigillum, quod formam suam in ceram imprimere natum est, iuxta illud Ezechiel. *Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Petrus etiam duplici nomine appellatur: quia & carnis, & fidei naturam expressit. Ter enim loquitur, primò quidem ex ignorantia; quā Dominus instruxit, cùm dixit: *Quod ego facio, tu nescis modò; Scies autẽ posteà.* Deinde ex pertinacia; cùm inquit: *Non lauabis mihi pedes in æternum:* quam Christus retudit, dicens: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Tertiò ex fide, cùm dixit: *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.*

Rom 15.

Quales debeant esse præpositi. Ezech. 3.

Petrus cur bi nominis fuerit.

Quo tẽpore hæc pedū lotio cõtigerit. I. opinio.

Congruum est, vt hoc loco de tempore, quo ablutio pedum facta est, differamus: nam etsi superiori tractatu aliquid sit dictum, hoc tamen loco fusius, & pressius definiendum est. Nam sunt qui existimant, illā non solùm post esum agni, sed etiā post institutionem Eucharistiæ contigisse. Atq; huic sententiæ subscribit Cyprian. sermone de ablutione pedum, qui illi cum alijs tribuitur, in principio, dicens: *Iam Sacramẽta corporis sui Apostolis Dominus distribuerat, iā exierat Iudas, cum repentè de mensa surgens, linteo se præcinxit, & ad genua Petri lauaturus pedes eius, ipse genibus flexis dominus seruo consummatæ humilitatis obtulit famulatum.* Hæc ille. Atque hi quidem qui hoc sentiunt, eo maximè argumẽto permoti vidẽtur, quod non videatur quo loco commodè institutio Eucharistiæ possit post lotionẽ pedum inseri Ioannis historiæ: nā sic Ioannes post lotionem pedum subiungit sermonem de suo proditore, vt manifestum videatur, eū mox abijsse post lotionem pedum sine aliquo medio, qui sermo non finitur, nisi ab lutione proditoris huius: ex quo colligunt, lotionem pedum secutā institutionem Eucharistiæ. Verùm hi parum efficaciter colligunt, cùm nihil obstet, Eucharistiæ institutionem inserere post ablutionem pedū, & ante illa verba: *Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu,* quemadmodum tenent, qui dicunt Sacramentis adfuisse traditorem; vel etiam postquam Iudam à suo consortio

Cyprian.

Quam debili nititur fundamento, hæc opinio.

ablegauit, & dixit, *Nunc clarificatus est Filius hominis* &c. vt asserūt qui Iudam dispensationi Eucharistiæ adfuisse negant. Iam nec ex illo quod dicitur cęna facta, & postea sequitur pedū ablutio; consequitur, post mysterium donati corporis, & sanguinis Domini illam cõtigisse: nec enim hic cæna dicitur facta, quasi iam esset absoluta, & consummata; cùm apertè Ioānes testetur, Dominum post ablutos pedes iterū accubuisse, & dedisse Iudę intinctum panẽ; ac de se postea dicat cap. vltim. quòd recubuerit in cœna super pectus Iesu. Ex quibus prædicta sententia satis refellitur: nā nec videtur quorsū Christus rursus accubuerit, si & agnus fuerat comestus, & Eucharist. instituta.

Sunt verò alij, qui opinantur, etiam ante esum agni Paschalis, & antequam quicquā ederent, Christum lauisse pedes discipulorum: in qua sententia est Osiander. Hi verò hac ratione mouentur, quod putent, ipsum pedes suorum abluisse ex more illius gentis, & regionis, quo honestorum cõuiuarum pedes ante cœnam abluebantur, sicut Dominus dixit Pharisæo: *Aquam pedibus meis non dedisti: oleo caput meum non vnxisti:* quorum certè Christus nihil requisisset; nisi vulgo conuiuis gratis exhiberi solitum fuisset. Nec his obstare putat Osiāder, quod ait Ioannes, Cœna facta: nam intelligit per cœnam factam, cùm B. Augustin. non cœnam absumptam, sed cœnam paratam, ac tum primùm Dominum accubuisse, & cæteros quoq; ad accumbendum prouocasse, & antequam quicquam gustarent, Dominum surrexisse ad abluendum discipulorū suorum pedes. Sed hęc sentẽtia vt est noua, ita nec probabilis videtur, vel ob id, quod non sit verisimile, morem fuisse, vt discūbentibus pedes abluerẽtur, sed priusquam accumberent: quodq; non appareat, quomodo commodè singulorum Apostolorum pedes Dominus abluere potuerit, si iam mensæ assidebat. Quorsum ergo ad discumbẽdum opus erat prouocare ante ablutionem, si ea ante sumptionem cibi erat perficienda, cùm ea ante accubitum longè commodius fieret?

II. opinio.

Osiander in harmon. Euangelica.

Luc. 7.

Confutatur hæc opinio.

Probabilius ergo est, vt etiam superius indicauimus, illud, Cœna facta, significare cœnam iam cœptam; sicut dicitur dies factus, cū exortus est Sol, & dies inceptus; vt significetur, Dominum surrexisse, cùm iā cœna progressa aliquantulū fuisset. Quod apertius significant Gręca, quę habẽt Ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου. Si ergo inter cęnādū Dominus surrexit ad abluendum pedes discipulorū, relinquitur, nihil esse probabilius, quàm lotionem pedum factam post esum

III opinio probabilior.

agni, & ante Eucharistiæ institutionẽ: nam ex his duabus præcipuè partibus cœna hæc constabat.

II. ratio.

Quid lotio pedum delineatit.

Præterea post esum agni, & ante Eucharistiæ institutionem, pedum lotionem factam fuisse, etiam illo argumẽto efficacius comprobari potest, quòd lotio hęc secundùm omnium Patrum intelligentiã, non tantùm in exemplum humilitatis, sed etiam in mysterium facta sit; quò scilicet externo signo doceremur, quæ munditia requiretur in eo, qui dignè Eucharistiam esset suscepturus: vt docet B. Bernard' sermone in cœna Domini, & B. Ambrosius libro de iis qui mysterijs initiantur, & lib. de Sacramentis.

B. Bernard. Ambros. li. de iys qui mysterys initiãtur, c. 6. & li. 3. de Sacramen. c. 1. tom. 4.

Igitur sicut moris erat in ea regione, vt ante mensam inuitatorum cõuiuarum pedes abluerentur, ita Dominus suam cœnã exhibiturus suis, pedes eorum prius lauit: occasione quidẽ è regionis more desumpta, sed in exemplum tamen, & in mysterium, & quasi alterum Sacramentum. Ait enim Bernardus Sermone in cœna Domini, in illud; *Quod ego facio, tu nescis modò: Hinc enim* (inquit) *manifestum satis est, lotionẽ hanc factam non tantùm in exemplum, sed etiam in mysterium spiritualis munditiei: quanquam hoc mysterium postea non explicauerit, sed tantùm pro ratione facti sui dixerit: Exẽplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis. Multa enim habebat illis dicere Dominus; sed non poterant tunc portare, vt postea dicit.*

Ioan. 16.

Ambros. posteriori loco.

Quid illud Ambrosio: Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet.

Gen. 3.

Verba Ambrosij sunt: *Qui lauit, non necesse habet lauare iterum, nisi vt solos pedes lauet. Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa: sed quia Adam supplantatus à diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes; ideo lauas pedes, vt in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis.* Hæc ille, qui dum docet, ablutionem illam valere ad peccati originalis remissionem, intellige ad fomitis repressionem: nam reatus illius peccati iam per baptismũ remissus est cuique.

Quo sensu Ambrosius dixerit, lotionem illam pedum Apostolicorum valuisse ad originalis remissionem peccati.

Ex vobis Domini, & Patrum intelligentia constare potest, ablutionem hanc pedum Apostolicorum factam, non tantùm in humilitatis, & mutuæ dilectionis exemplum, sed in mysterium alterius necessariæ spiritualis ablutionis, & purificationis, quæ dignam Eucharistiæ participationem præcedat. Vt ob id Paulus pręceperit: *Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat.* Vnde & Cyprianus sermone de ablutione pedum significat, Dominum illa demonstrasse aliud lauacrum, quo post baptismum non iterabile lauacrum, à peccatis, quæ post baptisma contrahimus, ablui possemus, nimirum lauacrum pœnitentię, & mutuæ peccatorum condonationis.

1. Cor. 11.

B. Cyprian.

Digna sumptio Eucharistiæ quale exigat lauacrum.

III. ratio.

Dionys. Areopag. l. de Eccl. Hierar. c. 3 par. 3.

Adhæc Dionysius Areopagita libro de Ecclesiastica Hierar. innuere videtur non obscurè lotionem pedum, & emundationem ab omni vitiositate præiuisse Eucharistiæ institutionem.

Hæc verba expendũtur Domini, Tu mihi lauas pedes?

Matth. 3.

Primùm ergo dixit, *Domine, tu mihi lauas pedes?* Hoc est, Lauare intendis. Expauit atque obstupuit ad tantam Domini dignationem: quemadmodum Ioannes, quando dixit, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Atque hæc verba melius cogitantur, quàm dicuntur: nã continent abyssum altitudinis, & magnitudinis Christi; & abyssum humilitatis, & paruitatis Petri, qui spiritu timoris, & reuerentiæ agebatur, cùm hæc diceret: *Tu*, inquit, *venis ad me?* tu, inquam, qui Christus es, Filius Dei viui: tu Dominus, & Magister; tu lux mundi; tu innocens Dei Filius, qui manibus, & digitis plasmasti cœlos, quibus oculos cæcorum illuminasti, & leprosos tangendo curasti, & mortuos suscitasti; *Mihi*, Piscatori Bethsaidæ, seruo, discipulo, peccatorum tenebris obsito, creaturæ vilissimæ, mancipioque Satanæ; *Lauas*, Hoc est, lauare paras, non animam, quia fortè non ita te dedeceret, nõ caput, aut vultum, aut manus; quod magis esset tolerabile; sed pedes, infimam partem & sordidiorem, sordesque calcantem.

Christi magnitudo & sublimitas.

Ioan. 13.

Mihi.

Lauas.

Petri humilitas.

Syriacus codex habet, *Tu Domine mi, pedes meos lauas tu mihi?* Et fortè vt humilitatis gestum cum actu lauandi coniungeret, procumbens genibus, vel fortè etiam stans: nam recumbebant Apostoli: qua ratione peccatrix potuit lauare pedes Christi recumbentis. Simili stuporis spiritu ductus, olim miratus de captura pisciũ, dixit. *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.*

Luc. 7.

Supra 5.

Et prima quidem facie mirum, & indignum videbatur hoc spectaculum: sed quia factum est Dei obedientia, ad domandam, & prosternendam Adæ, & Luciferi superbiam, vt antidotum, & ad Christi gloriam, cui omne genu debet flecti, & vt superbiam cordis nostri damnaret, qui dedignamur alijs submitti, vel cedere; decuit ad modicum tempus humiliari Christum, vt doceret neminem exaltandum, nisi qui prius propter Deum spõte se deiecerit.

Gen 3.
Esa 14.
Philip. 2.

Humilitatis documentũ.

Luc 14 & 18.

Quanquam autem inuersus videatur ordo, vt Dominus ministret seruo: inuersus quidem esset ordo, si Dominus vinceretur, & per vim seruire cogeretur: at vbi inuictus manet Dominus, & docet seruum, quonam modo sit illi seruiendum, vel ex charitate seruis à Domino ministrandum, stat summus ordo, & ornatus.

Quæ ista hæc sit Domini humilitas lauantis pedes discipulorum suorum, Filio Dei indigna videlicet.

Et hactenus in Petri dictis nulla inuenitur contumacia, vel cæcitas, vel curiositas, vt mentitur Zuinglius, & dæmon, vt sanctis detra-

Cæcũ ac curiosum de B. Petro Zuinglij dictum arguitur.

Irenæus li. 4. cap. 50.
Facta sancto rum quæ nõ sunt à nobis vel rep.ehendenda,vel exaggeranda.
Theophyl.

detrahat;sed digna tantummodò Petro admiratio, & capax sequentis Philosophiæ. Nam secundùm Irenæum,facta sanctorũ, quæ in scripturis leguntur; nec reprehenduntur;non sunt à nobis vel reprehendenda, vel acriore oratione exaggeranda. Nam vbi Petrus nouit voluntatem Domini, acquieuit,& assensit. Hinc Theophylactus ait:*Vtrumq; ex charitate fiebat:& detrectatio, quia plurimum obseruabat Dominum;& admissio,quia à Domino separari nolebat.*

Quid est: Quod ego facio,tu nescis modò, scies aũt postea.
Matth. 3.

Respondit Iesus,& dixit ei, Quod ego facio, tu nescis modò,scies autem posteà. Simili oratio nis schemate egit Dominus cum Ioanne Baptista admirante accessum Domini vt à se baptizaretur.Dixit enim.*Sine modò; sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Vt si infirmo respuenti medicinam, & dicenti, Nolo accipere;respõderet medicus. Quod ego facio,tu nescis modò, scies autem postea,cùm acceperis: Huius facti caussam ignorans esse humilitatem, vt expouit Bernardus.

Qualis eiusmodi locutio.
Bern.ser.in cœna Domini.
Finis quanta vis.

Vel id quod ego intendo per lotionem præstare: nam externa adiumenta ad finem referuntur internum; & ideò vnum sunt cum eo. Quare ieiunio externo coniuncta est obedientia, & carnis maceratio, & spiritus capacitas,propter quæ ieiunatur consequenda. Tanta est enim vis ipsius finis, vt adiumentis,quæ propter illum assumuntur,insit, & incorporetur: quẽadmodum sanitas in medicina est, quæ propter illam bibitur, & via peragitur ob terminũ nimirum perueniendi ad illum; atq; ita signum non est propter se verum propter signatum;ideò vnum efficitur cum eo. Tu ergo nescis modò finem, quò tendam, ac proinde nec hæc instrumẽta, & media quæ assumo: quemadmodum nescit quid fiat, dum quis per annulum heres instituitur ab aliquo. Quod si Christus apertè tradidisset, mentẽ suam esse,virtutem humilitatis suo exemplo statuere; Petrus sine vlla lotione, vt Theophylact⁹ testatur, eam fuisset pollicitus.

Theophyl.

Sed quia magis illam animi submissionem facto ipso suadebat, exemploque imprimebat, ideò priùs noluit dicere quò tenderet. Nõ enim tendebat solùm ad humilitatis doctrinam tradẽdum, sed etiã ad docendum,quanta animi puritate,&munditia opus sit ad dignè suscipiendũ tremẽdum Eucharistiæ Sacramentum. Et præterea,ad delineãdum eo facto,quòd sanguine suo omnium electorum sordes in crucis patibulo abluturus esset,atq; expiaturus.

Cur Christus quò hæc lotio pedum tenderet,non indicauit prius.

Quid illud; Scies autem postea.

Et subdit: *Sciens autem postea.* Ostendit Iesus quid hoc significaret, quando recumbens ex parte tãquam externus præceptor verbis suis declarauit,& ex parte tacuit: secundùm doctrinam Bernardi. Nam cùm cœpit dicere;*Scitis quid fecerim vobis,* & subiunxit:*Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis,ita & vos faciatis.* Quid exemplo suo tradere vellet, docuit; nõ autem,quale Sacramentum,explicauit.In die tamẽ Pentecostes exposuit, vt testis est Euthymius. Per verba interni magistri, hoc est,Spiritus sancti,qui suggerit omnia,quę Christus vel dixit,vel fecit, altius, quid in illo facto mysterij contineretur, aperuit: perfectius adhuc in cælo intellexerunt discipuli, quæ mysteria vellet Dominus illa ablutione sua præsignare.

Bern.ibidem.
Euthymius c.16.in Ioan.
Ioan.64.

Tu ergo,quid ego facio modò,ignoras: quia in hoc facto figuratur mysterium Incarnationis, quod feci,&arcanum quod modò in Eucharistia præstabo,& Sacramentũ,quod cras in cruce sum peracturus:&quod vos imitaturi estis,& commodo tempore facturi. Nam in primis hoc facto ostẽdi,quòd surrexi à cœna paternæ gloriæ, quando veni in hunc mundum ministrare, & non ministrari, & carne virginea me præcinxi, atq; in animæ meæ peluim gratiarum aquam misi, de cuius plenitudine accepturi sunt omnes in me credentes,eti ã viri mũdissimi.

Lotionis Dominicæ Sacramentum exponitur.
Matth. 20.

Deinde deposito pallio,& regio vestimẽto gloriæ, præcinxi me linteo specierum in Eucharistia;& posui aquam Spiritus sancti in eam, vt omnes reuerenter accedẽtes per hoc sacrificium lauentur à suis sordibus, & consolationis aquis recreentur.

Ioan.1.
II.documentum.

Tertiò,crastina die surgam à cœna vitæ huius, & spoliatus vestibus meis, & linteo mundo carnis patiẽtis,siue etiam passionis,quam immeritò sustinebo, quod ad me attinet, citius perstringar vt moriar,mittens aquam lateris cum sanguine in peluim crucis ad ablutionem peccatoris,& menstruatæ. Et quẽadmodum in linteo manere signa tersionis solent;ita in humanitate relictæ plagæ in signum amoris tergentis.

III.documentum.
Ioan.19.
Zachar.13.

Quartò doceo vos à diabolica cœna peccati,& commoditatibus proprijs surgere,& veteris hominis vestes relinquere, & præcingere vos castitate,vt in peluim pœnitentiæ aquam amaræ cõtritionis mittentes,linteo satisfactionis abstergamini, vt possitis recipere Eucharistiam,& mundari.

IV.documentum.

Rectè ergo dixit; *Scies autem posteà.* Non ergo omnia semper sciri possunt:& antequam simus à Domino mundati, nescimus qnid nobiscum agatur. Cùm te sanguine meo lauero, intelliges quanti te faciam pro te moriendo.

Quorsum id:Scies autem postea.

Dicit ei Petrus, Non lauabis mihi pedes in æternum. Oblitus erat nominis sui,id est, Simonis,recusans honorari à Domino. Et est sensus,etiamsi viuam vsque ad iudicium,

Quid verbũ Petri significet;Nõ lauabis mihi pedes in æternum.

sem-

ſemper contêdam, nec cedam tibi, nec patiar abs te leuari. Et hoc dixit, rationem habens ſuæ imbecillitatis. animi ſui deliberationem, non futurum euẽtum exprimens. Interpretaturque myſterium, quod occultum dicebat Ieſus, tantam ei reuerentiam non exhibendo, quantam adferret, ſi ſe lauari ab eo permitteret; cũ tamen maior reuerentia ſit obedire. Vt Maria, quę humilitate plena erat, vt volũtatem Dei agnouit, dixit; Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecũdùm verbum tuũ. Et durus fuit Petrus, licèt condonandum ſit ſtupori, & animo nõ obſtinato. Et bonum eſt parere in honorificis, & abiectis; in dulcibus, & acerbis: & non eſt noſtrum ſtatuere, quo genere honoris Chriſtum proſequamur, ſed ei parẽre debemus, vt honoremus ipſius voluntatem: quia melior eſt obedientia quàm victimæ; & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum. Et quod Petro dicitur, omnibus dicitur. Verè enim neſcimus quid Deus nobiſcũ agat, dũ nos lauat, ſiue aqua frigida proſperitatis, ſiue calida aduerſitatis; ſciemus autem poſtea, cùm per ſpiritum illuminabimur.

Luc. 1.

Deo in omnibus ſemper parere bonum eſt.

1. Reg. 15.

Duplici aqua Chriſtus nos lauat.

Reſpondit ei Ieſus, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Vt per Synecdochen pars ponitur pro toto, ita à contrario totũ pro parte. Et ita dixit, Si non lauero te, pro eo quod eſt, ſi non lauero pedes tuos, ſecundũ Auguſtinum. Ita enim dicimus, Calcas me, dum tantùm pedib⁹ calcamur. Poſſunt autem hæc verba primùm intelligi de externa lotione: nam etiam poſitiua præcepta, maximè diuina, vim habent obligandi, in quibus non ita apparet ratio pręcepti: nam tanto magis diuinam voluntatem vt omnium dominã magni facimus. Exemplum ſit de non edendo ligno ſciẽtiæ vetito. Deinde principalius, vt ex ſequentib⁹ patebit loqui videtur de lotione interna: nam multi externe non loti à Chriſto ſalui fiunt, & habent partem cum eo, & Iudas lotus partẽ non habuit. Eſt ergo ſenſus de ablutione per gratiam, quæ à Chriſto eſt, & quam Petrus non intellexit, præter ſignum, & vocabulum lotionis: Chriſtus autem etiam rem ſignatam complexus eſt, explicatq; ſignũ, ſeu Sacramentum, quaſi dicat. Si non lauero te ſanguine meo pręcinctus paſſione, nõ habebis partem mecum. In hunc modum explicat Caiet. & ante eum Cyprian. in ſermone de ablutione pedũ: *Paulatim,* inquit, *myſterij huius declaratur neceſſitas, quam conditio propoſita ineuitabilem reddit; & ſi cum Chriſto aliter partem habere nõ poſſumus, niſi ipſe pedes noſtros ablnat; quandoquidem ſic arctatur conſenſus, lauet & tergat, & Sacramenti huius nobis virtutem exponat.* Et infra: *Quicquid dicat Petrus, neceſſe eſt vt ipſe nos abluas: neq; enim lauare nos poſſumus, ſed in omnibus quæ agimus indulgentia tua lauacro indigemus.* Sic ille, ſanè eleganter. Quare quod minùs hic purgatũ fuerit, poſt hanc vitam neceſſe eſt purgetur perfectè, priuſquam quis partem cũ Chriſto, & apud Chriſtum obtineat. Ita cùm Samaritana olim colloquens, ab aqua corporea ſaltauit ad internã, & ſpiritualẽ: & cum interrogantibus diſcipulis de reſtitutione Iſrael temporali iuxta mentem ſuã, Chriſtus ne eos ſcandalizaret, negando ſe regnũ habere temporale, ſermonem conuertit ad regnum ſpirituale Dei per illud temporale repræſentatum; & adiũxit, non ſpectare ad eos noſſe tempora, vel momẽta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſed miſit eos ad Spiritum S. qui eos inſtrueret de vero regno ſpirituali Iſrael: *Sed accipietis,* inquit, *virtutẽ ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem*, & quæ ſequuntur. Ita modò Petro dixit, *Sciens autem poſteà*, ſcilicet poſt aduentũ Spiritus ſancti, per quem illuminati ſunt Apoſtoli de myſterio incarnationis, Euchariſtiæ, & mortis Chriſti in hoc repræſentatæ; & exemplum datum humilitatis, & qua ratione ſeriò contẽdendũ ſit in ſchola Chriſti, non pro celſiori gradu, ſed pro humiliori, & viliori. Et carens etiã peccato morifero, & poſſidens Dei gratiã, lauari à leuibus, & quotidianis peccatis indiget: nam illis durantibus videri Deus nequit in æterna gloria. Et Græcè de præſenti dicitur, *Non habes partem mecũ*, quib⁹ verbis minatur amiſſionem rei tam deſideratæ, quàm eſt ęterna felicitas, quę metaphoricè dicitur pars, ſiue hæreditas, iuxta illud, *Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſai?* & rurſus, *Dominus pars hæreditatis meæ:* & alio loco, *Pars mea Deus in æternũ:* Nam etſi Deus, quo viſo beati fruuntur, totũ ſit, & non pars; tamẽ quia plures hæredes, vt plures fratres filij eiuſdem parentis, diſtinctas habẽt facultatis portiones, hinc gloria partis ſortitur nomen. Et de præſenti non adeſt: quia etiam præcedẽs gratia vt paſſionis Chriſti conceditur. Non habebis etiã partem mecum, id eſt, vt eadẽ interpretantur, non eris particeps conuictus, & conſuetudinis meæ, ſed à meo te expellam conſortio: ſed præſtat prior intelligentia, vt minetur expulſionem de æternæ beatitudinis parte, vt Auguſtinus & Baſilius ſermone de Iudicio Dei exponunt. Poteſt etiam explicari, Non habes partem mecum: Id eſt, nõ eris bonus ſuperior, & aliorum paſtor; quia qui ad huiuſmodi gradum euehuntur, mundum debent habere cor, & pedes,

I Senſus horũ verborum Domini: Si non lauero te, non habebis partem mecum.

Aug. tract. 56 in Ioan. to. 9.

Gen. 2.

II. ſenſus.

Caietan.

B. Cyprian.

Ioan. 4.

Act. 1.

Spiritus ſancti tus quid Apoſtolos docturus erat.

Venialiũm effectus peccatorum.

Non habere partem cum Chriſto, vel cum Deo, quid more Scripturæ.

3. Reg. 12.

Pſal. 15.

Pſal. 72.

Æterna felicitas partis nomine cur veniat.

III. ſenſus.

ab om

ib omni incessu sordido, vel indecoro mũ-latos,& Christi gratiam ad alios bene pascendum ornatos. Docet insuper quomodo sit benefaciendum. Nam aliàs offert se quidem promptum aliorum cõmodis,& necessitatibus subleuãdis; sed æquo animo fert, si alius recuset beneficium: at Iesus voluit etiam vt cõmodum ab eo accipiamus, qui propter verecundiam accipere recusabamus: docens vt beneficium non solũ hilariter conferamus, sed etiam vt honesta quadam vi alios vt recipiant compellamus: quia magnum Dei donum est proximo benefacere; & vt Dominus solitus erat dicere, *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Vim igitur facit Dominus, vt se tanto lotore vtamur, neq; deterreamur sua maiestate, quasi indignè sit latura hoc agere; vt proptereà ipse omnem cogitatum nostrum præuenerit. Permittamus ergo nos lauari à Domino nostro Iesu Christo, quia etiamsi nos ipsos lauemus, vel quicunq; alius nos lauet, tametsi mundi simus, tamen sordibus intinget nos; quo partẽ cum ipso habeamus, qui est hæres vniuersorũ. Ac licèt dixerit, *Etsi non lauero te, non habebis partẽ mecum*; nõ proptereà dixit, omnes quos lauisset ipse, partem habere secum: quia non omnes eodem animo lotionem accipiũt, vel baptismum, nec omnes munditiã conseruant acceptam. Ipse etiam dicit, Si nõ laueritis me in meis, nimirum doctrina, Sacramẽti administratione, exemplo, oratione, non habebitis partem mecũ. Oportet ergo Christum lauare, & à Christo lauari, si volumus salutem adipisci. Maiorq; est humilitas Petri, si pedes permittat sibi ab Iesu lauari, quàm si Petrus multorũ pedes lauisset: multoque acrius reprehenduntur Apostoli in facto Iesu, quã si multis verbis, & illis quidem acerbis, superbiæ, & elationis arguerẽtur. Quòd si quisquam nollet lauari à Iesu quid aliud profiteretur, quàm quòd mundus & iustus est per seipsum, nec vult peccatũ suum agnoscere, & profitetur se gratia Dei non indigere; neq; tãto exemplo opus habere? Et certè honor Christi non est, quẽ mũdus putat, sed ille, qui ex ipsa humilitate amore mixta cõsurgit. Frustra enim carnem sumpsisset nostram; & huc venisset, si nostra vitia suo exemplo fouisset, & nõ potius verbo & facto impugnasset. Nam si ex lotione pedum nostrorum aliquid minus decorũ Christo accessisset, citius nostram damnationem ferre deberemus, quã illud perpeti: quia nostrũ est primò quęrere gloriam Dei, & propter eam salutẽ nostram; at vbi nihil detrimẽti, aut absurdi, sed summa gloria, & ornamẽtum Christo accedit, quemadmodum in venerãdæ Eucharistiæ perceptione contingit, debemus frequẽter ad Sacramẽta accedere, vt inde nobis mũditia, quæ in Christi gloriã cedat, cõtingat.

Quomodo benefaciendum sit.

Magnũ Dei donum est proximo benefacere. *Act. 20.*

A Christo lauari nos curpati debeamus. *Iob 9. Heb. 2.*

Lauandi nobis vt sint proximi nostri.

Nolle baptizari à Iesu, quid sit.

Christi honor verus qualis.

Eucharistia cur pijs frequentanda.

Dicit ei Simon Petrus, Domine, non tantum pedes, sed & manus, & caput. Deterritus Petr⁹ tãtæ comminationis verbis, permittit Domino, vt lauet omnes partes corporis: quæ lauari possunt honestè, postquam cognouit hanc esse eius absolutam voluntatem. Quasi diceret; si sic res habet, age, fiat non mea; sed tua voluntas: ideo offero corpus vniuersum; caput, manus, pedes laua, & terge pro tua volũtate. Cognouit enim se totum in peccatis natum, & putauit se in aliquo delicto occulto deprehensum, quod se lateret, & oculis Christi cuncta videntis patens, & apertum esset: nouerat que illud Moysi dictum, quod nõ nisi ob peccatum homo separatur à Deo: *Qui peccauerit*, inquit, *mihi, delebo eum de libro meo.* Et Esaias, *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à nobis, ne exaudiret.* Hinc Chrysostomus eleganter ait: *In recusando vehemens Petrus, & in permittendo vehementior; vtrumque ex amore.* Sic ille. Hæc autẽ est natura fidei, quæ facit vt quis se totum diuinæ voluntati cõmittat: quæ resignatio, vt ita dicam, gratissimus est Deo cultus, *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Sic Abraham finit se duci à Deo in terram, quam nescit, & Petrus confidenter ambulat super aquas.

Dicit ei Iesus, Qui locutus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Græca lectio duplicem efficere potest sensum. Nã si particula εἰ legitur, significat nisi; si verò legitur ἤ, significat Vel, & esset: Qui lotus est, nõ opus habet vel vt pedes lauet; & ita, sed aduersatur, cùm ait, sed est mundus totus. Lectio tamen Latina melior est. Estq; sensus: Ad id significandum, quod nunc volo, satis est pedum lotio: nam reliquarum corporis partium alia significatio est. Videturque metaphora sumpta ab his, qui lauãtur in thermis, vt quidam volunt: qui cũ post lotionem in apodyterium se conferunt, vt vestes, quas ibi deposuerant, resumant, puluerem, quem exiguo illo spatio pedibus collegerant, abstergũt; nam reliquum corpus iam lotũ est. Qui ergo lotus est exteri⁹ alibi præter pedes, non opus habet, nisi vt pedes lauet: Et qui intus lotus est in capite per gratiam. & Spiritum sanctum, & in manibus, hoc est, operibus, & charitate, & deliberatione Spirit⁹ factis, quæ à terra eleuãtur, eget lauari pedes, i. inferiores partes, & aste-

Quid Petrus non tantùm pedes, sed & manus. & caput vult sibi à Christo lauari.

Vnde homo separetur à Deo. *Exod. 32.*

Esai. 59.

Chrys. hom. 69. in Ioan.

Fidei natura

Luc. 9.

Gen. 12.

Act. 7.

Matth. 14.

Explicatur hæc sententia: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.

Vnde hæc ducta translatio secundum aliquos.

Pedes qui significent.

affectus animæ veniali culpa infectos, aut illorum, vel lethalium caussas, nisi reprimantur, id est, cupiditates, quæ lauantur oratione, afflictione, eleemosyna, remissione iniuriæ, quam tamen vt aquam calidam refugimus; ideò immūdi sumus. Ad quod non sufficit sola fides, vt docet Zuinglius: neq; verum est quòd semel lotus gratiam munditiæ non amittat, vt hoc loco tradit Bucerus. B. Bernardus, per lotum intelligit eum, qui grauia peccata non habet: cuius caput, id est, intentio per fidem recta existit, & manus, id est, conuersatio, & operatio munda est per charitatem; sed cuius pedes, id est, affectus, dū in hoc puluere gradimur, in totum mundi esse non possunt, quin aliquando vel vanitati, vel voluptati, vel curiositati, vel bonorum temporalium cupiditati, plusquam oportet, vel ad horam cedat animus. In multis namq; offendimus omnes: in quibus cauēda negligentia, ne in ea incurramus, quia impossibile est cum eis saluos fieri, nec dilui possunt, nisi per Iesum Christum. Cauendus item timor inordinatus, postquam illa incurrimus, ob eam causam quòd illa cauere non possumus; ne maiorum, & lethalium peccatorum fugam nobis ipsis tribuamus.

Zuinglij, atque Buceri falsum dogma redarguitur.

Bernar ser. in cœna, qui incipit: Hi sunt dies, &c.

Lotus quis, Bernardo.

Iacob. 3.

Lotus ergo, & adoptatus in filium per baptismum, opus habet pedes lauare, quia nōdum peruenit ad patriam, & cum, dum viator est, oportet ambulare. Ideò inquinantur pedes, hoc est, ima pars, quæ minus fortis est, & magis tangens sordida, & versans terrena; quæ post caput, & manus, id est, portionem spiritus superiorem speculantem, & inferiorem mediā, & practicam, quæ primò iustificantur, sicut corruerunt prius in Adam, lauanda est, & mundanda. Erant igitur Apostoli baptizati, vel saltem spiritu intus à Christo mūdati, secundùm Augustinum. Et semel baptizatus, non debet iterum baptizari; sed leuia, & quotidiana peccata lacrymis delere, queādmodum aliàs lotus, pedes tātùm lauat. Quod si quis post baptismum non viuit, vt ait Augustin. non eget lotione, sed suscitatione: si autem viuit, ea indiget: quā si hic non habeat, fortiori aqua Purgatorij mūdandus est, vt vel hac ratione veritas Purgatorij constabiliatur. Mali autem Christiani post baptismū se peccatis contaminantes, vsque ad verticem toti sordidi sunt; boni autem pedibus tantùm; vt hoc loco tradit Origenes.

Vtilis, & salutaris ad baptizatos admonitio.

Aug. tract. 56. in Ioan. tom 9.

Aug. ibidem.

Origenes in Ioan. tom. 32.

Et subdit, *Sed est mundus totus.* Lotis nimirum pedibus, qui soli erant sordidi; Vel. mundus est totus præter pedes, vt Augustinus interpretatur, etsi nō sint sine leuibus peccatis significatis per pedes immundos: illa tamen non tollunt simpliciter iustitiā, vel munditiē, vel perfectionem: hic qui sine illis non degunt vitam, dicuntur sancti, abluti, sanctificati, iustificati, perfecti. Significat etiam Iesus, quòd non recuset totum lauare corpus, si totus indigeret: sed tantùm pedes Apostolorum, quia calcaneū in eum leuassent, & ad extremum eum erant negaturi, atq; relicturi, & ante omnes vnus erat eum proditurus. Quia ergo extrema eorum aut nocitura Domino erant, vt Iudæ prodentis, aut vacillatura, vt omnium, qui eum reliquerunt; ideò pedes vt lauarentur, indigebant. Cùm ergo eorum extremus actus immundus esset, præuenit eos Iesus antè lauando quàm peccarent: sicut ipse præuentus fuit vngi à religiosa muliere, antequam sepeliretur

Quid sit: Sed est mundus totus.

August.

1. Cor. 6.

Alter sensus.

Marc. 14.

Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, Non estis mundi omnes. Phrasis in primis est Hebræa, *Et vos mundi estis*, pro eo quod est, vos autem mundi estis. Apostoli baptismo, saltem interno, mundati erant. & inferiorem quandā munditiam assecuti, quam fuerit illa, quam acceperunt in die Pentecostes: mundi autem estis, quia habetis fidem, & charitatem, ob quam peccata vobis non imputantur: hoc enim ipso, quòd nūc fertis me lauare pedes vestros, obiurgo vestram superbiam, & ad humilitatem induco, & munditiam confero. Nam Christus lauabat non solùm extra, sed etiam intus corda obicem non ponentium: Sed quia vnus ex eis nō mūdabatur, qui pes erat morsui serpētis expositus, qui manus, & pedes, & caput lauare debebat; neque cogitauit quibus sordib' sit intinctus, sed se lauantē cogitabat prodere; ideò dixit: *Sed nō omnes, sciebat enim quisnā esset qui traderet eum: propterea dixit*, scilicet vt mundaretur; tacitè admonens Iudam, vt interpretatur Theophylactus, vt ab animo prodendi recederet. Nam non tradebat nisi ex præcedente immunditia. Omnes namque qui mundi, & verè edocti extiterunt, Christo assensi sunt, vt Simeon Anna, Nathanaël, Gamaliël, Nicodemus, atque alij, qui cognitione Dei imbuti erant. Idem etiam præstiterunt Philosophi, & Gentiles excellentes, quam primum illis cœpit illucescere Euāgelium; vt hinc possimus nos ipsos agnoscere. Nā quantum Christo, atque eius doctrinæ affecti sumus, tantum mundi, & puri existimus: quantum vero sordes peccatorum, & carnis voluptates, & seculi diuitias cū anxietate consectamur, eatenus nos immundos, & impuros agnoscamus. Quamobrē ad Sacramenta à Domino nostro instituta in la-

Quorū corda Christus, & quomodo lauaret.

Theophyl.

Christo qui adhæserint ex Iudæis.

Luc. 2.

Ioan. 1.

Act. 5.

Quò mundior & sanctior sit quispiam.

Finis Sacramentorum, & fructus.

in lauacrum animarũ nostrarum, frequenter accedamus, vt puritatem & munditiam interioris hominis consecuti, fructum huius ablutionis habeamus, quam discipulis exhibuit Dominus noster Iesus Christus, quem vnà cum Patre, & Spiritu sancto, omni honoris cultu merito prosequitur omnis creatura in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS VIII.

In illa verba: *Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua: & cùm recubuisset, iterum dixit eis, Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister, & Domine; & benè dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ioan. 13.

Prophetæ quibus ferè verbis [vt etiam hic Christus] tristia denunciant.

SOLENT viri prudentes sinistrum aliquid denunciaturi, non statim apertis verbis, sed obscuris, & veluti à longinquo dicere, ne amantium corda sua oratione tantoperè feriant. Ita olim Prophetæ de Christo tectè locuti sunt paulo clariùs Dauid, clarissimè omnium Esaias. Ad hunc modum Christus, à principio tectè suam mortem proponebat, cùm diceret: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Et; *Sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto; ita exaltari oportet Filiũ hominis*; Et, *Sicut Ionas fuit in vẽtre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* Verùm imminente passione apertiùs locutus est: *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent eum Gentibus ad illudendũ, & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die resurget.* Sed cùm iam profecturus esset ad mortẽ, horaq; instaret, prius voluit discipulorum pedes abluere, & illo facto delineare, quod paulo pòst in cruce facturus erat. Nã vt hic formã serui indutus, & præcinctus, aqua lauit pedes discipulorum, atq; linteo abstersit; ita & in cruce nudatus vestibus, & linteo humanitatis præcinctus, sanguinem suum effudit, cùm aqua de latere in peluim crucis ad ablutionẽ animarum nostrarum.

Ioan. 2.
Infra 3.
Matth. 12.
Iona 2.
Matth. 20.

Postquam ergo lauit pedes eorum. Obedientiam Petro exhibente, reliqui Apostoli sine disceptatione lauari se à Domino permiserunt. Lauitq; pedes omnium, etiam Iudæ beneficijs obdurescentis, quia misericordia hic contempta vertitur in iustitiam, ob iram agni; & contrà iustitia patienter tolerata vertitur in misericordiam. Lauit ergo magna cum humilitate procumbẽs in genua, teste Cypriano: & vt piè meditatur Simon de Cassia, Apostolorum pedibus suis labijs oscula impressit: quamuis Euangelica historia eius rei non meminerit. Sed mirum nõ est, humiliora cùm legamus ipsum pro nobis fecisse. Nam vnde, præterquam ab illa pia osculatione sumptum est, mosq; in hodiernum vsque diem inoleuit, vt maiores cùm lauerint, libent oscula pedibus subiectorum?

Ioan. 19. Petri obedientia, Christi humilitas, & charitas.

B. Cyp. ser. de ablut. pedum. Simon de Cassia lib. 13. de pass. Dom. Vtrum lauerit Christus pedes discipulorum, stans, an verò procumbens.

Accepit vestimenta sua. In signũ quòd post mortem, in qua abluit sordes animarum, per resurrectionem corpus immortale tanquam vestimentum regium resumpsit. *Et cum recubuisset, iterum dixit eis.* Aduerbium, *iterum*, coniungi potest cũ verbo recubuit; vt significetur secundus recubitus, qui nõ repugnat cœnæ factæ. Nam postquam cœnatum est, iuxta ritum legis festinanter edendo agnum, & ideo absque vlla interruptione, dicitur lauisse pedes eorum; vt merito posteà dicatur recubuisse iterũ. Potest etiam aduerbium, *iterum*, iungi cum verbo *dixit*, vt sit sensus: Iterũ dixit verbo, quod dixerat facto: & hoc est efficax & vtile dicere. Qua in re Christus quod promiserat, cũ dixit: Scies autem postea, præstitit: nam modo factum illud declarauit quid significaret. Nam quia segnius irritant animos demissa per aurem, & facta magis mouent, quã verba; sicut verba magis docent quàm facta; quia auditus sensus est disciplinæ: ideo per vtrumque sensum & oculorum, & aurium, Dominus hãc doctrinam tradere voluit. Perpende etiam signa externa accipienda esse, vt fini propter quem assumuntur, congruunt, atq; expediunt, ad significandam seriam seruitutem vel dominationem: nam omnia ad æternam salutem præstandam iuuant, & tam humiliatio, quàm exaltatio dona Dei sunt. Suntque hæc quæ Christus fecit, symbola aliarũ rerum celsiorum: Resurrectionis quidem, quia accepit vestimenta; Ascensionis, quod recubuit in cœna gloriæ; Doctrinæ verò, quia inde per Spiritum sanctum Ecclesiam instruit. Ad literam enim, seruus præcinctus stat, dominus verò sedet; Magister verò etiam cum dignitate vestium sedet.

Quid significet, quod Christus post lotionem accepit vestimenta sua.
Exod 12.

Horat. in Arte. Verba cur magis doceant quàm facta, licèt facta magis, quàm verba permoueant. Signa externa, quatenus, accipienda sint. Quæ Christ[us] fecit in cœna, quarum rerum sint symbola.

Scitis quid fecerim vobis? Interrogat, vt attentionem excitet. Et summa hîc scientia continetur, quia omnia mysteria salutis: quanquam pro eorũ captu exemplum tantùm, & non Sacramentum explicet, vt superiùs diximus. *Vos vocatis me Magister, & Domine.* Vos, discipuli electi à me, & Spiritu meo recti, spõte & ex corde vocatis me cre-

Quorsum id: Scitis quid fecerim vobis?

Luc. 6. Alio animo Discipuli, a-

lio Scribæ & Pharisæi, Christũ Dominum & Magistrum appellabant.

Matt. 22.
Supra 7.
Infrà 12.
Infra 26.
Ioan 3.
Infrà 9.
Marc. 5.
Suprà 4.
Matth. 17.
Infrà 21.
Ioan. 21.

Apostoli Christũ cur Dominum, & cur Magistrum vocarent.

Hominis dictum quatenus auctoritatẽ habeat.

Matth. 15.
1. Cor. 12.
Psalm 115.
Rom 3.

brô & ex consuetudine in præsentia, & in absentia Magistrum & Dominum; & non vt Pharisæi, qui nolentes, fictis verbis, & ex hypocrisi vocant me Dominum, & Magistrum. Sed non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; & cùm dicebant, *Magister, volumus à te signum videre.* Cæterùm vos ex corde & fide illud profitemini. Vnde aiebant: *Magister dicit, tempus meũ prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister.* Et, *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Et, *Quid vltra vexas Magistrum?* Et rursus, *Magister, non ad te pertinet quia perimus?* Dicebant etiam, *Domine, bonum est nos hic esse*; Et, *Dominus ijs opus habet*; Et, *Dominus est.* Magistrum ergo vocabãt, ob sapientiam; Dominum, ob autoritatem, & potestatem. *Et benè,* inquit, *dicitis.* Verbum hoc ponderandum est: non enim habet autoritatis pondus dictum hominis nisi quatenus à Deo approbatur: qui non probat nisi dicta & opera sua. Omnis enim plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur; Et, *Nemo potest dicere* (hoc est, credere ac proinde loqui) *Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Et, *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax.* Benè Dominum vocant qui eum timent, & eius dictis obediunt; & Magistrum, qui eius doctrinæ per fidem acquiescunt. Nec quisquã existimet speciem esse vanæ gloriæ, quòd Dominus se ipsum laudet de dominio, & magisterio, sicut quando dicebat: *Ego sum pastor bonus.* Et, *Ego sum lux mundi.* Sed si attentè cõsideremus, Deum primum locum perfectionis, bonitatis, sapientiæ, atq; virtutis tenere iustissimè asseremus, totum ad se conuersum esse, & omnia ad se vt finem trahere: vniuersa etenim propter seipsum operatus est Dominus. Nec in hoc est vlla inanis gloria, sed iustitia & debitum. Nam si vel tu Deus esses, & agnosceres te infinita perfectione, & bonitate præditum, te ipsum super omnia diligeres, & propter te omnia faceres. Ideo cũ Deus postulat laudari à creaturis ratione præditis; nonnisi suum honorem, & ex merito iustitiæ debitum petit. Et cùm se laudat, iustè facit. Et sicut creaturæ dictum est; *Laudet te alienus, & non os tuum,* ita Deo dicendum est, Laudet te, Deus, os tuum, & non os alienum, quis enim laudare valeat infinitum bonitatis pelagus, nisi ipsemet seipsum detegat, & reuelet? Adhęc Deus eiusmodi laudem & honorem non quærit ob suum vllum compendium, aut vtilitatẽ: quia si vel tantillum creaturæ laudibus cresceret Deus, proculdubio Deus non esset, qui infinitam bonitatis substantiam significat; cui propterea additio vlla fieri non potest, vt proinde se sine periculo laudare valeat, & laudari postulet. At homini, qui ignorat, bonitas sua, & perfectio quanta sit, & minus eam, quæ aliorum est, & quibus se comparat; proinde vanum est se iactare, vel laudes ab alijs ambire. Nam si ei constaret, bonitatem suam excellere bonitati Petri, & non peruenire ad illam Pauli, deberet se Paulo subdere, & maiorem Petro ducere: esset enim ingrati animi signũ nõ agnoscere Dei dona & illa habere in gradu suo. Cæterùm cùm nos gradum, qui nobis competit, ignoremus, secundùm Bernardum, securius potissimum locum tenemus in conuiuio, humiliando nos bono, quod in alijs cernimus, & considerando imperfecta nostra, ac sordes. Christus porrò quatenus homo est, nouit vbi sit, id est, in loco Mediatoris; ideo rectè se in eo loco tenet, & sibi testimonium perhibet, quòd est petra, ostium, via, veritas, vita, lux mundi, panis viuus, pastor bonus. Sed non sistit in se homine, vt in fine, vnde dicebat: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus, qui glorificat me.* Et, *Honorifico Patrem meum:* nempè ad eum omnes, omnia, ac me ipsum trahendo, ac deferendo.

Prou. 16.

Deo optimo maximo quã debitæ laudes, omnisq; gratiarum actio.

Prou 27.

Deus crescente laudibus non potest humanis.

Deus quid significet.

Quàm Deo conueniens sit propria sui ipsius commendatio.

Ioan 10.
Supra 8.

Hominí seipsum laudare cur indecorũ & vanum.

Ber. ser. in cœna, qui incip. Hi sunt dies.

Christus vt homo qualẽ se agnoscat, ac prædicet, & quatenus.

Matth. 16.
Ioan 10.
Infra 14.
Supra 8.
Infrà 6.
Ioan. 10.
Supra 8.
Ibidem.

Sum etenim. Ne quis putaret solos illos titulos ex hominibus, non ex sua natura habere, sicut reliqui homines habent, qui vocantur domini, & magistri ex accidenti, qui tamen pleraque nesciunt, & in multis deficiunt. Christus autem quantum ad diuinitatem, magister est, & omnium hominum qui docentur; & omnium rerum, quę docentur: cum ordine tamen & suauitate. Ipse enim docuit cœlos volui, Solem lucere, elementa inuicem agere, vniri, corrumpi, & generari, aues cantum, apes mellificãdi artem, araneas, & bombyces ex visceribus telas nere, formicas prouidentiam, lupum, & vulpem omnes dolos, & astutias. Ordo porrò est, quod insensibilia docuit omnia exercitia quæ faciunt, indens ad illa appetitum naturalem, vt promptè exequantur. Sensu verò prædita erudit, conferendo sensum, vt appredẽdant, & appetitum quo inclinẽtur: sed sibi finis cognitionem retinens; vt architectus, qui præcipit fabro, vt tot lapides quadros probat, siue tot tabulas, quæ picturam recipiant, finem verò sibi soli seruans: vt hinc dici soleat, q; dirigũtur ab intelligentia non errãte. Quæ verò rationem participant, vt Hominẽ, & Angelum, mirificè instruit. Nã confert cognitionẽ finis humani, & reuelat præterea finẽ diuinũ, & suprà naturã positũ, multaque adhuc sibi reseruat. Facitq; obiecta doctrinæ,

Perpenditur: Sum etenim.

Iacobi 3.

Christus qualis sit magister.

Christus creata omnia docet, & quo ordine.

Angelum, & Hominem, quid doceat.

ctrinæ percipiendæ cōmoda, & perficit lumen intellectus agentis. Hinc omnia sensu & anima carentia, & homines, quantum ad legem Naturę attinet, sine externo vllo doctore similia sunt, & similia operãtur; & cũ eo ipse porrigit, & cōseruat lumen, quo penetretur obiectum, vt lignũ ab igne. At homo non sic docet: quia tantum obiectum, quo facilius apprehendi possit, proponit. Quemadmodum qui alterum iuuat in ferẽdo pondere, vel vt fouens paruum ignẽ, non facit quidẽ ignem, sed ficciora fomenta ministrans, facit vt ignis augeatur: quòd si grandiora ligna, & magis viridia apponeret, ignem extingueret sanè: eadem ratione sine ordine docens, & nō à facilioribus incipiens, confunderet potius quàm doceret; quemadmodum etiam ars medicinę nihil potest sine natura, quę sæpè se reducere ad temperamentum potest sine arte. Sed vt medicus non dat vires rehubarbaro, aut casię, neque obtineret quicquam, nisi natura pugnaret in malum humorem opprimentem; & vt fouens ignem, nō facit ligna, nec ipse propriè ignem facit, nisi quatenus supponit lignis ignem: ad hunc ferè modum homo docens hominem, nō dat lumen intus, sed illud ponit iam esse in homine, nec facit res ipsas docendas, vt cœlum, terras, plantas, animalia, de quibus est scientia; sed ista obiecta tantum applicat, vt per lumen internum apprehendantur. Deus autem ipse, & lumen præstat, & res, quæ docentur efficit, & suauiter, & cum ordine proponit, vt capiantur: hinc Deus scientiarum Dominus est, & ipsi pręparantur cogitationes. Christus autem quatenus homo, summè possidet veritatem, nec errare potest, quatenus Deo est vnitus: nobis quoque est accommodatus, vt homo mortalis, innocẽs, & in summum magistrum electus, vt scientiam altissimi finis, id est, vitæ æternę, & instrumentorum ad eam perducentium, verbo, & exemplo doceret; signis verò & prædictione futurorum, atque morte confirmaret, & affectus quos vellet, concitaret. Nam in manu illius erat aut gratiam conciliare, quã dedit Israëlitis apud Ægyptios accommodantes aurea, & argentea vasa, aut vestimenta pretiosa; aut terrorem incutere, iuxta illud: *Irruat super eos formido, & pauor: in magnitudine brachij tui fiant immobiles sicut lapis*; vel quemuis alium affectum, quem vellet, excitare. Est etiam Dominus in magisterio ob eius efficaciam, ob quod dicitur quòd sermo eius erat in potestate, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi. Erat etiam Dominus absolutè, & natura Dominus, & creatione: quia ipse fecit nos, & non ipsi nos. Est etiã eius dominium, quod alienari ab eo, aut amitti non potest. Nam si tibi, v. g. Deus largitur dominium regni, aut ciuitatis, aut castri, aut bonorum fortunæ, aut deniq; corporis, & vitæ, ita tamẽ dat, vt dominio nō se spoliet: quia tibi melius est, vt ille gubernet quàm tu ipse, aliàs vt prodigus omnia dissipares. Habet pręterea dominium liberum, & sine vlla seruitute: quia non indiget nec cęlo, nec terra, nec homine, nã bonorum nostrorum nō eget; ideò nulli est addictum seruituti, vt humanum dominium, quod est admixtum seruituti, vt testatur Augustinus in Canonicã Ioannis. Nam quia dominium agri habes, vt fructum aliquem elicias; opus est illum excolere, seminare, & plantare; Si eges seruo, qui tibi ministret, necessum est vt illi inseruias, victum, vestitum, doctrinam, atque correctionem illi dando. Secùs dominium diuinum. quod merè liberum est, & ab omni seruitute longè seiunctum. Quartò, Christus, vt homo est, omnibus modis, quibus dominium comparari solet, habere dignoscitur: id est, vel creando, & faciendo vel bello, & lite victoriam obtinendo, vel temporis diuturnitate præscribendo; vel donatione accipiendo, de quo da[illegible]a est mihi omnis potestas in cœlo, & in [illegible]rra.

Homo hominem docet longè aliter ac Deus, & quomodo.

Ordo pręposterus doctrinæ.

1. Reg. 2.

Christus homo quã perfectus sit magister.

Gen. 3.
Exod. 12.
Infrà 15.

Idem qualis sit Dominus.
Matt. 7.

Luc. 5.

Psalm. 99.

Dominij Christi perfectiones.

Psalm. 15.

Aug. tract. 8. in Canonicã Ioan. tom. 9.

Quibus modis dominiũ comparetur humanum.

Matth. vlt.

Si ergo ego laui pedes vestros, D[illegible]inus, & Magister, & vos debetis alter alteri[illegible] lauare pedes: Illud verbum à Luca verissi[illegible]è locutũ est, *Cœpit Iesus facere & docere*, [illegible] hoc loco vides: illud etiam, *Si ergo ego* infinitam vim illationis complectitur, vt differentia eius ad nos planè ostendit. Si ego Dominus in habitu serui, & magister in habitu discipuli humilioris Helisæo fundente aquam super manus Helię, &c. Et nomen Domini dispo nit vt audiamus, & si quantum ad nos magisterium præcedat dominium, vnde illis dicebat: *Vos vocatis me Magister, & Domine*; quantum ad Deum verò pręcedit dominium magisterium. Neminem enim docet, nisi eos, qui sibi tantũ subditi sunt: & Christus homo vt magister, ducit ad Deum Dominum. Si ergo ego laui manibus meis genibus procumbens, imam partem, hoc est, pedes vestros, qui estis pauperes, idiotæ, & contempti: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Debetis, inquã, primùm ex instituto Dei per lumen naturę iubentis mutuum iuuamen, quod est loco armorum, quibus plus destitutus est homo, quàm cęteræ animantia; vt suppleat humanitas defectum armorum, secundùm Lactantium. Nam mandauit vnicuiq; de proximo suo. Et, *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Galenus tãquam Philosophus, in lib.

Expenditur: Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & Magister.
Act. 1.

4. Reg. 3.

Quid: & vos debetis alter alterius lauare pedes.

Duplex obligatio huius mutuæ lotionis pedum.

Lact. li de Opif. Dei, [illegible]
Ecclesi 17.
Prou. 18.
Galenus.

ac vsu partium, docet, pro omnibus alijs ar mis, vestibus, pellibus, dentibus, cornibus, calcibus, & venenis, ac industrijs, quibus alia animalia à natura sunt prouidè munita, homini prospectū de ratione, & manu, quibus tāquam organis sibi omnia necessaria comparare potest. Nam illis instrumentis nouit arma condere ad defensionem, quibus feras trucidet; ratione domat equos, equoque conscenso velocius omni fera currit, nouit struere insidias animalibus se fortioribus, itaq; habet artem omnia illa superandi. Lactantius tamen magis Theologicè respōdet. Nam sola humanitas, qua homines sibi mutuo cōsentientes subueniūt, reddit illos fortes, & tutos contra frigus, æstum, pluuias, vētos, feras, & hostes. Deinde debetis etiā ex lege scripta, & exemplo isto facto ad obligandū, ideò habente vim legis: secùs in alijs vt virginitatis, & paupertatis documentis, quibus noluit nos obligare; sed tantùm volentibus imitari, coronam ampliorem proposuit.

Homini à natura de ratione & manu cur tantum fuerit prospectum, teste Galeno.

Lactan. ibid.

Altera oblatio.

Vt autem hęc verba: *Debetis alter alterius lauare pedes*, melius intelligātur, distinguenda est triplex lotio, altera literalis, & externa, & aliena à metaphora: secunda est spiritualis & metaphorica per illam Christi externam figurata: tertia est prorsus ceremonialis; factum Christi repræsentans, quæ quotannis à Summo Pontifice, Regibus & Prælatis in die Iouis sancti fieri consueuit. Quod attinet ad primam lotionem, lauare pedes sine metaphora per Synecdochē, est omne officium, etiam abiectissimum, & cōtemptum, & opus misericordiæ corporeæ circa corpus proximi iuuandum impendere. Consueuit enim Scriptura per vnum opus multa significare, quemadmodum de Helisæo dicitur, quod fundebat aquam super manus Eliæ. In quo denotatur integrū ministerium in omnibus, id est in cibo, mēsa, domi, & foris, & per vnum actum pascēdi oues, significatur pontificatus, & primatus Petri: ita per actum lauandi pedes, omnia alia ministeria corpori proximi impendenda significantur, secundùm Theophylactum. Estq; sensus; Nisi tantam habeatis charitatem, & humilitatem, vt parati sitis in necessitate quacunque, etiam ad abiectissima, & laboriosissima ministeria proximo exhibenda, etiam ad lauandos pedes, etiam si quis Imperator sit, aut Papa, salui fieri minimè possis: tum nanque dignitatis, & magnificentiæ tituli, & omnes alij respectus aut nobilitatis, & magistratus, ob quos opus humilitatis, & charitatis erga proximum intermittere solemus, posthabendi sunt, & negligendi.

Lotio triplex

I. lotio, literalis scilicet, & externa quid significet.

Mos Scripturæ.

4. Reg 3.

Theophyl.

Huius lotionis necessitas.

Quantum ad secundam lotionem spiritualem, & metaphoricā, cuius illa externa erat symbolum, & vocabulum, accipimus per hæc verba cuilibet fideli iniunctum à Christo, vt omnia aduersa sustineat pro lauandis fratrum suorum animis, & in puritate baptismi cōseruandis. Nō enim minor est virtus, quā quærere parta tueri, iuxta illud: *Supportātes inuicem in charitate.* Et, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi* Et iterum: *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorū sustinere: & no nobis placere:* & Propheta: *Seruiant ei humero vno.* Atq; ita ablutio fit exēplo bonæ vitæ, verbo correctionis, & consolationis, Euangelij pdicatione, Sacramēti dispensatione, largitione eleēmosynæ, patientia, qua aduersa pro salute proximi sustines, vel sanguinē pro eo effundis, sicut Christus in cruce sanguinē effudit, quo animi nostri lauarētur. Quando proximo laborāti orationis suffragium impertis; deniq; quocunq; modo aut operis, aut patiaris, in spiritualem proximi salutem promouendam, proximi pedes abluisti, & præceptum hoc Domini impleuisti.

II. lotio, quæ spiritualis, & metaphorica nominatur, quid signet.

Ouidius.

Ephes. 4.

Gal. 6.

Rom. 15.

Sophon. 3.

Animarum ablutio rectè qui fiat.

Tertiam lotionem, q̄ magis Principibus tum Ecclesiasticis, tū secularibus de more obseruari consueuit ad Christi imitationē, impudenter Bucerus, atq; alij eiusdem farinæ viri, quasi nudam ceremoniam Spiritu Dei destitutam, & ex ambitione factam reprehēdunt: sed nos eorum temeritatem, & insolentiam omni acerbiori reprehēsione dignam iudicamus: nam illud audent contemnere, quod ad imitandū nobis Christus proposuit. Quia enim Deus nouit, naturā nostrā magis rebus visis, & quasi ante oculos propositis permoueri, quàm verbis; ob quā causam Deus voluit in veteri lege, vt populus beneficia, q̄ a Deo recepisset, veluti in comœdia quadā repręsentaret: vt liberationē ab Angelo percutiente, & exitū de Ægypto, voluit cōmemorari per agni esū festinatū cū azymis panibus, baculis, atq; lactucis syluestribus, vitam quadraginta annorum in deserto sub frondibus, per festū tabernaculorū referri instituit: ita in Nouo Testamento, Christi mortem in cruce pro nobis susceptam, vt tantū beneficiū altius imprimeretur cordibus hoīm non tantùm legi in codicibus & aurib[9] insinuari, sed etiam repsentari per seipsum in sacrosancto Missæ sacrificio, atq; oculis ipsis subijci ad recordationē charitatis, & humilitatis instituit. Vnde & dæmon (qui simia Dei est, vt B. Aug. lib. de Ciuit. Dei tradit) non contētus quòd legerentur, & narrarentur impudica, & obscœna suorū deorū facta, vt fortius ad malū irritarent, excitauit Poetas fa-

III. lotio pœnitentialis ceremonialis.

Ecclesiæ Principū ad Christi imitationē pauperum pedes lauantiū laudabilis cōsuetudo ab Hæreticorū calumnijs vindicatur.

Bucerus.

Exemplorū vis.

Exod 12.

Ibidem.

Infra 14 & Psalm 113.

Exod 16.

Leuit. 23.

Quare Christus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum instituit, in Ecclesiaq; frequentari constituit.

Aug lib 2. de ciuit Dei, ca. 27 tom. 5.

Dæmonem simiam Dei possis aguoscere.

bularum

bularum autores, & comœdiarũ, qui festa Bonæ Deæ, Lupercalia, Floralia, Bacchanalia, atque alia inhonesta spectacula populo exhiberent. Ita hæc tertia lotio in Ecclesia Dei introducta est in commemorationem præcepti Christi, etiamsi illi qui lauātur, loti alioquin existāt, vel possint ab alio æquali vel inferiori, vel à seipsis domi prius lauari: vereque potest, vel Papa, vel Imperator humiliari tales lauando, exemplumq́; alios lauandi præbendo: & testātur tales se credere quòd Dñs Iesus proprium pro nobis omnibus fuderit sanguinẽ, & quantum quisq; debeat propter Christum seruire proximo suo. Positiua igitur huiusmodi instituta sensibiles repræsentationes cōtinentia, ad multa bona iuuare possũt in diuinis comœdijs, vt in diabolicis diuinas imitātibus ad plura olim, & grauiora mala spectatores concitabant: quanquã hæc ceremonia in quibusdã locis ob peculiares quasdam rationes non obseruaretur. Scribit enim B. Aug. ad Ianuarium: *De lauandis verò pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quã docendam venerat, cõmendauerit, sicut ipse consequenter exposuit: quæsitum est quonam tempore potissimum res tanta etiam facto doceretur, & illud tempus occurreret, quo ipsa commẽdatio religiosius inhæreret. Sed ne ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi hoc in cõsuetudinem recipere noluerunt. Nõnulli etiam de consuetudine auferre non dubitauerunt.* Idem cum Augustino docet Ambros. lib. de Sacramẽtis: *Succinctus summus Sacerdos pedes tibi lauit* (alloquitur iam baptizatum.) *Quid istud mysterium? Audisti vtiq; quia Dominus cum lauisset discipulis alijs pedes, venit ad Petrum, & ait illi Petrus: Tu mihi lauas pedes?* Et post pauca: *Nõ ignoramus quod Ecclesia Romana hanc cõsuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur, & formam. Hanc tamen consuetudinẽ non habet, vt pedes lauet. Vide ergo ne fortè propter multitudinem declinauit. Sunt tamen qui dicant, & excusare conentur, quia hoc in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lauandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Deniq; audi quia mysterium est, & sanctificatio. Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Hoc ideo dico, non quod alios reprehendã, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideò quod alibi rectius seruatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhæremus deuotioni.* Hactenus ille, docens se solitũ lauare pedes baptizatis, etsi id à Romana Ecclesia nõ custodiretur eo tempore, nunc autem magna diligentia obseruatur, cũ id Christus instituerit obseruari, vt tradit Bern. ser. in cœna Domini, & Cypr. ser. de vnct. chrismatis. Et in Concil. Aquisgran. habetur: *Canonici,* inquit, *tam de frugibus, quàm etiam de omnibus eleēmosynarũ oblationibus, in vsus pauperum decimas libentissimè ad ipsum conferant hospitale.* Et infra: *Clerici si alijs temporibus nequeunt, saltem Quadragesimæ tempore pedes pauperum in competenti lauent hospitali.* Et reliq. Hæc ibi.

Lotio hæc in Ecclesia Dei ad quid inducta sit.

Aug. ep. 119. c 18. tom. 2.

Hæc lotio ceremonialis quibusdam in locis quare desueuerat, teste Augustino.

Ambr. lib. 3. de Sacram. c. 1. circa med. tom. 4.

Eius desuetudinis in Ecclesia pedes lauandi, diluit rationem Amb.

Ambrosij in Romanã Ecclesiam obseruantia.

B. Bernard. B. Cyprian Conc. Aquisgr. can. 141.

Subdit Dñs: *Exemplum enim dedi vobis.* Exemplum enim certum, & fallere nõ valens, factu etiam facilè, & accõmodatum. *Vt quemadmodum ego feci.* Non quemadmodũ alij faciunt, dicunt enim, & nõ faciunt. nisi quatenus alij imitatores sunt Christi, vt Paulus dicebat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Ita cùm nos aliquid nostris p̃cipere volumus, debemus ipsi facere, vel parati esse ad faciendum, cùm præcipimus ea quæ Dei sunt, etiã si nos ea nõ faciamus: præcipere tñ possumus alijs, quia non sumus nos qui præcipimus, sed Deus per nos tum alijs, tum nobis præcipiens. Verbum etiam (quemadmodum) indicat non tantũ exemplum rei faciendæ, vt videlicet alter alterius lauet pedes, sed etiam modum faciẽdi, scilicet ex charitate, & humilitate: hic enim modus, & non tantùm operis substantia, Deo placet. Internè ergo instruimur cuiuis proximo ex charitate humiliari: externè quãtum ad officia necessaria, quẽuis etiam hæc admonitio cõprehendit. Externè verò, & veluti in comœdia spirituali decens est, & valdè cõueniens communitati, & Ecclesiæ: in qua sat est, vt aliqui id p̃stent, cùm non sit debitum cuiuis in singulari.

Christ' quale nobis dedit exemplũ.

Matth. 23.

1. Cor. 11.

Boni operis alia conditio requisita, nobis à Christo suo exemplo firmata.

Ita & vos faciatis. Vos, inquã, Apostoli, & maiores, quibus cura lauãdi animas cõmittitur. Et qui benè lauat, magisterij, & dñij Christi particeps efficitur, & dominatur fratris affectibus; quos lenit, ac mitigat nõ secus atq; Iacob, qui corpus suũ humiliando fratris sui animum emolliuit, atq; humiliauit. Habet ergo lotio pedum pro præmio remissionem peccatorum, si fiat fide viua: & peccatorũ, intellige venialium, q̃ secum admittit fides viua. Sinamus igitur lauari nos, & mutuò proximos nostros lauemus: corripiamus alios, & nos corrigi permittamus: Oremus pro inuicem, vt saluemur: ad Sacramenta suscipienda, atq; frequentanda nos inuicem cohortemur: ad bonorum operũ studium, & ad aduersa patiẽter perferenda mutuis exemplis nos excitemus, vt ita geramus morẽ verbo Domini & tanto exemplo respondeamus ad gloriam eiusdẽ Dñi nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto pari honore colitur, & adoratur ab omni creatura semper, Amen.

Quibus dicitur à Christo: Ita & vos faciatis.

Gen. 33.

Lotioni pedum quorũ remissio peccatorum debeatur.

Iacobi 5.

TRACTATVS IX.

In illa verba: *Amen, amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neq; Apostolus maior est eo, qui misit illũ. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim. Sed vt adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecũ panem, leuabit cõtra me calcaneum suum. Amodò dico vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis quia ego sum*, & reliq. Ioan. 13.

A quibus pręcipuè metuẽdum & cauẽdum hominibus sit.

INter alia postrema pericula grauissimũ esse solet, quòd ab his, quos beneficijs affecimus, hoc est, à domesticis, & familiaribus & falsis fratrib⁹ imminet. Vt graue fuit Dauidi pati à filio Absalon, & Paulus nõ sine causa enarrãs multitudinẽ periculorum homini impẽdentiũ, postremũ locũ dedit illi, ꝙ à falsis fratribus imminet: vnde Christus propositis in verbis de Iuda ex Apostolo & ꝑdicatore, & signorũ operatore, proditore facto meritò cõqueritur. Exemplũ igitur humilitatis traditũ, iuramenti specie cõfirmat & veluti lege stabilit, quod sanxerat exẽplo, vt absq; culpa cõtẽni nõ posset. Iurat aũt, siue potiùs asseuerat, nõ rẽ clarã, & per se apertã, nimirũ ꝙ seruus nequaquã sit suprà dñm, vel discipulus suprà magistrum, sed occultam, scil. quòd Christus debebat se humiliare, quatenus homo est. vnde dicebat: *Sicut mandatũ dedit mihi Pater, sic facio*, & Paul. *Humiliauit semetipsũ factus obediẽs vsq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. Propter quod & Deus exaltauit illũ.* & rursus: *Nõne hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriã suã?* Ad hęc iurat ꝙ incumbebat eis ita facere, quia cõstituebat eos magistros & doctores mũdi loco suo. *Vos estis*, inquit, *sal terræ. Vos estis lux mũdi.* Tertium erat clarũ, sed difficile hominib. ꝑsuadetur, vt facto nõ se gerãt vt maiores dño, dũ ministrari volũt, nõ ministrare. Ait igitur: *Amen amẽ dico vobis, nõ est seruus maior domino suo, neq; Apostolus maior est eo, qui misit illũ.* Seruus dicitur prius respectu Christi deinde Apostolus respectu aliorũ. Et seru⁹ quaten⁹ seruus nõ est maior dño suo, & Apostolus. i. legatus, siue nũtius nõ est maior eo, qui mittit illũ. Nã etsi Christus dicitur Apostolus à Paulo, tñ Deo mittente maior non est: propterea rectè nõ dixit, ꝙ est minor eo, qui misit illũ, sed nõ est maior mittente, potest tñ esse æqualis, ac propterea turpe est dedignari imitari illũ qui misit ipsum. Legatus quãdiu est legatus, nõ est maior dño; quando aũt maior fit, neq; seruus neq; Apostolus amplius est, & vt apud Matthęum dicitur, sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo, sicut dñs eius. Iudas aũt seruus erat, nõ Christi, sed peccati, Apostolus, non Iesu, sed diaboli: vt ait Orig. Et seruitus est conditio discipulorũ, sicut Apostolatus, magistratus, & officium eorũ. Etsi aũt omnis Iesu sermo prolatus, maiorẽ cœlo, terraq; firmitatẽ habeat, vt apud Lucam dicitur; hic tñ addidit iusiurandũ, vt magis imprimeret, & vt ostenderet scitu quidẽ esse facile, sed difficile creditu, obseruatu aũt lõgè difficillimũ, seruũ nõ esse debere maiorem dño suo. In externis siquidem nemo est, qui se dño suo pręferre audeat; at in spiritualibus secus se habet. Nõ est ergo ꝙ exemplũ meũ erubescatis: vos enim ꝗd aliud estis, ꝙ̃ Apostoli & serui mei, quorũ ego dñs & magister sum? Supra me nõ estis, etiãsi in posterũ vos, vel successores vestri ad quascunq; dignitate peruenietis; non tñ maiores eritis in sciẽtia, aut potestate, ꝙ̃ ego sim: ideo non est ꝙ erubescatis de humilitate & charitate exhibenda, de quibus ego nõ erubui, sed gloriatus sum. Sed certè Christus se humiliauit, nos humilitatẽ fugimus: ministrauit ille seruis: nos cuiquã seruire dedignamur. Benefecit Christus inimicis, nos neque fratribus benefacere dignamur. Laborauit Christus, nos otium ꝗrimus: Christus gloriæ splẽdor opprobria sustinuit, nos ne verbũ quidẽ patiẽter possumus tolerare. Ille iudex omniũ iudicari se permisit, nos à quoquã argui recusamus. Ille per mortẽ, & crucem in gloriam suam intrauit; nos contẽdimus per luxũ, & lasciuiã illuc ingredi. Quid ergo facimus, ꝙ̃ ꝙ ei nos pręferimus, ac meliora cupimus, quàm ipse habuit.

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Validè vrget ad opera prællãda, quasi sine illis nihil iuuet quodcũq; scire. Et accipitur si, pro qa, estq; sensus: si scitis, i. quia hęc scitis vos seruos & Apostolos, non esse supra dñm, & mittentẽ, & scitis vos humilitatis pręcepto teneri, si scientes beati esse cupitis, facite ꝙ scitis: opus ipsũ vidistis in me expressum, & ego idẽ in vobis videre cupio. Sic nãq; post virtutẽ perfectã, & vitã exactã aderit ꝑmiũ beatitudinis: sicut etiã vitijs atque peccatis suppliciũ. Gręcè tamẽ de pręsenti habetur, Beati estis, nõ quidẽ re ipsa, sed in spe, & iure. Quemadmodũ alio loco dixit de ꝑsenti: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, &c.* Et addit: *Si feceritis ea*, qa Euangeliũ bonorũ operũ, & meritorũ conditionẽ habet, vt hîc Dñs apertè testatur. Non igitur satis est sola fides, vt hæretici deblaterãt, qa scienti bonũ facere, & nõ facienti, peccatũ est illi: non secus ac edenti cibũ, & non digerenti, damnum est illi. Est etiam similis, qui audit verba,

Margin notes (left): 2. Reg. 17. — 2. Cor. 12. — Tria iurat Christus, cũ ait: Amen, amen dico vobis: Non est seruus maior domino suo. — Ioan. 14. — Philip. 2. — Luc. vlt. — Matth. 5. — Infrà 26. & Luc. 22. — Quemadmodum non sit seruus maior domino suo neque Apostolus eo, qui misit illum. — Hebr. 3.

Margin notes (right): Matth. 10. — Iudas proditor cuius domini seruus, & cuius mittentis Apostolus. — Orig. in Ioan. tom. 32. — Luc. 21. — Quare Christus iurauit, seruum non esse maiorem domino suo. — Notatur humana superbia exemplo Christi. — Rom. 15. — Psalm. 68. — Luc. 24. — Hæc verba: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea, quẽ sensum habeant. — Matth. 5. — Euangelij cõditio, contra hæreticos solam fidem beatificantem à Domino requisita. — Scientes bonum facere, & nõ facientes, quales illi.

verba,& non facit illa, viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & vt Vrias perferens literas quibus damnetur, & vt ille,qui considerat vultum natiuitatis suæ in speculo, q statim oblitus qualis fuerit,non abstergit maculas faciei. Et quia in officio lotionis pedum vniuersa officia charitatis ad proximum comprehẽdebat Dominus; ideo in plurali dixit,si hæc scitis.

Iacob.4. Matth.7. 2.Reg.11. Iaco.1.

Duplex Iudę separatio.

Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim. Quuemadmodum superiùs separauit immundum Iudam à mundis Apostolis, cùm dixit: *Et vos mundi estis, sed non omnes*, ita hoc loco seiungit à beatitudine Iudam. Etsi enim ista conditionalis propositio de futura beatitudine: *Si hæc scitis, & feceritis, beati eritis*, vera extitisset tam de Iuda,quàm de reliquis Apostolis, Iesus tamen iuxta literam Græcam de præsenti videtur dixisse illam. Si hæc scitis,beati estis,si feceritis ea quæ non poterant tunc in Iuda impleri, qui erat in statu, & animo peccati. Immò quia huiusmodi conditionalis propositio nihil affirmat, siue de præsenti, siue de futuro dicatur, ita complectitur Iudam, atque alios: quia conditio in alijs implenda erat, sed non in Iuda, qui suo vitio noluit implere. Et quantum ad sensum, absolutum quid erat ob eorum vtile sub conditione propositum:sed excipit dicẽdo,Non omnes in hac beatitudine locum habetis. Est enim inter vos,qui non solùm non ministrabit cõseruis suis, sed etiam in me dominum suum crudelis futurus sit: non erit minister,sed fur:non imitator, sed insidiator:non Apostolus, sed diabolus. Vere immundus, & infelix Iudas, qui nec inter mundos,nec inter beatos locum habet. Et hoc verbo etiam eum pupugit Christus, si fortè corrigeretur.

Conditionalis propositionis natura.

Iudæ infelix conditio.

Obijcies fortassis; Si nullus Christianus beatus est propter scire, si non adsit opus; ergo non opus est verbum Dei audire, ne maiori damnatione inuoluamur. Respondeo; imò profectò magis propter affectatam ignorantiam damnaremur, vt ille de quo dicitur: *Noluit intelligere,vt benè ageret.* Vacandum est ergo verbo Dei frequenter audiendo, nam ob hoc studium Dominus impertiet studiũ faciendi quod audimus, ne frustrà, aut ad damnationem audiuisse videamur: *Ego scio quos elegerim.* Ne quisquã errore factũ, aut præter opinionẽ Iesu existimaret accidisse:quòd Iudã talẽ in numerũ Apostolorum cooptauerit; excludit hunc errorẽ aperiendo, quod nec propter notitiã,nec propter electionẽ suã hęc exceptio euenerit: *Ego,inquit, scio quos elegerim*; nimirũ,vel ad Apostolatũ,vel ad gloriã. De

Cùm obsolũ scire nemo beatus sit, an verbum Dei audire sit necesse.

Psal. 35.

Verbo Dei cur vacandũ nobis sit.

Quorsum id: Ego scio quos elegerim.

Apostolatu habetur apud Lucã: *Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit*: & apud Ioannẽ: *Nõne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Et inter eos nouerat, vel quis bonus esset futurus:nam etsi ab initio bonus Iudas extitetit,ac propterea electus, ipse tamẽ sua sponte ad peccatũ redijt. Vel: *Ego scio quos elegerim*, absolutè ad possidendam æternã gloriam: quod non erat de Iuda. Nã etsi sub conditione velit omnes homines saluos fieri, si tamẽ adiumẽta salutis amplectantur:& propterea omnibus quod ad se attinet,gratiãsuam impertiri nõ dedignetur,quia tñ non omnes re ipsa volũt salui fieri,nec seriò huic studio salutis incumbunt,hinc fit vt pleriq; à fine suo cadant.

Luc.6.

Ioan.6.

Alter sensus.

1.Tim.2.

Quòd si dicas; Cur igitur impiũ Iudam tanto tẽpore inter Apostolos tolerauit Dominus,cũ eius insidias,& malitiã non ignoraret? Respondeat tibi primũ Cyril. scribẽs in hæc verba: *Sed quæret,inquit, aliquis primũ, si omnia scire Christus creditur.cur Iudã,qui futurus proditor erat,elegerit? Cur enim cũ alijs eum cõnumerauit,quẽ non ignorabat quæstus cupiditate captum in laqueũ diaboli esse casurum? Deinde si calcaneum suũ aduersus Christum leuauit,vt adimpleretur Scriptura; nõ fuit sanè ipsius rei causa, sed vis illa, quæ adimplere Scripturam omninò cogebat.* Adhęc nos breuiter propter cõmunem vtilitatẽ respondentes, primum illud dicimus,nunqñ huiusmodi nobis rationes defuturas,nec finẽ vnquã nos esse facturos increpandi,carpẽdiq; Deũ,qui propter immensam suã misericordiã à nihilo adesse omnia vocauit:si si sic imperitè affecti erimus,vt in omnib',quę à Deo facta sunt, similia velimus excogitare. Quid enim ꝓhibebit incusare Deũ,ac dicere:Cur in Regem,Saulẽ elegisti, quẽ sciebas gratiã tuam esse spreturũ? imò cur primũ à terra hominem formasti:quẽ ignorabas mandata non seruaturũ? Ascendet hæc oratio etiã in superiora. Cur enim Angelorũ naturã creasti;cũ vt Deus pręuideris futura nõnullorũ rebellionẽ?Ex istis,cęterisq; huiũsmodi illud porrò sequetur,vt pręcognitionis causa, aut nihil omninò creare debuerit, aut insensatã solũmodò naturã producere,vnde nec natura esse Deus cognosceret. Respõdet & ipsemet: *Sed vt adimpleatur*(inqit) *Scriptura.* Aduersatiua cõiunctio(*Sed*)indicat solutionẽ tacitè obiectionis,quia obijci poterat: Cur ergo Dominus elegit quem nouerat non fore beatum,nec facturũ quę præcepit? Respondetur,vt impleatur Scriptura. Estq; pulcher sensus: Propterea sustineo in multa patiẽtia hoc vas iræ aptatũ à seipso ad interitum, vt ꝙ ab initio fuit sic de me dispositum,ita nunc fiat nullo nouo

Cur impium Iudam tanto tempore inter Apostolos tolerauit Dominus, cum ei cognita eius esset impietas, & insidiæ.

Cyril. lib 9. in Ioan. cap. 10. tom. 2.

Reg.17.

Gen. 1.

Cyrilli responsio.

Rom 9. & 2. Tim. 2.

consilio, sed ordine certo, & antiquitùs præscito, adde etiam præfinito, atq; prædicto. Nec intelligas hoc, quasi coactus sit Iudas Dominum prodere, ne falsa inueniatur Scriptura: non enim hic est finis Scripturæ aliquid prædicentis, vt homines cogat, nam alioqui Iudas prodendo minimè peccasset, nec tã vituperandus esset quòd Dei voluntatem impleuisset, quàm laudãdus: hinc si quòd extitisset peccatum, potiùs in Deum ipsum recideret, quàm in Iudã, sed quia Iudas sua sponte hoc facturus erat, in quo elatus est supra dominũ suum, ac se mittentem, miser, & infelix fuit. Quod præsciens Spiritus sanctus futurum, prædici, & Scripturæ sanctę voluit commendari. Sed Scriptura quod præuisum erat à Deo, prædicit & sicut ab eo pręuisum est, ac pręd ictum q̃ liberè eueniret, ita etiã liberè euenit, & voluntariè prodidit: nã alioqui Scriptura nõ impleretur, si ipse spontè, & liberè nõ prodidisset. Nã si Iudas hoc de se prædictũ nouisset, ac ita prodidisset, vt Deo pareret, proculdubio non peccasset: at non hoc de eo erat prædictum, sed quod auarè, & perfidè facinus esset admissurus; & ita impleuit Scripturã. Nã primò est peccatũ, deinde, vt sic dicam, est præuisum, postea pręd ictum, postremò Scripturæ commẽdatum. Et ita cùm ait: *Vt adimpleatur Scriptura*, est probatio à posteriori. Quemadmodum cùm dicimus clemẽtem Regem, quia parcit, probatio est ab effectu; sicut è contrario cùm dicimus Regem parcere, quia clemens est, probatio est à priori, & à caussa. Et hæc confirmãtur autoritate eiusdẽ Cyrilli, qui ait: Nemo autẽ putet, vt breuiter etiã alterum peragamus, idcircò quæ à Prophetis dicta sunt, in exitũ venire, vt adimpleatur Scriptura. Nam si sic esset, laudari potiùs quàm vituperari tanquàm Scripturarũ ministri nequam homines possent: quippe nec deliquisse omninò viderentur, si coacti fecissent. Nam si adimplere Scripturam necesse esset, illi, per quos adimpleretur, nullo crimine profectò tenerẽtur. Præterea in Scripturę autorem culpa redundare videretur, siquidẽ vt adimpleretur Scriptura, vi quadam mala commiserint. Sed quis adeò rationis, ac mentis inops erit, vt Scripturam sancti Spiritus, peccandi caussam attulisse nominivnquã credere possit? Non ergo, vt adimpleatur Scriptura, nec ista de caussa facta sunt à quibusdam quę Scriptura prædixit, sed contrà: quoniã ita nonnulli spontè facturi erant, idcirco præsciens Spiritus sanctus futura pręd ixit. Hæc ille ferè. Stant igitur simul immutabilis, atq; ineuitabilis, diuina scientia, & prouidentia cum varietate euentuum contingentium, atq; adeò cum variabili libero arbitrio, & in vtramq; contradictionis partem flexibili.

Quomodo Iudas Dominum prodiderit, vt adimpleretur Scriptura.

Qualis hæc phrasis: Vt impleatur Scriptura.

Cyril. ibidẽ. Quæ à Prophetis dicta sunt, in exitum non veniunt, vt adimpleatur Scriptura, teste Cyrillo.

Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. His verbis Dominus vnum solum excipit, quia omnes territi erant verbo Christi. Et per illum tropum: *Qui manducat mecum panem*, significatur familiaris vsq; ad mensam: quod quia amorẽ gignit, ideo sacrificia fiebant, & edebantur à Iudæis in templo, vt commercium haberent homines cum Deo, & familiaritatem. Hinc Dominus cùm dedit Iudæ buccellã, dedit etiam, iuxta nonnullorũ sententiam, Eucharistiam: quã Iudas, vt communẽ panẽ sumpsit. LXX. habent in plurali Panes, scilicet communes, de quib. alio loco Propheta ait: *Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*: quid solet inimicos placare, & videtur cõqueri quod ab amico proderetur, vt Cęsar qui dixit Bruto prodenti καὶ σὺ τέκνον, hoc est, *& tu fili?* Conuiuia etiam, quæ ἀγάπαι vocabant, ideo dicebantur quod dilectionem mutuam excitarent. *Leuabit contra me calcaneum.* Nos in Psalmo quadragesimo secundùm 70. Interprętes habemus: *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* B. Hieron. iuxta Hebræam veritatem sic vertit: *Sed & homo pacificus meus, in quo habui fiduciam, qui manducabat panem meum, leuabit contra me plantam.* Alij porrò sic vertunt: *Etiam amicus meus de quo confisus eram, qui vescebatur pane meo, sustulit calcem suum contra me.* Vocat Christus Iudam hominem pacis suæ, id est, hominem pacificè secum conuersantem, tãquàm vnum è familiaribus, & discipulis suis, nihil verbo, vel signo, nisi quod pacis erat, præseferentem; vsque adeò, vt ipso proditionis momento afferret salutationem cum osculo, & bellum inferret cum signo pacis. Quod subiungit Christus se in Iuda sperasse, siue habuisse fiduciam: ne intelligas, Christum in homine spem posuisse: quia maledicit Spirit' sanctus eum, qui confidit in homine, sed in quo confidebat tanquàm fideli Apostolo, & œconomo, cui loculos cõmiserat. Quo ex loco elicit Orig. ab initio eum bonum fuisse, & in Christum credidisse. Nec propriè Christus confidebat in Iuda, quasi ipse ignoraret dolos, & technas eius, quia ipse sciebat quid esset in homine: & alio loco dixit: *Nonne ego vos duodecim elegi; & ex vobis vnus diabolus est?* Fidebat autem, quod attinet ad operis externi exhibitionem, siue loculorum deportationem. Tertiò additur Magnificauit super me,

Psal. 40.

His verbis de Iuda: Qui manducat mecum panẽ, &c. quid Christus significauerit.

Psalm. 54.

Ἀγάπαι conuiuia cur dicebantur.

B. Hieronym. tom. 8.

Hominem pacis suæ, Iudam cur vocet Christus.

Matt. 26.

Quomodo Christus in Iuda spem posuerit, vt ait Psalmista.

Hier. 17

Ioan. 12. & Infrà 13.

Origen. in Ioan. tom. 32.

Ioan. 2. Infra 6.

vel

vel ampliauit aduersus me supplantationem, vt 70. Interpretes, vel secundùm alios, leuauit supra me plantam, siue calcem suum. Non dixit, Hic me tradet, ne eum detegeret, sed occultè ait, vt resipiscat: *Leuabit contra me calcaneum*, vt pedibus conterat, & conculcet. Calcaneo enim comprimimus hostes, vt habet Gen. 3. Vbi duplicem metaphoram agnoscere possumus: alteram secundùm Theoph. à certantibus, siue luctantibus sumptam, qui supplantant aduersarium, dum illorum calcaneum calcant, in terramque prosternunt: ita Iudas leuauit supra me plantam, quia dolum & deceptionem contra me composuit. Altera sumitur ad significandam proditionis offensam, ex similitudine animalis calcitrantis contra eum, qui curam illius habet: nam frequenter contra omnem rationem contingit huiusmodi calcitratio cōtra Dominum, vel hominem habētem curam illius. Solēt enim eiusmodi animalia etsi aliis molesta sint, pacificè se tamen habere cum curatore suo. Ac ne putes leuem calcitrationem post tot beneficia, & indicia charitatis erga illum, subiungit, Magnificauit: id est, magnam effecit calcitrationem, morti me tradendo, quia emptorem, imò redemptorem omnium hic vnus peruersè supergressus, & ad aduersarios deficiens vendere ausus est, non vt Christus viueret, sed vt occideretur. Porrò Dominus non solùm iniustè occidi, sed & à proditore se vēdi permisit: quia homo, pro cuius salute venerat moriturus, non solùm propter transgressionem mortuus est, sed in ipsa transgressione fraudulenter à dæmone pro pomo venditus erat, iuxta illud: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Non mirum igitur, si Ecclesia, quæ vberibus suis nutriuit, & panibus saginauit hæreticos, illi nūc eam pedibus conculcent, vt porci, vt possit Ecclesia dicere; Filios enutriui, & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me. Proinde patietur Ecclesia proditores suos, vt Christus Iudam. Terretque hoc verbum Prophetæ, peccati grauitatem ostendendo. Nam quæ nos leuia esse existimamus, supplantationem, & calcem appellat: quemadmodum ad Hebræos Paulus, peccatores vocat crucifixores Christi, & Filium Dei conculcantes, & sanguinem testamenti pollutum ducentes. Terret etiam nos hoc verbum Prophetæ: nam nos sumus, qui Christi panem manducamus in verbo, & Sacramento, & in bonis, quæ Christo sunt oblata, deliciamur; & tamen Christum per peccatum pedibus affectuve cōculcamus. Omnis enim peccator, bellua est malitiosa, quæ de bonis omini terrenis impinguata, calcitrat in Dominum suum, & eum ferre recusat; cùm scriptum sit: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro:* & iterum, *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*; hoc est, te semper ferens. Modò verò in pluribus Sacerdotibus, & religiosis, qui de patrimonio crucifixi viuunt, illud Propheticum impletur; *Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabātur.* Et rursus Moyses, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

Prædixit autem hoc Dominus, ne Discipuli terrerentur, cùm hæc impleri respicerent, vnde subiungit; *Amodò dico vobis, priusquàm fiat; vt cùm factum fuerit, credatis quia ego sum.* Quia Prophetæ veri agnoscebantur vel ex vita, vel ex signis, vel ex impletione, euentuq; eorū quæ prædicebant. Ideo Dominus proditionem Iudę, & mortem suam pręnuntiauit; vt ex illis agnoscerent eum Prophetam in omnibus alijs verbis suis: quemadmodum alio loco discipulis annuntiauit quicquid ipsis esset euenturum, vt illo verbo eorum fidem confirmaret, qua credebant Christum omnia pręcognoscere quæ passuri erant. Ita hic ait, *Vt credatis quia ego sum*, scilicet ille qui sum. Nā prædicere contingentia quę pendent ex libero arbitrio, Deitatem manifestam indicat: quemadmodum Esaias ait; *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Vel: Ego sum, videns, & per meipsum loquēs meo nomine; cùm alij Prophetæ dicere soleāt, *Hæc dicit Dominus.* Non negat etiā se hoc dicere, vt Iudas conuertatur: nā ad id quoq; valere poterat, vt cū credidisset, & impletum vidisset ꝙ scriptum erat à Dauide, & prædictū à Christo, conuerteretur. Sed hoc tacuit Iesus futuri præscius: sciebat enim quod Iudas non erat ad sanitatē rediturus: itaq; proficit dixisse propter ipsos Apostolos. Credatis tertiò ꝙ ego sum ille ipse egenus & pauper, de quo id prædictum fuerat, & super quē qui intelligit, beatus est. Et ego sum qui sum; id est, qui permaneo, etiāsi ad tempus mortē degustem. De quo in eodem Psal. 47. dicitur, *Nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat? Tu aūt Domine miserere mei, & resuscita me; & retribuam eis.* Ostendit autem Dominus quanti faciat iacturam vnius animę, tot beneficia ingrato Iudæ communicando, & tot verba profundendo, vt eū à peccato reuocaret. Neq; propterea ꝙ Christus prædixit, minus libere peccauit Iudas: nā si præsciētia Dei libertati obsisteret humanę, iā ne Deꝰ ꝗdem ipse

Margin notes (left, partly cut off): ad quid si- velit: ma- ificauit per me sup antationē. — heophyl. — uplex corū rbotū me- phora vn- e sumpta. — ti magnifi- uit super hristū sup- antatione das. — ur Domi- us non so- um iniustè ccidi, sed & roditōe uoluerit nuit. — en. 3. — sai 53. — cclesię pro- itores qui nt, & cui il- s patiatur. — sal. 1. — æc verba: manduc- t mecum anem, leua t cōtra me lcaneum um, ter- ant quos. — eb 6. & 10. — eccator cui s similis sit.

Margin notes (right): 1. Cor. 6. — Psal. 47. — Sacerdotum ac Religiosorum nostri seculi mores notantur. — Ierem. 5. — Deut 32. — Cur Dominus Iudæ proditionem prædixerit. — Prophetæ veri vnde agnoscerentur. — Ioan 16. — Exod. 3. — Prædictio futurorum, deitatis argumentū est. — Esai 41. — II. ratio. — III ratio. — Psal. 40. — Exod. 3. — Animæ iactura vel vnius Christo quā grauis. — Dei præscientia libertati non obsistit humanæ.

ipse liber esset, siquidem quæ acturus sit, præsciat.

Theophyl. Quorsum hæc: Amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit.

Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autē me accipit, accipit eum qui me misit. Quorsum hæc, vt ait Theophylactus? Quia dixerat quod prodendus erat à discipulo, & derelicturus erat eos, & Iudæi aggressuri erant ipsum, ac sui dispergendi, & varijs malis affligendi; consolatur eos dupliciter. Primò ostendens quòd ipse in eis passurus erat, maximè si cogitarent quæ beneficia proditori lauando eius pedes, & ad communem mensam admittendo communicasset: hæc enim corroborare Apostolos apta erant. Deinde pollicetur omnium domos illis apertas futuras, & suscipiēdos ab omnibus, qui Iesu sermonem susciperent. Adhæc docet, Apostolis non defuturos suos persecutores & proditores, quemadmodum ipse habuit Iudam. Indicat prætereà dignitatem Apostolatus quanta sit, à qua decidit Iudas: qui non tantùm in Christum hominem, sed etiam in Deum Patrem peccauit.

Alter sensus.

Alij existimāt Dominum post interpositā obiter proditoris sui mentionem, redire ad prouocandum fideles ad dilectionis officia, vnde suum cœperat sermonem. Et sicut prius suo sermone, & exemplo admonuerat Apostolos sese sibi mutuo submittere, & mutua dilectionis munera impendere, ita nunc fideles prouocat ad eadem charitatis officia, Apostolis, & Apostolorum successoribus exhibenda: quia qui tales suscipit, non hominem, sed aut Christum, aut ipsum Deum suscipit, quod magnæ est dignitatis. Postremò explicat ablutionem pedum factam, & transit ad susceptionē Christi, vt per lotionem intelligamus vniuersa charitatis officia, quæ non tantùm homini fiunt, sed etiā ipsi Christo, & in ipso, Deo Patri.

Simile.

Nā vt emens iactum sagenę, quę loco piscium tripodem auream cœpit, vnde emptor ditatus est: nō pisces, sed aliud pretij amplioris, aurū nempè inuenisse cēseretur: ita plerumq; qui hominem, aut pauperē excipere se domi cogitat propter Deum, nō dicam iam Angelos pro hominibus suscipit, vt fecerunt Abrahā, & Lot, vt ait liber Geneseos, & Paulus ad Hebræos; sed, quod gloriosius est, & augustius, ipsum Christum, atq; adeò Deū Patrem suscipit.

Gen. 18. Infrà 19. Heb. 13. Ad hospitalitatem exhortatio.

Si igitur tanta manēt præmia eos, qui hospitalitatem sectātur, & benefici existunt in seruis Christi suscipiēdis: nemo nostrū tam ignauus, & salutis suæ immemor existat, vt pauperes, & peregrinos, & seruos Dei dum potest, in domum non admittat suam, imò inuitet, & cogat eos, quantū ad se attinet; vt sanctos Patres imitetur, qui beneficia vel inuitis obtrudebāt, atq; adeò ipsum Sanctorum omniū caput, & fontē, qui propterea cū Petro contendit de abluendis pedibus, vt doceret quanta animi alacritate proximis sit beneficiū impendendū, quantaq; humilitate fratri suo seruiendum, vt salutem æternam adipisci valeamus, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cū Patre, & Spiritu sancto, infinitis fruit gaudijs in sempiternū. Amen.

TRACTATVS X.

In illa verba: ***Quum hæc dixisset Iesus turbatus est spiritu; & protestatus est, & dixit, Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recubēs vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quē diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, Quis est de quo dicit? Itaq; quū recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei, Domine, quis est? Respōdit Iesus, Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.*** Ioan. 13.

Triplex hominum status atq; conditio.

QVemadmodum in cœlo omnes boni sunt, & sancti, at in gehenna improbi omnes, & scelesti; ita in hoc mūdo qui medium locum inter vtrumq; extremū tenet, boni cū malis sunt admixti, vt triticū cum palea, & zizania cum frumento: vt boni vexati à malis exerceant patiētiam; mali conspicientes piorū virorū charitatē, aut reuocentur à malo, & resipiscant, aut apud Deū reddantur inexcusabiles.

Cur modò boni cum malis admixti sint.

Bonus qui minimè censendus.

Nā bonus nō est, qui malos ferre nequit, aut ad bonum non vrget. Hinc Christus cōmiseratus vicē Iudę proditoris, signum tristitię edidit, & generali sermone eum pupugit, de quo ait Ioannes: *Cū hæc dixisset Iesus*, scilicet de exēplo abluendi pedes, & ante institutionē Eucharistiæ, secundùm Matthæum, Marcū & Ioannem, licèt post institutionē secundū Lucam de quo posteà differendū erit, *Turbatus est spiritu.*

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Quemadmodū Christus turbatus sit spiritu.

Intus quidē tristitia, seu timore, quæ nō derogāt dignitati, & serenitati animæ Christi; vtraq; enim propassio, & non passio erat in Christo. Non est autē perturbatus carnis impulsu, sed spiritu efficiēte, et regente turbationē assumptā. Sicut cū suscitaturus Lazarū infremuit spiritu, & turbauit seipsum: qa nihil aliud poterat ipsum turbare, nisi ipse turbasset seipsum.

Ioan. 11.

Idem cur turbatus sit spiritu.

Et ibi quidem turbatus est contra potentiā & tyrannidē peccati, ac mortis, qua omnes homines

mines oppressi erãt:sed hic ad ostensionem humanitatis suæ, & ne videretur nolle, vel deprecari mortẽ, atq; vt indignationẽ suã in peccatũ Iudæ proditoris ostenderet, & quàm grandis sit animæ iactura in excelso gradu cõstitutę. Hinc discipulis dixit: *Nunquid & vos* (qui scilicet fundamentum estis) *vultis abire?* Et vt cõmiserationem suã indicaret ad animã peccantẽ, & resipiscere nolentẽ. Adhæc, vt timorẽ proditionis haberent omnes Apostoli;& vt consolaretur infirmos, qui facilè de falsorum fratrum recessu turbãtur, doceretq; quòd inuitus hominẽ perdit, ac punit in æternum:hinc illa vox Domini apud Esaiã: *Heu ego consolabor super hostib. meis, & vindicabor de inimicis meis.* Postremò iudicare voluit Dominus, qua ratione affectus iracũdiæ, & superbiæ contra eos, qui nobis necem machinãtur citra vllã nostrã culpã cõprimere debeamus:nõ enim cum illis,execrationibus,aut maledictis, sed benedictionibus, & benefactis est certandũ,vt Christus suo exemplo docuit, & Paulus illo verbo: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malũ.* Et vide quã aptè sermonẽ turbantẽ discipulorũ animos prolaturus,turbatũ quoq; suũ exhibuit animũ. ¶*Et protestatus est.* Significat, apertè protulit, quod priùs obscuriùs dixerat, Magnificauit super me supplantationẽ. ¶*Amen amen.* Quod futurũ erat quasi præsens ipsi æternitati, & ob firmitatem verbi sui, cũ specie quadam iuramẽti pronuntiat. Nã etsi iam pepigisset cũ Pharisæis Iudas, poterat tamẽ eũ propositi sui pœnitere. Iurat & ob caussas, hoc est, derelictionẽ, & permissionem Dñi datã vt tentaret. ¶*Quia vnus ex vobis tradet me.* Et vt habet Marcus: *qui mãducat mecum.* Vel vt alij Euãgelistæ, *traditurus est.* Nõ increpãdo,aut cõminãdo,sed manifestãdo veritatẽ, detexit occultã sui proditionẽ ab vno eorum efficiendam. Pluries prędixerat impersonaliter,cùm dixit, *Et Filius hominis tradetur*; nunc descẽdit ad speciẽ, nimirùm quòd vnus ex Apostolis esset cũ traditurus; nõdum tñ peruenit ad indiuiduũ,& signatam personã, vt paulò pòst fecit. Prædixit autẽ, vt cognoscerent Apostoli,nihil noui sibi posse accidere, qui omnia prænouerat; & intelligerent ꝙ spontè mortẽ adiret;nec haberẽt occasionem fidẽ perdendi, vidẽtes Iesum spontè pati,& mori:& vt Iudã compungeret, ac ad resipiscẽtiam prouocaret, voluit potiùs omnes cõtristari Apostolos, quã vt Iudæ sua deesset ad pœnitentiã admonitio:vt docet Chrysostomus. Dici solet, Placere proditionẽ,non proditorem:at Christo placet proditor, quẽ sanare conabatur,nõ proditio,quæ est peccatũ. Dedit etiam occasionẽ scrutãdi corda, ne delitescat aliquod peccatũ occultum:quia prauũ est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ex quo euenit fructus,vt caueatur proditio, & expurgetur anim' à vitio quocũq;. Hinc Propheta dixit: *Vide si via iniquitatis in me est; & deduc me in via æterna.* Et Salomon; *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animã illius;* & Apostolus, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Nemo ergo ita suæ cognitioni fidat, vt non putet esse precibus interpellandũ Deum, vt verè nostram conscientiã explorare, & agnoscere possimus: quia ille meliùs nos agnoscit, quã nos ipsi.

Aspiciebãt ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret: Apostoli verbo Christi cõtristati,tria fecerunt. Primum à Ioanne enarratum, quod aspiciebant singuli ad inuicem, quod fecerunt velut de se benè conscij, vel tanquã adhuc parùm spirituales sese defendẽtes,& in alios pro Domino zelantes non sine periculo temerarij iudicij,vel suspicionis ex vultu coniecturam eliciendo: quanquã illud verum esse soleat: *Heu quàm difficile est, crimen non prodere vultu.* Secundũ est, quod inter se quæsierunt quis nam esset hoc facturus, vt apertè ait B. Lucas;& ita non tantùm aspectu, sed etiã sermone inter se egerũt. Quia enim vera charitas non cogitat malũ, & qui bonus est, de nemine malè suspicari potest, ex se enim alios metitur; ideo Christi discipuli nõ putabãt esse aliquẽ inter ipsos. in quem crimẽ proditionis caderet, imò nec in Iudã ipsum cui cùm dixit: *Quod facis fac citiùs,* non intellexerunt Apostoli,nisi quod præceperat vt aliq d emeret ad diem festũ. Tertiũ est,ꝙ refertur à Matthæo,& Marco: *At illi cœperũt contristari, & dicere singulatim, Nunquid ego?* Omnes igitur interrogãt præ tristitia cordis, & quia plus Domini verbis, quàm suæ conscientiæ fidebant,& ex diffidentia propriæ cognitionis,& humilitatis locuti non audebant dicere, Ego nõ sum Domine. Vt enim docet Magnus Basilius: *Etiamsi peccatum in nobis non sentiamus, plus credendũ est illis, qui melius possunt cognoscere.* Estq; sensus: *Nũquid ego sum Rabbi:* q te tantoperè diligo, vt pro te mori paratus sim? Et forte iactanter dicebãt, sicut & illud quòd paulò pòst quisque dixit; *Etiamsi oportuerit me mori tecũ, non te negabo.* Addunt prætereà Matthæus, & Marcus, dixisse Dñm; *Qui intingit mecũ manũ in paropside, hic me tradet*; vel, vn' ex duodecim qui intingit mecũ manũ in catino. *Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus*

homo

Ioan. 6. — Esa. 1. — Quẽadmodum cum iis, qui necẽ nobis moliuntur, nos gerere debeamus. — Matth. 5. Rom. 12. — Quid protestari. Christus cur turet. — Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. — Quo animo Christus dixerit: Quia vnus ex vobis tradet me. Matt. 20. — Iudæ proditio cur fuerit a Christo prædicta. — Chrys. hom. 1. in Io. to. 3. Proditio non placuit Christo, sed proditor.

Ierem. 17. Cordis ingenium. — Psal. 138. Sap. 4. — 1. Cor. 4. Propriæ sui ipsius notitiæ minimè fidendum. — Quid est ꝙ discipuli aspiciebant ad inuicem, hæsitantes de quo proditore Christus loqueretur. — Iuuenal. Apostolorũ vera charitas. Luc. 22. Malè sibi cõscij cordis ingenium. 1. Cor. 13. — Apostolorũ in Christum reuerentia, & fides. Matt. 26. Marc. 14. — Magni Basilij documentum. Basil. in regu. Breui. inter rog. 301. to. 2 — Quid est: Nũquid ego sum, Rabbi? Matt. 26. Ibidem. Marc. 14.

Apostolorũ ex verbis Domini de proditore timor quid fecit.

homo ille. Et subdit solus Matthæus; *Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit, Nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.* Hæc iam explicanda sunt. Videntur vndecim discipuli verbis Domini perterrefacti, manus suas à sumẽdo cibo cõtinuisse, donec Dominum interrogarent. Atque his verbis Dominus magis descendit ad particulare, qa vnus catinus erat, in quo fortè tres, vel quatuor cum Iesu tingebant, sicut alij in alijs catinis. Grçcè Matthçus habet ἐμβάψας, id est, qui intinxit, vt vertit Erasmus, & improbat in annotationibus suis nostrã Vulgatam editionem de præsenti, *Qui intingit:* quia si sic dixisset, indubitatum, & manifestum fuisset signum. Sed nunc voluit etiam iterum locum dare pœnitentiæ Iudæ. Sic ille, non videns se suo reti vtrinq; posse capi tãquàm dilemmate. Nam aut solus proditor cum ipso Iesu manum intingebat in catino, aut vnà cum cæteris Discipulis, vel omnibus, vel pluribus. Si solus, statim proditor à reliquis discipulis cognitus fuisset, & perspectus, siue dicat, Qui intinxerit, vel intingit mecum, vel intinget de futuro. Si verò cum omnibus, vel pluribus intingebat, nil plus dicere retulit, Qui intingit, vt Qui intinxit, cùm æquè obscurum remansisset, & incertum, de quo nam Dominus intelligeret. Sed quoniam aut omnes Discipuli, aut plures ex duodecim cum Iesu manum in catino ipso intingebant, non immergebant, vt quidam barbarè scripsit: ideo quinam esset proditor, nunc palàm appellare noluit. Accumbebant omnes discipuli per circuitum more triclinij, nõ in longum, vt passim ab imperitis depinguntur; & ideo poterant omnes in vno catino intingere. Sed meliùs vertes de præsenti: Qui intingit, vel intingere solet: Marcus enim legit, ὁ ἐμβαπτόμενος; intinxerat enim & intingebat: & Lucas, *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Et nouum non est: ἀόριστον Græcis accipi pro præsenti, id est, ἐμβάψας pro ἐμβαπτόμενος. Et adiungit Lucas: & ipsi cœperunt quærere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset. Si intinctiõe in catino prædicta esset proditor detectus, neq; se mutuò conspexissent, neq; Petrus Ioanni, vt Iesum hac de re percunctarẽtur, innuisset; neq; opus fuisset eo indicio, & certo signo per buccellam intinctam datam Iudæ, vt Ioannes quis esset, intelligeret. Nec Iudas tunc manum habebat in patina (fuisset enim manifestò tũc, & indubitato signo, vt diximus, detectus) sed qui intingere consueuit vt familiaris. Prius detexit quòd esset vnus ex his qui intingebant in suo catino: postremò, quòd esset il-

Hęc lectio Erasmi de pręterito: Qui intinxit, vt insulsa & inepta reiicitur.

Modus discumbendi veterum conuiuarum.

Hæc lectio de præsenti: Qui intingit quam apposita.

Duplex detectio Iudæ proditoris à Domino, sed tecta adhuc & obscura.

le, cui intinctam buccellam præberet. Itaq; indicat proditorem esse vnum ex his qui edunt in suo disco, vel qui intingũt in suo catino. In quo insignis Iudæ impudentia, teste Origene, detegitur: nam etsi alij præ timore ab edendo cessassent, quò magis proditionem suam occuleret, ipse tamen solus edebat. Videturq; hoc verbo Dominus magis illum detexisse, atq; hoc signum prorsus distinctum est ab alio de buccella, de qua solus loquitur Ioannes: aliud enim est, Dominum intinctam buccellam porrigere; aliud, Iudam ipsum intingere in catino Christi. Et confirmatur autoritate Clementis Romani, qui in libris Constit. Apostol. in persona Petri sic ait: *Neq; tamen hoc modò indicauit nobis illius nomẽ bonus Dominus, sed duo signa proditoris dedit, vnum dicens, Qui intingit mecum panem in catino, alterum, Cui ego intinctam buccellam dabo.* Hæc ille. Vnum ergo non est alterum, vt Caiet. & Torrensis existimarunt: quia illa duo sensibus, & verbis differunt. Addit Marcus, *Vnus ex duodecim qui intingit mecũ manum in catino.* Quod dem est ac dicere, Edit in meo catino. Et ait, *Deus ex duodecim,* non ad distinguẽdum, quia soli duodecim cœnabant cum Christo; sed ad exaggerandum crimen ex beneficio apostolatus, qui constabat in duodecim. Et meminit manus, quia illa eadem erat illum traditura: vnde & dixit; *Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa.* Catinus iste, in quo Christus intingebat, dicitur magna veneratione asseruari Genuæ, quem ferũt esse ex smaragdo pretioso, vel, vt alij dicunt, in illam est conuersus: quẽadmodum calix in quo benedixit, fertur asseruari Valentiæ: mensa verò, quæ quadra erat, Romæ apud S. Ioannem Lateranensem magna religione ad tantæ rei memoriam conseruatur. Subdunt ijdem Euangelistæ: *Et Filius quidem hominis vadit; sicut scriptum est de eo.* Occurrit his verbis tacitæ obiectioni; Si scis te tradendum, cur non vitas proditionem? Respondeo; Sponte vado ad mortem, quia vado Scripturam implere pro gloria Dei, & mundi salute, ac proinde proditionem à discipulo meo tolerare. Imò plus cupio vendi quàm Iudas vendere: plus seruare mundum, atq; illum meo sanguine redimere, quàm Iudæi pretio me ad mortem comparare. ¶*Væ autem homini illi, per quẽ Filius hominis tradetur.* Tollit excusationem Iudæ prodentis, & proditione sua Scripturam implẽtis: quia quod Iesus ex obediẽtia, & charitate implet Scripturam; Iudas ex crudelitate, & auaritia, & peccati obstinatione perfecit. Multum ergo refert, quomodo Scripturam impleamus,

Insignis Iudæ proditoris impudentia. *Origen supe-riori loco.*

Clem. Rom. lib. 5. Constit. Apost. cap. 15.

Caietanus. Torrensis.

Cur Christus dixerit; Vnus ex duodecim me traditurus est.

Catinus, & calix, ac mensa, vbi cœna peracta est, quibus in locis asseruentur religiosè.

Explicatur: & Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo.

Christi charitas in genus humanum.

Aliter Deus, aliter homo peccator scripturam implet.

B. August in Enchirid. ad Laure. c. 101. editio, tom. 3. non procul à princip.

Bona voluntas alia Dei, alia hominis, secundùm Augustinũ. *sententia. dist. 48. cap. 1.*

mus, & Dei voluntatem faciamus. Audi B. August. in Enchir. ad Laurētium verba; *Aliquādo bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, etiam ipse bona multò amplius, multoq; certius voluntate; nam illius mala voluntas esse nunquàm potest. Tanquàm si bonus filius patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempè ille vult quod non vult Deus, iste verò id vult, quod vult & Deus: & tamē bona voluntati Dei pietas illius potiùs consonat, quamuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisq; referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur. Nam Deus quosdam voluntates suas vtiq; bonas implet per malorum hominum voluntates malas. Sicut per Iudæos maleuolos bona voluntate Patris Christus pro nobis occisus est. Quod tantum bonum factum est, vt Apostolus Petrus quādo fieri id nolebat, Satanas ab ipso, qui occidi venerat, diceretur.* Hactenùs August. Et certè Iudæi, & Herodes, & Pontius Pilatus Christum crucifigentes, dicuntur à B. Petro fecisse, quæcunq; manus, & consilium Dei decreuerunt fieri: sed alio modo id Iudæi voluerunt, & alio Deus. Væ autem in Scripturis, pœnam æternam, siue segregatioē à bonis æternis, maledictionemve significat.

Matth. 16.

Act. 4.

Væ in Scripturis quid denotet.

Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Bonũ dicitur tropo Hebræo pro eo, quod melius est: & bonum dicitur, quod minus malum, quod enim tale est, rationem boni induit. Porrò in his verbis dubium emergit, an simpliciter meliùs sit nō esse, quàm esse in perpetua miseria gehennæ? Respondemus, non existenti, nec bonum, nec malum accidere posse: vtrumq; autem ei qui existit, potest competere. Ad hæc qui Deũ diligit, mallet esse vel in inferno, quam nō esse: quia vel sic pœnas sustinendo, gloriam Deo daret: & nō nihil à Deo diligitur, qui finitur esse, cernens in seipso iustitiæ pulchritudinem, ne omni ex parte sit turpis ac deformis. D. Hieronymus prædicta Domini verba de natiuitate in vtero, hoc est de conceptione (de qua dicitur: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*) exponēda existimat, eius hæc sunt verba: *Non ideo putandus est ante fuisse quàm nasceretur; quia nulli possit benè esse nisi ei qui fuerit: sed simpliciter dictum est, multò melius esse non subsistere, quàm male subsistere.*

Positiuis pro comparatiuis vtuntur Hebræi.

An simpliciter meliùs sit non esse quā esse in perpetua miseria gehennæ. Prima solutio.

Secunda. *Hierony. in Matth. c. 26. tom. 9.*

Sed vt hæc breuiùs, & faciliùs expediantur, tribus assertionibus nodum explicabo. Prima est: Meliùs est non esse simpliciter, quàm esse cum peccato: quod habēt damnati, qui Deo inuident, & superbè in eum efferuntur. Et iustus mallet in nihilum redigi, quàm peccatũ habere, quod peius est ipso non esse. Secunda assertio: Meliùs est ipsi damnato simpliciter nō esse, quàm esse in gehennæ igne cruciante: hinc rectè dixit Dominus, *Bonum erat illi:* Illi, inquit, meliùs erat. Quia etsi non esse, nullum sit bonum, tamen nullum est malum, quia impossibile est non existentem pati. Imò vt in non esse est omnimoda boni priuatio, ita etiam omnimoda mali, siue pœnæ carentia: modò verò vt in inferno sunt, multa patiuntur. Propterea quemadmodum existens in cubiculo omni bono priuato, & omni malo pœnę cumulato, si esset proximum aliud cubiculum, vbi nō esset vllum bonum, aut vlla molestia, daret operam egredi de primo, & ingredi in secundũ: non quòd in eo sit vlla voluptas, aut bonũ, sed vt fugiat cruciatus, quos in primo sustinere cogitur: ita damnatis præstabilius est non subsistere simpliciter, quàm in damnatione subsistere. Hinc de illis dicitur à Ioāne; *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Sed hoc nōnisi inordinato affectu desiderant, propter fugam nimirùm pœnæ, non propter fugam peccati, siue culpæ: quia simpliciter esse, per rectam rationem pręferre deberent ipsi non esse. Nã vt Magnus ait Dionysius; *Inter omnes Dei participationes esse est nobilius, & excellentius.* Et August. lib. de libero arbit. *Quòd si quis dixerit; Non esse, quàm miserum me esse mallem; Respondebo, Mentiris: Nam & nunc miser es, & ob aliud mori non vis, nisi vt sis. Ita cùm miser nolis esse, esse vis tamen.* Sic ille. Considera ergo quàm potēs, & quàm magnum bonum sit esse, quod beati, & miseri volunt. Tertia assertio est: Deum creasse hominem propter gloriam suam, ita vt siue homo saluus sit, siue suo vitio reprobus, Deus habeat vnde glorificetur, siue in sua misericordia, siue in sua iustitia: quoniam iustitia, & misericordia æquè infinitæ sunt in ipso, & gloria sua, siue in hac, siue in illa, nullo euentu falli potest. Hinc iustus Deus multos sinit damnari, quia non tam ad ipsorum bonum attendit, quàm ad se, & ordinem vniuersi: bonum enim totius præstantius est vnicuique, quàm bonum proprium. Hinc manum secandam medico præbemus, ne totum corpus intereat: & aqua pręter naturam peculiarem ascēdit, ne detur vacuum, quòd maius esset incōueniens. Damnatio itaq; peccatoris tendit in decorē, & ornamentũ vniuersi, & ad diuinā iustitiā commendādam. Ideo sub hac ratione etiam ad

Triplici assertione eadem quæstio terminatur. I. assertio.

Secunda.

Matt. 26.

Exemplo illustratur hæc assertio satis apposito.

Apocal. 9.

Dionys. lib. de diui. nomin. c. 5. circa med. August lib. 3. De libero arbit. c. 6. to. 1. à medio.

III. assertio.

Homo cur conditus.

Multos Deus damnari cur sinat.

gehennam damnando meliùs est creari, & subsistere, quàm non esse: & si ad hoc possent damnati attendere, minùs laborarent in tormentis, Deique iustitiam redderent commendabilem.

Christi ad Iudam proditorem respōsio, Tu dixisti, quid significet.

1. Tim. 1.

Odiosa nimis est veritas.

Matt. 6.

Luc. 22.

Rursus ait Matthæus solus, dicenti Iudæ, *Nunquid ego sum Rabbi?* Dominum respondisse, *Tu dixisti*. Iudas dixit; ne tacēdo, aut loquendo; sicut alij, seipsum detegeret: quia enim pluries peccauerat, & bonā conscientiā adijciens, fidei naufragium fecerat, non existimabat Iesum hæc ex certa scientia, sed ex suspicione dicere. Et ita velut noua tactus contumelia (nimis enim est odiosa veritas) voluit ita loqui, & seruus māmonæ contempsit dūm priorem. Et ferè necessitate agebatur, quia introierat in eū Satanas, vt ait Lucas: vt qui pluries volens, & intelligens peccauerat, peccet etiā quasi inuitus, & non intelligens. ¶ *Dixit ergo, Nunquid ego sum Rabbi?* Reprobi assumunt vocē inocentiū; cùm habeant nocēdi affectum, & locum tantùm, ac tempus cōmodum expectēt. *Ait illi, Tu dixisti:* Verbū anceps: nam & ad affirmandū rem dictā vel dictionem, commune est, Tu ergo dixisti quod es; vel quod ego non dixi, tu dixisti te proditorē. Vel, Tu dixisti, id est, deliberasti, vt exponit Simon de Cassia, secundū illud; *Dixit iniustus vt delinquat in semetipso.* Vel more tuo cū Pontificibus paciscēdo quod animo geris, dixisti. Est enim hoc verbum, *Tu dixisti*, in Hebraico idiomate quasi affirmatio q̄dam: vt cum Caiphæ interrogāti num ipse esset Christus, respondit apud Matthæum, *Tu dixisti*, apud Marcū verò dixit, *Ego sum.* Ne verò videatur Dñs eū omninò detexisse apud alios oēs, credendum est. Dominū illa verba submissè dixisse, ne ab alijs intelligerentur: potuit tamen intelligere Iudas, vt agnosceret se deprehensum, & abstineret. Etsi eīn Iesus pro humano genere desideraret mori, nolebat tñ aliquem, præsertim ex suis, contrahere peccatum, vel exitiū, in mortem sua machinando: qui senio mortuus pro eo fuisset, si nemo eū violenta morte præ reuerentia sustulisset: vt idem Simon de Cas. hoc loco testatur. Tu ergo dixisti, Conscientiā tuā consule: illa vel me tacente, te accusabit. Tenebaturq; intellectus Apostolorū, vt testatur dictus Cassia lib. de Domini Pass. ne eū agnoscerēt proditorē, ne fortè in eū agnoscerent. Nolebat autē Dominus eum prodere; vt instrueret nos, ne aliena occulta & incerta peccata aut detegamus, aut tanquā certa asseramus: nā vt plurimum in charitatē proximi est, nisi causa aliqua vrgeat: vt accidit Christo, qui vt eam ad sanitatē reuocaret, omnibus modis ad sanitatē stimulabat. Atq; ita cum coram alijs pupugit, qui fortè non intellexerunt verbum Domini: ideo pergit in indiuiduo proditorem per intinctā buccellam declarare, vt ait Ioannes.

Proprium reproborum quid.

Simō de Cassio libro 13. de passione.

Psal. 35.

Matth. 26.

Ibidem.

Marc. 14.

Illud: Tu dixisti, Christus, vt diceret Iudæ.

Idem ibidem.

Simō de Cassia lib. 13. De pass. Domini.

In eo quod Christus proditorem Iudam prodere Apostolis noluit, quale nobis documentum tradiderit.

Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu quem diligebat Iesus. Hic discipulus insignis, & celebris sine proprij nominis expressione Ioannes est; qui duo præclara elogia habet: & q̄ Christus eū diligeret; & quòd recubuerit super pectus eius: quæ sanè elogia excellentia sunt, pręclara, & amabilia: quæ Ioannes non iactanter de seipso, sed quasi coactus, vt tanto fauore Christi, & gratia suū Euangelium cōfirmaret, conscripsit: sicut Paulus propter pseudapostolos coactus fuit se laudare: *Factus sum*, inquit, *insipiens: vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari.* Ad eum modum Ioannes, ad confundendos peruersos hęreticos, sua præconia ebuccinat. Nam etsi omnes Euangelistæ digni fide sint, iste præcipuè qui interfuit, & oculis proprijs perspexit, & in sinu siue vestis, siue pectoris eius, vt textus insinuat, recubuit. Nā cùm tunc nō ederet, inclinauerat caput: siue ex nimia tristitia, & timore, propter verbum quod dixerat Iesus; vel ex dulcedine, quam senserat ex præcedentib. verbis & factis Christi; vel ex nimia dilectione, quæ non considerat quid agat, sed tantùm vt dilectio adhæreat; vel ex contemplationis excessu, & raptu, in quo cùm existeret, motu cordis Christi quasi horologio quodam excitatus est. Sed certè si fuisset ecstasis, vel syncopis cordis, Petri verba, & nutum non intellexisset. Et hinc apparet humanitas Iesu ad Ioannem, quem præ alijs diligebat. Ostenditur etiam, quod superior cum inæqualitate dilectionis, est æqualis, & iustus. Et vide prudentiam: in tertia persona ait, *quem diligebat*, vt modestiùs de se loqueretur. Et dilectionem vocat, fauores peculiares, ac delicias, quas facto illi exhibebat, vt Ioseph erga Beniamin fratrem suum. ¶ *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, Quis est de quo dicit?* Innuit Simon Petrus, & nutu potiùs, quàm verbo aliquo dixit: nutus enim inter familiares, & se mutuò amantes, sunt instar verborum: vel sanè innuit, vt attentiùs audiret submissè loquētem. Et indicat quod Episcopus gubernationi vacans lippus est; & ideo doctoribus pro oculis suis vti debet, quod ad eum iubere, ad alios verò consulere pertineat. Ideo Petrus ingressus est in monumentum, licèt Ioannes citiùs pręcurrerit: & natando peruenit ad Dominū, licèt Ioannes dixerit, *Dominus est.* Et danda est opera superiori, vt inquirat proditores, & hære-

Quare Ioannes recubuerit super pectus Domini meminit.

2. Cor. 11. & sequen.

Infra 12.

Qualis Euangelistæ Ioannis fides habenda.

1. Ioan. 1.

Ioannes cur recubuerit supra pectus Iesu.

Proprium dilectionis quid.

Superiorem quempiam cum inæqualitate dilectionis iustum esse & æqualem, vnde cōstet.

Ioannis modestia.

Domini erga Ioannem dilectio qualis fuerit.

Gen. 43.

Quod Petrus innuit Ioanni de proditore quis esset quid significet.

Ioan. 20.

Infrà 21.

& hæreticos, vt vel curentur, vel pellantur de consortio Ecclesiæ, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Hinc ipse plus solicitatur, & angustiatur quam alij, & quò tantum facinus impediat, vel ne aliquis insurgat in agnitum proditorem, vt insurrexit in Malchum, cum Dominũ cohors comprehenderet, sciscitatur: nec ausus est per se ipsum interrogare, quia non bene ei cesserat audacia, qua dixerat, *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*: quia audierat, *Vade post me Satana, scandalum es mihi*. Et in cœna resistenti ablutioni pedum, minatus est dicens; *Si non lauero te, non habebis partem mecum*. Ideò per alium interrogans responsum habuit; ne priora verba ex incerta suspicione potius, quàm ex certa præscientia dixisse videretur.

Itaq; cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei Domine, quis est? Vel pectus, & sinus idẽ est, quia pectus ad sinum pertinet; vel primò recubuit in sinu, deinde in pectore auri viciniori quam sinus, vt cõmodè posset interrogare. Et significat Ioannes, familiariter verbo vacantes, in quibus Deus se plus ostendit, quam alijs in gubernatione. Et dixit secretò, *quis est*, scilicet qui te tradet, vt infrà ait idem Ioannes; nam de ea re erat sermo.

Respondit Iesus (scilicet clam) *ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis, Iscariotæ.* Non prodidit eum digito, vel nomine, ne quid turbationis oriretur in conuiuio, aut ne alij discipuli in eum irruerent, sed buccella illum indicauit: tùm vt impleat prophetiam psalmi, dicentis: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*; tùm vt prior faciat, quod Salomon prius, & Paulus pòsteà docuere: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*; tum quia hic erat occultior modus corrigendi. Ideò cum timore accipienda sunt munera Dei, quæ spectant ad filios concubinarum; Isaac verò onere lignorum premitur. Perpende, quod vt Christus Iudam prodidit symbolo pacis, id est, panis dono, ita & Iudas Christum osculo, quod etiam amicitiæ signum erat, & beneuolentiæ. Sed in hoc est discrimen, quod Dominus eum prodidit amicis; Iudas verò Christum prodidit hostibus: quanquam etiam Iudã Christus hosti prodiderit: quia post buccellam introiuit in eum Satanas.

Quod subdit, panem intinctum dedisse Iudæ: Græca vox habet ψώμιον, à verbo ψωμίζειν, quod est alere pane in frustra conciso. Meritò igitur hic quæritur; an buccellam intinctam tradiderit post Eucharistiã an ante, an verò in ipsa Eucharistiæ porrectione. Deinde illud quoque quæritur, an Iudas distributioni Eucharistiæ interfuerit, & ipsam participauerit, vt alij; an verò ante institutionem eius, & dispensationem Iudas ex gremio aliorum discesserit. De primo hoc loco dicemus: posteriorem sequenti tractatui seruabimus. Ad priorem igitur difficultatẽ breuiter respondemus, & autoritate Scripturæ nixi, & testimonio Patrum, Eucharistiȩ Sacramentum nequaquam porrexisse in buccella ista: quia cùm illam singulariter Iudæ porrexerit, si Eucharistiam continebat, cȩteris quoq; Apostolis in eadem porrexisset. Deinde cum exhibita fuerit, vt eum proditorem esse detegeret; alijs proculdubio haud conueniret: nec enim alius, præter Iudam, proditor erat. Adhæc, vt legimus in alijs Euangelistis, carnem suam dedit sub forma panis, & suum sanguinem sub forma potus, vt possent edere, & bibere: at panis intinctus editur tantum, non bibitur. Prætereà idem docet Iulius Papa in epistola ad Episcopos per Ægyptum: vbi ait: *Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium receperunt, vbi Apostolis corpus suum commendauit, & sanguinem. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem alijs Christum præbuisse non legimus, excepto illo tãtùm discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non qua Sacramenti huius institutionem signaret.* Accedit Innocentius III. in libris mysteriorum Missæ: *Quia verò Christus buccellam intinctam Iudæ porrexit, vnde constitutum est ab Ecclesia, vt Eucharistia non detur intincta: constitutum est nihilominus, & pro hæresi extirpanda, quæ dogmatizauit Christum sub neutra specie totum existere, sed sub vtraq; simul existere totum. Nec debet intelligi quod sub buccella panis intincta Christus Eucharistiam dederit traditori, sed per buccellam intinctam atque porrectam, suum deniq; traditorem expressit, fortaßis per panis intinctionem illius significans fictionem.* Augustinus prætereà in Ioannem: *Cum intinxisset*, inquit, *panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ: non vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit.* Sic ille. Tametsi alibi insinuare videatur in buccella datam Eucharistiam; non tamen distinctè, & clarè id asserit. Origenes anceps est ac dubius, an in illa dederit Eucharistiam, necne. Cyrillus existimat in buccella datam Eucharistiam: vocat enim panem illum, benedictionem: & dæmonem ait proptereà festinasse, quod timeret moram,

1. ratio id negantium.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. & seq.

Iulius Papa l. de consecr. dist. 2. cap. cum omne crimen. idem docet concilium III. Bracharense cap. 1.

Innocent. III. lib. 4 myst. Missæ c. 13.

August. tracta. 62. in Io. to. 9. Idem tract. 26. in Ioan. propè med.

Origen. in Io. to 32.

Cyrill. lib. 9. in Ioan. c. 16. tom. 1.

Euthym. c. 63 in Matthæu.

moram, & benedictionis virtutem, ne scilicet Iudas resipisceret, & proditionis designatæ eum pœniteret. Euthymius docet oppositum in Matthæum, vbi ait, offam intinctam illi datam, esse distinctam à pane illo Eucharistico, qui omnibus datus est: & post Eucharistiam dispensatam, buccellam Iudæ donatam tradit.

Vbi fuerit panis ille intinctus Iudæ traditus.

I opinio Caietani, parum probabilis.

Altera Nonni paraphrastis.

Si fortè quis quærat, in quo fuit panis ille tinctus, quia nihil de hoc Euangelium tradit. Respõdet Caietanus, fuisse in aceto panem intinctum ad comedendas lactucas syluestres. Sed non est verisimile: quia panis aceto, vel aqua intinctus, non est sapidus. Nonnus paraphrastes ait, Quis est? Et Christus dicebat, Cui manus intingens panem vini gutta humidum porrigo, hic me tradet. Et intincto pane extremo in poculo vini pleno, impudenti Iudæ panem præconem sui interfectoris lucri cupiditate capti dedit. Sed etsi hæc videatur verisimilior quàm prior sententia; quia vinum colorem mutat panis, & sapidior redditur offa factus: tamẽ probabilius est quòd, quia Matthæus & Marcus dicunt, *Qui intingit mecum manum in paropside*, vel catino (qui est patina, vel disci species, in quo nõ solet reponi vinum) quod in aliquod bonum iusculum intinxerit, quòd post esum agni paschalis (qui edebatur à principio, vt instituta à Deo cęremonia, & vt panis benedictus apud nos sumitur ante omnes cibos) & lotionem pedum repositum fuit in mensa ad cœnandum, in quo possent tingere. Et per intinctum panem quidam respicientes ad Hebræam phrasim, qua panis nomine venit quicquid edi solet, & mãducari, etiamsi panis non sit, intelligunt buccellam alicuius delicati ferculi, siue pretiosæ rei, quæ ibi ad edendum proposita erat: quam vt libentius ederet, intinxit prius, & intinctam porrexit Dominus. Et panis buccella vel intincta non fuisset fortassis tam cara, & in tanto pretio. Quidam per hanc intincti panis porrectionem intelligunt Christum Iudam excommunicasse, & à se expulisse: quod mihi durum videtur, quia Christus Iudam non expulit, sed abire volenti dixit; *Quod facis, fac citius*. Deinde cum excommunicatis non edimus simul; at porrigere panem, plus erat quam cum eo edere. Significauit autem illa buccella tincta fictionem cordis Iudæ: nõ enim omnia quæ tinguntur, abluuntur; sed vt inficiantur, nonnulla tinguntur. Si autem bonum aliquid hic significat tinctio, dulcedinem Diuinæ bonitatis, siue charitatis; qua illum volebat ad se allicere, denotat: quia panis intinctione magis sapit: & ideò ingratitudo secuta tantum bonum, meruit introitũ Satanæ, & damnationem. Nos igitur agnoscamus, beneficia omnia venire intincta cum diuina dulcedine: omnia sunt symbola diuinæ charitatis suæ, ob quam illa nobis abunde tribuit, quibus nos ad se allicit Deus tanquam pane intincto, vt ei grati existamus: & bonis ad salutem communicatis ne abutamur in exitium, ne post illa contingat intrare Satanam in corda nostra, quemadmodum fecit cũ Iuda: quin potius introeat in nos diuinus Spiritus suo charitatis igne nostra corda succendens, vt agnoscamus, & indies magis diligamus Dominũ nostrum, cui cũ Patre, & Spiritu sancto omnis est cultus deferẽdus in secula seculorum. Amen.

Matth. 26. Marc. 14.

Catinus quid. Agnus paschalis ante omnes cibos olim edi consueuerat.

III probabilior opinio.

Quid fuerit panis ille intinctus secundum quosdã.

Qui Iudam per intinctum panem à Domino excommunicatum fuisse tradunt, minus equidem pie, & benigne illi sentire videntur.

Quid panis intinctus Iudę porrectus significauerit.

Quæ res aditum Satanæ fecerit in cor Iudæ proditoris.

Quæ in nos existunt Dei beneficia, à nobis quid requirant.

TRACTATVS XI.

In illa verba: *Et post buccellam, introiuit in eum Satanas. Et dicit ei Iesus, Quod facis fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox, &c.* Ioan. 13.

Antequã alterius propositæ quæstionis dissolutionem adferamus, volo prius Euangelicam literam discurrendo interpretari. Primum igitur ait: *Et post buccellam* (scilicet manducatam) *introiuit in eum Satanas*. Horrendum sanè verbum, sed res ipsa magis horrenda, & contremiscenda. In stomacho corrupto corrumpuntur etiam boni cibi, sic in anima obstinata, omnia vertuntur in malos humores. Rogauerat Satanas dari Apostolos sibi cribrandos sicut triticum, & obtinuerat, & à cauda, quæ Iudas erat, cœperat, & per eum capere Iesum cogitabat. Ideò nequaquam est gaudendum, dum aliquis nostrum peccat; sed timendum potius, ne per eum nos aggrediatur Satanas. Habebat quidem Iudas prius Satanam, cuius impulsu, cum fur esset loculos Domini defraudabat: murmurauerat contra mulierẽ vnctricem: cũ hostib. Christi capitalib. de tradendo Iesu pepigerat: sed nondũ erat reuelatus Satanas in ipso solus Christus ipsum videbat in eo habitare: nunc reuelatur, & manifestè se prodit, cũ Iudas fit impiæ cohortis dux, & primipilus. Sicut in nobis sunt peccata odij, inuidiæ, & concupiscentiæ malæ: sed latitant, donec

Qualis Satanę in cor Iudæ post acceptam buccellam introitus. Luc. 22.

Quid nobis quopiam peccante, faciendum si sapimus. Ioan. 12.

Matth. 26. Vti Satan Iudam inhabitans à Domino reuelatus, ac proditus.

donec occaſione data erumpant. Et anteà quidem Iudas Chriſti præſentia; à Satanæ iuſta poſſeſſione defendebatur, ne in totum cribraretur; itaq; Chriſtus Iudam Satanæ non prodidit, ſed vt inemendabilem non ampliùs defendendum putauit, vt domino commutato, quã malè ſibimet conſuluiſſet, agnoſceret: quia mãmonę potiùs, quàm Domino voluit ſeruire. Sic ab Eccleſia præciſi traduntur Satanæ, vt 2. Tim. 1. Phigellus, & Hermogenes, & is, de quo 1. Cor. 5. & Hymenæus, & Alexander 1. Tim. 1. Poteſt etiam dici, Satanam in eum introijſſe, vt Lucas teſtis eſt, quando cum Iudæis tractauit de prodendo Ieſu; & ita non tam buccellam ſecutus videtur, quàm conſuetam habitationem repetere, de quo dicitur in Pſal. *Conſtitue ſuper eum peccatorem; & diabolus ſtet à dextris eius*: non ſecùs, atque quis ingreditur domum emendam, vt eam videat; at poſtquàm emit, intrat vt dominus, & poſſeſſor. Ac vt poſt buccellam ligni vetiti contra Dei obedientiam manducatam, intrauit Satanas in primos parẽtes; ita poſt buccellam vſuræ, rapinæ, iniuſti lucri ingreditur dæmon etiam in inuitos: quia à quo quis ſuperatus eſt; huius & ſeruus eſt.

Quando primũ Satanas introiuit in Iudã, & quomodo. *Luc. 22.*

Pſal. 108.

Gen. 3.

2. Pet. 2.

Et dicit ei Ieſus, Quod facis, fac citiùs. Annotauit non ſemel Rupertus Tuitienſis, modum correctionis fraternę ſeruatum à Domino in Iuda proditore corripiendo. Nam vt primùm inter corripientem, & ipſum ſolum correptũ correptio fieri debet: deinde adhibetur vnus, vel duo teſtes; tertiò vbi nihil proficitur, denuntiatur Eccleſiæ vt criminoſus, & correctionis minimè capax. Ita Chriſtus hanc rationẽ correptionis obſeruans, primò quidem ſecretè corripuit, cùm dixit: *Vnus veſtrum me traditurus eſt*, & cùm ipſi interrogãti, *Nunquid ego ſum, Rabbi*, reſpondit, *Tu dixiſti*: quod etſi nõ affirmet, neque neget, ſed ſuſpendat orationem, & in arbitrio audientis relinquere videatur: honeſtus tamẽ modus eſt affirmandi, vt cùm dixit Pilato, *Tu dicis, quia Rex ſum ego*. Secundò, adhibuit vnum teſtem, quando per panem intinctum, ſiue per buccellam detexit illum Apoſtolis, & Ioãni. Tertiò, cùm nihil proficeret correptio, dixit ſibi ipſi tanquàm ſuperiori, & paſtori, & ad Iudam locutus eſt: *Quod facis, fac citiùs*: Et accepta buccella exiuit tãquàm de gremio aliorum præciſus, & excommunicatus, in quem proptereà introiuit diabolus. Videtur porrò Ieſus hoc verbo vrgere hominẽ ad facinus. Sed Ieſus non præcipit ſeruo contumaciſſimo proditionem, nec temporis accelerationem. Nam etſi actio in ſe bona ſit ſecundùm materiam, & acceleratio temporis non ſit mala, tamen quia coniuncta erat cum culpa, ideo illam non præcepit; nec ad illam hortatus eſt Iudam: ſed in primis oſtendit ſe illius technas, & inſidias non ignorare, dicendo, Quod facis, id eſt, quod meditaris in corde tuo, opere perfice. Deinde oſtẽdit ardens deſiderium patiendi pro gloria Patris, & mundi ſalute, quod maius erat eo, quod Iudas habebat eum prodendi, & habendi triginta argenteos. Hinc dixit: *Baptiſma habeo baptizari; & quomodo coarctor vſq; dum perficiatur?* Tertiò hæc verba ſunt Satanæ dicta, ſecundùm B. Cyrillum in ipſo Iuda habitanti, & ipſi Iudæ vnum cum Satana facto, exprobrantis, & comminãtis ne faceret: ac ſi diceret; Fac opere quod cœpiſti cogitatione, & ſenties quid tibi inde eueniet. Intelliges me vera dicere, cùm prædixi: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Ad hunc ſenſum ait Dominus apud Matthæum: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum?* & rurſus, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Vbi videtur præcipere impietatem. Ita dicitur in libro Iudicum: *Ite, & inuocate deos quos elegiſtis: ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ*; & apud Ezechielem: *Singuli poſt idola veſtra ambulate, & ſeruite eis*: ac ſi dicat, ſi à me regi non vultis, abite poſt concupiſcentias veſtras: ſeruite dijs alienis, & videbitis quã requiem ſint vobis daturi. Quartò, quia ipſe iamdiù éxire volebat, voluit ipſum Ieſus tegere, ne de illo cæteri quicquã ſuſpicarentur mali: quia ergo Ieſus verbis ſuis eum ſuſpectum reddiderat, voluit verba ſua illi nihil obſtare, vt liber ab omni ſuſpicione exiret, non ſecùs ac ſi Ieſus nihil de proditione dixiſſet. Si enim ſine verbo Ieſu diſceſſiſſet, ipſe ſe proditorem prodidiſſet. Non ergo proditionem præcepit, nec eius accelerationem: non vt egenis aliquid daret, vel vt emeret neceſſaria ad diem feſtum; ſed ſermo Ieſu eſſe videtur, qualis parentum ergo deploratę mentis filios interdum eſſe ſolet. Quaſi dicat; Cũ innumeris meis beneficijs ad reſipiſcentiã inuitari reſtiteris: age, facere permitto quod cœpiſti, non te ampliùs prohibeo. Noluiſti me audire, ſequere ergo diabolum. Vnde Theophylactus exponens, ait: *Hoc non eſt adhortantis, ad perditionem, ſed exprobrantis, & permittentis ei ad proditionem venire, dicit enim. Fac, quaſi diceret. Ecce reliqui te facere quod vis, non impedio tuam mentem, non retineo te vltrà. Anteà enim ipſe cohibebat malitiã, apud ſe tempus mortis reſeruans, ſicut & dicebat: Nullus tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo.*

Modus fraternæ correptionis à Chriſto ſeruatus. *Ruper. Tuitien. in Ioannem lib. 11.*

Matth. 18.

Infra 26. Qualis hic modus affirmandi: Tu dixiſti.

Ioan. 18.

Quo ſenſu Dominus Iudæ dixerit; Quod facis, fac citius.

Secunda ſolutio.

Luc. 12. Tertia ſolutio, quæ eſt B. Cyrilli. *Cyril. lib. 9. in Ioan. c. 17. tom. 1*

Qualis huiuſmodi ſententia. *Matt. 23.*

Ioan. 2.

Iudic. 10.

Ezech. 20.

Quarta ſolutio.

Mira Chriſti cuſtodia famæ Iudæ proditoris apud ſuos Diſcipulos.

Cui etiam ſimilis hæc formula dicendi: Quod facis fac citius.

Theophyl.

Ioan. 10.

Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium ad quid

Apostolorũ probitatis indicium.

1.Cor.13.

Cum Ioãnes ex porrectione buccellæ agnouerit proditorem: quomodo postea non intellexit. Quod facis, fac citius?

quid dixerit ei. Etiam Ioannes Euangelista ipse inter nescientes quorsum tenderẽt illa verba Domini, connumeratur, & hoc erat signum magnæ probitatis in Apostolis, quòd nihil mali suspicarẽtur de Iuda: quia charitas non cogitat malum: & quòd putarent ei fuisse præceptum, vt vel præpararet quæ ad diem festum pertinerẽt, vel vt pauperibus, siue mendicis, vt Græca litera habet, aliquid erogaret. Sed mirũ est, si Ioannes ex porrectione buccellæ agnouit proditorem; quomodo posteà non intellexit quod dixit, Quod facis, fac citiùs; quia dicitur, hoc neminem discumbentium intellexisse ad quid dixerit ei? Verisimile est, mentem Ioannis fuisse detentam alijs meditationibus, nec Dominum cum eo concurrisse, vt etiam viso signo panis intincti non intellexerit Iudàm esse proditorem; vel si intellexit, non existimauit tunc esse tempus perficiendi scelus, aut quod secretum omnibus esse voluit, id tum Ioãni seruauit; vel Deus ita disposuit, ne Apostoli dicta intelligerent, ne Iudam trucidarent; vel alius sanguis funderetur præter suum, quia omninò voluit agnosci quòd spontè se offerret ad mortem. Voluit etiam Spiritus sanctus, aliter intelligi verba Christi ad tempus. Perpenditque Cyrillus, quòd etsi omni tempore, præcipuè tamen in die festo eleemosyna dispensanda est. Vnde per vnam Sabbati Apostolus præcipit fieri collectas. Nam die Dominica natus est Christus, & in eadem ad immortalitatem regenitus, & per Spiritum sanctum eâdem die missum homo Christo renascitur. Da ergo, vt tibi donet Christus: miserere, vt misereatur. Perpende etiam, perfectioni paupertatis Euangelicæ non derogare habere pecuniam in communi, nõ solum ad proprias necessitates subleuandas, sed etiam ad erogandum pauperibus.

Altera solutio.

Tertia, & quarta.

Cyrill. ibid. cap 18.

2.Cor.16. Etsi omni tempore, festis tamen diebus præcipuè egenis benefaciendũ vult esse Cyrillus.

Act.2. Pecuniæ in communi possessionem Euangelicæ paupertati non repugnare, vnde constare possit.

¶*Cum ergo accepisset ille buccellã, exiuit continuo.* Rectè dictũ est: Peruersi difficilè corriguntur. ¶*Exiuit.* Iudicatus, & cõdemnatus gradum suum deserens, vt Episcopatũ eius accipiat alter. ¶*Exiuit.* Non vi eiectus, sed spontè se à Christo, & sanctis separans; vt appareat affuisse illi anteà voluntatẽ abeundi, sed facultatẽ defuisse, qua accepta exiuit, quemadmodum Hæretici, de quibus ait Dilectus: Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permãsissent vtiq; nobiscum: sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. Exiuit deinde statim: quia maiores vires in eum diabolus habebat, quia iam quasi vi ei imperabat; festinabatq; timens ampliùs cũ morari in societate Christi, & Apostolorũ.

Ecclesiast.1. Psal 108. & Act.1.

1.Ioan.2. Cur accepta buccella statim exierit Iudas.

Metuebat quoq; verborum Iesu virtutem, ne scintillam aliquã pietatis, & pœnitentię in corde Iudæ reaccẽderet, & à laqueis suis elaberetur, vt Cyrillus docet. Mirabile est autem, inter alios vndecim Apostolos neminem extitisse, qui se tam iniquis conatibus proditoris opponeret. Sed certè Apostoli partim rei futuræ ignari, partim Spiritu Dei, & fortitudine destituti, apti ad corrigendũ non erãt, nisi armis: vt cũ comprehensus Dominus fuit, ostenderunt. Demũ Christus multis modis se Iudæ ne proditionẽ perficeret opposuit, illi charitatis, & humilitatis opera ostendit, verbis sæpè punxit: & ad sanitatem reuocare conatus est, sed frustrà, illo renitente, & in malitia persistente. Discimus plerunquè vel vnum improbũ plus posse ad interturbandã Ecclesiam, vel bonorum virorum congregationem, vel religionem, & pace sua, & tranquillitate spoliandam, quàm multos bonos ad occurrendum malis, & scandalis. Filij enim huius seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt: quod (heu) magis ingemiscẽdum est, quàm verbis pluribus exaggerandum. Vide quantum possit vel vnus hæreticus in vna Prouincia, contaminanda, quid apostata, & seditiosus in religione scindenda. Sed de his hactenùs.

B.Cyrill. loco superiori.

Cur se iniquis conatibus Iudæ proditoris nemo Apostolorum opposuerit.

Improborũ pernicies in Ecclesia.

Luc.16.

Erat autem nox. Quæ vel ipsum poterat à tanto facinore cohibere. Sed nocte peccatores abutuntur ad iniquitates suas opere perficiendas, vt iam Prouerbij loco dicatur, Noctem esse pallium flagitiosorũ. Nã qui malè agit, odit lucem; & *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens; Non me videbit oculus, & operiet vultum suum*; Et vt ille dixit: *Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.* Erat etiam, vt docet Chrysostomus, nox in mente Iudę, cui occubuerat Sol iustitię, lumen fidei, & calor gratiæ, & charitatis; atq; ita noctis, & tenebrarum filius noctem sibi commodam existimauit ad flagitium perpetrandum, quò æternam sibi noctem, & tenebras exteriores, vbi est fletus, & stridor dentium, compararet. Totaq; illa nox Paschę de more insomnis agebatur in memoriam egressus de Ægypto; & venalia erant vbiq; locis omnibus, vt quidam existimãt: etsi probabilius existimem, quod superiùs comprobatum reliqui, Iudæos in diem sequentem Pascha distulisse. Quod etiam Iudæorum animos permouit, vt secretiùs, & sine turbis, quas metuebant, Christum comprehenderent.

Nox est pallium flagitiosorum, vt dici consueuit.

Ioan. 3. Iob 24 Horat. epist.1. Chryso hom. 71. in Ioan. tom 3.

Iudas proditor verè noctis, & tenebrarũ filius.

Matth.8. & 13. & Luc.13. Exod.14.

Cur Iudæi noctem Paschę insomnẽ traducerent. *Matth.21. & alibi.*

Cùm ergo exisset, dixit Iesus, Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Hæc videntur cum superioribu continuan-

tinuanda, quia in eius exitu dicta sunt. Et verbo clarificandi vtitur pro, glorificandi, quia Græcè dicitur δοξάζειν:& gloria nihil aliud est, quàm clara cum laude notitia. Et perpende Christi prudentiam, blandis, ac dulcibus verbis mortem ignominiosam glorificationem appellantis, & instar periti medici sacchato & melle amaritudinem pharmaci tegentis.

Gloria quid.

Mira Christi prudentia.

Hebraismus.

In primis nota, sermonem esse de Christo homine, ideo ait: *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Deinde præterito vtitur pro futuro, ob certissimum euentum Prophetiæ, id est, clarificatus, pro clarificandus, vt illud: *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Et, *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Tertiò aduerbium Nunc, potest referri vel ad proditionem Iudæ, quæ est velut inchoatio quædam, passionis & mortis Christi, quæ dicitur glorificatio, quia meritum fuit glorificationis nō tantùm suæ, sed omnium nostrûm, secundùm illud: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad me ipsum.*

Esai 9. *Psalm. 21.*

Christi mors cur dicta sit clarificatio.

Luc. 24. *Ioan. 12.*

II. ratio.

Fuit etiam via, seu transitus ad gloriam in corpore immortali, & in fama nominis sui comparanda, & illustranda, & sic erigebat animos discipulorum, firmabatque illorum fidem: & quòd Iudas, & Iudæi nihil aliud agant, quàm quòd gloriam eius promoueant.

III. ratio.

Amantis ingenium.

Tertiò clarificatus est afflictionibus, & cruce pro mundo toleratis: nam amanti gloria est, pro his quos diligit, grauia, & ardua sustinere. Et vt vobis seruis Christi gloriosum est pro Domino pœnas quasq; ac supplicia sustinere; ita Domino diligenti nos seruos, honorificum fuit grauia quęque pro nobis perferre.

IV. ratio.

Quartò sic loquitur, quasi qui pugnaturus certam victoriam sibi auguratur: & quando videt hostem congredi volentem, gaudet pro victoria certa quam nouit se assecuturum. Et in hoc etiam magis est clarus, & illustris, & permittit hosti omnia, & sese illius in manus tradit, vt sic illum non astu, aut dolo, non antè capto loco, aut occasione, sed in ijs ipsis, in quibus hostis magis confidebat, hostem exarmat: & cùm ipse victus ab hoste videatur, vincit hostem suum. Glorificatus itaque est Filius hominis, qui propter diuinam obedientiam, suum etiam proditorem quodammodò excusatum, tectumque dimisit. Nam cùm Spiritus Domini turbaretur, & pro nobis pugnasset, & vicisset carnis & animæ infirmitates, ac motus, qui diuinæ suæ voluntati repugnabant: ita etiam hucusque progressus est, vt seipsum vincendo, proditorem non accusaret, vel puniret.

Luc. 11.

Christi victoria: eiusdem in Iudã suum proditorem benignitas.

Et congruè à tempore noctis, quod tunc erat, similitudine per contrarium sumpta, clarificationem suam Sol iustitiæ CHRISTVS adesse indicauit, qua totum mundum erat illuminaturus, proditore suo, impijsque Iudæis in nocte peccati, atque tenebris perpetuo remanentibus. Pijs enim nunquam defuturam ostendit lucem, etiam si nox errorum impios inuoluat: quemadmodum in Ægypto luce clara perfruebantur filij Israël, cùm apud Ægyptios omnia occuparent densissimæ tenebræ. Dici etiam potest, illud Nunc, referendum esse ad discessum Iudæ: quia contentus fuit Dominus de eius iam obstinati, & inemendabilis facti expulsione, vt commentatur Augustinus. *Auferte*, inquit Apostolus, *malum ex vobis ipsis. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit:* & in fine seculi tollet de regno suo omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem. Et vt vertigine capitis laborans non quiescit, donec humores noxios euomat, & resecto membro putrido, quod contagio suo serpebat in totum corpus, aliquam quietem possidet infirmus: ita CHRISTVS expulso Iuda, in quo quodammodò erat obscurus, ac putridus, vocat se contentum, & glorificatum, & excussa palea, remansit purum granum. Ac subdit: *Et Deus clarificatus est in eo.* Vt enim Patris, & Filij vna est natura, sic & eadem gloria: ideo Christus dixit se non gloriam suam quæsisse, sed Patris sui. Sic tamen intellige Deum glorificatum, vt nihil gloriæ essentialis illi accesserit, quam prius non habuerit: sed quod per mortem clarum factum est, cuius Filij Pater sit Deus. Quia sicut Filio gloriosum est habere talem Patrem, ita & Patri habere talem Filium. Præterea homines spectantes opera admiranda quæ faciebat, Deum glorificabant, vt Centurio in Cruce: *Verè Filius Dei erat iste.* Et hoc est præmium mortis Christi, quòd cernamus Deum, vt Patrem, cognitum, & adoratum in vniuerso orbe terrarum, quæ illi summa est gloria. Et nihil refert, siue per Deum intelligat totam Trinitatem, siue Patrem ipsum, qui in eo manens opera faciebat. Deus præterea honorificatus est in illo: siquidem homo est inuentus, qui pluris faceret voluntatem Dei, quàm vitam & honorem proprium. Quòd si Deus glorificandus erat in morte Petri, vt apud Ioannem prædicitur; multo magis per

Christi clarificatio cur à tempore noctis sumpsit initium.

Sap 5. & Malach. 2.

Exod. 10.

Aug. tract. 62. in Ioan. tom. 9.

1. Cor. 5.

Ibidem. & Galat. 5. Matth. 13.

Quomodo eiecto iam proditore Iuda, clarificatus sit Christus.

Ioan. 7.

Deus quatenus in Christo, & in nobis clarificetur.

Matth. 27.

Præmium mortis Christi quod sit.

Ioan. 14.

Infra 21.

Matth. 27.

mortem Christi Filij sui, quam tot heroicæ, & excellentes in Domino virtutes, totque ac tam admiranda signa in cœlo, & in terra, & in inferis edita illustrarunt. Sibi autem Dominus tribuit glorificationem Patris per suam obedientiam, & mortem; Patri verò tribuit sui glorificationem per resurrectionem, & Ascensionem. Quanquam, & Pater seipsum glorificauerit per Filij mortem, Filius seipsum per resurrectionem: eò quòd volũtaria Christi mors, vnde Pater est glorificatus, infirmitatis fuit humanæ, resurrectio verò diuinæ virtutis. Nam etsi crucifixus est, inquit Apostolus, ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.

Quomodo Pater seipsũ clarificauerit & etiã Christus seipsum.

1. Cor. 13.

Deus qui à nobis clarificandus.

Matth. 5.

¶ Nos igitur tales esse studeamus, vt luceamus coram hominibus; vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Et hæc est summa gloria nostra, vt propter nos, & in nobis, siue viuentibus, siue morientibus, glorificetur Deus.

Certissimus de sua clarificatione quis.

1. Reg. 2.

Ac subdit: *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso.* Certissimus est de sua clarificatione, qui Deum glorificat, quia stat sententia illa: *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum.* Nam ei egregios confert titulos, vt dicatur legis, Crucis, maledictionis, peccati, mortis, inferni, & Satanæ victor, ac triumphator, & illud nomen, in quo omne genu flectitur. Et accipitur, *Si*, pro, *quia*: nam Christus opera sua, & signa ad Patris gloriam edidit. Nam ita fiet vt ipse nos se honorificantes, amplissimè glorificet, iuxta illud: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et verbum, *in semetipso*, vel iungi potest cum verbo Deus, vt sit sensus, quòd Deus non tantùm per alios, sed etiam per seipsum glorificauit Christum: vel potest coniungi cum pronomine, *Eum*, vt significet non tantùm in homine, fama, & opinione aliorum illustrauit, sed etiam à semetipso, efficiendo ipsum viuum, & à morte ad gloriam nunquam morituram excitando. Parum enim fuisset glorificari eum in linguis, & opinione hominum, nisi in seipso esset gloriosus. Et soliti sumus dicere; Si hæc ex Deo sunt, manifesta profectò fient. Si ergo Deus fecit, vt Christus consentiret in mortem suam, ob quod magno honore, & gloria est cumulatus; vtiq; volet ipsum Christum illustrem, & clarum apud homines reddi.

Philip. 2.

Christus cur potissimũ signa faciebat.

1. Reg. 2.

Quanta verborũ simplicitate, vt ait Hilar. Christus Euangelicam fidem locutus sit.

Hæc omnia Domini verba de clarificatione expendens B. Hilarius lib. 9. de Trinit. sic elegãter ait: *Quanta potuit enim Dominus verborum simplicitate Euangelicam fidem locutus est: & in tantum ad intelligentiam nostram sermones aptauit, in quantum natura nostra ferret infirmitas, non tamen vt quicquam minus dignum natura sua maiestate loqueretur. Et primã quidem dicti sui significationem non ambiguam existimo, cùm ait: Nũc honorificatus est Filius hominis. Gloria enim omnis non verbo, sed carni acquirebatur, id est, non natiuitati Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc verò quod sequitur, quid significet, interrogo: Et Deus honorificatus est in eo. Honorificatum enim in eo Deũ audio, & quid istud sit secundum intelligentiam tuam, hæretice, ignoro. Deus in eo honorificatus est, in Filio vtique hominis: & quæro an Filius hominis idem sit, & Filius Dei. Et cùm non alius sit Filius hominis, neque alius Filius Dei: Verbum enim caro factũ est: & cũ qui Filius Dei est, ipse & hominis sit Filius: requiro quis in hoc Filio hominis, qui & Filius Dei est, glorificatus sit Deus, quia in Filio hominis, qui & Filius Dei glorificatus Deus est. Videamus quid sit hoc quod tertio subditur: Si Deus glorificatus est in eo, Deus glorificauit eum in se. Quod istud rogo Sacramenti mysterium est? Deus in Filio hominis glorifica[illegible] glorificatũ Deum glorificat in sese. In Filio hominis Dei gloria est, & gloria Dei in gloria Filij hominis. Deus glorificat eũ in sese, homo vtiq; non per se glorificatur: neq; rursum qui in homine glorificatur Deus, licèt gloriam accipiat, non tamen aliud ipse quàm Deus est. At verò cum glorificato Filio hominis, glorificans Deum Deus glorificat in sese, inuenio naturæ gloriam in gloriam naturæ naturam glorificãtis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificatũ in homine Deum, glorificat in sese. Quòd aũt glorificat in sese, licèt non se glorificet, tamẽ in naturæ suæ gloriam naturam glorificantis assumit. Et cùm glorificans Deum Deus, quia glorificatus in homine fit, glorificat in sese eum, quem glorificauit in sese inesse demonstrat, cùm eum glorificat in sese.* Hactenus ille.

B. Hilar. circa medium.

Eundem esse Filium hominis, qui & Filius Dei.

Ioan. 1.

Quid illud: Si Deus clarificatus est in eo, Deus clarificauit eum in se.

Cur Deus clarificauerit cõtinuò Filium hominis.

Matth. 27.

Subdit: *Et cõtinuò clarificabit eum.* Noluit Deus glorificationem Christi differre vsq; ad secundum eius aduentum, quemadmodum cum pijs omnibus, & electis facit: nam corporũ saltem gloriam in secundum aduentum proferet. Sed continuò, id est, statim, etiam in ipsa cruce, vbi stupenda signa sũt visa in honorifica sepultura, in descensu ad inferos, in Resurrectione gloriosa, in admirabili Ascensione, in missione Spiritus sancti, in Ecclesiæ nouellæ institutione, & persecutione: hæc enim omnia vt prædicta erant à Christo, ita euenerunt.

Insignes Christi victoriæ, & mundo prorsus incognitæ.

1. Cor. 1.

Quod item Euangelium impugnatur à multis, & à paucis recipitur, ad Christi gloriam spectat: sicut & illud quod per paucos vincat multos, per idiotas sapientes, per obscuros illustres, per debiles, & inermes, fortes & armatos, denique per omnibus rebus inferiores, omnibus rebus su-

bus superiores superet, hæc enim omnia immensæ Christi gloriæ attestantur.

Ammon. Alex. Tatianus. An Iudas cœnæ Dominicæ adfuerit.

Post hæc verba immediatè Ammon. in sua consonantia Euangelica, & ante eum Tacian. reponunt institutionem Eucharistiæ: quem ordinem, vtpote probabiliorem, ac veritati magis consonum, nos hoc loco cōsectari proponimus. Sed statim obijcies; Si igitur hic est ordo historię in cœna Dominica obseruatus; necessario ex eo sequitur, Iudam proditorem cœnæ Dominicæ non adfuisse. Sciendum igitur est, duplicem esse sanctorum, ac veterum Patrum sententiā: alteram quidem negantium, alteram verò asserentium Iudam adfuisse Dominicæ cœnæ: quam posteriorem, tam Scripturis, quam rationibus euincere nituntur: ait enim in primis Luc. postquam dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Et quidem Filius hominis secundum quod definitum est vadit; veruntamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.* Ex quibus verbis liquidum redditur, Iudam Sacramenti institutioni adstetisse. Deinde apud Marc. ita legitur. *Et biberunt ex illo omnes.* Si omnes, ergo & Iudas, alioqui non omnes. Tertiò, hanc sententiam sequuntur multi Patres, ait enim Hierony. lib in Iouinia. *Vna est in mysterijs sanctificatio, domini & serui, nobilis & ignobilis, Regis & militis, quanquam pro accipientium meritis diuersum fiat quod vnum est. Qui enim indignè manducauerit, & biberit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi. Nunquid quin & Iudas de eodem calice bibit, de quo & cæteri Apostoli, vnius cum reliquis erit meriti?* Accedit Augustinus in Ioannem: *Non autem,* inquit, *vt putant quidam negligenter legentes, tunc (scilicet in buccella) Iudas Christi corpus accepit: intelligendum est enim quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut sanctus Lucas euidentissimè narrat; ac deinde ad hoc ventum est, vbi secundum narrationem Ioannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam suum exprimit traditorem: fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem.* Hæc ille, apertissimè asserens Iudam participasse Sacramentum. Idem docet in epistola quadam, & super Psalmum decimum dicens: *Christus quid fecit nobis, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, vt ei primum Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet.* Chrysostomus in Matthæum ita ferè scribit: *Cum proditor ineffabilibus mysterijs communicasset, idem permansit, & diuina mensa susceptus in melius commutari noluit: quia tali animo mysterijs susceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus est.* Cyprianus sermone de ablutione pedum idem sentit. Præterea Cyrillus Ierosolymitanus: *Prodiderat,* inquit, *Iudas improbus patremfamilias, nuperque exiens à mensa, & poculum benedictionis bibens, & pro potu salutari sanguinem iusti effundere volens. Qui panes eius comedebat, magnificauit super illum supplantatione.* Bernardus sermone in cœna, qui incipit: *Panem Angelorum: Sciendum est,* inquit, *quòd omnibus iam distribuerat Sacramentum corporis & sanguinis sui, inter quos Iudas fuerat. Intellige quando porrexit Iudæ panem intinctum.* Et rursus: *In eadem mensa sunt Petrus, & Iudas.* Et Euthymius in Matthęum. *Post diuisionem autem,* inquit, *mysteriorum rursus Saluator de proditione testatur, siue protestatus est, veluti scripsit Ioannes, vt vel sic Iudas tantam expertus longanimitatem, nec manifestè traductus, neque mysterijs frustratus, sed æquè cum discipulis horum particeps effectus, melior, ac mente sanior efficeretur.* Idem docet Haymo in priorem ad Corinthios, & Remigius in Matthæum, & Leo Papa sermone de Passione Domini: *Discumbentibus enim secum,* inquit, *discipulis ad edendam mysticam cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi, ille corporis & sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat, qualis Deo hostia deberet offerri, nec ab hoc quidem mysterio traditore submoto, vt ostenderetur nulla iniuria exasperatus, qui in voluntaria erat impietate persistiturus. Ipse enim sibi fuit materia ruinæ, & caussa perfidiæ, sequens diabolum ducem, & nolens Christum habere rectorem.* Sic illi Patres. Et profectò longum esset percensere omnes qui hos priores Patres sequuntur: nam constanter, ac densò hoc Iudæ tribuunt, vt superfluum esse videatur illos enumerare. Accedit & ratio: nam verisimile non est, Christum præsenti Iudę Sacramentum denegasse, ne illum proditorem signare videretur. Deinde quia eius exemplo instructa Ecclesia, Sacramentum peccatoribus occultis non denegat, quæ in officio canit:

Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Ex his igitur quasi communis quędam sententia celebratur, Iudam cœnæ adstitisse.

Est tamen & altera probabilis sententia, quæ neque scripturis, neque Patrum testimonijs, neque rationibus destituitur. Et in primis, vt ab Scripturis exordiamur,

tam

Lopinio, & cui Scripturæ innititur.

Luc. 22.

Marc. 14.
II. Argumentum à Patribus.
Hier. l. 2. adu. Iouinian. mul tò post mediū.
1. Cor. 11.

Aug. tract. 62 in Ioan. to. 9.

Luc. 22.

Idem epist. 163 tom. 2.
Idem tom. 8.

Chrysost. ho. in Matth. initio tom. 2.

Cyprian.
Cyr. Ierosl. Catech. 13.

Bernardus.

Euthym. in c. 26. Matt. c. 64.

Haymo in ca. 11. ad Cor.
Remigius in Matth c. 26.
Leo Papa ser. 7. de Passione Domini.

III. argum. ab ipsa ratione

Altera sententia Iudam negans Eucharistiam à Christo sumpsisse, quibus Scripturis fulcitur.

Luc. 22. 1 Cor. 11. I. locus

tam Lucas, quàm Paulus, Christum asserūt accepisse calicem postquam cœnauit, & Apostolis distribuisse: de pane verò fracto scribunt, datum esse inter cœnandum: *Cœnantibus autem eis*, ait Matthæus: quæ Græcè de præterito esse accipienda, quibusdam videtur. Si igitur hęc differentia inter panē & calicem vera, & solida est, vt ab Euangelistis traditur: cùm Iudas inter cœnandum exierit, nam accepta bucella intincta, protinus exiuit, manifestum redditur, Iudam calicis dispensationi nō adfuisse, qui datus est post terminatam cœnam. Quòd si poculi dispensationi non adfuit: ergo neque panis sancti distributioni, nec enim Dominus dimidiatum Sacramentum illi porrexisset, sed aut integrum, aut nullum. Neq; soluitur hæc ratio, dicendo, inter agni Paschalis cœnam instituisse Eucharistiam sub specie panis, & post terminatam illam cœnam instituisse sub specie vini, ac porrexisse. Quia nulli rationi nititur, Christum cœnam agni Paschalis interrupisse, & Eucharistiam instituisse: non solum quia cœna facta lauit pedes Apostolorum, & ablutio præcessit Eucharistiam; sed etiam quia agnus edendus erat festinanter, & sine interruptione, iuxta legis mandatum. Quare reliquum est, vt post ablutos pedes cum redierit ad communem cœnam, inter cœnādum instituerit Sacramentum sub specie panis, & post cœnam terminatam instituerit sub specie vini. Quòd si Iudas inter cœnandum abierat, vt dictum est, profectò sicut Dominico calici non interfuit, ita nec panis sancti dispensationi. Nam si sensus esset, post cœnam agni Paschalis calicem benedixisse, & dispensasse; idem etiam & de sancto pane esset dicendum, quia illum nō benedixit, nisi post cœnam Paschalem: & ita nullum esset discrimen assignatum inter panem datum inter cœnandum, & calicem post cœnam.

Obiectio diluitur.

Exod. 12.

II. locus.

Deinde fortissimum argumentum colligitur ex eo, quòd in hoc capite cùm dixisset Euangelista: *Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu : & protestatus est, & dixit, Amen amen dico vobis , quia vnus ex vobis tradet me*: quòd immediatè dixit post lotionem pedum, quæ teste Dionysio Areopagita, præcessit institutionem Eucharistiæ, vt apud nos in sacrificio Missæ manuum lotio: vt etiam indicat verbum, *Cùm hæc dixisset*, quibus sequentia omnia videntur continuata, vsque quo buccella tradita expulit Iudam de cœna. Hæc autem verba : *Vnus ex vobis tradet me*, Matthæus & Marcus referunt dicta ante institutionem Eucharistiæ: & ita buccella tradita, & egressus Iudę manifestè

Dionys. lib. Eccl. hier c. 3. p. 3. initio.

Matth 26. Marc. 14.

Sacramenti institutionem, ac dispensationem præcedunt. Iudas igitur cœnæ Dominicæ Sacramento interfuisse non potuit. Quòd si argumentum ducas ex Luca, Dominum post calicem consecratum dixisse: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa* : respondendum est, aut Lucam per figuram recapitulationis locutum fuisse; aut alios duos Euangelistas, per figuram anticipationis, quia videlicet id quod post institutionem Sacramenti narratur à Luca dictum, ab alijs duobus ante illam narratur: aut dicendum est bis idem à Christo fuisse dictum, & antè, & post; quod verisimile non videtur, nec necessarium. Cùm ergo, aut anticipatio in duobus sit constituenda, vt conueniant cum Luca, aut recapitulatio in solo Luca, vt conueniat cum alijs tribus, hoc postremum videtur multò probabilius. Primò, quia idem est: Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa; ac dicere: *Qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet*. Nam idem est, manum mittere in mensa, & in catino. Deinde in Luca, & alijs duobus prioribus Euangelistis eadē verba sequuntur, nempe: *Et quidem Filius hominis secundum quòd definitum est vadit, veruntamen væ homini illi per quem tradetur*, vt cogamur confiteri eadem esse verba, quæ hæc præcedunt. Tertiò, rationi magis accedit, vnum reduci ad tres Euangelistas, per figuram recapitulationis, quam tres ad vnum, ponendo in illis figuram præoccupationis.

Altera obiectio diluitur.

Luc. 22.

Lucam commemorando Domini verba de Iuda eum fuisse recapitulationis figura

II Argum.

III. argum.

Tertium argumentum ex textu producimus. Nam Christus illa nocte sermonem habens præsente Iuda, bis excepit illum à generalibus sententijs, semel, cum dixit. *Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum*. & iterum infra: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus dico: Ego scio quos elegerim*. Cùm igitur paulò pòst in eadem mensa dixerit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, vel frangitur, &: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, sine vlla exceptione protulerit. & infra asserendo: *Nō bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*, neminem exceperit, sicut nec quando tractans contentionem Apostolorum ea nocte subortam, quis eorum videretur esse maior, & respondisset: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis in mensa mea in regno meo; & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel*. in quib. verbis Iudę exceptionem nō fecit: nā si adfuisset, vel Caietano teste in hæc verba, ipsum excepisset.

III. locus.

Ioan. 13.

Ibidem.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Matth. 26. Marc. 14.

Luc. 22.

Caietan.

cepisset. Videtur igitur quòd Iudas abfuerit, pro quo non dedit corpus suum, & sanguinē, & cum quo nō erat post resurrectionem bibiturus. Estq; hoc argumentum ab Hilario, & Innocentio Tertio pro hac sententia confirmanda productum.

Hil can. 30. in Matth. Innoc. III. lib. 4. de Myster. Missa, c 13.

IV. locus, traditio Apostoli.

Clem. Roma. lib. 5. constit. Apost c 16. Ioan. 18.

Quarto loco, traditio Apostolorū pro hac opinione profertur. Scribit enim Clemens Romanus in lib. constitutionum Apostolorum: *Cum verò antitypa mysteria pretiosi corporis, & sanguinis sui nobis tradidisset, quibus non aderat vnà nobiscum Iudas, exijt ad montem Oliuarum prope torrentem Cedron, vbi erat hortus*, & reliqua. Nec est quòd de libri huius fide dubitemus. Nam hæc assertio saltem in hac parte nunquam fuit pro hæretico dogmate habita in ecclesia, vt propterea liber in suspicionem venire debeat.

V. locus.

Dion. Areop. ibid c de communione.

Quid communis panis & calicis pacifica cōmunio sibi velit.

Quintò adducuntur Doctores veteres hoc ipsum dicentes. Primo loco Dionysius lib. de Ecclesiast. hierarchia, qui in hunc modum scribit: *At verò augustior illa vnius eiusdemq; & panis & calicis communis, pacificaq; communio, concordiæ illis vt fratribus vna educatis, diuinas statuit leges, atq; cœnæ illius sacratissimæ, ex qua signa ipsa sumpsere principium, sacram memoriam renouat: in qua & autor ipse signorum, eum, qui secum non piè, neq; concorditer sacram cœnā perceperat, à contubernalium sorte iustissimè separat, probabili simul ac diuina ratione nos admonēs, vt verus ille ad sacra percipienda & congruo captu firmatus accessus id accidentibus tribuit, vt ex communione diuina ad Dei similitudinem, atq; consortium transeant.* Hæc ille.

Cuidam obiect. iunculæ respondetur.

Exod 12.

Non ignoro, quosdam hęc verba producere pro cōtraria sententia, ex eo quod ait, sacra in cœna percepisse. Sed hæc alij, fortiori fortassis ratione, ad agnum Paschalem sacrificatum, & cum azymis, & lactucis agrestibus manducatum referunt: tum quia Græcè dicitur συνδειπνήσας τὰ ἱερά, quæ ad agnū rectè possunt applicari; tum quia cū loquitur de Eucharistia, vocat τὰ ἱερώτατα τὰ σεβασμιώτατα, τὰ θειότατα; hoc est sacratissima, augustissima, siue diuinissima. Et ita Maximus antiquus, & Græcus interpres Dionysij, qui scholijs illum illustrauit, hæc verba exponens, ait: *Ex ijs aliqui rationabiliter dicere possunt, quòd postquam exijt Iudas, tradidit discipulis Christus mysteria, vt qui eis non erat dignus.*

Maximus antiquus interpres Dionysij.

Georgius Pachimeres.

Georgius quoque Pachimeres, scholiastes, & ipse Dionysij, sic habet: *Excludit, & segregat iustissimè Iudam, qui non sanctè conuiuio interfuerat. Nam cùm illum mystici panis, ac vini participem fecisset, mysteria discipulis postquam ille e cœna discessit, solis tradidit, cum ijs indignus esset Iudas. Cur igitur Iudam arcet a diuinis mysterijs, qui simul cœnauerat? Etenim docet quod non satis est corporaliter adesse, & conuiuium celebrare, non enim hoc cum communione habet similitudinem, sed oportet intellectu, & mente adesse.* Sic ille.

Explicatur hæc Georgij sententia.

Cuius verba vt sensum aliquem bonum contineant, opus est interpretari, illum sensisse, Iudam, qui communi cœnæ, & communi pani, & vino, quæ mystica hic vocat, quod essent ibi reposita ad benedicendum, eiectum fuisse à Domino, antequam illa mysteria sanctificaret, eo quòd ille, etsi corpore adesset, non tamen fide, aut mente, vt vtiliter caperet; alioqui si sensisset, Iudam participasse mysterijs sacrosanctis cum alijs Apostolis, quid opus erat illum à Domino excludi, vt fructum mysteriorum perciperet? siue enim assistat quis, siue non assistat, nullum ex illis accepit emolumentum infidelis, & immundè accedens. Ratio etiam ipsius Dionysij eò tendere videtur, vt peccato contaminati ad mensam Domini non admittantur.

Ammon. Alexand. Tacianus.

Secundo loco fauet huic sententiæ Ammon. Alexand. in consonantia Euangelica, & antè eum Tacianus, qui post exclusum ab aliorum consortio Iudam, attexunt historiam institutionis Sacramenti: quod non fecissent, nisi credidissent illius exitum præcessisse Eucharistiæ mensam, quemadmodum August. libro de Consen. Euangelistarum, prius recenset Sacramenti mensam, & postea iuxtà Lucæ verba, quæ videntur asserere mensæ Eucharistiæ adstitisse Iudam, narrat per buccellam intinctam eius eiectionem, nihil cogitans de figura recapitulationis, qua omnia Euangelistarum dicta in hac parte in concordiā redigebantur.

Aug. li. 3 de cons. Euang. c 1 tom. 4.

Theophyl.

Tertio loco accedit Theophyl. qui in cap. 26. Matthæi, ita scriptum reliquit: Apposuit antē vescentibus, vt ostenderet crudelitatem Iudæ: quia in mensa, & communione ciborum illius, quādo si & fera fuisset, mansuetiorem se exhibuisset: tunc neque cùm argueretur, intellexit, sed & corpus illius gustans non pœnituit. Quidam autem dicunt, quòd egresso Iuda tradidit Sacramentū alijs discipulis. Proinde & nos sic facere debemus, & malos à Sacramentis abarcere. Et infrà tractans illud: *Bibite ex eo omnes*, ita scribit: *Quare supra quidem nō dixit, Accipite, comedite oēs, hoc autem loco; Bibite ex eo oēs? Sunt qui dicant, propter Iudam hoc dictū. Iudas enim panem accepit, & non comedit, sed occultauit, vt monstraret Iudæis, quod panē corpus suum vocaret Iesus: poculum autem inuitus bibit, cùm nō posset occultare. Propterea hoc loco dicebat, Bibite oēs.* Hæc ille, & illa repetit in Marc. c. 14. quæ propterea citanda esse duxi, vt constet, nōnullos extitisse, qui Iudam abfuisse à cœna Domini crederēt; quos ipse ta-

se tamen reprehendere non audet, sed vt probabile producit. Ex Latinis verò Patribus primus est Hilarius, qui in Matthæum ita scribit: *Post quæ Iudas proditor indicatur, sine quo Pascha accepto calice, & fracto pane cõficitur: dignus enim æternorũ Sacramentorum cõmunione non fuerat. Nam discessisse statim hinc intelligitur, quod cum turbis reuersus ostenditur. Neq; sanè bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in regno; cum vniuersos, tum bibentes ex vitis istius fructu, bibituros secum postea polliceretur.* Secundus est Rupertus Tuitiensis in verba illa Ioannis: *Nõne ego vos duodecim elegi*, dicens: *De participatione aũt corporis & sanguinis eius, potest aliquis opinari, quòd ille interfuerit. Sed profectò diligentius Euangelistarũ narratione, doctorumq; cõsiderata diuersitate, cuius deprehendi, hinc quoq; Sacramento illum nequaquam interfuisse. Nam cùm accepisset buccellam, qua traditor designatus est, exiuit continuo: quã vtiq; buccellam, nec Euangelistarum, nec Doctorum quisquam consentit, panem fuisse Dominici corporis. Cum autẽ continuò exierit, profectò constat, quia (sicut prædictum est) corpori & sanguini Christi non communicauit. Nam non ante, sed post typicum Pascha, cuius buccella denotatus est, fuerat impletum, & agni carnes cũ Apostolis comederat, assumpsit panem, qui confortat cor hominis, & ad verũ Pascha transgressus est Sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedec summi Dei Sacerdos, panẽ & vinum offerens, fecerat, ipse quoq; in veritate sui corporis, & sanguinis repræsentaret. Quod cùm ex ceteris Euangelistis ordine manifesto perspicuum sit, solus Lucas quibusdam aliter sentiendi occasionem dedit: non quod typici Paschæ, & sacræ Eucharistiæ prædictũ ordinem præposterauit, vel minus aperte dixerit, quàm cæteri; sed quia verba, quæ de traditore suo Dominus in cœna dixit, ipse solus tardius scripsit quàm cæteri, id est, per anticipationem sacræ Eucharistiæ traditionẽ præscribens: verba, quæ in priori cœna dixerat, verbis quæ post dicta sunt, contexuit.* Hæc ille, qui alijs verbis dicit id, quod nos superiùs admonuimus. Nos enim diximus, Lucam vsum figura recapitulationis: quia verba, quę de proditore dixerat ante institutam Eucharistiam, vt alij Euangelistę tradunt, ipse post Sacramentum Eucharistiæ recenset; Rupertus verò asserit, Lucam per anticipationẽ narrasse Eucharistiæ institutionem, antequam de proditore quicquã fuerit locutus; quod prorsus in idem recidit. Vt videas quàm facilè fuerit hanc dissonantiam Euangelistarum componere: asserendo, Lucam aut vsum figura recapitulationis in narrandis verbis de Iuda dictis; aut alios duos vsos figura anticipationis in narranda institutione Sacramenti. Eadem ferè verba Rupertus repetit; cum explicat illa verba Ioannis: *Itaque cùm recubuisset ille suprà pectus Iesu*, & in volumine quatuor Euangeliorum, & in commentarijs in Matthæum. Adhæc Innocentius Tertius in libris Mysteriorum Missæ; *Dubitari*, inquit, *solet, vtrum Iudas cum alijs acceperit Eucharistiam. Lucas enim ostendit, Iudam interfuisse cum alijs, qui statim cum alijs traditorem commemorat, dicens: Hic est calix Noui Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis effundetur; Verum ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Quotquot autem interfuerunt, Eucharistiam acceperunt, Marco testante, qui ait: Et biberunt ex illo omnes, iuxta quod Christus ipse præceperat, teste Matthæo; Bibite ex hoc omnes. E contrà Iudam non interfuisse probatur. Nam secundùm Matthæum statim dixit Iesus bibentibus calicem: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Iudas ergo non aderat, quicum non erat bibiturus in regno. Bibentium quoque nullum excipiens, ait: Pro vobis effundetur; sed aliorum multos excepit, cum inquit: Pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vnde cum, secundum Ioannem, Christus dixisset Apostolis: Beati eritis, si feceritis ea, statim excepit: Non de omnibus dico; Ego scio quos elegerim. Et iterum: Vos mundi estis, sed non omnes. Quid ergo est nobis in hoc casu tenendum? Illud forte sine præiudicio aliorum, quod Ioannes insinuat: quia cum Iudas accepisset buccellam, exiuit continuò, erat enim nox. Christus autem post alios cibos tradidit Eucharistiam, Luca testante, qui dicit: Similiter & calicem postquam cœnauit. Patet ergo quòd Iudas prius exijt, quàm Christus traderet Eucharistiam. Quod autem Lucas post calicem commemorat traditorem, per recapitulationem potest intelligi: Quia sæpe fit in sacra Scriptura, vt quod prius factum fuerat, posterius narretur; sicut Matthæus commemorat biduò ante Pascha alabastrum vnguenti; quod secundùm Ioannem ante sex dies Paschæ mulier effudit in domo Simonis Leprosi.* Hactenus ille, quanquam in sequentibus priorẽ sententiam non respuat.

Sexto loco adstipulatur ratio huic sententiæ. Prima, quia Dominus cauerat: *Nolite*, inquit, *dare sanctum canibus, neque mittere margaritas ante porcos*; constat autem, Iudam habitaculum fuisse Satanæ, & vt iumentum possessum à dæmone, vt Theophylactus ait: vt illi porrexisse Eucharistiam, nisi aliud esse videatur, quàm Satanæ ipsi tradidisse. Secunda, quia cautum est ab Spiritui sancto per Apostolum Paulum: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis*: vbi diligenter explorari ministros Sacramenti Eucharistiæ docet. Cùm igitur Dominus nosset animum

Hil can 30. in Matth.

Rup. Tuitien. lib. 7. in Ioan.
Ioan. 6.

Psalm. 103.

Gen. 14.
Hebr. 7.

Lucas in cœna Domini describenda, à cæteris variare videtur, & quamobrem.

Idem lib. 12. in Ioan.
Idem in vol. 4. Euangel. c. 23. & lib. 11. super Matth.
Innoc 3 l. 4. Myst. Miss. c. 13. anno.
Luc. 22.

Mar. 14.

Matth. 26.
Duplex Innocentij III. pro ista sententia argumentum ex Textu
Ibidem.
II. Argum.
Ioan. 13.

Ibidem.

Luc. 22.

Scripturæ familiaris ordo narrandi.
Matth. 26.
Ioan 12.

Idem ostenditur multiplici ratione.
Matt. 7.

Theophyl.

II. ratio.
1. Tim. 5.

Iudę tanto proditionis ſcelere contaminatum, & opus non haberet, vt quis teſtimonium illi perhiberet de homine illo; ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine, nō tantùm vt Deus, ſed etiam vt homo, maximè cùm crimen eſſet publicum ſuapte natura, atque perſpicuum, cùm per biduum antè cum concilio Phariſæorum, & Pontificum pepigiſſet de Chriſto prodendo, etiamſi Apoſtolos lateret, at Chriſtum vt iudicem, & ſuperiorem nequaquam, ad quem crimen illud delatum fuiſſe intelligendum eſt. Non debebat ergo Chriſtus vel ad noſtrum exemplum homini criminoſo Euchariſtiam tradere, aut eum, Sacerdotem Noui Teſtamenti promouere. Tertia: Qua ratione medicus ſapiens, ac ſalutaris, medicinam præberet ægroto, quam ſciret ei mortiferam, atque noxiam eſſe futuram? Nam ſecundùm illud Apoſtoli; *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*: quoniam ſi poſſet, deberet omnibus modis curare, vt non acciperet. Cùm autem poſſet hoc Chriſtus efficere, ſicut re ipſa præſtitit, quia data buccella eum expulit; profectò hoc magis ad charitatem, & benignitatem eius indicandam ſpectatquã contrarium. Quarta: Vnde quæſo accepit Eccleſia, ſiue Græca, ſiue Latina, conſuetudinem à communione repellendi publicè criminoſos, prǽſertim ſi non ſit periculum ſchiſmatis, ſi exemplum eſſet in contrarium de Iuda? Probabilius autem eſt exemplo Chriſti detegentis Iudam, & expellentis eum à menſa, conſuetudinem illam retinuiſſe. Nam ad arcendum indignum per Diaconos clamat: *Sancta ſanctis*: De qua cõſuetudine Chryſoſtomus in Matthæum ſcribit: *Omnes ſimpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus impuro animo, ſicut Iudas, panem aſſumat, ne ſimilia patiatur. Corpus Chriſti etiam hæc multitudo eſt, quare cauendum tibi eſt qui hæc myſteria miniſtras, ne Dominum irrites, corpus hoc non purgando, ne acutum gladium pro cibo præbeas. Sed ſi quidem aliquis ignoratione terram adiuerit, nullo timore territus abijce: Deum, non hominem timeas: ſi hominem times, ab eo ipſo quem times, derideberis, ſin verò Deum, hominibus quoque venerabilis eris. Quòd ſi ipſe pellere non audes, mihi dicas, non permittam iſta fieri: animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè, ſanguinemq; effundi potius patiar, quàm ſanctiſſimum illum ſanguinem, præterquam digno concedam.* Et infrà: *Quòd ſi quis venerit cum ſordibus ignoranter, nulla veſtra culpa eſt, ſi ſcilicet illi Euchariſtiam porrigatis.* Cyprianus quoque lib. 1. epiſt. 10. ſic habet: *Pro dilectione tua ita conſulendum me exiſtimaſti, quid mihi videatur de hiſtrionibus, & mago illo, qui apud vos conſtitutus adhuc in artis ſuæ dedecore perſeuerat, an talibus ſacra communio cum cæteris Chriſtianis debeat dari. Puto nec maieſtati Diuinæ, nec Euangelicæ diſciplinæ congruere, vt pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Beatus etiam Thomas admonet, quòd Sacerdos conſcius occulti criminis eius qui indignè accedit, debet occultè monere, ne accedat; vel etiam in publico generaliter omnes accedentes commonefacere, ne ad menſam Domini ſine pœnitentia peccatorum accedant; quòd ſi quiſquam admonitus perſiſtere velit in peccato; non imputabitur tunc Sacerdoti, ſi ei Euchariſtiam nõ deneget. Quinta: quia dæmon inſtabat educere Iudam, vt Cyrillus ait, metuens ne Iudas ex ſocietate Apoſtolorum, & verbis Ieſu, vel guſtu, & virtute Euchariſtiæ reſipiſceret, & rediret ad ſanitatem. Nam plerunq; fit, vt indignè accedentes morſu conſcientię tangantur, & ad deflendum peccatum excitentur. Sexto loco hæc ſententia optimè ſoluit in contrarium obiecta. Nam Lucæ teſtimonium exponit per figuram recapitulationis, vt docet Innocentius Tertius, aut per figuram præoccupationis in Sacramento inſtituendo, vt tradit Rupertus. Illud, *Bibite ex eo omnes*, ſicut ad nos non extenditur, ita nec ad omnes Apoſtolos, ſed ad eos tantùm qui aderant: nam ita impletum fuit, teſte Marco: Et biberunt ex illo omnes; inter quos tamen non aderat Iudas. Et hæc ſolutio tam valida eſt, quàm illa, quam ipſi porrigunt illi teſtimonio: *Nõ bibam amodò de hoc genimine vitis, vſq; in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Dei.* Nam hoc interpretatur B. Thomas, quòd Chriſtus loquebatur collegio diſcipulorum, qui omnibus quantum in ſe erat, paratus erat pretium ſanguinis ſui impertiri, niſi aliquis ſua culpa ab eodem ſe ſubducere vellet, vt fecit Iudas. Idem etiã nos reſpondemus, dictum à Chriſto, *Bibite ex eo omnes*: quia paratus erat pro omnibus ſanguinem fundere, & omnibus illum ſub Sacramento miniſtrare, niſi quis ſpontè ſe ſubduxiſſet, vt fecit Iudas. Quòd ſi opponas cap. Si ſacerdos, extr. de officio iudicis ordinarij, vbi ſtatuitur vt non poſſit Sacerdos remouere nominatim à communione quem certò reum criminis eſſe cognouit, ſiue alio modo, quia non vt iudex, ſed vt Deus nouit, & admonere debet tantum ne ſe ingerat. Iudicium quidem eſt canonicũ Pontificis Eugenij, & cui ſtandum eſt. Quod verò ſubiungit: *Quia neq; Chriſtus Iudam à communione remouit*: interpretatio eſt hæc, non iudicium, nam in eo nõ iudicem,

Ioan. 2. *Matth. 26.* III. ratio. *Simile.* *1. Cor. 11.* IV. ratio. Vnde Græca Eccleſia conſueuit ab Euchariſtię perceptione repellere publicos peccatores. *Chryſ. ho. 83. in Matth. in fin. tom. 2.* *B. Thom. in 3. p. q. 80. art. 6. tom. 12.* V. ratio. *Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 19. tom. 1.* Soluuntur rationes opinionis aduerſę. *Innoc. 3. ibid.* *Rupert. ibid.* *Matt. 26.* *Marc. 14.* *B. Thom.* Ex Eugenio Pontifice quoddam argumentum diſſoluitur.

moram, & benedictionis virtutem, ne scilicet Iudas resipisceret, & proditionis designatæ eum pœniteret. Euthymius docet oppositum in Matthæum, vbi ait, offam intinctam illi datam, esse distinctam à pane illo Eucharistico, qui omnibus datus est: & post Eucharistiam dispensatam, buccellam Iudæ donatam tradit.

Euthym. c. 61 in Matthæu.

Vbi fuerit panis ille intinctus Iudæ traditus.

I opinio Caietani, parum probabilis.

Altera Nonni paraphrastis.

Si fortè quis quærat, in quo fuit panis ille tinctus, quia nihil de hoc Euangelium tradit. Respódet Caietanus, fuisse in aceto panem intinctum ad comedendas lactucas syluestres. Sed non est verisimile: quia panis aceto, vel aqua intinctus, non est sapidus. Nonnus paraphrastes ait, Quis est? Et Christus dicebat, Cui manus intingens panem vini gutta humidum porrigo, hic me tradet. Et intincto pane extremo in poculo vini pleno, impudenti Iudæ panem præconem sui interfectoris lucri cupiditate capti dedit. Sed etsi hæc videatur verisimilior quàm prior sententia; quia vinum colorem mutat panis, & sapidior redditur offa factus: tamé probabilius est quòd, quia Matthæus & Marcus dicunt, *Qui intingit mecum manum in parapside*, vel catino (qui est patina, vel disci species, in quo nō solet reponi vinum) quod in aliquod bonum iusculum intinxerit, quòd post esum agni paschalis (qui edebatur à principio, vt instituta à Deo ceremonia, & vt panis benedictus apud nos sumitur ante omnes cibos) & lotionem pedum repositum fuit in mensa ad cœnandum, in quo possent tingere. Et per intinctum panem quidam respicientes ad Hebræam phrasim, qua panis nomine venit quicquid edi solet, & mãducari, etiamsi panis non sit, intelligunt buccellam alicuius delicati ferculi, siue pretiosæ rei, quæ ibi ad edendum proposita erat: quam vt libentius ederet, intinxit prius, & intinctam porrexit Dominus. Et panis buccella vel intincta non fuisset fortassis tam cara, & in tanto pretio. Quidam per hanc intincti panis porrectionem intelligunt Christum Iudam excommunicasse, & à se expulisse: quod mihi durum videtur, quia Christus Iudam non expulit, sed abire volenti dixit; *Quod facis, fac citius*. Deinde cum excommunicatis non edimus simul; at porrigere panem, plus erat quam cum eo edere. Significauit autem illa buccella tincta fictionem cordis Iudæ: nō enim omnia quæ tinguntur, abluuntur; sed vt inficiantur, nonnulla tinguntur. Si autem bonum aliquid hic significat tinctio, dulcedinem Diuinæ bonitatis, siue charitatis; qua illum volebat ad se allicere, denotat: quia panis intinctione magis sapit: & ideò ingratitudo secuta tantum bonum, meruit introitū Satanæ, & damnationem. Nos igitur agnoscamus, beneficia omnia venire intincta cum diuina dulcedine: omnia sunt symbola diuinæ charitatis suæ, ob quam illa nobis abunde tribuit, quibus nos ad se allicit Deus tanquam pane intincto, vt ei grati existamus: & bonis ad salutem communicatis ne abutamur in exitium, ne post illa contingat intrare Satanam in corda nostra, quemadmodum fecit cū Iuda: quin potius introeat in nos diuinus Spiritus suo charitatis igne nostra corda succendens, vt agnoscamus, & indies magis diligamus Dominū nostrum, cui cū Patre, & Spiritu sancto omnis est cultus deferédus in secula seculorum. Amen.

III. probabilior opinio.

Matth. 26. Marc. 14.

Catinus quid.

Agnus paschalis ante omnes cibos olim edi consueuerat.

Quid fuerit panis ille intinctus secundum quosdā.

Qui Iudam per intinctum panem à Domino excommunicatum fuisse tradunt, minus equidem pie, & benigne illi sentire videntur.

Quid panis intinctus Iudę porrectus significauerit.

Quæ res aditum Satanæ fecerit in cor Iudæ proditoris.

Quæ in nos existunt Dei beneficia, a nobis quid requirant.

TRACTATVS XI.

In illa verba: *Et post buccellam, introiuit in eum Satanas. Et dicit ei Iesus, Quod facis fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox, &c.* Ioan. 13.

Antequā alterius propositæ quæstionis dissolutionem adferamus, volo prius Euangelicam literam discurrendo interpretari. Primum igitur ait: *Et post buccellam* (scilicet manducatam) *introiuit in eum Satanas*. Horrendum sanè verbum, sed res ipsa magis horrenda, & contremiscenda. In stomacho corrupto corrumpuntur etiam boni cibi, sic in anima obstinata, omnia vertuntur in malos humores. Rogauerat Satanas dari Apostolos sibi cribrandos sicut triticum, & obtinuerat, & à cauda, quæ Iudas erat, cœperat, & per eum capere Iesum cogitabat. Ideò nequaquam est gaudendum, dum aliquis nostrum peccat; sed timendum potius, ne per eum nos aggrediatur Satanas. Habebat quidem Iudas prius Satanam, cuius impulsu, cum fur esset loculos Domini defraudabat: murmurauerat contra mulieré vnctricem: cū hostib. Christi capitalib. de tradendo Iesu pepigerat: sed nondū erat reuelatus Satanas in ipso solus Christus ipsum videbat in eo habitare: nunc reuelatur, & manifestè se prodit, cū Iudas fit impiæ cohortis dux, & primipilus. Sicut in nobis sunt peccata odij, inuidiæ, & concupiscentiæ malæ: sed latitant, donec

Qualis Satanę in cor Iudæ post acceptam buccellam introitus. Luc. 22.

Quid nobis quopiam peccante, faciendum si sapimus. Ioan. 21.

Matth. 26. Vbi Satan Iudam inhabitans à Domino reuelatus, ac proditus.

donec occasione data erumpant. Et anteà quidem Iudas Christi præsentia; à Satanæ iusta possessione defendebatur, ne in totum cribraretur; itaq; Christus Iudam Satanæ non prodidit, sed vt inemendabilem non ampliùs defendendum putauit, vt domino commutato, quã malè sibimet consuluisset, agnosceret: quia mãmonę potiùs, quàm Domino voluit seruire. Sic ab Ecclesia præcisi traduntur Satanæ, vt 2. Tim. 1. Phigellus, & Hermogenes, & is, de quo 1. Cor. 5. & Hymenæus, & Alexander 1. Tim. 1. Potest etiam dici, Satanam in eum introijsse, vt Lucas testis est, quando cum Iudæis tractauit de prodendo Iesu; & ita non tam buccellam secutus videtur, quàm consuetam habitationem repetere, de quo dicitur in Psal. *Constitue super eum peccatorem; & diabolus stet à dextris eius*: non secùs, atque quis ingreditur domum emendam, vt eam videat; at postquàm emit, intrat vt dominus, & possessor. Ac vt post buccellam ligni vetiti contra Dei obedientiam manducatam, intrauit Satanas in primos parẽtes; ita post buccellam vsuræ, rapinæ, iniusti lucri ingreditur dæmon etiam in inuitos: quia à quo quis superatus est; huius & seruus est.

Quando primũ Satanas introiuit in Iudã, & quomodo. *Luc. 22.*

Psal. 108.

Gen. 3.

Et dicit ei Iesus, Quod facis, fac citiùs. Annotauit non semel Rupertus Tuitiensis, modum correctionis fraternę seruatum à Domino in Iuda proditore corripiendo. Nam vt primùm inter corripientem, & ipsum solum correptũ correptio fieri debet: deinde adhibetur vnus, vel duo testes; tertiò vbi nihil proficitur, denuntiatur Ecclesiæ vt criminosus, & correctionis minimè capax. Ita Christus hanc rationẽ correptionis obseruans, primò quidem secretè corripuit, cùm dixit: *Vnus vestrum me traditurus est*, & cùm ipsi interrogãti, *Nunquid ego sum, Rabbi*, respondit, *Tu dixisti*: quod etsi nõ affirmet, neque neget, sed suspendat orationem, & in arbitrio audientis relinquere videatur: honestus tamẽ modus est affirmandi, vt cùm dixit Pilato, *Tu dicis, quia Rex sum ego*. Secundò, adhibuit vnum testem, quando per panem intinctum, siue per buccellam detexit illum Apostolis, & Ioãni. Tertiò, cùm nihil proficeret correptio, dixit sibi ipsi tanquàm superiori, & pastori, & ad Iudam locutus est: *Quod facis, fac citiùs*: Et accepta buccella exiuit tãquàm de gremio aliorum præcisus, & excommunicatus, in quem propterea introiuit diabolus. Videtur porrò Iesus hoc verbo vrgere hominẽ ad facinus. Sed Iesus non præcipit seruo contumacissimo proditionem, nec temporis accelerationem. Nam etsi actio in se bona sit secundùm materiam, & accelera-

2. Pet. 2. Modus fraternæ correptionis à Christo seruatus. *Ruper. Tuitien. in Ioannem lib 11.*

Matth. 18.

Infra 26. Qualis hic modus affirmandi: Tu dixisti.

Ioan 18.

Quo sensu Dominus Iudæ dixerit; Quod facis, fac citius.

tio temporis non sit mala, tamen quia coniuncta erat cum culpa, ideo illam non præcepit; nec ad illam hortatus est Iudam: sed in primis ostendit se illius technas, & insidias non ignorare, dicendo, Quod facis, id est, quod meditaris in corde tuo, opere perfice. Deinde ostẽdit ardens desiderium patiendi pro gloria Patris, & mundi salute, quod maius erat eo, quod Iudas habebat eum prodendi, & habendi triginta argenteos. Hinc dixit: *Baptisma habeo baptizari; & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur?* Tertiò hæc verba sunt Satanæ dicta, secundùm B. Cyrillum in ipso Iuda habitanti, & ipsi Iudæ vnum cum Satana facto, exprobrantis, & comminãtis ne faceret: ac si diceret; Fac opere quod cœpisti cogitatione, & senties quid tibi inde eueniet. Intelliges me vera dicere, cùm prædixi: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Ad hunc sensum ait Dominus apud Matthæum: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum?* & rursus, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Vbi videtur præcipere impietatem. Ita dicitur in libro Iudicum: *Ite, & inuocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ*; & apud Ezechielem: *Singuli post idola vestra ambulate, & seruite eis*: ac si dicat, si à me regi non vultis, abite post concupiscentias vestras: seruite dijs alienis, & videbitis quã requiem sint vobis daturi. Quartò, quia ipse iamdiù exire volebat, voluit ipsum Iesus tegere, ne de illo cæteri quicquã suspicarentur mali: quia ergo Iesus verbis suis eum suspectum reddiderat, voluit verba sua illi nihil obstare, vt liber ab omni suspicione exiret, non secùs ac si Iesus nihil de proditione dixisset. Si enim sine verbo Iesu discessisset, ipse se proditorem prodidisset. Non ergo proditionem præcepit, nec eius accelerationem: non vt egenis aliquid daret, vel vt emeret necessaria ad diem festum; sed sermo Iesu esse videtur, qualis parentum ergo deploratę mentis filios interdum esse solet. Quasi dicat; Cũ innumeris meis beneficijs ad resipiscentiã inuitari restiteris: age, facere permitto quod cœpisti, non te ampliùs prohibeo. Noluisti me audire, sequere ergo diabolum. Vnde Theophylactus exponens, ait: *Hoc non est adhortantis, ad perditionem, sed exprobrantis, & permittentis ei ad proditionem venire, dicit enim. Fac, quasi diceret. Ecce reliqui te facere quod vis, non impedio tuam mentem, non retineo te vltrà. Anteà enim ipse cohibebat malitiã, apud se tempus mortis reseruans, sicut & dicebat: Nullus tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso.*

Secunda solutio.

Luc. 12. Tertia solutio, quæ est B. Cyrilli. *Cyril. lib. 9. in ioan. c. 17. tom. 1*

Qualis huiusmodi sententia. *Matt. 23.*

Ioan. 2.

Iudic. 10.

Ezech. 20.

Quarta solutio.

Mira Christi custodia famæ Iudæ proditoris apud suos Discipulos.

Cui etiam similis hæc formula dicendi: Quod facis fac citius.

Theophyl.

Ioan. 10.

Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad

Apostolorū probitatis indicium.

quid dixerit ei. Etiam Ioannes Euangelista ipse inter nescientes quorsum tenedrēt illa verba Domini, connumeratur, & hoc erat signum magnæ probitatis in Apostolis, quòd nihil mali suspicarētur de Iuda: quia charitas non cogitat malum: & quòd putarent ei fuisse præceptum, vt vel præpararet quæ ad diem festum pertinerēt, vel vt pauperibus, siue mendicis, vt Græca litera habet, aliquid erogaret. Sed mirū est, si Ioannes ex porrectione buccellæ agnouit proditorem; quomodo posteà non intellexit quod dixit, Quod facis, fac citiùs; quia dicitur, hoc neminem discumbentium intellexisse ad quid dixerit ei? Verisimile est, mentem Ioannis fuisse detentam alijs meditationibus, nec Dominum cum eo concurrisse, vt etiam viso signo panis intincti non intellexerit Iudam esse proditorem; vel si intellexit, non existimauit tunc esse tempus perficiendi scelus, aut quod secretum omnibus esse voluit, id tum Ioāni seruauit; vel Deus ita disposuit, ne Apostoli dicta intelligerent, ne Iudam trucidarent; vel alius sanguis funderetur præter suum, quia omninò voluit agnosci quòd spontè se offerret ad mortem. Voluit etiam Spiritus sanctus, aliter intelligi verba Christi ad tempus. Perpenditque Cyrillus, quòd etsi omni tempore, præcipuè tamen in die festo eleēmosyna dispensanda est. Vnde per vnam Sabbati Apostolus pręcipit fieri collectas. Nam die Dominica natus est Christus, & in eadem ad immortalitatem regenitus, & per Spiritum sanctum eâdem die missum homo Christo renascitur. Da ergo, vt tibi donet Christus: miserere, vt misereatur. Perpende etiam, perfectioni paupertatis Euangelicæ non derogare habere pecuniam in communi, nō solum ad proprias necessitates subleuandas, sed etiam ad erogandum pauperibus.

1. Cor. 13.

Cum Ioānes ex porrectione buccellæ agnouerit proditorem: quomodo posteà non intellexit. Quod facis, fac citius?

Altera solutio.

Tertia, & quarta.

Cyrill. ibid. cap 18.

2. Cor. 16. Etsi omni tempore, festis tamen diebus præcipuè egenis benefaciendū vult esse Cyrillus.

Act. 2. Pecuniæ in communi possessionem Euangelicæ paupertati non repugnare, vnde constare possit.

¶ *Cum ergo accepisset ille buccellā, exiuit continuo.* Rectè dictū est: Peruersi difficilè corriguntur. ¶ *Exiuit.* Iudicatus, & cōdemnatus gradum suum deserens, vt Episcopatū eius accipiat alter. ¶ *Exiuit.* Non vi eiectus, sed spontè se à Christo, & sanctis separans; vt appareat affuisse illi anteà voluntatē abeundi, sed facultatē defuisse, qua accepta exiuit, quemadmodum Hæretici, de quibus ait Dilectus: Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permāsissent vtiq; nobiscum: sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. Exiuit deinde statim: quia maiores vires in eum diabolus habebat, quia iam quasi vi ei imperabat; festinabatq; timens amplius cū morari in societate Christi, & Apostolorū.

Ecclesiast. 1. Psal 108. & Act. 1.

1. Ioan. 2. Cur accepta buccella statim exierit Iudas.

Metuebat quoq; verborum Iesu virtutem, ne scintillam aliquā pietatis, & pœnitentię in corde Iudæ reaccēderet, & à laqueis suis elaberetur, vt Cyrillus docet. Mirabile est autem, inter alios vndecim Apostolos neminem extitisse, qui se tam iniquis conatibus proditoris opponeret. Sed certè Apostoli partim rei futuræ ignari, partim Spiritu Dei, & fortitudine destituti, apti ad corrigendū non erāt, nisi armis: vt cū comprehensus Dominus fuit, ostenderunt. Demū Christus multis modis se Iudæ ne proditionē perficeret opposuit, illi charitatis, & humilitatis opera ostendit, verbis sæpè punxit: & ad sanitatem reuocare conatus est, sed frustrà, illo renitente, & in malitia persistente. Discimus plerunque vel vnum improbū plus posse ad interturbandā Ecclesiam, vel bonorum virorum congregationem, vel religionem, & pace sua, & tranquillitate spoliandam, quàm multos bonos ad occurrendum malis, & scandalis. Filij enim huius seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt: quod (heu) magis ingemiscēdum est, quàm verbis pluribus exaggerandum. Vide quantum possit vel vnus hæreticus in vna Prouincia, contaminanda, quid apostata, & seditiosus in religione scindenda. Sed de his hactenùs.

B. Cyrill. loco superiori. Cur se iniquis conatibus Iudæ proditoris nemo Apostolorum opposuerit.

Improborū pernicies in Ecclesia.

Luc. 16.

Erat autem nox. Quæ vel ipsum poterat à tanto facinore cohibere. Sed nocte peccatores abutuntur ad iniquitates suas opere perficiendas, vt iam Prouerbij loco dicatur, Noctem esse pallium flagitiosorū. Nā qui malè agit, odit lucem; & *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens; Non me videbit oculus, & operiet vultum suum*; Et vt ille dixit: *Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.* Erat etiam, vt docet Chrysostomus, nox in mente Iudę, cui occubuerat Sol iustitię, lumen fidei, & calor gratiæ, & charitatis; atq; ita noctis, & tenebrarum filius noctem sibi commodam existimauit ad flagitium perpetrandum, quò æternam sibi noctem, & tenebras exteriores, vbi est fletus, & stridor dentium, comparauit. Totaq; illa nox Paschę de more insomnis agebatur in memoriam egressus de Ægypto; & venalia erant vbiq; locis omnibus, vt quidam existimāt: etsi probabilius existimem, quod superiùs comprobatum reliqui, Iudæos in diem sequentem Pascha distulisse. Quod etiam Iudæorum animos permouit, vt secretiùs, & sine turbis, quas metuebant, Christum comprehenderent.

Nox est pallium flagitiosorum, vt dici consueuit. Ioan. 3. Iob 24 Horat. epist. 1. Chryso. hom. 71. in Ioan. tom 3. Iudas proditur verè noctis, & tenebrarū filius.

Matth. 8. & 13. & Luc. 13. Exod 14.

Cur Iudæi noctem Pascha insomnē traducerent. Matth. 21. & alibi.

Cùm ergo exijsset, dixit Iesus, Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Hæc videntur cum superioribu con-

tinuan-

tinuanda, quia in eius exitu dicta sunt. Et verbo clarificandi vtitur pro, glorificandi, quia Græcè dicitur δοξάζειν:& gloria nihil aliud est, quàm clara cum laude notitia. Et perpende Christi prudentiam, blandis, ac dulcibus verbis mortem ignominiosam glorificationem appellantis, & instar periti medici saccharo & melle amaritudinem pharmaci tegentis.

Gloria quid.

Mira Christi prudentia.

In primis nota, sermonem esse de Christo homine, ideo ait: *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Deinde præterito vtitur pro futuro, ob certissimum euentum Prophetiæ, id est, clarificatus, pro clarificandus, vt illud: *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Et, *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Tertiò aduerbium Nunc, potest referri vel ad proditionem Iudæ, quæ est velut inchoatio quædam, passionis & mortis Christi, quæ dicitur glorificatio, quia meritum fuit glorificationis nō tantùm suæ, sed omnium nostrûm, secundùm illud: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

Hebraismus.

Esai 9. *Psalm. 21.*

Christi mors cur dicta sit clarificatio.

Luc. 24. *Ioan. 12.*

II. ratio. Fuit etiam via, seu transitus ad gloriam in corpore immortali, & in fama nominis sui comparanda, & illustranda, & sic erigebat animos discipulorum, firmabatque illorum fidem: & quòd Iudas, & Iudæi nihil aliud agant, quàm quòd gloriam eius promoueant.

III. ratio. Tertiò clarificatus est afflictionibus, & cruce pro mundo toleratis: nam amanti gloria est, pro his quos diligit, grauia, & ardua sustinere. Et vt vobis seruis Christi gloriosum est pro Domino pœnas quasq; ac supplicia sustinere; ita Domino diligenti nos seruos, honorificum fuit grauia quęque pro nobis perferre.

Amantis ingenium.

IV. ratio. Quartò sic loquitur, quasi qui pugnaturus certam victoriam sibi auguratur: & quando videt hostem congredi volentem, gaudet pro victoria certa quam nouit se assecuturum. Et in hoc etiam magis est clarus, & illustris, & permittit hosti omnia, & sese illius in manus tradit, vt sic illum non astu, aut dolo, non antè capto loco, aut occasione, sed in ijs ipsis, in quibus hostis magis confidebat, hostem exarmat: & cùm ipse victus ab hoste videatur, vincit hostem suum. Glorificatus itaque est Filius hominis, qui propter diuinam obedientiam, suum etiam proditorem quodammodò excusatum, tectumque dimisit. Nam cùm Spiritus Domini turbaretur, & pro nobis pugnasset, & vicisset carnis & animæ infirmitates, ac motus, qui diuinæ suæ voluntati repugnabant: ita etiam huc usque progressus est, vt seipsum vincendo, proditorem non accusaret, vel puniret.

Luc. 22.

Christi victoria eiusdem in Iudā suum proditorem benignitas.

Et congruè à tempore noctis, quod tunc erat, similitudine per contrarium sumpta, clarificationem suam Sol iustitiæ CHRISTVS adesse indicauit, qua totum mundum erat illuminaturus, proditore suo, impijsque Iudæis in nocte peccati, atque tenebris perpetuo remanentibus. Pijs enim nunquam defuturam ostendit lucem, etiam si nox errorum impios inuoluat: quemadmodum in Ægypto luce clara perfruebantur filij Israël, cùm apud Ægyptios omnia occuparent densissimæ tenebræ. Dici etiam potest, illud Nunc, referendum esse ad discessum Iudæ: quia contentus fuit Dominus de eius iam obstinati, & inemendabilis facti expulsione, vt commentatur Augustinus. *Auferte*, inquit Apostolus, *malum ex vobis ipsis. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit:* & in fine seculi tollet de regno suo omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem. Et vt vertigine capitis laborans non quiescit, donec humores noxios euomat, & resecto membro putrido, quod contagio suo serpebat in totum corpus, aliquam quietem possidet infirmus: ita CHRISTVS expulso Iuda, in quo quodammodò erat obscurus, ac putridus, vocat se contentum, & glorificatum, & excussa palea, remansit purum granum. Ac subdit: *Et Deus clarificatus est in eo.* Vt enim Patris, & Filij vna est natura, sic & eadem gloria: ideo Christus dixit se non gloriam suam quæsisse, sed Patris sui. Sic tamen intellige Deum glorificatum, vt nihil gloriæ essentialis illi accesserit, quam prius non habuerit: sed quod per mortem clarum factum est, cuius Filij Pater sit Deus. Quia sicut Filio gloriosum est habere talem Patrem, ita & Patri habere talem Filium. Præterea homines spectantes opera admiranda quæ faciebat, Deum glorificabant, vt Centurio in Cruce: *Verè Filius Dei erat iste.* Et hoc est præmium mortis Christi, quòd cernamus Deum, vt Patrem, cognitum, & adoratum in vniuerso orbe terrarum, quæ illi summa est gloria. Et nihil refert, siue per Deum intelligat totam Trinitatem, siue Patrem ipsum, qui in eo manens opera faciebat. Deus præterea honorificatus est in illo: siquidem homo est inuentus, qui pluris faceret voluntatem Dei, quàm vitam & honorem proprium. Quòd si Deus glorificandus erat in morte Petri, vt apud Ioannem prædicitur; multo magis per

Christi clarificatio cur à tempore noctis sumpsit initium.

Sap. 5. & Malach. 2.

Exod. 10.

Aug. tract. 62. in Ioan. tom. 8. *1. Cor. 5.*

Ibidem. & Galat. 5. Matth. 13.

Quomodo eiecto iam proditore Iuda, clarificatus sit Christus.

Ioan. 7.

Deus quatenus in Christo, & in nobis clarificetur.

Matth. 27.

Præmium mortis Christi quod sit.

Ioan. 14.

Infra 21.

Matth. 27.

mortem Christi Filij sui, quam tot heroicæ, & excellentes in Domino virtutes, totque ac tam admiranda signa in cœlo, & in terra, & in inferis edita illustrarunt. Sibi autem Dominus tribuit glorificationem Patris per suam obedientiam, & mortem; Patri verò tribuit sui glorificationem per resurrectionem, & Ascensionem. Quanquam, & Pater seipsum glorificauerit per Filij mortem, Filius seipsum per resurrectionem: eò quòd volútaria Christi mors, vnde Pater est glorificatus, infirmitatis fuit humanæ, resurrectio verò diuinæ virtutis. Nam etsi crucifixus est, inquit Apostolus, ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.

Quomodo Pater seipsū clarificauerit & etiā Christus seipsum.

1. Cor. 13.

¶ Nos igitur tales esse studeamus, vt luceamus coram hominibus; vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Et hæc est summa gloria nostra, vt propter nos, & in nobis, siue viuentibus, siue morientibus, glorificetur Deus.

Deus qui à nobis clarificandus.

Matth. 5.

Ac subdit: *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso.* Certissimus est de sua clarificatione, qui Deum glorificat, quia stat sententia illa: *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum.* Nam ei egregios confert titulos, vt dicatur legis, Crucis, maledictionis, peccati, mortis, inferni, & Satanæ victor, ac triumphator, & illud nomen, in quo omne genu flectitur. Et accipitur, *Si*, pro, *quia*: nam Christus opera sua, & signa ad Patris gloriam edidit. Nam ita fiet vt ipse nos se honorificantes, amplissimè glorificet, iuxta illud: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et verbum, *in semetipso*, vel iungi potest cum verbo Deus, vt sit sensus, quod Deus non tantùm per alios, sed etiam per seipsum glorificauit Christum: vel potest coniungi cum pronomine, *Eum*, vt significet non tantùm in homine, fama, & opinione aliorum illustrauit, sed etiam à semetipso, efficiendo ipsum viuum, & à morte ad gloriam nunquam morituram excitando. Parum enim fuisset glorificari eum in linguis, & opinione hominum, nisi in seipso esset gloriosus. Et soliti sumus dicere; Si hæc ex Deo sunt, manifesta profectò fient. Si ergo Deus fecit, vt Christus consentiret in mortem suam, ob quod magno honore, & gloria est cumulatus; vtiq; volet ipsum Christum illustrem, & clarum apud homines reddi.

Certissimus de sua clarificatione quis.

1. Reg. 2.

Philip. 2.

Christus cur potissimū signa faciebat.

1. Reg. 2.

Hæc omnia Domini verba de clarificatione expendens B. Hilarius lib. 9. de Trinit. sic elegáter ait: *Quanta potuit enim Dominus verborum simplicitate Euangelicam fidem locutus est: & in tantum ad intelligentiam nostram sermones aptauit, in quantum natura nostra ferret infirmitas, non tamen vt quicquam minus dignum natura sua maiestate loqueretur. Et primā quidem dicti sui significationem non ambiguam existimo, cùm ait: Nūc honorificatus est Filius hominis. Gloria enim omnis non verbo, sed carni acquirebatur, id est, non natiuitati Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc verò quod sequitur, quid significet, interrogo: Et Deus honorificatus est in eo. Honorificatum enim in eo Deū audio, & quid istud sit secundùm intelligentiam tuam, hæretice, ignoro. Deus in eo honorificatus est, in Filio vtique hominis: & quæro an Filius hominis idem sit, & Filius Dei. Et cum non alius sit Filius hominis, neque alius Filius Dei: Verbum enim caro factū est: & cū qui Filius Dei est, ipse & hominis sit Filius: requiro quis in hoc Filio hominis, qui & Filius Dei est, glorificatus sit Deus, quia in Filio hominis, qui & Filius Dei glorificatus Deus est. Videamus quid sit hoc quod tertio subditur: Si Deus glorificatus est in eo, Deus glorificauit eum in se. Quod istud rogo Sacramenti mysterium est? Deus in Filio hominis glorificato glorificatū Deum glorificat in sese. In Filio hominis Dei gloria est, & gloria Dei in gloria Filij hominis. Deus glorificat eū in sese, homo vtiq; non per se glorificatur: neq; rursum qui in homine glorificatur Deus, licèt gloriam accipiat, non tamen aliud ipse quàm Deus est. At verò cum glorificato Filio hominis, glorificans Deum Deus glorificat in sese, inuenio naturæ gloriam in gloriam naturæ naturam glorificātis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificatū in homine Deum, glorificat in sese. Quod aūt glorificat in sese, licèt non se glorificet, tamē in naturæ suæ gloriam naturam glorificantis assumit. Et cùm glorificans Deum Deus, quia glorificatus in homine sit, glorificat in sese eum, quem glorificauit in sese inesse demonstrat, cùm eum glorificat in sese.* Hactenus ille.

Quanta verborū simplicitate, vt ait Hilar. Christus Euangelicam fidem locutus sit.

B. Hilar. circa medium.

Eundem esse Filium hominis, qui & Filius Dei.

Ioan. 1.

Quid illud sit Deus clarificatus est in eo, Deus clarificauit eum in se.

Subdit: *Et cōtinuò clarificabit eum.* Noluit Deus glorificationem Christi differre vsq; ad secundum eius aduentum, quemadmodùm cum pijs omnibus, & electis facit: nam corporū saltem gloriam in secundum aduentum proferet. Sed continuò, id est, statim, etiam in ipsa cruce, vbi stupenda signa sūt visa in honorifica sepultura, in descensu ad inferos, in Resurrectione gloriosa, in admirabili Ascensione, in missione Spiritus sancti, in Ecclesiæ nouellæ institutione, & persecutione: hæc enim omnia vt prædicta erant à Christo, ita euenerunt.

Cur Deus clarificauerit cótinuò Filium hominis.

Matth. 27.

Quod item Euangelium impugnatur à multis, & à paucis recipitur, ad Christi gloriam spectat: sicut & illud quod per paucos vincat multos, per idiotas sapientes, per obscuros illustres, per debiles, & inermes, fortes & armatos, denique per omnibus rebus inferiores, omnibus rebus su-

Insignes Christi victoriæ, & mundo prorsus incognitæ.

1. Cor. 1.

bus superiores superet, hæc enim omnia immensæ Christi gloriæ attestantur.

Ammon. Alex. Tacianus.
An Iudas cœnæ Dominicæ adfuerit.

Post hæc verba immediatè Ammon. in sua consonantia Euangelica, & ante eum Tacian. reponunt institutionem Eucharistiæ: quem ordinem, vtpote probabiliorem, ac veritati magis consonum, nos hoc loco cõsectari proponimus. Sed statim obijcies; Si igitur hic est ordo historię in cœna Dominica obseruatus; necessario ex eo sequitur, Iudam proditorem cœnæ Dominicæ non adfuisse.

I. opinio, & cui Scripturæ innitatur.

Sciendum igitur est, duplicem esse sanctorum, ac veterum Patrum sententiã: alteram quidem negantium, alteram verò asserentium Iudam adfuisse Dominicæ cœnæ: quam posteriorem, tam Scripturis, quam rationibus euincere nituntur: ait enim in primis Luc. postquam dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Et quidem Filius hominis secundum quod definitum est vadit; veruntamen væ homini illi, per quem traditur. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.* Ex quibus verbis liquidum redditur, Iudam Sacramenti institutioni adstetisse. Deinde apud Marc. ita legitur. *Et biberunt ex illo omnes.* Si omnes, ergo & Iudas, alioqui non omnes.

Luc. 22.
Marc. 14.
II. Argumentum à Patribus.
Hier. l. 2. adu. Iouinian. multò post mediũ.
1. Cor. 11.

Tertiò, hanc sententiam sequuntur multi Patres, ait enim Hierony. lib in Iouinia. *Vna est in mysterijs sanctificatio, domini & serui, nobilis & ignobilis, Regis & militis, quanquam pro accipientium meritis diuersum fiat quod vnum est. Qui enim indignè manducauerit, & biberit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi. Nunquid quin & Iudas de eodem calice bibit, de quo & cæteri Apostoli, vnius cum reliquis erit meriti?*

Aug. tract. 62 in Ioan. to. 9.
Luc. 22.
Idem epist. 163 tom. 2.
Idem tom. 8.

Accedit Augustinus in Ioannem: *Non autem, inquit, vt putant quidam negligenter legentes, tunc (scilicet in buccella) Iudas Christi corpus accepit: intelligendum est enim quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut sanctus Lucas euidentissimè narrat; ac deinde ad hoc ventum est, vbi secundum narrationem Ioannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam suum exprimit traditorem: fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem.* Hæc ille, apertissimè asserens Iudam participasse Sacramentum. Idem docet in epistola quadam, & super Psalmum decimum dicens: *Christus quid fecit nobis, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, vt ei primum Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet.*

Chrysost. ho. in Matth. initio tom. 2.
Cyprian.
Cyr. Ierosol. Catech. 13.

Chrysostomus in Matthæum ita ferè scribit: *Cum proditor ineffabilibus mysterijs communicasset, idem permansit, & diuina mensa susceptus in melius commutari noluit: quia tali animo mysterijs susceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus est.* Cyprianus sermone de ablutione pedum idem sentit. Præterea Cyrillus Ierosolymitanus: *Prodiderat,* inquit, *Iudas improbus patremfamilias, nuperque exiens à mensa, & poculum benedictionis bibens, & pro potu salutari sanguinem iusti effundere volens. Qui panes eius comedebat, magnificauit super illum supplantatione.*

Bernardus.
Euthym. in c. 26. Matt. c. 64.

Bernardus sermone in cœna, qui incipit: *Panem Angelorum: Sciendum est,* inquit, *quòd omnibus iam distribuerat Sacramentum corporis & sanguinis sui, inter quos Iudas fuerat. Intellige quando porrexit Iudæ panem intinctum.* Et rursus: *In eadem mensa sunt Petrus, & Iudas.* Et Euthymius in Matthęum. *Post diuisionem autem,* inquit, *mysteriorum rursus Saluator de proditione testatur, siue protestatus est, veluti scripsit Ioannes, vt vel sic Iudas tantam expertus longanimitatem, nec manifestè traductus, neque mysterijs frustratus, sed æquè cum discipulis horum particeps effectus, melior, ac mente sanior efficeretur.*

Haymo in ca. 11. ad Cor.
Remigius in Matth. c. 26.
Leo Papa ser. 7. de Passione Domini.

Idem docet Haymo in priorem ad Corinthios, & Remigius in Matthæum, & Leo Papa sermone de Passione Domini: *Discumbentibus enim secum,* inquit, *discipulis ad edendam mysticam cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi, ille corporis & sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat, qualis Deo hostia deberet offerri, nec ab hoc quidem mysterio traditore submoto, vt ostenderetur nulla iniuria exasperatus, qui in voluntaria erat impietate perstiturus. Ipse enim sibi fuit materia ruinæ, & caussa perfidiæ, sequens diabolum ducem, & nolens Christum habere rectorem.* Sic illi Patres. Et profectò longum esset percensere omnes qui hos priores Patres sequuntur: nam constanter, ac densò hoc Iudæ tribuunt, vt superfluum esse videatur illos enumerare.

III. argum. ab ipsa ratione

Accedit & ratio: nam verisimile non est, Christum præsenti Iudę Sacramentum denegasse, ne illum proditorem signare videretur. Deinde quia eius exemplo instructa Ecclesia, Sacramentum peccatoribus occultis non denegat, quæ in officio canit:

Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Ex his igitur quasi communis quędam sententia celebratur, Iudam cœnæ adstitisse.

Altera sententia Iudam negans Euchariftiam à Christo sumpsisse, quibus Scripturis fulciatur.

Est tamen & altera probabilis sententia, quæ neque scripturis, neque Patrum testimonijs, neque rationibus destituitur. Et in primis, vt ab Scripturis exordiamur,

tam

Luc 22. 1 Cor. 11. I. locus

tam Lucas, quàm Paulus, Christum asserũt accepisse calicem postquam cœnauit, & Apostolis distribuisse: de pane verò fracto scribunt; datum esse inter cœnandum: *Cœnantibus autem eis*, ait Matthæus: quæ Græcè de præterito esse accipienda, quibusdam videtur. Si igitur hęc differentia inter panẽ & calicem vera, & solida est, vt ab Euangelistis traditur: cùm Iudas inter cœnandum exierit, nam accepta bucella intincta, protinus exiuit, manifestum redditur, Iudam calicis dispensationi nõ adfuisse, qui datus est post terminatam cœnam. Quòd si poculi dispensationi non adfuit: ergo neque panis sancti distributioni, nec enim Dominus dimidiatum Sacramentum illi porrexisset, sed aut integrum, aut nullum. Neq; soluitur hæc ratio, dicendo, inter agni Paschalis cœnam instituisse Eucharistiam sub specie panis, & post terminatam illam cœnam instituisse sub specie vini, ac porrexisse. Quia nulli rationi nititur, Christum cœnam agni Paschalis interrupisse, & Eucharistiam instituisse: non solum quia cœna facta lauit pedes Apostolorum, & ablutio præcessit Eucharistiam; sed etiam quia agnus edendus erat festinanter, & sine interruptione, iuxta legis mandatum. Quare reliquum est, vt post ablutos pedes cum redierit ad communem cœnam, inter cœnãdum instituerit Sacramentum sub specie panis, & post cœnam terminatam instituerit sub specie vini. Quòd si Iudas inter cœnandum abierat, vt dictum est, profectò sicut Dominico calici non interfuit, ita nec panis sancti dispensationi. Nam si sensus esset, post cœnam agni Paschalis calicem benedixisse, & dispensasse; idem etiam & de sancto pane esset dicendum, quia illum nõ benedixit, nisi post cœnam Paschalem: & ita nullum esset discrimen assignatum inter panem datum inter cœnandum, & calicem post cœnam.

Obiectio diluitur.

Exod. 12.

II. locus.

Deinde fortissimum argumentum colligitur ex eo, quòd in hoc capite cùm dixisset Euangelista: *Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit, Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me*: quòd immediatè dixit post lotionem pedum, quæ teste Dionysio Areopagita, præcessit institutionem Eucharistiæ, vt apud nos in sacrificio Missæ manuum lotio: vt etiam indicat verbum, *Cùm hæc dixisset*, quibus sequentia omnia videntur continuata, vsque quo buccella tradita expulit Iudam de cœna. Hæc autem verba: *Vnus ex vobis tradet me*, Matthæus & Marcus referunt dicta ante institutionem Eucharistiæ: & ita buccella tradita, & egressus Iudę manifestè

Dionys. lib. Eccl. hier c. 3. p. 3. initio.

Matth 26. Marc. 14.

Sacramenti institutionem, ac dispensationem præcedunt. Iudas igitur cœnæ Dominicæ Sacramento interfuisse non potuit. Quòd si argumentum ducas ex Luca, Dominum post calicem consecratum dixisse: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*: respondendum est, aut Lucam per figuram recapitulationis locutum fuisse; aut alios duos Euangelistas, per figuram anticipationis, quia videlicet id quod post institutionem Sacramenti narratur à Luca dictum, ab alijs duobus ante illam narratur: aut dicendum est bis idem à Christo fuisse dictum, & antè, & post; quod verisimile non videtur, nec necessarium. Cùm ergo, aut anticipatio in duobus sit constituenda, vt conueniant cum Luca, aut recapitulatio in solo Luca, vt conueniat cum alijs tribus, hoc postremum videtur multò probabilius. Primò, quia idem est: Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa; ac dicere: *Qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet*. Nam idem est, manum mittere in mensa, & in catino. Deinde in Luca, & alijs duobus prioribus Euangelistis eadẽ verba sequuntur, nempe: *Et quidem Filius hominis secundum quòd definitum est vadit, veruntamen væ homini illi per quem tradetur*, vt cogamur confiteri eadem esse verba, quæ hæc præcedunt. Tertiò, rationi magis accedit, vnum reduci ad tres Euangelistas, per figuram recapitulationis, quam tres ad vnum, ponendo in illis figuram præoccupationis.

Altera obiectio diluitur.

Luc. 22.

Lucam commemorando Domini verba de Iuda vitium fuisse recapitulationis figura.

II Argum.

III. argum.

Tertium argumentum ex textu producimus. Nam Christus illa nocte sermonem habens præsente Iuda, bis excepit illum à generalibus sententijs, semel, cum dixit. *Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum*. & iterum infra: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus dico: Ego scio quos elegerim*. Cùm igitur paulò pòst in eadem mensa dixerit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, vel frangitur, &: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, sine vlla exceptione protulerit, & infra asserendo: *Nõ bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*, neminem exceperit, sicut nec quando tractans contentionem Apostolorum ea nocte subortam, quis eorum videretur esse maior, & respondisset: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis in mensa mea in regno meo; & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel*. in quib. verbis Iudę exceptionem nõ fecit: nã si adfuisset, vel Caietano teste in hæc verba, ipsum excepisset.

III. locus.

Ioan. 13.

Ibidem.

Luc 22. 1. Cor. 11.

Matth. 26. Marc. 14.

Luc. 22.

Caietan.

cepisset. Videtur igitur quòd Iudas abfuerit, pro quo non dedit corpus suum, & sanguinē, & cum quo nō erat post resurrectionem bibiturus. Estq; hoc argumentum ab Hilario, & Innocentio Tertio pro hac sententia confirmanda productum.

Hil can. 30. in Matth. Innoc. III. lib. 4. de Myster. Missa, c 13.

IV. locus, traditio Apostoli. *Clem. Roma. lib. 5. constit. Apost. c 16. Ioan. 18.*

Quarto loco, traditio Apostolorū pro hac opinione profertur. Scribit enim Clemens Romanus in lib. constitutionum Apostolorum: *Cum verò antitypa mysteria pretiosi corporis, & sanguinis sui nobis tradidisset, quibus non aderat vna nobiscum Iudas, exijt ad montem Oliuarum prope torrentem Cedron, vbi erat hortus*, & reliqua. Nec est quòd de libri huius fide dubitemus. Nam hæc assertio saltem in hac parte nunquam fuit pro hæretico dogmate habita in ecclesia, vt propterea liber in suspicionem venire debeat.

V. locus. *Dion. Areop. ibid c de communione.*

Quid communis panis & calicis pacifica cōmunio sibi velit.

Quintò adducuntur Doctores veteres hoc ipsum dicentes. Primo loco Dionysius lib. de Ecclesiast. hierarchia, qui in hunc modum scribit: *At verò augustior illa vnius eiusdemq; & panis, & calicis communis, pacificaq; communio, concordia illis vt fratribus vna educatis, diuinas statuit leges, atq; cœna illius sacratissimæ, ex qua signa ipsa sumpsêre principium, sacram memoriam renouat: in qua & autor ipse signorum, eum, qui secum non piè, neq; concorditer sacra in cœna perceperat, à contubernalium sorte iustißimè separat, probabili simul ac diuina ratione nos admonēs, vt verus ille ad sacra percipienda & congruo captu firmatus accessus id accidentibus tribuit, vt ex communione diuina ad Dei similitudinem, atq; consortium transeant.* Hæc ille.

Cuidam obiect. vnculæ respondetur. *Exod 12.*

Non ignoro, quosdam hęc verba producere pro cōtraria sententia, ex eo quod ait, sacra in cœna percepisse. Sed hæc alij, fortiori fortassis ratione, ad agnum Paschalem sacrificatum, & cum azymis, & lactucis agrestibus manducatum referunt: tum quia Græcè dicitur συνδειπνοῦσι τὰ ἱερὰ, quæ ad agnū rectè possunt applicari; tum quia cū loquitur de Eucharistia, vocat τὰ ἱερώτατα τὰ σεβασμιώτατα, τὰ θειότατα; hoc est sacratissima, augustissima, siue diuinissima. Et ita Maximus antiquus, & Græcus interpres Dionysij, qui scholijs illum illustrauit, hæc verba exponens, ait: *Ex ijs aliqui rationabiliter dicere possunt, quòd postquam exijt Iudas, tradidit discipulis Christus mysteria, vt qui eis non erat dignus.* Georgius quoque Pachimeres, scholiastes, & ipse Dionysij, sic habet: *Excludit, & segregat iustißimè Iudam, qui non sanctè conuiuio interfuerat. Nam cùm illum mystici panis, ac vini participem fecisset, mysteria discipulis postquam ille è cœna discessit, solis tradidit, cùm ijs indignus esset Iudas. Cur igitur Iudam arcet à diuinis mysterijs, qui simul cœnauerat? Etenim docet quod non satis est corporaliter adesse, & conuiuium celebrare, non enim hoc cum communione habet similitudinem, sed oportet intellectu, & mente adesse.* Sic ille.

Maximus antiquus interpres Dionysij.

Georgius Pachimeres.

Explicatur hæc Georgij sententia.

Cuius verba vt sensum aliquem bonum contineant, opus est interpretari, illum sensisse, Iudam, qui communi cœnæ, & communi pani, & vino, quæ mystica hic vocat, quod essent ibi reposita ad benedicendum, eiectum fuisse à Domino, antequam illa mysteria sanctificaret, eo quòd ille, etsi corpore adesset, non tamen fide, aut mente, vt vtiliter caperet; alioqui si sensisset, Iudam participasse mysterijs sacrosanctis cum alijs Apostolis, quid opus erat illum à Domino excludi, vt fructum mysteriorum perciperet? siue enim assistat quis, siue non assistat, nullum ex illis accipit emolumentum infidelis, & immundè accedens. Ratio etiam ipsius Dionysij eò tendere videtur, vt peccato contaminati ad mensam Domini non admittantur. Secundo loco fauet huic sententiæ Ammon. Alexand. in consonantia Euangelica, & antè eum Tacianus, qui post exclusum ab aliorum consortio Iudam, attexunt historiam institutionis Sacramenti: quod non fecissent, nisi credidissent illius exitum præcessisse Eucharistiæ mensam, quemadmodum August. libro de Consen. Euangelistarum, prius recenset Sacramenti mensam, & postea iuxtà Lucæ verba, quæ videntur asserere mensæ Eucharistiæ adstitisse Iudam, narrat per buccellam intinctam eius eiectionem, nihil cogitans de figura recapitulationis, qua omnia Euangelistarum dicta in hac parte in concordia redigebantur.

Ammon. Alexand. Tacianus.

Aug. li. 3. de cons. Euang. c. 1. tom. 4.

Theophyl.

Tertio loco accedit Theophyl. qui in cap. 26. Matthæi, ita scriptum reliquit: Apposuit antè vescentibus, vt ostenderet crudelitatem Iudæ: quia in mensa, & communione ciborum illius, quādo si & fera fuisset, mansuetiorem se exhibuisset: tunc neque cùm argueretur, intellexit, sed & corpus illius gustans non pœnituit. Quidam autem dicunt, quòd egresso Iuda tradidit Sacramentū alijs discipulis. Proinde & nos sic facere debemus, & malos à Sacramentis abarcere. Et infra tractans illud: *Bibite ex eo omnes*, ita scribit: *Quare supra quidem nō dixit, Accipite, comedite oēs, hoc autem loco; Bibite ex eo oēs? Sunt qui dicant, propter Iudam hoc dictū. Iudas enim panem accepit, & non comedit, sed occultauit, vt monstraret Iudæis, quod panē corpus suum vocaret Iesus: poculum autem inuitus bibit, cùm nō posset occultare. Propterea hoc loco dicebat, Bibite oēs.* Hæc ille, & illa repetit in Marc. c. 14. quæ propterea citanda esse duxi, vt constet, nōnullos extitisse, qui Iudam abfuisse à cœna Domini crederēt; quos ipse ta-

se tamen reprehendere non audet, sed vt probabile producit. Ex Latinis verò Patribus primus est Hilarius, qui in Matthæum ita scribit: *Post quæ Iudas proditor indicatur, sine quo Pascha accepto calice, & fracto pane cōficitur: dignus enim æternorū Sacramentorum cōmunione non fuerat. Nam discessisse statim hinc intelligitur, quod cum turbis reuersus ostenditur. Neq; sanè bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in regno; cum vniuersos, tum bibentes ex vitis istius fructu, bibituros secum postea polliceretur.* Secundus est Rupertus Tuitiensis in verba illa Ioannis: *Nōne ego vos duodecim elegi,* dicens: *De participatione aūt corporis & sanguinis eius, potest aliquis opinari, quòd ille interfuerit. Sed profectò diligentius Euangelistarū narratione, doctorumq; cōsiderata diuersitate, citius deprehendi, hinc quoq; Sacramento illum nequaquam interfuisse. Nam cùm accepisset buccellam, qua traditor designatus est, exiuit continuo: quā vtiq; buccellam, nec Euangelistarum, nec Doctorum quisquam consentit, panem fuisse Dominici corporis. Cum autē continuò exierit, profectò constat, quia (sicut prædictum est) corpori & sanguini Christi non communicauit. Nam non ante, sed post typicum Pascha, cuius buccella denotatus est, fuerat impletum, & agni carnes cū Apostolis comederat, assumpsit panem, qui confortat cor hominis, & ad verū Pascha transgressus est Sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedec summi Dei Sacerdos, panē & vinum offerens, fecerat, ipse quoq; in veritate sui corporis, & sanguinis repræsentaret. Quod cùm ex cæteris Euangelistis ordine manifesto perspicuum sit, solus Lucas quibusdam aliter sentiendi occasionem dedit: non quod typici Paschæ, & sacræ Eucharistiæ prædictū ordinem præposterauit, vel minus apertè dixerit, quàm cæteri; sed quia verba, quæ de traditore suo Dominus in cœna dixit, ipse solus tardius scripsit quàm cæteri, id est, per anticipationem sacræ Eucharistiæ traditionē præscribens: verba, quæ in priori cœna dixerat, verbis quæ post dicta sunt, contexuit.* Hæc ille, qui alijs verbis dicit id, quod nos superiùs admonuimus. Nos enim diximus, Lucam vsum figura recapitulationis: quia verba, quę de proditore dixerat ante institutam Eucharistiam, vt alij Euangelistę tradunt, ipse post Sacramentum Eucharistiæ recenset; Rupertus verò asserit, Lucam per anticipationē narrasse Eucharistiæ institutionem, antequam de proditore quicquā fuerit locutus; quod prorsus in idem recidit. Vt videas quàm facilè fuerit hanc dissonantiam Euangelistarum componere: asserendo, Lucam aut vsum figura recapitulationis in narrandis verbis de Iuda dictis; aut alios duos vsos figura anticipationis in narranda institutione Sacramenti. Eadem ferè verba Rupertus repetit; cum explicat illa verba Ioannis: *Itaque cùm recubuisset ille suprà pectus Iesu,* & in volumine quatuor Euangeliorum, & in commentarijs in Matthæum. Adhæc Innocentius Tertius in libris Mysteriorum Missæ; *Dubitari,* inquit, *solet, vtrùm Iudas cum alijs acceperit Eucharistiam. Lucas enim ostendit, Iudam interfuisse cum alijs, qui statim cum alijs traditorem commemorat, dicens: Hic est calix Noui Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis effundetur; Verum ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Quotquot autem interfuerunt, Eucharistiam acceperunt, Marco testante, qui ait: Et biberunt ex illo omnes, iuxta quod Christus ipse præceperat, teste Matthæo; Bibite ex hoc omnes. E contra Iudam non interfuisse probatur. Nam secundum Matthæum statim dixit Iesus bibentibus calicem: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Iudas ergo non aderat, quicum non erat bibiturus in regno. Bibentium quoque nullum excipiens, ait: Pro vobis effundetur; sed aliorum multos excepit, cum inquit: Pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vnde cum, secundum Ioannem, Christus dixisset Apostolis: Beati eritis, si feceritis ea, statim excepit: Non de omnibus dico; Ego scio quos elegerim. Et iterum: Vos mundi estis, sed non omnes. Quid ergo est nobis in hoc casu tenendum? Illud fortè sine præiudicio aliorum, quod Ioannes insinuat: quia cum Iudas accepisset buccellam, exiuit continuò, erat enim nox. Christus autem post alios cibos tradidit Eucharistiam, Luca testante, qui dicit: Similiter & calicem postquam cœnauit. Patet ergo quòd Iudas prius exijt, quàm Christus traderet Eucharistiam. Quod autem Lucas post calicem commemorat traditorem, per recapitulationem potest intelligi: Quia sæpè fit in sacra Scriptura, vt quod prius factum fuerat, posterius narretur; sicut Matthæus commemorat biduo ante Pascha alabastrum vnguenti; quod secundum Ioannem ante sex dies Paschæ mulier effudit in domo Simonis Leprosi.* Hactenus ille, quanquam in sequentibus priorē sententiam non respuat.

Sexto loco adstipulatur ratio huic sententiæ. Prima, quia Dominus cauerat: *Nolite,* inquit, *dare sanctum canibus, neque mittere margaritas ante porcos;* constat autem, Iudam habitaculum fuisse Satanæ, & vt iumentum possessum a dæmone, vt Theophylactus ait: vt illi porrexisse Eucharistiam, nisi aliud esse videatur, quàm Satanæ ipsi tradidisse. Secunda, quia cautum est ab Spiritu sancto per Apostolum Paulum: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis:* vbi diligenter explorari ministros Sacramenti Eucharistiæ docet. Cùm igitur Dominus nosset animum

Iudæ

Hil can 30. in Matth.

Rup. Tuitien. lib. 7. in Ioan. Ioan 6.

Psalm. 103.

Gen. 14.

Hebr. 7.

Lucas in cœna Domini describenda, à cæteris variare videtur, & quamobrem.

Idem lib. 11. in Ioan.

Idem in vol. 4. Euangel. c. 23. & lib. 11. super Matth.

Innoc 3 li. 4. Myst. Miss. c. 13. initio.

Luc. 22.

Mar. 14.

Matth. 26.

Duplex Innocentij III. pro ista sententia argumentum ex Textu

Ibidem.

II. Argum.

Ioan. 13.

Ibidem.

Luc. 22.

Scripturæ familiaris ordo narrandi.

Matth. 26.

Ioan 12.

Idem ostenditur multiplici ratione.

Matt. 7.

Theophyl.

II. ratio.

1. Tim. 5.

Iudę tanto proditionis scelere contaminatum, & opus non haberet, vt quis testimonium illi perhiberet de homine illo; ipse enim sciebat quid esset in homine, nō tantùm vt Deus, sed etiam vt homo, maximè cùm crimen esset publicum suapte natura, atque perspicuum, cùm per biduum antè cum concilio Pharisæorum, & Pontificum pepegisset de Christo prodendo, etiamsi Apostolos lateret, at Christum vt iudicem, & superiorem nequaquam, ad quem crimen illud delatum fuisse intelligendum est. Non debebat ergo Christus vel ad nostrum exemplum homini criminoso Eucharistiam tradere, aut eum, Sacerdotem Noui Testamenti promouere. Tertia: Qua ratione medicus sapiens, ac salutaris, medicinam præberet ægroto, quam sciret ei mortiferam, atque noxiam esse futuram? Nam secundùm illud Apostoli; *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*: quoniam si posset, deberet omnibus modis curare, vt non acciperet. Cùm autem posset hoc Christus efficere, sicut re ipsa præstitit, quia data buccella eum expulit; profectò hoc magis ad charitatem, & benignitatem eius indicandam spectatquā contrarium. Quarta: Vnde quæso accepit Ecclesia, siue Græca, siue Latina, consuetudinem à communione repellendi publicè criminosos, pręsertim si non sit periculum schismatis, si exemplum esset in contrarium de Iuda? Probabilius autem est exemplo Christi detegentis Iudam, & expellentis eum à mensa, consuetudinem illam retinuisse. Nam ad arcendum indignum per Diaconos clamat: *Sancta sanctis*: De qua cōsuetudine Chrysostomus in Matthæum scribit: *Omnes simpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus impuro animo, sicut Iudas, panem assumat, ne similia patiatur. Corpus Christi etiam hæc multitudo est, quare cauendum tibi est qui hæc mysteria ministras, ne Dominum irrites, corpus hoc non purgando, ne acutum gladium pro cibo præbeas. Sed si quidem aliquis ignoratione terram adiuerit, nullo timore territus abijce: Deum, non hominem timeas: si hominem times, ab eo ipso quem times, derideberis, sin verò Deum, hominibus quoque venerabilis eris. Quòd si ipse pellere non audes, mihi dicas, non permittam ista fieri: animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè, sanguinemq; effundi potius patiar, quàm sanctissimum illum sanguinem, prater quam digno concedam.* Et infra: *Quòd si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est, si scilicet illi Eucharistiam porrigatis.* Cyprianus quoque lib. 1. epist. 10. sic habet: *Pro dilectione tua ita consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo, qui apud vos constitutus adhuc in artis suæ dedecore perseuerat, an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari. Puto nec maiestati Diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Beatus etiam Thomas admonet, quòd Sacerdos conscius occulti criminis eius qui indignè accedit, debet occultè monere, ne accedat; vel etiam in publico generaliter omnes accedentes commonefacere, ne ad mensam Domini sine pœnitentia peccatorum accedant: quòd si quisquam admonitus persistere velit in peccato; non imputabitur tunc Sacerdoti, si ei Eucharistiam nō deneget. Quinta: quia dæmon instabat educere Iudam, vt Cyrillus ait, metuens ne Iudas ex societate Apostolorum, & verbis Iesu, vel gustu, & virtute Eucharistiæ resipisceret, & rediret ad sanitatem. Nam plerunq; fit, vt indignè accedentes morsu conscientię tangantur, & ad deflendum peccatum excitentur. Sexto loco hæc sententia optimè soluit in contrarium obiecta. Nam Lucæ testimonium exponit per figuram recapitulationis, vt docet Innocentius Tertius, aut per figuram præoccupationis in Sacramento instituendo, vt tradit Rupertus. Illud, *Bibite ex eo omnes*, sicut ad nos non extenditur, ita nec ad omnes Apostolos, sed ad eos tantùm qui aderant: nam ita impletum fuit, teste Marco: Et biberunt ex illo omnes; inter quos tamen non aderat Iudas. Et hæc solutio tam valida est, quàm illa, quam ipsi porrigunt illi testimonio: *Nō bibam amodò de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Dei.* Nam hoc interpretatur B. Thomas, quòd Christus loquebatur collegio discipulorum, qui omnibus quantum in se erat, paratus erat pretium sanguinis sui impertiri, nisi aliquis sua culpa ab eodem se subducere vellet, vt fecit Iudas. Idem etiā nos respondemus, dictum à Christo, *Bibite ex eo omnes*: quia paratus erat pro omnibus sanguinem fundere, & omnibus illum sub Sacramento ministrare, nisi quis spontè se subduxisset, vt fecit Iudas. Quòd si opponas cap. Si sacerdos, extr. de officio iudicis ordinarij, vbi statuitur vt non possit Sacerdos remouere nominatim à communione quem certò reum criminis esse cognouit, siue alio modo, quia non vt iudex, sed vt Deus nouit, & admonere debet tantum ne se ingerat. Iudicium quidem est canonicū Pontificis Eugenij, & cui standum est. Quod verò subiungit: *Quia neq; Christus Iudam à communione remouit*: interpretatio est hæc, non iudicium, nam in eo nō iudicem,

Ioan. 2. — *Matth. 26.* — III. ratio. — *Simile.* — *1. Cor. 11.* — IV. ratio. Vnde Græca Ecclesia consueuit ab Eucharistię perceptione repellere publicos peccatores. — *Chrys. ho. 83. in Matth. in fin. tom. 2.* — *B. Thom. in 3. p. q. 80. art. 6. tom. 12.* — V. ratio. *Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 19. tom. 1.* — Soluuntur rationes opinionis aduersę. — *Innoc. 3. ibid.* — *Rupert. ibid. Matt. 26.* — *Marc. 14.* — *B. Thom.* — Ex Eugenio Pontifice quoddam argumentum dissoluitur.

sed Scripturæ interpretem egit Pontifex: & satis est Pontificibus, si in Decretalibus comprobãdis probabiles opiniones, & interpretationes sequuntur. Quod canitur in Ecclesia: *Cibũ turba duodena se dat suis manibus*, vnius absentia non tollit numerum duodenarium, quemadmodũ etiam inquit Ioannes: *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus*, cùm tamen essent tantùm vndecim Apostoli. Et iuxta literã Græcam dicitur in Paulo: *Apparuit duodecim:*, cùm essent vndecim. Sic etiam dicere solemus, vniuersum senatũ conuenisse, & aliquid definiuisse, etiam si pauci aliquot abfuerint. Contra tot Doctores opponimus alios, id est, Apostolos, & Apostolicos viros, seu discipulos, & successores Apostolorum, qui de re aliqua historica, quæ in facto cõsistit, qualis est ista, melius testari possunt, quàm posteriores: pluris est enim oculatus testis vnus, quàm auriti decem, vt ille dixit. Secùs in iure & in veritate speculatiua perspicienda: quia iuniores possunt vincere antiquiores. In rationes alterius partis nouas rationes protulimus, ita vt reuera vtraque sententia magnam habeat probabilitatem. Et meo quidẽ iudicio plus ponderis & neruorum habent quæ pro secunda sententia confirmanda produximus. Nihil tamẽ volo magis esse assertum, quàm Scripturæ, & Patrum testimonia, atque adeò rationes ipsæ euincere videantur. Quòd verò Caluinus in sua vltima admonitione cõtra Westphalum, & Suencfeldius in libello de hac quæstione inscripto, negant verum corpus Domini acceptum à Iuda in cœna: non est referendũ ad hoc quod tradunt Patres, fautores secundę illius sententiæ: sed quòd nõ putent malos veram corporis substantiam capere, cũ Apostolus testetur: indignè manducantes corpus, & calicem Domini ebibẽtes, iudicium sibi manducare & bibere, & reos esse corporis & sanguinis Domini. Quibus in verbis satis apertè docet Apostolus, indignè sumentes corpori Christi participare. Sed illud sedulò curemus, vt mundi & puri ad mensam Domini accedamus, aliosque accedentes de officio debitæ præparationis cõmonefaciamus, vt ita sanctis sancta congruant, & manducãtes manducemur, tanquam cibus gratus & sapidus à Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit sempiterna laus, gloria, honor, imperium, & gratiarum actio ab omni creatura, in perpetuas æternitates, Amen.

Ioan. 20. *1. Cor. 15.* *Plaut. Truc.*

Quo sensu Caluinus cũ alijs hæreticis Iudam asserat non cõmunicasse Christi mysterijs in cœna Dominica.

1. Cor. 11.

TRACTATVS XII.

In illa verba: *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum.* Et habetur Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

ABSOLVIMVS, Deo nobis benè fauente, duo Christi opera in cœna peracta, nempè esum agni Paschalis, & lotionem pedum: nunc de tertio & admirabili opere, hoc est, de Eucharistiæ institutione, in verbis Matthæi, Marci, Lucæ, ac Pauli, meritò philosophandum est. Nam quod Ioannes in cœna describenda, nihil de Eucharistia attigerit, mirum esse non debet: tum quia more suo non tractat ea, quæ ab alijs diffusè sunt dicta, ne actum agere videatur; tantum ab alijs prętermissa, vt lotionem pedum ab alijs nondum tactam, & sermonem in cœna edisserit fusiùs; tum quia de mysterio Eucharistiæ multa Ioannes ca. 6. sui Euangelij disputauerat. Hinc Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarũ scribit: *Ioannes autem de corpore, & sanguine Domini hoc loco nihil dixit. sed plane alibi multo vberius hinc Dominum locutũ esse testatur.* Hæc ille, de 6. cap. proculdubio loquens, vbi de pane, qui erat caro sua, latius & vberius disseruerat. Tractabimus igitur primò de Eucharistiæ institutione, & verba Euangelistarum diligentius explicabimus; Deinde quid contineat Eucharistia, & quid Hęretici nostri seculi inficientur, & quid asserant, luculentius est aperiendum; Tertiò quos fructus pariat dignus ad Sacramentum accessus, elucidabimus; Quarto loco, qua ratione dignè sit accedendum, vt illos fructus percipiamus, exponemus.

Cur Ioannes Euangelista in cœna describenda, nihil de Eucharistia meminerit.

Aug. lib. 3. de cons. Euang. c. 1 tom 4.

Propositio omnium eorũ quæ in vniuersa hac de Eucharistia disputatione tractanda sunt.

Matthæus igitur habet, vt suprà diximus. Marcus verò in hunc modum: *Et manducantibus illis, accepit Iesus panem: & benedicẽs fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum.* Lucas verò sic: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur* (siue vt Paulus ait, iuxta Græcam literam, frangitur.) *Hoc facite in meam commemorationẽ.* Et hactenus de specie panis attulimus quod Scriptura Canonica recitat. Quibus in verbis inprimis eleganter annotauit Euthymius, ex doctrina Chrysostomi, quòd sicut pictores in vna tabula, & lineas primas supponunt, & adumbrant, & colores viuos superinducunt, ac formant; ita Iesus in eadem mensa figuratiuum ac vmbratile Pascha subscripsit, ac

Euthym. in c. 26 Matt. Christi artificium ab eo obseruatum in esu agni Paschalis.

verum & perfectum apposuit. Ex quo denotatur tempus postremũ fuisse vitę Christi, & postremam partem illius cœnæ, vbi bellaria & secunda mensa excedunt primam, & seruauit bonum vinum in finem. Et quod ait: Et cœnãtibus illis, id est, completa cœna, vel sub finem vergente, quæ præcedit Eucharistiæ institutionem, ita vt præsens pro præterito accipiatur, more Hebræorum, vt quidam linguarum periti annotarunt, ita vt sit sensus: Cùm ipsi cœnassent. Confirmaturque sententia Epiphanij in Ancorata, vbi ait, tam panem, quàm calicem Dominum à cœna in manus sumpsisse; quod intellige cœna completa, etsi adhuc esset panis in mensa. Ita enim lectio Græca habet Epiphanij, à cœna, & non in cœna, vt vertit interpres Epiphanij. Atque illud Lucæ & Pauli: *Similiter & calicem postquam cœnauit*, intelligi potest, similiter scilicet à cœna sumpsit calicem, benedixit, & porrexit: sicut & post cœnam panem sumpserat, benedixerat, fregerat ac dispensauerat. Quæ etiam ratio interpretãdi, apertius Iudam non interfuisse sacro mysterio Eucharistiæ insinuat. Quia verò illa ratio de edendo agno Paschali, apud nos omnino cessat, & quia prius seruiendum est esuriei animæ quàm corporis, & Christus dixit: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijciẽtur vobis; & quoniam à ieiunis reuerentius accipitur Eucharistia, quàm à saturis: hinc sancta Ecclesia, teste B. Augustino in epistola ad Ianuariũ, prudenter statuit, vt nõ nisi à ieiunis, & ante omnem corporis cibum Eucharistia sumatur: etiamsi ad tempus Ecclesia primitiua post cœnam communicaret: vt Apostolus priori ad Corinthios docet: *Accepit panẽ.* Non carnem, aut fructus, vel aliud, sed panem communem, & illum quidem cui se Dominus comparauerat: *Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* deinde panem Azymum, quia non erat alius in mensa, cùm esset prima dies Azymorum; quanquam in fermentato confici posse Ecclesia Latina tradat. Nam Azymus panis à fermẽtato non substantià, sed qualitate tantum differt. Quemadmodum indifferens est in vino vel albo, vel rubro conficere, etsi Christus in altero tantùm confecerit. Et hac panis acceptione siue contactu panem omnem sanctificauit, & in materiam congruam huius sacrificij dedicauit, sicut etiã tactu suæ mundissimæ carnis aquis omnibus vim contulit, & sanctificauit, vt esset apta materia, siue elementũ Sacramenti Baptismi, siue illa vis fuerit qualitas quædam positiua, sicut nonnulli volunt, siue non,

Ioan. 2.

Epiphanius.

Locus corruptus Epiphanij.

Eucharistia non nisi à ieiunis accipi debet, Ecclesiæ instituto, & consuetudine.

Matt. 6.

Aug. ep. 118. tom. 2.

1. Cor. 11.

Qualem panem Christus benedixit in cœna.

Azymus panis à fermentato in quo differat.

sed Dei assistentia. Et addit Ecclesia Latina ad maiorem expressionem, *In sanctas & venerabiles manus suas*: Iacobus verò in Liturgia quam edidit, ait: *In sanctis & immaculatis manibus*. B. Basilius: *in impollutas, & irreprehensibiles manus*, quæ scilicet omnia sanctificant, ac benedicunt, & nihil maculatum, aut reprehensione dignum operãtur. *Benedixit*: Scribunt quidam ex hæreticis, solenne fuisse Iudæis, vt, cùm ad mensam accumberent, paterfamiliâs, aut alius dignior, qui ad mensam considebat, panem sumeret in manus, ageretq; Deo gratias, ac deinde fractum, per partes distribueret conuiuis sumendum, velut de manu domini, priusquã alium cibum degustarent. Ad finem verò conuiuij eodem ritu circumferebant & poculum in festis diebus, vt hac ceremonia velut testarentur atque prædicarent se à Deo benignè ali, & eius gratia viuere. Hanc institutionem benedicendi tradunt Thalmudici libri super illud Deuteronomij: *Cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Ita Elcana, qui statutis diebus ascendebat in Silo ad immolandum Domino, dicitur vxoribus suis, filijs, ac filiabus dedisse partes. 1. Reg. 1. Sed quicquid sit de hac benedicendi consuetudine, quæ pietati nitebatur, certè hoc loco non est ad rem, quia iam mensa agni Paschalis finita erat, & cœna communis vergebat in finem. Neq; seruit hæc consuetudo religionis benedicendi panem, nisi vt locos Scripturæ nobis eripiant, in quibus de benedictione Eucharistiæ est sermo, & non de benedictione laudis, quæ illam excludat: propterea illam libenter deserimus; cùm illa ex officina Martini Buceri prodierit. Et benedixit: Græcè autem legitur, εὐχαριστήσας, id est, cùm gratias egisset, quo verbo Lucas & Paulus vtũtur; Marcus verò, & Lucas in fine Euãgelij, cùm de benedictione panis loquũtur, alio verbo vtuntur, nempè εὐλογήσας, quod est, *Cùm benedixisset*: atque ita hæc duo verba vnum & idem valent. Quod etiam alia ratione ostẽditur: quia cùm alibi apud Matthæum Dominus dicatur benedixisse quinq; panibus, & duobus piscibus, Ioannes tamẽ ait: Et cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: vbi Cyrillus admonet, idem esse benedicere, quod gratias agere. Itẽ in priori ad Corinthios dicitur: Calix benedictionis, cui benedicimus, id est, cui benedicendo Sacerdotes consecrant in altari, vt exponit B. Remigius ibidem. Et tamen idẽ Paulus cùm dixisset de pane: *Accepit panem, & gratias agẽs fregit*: confestim subiungit; *Similiter & calicem, postquam cœnauit*, scilicet, gratias egit, nam id significat verbum illud, *Similiter*,

Quædam in Canone superaddita.

Iudæorum ritus in conuiuijs.

Deut. 8.

Iudaicus ritus ille quo tendat, & vnde prodierit.

Luc. 22.
Luc. 24.
1. Cor. 11.

Matt. 14.

Ioan. 6.

Cyril lib. 3. in Ioã c. 13 to. 1.
1. Cor. 10.

B. Rem. in 10. cap. prioris ad Corint.
1. Cor. 11.

militer. Sunt ergo illa duo verba, benedicendi, & gratias agendi, vnum: vnde & Ecclesia Latina pro eodem accipiens has voces, illas simul côiunxit, vt verisimile sit, Christum vtraque voce vsum fuisse. Ait enim Ecclesia Latina: *Et eleuatis oculis suis ad te Deum Patrem suum omnipotentem: item tibi gratias agens, benedixit.* Ecclesia verò Græca, in Liturgia S. Basilij, sic ait: *Debens enim exire in voluntariam, & beatissimam, ac viuificā mortem suam in nocte qua tradebat seipsum pro mūdi vita: & accipiens panem in sanctis ac immaculatis manibus, & ostendens tibi Deo, & Patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens.* Eadem verba habent B. Iacobus, & Chrysostomus in suis Liturgijs. Vbi vides vtroque verbo gratias agendi, & benedicēdi, adiungi verbum sanctificandi, quod quasi explicat quæ, & qualis fuerit illa gratiarū actio, siue benedictio Dei, nimirùm qua panem benedictum, & sanctificatum fecit. Fuit enim illa gratiarum actio pro tanto cibo, ipsius sanctificatio, iuxta Apostolum, dicentem; *Nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur,* sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Atq; in hunc sensum sanctificauit prius quinque panes, & deinde septem, benedicendo illis, hoc est, multiplicando. In cœna verò admirabili virtute, transmutando essentiam panis, & vini in corpus & sanguinem Christi, quod est altius benedictionis, & sanctificationis genus. Cadit proinde opinio Caietani, & Alberti Magni, qui in Matth. cap. 26. interpretantur benedixisse benedictione laudis, & gratiarum actionis, qua Deum confessus est, & laudauit, sed quæ in pane nihil efficeret: quæ quidem expositio Buceri etiam fuit, negantis transubstantiationem, & consecrationem, atque adeo aliorum Hæreticorum nostri sæculi, qui obstinatè transubstantiationi obstrepunt.

Canoni Missæ quædam superaddita.

Qua Christ' actione gratiarū sit vsus in cœna.

1. Tim. 4.

Matth. 14. Infrà 15.

Error Caietani & Alberti Magni.

In quos vt paucis agamus, primùm quęro, vnde ex toto Euangelio habere possemus, quod Christus hostiam consecrauerit, nisi ex isto? Nam textus ait, quòd accepit panem, quòd benedixit, quod fregit, quod dedit discipulis. Sicut ergo accipere refertur ad panem, & fregit, & dedit, ad eūdem est referēdum: ita verbum illud, quod in medio illorum verborum iacet, de pane est interpretandum, nimirùm benedixit, id est, benedictum fecit. Nam cùm Dominus à principio cœnę, & mēsæ pro suo more benedixerit, & post cœnam dicatur gratias egisse: & hymnum dixisse: sequitur quod hæc inter cœnā, dum benedictio panis noua, & ab illa priori distincta extiterit, nempè non tantùm laudis, sed efficax & operatoria consecrationis, & sanctificationis panis ipsius. Accedit deinde autoritas Ecclesiæ Latinæ, q̄ ponit gratiarum actionem Dei coniunctam cum benedictione panis; & Græcæ Ecclesiæ, quæ illis vocibus addidit verbum sanctificandi, vt superiùs adduxi. Tertiò, ita plerique Patres & autoritate, & doctrina insignes, exponendum docent hunc locū. Cyprianus enim sermone de Cœna Domini: *Panis,* inquit, *substantialis, & calix solenni benedictione sacratus:* vbi vides benedictionem in panem terminari. Augustinus contra Faustum: *Noster panis & calix, non quilibet quasi propter Christum in spicis, & sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt; sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.* Ambrosius libro De ijs qui initiantur: *Quantis igitur,* ait, *vtimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremq́ue esse vim benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Deinde adducit exempla de virga, & serpente Moysi, & de aquis Ægypti in sanguinem mutatis, de petra dante aquam, de ferro supernatante ad præceptum Helisæi, & subiungit: *Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur?* Et infra: *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur.* Hæc ille, vocans benedictionem cōsecrationem; quemadmodum Cyrillus frequentissimè Eucharistiam vocat, mysticam benedictionem, quòd per illam conficiatur. Et ante hos Irenæus: *Quemadmodum enim,* inquit, *qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Offerimus autem ei nō quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam.* Hæc ille. Sed quid ego prolixior sum in citandis autoribus vetustis, cùm vnus nobis satis sit Paulus, qui in priori ad Corinthios exponens verbum benedictionis, quod in Euāgelio habetur, ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus,* scilicet mystica benedictione consecrando, & sanctificando, vt explicant in illum locū Pauli Remigius, Haymo, Innocentius III. ac Petrus Lombardus: id est, potus calicis, qui non solùm à Christo in cœna est benedictus, sed cui etiam Sacerdotes nos quotidie benedicimus in altari. Et B. Thomas eum locum explicans, ait: *Calix benedictionis, quē participantes benedicimur à Deo: cui benedicimus, id est, nos Sacerdotes consecramus. Et si obij-*

Agitur in negantes transubstantiationem.

II. Argum.

Cyprianus.

Aug lib 20. contr Faust. c. 13. tom. 6.

Amb. li de ijs qui myst. init. c. 9 tom. 4

Exempla trā substantiationis ex Ambrosio.

Exod 14.

Exod. 7.

Exod. 17.

4 Reg 6.

Cyril. in Ioā. tom. 1.

Iren. lib. 4. cap 34.

1. Cor. 10.

Remigius.

Haymo.

Innoc III. lib 4. Myst. Miss cap. 6.

Pet. Lombar.

B. Thom. in 1. Cor. 10. tom. 46.

Illud Apostoli ad Hebr. 7. Minus à maiori benedicitur: quomodo accipiendum iuxta B. Thomam.

cias, quòd minus à maiori benedicitur. Respondetur, quòd benedictio Sacerdotis in Sacramento altaris fertur super terminum à quo, id est, panē, non super terminum ad quem, id est, corpus Christi. Hęc Thomas. Edifcimus ergo, quòd benedictio, & gratiarum actio non sine cōsecratione, & benedictione mystica vim sanctificandi habente peracta fuerit. Et quia dicere Dei, est facere; meritò benedicere Dei erit benefacere: at hæc cōsecratio insignis Dei beneficētiæ, & liberalitatis est nobis argumentum.

Benedicere quid sit.

Quoniam verò benedicere, siue εὐλογεῖν, est verbis laudare, siue benè precari: elicimus, aliquibus verbis Dominum sanctificasse, siue consecrasse panē: nempè illis cōmunibus, *Hoc est corpus meum:*

Innoc III lib. 3 Myst. Miss.

Contra quosdam qui sentiunt sine vllis verbis Christū trāsmutasse panem in corpus suum.

Colligimusq; falsum esse, quod quosdam opinatos tradit Innocentius III. lib. de mysterijs Missę, Christum occulta sua & potēti virtute, atque sine vllis verbis transmutasse panem in corpus suum. Nam in primis hoc derogat ipsius verbi proprię & germanæ significationi. Et Scriptura in eum sensum vsurpat verbum benedicendi: ait enim in Genesi: *Benedixitq; eis, dicens: Crescite & multiplicamini:* vbi benedictio nō est sine verbo; & alibi instituēs Sacerdotes quomodo populo benedicāt, ait: *Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Conuertat Dominus vultū suum ad te, & det tibi pacē. Inuocabuntq; nomē meum super filios Israël, & ego benedicam eis.*

Gen. 1.

Num. 6.

Quomodo benedicebāt filijs Israël Leuitæ Sacerdotes diuino præcepto.

Vbi vides, benedictionem sine verbis non celebrari. Et Apostolus ad Corint. loquens de Eucharistiæ confractione, ait: Cæterùm, si benedixeris spiritu, qui supplet locū idiotæ, quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem.

1. Cor. 14.

Moris enim fuit Ecclesiæ primitiuę, vt tradunt Iustinus Martyr, & Ambrosius, ac Leo Magnus, vt verbis consecrationis alta voce prolatis, cuncti fideles responderent, *Amen.*

Iustin Mart orat. ad Ant Pium, tom 1. Ambr. lib. de ijs, qui myst. init. c. 9. & li. 5. de Sacr. c. 4. tom. 4. Leo ser. 6. de ieiun. 7. mens.

Pręterea ratione illud facilè euincitur. Nam cùm benedictio forma sit Sacramenti, & pars eius potissima; cùm omne Sacramentum sit sensibile, debuit & forma esse sensibilis, vt Sacramenti rationē perficiat. Ac proinde sine verbis aliquibus Christus non confecit: quanquā & illa verba vt efficacia cōsecrationis sit subsecutus, vt diximus. Adde, cùm benedictio Christi Apostolis in die Ascensionis benedicētis eleuatis manibus super eos facta est, vt dicit Lucas, & in Genesi Iacob dicitur cancellatis manib⁹ benedixisse nepotib⁹ Ephraim, & Manasses, & Dn̄s apud Marcum cōplexans pueros benedicebat eos, imponens manus super illos; meritò elicimus in hac panis benedictione præter verba externū aliquod signū interuenisse.

Luc. vlt. Gen. 48. Marc. 10.

Et sanè si vtrāque Ecclesiā consulamus, primùm eleuauit oculos in cœlū. Deinde ex Græca Ecclesia & Liturgijs B. Iacobi, Basilij, & Chrysost. habemus, quod panem Deo & Patri suo ostenderit, quod est eleuationis signū, quod etiam Ecclesia Latina retinet.

Basil to. vlt. Chrys. tom. 1.

Tertiò ex vsu ecclesię habetur crucis signatio super hostiam: quam ex traditione Apostolica peruenisse credimus: quam viderunt Apostoli primò à Christo obseruatam, & in Lege veteri olim iudicatā. Nam sacrificium dictū eleuatio, vel Hebraicè tenupha, ad quatuor orbis partes motum, signum crucis edebat. Hoc ergo signo crucis, quo cętera omnia Sacramenta perficiuntur, benedixit sacrificium suum Dominus: Ergo vel ipse signum crucis fecit, vel nos plus quā ipse fecerit facimus.

Crucis signatio super hostiam consecrandam vnde accepta. Thenupha Hebręis quid sonat. Psalm. 140.

Hinc Chrysost. in Matt. *Nullus itaq;*, inquit, *verecundetur honesta nostra salutis symbola, id est, signum & capitulum bonorū per quod viuimus, & per quod sumus, sed, vt coronam ita circumferamus crucem Christi. Etenim omnia quæ secundum nos sunt, per ipsam sanctificantur, & si regenerari oporteat, crux accedit: & si nutriri mystico illo cibo, & siue consecrare, siue quicquam aliud facere, vbiq; symbolum victoriæ nobis assistit.* Sic ille ferè.

Chrys. ho. 55. in Matt. to. 2. Encomium Crucis.

Beda in illa verba: *Partiti sunt vestimēta mea sibi. Postremò quid est quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur, siue oleo, quo charismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.*

Beda in c. 19. Ioan tom. 5. Psalm. 21. Crucis signū virtus quāta.

Accedit Alb. Magnus in tract. de officio Missę super illa verba: *item tibi gratias agens benedixit. Dicunt autem,* ait, *hic quidā, quod signo quodam manus benedixit: quidam autem, quod verbo occulto, quo etiam panem in corpus suum transubstantiauit: quidam autem, quod virtute deitatis suæ sine verbo & signo transubstātiauit: quia corporalibus verbis, & signis Christus vti non opus habuit, sicut qui habuit potestatem excellentiæ, & non sicut minister claue vtebatur. Sed quia nullū istorum probatur aliqua autoritate, & prima expositio dubium non habuit, ideo primum plus placet inter ista.* Hactenus ille. Et hęc sint satis de verbo, benedicendi.

Alb. Magnus. Christus potestate prædictus fuit excellentiæ, & nō sicut minister claue vtebatur, ait Magnus Albert.

Sequitur, *Fregit:* Nimirùm panē benedictum in tot particulas, quot erāt Apostoli manducaturi, pręter suam, quàm Christus primus accepit. Et vt quidā non indiligenter annotauit, quemadmodum vnum calicem communē omnibus tradidit ad bibendum, ita in vna patina panem in duodecim buccellas fractum manibus suis dispēsauit. Vt hinc Ecclesia vsum patinarum Apostolica traditione acceperit. Itaq; sicut calicē vnus discipulus alteri distribuebat, ita patinam

Expenditur verbum, Fregit.

Vsus patenarum in Ecclesia vnde. Quamobrē de custodia.

profundiori, non de patina Corpus Christi fidelibus porrigatur.

nam cũ sancto pane propinquiores remotioribus porrexerunt. Nos verò corpus Christi de custodia profundiori porrigimus, ne per suspiria, aut auram, aut alia impedimenta communicantium cõtingat de patina excidere. Ab hoc autem vsu frangédi Eucharistiam, tum in Luca, tum in Actis dicitur fractio panis. Et quoniam benedictione consecrationem perfecerat; ideo quando panem fregit, intellige species Sacramentales, sub quibus Christus continebatur: nam illæ solæ sunt fractionis subiectum, non corpus Christi.

Luc vlt.
Act. 2.

Panis fractio quid.

Quantum Christi donũ Eucharistiæ. & quibus collatum, & conferendum.
Ioan. 13. & Matth. 23.
Christi virt°, & sapientia.

Deditq; discipulis suis. Ex ingenti charitate donum incredibile, quo nihil maius vnquam dederat, aut dare poterat, contulit: tantumq; munus nonnisi discipulis credẽtibus, & fidem Magistro suo habentibus, & ipsum amantibus largitus est. *Et ait: Accipite & comedite.* Aliquid ergo manu accipiendum, quia dixit, *Accipite*: & aliquid ore mãducandum dedit, quia dixit, *comedite*: ferebat enim corpus suum Christus manibus suis, vt dixit Aug. in Psalm. 33. & Nazianzenus quodam carmine:

B. Aug. 10. 8. in princ.
Greg. Naz. ad Episc. in init.

O sacrificia (inquit) *mittentes incruenta Sacerdotes.*
O animarum custodes gloriosi, ô magni
Figmentum Dei in manibus vestris ferentes.

Eucharistici quales debẽt esse cõuiuæ.
Eucharistia etiã cur pueris minimè sit danda.
Psalm 21.

Accipite ergo, & comedite. Id est, Preparate vos ad accipiendum, & manducandum, quia nonnisi benè preparatos hic cibus iuuat, & quia pueri non possunt accipere, nec manducare, nec probare seipsos antequam sumant, nec discernere hũc cibum ab alijs, nec adorare, iuxta illud: *Manducauerunt, & adorauerunt:* & quia magna esset irreuerentia Sacramenti, quòd videlicet expuere, & euomere possent, vt Cypr. de puella quadã tradit. Hinc est, vt vsus ille, quem olim habuit Ecclesia cõmunicandi paruulos recẽs baptizatos, cuius meminit Dionysius, magnis rationibus mutatus sit in meliorem. Quanquam B. Th. in 3. p. interpretatur sententiam Dionysij de danda Eucharistia baptizatis, accipiendã esse de adultis; & Græcos deceptos Eucharistiam infantibus etiam & pueris impertijsse. Hinc Concilium Carthaginense III. & Eucharistiam catechumenis & mortuis dari prohibet, & consequenter pueris, quia vtrique sunt, Diuini cibi illius incapaces, vt quidam ratiocinantur: quia tales nec possunt accipere nec comedere: & Lateranense Concilium sub Innocentio III. præcipit, vt tantùm cùm ad annos discretionis peruenerint, Eucharistiam participent.

B Cypr. ser. 5. de lapsis.

D. Dion. Eccl. hier c. 2. p. 2. in fin.
B. Th. q. 8 ar. 9 ad 3. to. 13.

Conc. Carth. 3. can. 6.

Conc. Later.

Ad illud: Si paruuli edere Eucharistiã

Nec obstant verba: *Bibite ex hoc omnes:* &, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem:* quia in his locis cum adultis Dominus loquitur. Secùs in tertia persona, vt cùm dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Quia enim per Baptismum nisi actu vel voto susceptum, peccatum originale non tollitur, & homo nõ regeneratur, & paruulus neutrũ per se potest, necessum fuit, vt per alios, vel per Ecclesiam fides sibi suppleatur, ad hoc vt salutariter Sacramẽtum percipiat. Deinde, q̃a per Baptismum imprimitur character, signans hominem Christi militiæ professum: qui character per fidem non suppletur (nã baptizatus flamine non eum habet, & aqua baptizatus, etsi fictus, eũ habet) ideò opus fuit baptizari paruulos, qui cùm nascũtur, passiuè se habent; ideò aliena fides meritò supplet quod eis deest, quanquam sine charactere salus constare possit, & multi sine illo salui fiant: vt qui tantùm baptizãtur sanguine, aut flamine, & nõ aqua, morte præuenti. Quia verò propria, & spiritualis mãducatio, & bibitio est, sine qua Sacramẽtalis non prodest; frustra pueris Sacramentũ & cum periculo porrigeretur. Quanquam non desint qui doceant, non sine fructu olim pueros communicasse: quia cùm essent in gratia Dei, & nullum obicem ponerent, verisimile est gratiam fuisse consecutos: & satis esse illos spiritualiter cõmunicare nõ per se, sed per os Ecclesiæ manducantis & bibẽtis secundum Augustinum; & quod ipse baptismus votum suo tempore communicandi includat. Non satis ergo est, quod puer possit naturaliter edere, quia hoc posset trim°, vel quatrimus prestare, cõtra Caietanum aliter docentem: sed opus est, vt possit Sacramentaliter edere, id est agnoscere ibi contineri Christum, & discernere ab alijs cibis, & adorare.

prohibẽtur, cur omnes edere Christi carnem & eius sanguinẽ bibere iubentur.
Matt. 26.
Ioan. 6.
Supra 3.
Marc. vlt.
Baptizandorũ infantium cur fides suppleatur.
II. ratio.
Baptismai ẽ vnde characterem consset non esse necessarium ad salutem.

Pueris Eucharistia cur inutilis, & vana.
Eidem qua ratione etiã fructuosa secundum aliquos.
B. August. ep. 107. ad Vital. & 93. Innoc. I. tom. 2.

Error. Caiet.

Adhæc notandũ, quod vt laudabiliter Ecclesia prospexit, vt pro reuerentia Sacramenti nullus, nisi ieiunus ad Eucharistiam accedat, excepto extremæ necessitatis articulo, etiamsi Dominus inter cœnãdum discipulos communicauerit: ita prudẽter cõstituit, vt ab isto modo manducandi olim licito, nempè accipiẽdo manibus proprijs Sacramentum, pro reuerentia Eucharistiæ abstineant. Nam Apostoli primùm manibus suis panem sanctum acceperunt, & mãducauerunt. Et huius ritus ac modi meminerunt veteres Patres. Nam Tertullianus libro ad vxorem, inquit: Eucharistiæ Sacramentum, nec de aliorum manibus, quàm præsidentium sumimus. Et ex Cypriani sermone de lapsis, ob nonnulla exẽpla quæ producit, constat, Eucharistiã manibus communicantiũ tradi solitam. Postea

Quare, vt nõ nisi à ieiuno, ita nonnisi manibus Sacerdotis Eucharistia sumi præcipitur.
Matt. 26.

Tertul lib. 2. ad vxor.

D. Cyprianus

Græcæ mos Ecclesiæ suscipiendi Eucharistiam. *VI Synodo.* *Côcil. Cæsaraug. c. 3.* Ecclesia Latina quomodo sumat Eucharistiam.

stea Ecclesia Græca in vasis aureis & argenteis Eucharistiam suscipiebat, vt tradunt Canones aliquot sextæ synodi. Deinceps in Concilio Cęsaraugustano cautum est, vt intra Ecclesiam tantum Eucharistiã sumerent, nec extra efferrent. Postremò hic purior & venerabilior suscipiendi modus excogitatus est, quo Sacramentum ore communicãtium suscipitur, vt statim cõsumatur, & non asseruetur: vt nonnisi sanctis, & sacratis manibus tam sancta & sacra res cõtrectetur. Ideo permittendum non est in extremo periculo positis, imò etiam peste laborantibus, vt proprijs manibus sumant Eucharistiam, vt docet Caietanus. Sat enim esset tunc spiritualiter communicare, & reuerenter adorare Eucharistiam.

Quibus spiritualis Christi manducatio sine Sacramento sufficiat. *Caietan. in c. Matth. 26.* Christus cur dixit, Accipite, & comedite. *Exod 12.*

Et quia non satis est accipere hostiam, nisi sumas, vt tibi vniatur, & fructum faciat; propterea dixit, *Accipite, & comedite.* Vt enim agnum non satis erat immolari, & eius immolationi assistere, sed opus erat illum edere: ita hic non satis est Eucharistiã, immolari, & eius sacrificio assistere, sed etiam opus est illam percipere, & incorporare, vt quis fructum eius consequatur. Et quia corporea similitudinem gerunt spiritualium, quemadmodũ homo primò nascitur, deinde augetur perueniendo ad iustam quãtitatem, posthęc nutritur alimentum sumendo: ita ad natiuitatem spiritualem opus est primùm Baptismo, ad robur Confirmatione, ad alimentum pane corporis Christi. Nam quia generans non coniungitur genito secundùm substãtiam, sed secundùm virtutẽ, cibus tamen secundùm essentiam coniungitur alito: ideo in sacramento Baptismi, quo Christus regenerat ad nouam vitam, nõ est præsens nisi secundùm virtutem: at in Sacramento Eucharistiæ, quia spirituale alimentũ est, in eo nobis Christus secundùm seipsum, & nõ tantùm secundùm virtutem applicatur ad alimentum spirituale. Est igitur huius Sacramenti institutor & autor Christus, Deus & homo: quod qui fide apprehenderit, nihil de tanto mysterio dubitabit. Vnde apud Ioannem quando pollicebatur hoc mysterium, quod nunc præstat, quidam putabãt illum esse Iosephi fabri, scilicet filium; & ideo insanire, quod tam excelsa, & magnifica de se promitteret: Petrus nihil Domini sermone offensus, dixit, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei. Proinde ne in tanto mysterio hallucinari contingat, sequendo sensus nostros, & humanas ratiocinationes accedat firma, & indubitata fides, quę tanti Solis radios, diuinę scilicet bonitatis, etiam cum iocunditate spectare potest, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cũ Patre, & Spiritu sancto perpetuus tribuatur honor, & gloria in sempiterna secula. Amen.

Corpoream natiuitatem hominis, spiritalis eiusdẽ imitatur, & sequitur. Alio modo in Baptismo, alio in Eucharistia adest Christus. Eucharistiæ institutor quis sit. *Ioan. 6.* *Ibidem.*

TRACTATVS XIII.

In illa eadem verba: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*: quæ habẽtur, Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.

LVCVLENTER sunt hæc Domini verba, & perspicuè explicanda: nõ solùm vt tenebras Hæreticorum propulsemus, & sensus falsos, hæreticos, & planè detortos, iugulemus; quod faciemus sequẽtibus tractatibus; sed etiam quò sensum eorum Catholicum, & pręcedentibus, & sequentibus congruentem eruamus: qua de re nonnihil est controuersiæ inter Catholicos: quod præsenti tractatu explicãdum est. Statuendum igitur in primis est, his verbis, quæ à Matthæo, & Marco referuntur: *Hoc est corpus meum*, Ecclesiam particulam, *Enim*, addere: nam Sacerdos dicit, *Hoc est enim corpus meum*: illa autem particula non est de essentia sed de præcepto, ne videlicet scienter ab aliquo omittatur: vnde in Liturgia B. Iacobi, Basilij, & Chrysostomi non habetur, & apud eos nõ est præcepti. Et indicat, rationem edendi in eo sitam esse, quòd porrigeret illis non panem nudum, vt externa facies præ se ferebat, sed sanctissimum suum corpus sub accidentibus panis; atque ita se perficere, quod olim promiserat, Panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mũdi vita. Præterea illis verbis explicans quale corpus porrigeret eis, addit Lucas. *Quod pro vobis datur*, vel traditur, vel vt ait Paulus iuxta Græcam literam, quod pro vobis frangitur, vt etiam vertit Ambrosius. Nam Græcè est κλώμενον, sicut apud Lucã διδόμενον. Addit præterea Ecclesia Græca illis verbis ad significãdum fructũ huius acceptionis, *Quod pro vobis frãgitur in remissionẽ peccatorũ*: quemadmodum Dominus addidit in consecratione vini: *Qui pro vobis effundetur in remissionẽ peccatorum*. Quod fortasse Græci ex traditione acceperũt: imò B. Iacobus in Liturgia sua habet, *Quod pro vobis datur, & frangitur in remissionẽ peccatorũ*. Postremò adiungunt Lucas & Paulus: *Hoc facite in meã commemorationem*, vel recordationẽ: de quibus suo loco est amplè nobis disserẽdũ: sed nũc aliquid producendũ est circa prima verba Christi, quæ forma huius Sacramẽti esse dicũtur. In primis igitur illa verba, *Hoc est corpus*

Expenditur particula, Enim, cùm dicitur: Hoc est enim corpus meum. *Ioan. 6.* *Luc. 6.* *Ambros. in c. 11. prioris ad Corinth. tom 5.* Quædam verba Missæ Canoni adiecta. *1. Cor. 11.*

An illa verba, Hoc est corpus meũ, sint forma Sacramenti Eucharistiæ, & an Christus illis verbis consecrauerit Formã consecrationis ab Ecclesia institutã fuisse, falsò sensit Lutherus.

Clicthο. li. 11. De offic. Missæ cap. 19

Idem. Eras.

Idem.

pus meum, forma sunt Sacramenti Eucharistiæ, qua Christus ipse Dominus benedixit, & qua Christus nos voluit benedicere, & conficere tantum Sacramentum. Illud igitur tanquàm certum, & constitutum est apud omnes, hanc fuisse nobis formã consecrationis præscriptam, & iure diuino institutam, ac nobis traditam. Quare corruit quod Lutherus in suo libello De abroganda Missa priuata, dixit, institutã esse ab Ecclesia. Contra quẽ meritò disputauit Clicthoueus lib. De offic. Miss. & rursus in præfatione ad paraphrasim super primam ad Corinthios, Erasmus scripsit: *Vtinam illud saltem aperuisset Paulus, à quibus, quo tempore, quo cultu, quo actu, quibus verbis consecrari soleat panis ille mysticus, & sacrosancti Dominici sanguinis potus.* Et in Annotatio. eiusdẽ epistolæ: *Vtinam Paulus traderet nobis illa verba, quibus consecratus est panis ille à Christo. Nam illa: Hoc est corpus meum, potius sunt porrigentis, quam consecrantis.* Hæc ille. Sed cum nos certam formam in Euangelio habeamus, qua tantum mysterium conficiamus, vt egregiè Bessarion Cardinalis tractat. de Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Christi corpus conficiatur, cõtra Græcos ostendit post verba consecrationis precantes: *Rogamus vt mittas Spiritum sanctum, qui efficiat hunc panem corpus Christi tui; & quod in hoc calice est, sanguinem Christi tui*: ad quæ nos postea respondebimus: non abs re erit quęrere, an Christus illa eadem forma vsus fuerit, an alia. Nam potuit & eisdem verbis vti Dominus consecrãdo, vt multi magni viri docuêre; potuit & ipse alijs verbis conficere, & nobis formam conficiendi illis verbis præscribere: quemadmodum alia forma vsus est in promouendis Apostolis ad Sacerdotium; dixit enim, *Hoc facite in meam commemorationem*: & aliam formam obseruant Episcopi in ordinandis presbyteris ex traditione à Christo accepta. Et sanè vtraq; sententia suis nititur rationibus. Et prior illa, quam B. Thomas inter Scholasticos Doctorem præcipuus, cum suis asseclis sequitur, his ferè argumentis confirmari potest. Primò autoritate veterum Patrum. Nam in primis Ambr. lib. De Sacram. *Meus panis*, inquit, *est vsitatus, sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi consecratione: consecratio igitur quibus verbis est, & quibus sermonibus? Domini Iesu, Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam nõ suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempè is, quo facta sunt omnia: iussit Dominus, & factum est cœlum: iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus, & facta sunt maria: iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperẽt esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod iam corpus est Christi, &c. Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueuerit, & mutat quando vult instituta naturæ.* Euseb. Emissen. homil. de Pascha: *Recedat ergo omne*, inquit, *infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui autor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens; Accipite, & edite, Hoc est enim corpus meum, & sanctificatione repetita accipite & bibite, Hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum præcipientis repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis Verbi præcipit virtus, & seruit effectus.* Greg. item Nissen. lib. de sanct. baptism. de hac re ita ferè loquitur; *Rectè igitur & nunc panem Diuino verbo sanctificatum in corpus Dei verbi transmutari credimus. Nam & illud corpus panis potentia erat; sanctificatus verò fuit habitatione Verbi in carne habitantis, à quo ita panis, qui in illo corpore erat, transubstantiatus fuit in Diuinam potentiam, per eum nunc quoq; æqualiter fit. Et ibi enim gratia Verbi sanctum fecerat illud corpus, quod ex pane consistebat. Et illud quodammodo etiam panis erat, & hic similiter panis, quemadmodum Apostolus ait: Sanctificatur per verbum Dei, & orationem, non commixtionem ad hoc præcedens vt corpus Verbi fiat; sed mox ad corpus per verbum transmutatur. Quemadmodum ab ipso Verbo dictum est, Hoc est corpus meum.* Hæc ille. Vbi non obscurè indicare videtur, Christum illis verbis confecisse Chrysost. homil. De proditione Iudæ ita habet: *Adest nunc quoq; Christus, qui illam mensam facit, ille ipse nunc etiã ornat. Non n. est homo, qui hæc munera facit corpus & sanguinem Christi, sed qui crucifixus est pro nobis Christus, figurã quidẽ adimplens, astat Sacerdos verba illa pronuntiãs; potestas verò, & gratia tota Christi est: Hoc est corpus meũ, ait, hoc verbũ res propositas transmutat. Nã quemadmodũ vox illa quæ dictum est: Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, semper autem fit opere naturæ nostræ vim præbens ad generandum: ita hæc quoque vox semel quidem*

Quàm efficax sit sermo Christi.

Bessarion Cardin.

Græci post verba consecrationis, adhuc tamen pro consecratione Eucharistiæ Deum precantur.

Quibus verbis Christus confecerit, inquirere, non est superfluum.

Luc. 22 & 1. Cor. 11.

Prior sententia quibus Patrum testimonijs innitatur.

B Ambros. lib 4. De Sacram. c. 4. tom 4. & habetur De consec dist. 2. c. panis.

Gen. 1. Ibidem, & sequen.

Euseb. Emissen. homil. 5. de Pascha.

Greg. Nissen.

1. Tim. 4.

B. Chrysost. tom. 3.

Gen. 1.

dicta

dicta hoc Sacramentum integre perficit. Hæc ille in sensu. Si ergo quàm primum dictum fuit hoc verbum, confecit hoc Sacramentum; colligitur, Christum illis verbis consecrasse. Quod ante hos omnes sensisse videtur Tertul. lib. aduersus Marcionem. Accedit Concil. Florent. quod in instruct. Armenorum, quæ non sine aliqua discussione illis ex consensu Eccl. Romanæ exhibita est, vt Eugenius Papa in bulla, quam illi præmisit, testatur: *Forma huius Sacramenti, sunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit Sacramentum.* Adhæc Innocen. III in c. cũ Marthæ, de celebr. Mis. initio: *Quæsiuisti, inquit, quæ sit forma verborum, quam ipse Christus expreßit, cùm in corpus, & sanguinem suum panem transubstãtiauit, & vinum: illud in Canone Missæ, quo Ecclesia vtitur generaliter, adiecerit, quod nullus Euangelistarũ legitur expreßisse, nimirum, Eleuatis oculis in cœlum, mysterium fidei, æterni testamẽti, &c.* Ex cuius verbis videtur, quòd Christus sit vsus nostris formis, cùm panem, & vinum, in corpus, & sanguinem conuertit.

Tertull. li. 4. aduersus Marcion. Concil Florẽ. tomo Conciliorum 2. Eugen Papa. Inno. III.

Non desunt etiam rationes quæ hoc efficiant. Prima: quia nos Christum imitari debemus conficientem; sed nos vtimur his formis: igitur Christus in illis consecrauit. Secunda: quia si non ista forma cõfecit, sequitur quòd nostrum Sacramentum sit alterius speciei ab illo Christi: quia quæ diuersas habẽt formas, diuersa quoq; sunt in seipsis. Hæc igitur sunt argumenta, quæ opinionem Thomæ communem comprobare videntur, cuius hæc sunt verba: *Hæc locutio habet virtutem factiuam conuersionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quæ habent solùm vim significatiuam, & non factiuam: sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiua rei, conceptioni intellectus nostri speculatiui, quæ est accepta à rebus: nam voces sunt signa intellectuum, secundùm Philosophum. Et ideo sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem cõceptam, sed facit eam: ita veritas huius locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam. Sic enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum.* Sic ille. Et pro simili, quòd rudi intellectui satisfacere valeat, dari potest: vt si faber intereà dum ex accepto ferro clauum subito motu format, dicat, Hic est clauus, aut si plumbi fusor inter fundendum dicat, Hoc est candelabrum: hic enim videre licet, pronomẽ Hoc, non demonstrare determinatam aliquam substantiam, & id quod significat, non esse cùm profertur oratio, sed fieri inter proferendum, & esse post prolationem. Sic & Christus ante illud momentum, quo aqua illius virtute in nuptijs conuertebatur in vinum, efficaci sermone dicere potuisset, Hoc est vinum, neq; tamen demonstrasset aut aquam, aut vinum, &c. Veritas ergo propositionis de verbo præsentis temporis, non pendet ab existentia rei pro tempre quo profertur, sed pro momento finiente orationem: quia oratio non significat quod significandum est, nisi cùm est integra, & integrè prolata. Verè enim quis dicit, Sileo, si post prolationem non loquatur.

Rationes quas afferat hæc opinio.

Secunda.

Diuersitas formarũ, diuersitatem rerũ inducit.

B Tho. in 3. p. q. 78. art. 5. tom. 12.

Voces signa intellectuũ, secundùm Philosophũ. *Arist. lib. 1. Perisher in princip.*

Quomodo se habeat Verbum Dei ad res factas per Verbum.

Ioan. 2.

Oratio quando significet.

Porrò altera sententia suos habet autores, & rationes ex textu Euangelico, & aliunde deductas, quæ illam non improbabilem per se ostendunt: nisi Concil. Florenti. & communis sensus, vt post dicemus, aduersaretur. Et in primis Innocentius III. lib. myster. Missæ exponens illud verbum, *Benedixit*, sic, iquit: *Cùm ad prolationem verborum istorum: Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, Sacerdos conficiat, credibile iudicatur, quod & Christus eadem verba dicendo confecit. Porrò quidam dixerunt, quod Christus confecit, cùm benedixit, literam construentes hoc ordine. Accepit panem, benedixit, subaudiendum est, dicens, Hoc est corpus meum, & tunc fregit, & dedit, & ait, Accipite, & comedite; & iterauit, Hoc est corpus meum. Primò ergo protulit illa verba, vt eis vim conficiendi tribueret. Deinde protulit eadem, vt Apostolos formam conficiendi doceret. Alij verò dixerunt, quod Sacramentum confecit, & formam instituit post benedictionem, cùm dixit, Hoc est corpus meum; intelligentes illam benedictionem fuisse, vel aliquod signum quod super panem impreßit; vel aliquod verbum, quod super panem expreßit. Quibus illud videtur obsistere, quòd prius fregerit, quàm dixerit, Hoc est corpus meum. Nec etiam est credibile quòd prius dederit, quàm confecerit. Sanè dici potest, quod Christus virtute diuina confecit; & posteà formam expreßit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namq; per se virtute propria benedixit; nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Et infrà, *Sed quæritur quòd demonstrauerit Christus, cùm dixit: Hoc est corpus meum? Non panem, quia de pane non erat verum, quòd corpus eius coexisteret: nec corpus, quia nondum illa verba protulerat, ad quorum prolationem panem mutauit in corpus? Quid ergo? Similis obiectio fit à Logicis, cùm dicitur, Hoc viuum est mortuum, posito quod in prolatione subiecti sit viuum, & in prolatione prædicati sit mortuum. Sed quantum distat Ortus ab Occasu, tantum refert inter miraculum, & naturam. Ab huius ergo quæstionis laqueo facilè se absoluit, qui dicit, quod Christus tunc confecit, cùm benedixit. Nam si opponatur de Sacerdote, qui tunc consecrat, cum illa verba pronuntiat? Respondetur, quod Sacerdos nihil demonstrat, cum*

Alterius opinionis argumenta. I. argũm ab autoritate.

Innocen III. lib. 4 mysterio. Missæ c. 1.

Idem ibidem, cap. 17.

Quid demõstrauerit Christus cùm dixit, Hoc est corpus meum.

Quantum distet miraculum à natura.

illu

illis verbis non vtatur enuntiatiuè, sed recitatiuè, quęadmodum Christus ait: Ego sum vitis vera; Ego sum lux mundi, & innumera talia. Hactenùs ille. Huic sentētiæ subscribit Innocentius IV. Pontifex etiā Romanus, in apparatu quem edidit super Decretum. Ex Scholasticis verò, Mayron, & Gabriel Biel, & nonnulli alij posteriores idem docent. Et ante eos Odo Episcop. Cameracensis exponens Canonem Missæ, super illum locū. *Accepit panem, & benedixit,* scribit: *Benedixit, id est, suum corpus fecit: qui prius erat panis, benedictione factus est caro.* Et infrà in illud: *Deditq; discipulis suis dicens; Accipite & comedite, hoc est corpus meū,* ait: *Patet; quòd panis accepta benedictione factus sit corpus Christi: non enim in benedictione dixisset: Hoc est corpus meum; nisi in benedictione fieret corpus suum.* Et exponens verba consecrationis sanguinis, scribit: *Similiter hic patet, quòd benedictione fuerit factus sanguis: ad benedictionē enim promissā subdidit, Hic est calix sanguinis mei.* Titel. longè post Odonem, Missæ Canonem interpretans, in illa verba: *Hoc est corpus meum,* ita habet: *Notandum verò, quod licet iuxta nonnullorum probabilem sententiam in huius Sacramenti institutione, ipsáq; Christi actione ante prolationē huius sententiæ, Hoc est corpus meum, dicatur transmutatio, siue transubstantiatio à Christo fuisse perfecta per inuisibilē Verbi incarnati operationem sine verborum horum ministerio: in huius tamen Sacramenti per Sacerdotes quotidiana iteratione, credimus virtute Dei inuisibili interius efficiente, & virtute verborum Christi, quæ Sacerdos recitat, exterius operante, sacrosancta confici Sacramēta: nec sine eorum ministerio per Sacerdotes ministros ea confici posse. Nec mirum videri debet, id quod filius Verbū per se sine Verbi exterioris ministerio potest, minister homo sine verbi exterioris ministerio non posset; cū constet, Sacerdotis potestatem nonnisi per verba Domini posse in effectum suæ operationis procedere.* Hæc ille, qui exponens benedictionem vini, ait: *Benedixit autem vinum, vt in sanguinem verteretur, diuinæ virtutis inuisibili operatione, quomodo panem potenti sua benedictione, in carnem fecerat transire.* Huius sentētiam secutus est Michael Episcop. Magunt. in exposit. paraphrast. Canon. Missæ. Et hacten⁹ de Doctoribus; qui etsi antiquitate, & sanctitate non sint cum reliquis conferēdi; doctrina tamē, & rationib. minimè sunt inferiores.

Ioan. 15. Supra 8. Innocen. IV. Francis. de Mayron in 4. sentent. Gabr. Biel super cano. Missæ lect. 38. Odo Episcop. Camer. Franciscus Titelm. Michael Episc. Magunt.

Rationibus idem ostenditur ab textu.

Deinde idem euincitur ex textu Euangelico. In primis enim dicitur, quod Dominus accepit panem, deinde benedixit, siue gratias egit; id est, benedictum fecit, & posteà fregit, & dedit discipulis suis, dicens: *Hoc est corpus meum.* Et idem dicitur de calice, siue de vino. Cùm igitur benedictio Domini nō sit superflua, aut vana; illa enim solet Dominus cōuertere creaturas, vt constat de quinque panibus apud Matthæum, & de septem panibus apud eūdem, nec dederit purum panem, nec hortatus fuerit ad illū accipiendum: sequitur, quod cùm dedit, iam facta erat transmutatio: & verba illa, *Hoc est copus meum,* quid continerent, indicabant in pane, non quid fieret. Respondent quidā, Euangelistas non semper eundem ordinem obseruasse in historia enarranda; sed quosdam anticipatione, quosdā recapitulatione vsos. Sed profectò hic omnes penitùs Euangelistæ eundem seruarunt ordinem. Qui ergo exponunt; *Accepit panem, & benedicēs, dixit: Hoc est corpus meum;* & deinde fregisse, & dedisse discipulis: profectò nō exponunt, sed mutant verba textus. Præterea quod addunt, eūdem sensum habere non mutatis verbis, & quòd participium Dicens, importat connexionē horum verborum cum ijs, quæ præcedunt: vt sit sensus, Cùm benediceret, & frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit, *Hoc est corpus meum.* Sed profectò hac ratione quæ distinctè dicta sunt à Christo, confunduntur: nec est verisimile illa verba tantum durasse, quantum durauit fractio pro duodecim, atq; porrectio: & iam benedicere aliud esset iuxta hunc sensum, quàm verba illa, Hoc est corpus meū, protulisse: sicut aliud est, frangere, aliud dare discipulis, quàm dicere, *Hoc est corpus meum.* Præterquā quod apertè literæ Græcæ repugnat, quæ habet: *Et cùm benedixisset, & fregisset, dedit discipulis suis dicens. Hoc est corpus meum,* ita vt hęc verba non possint referri ad benedictionem, sed ad porrectionem. Vt etiam apertissimè testatur Iustin. Martyr ad Antoninū Pium in Apologia, & Epiphanius in Ancoratu propè finē. Adhæc Lucæ vltimo Christus sola benedictione consecrauit, quando discipulis euntibus in Emmaus exhibuit corpus suum: vbi nihil de illis verbis, *Hoc est corpus meum.* Denique nos prius panem benedictum & sacratum frangimus; ergo etiam Christus, qui post fractionem dixit illa verba: *Hoc est corpus meum.*

Matth. 14. Matth. 15. Obiectio diluitur. Altera obiectio.

Secunda ratio ex textu est; quia hæc consecrato consistit in conuersione substantiæ panis in corpus Christi; oportet autem formā Sacramenti significare id, quod efficitur in Sacramento; ergo forma cōsecrationis debet significare ipsam conuersionem. Sed profectò illis verbis nequaquā cōuersio significatur ex vi verborū; alias qui diceret: *Hoc est corpus meū,* demonstrando suū corpus, significaret conuersionem alicuius rei in corpus suū. Et qui accumbens mēsæ, & por-

II. ratio. Consecratio in quo consistat.

& porrigendo panem, diceret cõuiuis suis, Edite, quia hic est capo, aut perdix, significaret, panem in caponem, aut in perdicem conuerti. Neq; significatur cõuersio ratione subiectæ materiæ: quia denominatur & prædicatur corpus de re demonstrata, quæ non est corpus Christi, nisi subintelligatur præcedens conuersio: at ista conuersio ex verbis non accipitur, si ratione subiectæ materiæ subintelligenda fuerat: at præmissum est, quod forma ipsa verborũ hoc debebat significare; hoc autem pacto significatio potiꝰ venit à materia ipsa, & eo quod ponimus fieti, sed non declaratur per verba. Tertiò, ex textu idem videtur elici posse. (III. ratio.) Nam ex illis verbis: *Hoc est corpus meum:* vel, *Hic est sanguis meus,* vel, Est, propriè sumitur, prout esse significat existere, siue impropriè, prout denotat rem ibi fieri, siue contineri. Semper tamen Est de præsenti, & secundùm proprium loquendi modum denotat rem esse, etiam cùm incipitur sermo: ergo extraneũ est dicere, significare rẽ fieri, vel fore, vel contineri post prolationem verborum. Non enim cũ dicitur: Ego sum homo; solũ significatur quod ero, aut fiam homo post prolationem, sed etiam in ipsa verborum prolatione. Christus igitur non est vsus verbis in hac extranea significatione, sed in propria; & ita quãdo loquebatur, iam ibi erat corpus, & sanguis suus. (Marc. 14.) Quod præsertim ex Marco deducitur, nisi velimus sine caussa, ad recapitulationis figuram confugere, ait enim, Christum, benedicto, & iam porrecto calice, dixisse, Bibite ex hoc omnes. Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic est sanguis meus Noui Testaméti, qui pro multis effundetur: iam ergo biberant, quando dicta sunt ista verca. Et quia non biberunt cõmune vinum, sequitur, quòd benedictione iam vinum fuisset transmutatum in sanguinem.

(…tiones a…nde peti… pro huius …rentiæ …fima… …ne. …na.) Agamus iam pro hac sententia rationibus aliunde quàm ex ipso cõtextu petitis. Et prima sit: Christus Dominus in alijs Sacramentis administrandis se verum Dominum, & potestate excellétiæ præditũ ostendebat, & nequaquàm se adstrictum verbis, (…tth. 9.) quæ suis ministris præscribebat. Sic enim absoluebat: *Confide fili, remittũtur tibi peccata tua:* aliquando verò nihil dicebat, sed ostendebat remissionem iam occultè factã; (…7.) vt cùm aiebat, *Fides tua te saluam fecit*; vel, (…n. 5.) *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Constituit etiã in gradu Sacerdotali Apostolos, iuxta omnium (…22.) Doctorum sententiam, cùm dixit; *Hoc faci-* (…or. 11.) *te in meam commemorationem:* quã formam Episcopi Sacerdotes promouentes nõ obseruant. Ergo simili ratione in hoc Sacramento ipse sine verbis, vel verbis imperij, quibus pro suo arbitrio vti voluit, cũ nullis esset alligatus, confecit; & nobis verba, quibus vteremur ad conficiendum, & alligaremur, tradidit. (His verbis Dominus: Hoc facite in meam commemorationem, Apostolos in Sacerdotes promouit.) Secũda ratio, & illa quidẽ firma, quia illa positio magis est amplectenda, quæ minores patitur difficultates, (II. ratio.) secundùm illud dictum Salomonis; *Doctrina prudẽtum facilis:* (Prou. 14.) sed qui asserunt, eisdem verbis, quibus nos benedicimus, Christum confecisse, in multos incidunt scopulos penè inextricabiles, à quibus euadũt, qui sententiam oppositam consectantur: videtur igitur quòd illa sit cum veneratione suscipienda, atq; alteri præferenda. Difficultates nouæ existunt, tum in pronomine Hoc quid demõstret, tum in verbo Est, quid vniat, tum etiã in tota clausula, an enuntiatiuè, an recitatiuè sit accipienda. (Cùm Christus dixit, Hoc est corpus meũ, pronomen, Hoc, & verbum illud est, quas patiantur difficultates.) De pronomine namq; Hoc, dubium est quid Dominus demonstrauerit: cùm enim omnis conuersio duos habeat terminos, alterũ à quo, & alterum ad quem; necessum est, vtrumq; esse positum in forma verborum, quæ vim efficiẽdi habent. (Omnis conuersio duos habet terminos, à quo, & ad quem.) Non enim demonstrauit panem, quia sensus falsus esset, quòd panis est corpus Christi: nec rursus demonstrauit corpus Christi, quia tunc verba consecrationis non operarentur quòd significarẽt, significarent enim corpus Christi esse corpus Christi, quòd verbis non efficeretur: quia ante consecrationem corpus Christi esset corpus Christi. Rursus nõ demonstrauit quid cõmune contentũ sub illis speciebus: illud enim cõmune, nõ est vniuersale, Platonicum, & abstractũ, sed est in singularibus positum. Et cùm nõ sint nisi duo singularia, nempè substantia panis, & corpus Christi; si neutro demõstrato vera est propositio, neq; illo vniuersali demonstrato, vera inuenietur. Et sic sunt difficultates in illo pronomine Hoc, quas apertè vitant dicentes Christum illis verbis non confecisse, quibus nos; sed consecrasse illum benedictione præcedenti hæc verba; & ita; cũ hæc dicta sunt, iam erat ibi corpus Christi, & demonstrabatur per pronomen Hoc.

(II. difficultas.) Secunda difficultas sita est in verbo substãtiuo Est. Si enim esse propriè accipiatur pro existere; durũ est valdè, & contra morem cõmunem loquendi, quòd vniat subiectum prędicato pro futuro tẽpore, & nõ pro præsenti; pro quo si de præsenti vniret, falsa esset propositio, quia ibi ante prolationem verborum non est corpus Christi; ꝙ nõ tantùm locũ habet in orationib. significatiuis, siue speculatiuis; sed etiã in practicis, siue factiuis. Vt si quis volens facere (Simile.) circu-

circulū, rogatus quid est hoc, respondeatq; hic est circulus, profectò propositio nō est statim vera, nisi postquàm est factus circulus: sed ea oratio recipitur vt vera, quia id, quod mox futurum est, accipitur pro iam facto per tropum, non iuxta proprietatem sermonis: in quem sensum Christus plerumque præsens pro futuro vsurpauit, vt *Apud te facio Pascha cum discipulis meis*, &, *Pro eis ego sanctifico me ipsum.* Id est, confestim faciam Pascha, & sanctificabo me ipsum. Si autem esse impropriè accipiatur pro fieri, vel continere: esset sensus; hoc, id est, panis iste, fit corpus meum; vel, species ista panis continet corpus meum: vltra illud incommodum; quod esse aiunt significare fieri, vel continere. Nec hoc ex Scriptura, vel ex communi modo loquendi ostendunt. Habet etiam hoc, quod cùm verbum Fit, vel Continet, sit de præsenti, ante finem prolationis iam deberet continere, quod est falsum; vel si pro futuro tempore vniret, iam à propria sua significatione, quæ præsentis est temporis, caderet. Et idem absurdum sequeretur, si esset sensus: hoc, id est, hæc substantia panis, fit corpus meum, vel in id conuertitur: nam esse, in Scriptura, nō accipitur pro fieri. Hæc etiam factio, seu conuersio, quia non habet successionē, non fit vsq; ad finem prolationis, ideo cū profertur, falsum est, quod fiat. Quòd si pro fine prolationis sit intelligenda; impropria esset locutio, & præstaret dicere, Hoc erit, id est, fiet corpus meum: quod tamen Christus nō dixit. Et sermo deniq; enuntiatiuus vel demonstratiuus de præsenti, in Scripturis nō accipitur pro imperatiuo. Vnde nec Deus in rerum creatione dixit, Hęc est lux, vel hoc est firmamentum, vel hæc sunt luminaria, sed, *Fiat lux, Fiat firmamentum, Fiant luminaria:* vel vt Hebræa litera habet, sit lux, sit firmamentum, sint luminaria: nā verbum substantiuum in modo imperandi, vim habet efficiendi.

Matt.26. Ioan.17. Gen.1.

III. difficultas. Innocen. III. lib Myster. miss. c.12.

Tertia difficultas est ex tota oratione, quæ si enuntiatiuè sumatur, multas habet difficultates: secùs si recitatiuè iuxta sententiam Innocentij III.

Respondetur obiectioni quorundam.

Sed obijciunt quidam contra hanc sententiā. Quando nos consecramus illis verbis *Hoc est corpus meum*, quid demōstrat pronomen Hoc? ac proinde eundem laborem soluendi habere eos, qui hanc sententiam tuentur, sicut illos, qui dicunt Christum illis verbis confecisse. Respondemus, in verbis, quæ non proferimus, pronomen illud nihil demonstrare, quia verba sunt potiùs recitantis, quā enuntiātis. Et cùm quis aliquod absens etiā præteritum recitat, nihil demonstrat, quia pronomen, vel aduerbiū demonstrandi, nempè Ecce, rem præsentē requirit; nā absens vel præterita non est ad sensum demonstrabilis. Licet enim cùm B. Virgo dixit, *Ecce ancilla Domini*, aduerbium Ecce, ipsam Angelo præsentē, demonstraret; Lucas tamē cùm recitat historiam, Ecce nihil demonstrat, quia nec aderat B. Virgo, cùm Lucas ista scriberet, vt illā demonstraret, neq; Lucas volebat ea demōstrare, sed referre tantum, quòd ipsa seipsam demonstrauerit. Ita cùm Christus dicebat: *Ego sum lux mundi*, vel *Ego sum vitis vera*; pronomen Ego, illum demonstrabat: cùm aūt refert illa verba Euangelista, vel Sacerdos legit in Missæ sacrificio, Christus non demonstratur, cùm sit absens, nec Euangelista eum proponit demonstrare. Ita ergo etsi cū Christus hæc verba dixit, pronomen Hoc, demonstraret corpus suum iam ibi præsens; cùm tamen illis Sacerdos vtitur ad consecrandum, pronomen Hoc nihil demonstrat, cùm verba recitando, vel non enuntiando proferat. Nec sunt ampliùs in rerum natura species, sub quibus contentum corpus suum Christus olim monstrauit, ad hoc vt nunc pronomē Hoc demonstret illas; cùm iam ante mille & quingentos annos esse desierint; quare nec Sacerdos intendit quiquam sub eis contentum monstrare.

Luc.1. Simile. Ioan 8. Ioan.15.

Verba hæc. Hoc est corpus meum, recitando, non enuntiando dici, multis ostenditur. Primū argum.

Quòd igitur hæc verba recitando dicantur, ex multis ostendo. Primò quidem ex ipso cōtextu, ait enim Sacerdos de Christo loquens; *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, &c. benedixit, & fregit, deditq; discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum.* Hinc manifestè constat, quod participium Dicens, de Christo pridie quàm pateretur loquente prædicatur, & non de Sacerdote. Durum ergo, & violentum est participium, Dicens referre ad Sacerdotem Christi personam agentem, & non ad Christum, cùm omnia præcedentia congruant Sacerdoti recitāti, & non Sacerdoti, vt in persona Christi loquenti. Et durius, quòd Sacerdos in verbis formæ ipsius calicis prius recitet, & posteà agat personam Christi. Ergo de Christo recitatur, quòd dixerit, *Hoc est corpus meum*, & non de Sacerdote, cuius est illud corpus. Neque diceretur, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, si significatiuè teneretur, quia ampliùs non effunditur: nec est verisimile, quod cùm in præcedentibus Sacerdos historiographum egerit, & de Christo in tertia persona locutus fuerit, tam repentè in primam personam sermonem mutauerit. Secundò idem etiam post Concilium Florenti-

Concil. Flor.

rentinum, asseruêre viri Catholici. Nam præter Innocentium III. in libris myster. Missæ allatum superiùs, & Innocentium IV qui eum secutus est in apparatu in Decretum; hoc etiam tenuit Ioannes Maior. in 4. sentent. & Picus Mirandul. in Apologia sua idem tuetur, cum Glossatore. Tertiò, idem rationibus probatur. Quia hæc positio difficultates omnes de pronomine Hoc, & de verbo, Est, melius resoluit, & conformior est contextui, & argumenta quæ in illam fiunt, ostendit non euincere. Primò enim quidam argumentantur: quia si esset simplex recitatio, non esset necessaria intentio peculiaris Sacerdotis: quòd esset contra Ecclesiæ definitionẽ. Respondemus, hoc non sequi, quia sicut verbis enũtiatiuè sumptis potest ac debet minister intendere, quod Ecclesia intendit per illa verba agere; vt cùm ait, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: ita eisdẽ recitatiuè sumptis potest benedicere, & cõsecrare. Ideo ad rem non est, quod ait Paulus; *Calix benedictionis, cui benedicimus*: benedicimus enim calicem, & panẽ, forma nobis tradita vtẽdo, etiamsi recitatiuè teneatur. Deinde argumentantur: quia si verba sunt recitantis, & non enuntiãtis, illis verbis nihil efficeretur. Respondemus, negando consequentiam: quoniam cùm verba non ex sui natura, sed ex Dei pacto & virtute concurrant in Sacramentis ad gratiam præstandã, æquè Deus potest hoc pactum facere, & hanc eandem vim conferre verbis recitatiuè atq; enũtiatiuè sumptis: imò qui Sacramenta tradunt efficiẽter concurrere, & per modum instrumenti ad gratiã, possunt asserere, hæc verba recitatiuè accipi, quia eis etiam hoc modo sumptis potest Deus vt instrumentis vti.

Innocen III. Innocent. IV. Ioan. Maior. Picus Mirandul. Glossa De consecr. distinct. 2. c. timore.

III. argum. Proponũtur argumenta, & soluuntur contrariæ opiniones.

Matth. vlt.

1. Cor. 10.

II. argum.

Tertiò argumẽtantur: Quia Sacramẽta efficiunt quod significant: sed si verba tanquàm recitantis accipiantur in hoc Sacramento, significarent contentũ sub illis speciebus, quas in manibus suis Christus tenuit, esse corpus Christi, quod hic non efficitur: ergo non efficeret hoc Sacramentum quod significat. Rursus si verba vt modò recitandi dicta sumuntur, nõ ergo significatiuè; ideo non facit quod significat, cùm nil significet. Respondemus, pronuntiatũ illud, Sacramenta Noui Testamenti efficere quod significant; verum esse in sensu, in quo à Patribus profertur, & acceptatur. Est autem hic sensus; Sacramẽta significare gratiam, & illam conferre, siue efficienter, siue ex Dei pacto: etsi autem gratia significetur per Sacramentum, non opus est vt per formam designetur. Non enim ista forma, Accipio te in meã, gratiã vllã significat: sicut nec illa, *Hoc est corpus meum*, vel, *Hic est calix sanguinis mei*. Quòd si forma nõ semper significat effectum gratiæ; multò minus opus est vt alius effectus Sacramenti significetur: nam character nõ videtur quo modo per formam baptismi exprimatur; nec sanitas corporea per formam extremæ vnctionis. Ideo mirum non est, si per formam huius Sacramẽti non enuntietur effectus eius; & sic concedendum esset, quòd efficit aliquid, quod enuntiatiuè, nõ significat. Nec hoc est in axioma illud Theologorum superiùs dictum: quia illud non asserit, Sacramenta nõ efficere aliquid quòd non significent, præsertim sola forma, sed dicit efficere quod significant.

III. argum.

Pronuntiatum id: Sacramenta Noui Testamenti efficere quod significant, in quo sensu sit verum.

Quartò arguunt: nam si sumuntur per modum recitantis illa verba, forma per se prolata nõ efficeret Sacramentum, nec fieret consecratio, quod videtur inconueniens: nam in alijs Sacramentis constat, quòd debitis formis prolatis super debita materia cum debita intentione, conficiuntur, licèt alia omittantur. Respondemus concedendo cum Doctore Subtili, verum esse, quod argumẽtum infert: nempè quòd nõ conficeretur hoc Sacramentum, licèt alia conficiantur. Et ratio differentiæ est, quia aliorum Sacramentorum formæ determinatæ sunt, determinatamq; actionẽ significant: vt forma illa determinata; *Ego te baptizo*, lotionẽ illã à me fieri in nomine Trinitatis significat. Hæc autem forma, *Hoc est corpus meum*; &, *Hic est sanguis meus*, indeterminata est, nisi adiũgatur historia, quæ hãc formam fieri indicet, ad faciendum quod Christus iussit in cœna faciendum. Et hãc Scoti sententiam Siluester Prierias, vt probabilem recitat in sua summa: licet ipse aliã sequatur. Posset quoque responderi, quòd adhuc non adiuncta historia, possent hæc verba per modum recitantis dici, etsi animo consecrandi proferãtur, fieri consecrationẽ; quare nõ sequi dictum incõueniens.

IV. argum.

Scotus in 4. dist 8. q. 2.

Formæ aliorum Sacramentorum, ab illa Eucharistiæ quomodo differant.

Siluester Prierias.

Vltimò argumentantur ex Cõcilio Florentino; in quo habetur, quòd Sacerdos in persona Christi cõficit hoc Sacramentum. Ex quo rursus deducitur, Sacerdotẽ enuntiando, & non recitando consecrare. Respondemus, quòd conficere in persona Christi, duplici modo intelligi potest. Altero, quòd efficaciter conficiat, vel dicat in potestate sibi concessa à Christo; altero, quòd repræsentet personam Christi, & in eo loquatur; quemadmodũ qui in comœdia, vel tragœdia alterius personam repræsentat, & eius nomine loquitur. Quod igitur dicitur in Concilio, non accipitur, se-

V. argum. Sacramentum potest confici in persona Christi dupliciter.

Exemplum.

cundo loco conficere in persona Christi: quia ex eo planè sequeretur, quòd enũtiatiuè, & non in persona Christi Sacerdos diceret, *Hoc est corpus meum*, ac si ipse Christus adesset, & loqueretur: sed sumitur primo modo, ad quod satis est habere potestatem à Christo, ob quam recitans verba eius conficiat. Et hoc modo loquendi vtitur Paulus ad Corinthios: *Nã & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos, in persona Christi*; hoc est, in potestate mihi à Christo collata (etsi nõ loqueretur tanquàm in comœdia in Christi nomine siue persona) dicens, Ego Christus condono hanc pœnam, vel relaxo hãc pœnitentiam. Iudices quoque, vel legati in persona Regis, vel Pontificis agere dicuntur, non tamen tanquàm in comœdia, sed decoro etiam cuiusq; personæ seruato, dicunt enim, Ego Ioannes, vel; Ego Petrus, potestate mihi à Rege, vel Pontifice collata, hæc decerno, vel hæc statuo. Atq; ita habes, hanc sententiam egregiè resoluere argumenta, quæ fiunt ad probandum, nos non recitando, sed enuntiando proferre verba consecrationis.

2. Cor. 2.

Prioris sententiæ argumenta soluuntur.

Argumenta etiam, quæ pro priori sententia facta sunt, soluere conantur, qui posteriorem tuentur opinionem. Nã ad sententias Patrum veterum respondent, nihil ibi euidens contineri, quo probari posset, Christum illis verbis confecisse, licèt eliciatur, Christum protulisse illa verba, vt nos cõficeremus. Deinde illud ex Chrysostomo accipimus, Christum esse, qui per ministros Sacerdotes conficit non minus nunc Eucharistiam, quàm olim ipse per se ipsum confecerit: quanquàm ipse aliis verbis sit vsus, quàm modò alij vtantur, cùm ministri conficiunt sui. Bessarion Cardinalis in tractatu illo De Sacramẽto Corporis Christi, ex multis Patrum sententiis indicat, nos his verbis conficere, quibus autem Christus confecerit, an istis, vel alijs, nihil disseruit. Ad verba Concilij Florentini, quibus videtur oppositũ definiri, respondetur, quòd si illa essent, quæ habentur in multis exemplaribus, facilis esset solutio. Sic enim statuit; *Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.* Hæc ibi: quæ satis commodè exponuntur, si dicatur, Christũ conficere non quidem immediatè per se, sed per ministros illis verbis conficientis. Sicut enim dicitur, ipsum baptizare nobis baptizantibus, ita conficere nobis conficientibus. Eâdem ratione dicitur Spiritus postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & clamare: quia facit nos postulantes, gementes, & clamãtes. Si autem, vt alia exemplaria correctiora habere dicuntur, in præterito, cõfecit, maior est difficultas: sed adhuc solui potest. Nam in primis dicere possumus intentionẽ priuatã illorũ, quibus cõmissũ est hoc cõdere edictũ, inter quos fuit Cardinalis Turrecrema, fuisse, illam B. Thomæ amplecti sententiam, cuius in toto illo edicto videntur sectatores: hæc tamen illorum intentio, quia priuata, legẽ non facit, nec obligat, si non ita illi explicant verba accepta à Concilio, vt non admittantur alia. Quod hic nõ esse, ex eo demonstrari potest, quod post illud Concilium celebratũ multi Catholici oppositam tuentur sentẽtiam, vt Franciscus Mayron, Gabriel Biel, Ioannes Picus Mirandulanus Ioannes Maioris, Franciscus Titelmannus, atque alij nonnulli. Iuxta hos igitur commodè ad mentem Synodi, hoc est, Spiritus sancti, licet non ita ad mentẽ priuatorum, vt dictum est, interpretandum est hoc verbum in hunc sensum, Confecit, id est, conficere instituit; Vel quod tempore Concilij huius Sacerdotes omnes ab initio his verbis confecerant, & in illis, & per illos Christus: quãquàm prior sensus magis videatur ad rẽ. Non ergo verbis, quibus ipse confecit suum panem, quem iam consecrauerat, antequã diceret, *Hoc est corpus meum*, sed quibus ipse cõfecit omnem panem altaris. Non enim minister sui s, sed Christi verbis virtutẽ conficiendi habẽtibus consecrat, quorũ pronũtiatio à Christo semel facta, & à nobis commemorrata confecit omnem panem sacrificãdum. Hinc Magister in quarto sententiarum ait; *Forma verò est, quam ibidem edidit, dicens, Hoc est corpus meum. Et, Hic est sanguis meus. Cùm enim hæc verba proferuntur, conuersio fit panis & vini in substantiam corporis Christi: reliqua ad laudem Dei dicuntur. Vnde Ambrosius, Sermone, inquit, Christi hoc conficitur Sacramentum.* Hactenùs Magister. Perpendẽda sunt verba Ambrosij: *Sermone Christi hoc conficitur Sacramẽtum.* At quo pacto? Cùm sermo Christi non sit nunc, sed fuerit? Ille ergo sermo, qui tunc fuit, tunc virtute cõfecit, quod nunc actio conficit manente illa. Accipiens enim Dominus tunc illũ panem, accepit omnes qui in altari conficiuntur: & similiter cũ accepit illum calicem, omnes accepit. Vnde rectè in Canone Missæ Romanæ traditur: *Simili modo postquàm cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem.* Sed quomodo accipit, nisi quãdo accipit suum calicem? Tunc enim confecit tuum panem, & tuũ calicẽ, quando illa verba pronũtiauit, & tradidit nobis in formam ad conficiendum. Atque hoc

Marginal notes (left): Quis conficit Eucharistiam teste Chrysostomo. *Chrysosto. hom 83. in Matt. tom. 2.* — Quo sensu Christus à Florentina synodo traditur, non Sacerdos, Eucharistiæ Sacramentum conficere. *Concil. Flor.* — *Rom. 8. Ibidem.*

Marginal notes (right): *Cardinalis Turrecremata.* — *Francisc. de Mayron. Gabr. Biel. Ioan. Picus Mirand. Ioã. Maioris. Fran. Titelmannus.* — *Petrus Lombard. Ambr. lib. de Sacram. to 4.* Perpenditur dictum Ambrosij.

Christum aquis immersum suo contactu aquas sanctificasse, communis Patrum traditio est.
Matth.3.
Hebr.13.
Altera solutio.

hoc simile est his, quę Patres docent, Christum aquis immersum suo contactu aquas sanctificasse: & quomodo eas quæ tunc nō erant, & post fuere, vel nondum sunt, vel modò sunt, tetigit? Quia virtus sanctificatiua eius, qui heri, & hodie, & in secula, ad omnes aquas extendi potest. Vel certè dicendum est, hanc particulam non tāquàm necessariam de fide tenendam propositam fuisse, sed tanquàm doctrinam quādam fidei Catholicæ non repugnantē. Nam cùm omnia, quæ in ista doctrina tradita sunt, non sint peculiariter discussa à Concilio, & eo te disputationis examinata, & in quibusdam horum essent opiniones Catholicorum in contrarium, nō est verisimile, mentem Concilij fuisse, Innocētium Tertium & Iunnocentium Quartum, atq; alios Catholicos rebus non discussis damnare voluisse: sic enim Catholici post Concilium non perstitissent in cōtrarijs opinionibus. Mens igitur fuit, tradere doctrinam continentem omnia essentialia fidei, & quæ necessariò credēda sunt: & prætereà alia quædam, fidei quidem non repugnantia, sed valdè probabilia, non tamen necessariò credenda. Inter quæ hoc de forma, qua Christus confecit, videtur annumerādum: sicut & illud quod adiungit de forma consecrationis calicis, in qua omnia verba, quibus Ecclesia Romana vtitur, tanquàm de essentia formæ illius proponit. Quod si verum esset, Ecclesia Græca vera forma sanguinis destituta fuisset, & nunquàm sanguinem confecisset. Nam vt constat ex Liturgijs B. Iacobi Apostoli, Basilij, & Chrysostomi, eiusmodi omnia verba, quæ Ecclesia Latina tradit, in forma calicis non habet. Asserit etiam ibidem, formam Eucharistiæ sub specie panis esse illa verba: *Hoc est corpus meum:* quod benigna glossa exponendum est. Eucharistia enim res est permanens, & verba prolata subitò euanescunt: sunt tamen forma conficiendæ Echaristiæ, sed nō iam existentis. Asserit prætereà Concilium illud, omnia Sacramenta tribus constare, nempè materia, forma, & ministro: at in matrimonio quisquęso minister fuit? vt enim tot seculis in Ecclesia Romana & Catholica traditum fuit, Sacramentū Matrimonij ministro non indiget distincto ab ipsis contrahentibus: etiamsi posteà Concilium Thidentinum definierit, ne matrimonium vllum conciliari valeat sine proprio parocho. Quāquàm nec per hoc proprius parochus factus sit minister Sacramenti matrimonij, necessarius tamen est nunc eo modo, quo duo vel tres testes tanquàm necessarij exiguntur. Nam condere

Ex Florentina Synodo ductum clarius argumentum diluitur.

Chrysost. ho. 3. in fin.

Formam Eucharistiæ sub specie panis esse illa verba: Hoc est corpus meū, quo sensu dixerit Florentina sancta Synodus.

Matrimonij Sacramentū ministro nō indigere, vnde constet.

ministrum Sacramenti, res est quę ad Christum habentē potestatem excellentiæ spectat, non autē ad Ecclesiam, quæ ante Concilium Tridentinum hæc duo non exigebat. Vt igitur hæc benignè sunt interpretanda in Concilio Florentino, ita & illud de forma, qua Christus confecit in cœna. Certè nuper prodijt Concilium Florentinum Græcum editū in vrbe Roma, in quo nihil attexuit de aduentu Armenorum, & de doctrina fidei illis collata, quod certè factum non esset, si illorum aduentus, & doctrina illis data, ad ipsam synodum spectasset, tanquàm eius pars.

Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. Dec. de reformat.

Ad illud Innocentij Tertij, respondetur; Quòd etsi Innocentiùs expressè non declarasset mentem suam, oppositum eius, quod argumentum obtendit, apertè confirmās, vt est probatum, adhuc ex illis verbis citatis non haberetur, eum sentire Christum nostra forma vsum fuisse; quia vt ipse solitus est in alijs epistolis, solùm recitat quæstionem ab scribente sibi propositam, & arguit hincinde in vtramque partem, vt veritatem decidat. Et quia iste non quæsierat ab illo quicquam de forma, qua Christus confecit, sed tantùm de additione illius verbi, Mysterium fidei; ad id solùm respondit, non approbans, neque reprobans quòd ille in quæstione sua, vt verum, admittere videbatur. Propterea tantùm hinc elici potest, quod qui scripsit ad Innocentium, habebat oppositam opinionem. Sed nec hoc etiam clarè habetur: quia non dicit quòd Christus his verbis confecerit; sed quod, dum confecit, ista protulit. Quod verum est: quia cùm primum confecit, ista dixit. Neque tam strictè sumendum est illud aduerbium temporis, vt simul, dum conficeret, ista protulerit. Quia licèt paulò post pronuntiasset, aduerbium à sua significatione non alienaretur, iuxta communem loquendi phrasim.

Argumenti ex Innocentij III. testimonio producti dissolutio.

Ad illud argumentum: quod Christus ita confecit, vt illum imitaremur; sed nos illum imitantes hac forma vtimur; ergo Christus illa forma vsus est: respondetur, quòd nequaquàm adstringimur in omnibus Christum imitari, nisi in bonis moribus, sicut ipse dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* Sicut nec in porrigenda cœna in vtraq; specie, nec post cœnam communem, vt tunc dedit, nec in duodenario numero, & plerisq; aliis. Et si est imitandus à nobis; profectò decet vt tanquàm ministri dominum imitemur: quod facimus, cùm forma, quam ipse præscripsit, conficimus, sicut ille quasi Dominus, qua voluit forma, consecrauit.

Christus in quibus tantùm imitandus.
Matth. 11.

Ad illud argumentum postremo loco productum, quòd Eucharistia nostra esset alterius speciei ab illa Christi, quia diuersa forma confecta: respondetur, quòd si argumentum procedat de Sacramento, hoc est, de aggregato ex materia, & forma Sacramenti; manifestũ est, quòd mutata forma, mutatur hoc coniunctum, & aggregatum, & ita non est inconueniens concedere, quòd iuxta hanc considerationem non sequitur quod argumentum infert: quia quantumuis Doctores dicant in Sacramentis materiam & formam esse, hoc dicunt metaphoricè loquendo, & non propriè, & physicè (sic enim oporteret formam substantiam esse, & ipsi materiæ inhærere, esse substantiale, & specificum ei conferendo, & cum ea vnũ ens naturale constituendo.) Quæ tamen falsa sunt; cùm forma Sacramenti accidens successiuum sit in aëre existens, & transiens, cùm sit vox, & verbum. Quia igitur propriè non est forma, non ita per hanc formam conficitur, etiam à puris hominibus Eucharistia. Quòd si aliã Deus formam nunc de integro institueret cum eodẽ pacto cum illo, quòd cum nostra forma nobiscum pepigerat; sanè fieret eadem Eucharistia: sicut idem baptismus erat collectus sub ista forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, atque ille sub forma, qua vtuntur Gręci, nimirùm: *Baptizetur seruus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, atque ille collatus in nomine Iesu Christi, vt quidam ex Patribus asserũt. Quòd si medijs ministris potest Deus, seruando idem pactum, variatis formis candem Eucharistiam conficere; multò magis per seipsum potest id efficere, cùm in naturalibus videamus entia ad vnum determinata, Deum infinitum, & liberrimum, & nullis adstrictum legibus esse agens, & ideo potest multis, & varijs modis idem efficere. Nam licèt naturaliter hominis non possit generatio contingere sine masculi, & fœminę congressu; Deus tamen potest hominem producere multis modis: & ex masculo, & fœmina, vt quotidiè naturaliter producit; & quandoq; miraculo ex sterilibus, vt Abraham & Sara; quandoque ex solo viro, vt Heuam; quandoque ex sola fœmina, vt Christum; quandoque ex limo terræ, vt Adam. Posset etiam ex lapide suscitare filios Abrahæ; quia expulsa forma lapidum, valeret materiam disponere, & infundere illi animam rationalem, illamque dotare gratia; quo facto tales homines essent filij Abrahæ secundùm spiritum, quo modo Scriptura frequenter vocat filios Abrahã, & Israel. Hęc sunt q̃ pro huius sentẽtię probatione adducuntur. Iam prudens lector suo fruatur iudicio: nulli præscribimus, & quam velit magis amplectatur, donec Ecclesia aliud statuat, atque decernat: cuius iudicio per omnia est acquiescendum. Nõ dissimulabo, quòd in Concilio Tridentino, cùm quidam Theologi id peterent, vt explicaretur forma, qua Christus confecit hoc Sacramentum, auditis hinc inde rationibus, nihil est definiendum, prudenter Patres censuerunt.

In Sacramentis materiã, & formam esse Doctores cũ asserunt, quo sensu id astruant.

Matth. vlt.

Deus agens quale sit.

Quot modis hominem producere Deus possit. Gen 17. Suprà 1. Matth. 2. Gen. 2.

Matth. 3.

Quomodo Deus de lapidibus possit suscitare filios Abrahæ.

Filij Abrahæ qui in Scripturis dicantur.

Ad illud verò, quod Græci quidam, vt Nicolaus Cabasilas, & Marcus Ephesinus adducebant, vt probarent, illis verbis, *Hoc est corpus meum*, nos minimè conficere: quia in Liturgijs Gręcorum post illa verba prolata precatur Sacerdos: *Emitte Spiritum tuũ, & fac hunc panem, pretiosum corpus Christi tui; quod vero in hoc calice est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutans ea Spiritu tuo sancto:* Quæ verba & in Liturgijs B. Iacobi Apostoli, & sanctorum Basilij & Chrysostomi habentur, imò & in Missa Clementis Romani, vt ipse refert in constitutionib. Apostolicis: respondent quidam, aliter Deum pepigisse cũ Græca Ecclesia, & aliter cum Latina: nam apud Græcam Ecclesiam non conficitur illis tantùm verbis Christi, donec istæ preces, quas recitauimus, adiũgantur: secus in Ecclesia Latina, quæ similes preces non adhibet, ac proinde illis solis verbis conficit. Sed profectò dura mihi videtur hæc responsio, vt hæc verba alium effectum habeant apud Ecclesiam Latinã, alium apud Græcos, apud quos nõ confestim efficiunt Sacramentum; quod videtur mihi nonnisi temerè, & periculosè dici. Aliam solutionem adfert Card. Bessarion loco citato, asserẽdo duplex esse corpus Domini, verum scilicet, & mysticum: & verum quidem, ipsius Domini verbis, cuius corpus est, confici; mysticum verò quod ipsi sumus, sacris Sacerdotum precibus, ac iustis actionibus, vitæ quoque, ac morum honestate compleri, cùm dignè homines sacram Eucharistiam participant, & eiusdem cum Christo corporis efficiuntur: & hoc petere Sacerdotem, cùm rogat, vt descendens Spiritus sanctus panẽ, pretiosum corpus Christi; calicem, sanctum sanguinem faciat. Hanc expositionem videntur Basilius, & Chrysostomus cõfirmare, dum subdunt: *Vt omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus, coadunemur inuicem, &c.* Et Concilium Florentinum Sess. vlti. hoc ipsum explicare videtur, quibus se hoc facere tradunt: quemadmodum Ecclesia Latina precatur in Canone, post verborum illorum prolationem: *Hæc commixtio, & conse-*

Ex Nicolao Cabasila, & Marco Ephesino argumentum diluitur.

Clem. Rom. lib. 8. constit. Apostolic. cap 17.

Minus commoda solutio quorundam.

II. solutio.

Card. Bessar.

Basil. Chrysost.

Concil. Flor.

consecratio corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat nobis accipientibus in vitam aeternam: quibus verbis minimè precamur, vt quod iam factum est, fiat; sed vt id quod factum est, nobis salutare, atque conducibile existat. Tertiò & aliam interpretationem adiungit Bessarion, nimirùm quòd cùm hoc diuinum Sacramentum sit commune opus toti[us] Trinitatis, necesse est nos Patrem, & Spiritum sanctum cum Filio inuocare, vt proposita munera conficiant. Et quia natura rerum vetat, vt quod simul à tribus personis fit, vno sermone complectamur; properea per interualla temporis vnum post aliud verbum pronuntiamus. Vnde post verba Christi inuocamus Patrem, & Spiritum sanctum, quasi explicantes vim, & efficaciam conuersionis panis in corpus & vini in sanguinem Christi, non ab vna tantùm persona Filij, sed etiam ab alijs personis perfectam. Et quanquàm varijs temporum spatijs hæc significentur, ad vnum tamen temporis momentum referenda sunt, quo virtute verborum Christi panis & vinum transmutata sunt in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Illis ergo Patrum precibus non fit conuersio, sed facta ostenditur prioribus Christi verbis. Licèt ergo sermo Christi in voce transierit, remanet tamen consecrationis effectus sub symbolis: sicut in Marco mulier hæmorrhoyssa iam sanata per fidem, & vestium Christi contactum, audiuit: *Esto sana à plaga tua:* quam tamen prius sanauerat Dominus noster Iesus Christus. Atque hanc soluendi rationem indicat Clemens loco prædicto dicens: *Et mittas sanctum Spiritum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini; vt ostendat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui, vt qui ea percipiunt, confirmentur in pietate, &c.* Hæc idcirco tam latè à me allata sunt ad hanc firmandam sententiam, non quod post Concilij Florentini decretum, tam vnanimiter in scholis receptum, & durè ab aduersarijs explicatum, tutam eam existimẽt; sed vt videas quibus se tueantur rationibus, & eis per te ipsum facilè dissolutis, in ea sentẽtia permaneas, quæ eadem forma nos dicit consecrare, qua Christus ipse consecrauit, Cui cum Patre, & Spiritu sancto, omnis gloria, honor, & imperium deferatur in seculis sempiternis. Amen.

III solutio. *Bessarion.*

Naturę quid repugnet.

Marc. 5.

Exemplum.

Clem Rom. vbi sup. in fin.

TRACTATVS XIV.

In illa verba: *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes.* Et habetur Matthæi 26. Mar. 14. Luc. 22.

ANTEQVAM horum verborum quæ proposita sunt, explicationem aggrediamur, pauca expedienda sunt, quæ ad formam panis spectãt: & cùm à nobis fuerint proposita, non sunt tamẽ expedita, vt quæstioni propositæ de forma, qua Christus vsus est, faceremus satis. Dixit ergo Dominus, *Hoc est corpus meum.* Hoc nimirùm quod vobis porrigo, quod in manibus habeo, quod manducaturi estis, corpus meum est. Nolite interrogare oculos vestros, vel os vestrum, vel dentes vestros, vel manus vestras, sed mihi dicenti credite quod est corpus meum. Nunquàm in alijs cœnis tale quicquam vobis dixi, quia nunquàm tale aliquid tradidi. Dedit autem tale corpus, quale tunc habuit, mortale videlicet, & passioni obnoxium: non quòd posset pati sub Sacramento, sed quos is, qui erat in Sacramento, poterat pati; nunc aũt sumitur à nobis immortale, & impassibile corpus Domini; nec tñ habet nunc maiorẽ vim, sicut nec maiorẽ potẽtiam. Quod aũt passibilis edebatur, & tamen non patiebatur, non erat huius naturæ, sed diuinæ potentiæ, qua valebat quicquid omninò volebat: vt tradit Innocentius III. Accipitur porrò corpus hoc loco non pro toto homine, vt quidam existimant, eo quòd certum sit sub specie panis esse totum Christum, nec ibi esse carnem sine anima: sed hic distinguitur corp[us] à sanguine. Et apud Ioannem caro manducanda, & sanguis bibendus dicitur. Et si corpus pro toto homine acciperetur, non potuisset illis verbis fieri consecratio, cùm Christus iacuit mortuus in sepulchro, & hæc verborum forma non conueniret nunc passioni & morti Domini significãdæ, in cuius tamen memoriam hoc Sacramentum est institutum. Accipitur ergo corpus pro altera tantùm parte homini, id est, carne, quæ sola ibi est virtute verborum; anima, sanguis, & diuinitas simul cum carne sunt per naturalem concomitantiam. *Quod pro vobis datur;* siue, vt Paulus ait in Græca litera, *Quod pro vobis frangitur.* Quod dicitur, *Accepit panem,* indicat materiam Sacramenti. Quod ait, *Hoc est corpus meum,* indicat formam, qua nos vti debemus. Quod verò subdit, *Quod pro vobis datur,* vel frangitur, vel, vt Ambro-

Explicatur: Hoc est corpus meum.

Innoc. III. lib. 4. Mysterior. Missæ. cap 12.

Quid per corpus Christi hoc loco intelligendum sit.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

Expenditur & illud: Quod pro vobis datur, vel frangitur.

Ambro. lib. 4 de Sacra. c. 5. tom. 4.

sius legit de futuro, confringetur, fructus est Sacramenti. Datur enim pro nobis in pretiũ vitæ spiritualis: & quod datur ad vitam ipsam alendam, Frangitur; id est, clauis, lanceâ, & flagellis laniandum est, & in sacrificium immolandum. Vnde & Augustinus quod ait Lucas, *Quod pro vobis datur*, exponit: Quod pro vobis sacrificatur, & immolatur.

August. lib. 3. de Trin. c. 10. & lib. 4. c. 14. tom. 3.

Alter sensus. *Num. 9. Ioan. 19. 1 Cor. 10. Act. 2.*

Sunt qui verbum, Frangitur, interpretantur non de Christo in cruce, quia scriptum est: *Os non comminuetis ex eo*, sed de Christo in mysterio Eucharistiæ, in quo frangitur, quia franguntur species. De quo Paulus; *Panis quem frangimus*, & à Luca propterea vocatur fractio panis. Et ita interpretatur Chrysostomus in priore ad Corinthios: & Prosper in libro sententiarum Augustini ait: *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur?* Et cùm addit, *Quod pro vobis datur*, aut frangitur, indicat se non mysticum, vel metaphoricum corpus dare, verùm naturale ipsum corpus, quod morti crucis offerebatur. Et de præsenti: quia iam cœperat dari, cùm proditus esset à Iuda, & ipse se actu dabat, & Patri mysticè se offerebat sub speciebus panis & vini, in remissionem peccatorum, in pretium redemptionis, in victimã propitiatoriam, & in alimentum animarum nostrarum perpetuò in Ecclesia celebrandum. Non turbetur quisquam, quod Græci, & Ambrosius in cõsecratione panis addunt, Quod pro vobis frangitur, cùm eam partem non addat Ecclesia Romana: quia Græci consecrationis suæ formam ex traditione B. Pauli acceperunt, quæ conformis est Lucæ Euangelistæ narrationi: sicut Latini ex traditione Petri, quæ desumpta est ex Euangelio B. Matthæi & Marci, quæ vt non necessaria prætermissa est ab illis, & ne quis existimare posset verè frangi corpus Christi, aut etiam crederet non posse dispensari sine fractione, & distributione in plures facta, vt hodie fit. Fuit autem argumentum insigne charitatis, ac teneri amoris, de quo Chrysostomus in Matthæũ sic ait: *Multæ matres post partũ alijs nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi coniungit, atque conglutinat.* Sic ille. Et quò tendat ista traditio, vel fractio, ostendit Ecclesia Græca, quæ in suis liturgijs addit: Quod pro vobis datur, & frangitur in remissionem peccatorum: quod fortassis ex traditione ab Apostolis illa desumpsit. In liturgijs quoque Græcorum additũ populi responsio, Amen: sicut & iterum post verba consecrationis calicis. Moris enim erat olim, vt verba consecrationis alta voce dicerentur, quæ possent ab omnibus audiri: qui respondebant, Amẽ: vt præter liturgias Græcorum & Iustinum Martyrẽ in apologia pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, docent etiam Latini. Nam Ambrosius lib. de ijs, qui mysterijs initiantur: *Ipse, inquit, clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, hoc est, verum est: quod sermo sonat, affectus sentiat.* Id ipsum lib. de Sacramentis affirmat. Idem tradit Leo Papa de ieiun. sep. mẽsis: *Tunc enim* inquit, *& sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio; quando ij, qui ista dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente Domino: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur; & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur.* Hæc Leo ille Magnus. Sed iam hic mos, propter indignos qui accedunt, & ob reuerentiam Diuinorum verborum, prorsus exoleuit. Ait enim Innocentius III. *Cæterùm, ne sacrosancta verba vilescerent, dum omnes penè per vsum ipsa scientes, in plateis, & vicis, alijsq; locis incongruis decantarent; decreuit Ecclesia, vt hæc obseruatio, quæ secreta censetur, à Sacerdote secretè dicatur. Vnde fertur, quod cùm ante consuetudinem, quæ postmodum inoleuit, quidam pastores ea decantarent in agro, diuinitùs sunt percussi.* Hæc ille.

Chry. ho. 24. in 1. ad Cor. tom. 4. Prosper episcopus Aquitaniæ.

In hostiæ fractione, sanguinisq; de calice in ora fidelium sumptione, quid significetur. *Ioan. 19.*

Ad quid se nobis in Eucharistia Christus dedit.

Ambros. loco supra citato.

Luc. 22. Matt. 26. Marc. 14.

Donum Eucharistiæ, quale in nos Christi amoris symbolũ. *Chry. ho. 83. in Mat. to. 2.*

Olim verba consecrationis alta voce pronuntiari solita.

Ambr. lib. de ijs qui myster. initiant. : ca. c. 9 & lib. 4. de Sacram. c. 4. tom. 4.

Leo ser. 6. de ieiunio. 7. mensis, sub finem. Ioan. 6.

Cur Canon in secreto nunc dicatur. *Innoc. III lib. 3. Myster. Missæ, cap. 1.*

Pastores quidã verba consecrationis in agro decantantes, diuinitus sũt percussi.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Addunt Lucas, & Paulus ad Corin. *Hoc facite in meam commemorationem.* Rectè solus Lucas inter Euangelistas, cui datum est describere Christum Sacerdotem, ponit verba quibus Apostolus promouit ad Sacerdotium. Hoc ipsum igitur totum quod feci; id est accipere panẽ, gratias agere, vel benedicere, quod est consecrare, sumere, & dare alijs, ita & vos facite. Hactenùs fecistis agnum Paschalem in memoriam egressus vestri ex Ægypto: iam in pane & vino facite in mei pro vobis offerentis recordationem. Et sicut ego Sacerdos secundũ ritum Melchisedec hucusq; feci ad vestrum documentum, instituendo perpetuum charitatis meæ monumẽtum, ita & vos in futurum sanctificabitis. Et ita his verbis tradit potestatem offerendi sacrificium. Et vt Irenæus lib. aduersus hæreses in fine tradit.

Cur solus Lucas ex omnibus Euangelistis hæc Domini verba retulerit: Hoc facite in meã commemorationem. *Exod. 12. Psal. 109 & Heb. 5. & 7.*

B. Irenæ. li. 4. c. 32. in fine.

Et no-

Et Noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo. Et Theophanes libro quo

Theophan.

disserit; Quid sit sacerdotium: *Hoc ergo opus excellentissimum, & Apostolis similiter operandum tradidit, & per illos illorum successoribus, & deinceps reliquis vsque ad finem vitæ præsentis. Vnde non errauerit, ò dilecti, si sacerdotium esse dixerit Dei opificialem potentiam.* Hæc Theophanes.

S.Germ.Constantinop.

Neque sanè (vt sanctus Germanus Constantinopolit. in Theoria rerum Ecclesiasticarum scribit) id facere iussisset, nisi vim inditurus fuisset, vt id facere liceret. Itaque his etiam verbis eos promouit ad Sacerdotium, vt paulo pòst fusiùs disputaturi sumus, cùm de sacrificio Missæ agemus: sicut etiam illa verba: *Hoc est corpus meum*, pressiori, & luculentiori sermone sint contra hæreticos expendenda: nūc hoc loco hęc pauca sint satis. Dixit autem, non in meorum

Quid illud: Hoc facite in meam cō memorationem

operum, aut dolorum pro vobis susceptorum: sed in mei recordationem, siue memoriā, hoc est, meæ charitatis, & meæ erga vos ingentis beneuolētiæ, qua multo plura pro vobis operari, & pati paratus erā, argumentum, & ostensionē. B. Basilius quodam loco ponderat illud verbum, *in mei recordationem*, vel, *cōmemorationem*, assignans differen-

B. Basilius. Memoria à recordatione reminiscentiave quid differat, teste Basil.

tiam inter memoriam, & recordationem, siue reminiscentiam: quarum poriorē Græcè μνήμην vocat, posteriorē verò ἀνάμνησιν, qua vtitur in Euangelio Dominus. Nā memoria, eius est, quem cognouimus, conser-

Memoria.

uatio; Recordatio verò, eius q abijt resumptio. Nicolaus Cabasila de interpretatione

Recordatio quid.

Nic. Cab. c. 9. exp. Liturg.

Liturgiæ Græcorum, ita hæc verba exposuit: *Sed quanā de causa hæc iussit, & ad aliquid respiciens, hanc recordationem à nobis exegit? Ne ingrati & immemores essemus. Est enim benefactoribus ab ijs qui beneficio affecti sunt, quadā gratiæ relatio, eorū meminisse, & eorum, per quæ beneficio affecti sunt. Huius autem conseruandæ memoriæ homines multas rationes excogitarunt, sepulchra, statuas, columnas, dies festos, & celebres, certamina: quorum omnium finium est institutum, non sinere, vt viri præclari, & præstanti virtute, obliuioni mandentur.* Et infra: *Et per statuas quidem ciuitates solum habent figuram corporis: nos autem ab hac oblatione non habemus figuram corporis, sed ipsum corpus eius qui se gessit fortissimè. Hoc ipsum etiam antiquis constituit, vt in figura facerent id, quod nunc est in rerum veritate. Id enim erat Pascha, & agni occisio, in memoriam reuocat cædis illius ouis, & sanguinis, qui seruauit Hebræis in Ægypto primogenita. Et hæc quidem est ratio recordationis.* Hæc ille. Sequitur: *Et accipiens calicem gratias egit; & dedit illis.* Lucas verò, sicut & Paulus, ait: *Similiter & calicem, postquam cœnauit.* Eccle-

Quare Christus Eucharistiam suam in sui cōmemorationem voluerit.

Memoriæ benefactorum conseruandæ rationes ab hominibus excogitatæ, quænam.

Idem ibidem.

Exod. c. 12.

Ibidem.

Luc. 22.

sia verò: *Simili modo postquam cœnatum est, &c.* Ponderant quidam illud aduerbium, *Similiter*, asserentes, quòd si non esset calix

1. Cor. 11.

An hic calix de quo Lucas sit alter ab eo quem Matthæus commemorat.

iste alter à prius commemorato (de quo dixerat: *Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*) non dixisset Lucas, *Similiter*:

I ratio eorū, qui id affirmant.

quoniam iam explicatum fuisset quod accepit in manibus calicem, & gratias egit, & dedit discipulis inter se diuidendum. Vnde cùm calicem istum introducit cum aduerbio, *Similiter*, significat similem ceremoniam à Christo in eo seruatam, quæ seruata est in pane: nam accepit panem, benedixit: deditq; diuidendum inter eos. Deinde ad-

II. ratio.

iecit ad maiorem expressionem: Postquam cœnauit; ac si apertè dixisset, Priorem calicem legalem accepit cœnando; hunc autē, postquam cœnauit. Tertiò, quia si prior ca-

III. ratio.

lix esset idem cum posteriori, non esset verisimile, Dominum cœpisse Eucharistiam porrigere à calice, cùm alij duo Euāgelistę, atque adeo Paulus, referant à pane cœpisse & deinde venisse ad calicem. Quartò, mul-

IV. ratio.

ti sunt Doctores veteres, qui duplicem calicem agnouerunt. Nam Hiero. in Matth. tractans illa verba, *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem*, ita habet: *In Luca legimus duos calices, quibus discipulis propinarit, vnum primi mensis, & alterum secundi: vt qui inter sanctos primo mense agnum comedere non potuerit, secundo mense inter pœnitentes hœdum comedat.*

B. Hiero. in c. 26. Mat. to. 9.

Et Theophylactus in Lucam: *Ideo, ait, & poculorum videtur meminisse Lucas. Et semel quidem dicit: Accipite, & diuidite inter vos: quod veteris Testamenti figuram quis esse dixerit. Et iterum post fractum panem, & distributum, quod Noui Testamenti nominat.* Sic ille. Quibus subscribit Beda, & Dionysius Carthusianus, ac nonnulli è recentioribus, quos suprà produximus: vt magna non careat probabilitate hæc sententia. Verba Bedæ hæc

Theophyl.

Beda in Luc. c. 22 tom. 5.

Dion. Carth.

sunt: *Et his calix ad vetus illud Pascha, cui finem desiderabat imponere, pertinet: quo accepto gratias agit, ob hoc nimirum, quia vetera transitura, & ventura erant omnia noua.* Sic Beda. Et in verba sequentia: *Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, scribit: *Potest quidem hic versiculus, & simpliciter accipi, quòd ab hac hora cœnæ, vsque ad tempus resurrectionis, quo in regno Dei erat venturus, vinum bibiturus non esset. Postea namque illum, cibum, potumq; sumpsisse, testatur Apostolus Petrus, qui ait: Qui manducamus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Sed multò consequentius, vt sicut suprà typicum agni esum, sic etiam potum Paschæ typicum neget, se vltrà gustaturum, donec ostensa, & manife-*

Idē ibid. c. 91.

Act. 10.

Bibit Dominus post Resurrectionē.

 stat

stata resurrectionis suæ gloria, regni Dei fides mũdo adueniat. Vt per duo maxima legis edicta, esum videlicet, potumq́; Paschalem spiritaliter immutata, disceres omnia legis Sacramenta, vel iussa, quæ carnaliter sonare videbantur, ad spiritalem iam nunc obseruantiam fuisse transferenda. Hæc ille, in cuius verbis meritò illa verba sunt ponderanda, multo consequẽtiùs quibus indicat, hanc exponendi rationem alteri præstare.

II. opinio. Alia verò opposita sententia est, vnum tantùm extitisse calicem, & quòd Lucas vsus sit anticipationis figura, vt asserit B. Augustinus: per quã argumenta facta soluuntur. (B. Aug. lib. Euang. cons. c. 1. tom. 4.) Sicut enim quatuor actiones, quas Matthæus, & Marcus ad calicem sanguinis attinentis scribunt, nempè gratiarum actio, calicis distributio, veri sanguinis assertio, denique protestatio non bibendi ampliùs de generatione vitis: horũ tertium Lucas suo ordine & loco refert; cætera verò præoccupat non sine causa: vt videlicet protestationem nõ bibendi in futurum, coniungeret cũ protestatione non manducãdi ampliùs. Ita etiam Paulus calicis sacri prius meminit quàm panis: (1. Cor. 10.) *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus*, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quẽ frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Et Lucas prius calicis mentionem faciens, prẹmittit Christum gratias egisse: quo planè indicauit se de calice Eucharistico, siue benedictionis, & non de vulgari meminisse. Quæ sententia his rationibus nititur. (Quibus rationibus nitatur hæc sententia.) Prima, quia in lege Mosis, vbi pcipitur esus agni Paschalis, nihil præcipitur de potu legali, vel libamine cum agno. (Prima ratio. Exod. 12. Leuit. 25. Num. 28.) Secunda: quia poculum legale non diuidebatur inter omnes, vt poculum Euangelicum, sed quiuis suum poculum hauriebat. (Secunda.) Tertia, quia Matthæus loquens de calice sacro, ait: *Bibite ex hoc omnes*: at hoc idem prorsus est ac dicere: *Accipite, & diuidite inter vos*, quod Lucas refert de poculo quod vocant legale. (Tertia. Matt. 26.) Quarta, quia de poculo priori recenset Lucas Christum dixisse: *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* (Quarta. Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14.) Quæ verba Matthæus & Marcus tribuũt Christo post calicis Euangelici consecrationem: quare ergo volumus multiplicare calices, si verba omnia vni possunt conuenire? Quinta, quia verbum illud Lucæ: *Similiter & poculum*, vel calicem, quia cùm articulo dicitur, τὸ ποτήριον, rem, de qua ante facta est mentio sine articulo, ostẽdere videtur, vt doctè annotauit Euthymius, & Leontius Ætolus, in Lucæ commentarijs. (Quinta. Euthy. c. 64. in Matth. Leontius Ætolus.) Ea enim est natura articulorum Græcorum, vt aliàs diximus. Sexta ratio: quoniam omnia, quæ Lucas de primo & secundo calice recẽsset, nihil aliud continent, quàm id quod solus Matthæus, vel solus Marcus de singulari calice Euangelico narrant. (Sexta.) Si ergo hæc de vno sunt tantùm calice intelligenda: ergo & illa verba Lucæ, asserendo illum vsum figura præoccupationis, quo consonent Euangelistę. Septima, non desunt graues Doctores, qui hanc sententiam vt probabiliorem amplectuntur: inter quos Ammonius Alexandrinus, in consonantia Euangelica, & Tacianus ante eum hæc ita in concordiam redigunt, quasi vnum tantùm fuerit poculum. (Septima ratio à testimonio Patrum. Ammon. Alexandr. Tacianus.) Accedit & B. Augustinus, qui lib. de Consensu Euangelistarum sic scribit: (Aug. lib. 3. de cons. Euang. c. 1. tom. 4.) *Quid enim Lucas de calice bis commemorauit, prius antequã panem daret, deinde postquam panem dedit: illud quod superiùs dixit, præoccupauit, vt solet: illud verò quod ordine suo posuit, non commemorauerat superiùs: vtrumq; autem coniunctum hãc sententiam facit, quæ & illorum est, scilicet aliorum Euangelistarum.* Hęc ille. Ideo *similiter*, significat, & refert quod supra dixit de ipso calice, vel etiam de pane, quod verò ait: *Postquam cœnauit*: significat quod supra dixit de calice per anticipationem dictum fuisse, vt exponit Augustinus. (Idem in eod. loco.) Et ita soluitur argumentum de præconsecratione calicis antè panem. Eandem sententiam ex Græcis sequitur Euthymius, ait enim in Matthęum: (Euthy. ante productus.) *Nunc autem Lucæ verba tractanda sunt ac conciliãda, quatenus possibile fuerit. Ait enim ille, Christum primò quidem sumpsisse poculum, & gratias egisse, ac diuisisse: similiter autem & poculum ipsum: vnde videtur de duobus loqui poculis. Non est autem ita: sed primum quidem sumpsit poculum, & benedixit, ac dixit: Accipite hoc, & diuidite inter vos: deinde cùm addidisset: Nequaquam bibam de hoc fructu vitis, donec regnum Dei veniat, timore mortis suæ turbauit eos. Vt autem verisimile est facta concertatione, ac confusione, repositum est poculum: deinde aliquanto post tempore facta sunt quæ sequuntur, siue panis, siue poculi traditio. Cum enim dixerit Euangelista de pane, quod vbi gratias egisset, fregit, ac dedit eis, deinde subiunxerit, similiter & poculum ipsum: ostendit quod illud ipsum fuit poculum, quod prius acceperat. Non enim simpliciter dixit, similiter & poculum: sed similiter & poculum ipsum, addito videlicet articulo, & rem, de qua facta est mentio, significando* Hactenus ille. Vtramque proposui sententiam, fruatur quisque suo iudicio: mihi sanè prior magis arridet, & verbis Euangelicis magis consona videtur. Et hactenus exposuimus verbum: Similiter.

Sequitur: *Postquam cœnauit*: (Luc 22.) Quod verbũ Lucas & Paulus apponunt. Sed quæstio est, de qua cęna sit sermo: nam video quosdam

1. Cor. 11. Cùm Lucas, & Paulus de Christo dicũt: Postquã cœnauit, de qua cœna sit sermo.

I. opinio, quę nititur duplici ratione.

dam sentire de cœna agni Paschalis. Quod si verum esset, nõ minus Eucharistiam confecit sub specie panis post cœnam illam, quàm calicem: nec esset discrimen, quòd panem cœnantibus illis confecerit, & porrexerit calicem post cœnam. Nam vel ipse Lucas solus, vel Paulus, narrantes calicem datum post cœnam discipulis suis, indicãt panem inter cœnandum porrectũ, etiamsi Matthęus non dixisset: Cœnãtibus autem eis, accepit Iesus panem. Deinde si sermo esset de cœna legali completa, opus fuisset, Christum instituisse sub specie panis, inter cœnandum agnum, & ante lotionem pedũ cùm tamen lotio pedum pręcesserit institutionem Eucharistiæ secundùm Patres: & agni cœna interrumpi non posset, cùm esset iuxta legis mandatum, festinanter agnus edendus. Propterea dicendum est, sermonem esse de posteriori cœna, quæ cõsecuta est lotionem pedum, & de qua ait Ioannes, quòd postquam lauit pedes singulorũ, recubuit iterum, & detexit proditorem: & pane intincto porrecto expulit illum. Hęc ergo posterior pars cœnæ, quæ secuta est ablutionem pedum, dum celebraretur à Christo, illa est, de qua dicitur à Matthęo: *Cœnãtibus autem eis.* Atque hac cœna confecta, & completa, porrexit calicẽ; vt intelligamus poculum hoc, & similiter panem, de quo dictum est superiùs, ad vulgarem cœnam nõ pertinuisse, quæ pascendo corpori subseruiebat: cuius porrectioni calicis quomodo potuerit interesse Iudas, qui inter cœnandum accepta buccella abierat, videre haud queo, vt superiùs disputauimus.

Sacræ institutionem Eucharistiæ pedum lotio præcessit secundùm Patres.

Exod. 12.

Altera opinio probabilior.

Ioan. 13.

Matt. 26.

Ioan. 13.

Quamlibet speciem Eucharistiæ integrum & distinctum esse Sacramentũ vnde constet.

Deinde ex hoc verbo colligitur, quamlibet speciem distinctum esse Sacramentũ ab altera, quia diuersæ materiæ, & formis verborum diuersis consecratæ: & nõ simul sed longo interuallo, & mora temporis intercedente. Nam panem ipsis cœnantibus confecit, ac sumendum dedit: deinde post cœnam cõsecrauit calicem, ac distribuit, & cuiuslibet speciei consecrationi hanc clausulam distinctè adiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*, post panem nimirum, & calicem benedictũ. Ergo distincta fuerunt Sacramenta, licet alia ratione vnum sint, & vnum efficiant Sacramentum: tanquam vnum prandium, vel cœnam integrantes: nã etsi cibus & potus inter se sint distincta, vnum tamen integrum efficiunt alimentũ & vnam integram refectionem, & cœnam, & vnum prandium, quod non tantùm ex solo cibo, vel ex solo potu cõstat, sed ex vtroq;. Docent autẽ prudenter Iurisconsulti, in cunctis actibus & dispositionibus eos articulos, quorũ quilibet suam habet propriam determinationem, & clausulam concludentẽ, pro diuersis & separatis esse habendos. Hęc autem propterea adduximus; vt ostendamus Melanchtonem grauissimè errasse, qui dixerit inseparabiles esse species à se inuicem; cùm Christus ipse panem sacrum inter cœnandum dederit. Dei autẽ perfecta sunt opera, non dimidiata, vel mutila: & post nonnullam temporis morã cœna completa, porrexit calicẽ. Ad hæc idem Dominus apud Lucam, euntibus discipulis in Emmaus panem fractum dedit sine specie vini: & Iacobo fratri Domini, vt testatur Hieronymus ex Euangelio Nazaræorum, communionem sub specie tantùm panis tradidit: quia domi suæ nõ erat vinum, quo non vtebatur. Ista etiam diuersa, ac distincta institutione indicare voluit spiritus S. futuris temporibus in potestate Ecclesiæ situm esse, vt vel vtramque, vel alterã tantùm speciem, prout iudicauerit magis expedire, dispensare possit. Hinc Iulius I. in epistola ad Episcopos per Ægyptum (quæ habetur in Concil. Bracarẽsi III.) rectè ait: *Apostolis corpus & sanguinem commendauit: seorsum panis, & seorsum calicis cõmendatio memoratur.* Et Bernardus sermone in cœna Domini, qui incipit: *Panem Angelorum: Ordinat*, inquit, *Dominus sacrificium corporis, & sanguinis sui, seorsum panẽ, seorsum tradens & vinum.* Vides igitur Patres expendisse, quòd seorsim, & diuersis temporibus exhibitus sit panis, & porrectus calix: vnde & consecrato pane, statim, tanquam res integra, & perfecta, corpus Christi proponitur adorãdum ante consecrationem calicis.

Iurisperitorũ regula.

Contra Melanchtonem, Eucharistiæ species ab se minimè diuisas, & inseparabiles esse, impiè dogmatizantem.

Deut. 32.

Luc. 24.

B. Hiero. l. de script. Eccles. tom. 1. à med.

Iulius I.

Conc. Braca. III. can. 1.

B. Bernard.

Ex his deinde colligitur, quòd necessitatis articulo cogentẽ, & accedente dispensatione Pontificis, Eucharistia in sola materia panis confici potest. Nam Christus in solo pane confecit, vt testis est Lucas: & cũ B. Apostolum Iacobum post resurrectionẽ communicauit, vt autor est Hieronymus. Et confirmatur autoritate Innocentij III. qui libris mysteriorum Missæ definit posse in altera specie confici, vbi alterius non est copia. Innocentius quoque VIII. dispensauit cum Noruegia carente vino, vt conficeret in sola specie panis: vt testis est Raphael Volaterranus: quod etiam alij Catholici concedunt.

Quando sub sola specie panis confici Eucharistia possit.

Luc. vlt.

Hieron. suprà product.

Innoc. III lib. 4. Myst. Miss. cap. 29.

Innoc. VIII.

Raph. Volat. lib. 7. geog.

Sequitur in Matthæo: *Et accipiens calicem gratias egit*, Ecclesia Latina amplioribus vtitur verbis, ait enim: *Accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas & venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditq; discipulis suis.* Ecclesia verò Græca, vt habet Liturgia B. Iacobi Apostoli, distinctiùs loquitur, ait enim: *Similiter postquam cœnauit,*

Declarantur hæc verba: Et accipiens calicem, gratias egit.

accipiens calicem, & permiſcens ex vino & aqua, & aſpiciens in cœlum, ac oſtendens tibi Deo & Patri, gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens Spiritu ſancto, dedit nobis diſcipulis ſuis.

S. Baſilius.

Eadem ferè S. Baſilius habet in ſua Liturgia. Primò igitur notandum, quòd Euangeliſta habet ποτήειον, hoc eſt, poculum, quo potari ſolet, verbum genericũ, & quo vtitur Ambroſius in Paulum: vnde verbum potandi deducitur. Calix verò à voce Græca deriuatur κύλιξ, ſecundùm Macrobium; vel à fundendo, hoc eſt, ἀπὸ τῦ χύειν; vel à rotunditate, quaſi κόιλον, vel ſi Varroni fides eſt præſtanda, à calida aqua, quæ illo genere poculi bibebatur; vel ſecundùm Iulium Pollucem, poculum erat, quod poſt remotam menſam & lotas manus exhibebatur. Et tale vas fuit iſtud, quia erat cœna finita, & abluti etiam pedes Apoſtolorum: cuius vocis ille meminit, qui dixit:

Ποτήειον Græcè quid.
Amb. in c. 11. prior. ad Cor. tom 5.
Calix Græcè Κύλιξ vnde dicatur.
Macrob. lib. 1. Saturn. c. 12.
Varro lib. 4. de ling Lat.
Iul. Pollux.

Fæcundi calices quem non fecère diſertum?

Hor. 1. epiſt. 4
In Eccleſia vox calicis, non poculi cur retenta.

Et fortaſſis in Eccleſia retenta eſt vox calicis, quia poculum eſt rotundum, & funditur ex eo in ora credentium, & ſanguinem Chriſti calore charitatis feruentem continebat. Vas verò ipſum, quo Dominus conſecrauit, aſſeruatum eſſe tradunt quidam Valentię in Hiſpania, vbi oſtendi & ſpectari religioſè ſolet à fidelibus.

Quomodo verum ſit Chriſtum acceptiſſe hunc ſignatum calicem.

Deinde dubitari poteſt, quomodo verũ ſit, Chriſtum accepiſſe hunc ſignatum calicem. Reſpondeo, quòd quemadmodum vnus eſt panis vitę, & vnum & idem corpus Chriſti, & vnum & idem altare; ita vnus eſt Chriſti ſanguis, & vnum poculum illud continens. Et ſicut in illo pane, quem benedixit, accepit omnes panes, quos Sacerdotes poſtea benedixerunt, & in ſeculum vſq; benedicent: ita vnus eſt, & idem calix, & in illo ſuo omnes calices accepit, vt idem fiat in noſtris, quod in illo ſuo, ſicut ſuperiùs expoſuimus. Odo autem Cameracenſis, ſic interpretatur hæc verba: *Ea enim fide quotidie accipitur benedicendus, vt modo fiat, quod tũc futurum erat; & quia hæc fides vna tota eſt Eccleſia, & ille vnus, cui tũc, & modò offertur. Et ideo calix cùm accipitur, etiam ante verba diuina eſt vnus: ſicut omnium Eccleſiarum altare dicitur vnum, quia in eo ſecundum vnam fidem, vnum Dominici corporis offertur quotidie ſacrificium.*

Altera ſolutio.
Odo Cameracenſ. Epiſc. in canone Miſſ.

Calix pręclarus cur dicitur à Propheta.
Quales olim calices eſſent in Eccleſia.

Pręterea dicitur pręclarus calix: quod videtur ſumptum ex Pſalmo 22. vbi dicitur: *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* Non quidem propter materiam auream, vel argenteam, cum aliquádo fuerint calices, aut vitrei, aut fictiles, aut lignei; ſed quia continet rem præclaram, ac pretioſiſſimam, nimirùm Chriſti ſanguinem, qui infinitæ eſt ſatisfactionis, & cum infinito merito fuſus ad Dei gloriam, & noſtram ſalutem: offerturque præclaræ maieſtati diuinæ, vt in canone dicitur. Poſtremò præclarus dici poteſt, reſpectu calicis Melchiſedec, & libaminum omnium, atque adeo vniuerſi ſanguinis animalium, qui in lege offerebatur in huius typum & figuram.

Sanguinis Chriſti efficacia.

Ad hæc addit Eccleſia Græca: *Et permiſcens ex aqua & vino.* Quia enim Chriſtus temperantiæ omnis, & ſobrietatis extitit exemplum, vinum purum, & potentiſſimum, quale eſt in regione illa Iudææ calidiſſima, non eſt veriſimile illum potaſſe. Nam Sapientia in Prouerbijs id prædixerat: *Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* B. Hieronymus in quæſtionibus (ſuper Paralipomenon) Hebraicis; circa illud quod aquam Domino libauit: *Notandum*, inquit, *quod vinum, quod Deo in ſacrificium offerebatur, aqua mixtum erat.* Voluit etiam in eo ſignificari fluxum ſanguinis, & aquæ: vt multi Patres tradunt in illa verba, præſertim Auguſtinus, & Chryſoſtomus. Item figurare voluit vnionem populi fidelis per hoc Sacramentum cum Chriſto, nam aquæ multæ, populi multi: petraque percuſſa in deſerto reddidit aquam, & bibebant, vt Apoſtolus ait, de ſpiritali conſequente eos, petra; Petra autem erat Chriſtus. Audi etiam quid de re hac ſtatuat Chriſti Martyr Cyprianus: *Sic verò calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur, quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi vtrumq; adunatum fuerit, & copulatum, & panis vnius compage ſolidatum.* Et infra: *Et ideo frater charißime, ſi quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſeruauit, & tenuit quod nos Dominus facere exemplo, & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi: nobis verò non poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti, & inſtructi ſumus vt calicem Dominicum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Hæc ille. Accedit etiam vniuerſalis Eccleſiæ tam Latinæ, quàm Græcæ conſuetudo, quæ verbo, & facto id præſtat. Nam parum aquæ admiſcetur vino, quæ mox in vinum naturali virtute conuertitur, vt docet B. Thomas. Propterea modicum debet eſſe vt quidam conſulunt. Hinc Honorius ad quendã Archiepiſcopũ (& habetur extr. de celebr. Miſſa. c. Perniciosus.) *Perniciosus*, inquit, *in tuis partibus inoleuit abuſus, videlicet, quod in maiori quantitate de aqua ponitur in ſacrificio, quam de vino, cùm ſecũdum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum.* Et in eodem titulo, capit. cum Marthæ, §. quæſi-

Quædam canoni adiecta.
Quibus de cauſis, vt ratio nis eſt credere, Chriſtus vinum aqua commiſcuit.
Prou. 9.
B. Hieron. tom 3.
1. Paral 11.
Vinum Deo in ſacrificiũ oblatũ ſolũ aqua mixtum erat.
II. ratio.
Ioan. 19.
III. ratio.
Apocal. 16.
Exod. 17.
1. Cor. 10.
Cypr. lib. 2. ep. 3. aliquanto poſt med.
Vſus Eccleſiæ.
S. Tho. 3. p. q. 74. a. 8. to 11.
Honorius Papa.
Vinum conſecrandum quatenus aqua diluendum.
Abuſus quorundam reprehenditur in hac parte.
Idem.

quæ ſimili, etiam refert quoſdam ſenſiſſe, quòd ſicut vinum cõuertitur in ſanguinẽ, qui fluxit de latere Domini; ita & aqua cõuertatur in aquam, quæ cum ſanguine fluxit ex eodem latere; alios verò tenere, quòd ſicut aqua vino mixta tranſiens in vinum, ſimul cum vino tranſubſtantietur in ſanguinem Chriſti; alios rurſus, eò quòd Phyſici aſſeuerent aquam non tranſire in vinum, ſed eam iam vino mixtam poſſe per artificium rurſum ſeparari à vino, putare aquam nec in ſanguinem tranſire, ſed nec in alteram aquam, ſed per ſe manere, vino conuerſo in ſanguinẽ, & circumfuſam prioribus vini accidentibus conſiſtere. Inter quas opiniones cùm nullam reijciat, probabiliorem tamen illam eſſe docet, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari. Quæ ſententia poteſt conſiſtere etiam eo dato quod Phyſici dicunt, aquam vino mixtam non conuerti in vinũ. Si verò quis per obliuionem in ſolo vino conficiat, non eſt dubium eum conſecraſſe.

Ioan. 19.
An in Sacramento altaris aqua cum vino tranſubſtantietur in ſanguinem, variæ opiniones.

An qui per obliuionem in ſolo vino conficit, Euchariſtiam, conficeret.

Lutherus verò impius in aliud extremũ inclinans, cenſet aquam vino minimè miſcendam eſſe, vocans mixtionẽ aquæ cum vino, figmentũ merè humanum, & ſiniſtræ ſignificationis, eo quod in malam partẽ ponitur in Scripturis eiuſmodi mixtio, vt cũ dicitur: *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* Inſurgit porrò in hanc falſam ſententiã Cyprianus ſcribẽs ad Cæcilium, quem ſuprà produximus, qui ex diuina reuelatione, & pręcepto aſſerit ſe id accepiſſe. Peccatum ergo eſſet, ſi quis ſcienter ſolum vinum, ſicut ſi ſolam aquam cõſecrare tentaret: quemadmodum hęretici, ſobrietatis imagine decepti, & ab hoc errore dicti Grecè Hydropaſtæ, & à Latinis Aquarij, faciebant: vt tradit Theodor. in compend. hęreticarum fabularum, & Aug. lib. de hær.

Qua ratione ductus Lutherus ſenſerit, negat vinum aqua miſcendum, in ſacrificio Miſſæ.
Eſai. 1.
Cypr. loc. cit.

Hydroparaſtæ hæretici, vel aquarij, cur ſic dicti.
Theod. l. 1. hæret fab. to. 2.
Aug. l. de hær. num. 64. tom. 6 prope init.

Quod ergo Cyprianus in epiſtola dicta ſcripſit; quòd ſicut offerri aqua ſola nõ poteſt, ita nec vinum ſolum poteſt: intelligendum eſt neutrum ſine peccato ęquè omitti poſſe, vel ſine hæreſi, ſi exiſtimet mixtionẽ illam eſſe illicitã & malam, vt Lutherus putauit. Vtrumq; ergo eſt neceſſarium ad ſignificandũ myſterium: licèt qui ex negligentia, vel malitia aquam omitteret, grauiſſimè peccaret, conficeret tamen, ſicut etiam hæreticus. Similiter ſi quis plus aquæ, quã vini apponeret, ita vt nullus, vel tenuiſſimus ſit vini ſapor, nihil efficeret. Vinum autam quodcunque idoneum eſt ad conſecrationem, ſiue vetus ſit, ſiue nouum, id eſt, muſtum, ſiue acidum, quod ſcilicet declinat in acetum: ſecus ſi quis in puro aceto conficere tentaret, vel in hydromelle, ſiue medone, vel mulſo, hoc eſt ὑδρόμελι, vt temerè definiuit Melanchton. Similiter perinde eſt, ſiue vinum ſit magnum, ſiue paruum, ſiue album, ſiue nigrum, dummodò ſit ex genimine vitis. Si verò in vino cõſecrato aliud vinũ infundatur; hoc non tranſit in ſanguinem, nec illi admiſcetur, ſed accidentibus prioris vini, quæ tantùm tãgit, commiſcetur, & corpori, quod ſub eis deliteſcit, vndiq; circumfunditur, non madefacit circumfuſum: quanquã aqua pura calici conſecrato appoſita vini ſaporem aſſumat; hoc eſt quia accidentia permutãt ſubiectum, quemadmodum ſubiectum ſolet permutare accidentia. Cæterùm illa ratio, quòd aqua communis per aquæ benedictę contactum reddatur benedicta, ita vinum commune per Sacramenti contactum efficiatur ſacrum, & benedictum, ac proinde tranſeat in ſanguinem; firma non eſt, neq; in hoc Sacramento locum habet, vt docet Innocentius III. lib. de myſterijs Miſſæ. Eſt autem danda opera, vt optimum & purum vinum, optimus & purus panis pro materia tanti Sacramenti quærantur. Nam ſi olim Deus in ſacrificium nõ acceptabat animal cœcum, aut claudum, aut ſcabioſum, ſed exigebat ſibi exhiberi ſimilam puriſſimã & oleum puriſſimum oliuarum, quanto magis æquum eſt, vt ad confectionem Euchariſtiæ ablegetur panis mucidus, aut niger, vinum vanum, ſiue acetoſum? Hinc Dominus per Prophetam Malachiam queritur quòd offerrent illi panem pollutum, & ait: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malũ eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum, nõne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam dicit Dominus exercituum.* Hæc dixerim propter nonnullos Sacerdotes, qui menſam altaris ſordidis mappis, & alijs ad ſacrificium neceſſarijs immũdis planè, & horrorem ijs qui ſpectant, gignentibus habere ſolent, vt fide prorſus tanti Sacramenti deſtituti videantur, vel menſæ ſuę profanæ maiorem rationem habere, quàm ſacræ.

Illud Cypriani: Sicut aqua ſola, ita nec vinum ſolum poteſt offerri: quomodo accipiendum ſit.

Vinũ quod idoneum cõſecrationi.

Melanchtonis impium dogma.

An ſi vino cõſecrato aliud vinum infundatur, hoc tranſeat in ſanguinem, & conuertatur.

Innoc. III lib. 4. Myſt. Miſſ. cap. 31.
Qualis panis & vinum deceant Euchariſtiæ confectionem.
Leuit. 22.
Infra 24.

Malac. 1.

Sacerdotum quorundam circa Domini menſam abuſus, & negligentia notatur.

Sequitur: *Et accipiens calicẽ, gratias egit.* Id eſt, gratijs Deo actis ſanctificauit calicẽ, ac benedixit, & benedictione mutauit ſubſtãtiem vini mixti in ſanguinẽ Chriſti: ſicut in Cana Galilææ aquã mutauit in vinũ, & ſub Noſe petrã conuertit in aquã, & aquam in ſanguinẽ, iuxta illud: *Cõuertit in ſanguinẽ flumina, atq; vxor Loth in ſtatuam & petram ſalis.* Erat enim ſermo Dñi in poteſtate dicẽs, & faciens, q̃a non erat impoſſibile apud eum, q̃ Deus erat, omne verbũ. Quod benedixerit calici per metonymiam intelligendũ eſt per quã continẽs pro contẽto vſurpatur, & vaſcu-

Quid eſt: Et accipiens calicem, gratias egit.
Ioan. 2.
Exod. 17. & 1. Cor. 10.
Pſalm. 77.
Exod. 7.
Gen. 19.
Luc 4.
Supra 1.

Deut. 32.

vasculum pro liquore vini in vase posito. Sicut cùm Moyses dixit: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei:* per cœlos, cœlites illos spiritus: & per terram, terrenos homines intellexit. Ita hîc calicem pro vino cõtento in calice: nec enim Dominus ipsi benedixit, aut illud dedit bibendum, sed liquorem in eo contentum. Multis autem verbis B. Iacobus in Liturgia sua hunc actum benedictionis expressit, dicens: *Gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto: quæ omnia verba vim benedictionis mysticæ nobis declarant.*

Cur Christus dixerit: Bibite ex hoc omnes.

Dicens, Bibite ex hoc omnes. Hoc dictũ fuit à Christo; ne fortè vnus totum hauriret poculum. Voluit ergo ex vno calice, & ex eodem vino sacro omnes gustare, ad commendandam charitatem, pacisque vnitatem. Panem verò, cùm tradidit, non dixit: *Manducate ex hoc omnes*, quia panẽ sanctum in totidem buccellas, fragmentave diuisit, quot erãt ipsi Apostoli manducaturi. Quãquam ipsa Ecclesia Latina explicandi gratia dixerit: *Accipite, & manducate ex hoc omnes.* Sed hoc verbum Ecclesia Græca in suis Liturgijs nõ accepit. Et cũ olim antè Christum esus, aut potus cuiuscunq; sanguinis prohiberetur: Christus suum porrigit sanguinem, nobisque bibendum propinat. Olim inter Paganos qui se inuicem arctiori amicitiæ, seu fœderis vinculo ad aliquod opus, siue bonum, siue malũ copulare volebant, de vasculo in quo sanguis humanus repositus erat, gustare solebãt: vt Scythæ in more habebant, & coniurantes cum Catilina ad euertendam Romanam rempubl. fecisse, historijs est proditum. Ad eum modũ Dominus nos indiuiduo, & fortissimo amoris nexu non tantùm secum, sed etiam cum fratribus coniungere ad Euangelium per vniuersum orbẽ propagandum, & pro ad sanguinem vsque decertandum, nosq; inuicem copulatos ita confirmare voluit, vt omnes magnum opus moliremur, qui Christo nomen damus: nempè debellare Satanæ vires, mundiq; terrores, ac machinas in nos insurgentes infringere, & carnis violentissimas, ac molestissimas cupiditates, & blandissimas voluptates peruenire: ad quæ tam ardua facinora gloriosè pręstãda, de quo pretiosissimo sanguine, qui non tãtùm humanus est, sed etiam diuinus, potare nobis præcepit. Et vt Gentiles suo poculo suasu Satanæ potantes nonnisi ad humana, vel interdum diabolica præstanda accingebantur; ita qui de Christi calice bibunt, ad diuinas actiones, quibus, tùm homines, tùm dæmones superare valeant, & admoneantur, & p̄muniantur. Sanguis etiam olim pro anima ducebatur; quare ne ederent in carne sanguinem, id est animam, vetabantur: nunc vtrumq; sumimus: quia etiamnum animã informare debemus, vt capax fiat diuinitatis. Antiqui carnalẽ tantùm & externam hostiam interficiebant, ideò belluæ in sacrificijs immolabãtur, quia vt dici solet, lex manum tantùm, non animam reprimebat. In Nouo verò Testamẽto homo interficitur, vt non solùm caro, sed etiam ratio mortificata in sacrificium Deo offeratur, vt nobis spiritum ille suum tribuat, pro eo quod nos totum nostrum illi tribuimus: nos enim, nisi nouum in Christo accipiamus, veterem non ponimus. Vt ergo per qualitates ciborum temperatura, affectus animorũ mutantur: ita sæpè Christum edendo, caro, & spiritus noster præsertim in spiritu & fide, carni Domini Iesu, & Spiritui similis efficitur, atq; adeò Iesus ipse: itaque nos diuinitatis capaces efficimur, & per diuinitatis vnionem facilè nos in se commutat, & sine vlla mora. Christus se dedit in cibum & potum; vt omnes habeant quod desiderant, ne si corpore Christo viciniores, feliciores haberentur, inuidia quædam oriretur. Ideo in cibo, & potu, in memoriam mortis suę, manere nos omnes voluit; quia sic nobis magis expediebat: & in hac specie, in qua sola fides iudicaret; vt sic sola frueretur suo Spõso, & ne sic fieret adultera, si oculi, aures, gustus, atque alij sensus aliud perciperent. Vt si amãs secretè sponsam adeat, toto eo fruatur spõsa: at verò vbi apertè, ibi amicis multa impartitur, q̃ subtrahit sponsæ. Mirificum aũt facit amoris argumentum, totum suum nobis sanguinem porrigendo. Fertur Cleopatra Ægypti Regina, ingentem multorum millium sestertiorum cœnam M. Antonio promisisse: quam non multo pòst exhibuit, summi valoris gemmam aceto liquefactam sorbendam præbens, in amoris singularis monumentum. At (si magna & sacrosancta licet componere paruis) Christus, q̃ verissimã, & ardenti charitatis flamma excellebat, non gemmam aliquam terrenam, & aceto liquefactam, sed sanguinem, infiniti pretij thesaurũ cum diuinitate cõiunctum exhibuit. Cumque homines in testimonium, pignusq; amoris dicere soleant: Darem pro te tot sanguinis vncias: solus Christus, & polliceri, & præstare voluit, ac potuit. Vni ergo nos Christo dedamus, vni inseruiamus, vni sanguinem nostrum dedicemus, vni illi, qui nobis vixit, & mortuus est, & viuamus, & moriamur; vt pro terrena cœlestem, pro humana diuinam, pro tẽporali sempiternam vitam consequamur,

præstan-

Margin notes:

Quare Christus panem sanctum cũ tradiderit, nõ dixit: Edite ex hoc omnes, sicut de calice.

Gen. 9. Leuit. 3. Deut. 12.

E vasculo humanum sanguinem olim qui bibere solebant.

Dominici sanguinis nobis potus diuinus quid conferat.

Cùm sanguis olim edi in lege sit vetitus, cur nos nunc carnem cũ sanguine comedamus.

Noui Testamenti conditio.

Christus cur se in cibum & potum, & in specie panis & vini tradiderit.

Simile.

Plin. lib. 9. natur. hist. c. 35. in fine.

Eucharistiæ diuinissimũ munus quale extiterit Domini Iesu erga nos amoris symbolum.

Christo quicum debemus, & quid ab eo spectandum.

præstante eodē Domino nostro Iesu Christo,cui cūm Patre,& Spiritu sancto sempiternas laudes, & gratias pro tam diuino munere immortales agamus in perpetuum,Amen.

TRACTATVS XV.

In illa verba : *Hic est enim sanguis meus Noui Testamenti,qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis,non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei,* Matth.26.Marc.14.Lu c.22.1. Corinth.11.

Scopus autoris.

EXaminanda sunt atque tractanda verba, quibus Dominus calicem confecit. Verbis autem B. Matth. Marc. adiungit:*Et biberunt ex illo omnes.*Lucas verò paulò aliter narrat;ait enim: *Similiter & calicem postquam cœnauit,dicens; Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo,qui pro vobis fundetur.*Paulus autem aliquid amplius adiungit:subdit enim post dicta verba Lucæ: *Hoc facite quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Liturgia verò B. Iacobi Apostoli in hunc modū habet:*Hic est sanguis meus Noui Testamēti,qui pro vobis,& pro multis effunditur,& datur in remissionem peccatorum.*Et postquam respōdit populus:*Amen,*subiungit Sacerdos: *Hoc facite in meam commemorationem: quotiescunq; enim comederitis panem hunc,& hunc calicem biberitis;mortem Filij hominis annunciatis,& resurrectionem eius confitemini,donec veniat.*Hęc omnia sunt nobis præsenti tractatu explicanda. Quanquam Dominus cùm sub specie panis corpus suū porrexerit, per naturalē vnionem aderat sanguis,anima, ac diuinitas:non enim dedit corpus exangue, aut inanimum,aut hypostasi diuinitatis Verbi destitutum. Ita quoque licet ex vi verborum sub specie vini porrexerit sanguinē, naturali tamen vnione coniunctum erat cū corpore,anima,ac diuinitate : non enim erat sanguis extra vas suum,neq; sanguis mortuus,sed viuus,neque expers diuinitatis: vt ex his accipias, sub qualibet specie Christum integrum contineri,& sumi.

In Eucharistia quæ contineantur omnia etiam sub qualibet specie.

Iam verba singula diligentius expendamus:ait enim Matt.*Hic est enim sanguis meus Noui Testamenti.*Perpende in primis coniūctionem(*enim*)quę habetur in Matthę, & quæ ex hoc loco in Canone Missæ adiecta est in cōsecratione panis.Reddit autem rationē eius quod dixit:*Bibite ex hoc omnes.*Et videri posset absurda ratio, & potius adducens ad non bibendū:quàm ad bibendum: quia sanguis erat.Sanguinis .n. potus horrore plenus est,& in veteri lege sæpius interdictus,sed tollitur absurditas, si cogitemus Dominum in his verbis respexisse ad ea,quæ olim dixerat de necessitate, & vtilitate potandi suum sanguinem, dixit enim : *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis,& biberitis eius sanguinem,&c.* quasi diceret:*Bibite ex hoc omnes*:nam hic est ille meus sanguis, quem qui dignè bibunt,habebunt secūdū promissionem meam vitam æternam. Cur verò in lege prohiberetur esus sanguinis,& in Euangelio præcipiatur, egregiè docet Cypr. serm. de Cœn.Dom. Nam in abstinentia illius sanguinis designata est vita spiritualis,& rationalis à beluinis moribus aliena:Bibim' verò de Christi sanguine humano pariter ac diuino; vt intelligamus p eius gustum ad æternę,ac diuinę vitę participium nos vocatos.

Matth.26. Particula enim,cùm dicitur:Hic est enim san-guis meus, &c. perpenditur.

Quare sanguinis Christi potus minime absurdus,& horribilis videri debeàt. Gen.9. Leuit.3. Deut.12. Ioan.6.

S.Cypr. Cur in veteri lege sanguinis esus prohibitus,in noua præceptus sit.

Deinde expende Gręcè haberi τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου:quod posset verti non solùm pronomine masculino,vt vertit Interpres, sed etiam neutro,hoc modo. Hoc est sanguis meus. Quæ lectio cōueniret magis cum eo quod præcedit:*Bibite ex hoc omnes,*vt iam eiusdē generis pronomen subijciatur, dicēdo,Hoc est enim sanguis meus, queādmodùm aliqui legunt in Cyprian. in epist. ad Cæcilium:pronomen neutrum demōstrat indeterminatam substātiam contentā sub speciebus.Non tamē malè vertit Interpres ponendo Hic pro Hoc. Nam filijs Israel interrogantib' de māna. Quid est hoc? respondit Moyses:*Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum* : cùm esset dicendum,Istud est panis,&c.

Hæc Græca lectio, Hoc est Sanguis meus explicatur.

Idem l.2.ep.3

Exod.16.

Tertiò perpende,addi sanguini pronomen,meus,ad distinctionem huius sanguinis diuini ab alio sanguine animalium,quē nec edere,nec licebat bibere. Porrò ob additum illud pronomē, duriusculè cohæret cū substātiuo sanguis Genitiuus Noui Testamenti,quod in Græcis vitatur per præpositū articulum τὸ,qui facit vt nomē sanguis repetat,hoc modo:Sāguis inquā, Noui Testamenti,quod additum est ad distinctionem eius sanguinis de quo Moyses dixit:*Hic est sanguis fœderis,quod pepigit Dominus vobiscum*:ad quæ verba hic allusit Domin'. Et ibi pro fœderis LXX.habēt διαθήκης.Dicitur autem propria Scripturæ phrasi, sanguis fœderis,vel Testamenti sanguis, quo fœdus aliquod cōfirmabatur. Est ergo sensus verborum Domini: Hic meus sanguis

Quare Domin' inquit: Hic est Sanguis meus.

Exod. 24.

Sanguis fœderis,vel Testamenti in Scriptura propriè qui dicatur.

nouæ legis, ac proinde æternæ hæreditatis confirmator,& ſancitor eſt: nam ſi nos in alijs omnibus confirmat ſanguis teſtamẽti etiam coactè effuſus; quanto magis in Chriſto ſpontè fundente ſanguinem, vt ſtabiliatur Euangelium,& promiſſa eius ęterna confirmentur? Nam teſtamentum hoc loco accipi poteſt,aut pro lege Euãgelica,quæ Veteri legi opponitur; aut vt rem teſtamento legatam teſtatamve ſignificat: quemadmodum hæres dicere ſolet; hic fũdus eſt teſtamentum Patris mei:id eſt, portio hæreditatis à Patre meo legata. Et in hunc ſenſum loquitur Apoſtolus de Chriſto: *In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus*,id eſt,melioris hæreditatis: quemadmodum promiſſio ſignificat rem promiſſam,& oblatio rem oblatam, iuxta illud: *Sed vt expectarent promiſſionem Patris*, id eſt,Spiritum ſanctum à Patre promiſſum, & alio loco: *Vt morte intercedente, &c. repromiſſionem accipiant,qui vocati ſunt,æternæ hæreditatis*; Et, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam,adepti ſunt repromiſſiones*,id eſt,præmia promiſſa. Ita etiam idem Paulus ſpem accipit pro re ſperata,cùm ait: *Expectantes beatam ſpem,& aduentum gloriæ magni Dei*.Ita ſumitur oblatio pro re oblata,ſecundùm illud: *Sacrificium, & oblationem noluiſti*.Vt igitur ſymbolicè per metonymiã, calix ſignificat rem in eo contentam; ita teſtamentum rem in eo legatam: quam ſanguinis effuſio,quæ indicium eſt mortis, dicitur confirmare,quatenus mors confirmat teſtamentum. Nam dum viuit qui teſtatus eſt,ſemper poteſt aliter diſponere, & voluntatem mutare:vt docetPaulus in epiſtola ad Hebræos. Eſt autem, ſi propriè loquamur,teſtamentum,vltima voluntas teſtatoris legãs bona hæredibus. Vetus illud teſtementum de terra Chanaan, & bonis temporarijs quibuſdam diſponebat filijs Iſrael dandis:quod quidẽ teſtamentum ſiue pactum,firmatum fuit ſanguine vitulorũ, vt lib. Exod. tradit, Omne enim pactum, ſeu teſtamentum,ſuum habet ſanguinẽ:vnde nec Sacramentum circumciſionis Abrahæ,ſine ſanguine eius fuſo fuit: & Abrahã oblatis ouibus, & bobus,cum Abimelech, & Phichol fœdus percuſſit; id eſt boues, & oues percuſſit in fœdus: vt in Geneſi dicitur. Adhæc Iacob fugiens Laban,& in Galaad comprehenſus, fecit iuramẽtum cum auũculo ſuo Labã, & immolauit victimas: vt idem liber Geneſis refert. Ita etiã apud Gentiles fœdera nõ ſine ſanguine percutiebantur:hinc illud apud Poetam:

Stabant,& cæſa iungebant fœdera porca;

ad ſignificandum cũ qui fœdus percuſſum violaret, digna morte à Deo eſſe plectẽdũ. Proinde Nouum Teſtamentum, quod eſt diſpoſitio hæreditatis æternæ, ſiue cœleſtis regni,de quo dixerat: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnũ,vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam,in regno meo*, id eſt, tum in Eccleſia militanti, in qua eſt menſa Chriſti parata filijs ſuis, tum etiam magis completè in regno cœleſti,& mẽſa gloriæ. Decebat igitur,vt hoc tantùm teſtamẽtum aliquo ſanguine firmaretur; at quis potuit æterna,& diuina bona in cordibus noſtris ſtabilire,niſi ſanguis Ieſu Chriſti Dei & hominis.

Lucas verò,atq; B.Paulus aliter formam conficiendi ſanguinem tradunt,nimirum, *Hic eſt calix Nouũ Teſtamentũ in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Alij enim Euangeliſtæ in verbis conſecrati ſanguinis, calicis haud meminere: quia proponebant ſignificare virtutem ſanguinis Chriſti in cruce effuſi, Lucas cum Paulo calicem explicatũ à Chriſto commemorat:quòd intenderent virtutem vſus Euchariſtię ſub ſpecie potus exprimere.Calix enim,poculum ad vſum bibendi ſonat. Et licet varia ſit virtus ſanguinis Chriſti in cruce effuſi,atq; illius qui in Euchariſtia ſumitur:idẽ tamen eſt ſanguis.

Malè etiam ex his verbis colligit Lutherus,ſuſcepturo Euchariſtiam,non opus eſſe per contritionem,& confeſſionem prius purgari de admiſſis peccatis, ſed ſatis eſſe credere promiſſioni Chriſti de remiſſione peccatorum per Euchariſtiæ Sacramẽtum obtinenda:ſic arguens:Nouum Teſtamentum eſt promiſſio remiſſionis peccatorũ: ſed calix Chriſti, & ſanguis eius, Luca, & Paulo teſtibus,eſt Nouum Teſtamentum; eſt ergo calix Chriſti pmiſſio remiſſionis peccatorum;ideo per eius cum fide ſumptionem obtinetur remiſſio, & non eſt opus vt præcedat illa contritio, & confeſſio. Sed reſpondemus, eam locutionem: *Hic calix nouum Teſtamentum eſt*, non poſſe in proprio ſenſu accipi,ſed in eo,quem clarius Matth. & Marc.ponentes in Genitiuo indicant. Si enim eſt ſanguis Noui Teſtamenti,ergo nõ eſt Nouum Teſtamẽtum, ſicut nec ſanguis vitulinus fuit vetus Teſtamẽtum. Item potorium illud vas,aut ſynecdochicè ſanguis in eo contentus nõ eſt Nouum Teſtamentum,quia Luc.& Paulus dicentes: *Hic calix Nouum Teſtamentum eſt*, adiungunt,in meo ſanguine. Quod ergo ſubdit in nominandi caſu,Nouum Teſtamẽtum (ſi:ne intelligas formaliter,quaſi calix ſit lex Euãgelica, ſiue Nouum Teſtamẽtum,aut ſi res legata in hoc teſtamento.Subeſt autem in his verbis duplex metonymia: prima, qua continens

Illud: Hic eſt ſanguis meus Noui Teſtamenti, quid ſignificet.

Hebr. 7.

Act. 1.

Apoſtoli promiſſionem Patris quam expectarent.

Heb. 9.

Infrà 11.

Tit. 2.

Pſal 39.

Heb. 9.

Teſtamentum propriè quid ſit.

Exod 34.

Gen. 17.

Infr. 21.

Infrà 31.

Antiqui ritus ſanguine fœdus percutiendi cauſæ.

Virg. lib. Æn.

Nouum Teſtamentũ quid ſignificet.

Luc 22.

Regnũ Chriſti quod.

Nouum Teſtamentum quo ſanguine decuerit confirmari.

Ibidem.

1.Cor. 11.

Cur Matt. & Marc. in verbis conſecrati ſanguinis nõ meminerint calicis,ſicut Lucas & Paulus meminerunt.

Calix quid ſonet.

Quo ſophiſmate Lutherus,ſtultus & impius oſtẽdit non contritione & confeſſione purgandum eſſe ad Euchariſtię ſumptionem.

Diluitur duplicis huius ſophiſma.

Cum dicitur: Hic eſt calix Nouũ Teſtamentum in meo ſanguine,vt ſit accipiendum.

ponitur pro contento,id est,poculum,siue calix pro vino,eò quòd vinum in ipso cōtinetur;altera est,qua contentum in poculo,id ,st,sanguis,sub specie vini fœdus, vel Testamētum dicitur Nouum, cùm sit eius symbolum propter species, & cōfirmator, siue sancitor propter ipsam rē. Nec ab hac loquendi ratione abhorret Homerus, qui proponens fœdus inter Græcos & Troianos certis ceremonijs sancitum, agnos duos,& vinum vocat fœdera, his verbis:

Ho.l.3. Iliad.

Κύρηκες δ' ἀνὰ ἄςυ θεῶν φέρον ὅρκια πιςὰ
Ἄρνε δύω χαρίνον ἐυφρονα, καρπὸν ἀρούρης
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ.

Hoc est:Præcones circa ciuitatem deorum ferebant fœdera fidelia,agnos duos, & vinum lætificās terræ fructum in vtre caprino.Sicut ergo ibi dicuntur agni duo,ac vinum,quibus initum est fœdus, fœdera ipsa:ita hic Christi sanguis sub specie vini delitescens,fœdus nouum, siue testamentum dicitur,quia illud confirmat.

Quid hic somniauerit Beza hæreticus nostri sæculi scriptor.

Stultum autem est,quod contendit Beza, panem,& vinum esse symbola, & tesseram pacti noui. Nos autem nō species ipsas externas,sed q̄ intus delitescūt,Corpus Christi,&verum sanguinem dicimus esse illa instrumenta,quib⁹ initum est nouū pactum de æterna hæreditate. Illud porrò intolerabile,quod idem scribens,in illud Luc. 22.τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, corruptum esse cōtēdit;cùm hęc verba,si ad constructionē spectes,nō ad sanguinem:sed ad poculū,quod Græcè dicitur ποτήριον,& neutrius generis, referenda sint,neq; tamen de vino,neq; de poculo intelligi possint. Manifestū est, ait, solœcophanes,cùm dicendū fuisset in Datiuo τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, vt legit Bas. in Ethicis ὅρικα,aut potius cùm essent ad marginē annotata ex Matthæo,aut Marco,posteà in textum irrepserunt. Quod eo facilius factū est;quod cùm in superiori versiculo adscriptū esset τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, simile quippiam esset adijciendū, vbi agitur de sanguine.Sed nec hoc additur apud Paulum,qui tamē videtur ex hoc loco Dominicę cœnę institutionē accepisse. Neq; caussa est,cur Lucas solœcophanes vsurpauerit.Hactenus Beza,qui non iudicat esse corruptum,nisi id,quod eius sententiā impugnat. Et sibi manifestè contradicit, nam affirmat omnes vetustos codices habere,calicem,siue poculum effundi pro nobis; at qui alij possunt esse hi codices,nisi sacri libri?Ergo &ab Ecclesia recepti. Etsi omnes conueniebant,& vetusti erant, quomodo poterant esse corrupti? Habebant ergo illi, calicem,id est,liquorem contentum in calice,pro nobis effundi:ex quo efficitur, necessariò liquorem illum,id est, sanguinem

Aliud somnium eiusdē Bezæ intolerabilius eluditur.

Bas.in Eth. regul.21.c.3.t.2

Dominicæ cœnæ institutionem Paulus vnde acceperit secundum Bezam.

Domini fuisse in calice Domini contentū. Et ita idem est calix,& sanguis apud Luc.q. ait:*Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo*:quia etsi differant casu, poculum de quo agitur,sanguinem cōtinet: quod si creditur,opinio Bezæ stare non potest.Sed respondet,primò esse solœcismū, quo rectus casus pro obliquo ponitur,id est, ἐκχυνόμενον pro ἐκχυνομένῳ. Cur ergo, si solœcismū vsurpauit ipse Beza,vertit: Hoc poculū est illud Nouū Testamentū in meo sanguine, qui pro multis effunditur: cùm vertēdum fuisset,quod pro vobis effunditur, cū participium ad sanguinem referatur, vt Lucas voluit?Et cùm ipse admiretur cur Lucas vnum casum pro alio posuerit, interim ipse Euangelium peruertit:tamē si Lucas id fecisset,quod non credit Beza, nonne seipsum suo calamo damnasset?

Luc. 22.

Bezæ argumenta soluuntur.

Bezæ impudentia,temeritas.

II. argum.

Deinde allegat, hæc verba ex margine in textum irrepsisse.Quod si admittitur,qs vllam sententiam Euangelicā sartam tectā præstabit?Et hāc leuissimam coniecturam ipse forti ratione conuellit,dum ait,omnes vetustos codices sic habere: magis autē est credendum omnibus codicibus vetustis, q̄ mille rationibus hominum. Quod Basiliū adducit dicentē Christi sanguinem pro nobis fundi:verum est.Sed non negat Euāgelium asserere,calicem, vel poculum fundi pro nobis.Et Euth.diligēter annotauit dici poculum effundendum pro nobis: & cū non possit intelligi de vini poculo; ergo de sanguine in poculo cōtento. Nō ergo post benedictionem manet vini substantia, sed sola sanguinis Christi substantia.

Antiquis codicibus multis inuicem cōsentientib. quanta fides habenda.

III. argum.

Euth.c.64.in Matt.

Est igitur verus verborum Domini sensus(vt ad textum redeamus:)*Hic calix Nouū Testamentum in sanguine meo*, scilicet confirmat,&sancit.Et quia Lutherus mirificè inuoluit proprias vocum significationes;statuendum est, testamentum promissionem esse morituri,qua nuncupat hæreditatem, & instituit hæredes.Cōtinet ergo testamētum,primum mortem testatoris, sed non vt rem legatam,vt vult Lutherus, sed vt testamenti approbatricem,ac confirmatricē. Ita enim Apostolus ait:*Testamentum enim in mortuis confirmatum est:alioquin nōdum valet, dum viuit qui testatus est.* Et paulò superius: *Et ideò*,inquit,*Noui Testamēti mediator est, vt morte intercedente,in redemptionem earū prævaricationum,quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* In Christo enim mortuo cœpit Nouū Testamentum habere effectū, quando latroni promissum præstitit paradisum, & Patres in limbo degētes sua visione beauit.Deinde testamentū continet hæredum

Verus sensus huius loci traditur.

Testamentum quid.

Tria cōtinet.

In Lutherum agitur in voce testamēti delirantem.

Heb. 9.

Quando primum Christi testmentum cœperit confirmari.

Luc.23.

Zach. 9. Heb. 9.

Quinam (iuxta Apostolum) vocati sint in repromissionem æternæ hæreditatis.

institutionem: & hi sunt qui vocati sunt in repromissionem æternæ hæreditatis: id est, gens euocata ad fidem, quę dicitur Ecclesia ad possidenda æterna bona. Tertiò, promissionem legatam, id est, ęternam hęreditatem; non autem remissionem peccatorũ, quæ morte Christi abolentur. Hinc iuxta Scripturas definiendo testamẽtum, erit lex noua à Christo lata, & eius sanguine obsignata: cuius professores cœlestis regni hæredes instituuntur. Quæ definitio omnes penè causas suas comprehendit: materiã quidem, quia dicitur lex; formam, quia noua; efficiens, quia à Christo lata: instrumentũ, quod sit eius sanguine obsignata; finem denique cùm professores eius testamenti, cælestis regni instituuntur hęredes. Quod autem testamentum legem significet, testantur Hieremias, & Paulus, dicentes: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum.* Et infrà: *Quia hoc est testamentum meum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.* At verò legem illam Dominũ promulgasse nõ chartis, & atramento corporeo, sed in cordibus auditorum, indubitatum est. Quod autem sanguine suo firmauerit, tradit Paulus: *Sicut Vetus sanguine hircorum sancitum fuit.* Vt igitur Vetus Testamẽtum, non est sanguis hircorum; sed lex illo sanguine firmata: ita nouum, non est sanguis Christi, sed lex eius sanguine sancita. Et sicut Moses cùm dixit: *Hic est sanguis Testamenti quod misit ad vos Deus*, supplenda est aliqua vocula quæ confirmationem innuat, nempe confirmator: ita cùm Christus dixit: *Hic est sanguis meus Noui Testamenti*, scilicet sancitor, constabilitorque. Christus præterea non dixit: Hic sanguis meus est Testamentum nouum; sed, *Hic calix Nouum Testamentum in sanguine meo*, scilicet confirmans, & ratum faciens.

Testamẽtum in Scripturis quid.

Quæ sit vera & perfecta definitio.

Quod testamentum legem significet.

Ierem. 31. Heb. 8.

Ibidem.

Quod Testamentum sanguine suo Christus firmauerit.

Exod. 24.

Quare Christus nõ dixit, Corpus suũ esse Testamentum.

Per Testamẽtum Nouum quid Christ' intellexerit.

Cur Matt. & Marcus dixerint in Genitiuo: Hic est sanguis meus Noui Testamenti; nõ autẽ in casu nominãdi, vt Lucas, & Paulus.

Innoc. III. l. 4. Myst. Miss. c. 28

Non dixit autem de corpore quòd sit Testamentum: quia sanguinis effusio indicium est mortis qua Testamentum confirmatur: & tamen si Christus voluisset intelligere sanguinem esse Nouum Testamentum, debebat non minus in corpore, quàm in sanguine Testamenti meminisse. Ergo per Testamentum Nouum, legem nouam, quæ veteri opponitur, intellexit; vel noua, & æterna promissa, quæ temporarijs, & terrenis bonis legis veteris opponuntur. Propterea ne quisquã sensum Lutheri accipere posset, Matthæus, & Marcus dixerunt in Genitiuo: quia sanguis ipse propriè nõ est Testamentum, vt Innocẽtius III. docet in cap. cùm Marthæ, de celebrat. Missarum, & Beda super Luc. 22. & Haymo in cap. 9. ad Hebræos. Sanguis ergo Christi non fecit nos hæredes nisi in spe, & per illum firmatur Testamentum, quod habet pactum remissionis peccatorum. secundùm illud Prophetæ: Et hoc illis à me Testamẽtum, cùm abstulero peccata eorum: non tantùm quatenus sanguis in Eucharistia est Sacramentum, sed etiam vt est sacrificium. Et vt Christi sanguis in cruce fusus confirmat remissionem peccatorum Veteris Testamenti, id est, vniuersa peccata, quæ antè susceptũ baptismum aliquis perpetrauerit: ita oblatus sanguis Christi Eucharistia confirmat remissionem peccatorum, eorum scilicet, quæ quis post baptismum susceptum admisit.

Beda in Luc. l. 6. c. 81. to. 5. Haymo. Esa. 59. Rom. 11.

Peruersè præterea Oecolampadius ex his verbis, quę impropriè accipi debet, elicuit, verbum, Est, accipiendum pro significat, aut Nouum Testamentum pro figura Noui Testamenti: ex quo colligit similem esse tropum in verbis Matthæi, & Marci: Hoc est sanguis meus; & consequẽter in illis, Hoc est corpus meum: Negamus enim nos Catholici id quod assumit, nempè aut verbum est, sumi, pro significat; aut Nouum Testamentum sumi pro figura Noui Testamẽti: sed significãdum est iuxta duos priores Euangelistas, quod calix confirmet, ac ratum faciat Nouum Testamẽtum. Quia verò calix per sese illud non confirmat, sed per sanguinẽ Christi qui in eo cõtinetur; ideò additum est, In meo sanguine, id est, per meum sanguinem. Idem ergo planè significatum est in verbis à Luca positis, quod significatur apertioribus Matthæi, & Marci verbis: & vtrobiq; asseritur veritas sanguinis Christi in calice. Quod ergo Nouum Testamentum nõ sit pro figura eius accipiendum, vt vult OEcolampadius, ostẽditur ex Matthęo & Marco, apud quos nõ potest sic accipi. Deinde quod nomẽ sanguis in Matthęo & Marco nõ possit accipi pro figura sanguinis, vt ille vult, patet ex Luca, & Paulo, apud quos est Ablatiuus in sanguine, & capitur pro vero sanguine. Dicitur ergo sanguis Nouũ Testamentũ: sicut circũcisio dicitur fœdus, vel pactũ inter Deũ & Abrahã, & semen eius: quia illud fœd' repręsentabat Circũcisio, & cõfirmabat. *Hoc est*, inquit, *pactũ meũ quod obseruabitis inter me, & vos, & semẽ tuũ post te. Circũcidetur ex vobis omne masculinũ*, & quę sequuntur. Ecclesia verò Catholica formã ex verbis Christi p diuersos Euãgelistas enarratis concinnatam, re tamen ipsa eãdem vsurpare consueuit, ait enim: *Hic est enim calix sanguinis*

OEcolampadius de nouo Testamento quid senserit.

Quod Nouũ Testamẽtum nõ sit figura sanguinis Christi ostenditur.

Gen. 17.

In consecratione sanguinis cur calicis mentio fiat.

guinis mei, Noui, & æterni Testamenti. Id est; Hic calix continet sanguinem meum, quo nouum Testamentũ confirmatur. Et fit mentio calicis, non solùm per metonymiam, nã sic accipitur pro re contenta, maximè cùm loquatur de pretioso sanguine potãdo, qui aliquo cõtineri debet poculo, sed etiam calix metaphoricè passionem, & dolorem, atque amaritudinem denotat: vt calix, quo reo datur venenum, vel cùm infirmo datur amara potio, de quo: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum.* Et, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Iam operæ pretium est, vt verba, quæ in hac forma ab Ecclesia tam Græca, quàm Latina adijciuntur, expendamus. Græca igitur Ecclesia adijcit in calice conficiẽdo eleuationem oculorum in cœlum, & ostensionem poculi Deo, & Patri: sicut Latina Ecclesia adijcit signum crucis in verbo benedixit. Sed hæc omnia creduntur ex traditione Apostolica prouenisse. Adiungit etiam vocem, *Aeterni Testamenti.* Et illud, *mysterium fidei*, præter dictionem illam, *Enim*, quæ non est de essentia, etiamsi in textu Euangelico B. Matthæi habeatur, & commoda sit ad indicandum verborum Christi connexionem.

Calix quid denotet.

Ioann. 18.
Matt. 20.

Calicis benedictioni, consecrationive Ecclesia, tum Latina, tum Græca, quid addant, & qua autoritate.

Nouum quid sit, quid æternum.

Iam exponamus quid sit Nouum Testamẽtum, & quid æternum. Nouum dicitur, quod propinquum habet initium: æternũ verò, ꝙ principio, & fine caret. Et tamẽ benè istæ voces connectuntur. Nouum enim dicitur, ob exhibitionem sanguinis prohibiti in lege, & maximè humani: æternum verò, referendum est ad ęternã prædestinationem, & æternam hæreditatem, quæ hoc Testamento disponitur. Res igitur Noua est, dare sanguinẽ humanum ad percutiendum fœdus: sicut etiam Nouum, dare sanguinem humanum ad potandum. In lege etenim prohibitus erat potus sanguinis animalium, nedum hominis. Adhæc dicitur Nouum, quia hoc Testamentum nouas habet promissiones, & longè diuersas à terrenis illis, & temporalibus legis vetustæ. Nouum item, eò quod huic Testamento aliud non succedet: quemadmodum Veteri successit Nouum. Postremò Nouum, quia semper vt Nouum apprehendit intellectus, & vt nouitate plenum gustat affectus. Æternum verò vocat, ob promissiones æternas, ad quas ducit, quæ sunt ipsa vita æterna; & quia alterum illi in æternum non succedet: quia charitas nunquam excidit; & ob personam testantem, ab æternoque prædestinantem. Hæc autem vox sumpta est ex Apostolo, qui ad Hebræos scripsit ita: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum.*

Sanguis Christi Nouum Testamẽtum dicitur tribus de causis.
Genes. 9.
Leuit. 17.
Deut. 12.

Testamẽtum cur æternum

1. Cor. 13.

Hebræor. 13.

Illud: Mysterium fidei: vnde profectum sit.

Innoc. III. c. 4

Addidit, *Mysterium fidei*, quod ex traditione Apostolica sumptum esse docet Innocentius III. in c. cum Marthæ, & acceptum videtur ex Pauli priori epistola ad Timotheum, vbi ait, *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura: quia debet ea mysteria fidei apud se continere, nec temerè ea apud quosuis efferre.* Hinc August. in serm. quoniam aderant Ethnici auditores, cùm de Sacramento corporis, & sanguinis verba facit, dicere solet, *Norunt fideles, quid loquar.* Et quod hoc intelligatur de calice, probat quod subditur. *Et hi autem probentur primùm, et ministrent:* ministrare autem in conscientia pura, nulli rei magis quadrat, quam ministris tanti Sacramenti. Olim enim Diaconi calicem ministrabant. Mysterium autem, significat arcanum, siue rem secretam aliquam, & occultam, id est, quæ fugiat omnem sensum, & rationem humanam. Vnde Odo Cameracensis in Canonem Missæ scribens, sic exponit: *Pertinet*, inquit, *ad fidem Catholicam credere, post benedictionem calicis esse ibi verum sanguinem, vt infidelis sit, qui non crediderit.* Et Innocentius III. *Dicitur ergo*, inquit, *mysterium fidei, quoniam aliud ibi cernitur, & aliud creditur. Cernitur ibi species panis, & vini, & creditur veritas carnis, & sanguinis. Quod autem hic dicitur, Mysterium fidei, alibi dicitur, spiritus, & vita. Spiritus enim est mysterium, secundum illud: litera occidit: spiritus autem viuificat. Fides est vita, secundum illud; Iustus ex fide viuit. Hinc ergo Dominus ait: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Sic Pontifex ille. Et quemadmodum in notis exprimendis elementa pro rebus, & res pro elementis accipiuntur: ita in Sacramentis nouæ legis, quæ à Græcis mysteria dicuntur, quædam sunt, quæ sub sensum cadunt signa, sed quæ tamen cõtinent occultam gratiæ significationem, secretamq́; virtutem. Vt proinde Eucharistia meritò dicatur Sacramentum Sacramentorum, & mysterium mysteriorum, vt in eo maximè opus sit fide: quia non tantum credimus sanctificationem gratiæ, quæ per illud confertur dignè accedentibus; sed etiam Christi corpus, & sanguinem reipsa sub speciebus illis contineri. Sed in præsentia dubia quædam emergẽtia breuibus expedienda sunt. Primum, quia baptismus videtur Sacramẽtum fidei, vt Eucharistia amoris: cur ergo dicitur in benedictione calicis, mysterium fidei? Respondetur, quòd baptismus professio est ingressus in fidem; Eucharistia verò mysterium progressus, & profectionis

B. August.

Ministrare in conscientia pura, quorum sit.

Mysterium quid sibi velit.

Odo Cameracensis episcop.

Innoc. III. l. 4. Myst. Missæ c. 36.

Ioan. 6.
2 Corin. 3.
Habac. 2.
Rom. 1.

Quid Græcis mysteria.

Eucharistia Sacramentum Sacramentorum cur dicatur, & mysterium mysteriorum.

Quomodo sanguis Christi sit mysterium fidei.

fidei, quod attinet ad rem cõtentam: quantum ad fructum verò Eucharistiæ, Sacramentum est vnitatis, & charitatis.

Cur hoc verbum, mysterium fidei in calicis potius, quàm in panis benedictione ponatur.

Secundum dubium, Cur hoc verbum ponitur in calicis potius, quàm in panis benedictione? Respondeo, Poterat dici in vtroque, nam vtrumq; est mysterium fidei: sed apertius, & aptius in sanguine consecrato seorsum à corpore mors Christi exprimitur, quam hoc Sacramentum repræsentat, vt paulò ante dixi. Deinde quia fides nostra est de dato sanguine ad propitiandum mundum Deo, de quo Apostolus ad Romanos scribit: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius.* Adhæc vt alludat ad sanguinem agni immolati pro exitu de Ægypto: nam in illo sanguine, quo illiti sunt postes, & superliminaria, adumbratum est mysterium sanguinis: cuius virtute rubricati & inuncti, à vera AEgypto peccati, atque à vero Pharaone, hoc est, diabolo, liberamur.

Rom. 3.

Exod. 12. Sanguis ille, quo olim postes, & superliminare templi perfundebantur, quid adumbraret.

Tertium dubium est: Si calix est mysterium fidei, ergo in Sacramento non est veritas corporis, & sanguinis Domini, sed imago tantum, siue figura. Respondemus, non esse validum: Hoc est Sacramentũ, seu mysterium, siue figura, ergo non est veritas. Nam teste Apostolo, mors crucis signat veteris hominis crucifixionem & destructionem: resurrectio Christi indicat nouitatem vitæ, in qua debemus ambulare; nec tamen sequitur propterea, non fuisse veram mortem, siue veram passionem Christi, aut resurrectionem. Ad hæc mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram, non rectè inferas, ergo verè mortuus non est, nec verè resurrexit, cùm scriptum sit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*; Et, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Est igitur vtrumque, vt panis in domo pistoris ante ianuam propositus, & pannus ante domum mercatoris: illa enim signa sunt, & symbola indicãtia quod ibi vęneant huiusmodi, quæ tamen sunt verus panis, & verus pannus. Ait autem Innocentius III. libr. Mysteriorum Missæ, explicãs hoc verbum: *Tria quippe in hoc Sacramento*, inquit, *videlicet forma visibilis, veritas corporis, & virtus spiritualis. Forma panis, & vini, veritas carnis, & sanguinis: Virtus vnitatis, & charitatis, Primum oculo cernitur: secundum animo creditur: tertium corde percipitur. Primum, est Sacramentum, & non res, secundum, est Sacramentum, & res, tertium, est res, & non Sacramentum. Sed primum, est Sacramentum gemina rei, tertium verò, res gemini Sacramenti, secundum autem, est Sacramentum vnius, & res alterius. Nam forma panis, vtramq; carnem Christi significat, id est, veram, & mysticã. Sed veram carnem & continet, & significat, mysticam verò significat, sed non continet. Sicut vnus panis ex multis granis conficitur, & vnum vinum ex multis racemis confluit: sic corpus CHRISTI ex multis membris componitur: & vnitas Ecclesiastica ex diuersis personis consistit: in prædestinatis, vocatis, iustificatis, & glorificatis.* Et infrà: *Vinum autem in quantum liquet, & rubet, similitudinem sanguinis repræsentat. In quantum calet, aut redolet, proprietatem charitatis significat & ostendit. Nam vinum, & sanguinem operatur, & excitat charitatem, quia cor bibentis exhilarat, & dilatat. Patet ergo quod substantia corporis, & sanguinis Christi est sacramentum. Est enim res primi, quia significatur, & continetur à primo, videlicet à forma visibili: & est sacramentum Tertij, quia significat, & efficit tertium, videlicet vnitatem Ecclesiasticam.* Hactenus doctissimus Innocentius.

Mors crucis Christi, eiusdẽ resurrectio qd significet.

Rom. 6.

Rom. 4.

Esai. 53.

Luc. 24.

Innoc. III. l. 4. c. 16

Vide eo Cùm Marthæ Ext. de celeb. Miss.

Quæ in hoc Sacramento contineantur discreta.

Quid vini accidentia significent.

Psalm. 103.

Quartum dubium est: An omnia illa verba, quibus vtitur Ecclesia Romana in benedictione calicis, sint de substantia consecrationis sanguinis; ita vt qui aliquod verbum omitteret, nihil efficeret. Respondet Beat. Thomas in 3. parte illa omnia esse necessaria, & de essentia Sacramenti; quia Ecclesia omnia illa verba accepit ex traditione Apostolicã. Deinde Concilium Florentinum in instructione Armenis exhibita, & Innocentius III. in cap. cùm Marthæ, de Celebr. Missarum, idem docent. Tertiò, quoniam Sacerdos eodem ritu, & modo tenẽs manu calicem, cuncta verba pronuntiat, quasi per ea omnia consecrare intenderet. Subiungit tamen B. Thomas, quòd per priora verba: *Hic est sanguis meus*, conuersio vini in sanguinem significatur: vt per verba, *Hoc est corpus meum*, conuersio panis in corpus Christi: per reliqua verò verba indicatur virtus sanguinis effusi in passione, qui operatur in hoc Sacramento. Confert ergo passio ęternam hæreditatem, ideò dicitur, Noui, & æterni Testamenti: deinde iustificatione per fidem; ideò dicitur mysterium fidei: deniq; ad remouenda peccata, quæ vtriusque effectum impediũt: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Discipuli B. Thomæ, vt Petrus de Palude, & Capreolus, Thomæ sequuntur sententiam: Caietanus verò etsi contendat ad se trahere Thomæ sententiam, illum tamen tandem deserit. At verò Dominicus de Soto apertè docet, illa tantum verba esse, sine quibus consecratio non fieret, videlicet: *Hic est sanguis meus*, vel, *Hic est calix sanguinis mei*: reliqua verò esse de essentia, id est, de integritate, vel præcepto Ecclesiæ.

An omnia verba, quibus vtitur Ecclesia Romana in consecratione calicis, sint de substantia cõsecrat onis sanguinis.

1 Opinio.

B. Thom. 3. par. q. 78. a. 3 tom. 12 Conc. Florent. Inno. III.

Idem B. Tho.

Christi passio quid conferat.

Petrus de Palude.

Careopolus.

Caietanus.

Dominicus à Soto.

Et quo-

Altera opinio seu probabilior multis rationibus fulcitur.

Et quoniam hæc sententia videtur longe probabilior, illam his rationibus cōfirmamus. Prima, quia nonnulli ex veteribus patribus Scholasticis hanc vt probabiliorē sententiam amplectuntur, vt Alexander Halensis, & B. Bonauentura in quartū sententiarū, & ex recentioribus Caietanus in 3. part. D. Thomæ, & Dominicus à Soto in Quarto. Verùm ante hos omnes habemus testimonium Iustini Martyris, qui in Apologia, quam pro Christianis ad Antoninū Pium scripsit, ita habet: *Nam Apostoli in Cōmentarijs à se scriptis, quæ Euangelia vocātur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meā recordationem: Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratijs actis dixisse: Hic est sanguis meus, ac solis ipsis ea tradidisse.* Hęc ille. Vbi vides nudas, & simplices formas, quas Iustinus producit, vllis sine adiectionibus. Deinde, quia Ecclesia Græca in benedictione calicis illis verbis non vtitur, *Æterni & mysterium fidei*: & in Concilio Florentino Græci non fuerūt reprehensi à Latinis de hac re, sed de eo tātum, quod post prolationem verborum Domini, & consecrationem iam factam, quędā verba adderent in suis liturgijs, quibus peterent vt panis conuerteretur in corpus, & vinū in sanguinē eius. Sed cū verū sensum illorū verborum accepissent Latini, statim acquieuerunt: quāquam Marcus quidam Ephesinus ex Nicolao Cabasila nescio quid hęresis admisceret: cui Bessarion in peculiari libello de Sacramento contra eum respondit. B. igitur Iacobus Apostolus, & Basilius, & Chrysost. in suis liturgijs his verbis vtūtur in benedictione calicis: *Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effūditur, & datur in remissionē peccatorū.* Quod si his verbis non conficeret Ecclesia Gręca: ab initio in hunc diem nūquam verum calicem habuisset, & Apostolus, atq; illi doctissimi, & sanctissimi Patres in re grauissima, & ad salutem spectante turpissimè, ac perniciosissimè decepti fuissent; ac proinde vniuersi Græcæ Ecclesiæ fideles adorādo calicem Domini, idololatræ prorsus extitissent: quæ prorsus sunt absurdissima, minimeque ferenda. Tertiò, quia illa verba sunt de essentia formæ, quæ significant totum effectum Sacramēti: quia forma id efficit, quod significat, vt dici solet. Illa verò sunt, *Hic est sanguis meus*, vel, *Hic ex calix sanguis mei*; quemadmodum forma benedicēdi panem, *Hoc est corpus meum.* Et vt in pane benedicendo nō sunt necessaria illa verba, quæ à Luca, & Paulo adduntur, *Quod pro vobis datur*, vel pro vobis frangitur: ita in benedictione calicis, alia pręter iā dicta, nō sunt necessaria ad conficiendū. Quartò, illa effectuum sanguinis Christi significatio, quam B. Thomas declarat esse determinationes, & modos prædicati, scilicet sanguinis, non est Sacramento necessaria: quia cùm visus huius Sacramenti nō sit de essentia eius; efficitur, vt nec gratia, quæ per vsum dignè accedentib. confertur, sit necessaria. Quòd si effect⁹ illi nō sunt de essentia Sacramēti; cōsequitur, vt nec verba illos effectus significātia sint de essentia formæ; sunt tamē de substantia, & integritate, quia Ecclesia pręcipit illa omnia super calicē dici. Nec mirū est, aliquid esse de integritate, & substantia hominis; sed non de essentia, ita vt sine illis nequeat viuere: nā digitus & manus ad integritatē hominis spectāt, non tñ ad essentiā. Nā si quis v.g. dictionē vltimā in benedictione panis positam, nempe Meū, lōga mora proferat, tota prolatio concurrit ad consecrationē panis licet minor sufficeret. Similiter in baptismo trina mersione celebrato singulę mersiōes sunt de integritate Sacramenti, & concurrūt ad effectum baptismi, qui nō est vsq; ad extremā immersionē; & tamen nō sunt omnes de essentia, quia posset quis vna immersione intēdere baptismum, & esset verè baptizatus: ita hic satis est prolatio illorum verborum, Hic est sanguis meus. Quinta, si cōsecratio fieret secundùm formam Lucę, vel Pauli, *Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo*, Vel vt Ecclesia ait; *Hic est calix Noui Testamenti*: certum est, consecrationem, quousq; nominetur sanguis, non perfici; & tamen incongruè diceretur, in sanguine meo, nisi adiecta particula, Noui Testamenti, in quā Ablatiuus ille fertur: Ergo illa est de integritate, non de essentia. Sexta quemadmodùm in forma panis in Ecclesia Latina non ponitur, Quod pro vobis datur, vel frangitur, vt Græci faciunt; ita in forma calicis non ponuntur illa verba, Noui Testamenti, mysterium fidei, apud Græcos, quod tamen ponitur apud Latinos. Imò etiamsi non poneretur, Qui pro vobis, & pro multis effunditur, quod in vtraq; Ecclesia tam concorditer ponitur, adhuc conficeretur Sacramentum: quia huiusmodi verba non sunt de essentia Sacramenti, quemadmodùm nec in benedictione panis, Quod pro vobis datur, vel frangitur. Congruum tamen magis fuit in forma calicis poni, *Quod pro vobis, & pro multis effundetur*: quamquam in forma panis dicatur, Quod pro vobis datur, vel frangitur: quia sanguis effusus expressius passionem repræsentat, quam corpus; tum quia vt Innocentius III.

Alex. Halen.
B. Bonau.
Caietanus.
Dominicus à Soto.
Iustin. Martyr. tom. 1.
Apostolorum Commentarij, dicuntur Euangelia.
Luc 22.
1. Cor. 11.
II. Ratio.
Gręci post cōsecrationem quid addant.
Bessarion Cardinalis.
III. Ratio.
Forma id efficit quod significat.
1. Cor. 11.
IV Ratio.
B. Thom. 3. part q. 78.
Exemplum.
V Ratio.
VI. Ratio.
Innocent. III.

annotauit in capit. cum Marthæ, illas particulas formæ calicis tres primi Euangelistæ vno consensu retulerunt, quasi aliquid maioris energiæ in illis existat. Sed in forma panis Lucas cum Paulo addidit, Qui pro vobis datur, vel frangitur. Et ex dictis facilè soluuntur argumenta primo loco adducta.

Prioris sententiæ argumentis respondetur. *B. Thomas tom. 15.*

Nam B. Thomas in Commentarijs super priorem ad Corinthios cap. 11. scribit: *Dicunt quidam, quod quæcunque forma verborum proferantur, quæ sunt in sacro Canone, sufficiunt ad consecrationem. Sed probabilius videtur dici, quòd illis solis verbis conficitur consecratio, quibus Ecclesia vtitur ex traditione Apostolorum instructa. Euangelistæ autem tantum intenderunt recitare verba Domini quantum pertinet ad rationē historiæ, non autem secundùm quod ordinantur ad consecrationem Sacramentorum.* Eadem prorsus docet 3. part. Ex quo colligo, illam sententiam, tanquam probabiliorem B. Thomam amplexatum, sed non tanquam Fidei articulum necessariò credendum. Si quis tamen Sacerdos illa verba omitteret, quæ iuxta ritum Ecclesiæ suæ dicere debet, etsi consecraret, sacrilegium grande perpetraret: vt nemo propter hanc sententiam verba consecrationis aut decurtare, aut producere possit. Et hæc satis de hac dubitatione.

Idem 3. part. q. 78. art. 3. in solut. ad vlt. to. 12.
Ea verba Noui, & æterni Testamenti, cum reliquis, licet de essentia consecrationis nōn sint, cur omitti no debeant.

Quid hæc verba significent. Pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

Iam exponendum est illud verbum, *Pro vobis, & pro multis effundetur in remissionē peccatorum.* Pro vobis, inquit, sumentibus, quibus non tantū in ratione sacrificij prodest, sed etiam in ratione Sacraméti. *Et pro multis.* Etiam absentibus, & mortuis, quatenus sacrificium est: vt pulchrè exponit B. Thom. Vel, *Pro vobis*, electis efficaciter, & pro multis, ad sufficientiam, qui multi dici possunt. Verba etiam illa, *Qui pro vobis effundetur*, posita sunt ad distinctionem sanguinis Christi à sanguine animaliū veteris legis: nam sanguis ille effūdebatur in vindictæ protestationem, cui transgressores pacti fierent obnoxij; sanguis verò Christi, in vindictæ promeritæ remissionem. Idem tamē ille vitulorū sanguis, vt ait Paulus ad Hebræos, expiabat corpora, in typū quod Christi sanguis expiaret à peccatis conscientias nostras. Dicitur etiam, teste Euthymio, *Pro vobis, & pro multis*; ad differentiam sanguinis agni, vel vitulorum, qui pro solis Hebræis effundebatur, hic pro omnibus hominibus. Multos siquidem, hic dicit omnes: nā omnes multi sunt. Hæc ille ferè. Adhæc quia non omnes qui præcesserant, in Christum crediderant, similiter nec omnes erant credituri, qui futuri erāt, rectè dixit, pro multis, quia non omnes tanto beneficio digni sunt, nisi tantum qui fide il-

B. Thomas. Alter sensus.

Sanguis in lege cur funderetur.

Hebr. 9. III. sensus. *Euthy. c. 64. in Matth.*

IV. sensus.

lud acceptāt. Et in Græco fonte de præsenti, ait, effunditur: quia peracta sanguinis effusione instabat mors, & iam erat inchoata Christi passio per proditionem Iudę. Sicut de præsenti dicitur de corpore: *Quod pro vobis datur*, vel frangitur. Effusus autem fuit in cruce, ad irrorandas animas, vt bene oleant corā Deo, & rubricādas vt oues suas, vt liberentur ab Angelo percutiente. Et vt vena scinditur ad salutē corporis totius; ita sanguis Christi ad salutem totius corporis sui mystici. Effunditur quoq; in mysterio Eucharistiæ per oblationem, & per modū repręsentandi effusionem factam in cruce, vt tanquam salutaris potio bibatur: non quod idem sit effundere, quod infundere, dum potamus Christi sanguinem, vt Hæretici volunt; sed ratione oblationis, qua tunc sanguinē suum Dominus Patri obtulit in remissionem peccatorum: vt Cyprianus tradit in epistola ad Cæcilium. Nā sanguinis effusio in remissionem peccatorum in Scripturis semper dicitur ratione oblationis sanguinis Deo factæ. Cui effusioni sanguinis in cœna factæ per oblationem fauet articulus apud Lucā, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: vbi poculum non potest dici effusum, nisi quia contentum in eo Deo libabatur. Et Ambrosius declarat se legisse in verbis cōsecrationis verbum Effunditur, illudq; intellexisse de effusione quę quotidie fit. Ait enim: *Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur; debeo illum semper accipere*, &c. Sic ille. Effunditur ergo quotidie sanguis Christi ratione oblationis, quę in Missæ fit sacrificio. Est enim duplex vsus Eucharistiæ, nempe, offerre, & sumere: & sumptio quidem eius fit directè in vitæ spiritualis conseruationem, & augmentum, nō autem in peccatorum remissionem, nisi indirectè, vt dictum est supra. Oblatio verò fit etiam directè in remissionem peccatorum, quatenus scilicet ipsa rememorat oblationem, & effusionem sanguinis in cruce factam, quæ fons est omnis peccatorum remissionis. Ac subdit: *In remissionem peccatorum.* Nimirum Noui Testamenti. Nam delicta, quæ post baptismū susceptum admittuntur, isto sacrificio expiantur: quia per illud impetratur nobis pœnitentia, & detestatio peccatorum, & in eius virtute valida est absolutio Sacramentalis; sicut & omnis huius sacrificij incruenti virtus tota deriuatur ex sacrificio cruento in cruce peracto: quemadmodum sanguis in cruce fusus per baptismum applicatus, delet peccata omnia ante baptismum admissa.

Quare de præsenti dicitur iuxta Græcam literam, effunditur. *Luc. 22.*

Sanguis Christi in cruce cur fuerit effusus. *Exod. 12.* Simile.

Christi sanguis in Eucharistia quomodo fundatur.

Christi sanguinis effusio in Eucharistia ab infusione distinguitur aduersus hæreticos. *B. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Luc. 22.*

Ambr. lib. 5. de Sacramen. cap. 6. tom. 4.

Eucharistiæ vsus duplex.

Huius Sacramenti virtus, & vtilitas quæ sit.

Subiungit Paulus: *Hoc facite, quotiescunque*

ſcunque biberitis, in meam commemorationem.

Quid: Hoc facite in meã commemorationem. *1.Cor.11.*

Quemadmodum poſt benedictum panem dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita idem mandauit de calice, vt Paulus docet:& ſi diſcrimen ſit non mediocre inter vtrumq; præceptum. Nam primum illud abſolutum eſt,& à nulla pendens conditione;poſterius verò indicat,vt quoties bibãt, id faciant in Chriſti memoriã. Sed etſi ſimpliciter præcipitur vt corpus Domini edatur;non tamen abſolutè, vt calix Domini bibatur in Chriſti memoriam, ſed vt quoties bibitur de calice,memoria Domini recolatur. Vnde & declarãs idem Paulus hoc ipſum Chriſti verbũ,quid ſit illud, in mei commemorationẽ,ſubiungit: *Quotieſcunq; enim manducabitis panem hũc, & calicem bibetis,mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Etſi autem ſit in memoriam cœnæ, nõ tollit recordationem mortis Chriſti: quia illa cœna facta eſt pro diſceſſu ad mortem, vt canit Eccleſia:

Aliter ſumi corpus manducare in ſuã cõmemorationem, aliter ſuum ſanguinem bibere præcipit Chriſtus.

Quod in cœna Chriſtus geſſit,
Faciendum hoc expreſſit
In ſui memoriam.

Simile.

Eſtque ſimile ac ſi Princeps donaret alicui pretioſum,& aureum poculum,ea lege, vt quoties biberit,dantis cũ gratiarum actione recordetur:quòd ſi quis adeò deſiperet, vt tali poculo vteretur pro matula, aut in alium vſum ſordidum, & contumelioſum conuerteret,dignus profectò eſſet, qui tãto dono ſpoliaretur, & graues lueret pœnas.Nec ob aliam exiſtimo cauſam multas Septentrionis prouincias à fide huius Sacramenti excidiſſe, tantoque Euchariſtiæ munere ſpoliatas;niſi quod ad quæſtum, & prauas carnis cupiditates explendas,Sacerdotia,Epiſcopatus,& beneficia Eccleſiaſtica ambirent,nullam habẽtes rationem reuerentiæ,aut venerationis,quę tãto Sacramento debebatur:vt timẽdum ſit, ne idem nobis contingat.

Septẽtrionalium gentium defectionis à fide catholica cauſa præcipua.

Expenditur: Dico aũt vobis, Non bibam amodo, de hoc genimine vitis. *Matt. 26. Marc. 14. Aug. l.3. de conſen. Euãg. c.1.&11. to. 4.*

Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vſq; in diem illum, cũ illud bibam vobiſcum nouum,in regno Patris mei. Hoc referunt Marcus & Matthæus dictum poſt calicem ſanctum benedictum; Lucas verò (vt Auguſtinus docet)per anticipationem de calice prius locutus eſt, quàm de pane. Nam quæ Lucas ante panẽ de calice dixit, & quæ poſt panem iterũ de calice, ſi ſimul coniunguntur,nihil plus dicunt,quã quod ſolus Matth.& Marcus. Vrgent hæretici hæc verba volentes ex illis elicere,poſt cõſecrationẽ certum eſſe manere vinum, imò in calice nihil eſſe pręter purũ vinum: quia Dominus illud demonſtrando, vocat generationem vitis. Sed facile eſt reſpondere,propter ſpeciem vini quæ remanet,& ex qua factus eſt Chriſti ſanguis,dici genimen vitis;ſicut propter accidẽtia panis ab Apoſtolo,& à Domino vocatur Sacramentum Euchariſtiæ panis. Et quod hic dicitur de hoc genimine vitis, Marcus Græcè ſine pronomine dixit,de genimine vitis abſolutè.

Senſus hæreticorum refellitur. *1.Cor.10. Infrà 11.*

Marc. 14. Ioan. 19.

Quomodo Chriſtus ſe non guſtaturum vinum pollicetur,niſi in regno Patris ſui poſt reſurrectionẽ cùm in cruce acetum ſumpſerit.

Quod autem Dominus hic pollicetur ſe non guſtaturum vinum, donec illud biberet in regno poſt reſurrectionem, non violauit quando ſumpſit acetum in cruce: nam acetum vinum non eſt,& à vino myrrhato abſtinuit. Quod ſit autem regnum Patris,in quod veniens bibit vinũ nouum cum Apoſtolis,forſitan dubitari queat, vt ab Hedibia dubitatur quærente id à Hieronymo per epiſtolã,& ab Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo dubitatum eſt.

Hieron. ad Hedib. q. 2. tom 3. Eucher. in quæſt. in Mat. in fine. Marc. 15.

Quid ſit illud regnum Patris,in quod Chriſt' veniens bibit vinum nouũ cũ Apoſtolis.

I opinio. *Chryſoſt. ho. 16. in Matth. tom. 2. Roffen. Luc. vltim.*

Quidam dicunt eſſe reſurrectionem, quãdo Dominus cum Apoſtolis manducauit,& bibit,vt Chryſoſtomus exponit. Nouum, id eſt, nouo modo ob corpus immortale,cibo,& potu non egens. Roffenſis lib.5. in Oecolampadium,colligit ex his Domini verbis, Chriſtum illo paſchate impleto (quod factum eſt per reſurrectionem)comediſſe,& bibiſſe cum Apoſtolis,cum agnitus eſt à diſcipulis euntibus in caſtellum Emmauntis.

II. opinio.

Vel regnum Dei vocat Eccleſiã nouellam, & primitiuam,in qua regnat Deus, quæ in cõmunione ſub vtrãq; ſpecie porrecta vitã ſpiritualẽ ducebat. Et Chriſtus in ſuis mẽbris edebat,& bibebat, non tantùm nouo modo,vt prius,ſed etiam nouum, hoc eſt, immortale,& impaſſibile. Nã in cœna Porrexit illis mortalem,& paſſibilem ſanguinem,licet modo quodã, qui ſub aſpectum, vel ſenſum vllum non caderet, in Sacramento exiſtentem, poſtea verò impaſſibilem,& immortalẽ ſanguinem, & non tantùm inſenſibili, ac impaſſibili modo exiſtentem.

III. opinio. *Greg. Nazianz. Luc. 22.*

Tertiò, per regnum Patris poteſt accipi regnum quod in cœlis expectamus poſt mortem,vt interpretatur Greg. Nazianz. oratione in ſanctum Paſcha; de quo dixit Dominus, *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum; vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*: atque ita nunc nouum cęleſtium deliciarum vinum ſine vlla vmbra bibit. Primò enim vmbra tantùm fuit in lege: deinde vmbra, & res, vt in Euchariſtia: poſthæc res ſola in cœlo;& ideo dicitur nouum. Et in primo ſenſu, regnum, eſt reſurrectio Chriſti:in ſecundo,aduentus Spiritus ſancti faciẽs Eccleſiam:in tertio cœleſtis gloria.

Quartus ſenſus Hieronymi. *Hieron. to. 9.*

Hieronimus verò à literali ſenſu declinauit ad myſticum, intelligens Dominum de vinea Iudæorum non bibiturum, niſi

cum

cùm post plenitudinem Gentiũ etiam ipsi fuerint ingressi in Ecclesiam Christi quę est regnum Dei. Atque hinc habes, Christum prius in cœna prægustasse, quàm alijs exhiberet, contra dogma Lutheranũ: hæc enim Domini verba indicant illum bibisse. Secũdò, quia Iesus cœpit facere, & postea docere: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*; nimirum quod ego feci, vt docet Dionys. Areopagita. Vt propterea meritò cantet Ecclesia

Act. 1.

Dionys. lib. de Eccl. hierarc. cap 3 par. 3. propè finem.

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Vt sumant, & dent cæteris.

Vt moris est perpetuò facere, dum conficiunt Sacramentum, si tamen sint qui velint communione participare. Tertiò, quia vt ait D. Chrysostom. in hęc verba: Apostoli horruissent carnem, & sanguinem sumere: propterea prior ipse prægustauit. Quarto, aliàs Christus non fuisset conuiua, nec conuictor, vt aiunt Sancti, & pręcipuè Hieronymus ad Hedibiam, sed esset conditor, instructorq; conuiuij. Nam qui ad cœnam, vel conuiuium alios vocat, debet & ipse conuiuari, vel cœnare. Hunc ergo pretiosum sanguinem venerabundi, & apertis viscerum præcordijs suscipiamus, qui tunc grato demum animo suscipitur, si nostrum sanguinem pro illo fundere parati simus, ad gloriam illustrandam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto dãda est omnis gloria, honor, & imperium per omne seculum, Amen.

Chrysost. hom. 83. in Matth. tom. 2. Hieron. ad Hedib. q. 2. tom. 3.

Christi sanguis vt nobis venerandus, & suscipiendus.

TRACTATVS XVI.

Inquo Domini verba: *Hoc est corpus meum*, contra hæreticorum sensus innumeris modis illa dilacerantium, ne veritatem Catholicam, vel agnoscere, vel confiteri videantur, diligentius ac pressius examinantur, & in primis sententia Lutheri transubstantiationem negantis, funditus euertitur, ac reprobatur.

PRAECLARE à quodam sapiente dictũ est: Nemo repente fit turpissimus: a minoribus enim ac leuioribus delictis, ad grandiora, & grauiora solet progredi iniquitas: Idem in hæresi, quæ maxima est iniquitas, ac turpitudo, accidisse nostro seculo videmus. Nam cùm ab initio serperet, & ab indulgentijs, bonorumq; operum iustificatione initium sumpsisset, & progressum fecisset per alias peruersas opiniones, negãtes Petri primatũ, Sacramentorũ numerũ, & sanctificationem, siue gratiam, liberi arbitrij facultatẽ, Sanctorũ inuocationẽ, & similia: eò tandẽ quasi in culmen est perducta, vt Satanas per organa sua accommoda Christum Dominum de Eucharistia, quasi de regno suo deturbare tentauerit: atque in eo planè, quasi in summo, quiescit hodie magna hæreticorũ pars, alijs contrà hęreticis grauiter repugnãtibus, & sese illorũ machinis, & conatib. opponentibus. Oportuit namq: hæreticũ vbi veritatis, & pudoris lineas trãsilijsset, gnauiter impudentem esse.

Iuuenal. Satyr. 2.

Nemo repẽte fuit turpissimus, vt ille dixit. Hæresis quãta iniquitas, ac turpitudo. Hęresis nostra tẽpestate quales progressus extiterint.

Quæ quò facilius accipi valeant, perpende, prudens lector, Ecclesiam fuisse labij vnius, & sermonũ eorũdẽ, quando Lutherus nouarũ rerũ studiosus aliquid contra eam moliri cœpit, & turrim Babylonicam, quã sibi diruere; in illis suis pestiferis. De captiuitate Babylonica libris gloriabatur, construere reipsa, totq; sectarũ, quot Ecclesia in hodiernum vsq; diẽ patitur, sementem spargere exorditus est: vix ille tres aut quatuor suæ sententiæ promotores & fautores nactus fuerat; cũ Deus Optimus Maximus illorum linguam discidit; & in cõtraria studia pro suorũ ratione iudiciorũ abire permisit. Hoc enim supplicij irrogare solet Deus hæreticis Ecclesiã Dei scindentibus, vt scindantur & ipsi: vt eleganter quodam loco docuit Augustinus: atq; ita locum habeat diuina illa sententia: *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Hoc Arrij in Oriente, apertissimis cõprobatur exẽplis. Nam cùm ab initio vna tantùm esset hæresis, paullò post in plures sectas dissecta fuit: sicut & illa Donati in Africa, quæ inter Donatistas, Maximiniãistas, Circũcelliones diuisa fuit. Quod diuino factum consilio censendum est; vt ita Ecclesia Catholica faciliori negotio de hostibus suis triumphũ agere posset, ac scitè dixisse pideatur noster Hilarius, hæreticorum diuisionem, victoriã esse Ecclesię. Cùm igitur primus omniũ Lutherus, vt antesignanus, viam omnibus hæreticis aperuisset impudenter transubstantiationẽ negans, & tamen veritatem pręsentiæ corporis Christi firmiter confitens, adeò vt per pronomen illud, Hoc, dicat ostendi panẽ cum corpore, vel corpus, in, cum, vel sub pane, vt Smichdelinus cũ alijs Lutheri sequacibus in disputatione Helbingensi 65. & 66. interpretatur: quidã tamen eiusdẽ magistri discipuli pręcipui, siue sodales, & commilitones, vel potius Iudæ & proditores (vt ipse quodã in loco conqueritur) nimirum Carlostadius, Zuinglius, Oecolampadius, atq; alij doctrinam Lutheri non valentes capere, nec illam posse sibi ipsi satis constare, animaduertentes,

Lutheri in Ecclesiam vniuersã conatus quò reciderint tandẽ.

Hęreticorum Ecclesiam scindere volentium digna punitio.

Aug. li. de agone Christia no. c. 29. to. 1.

Sap. 11.

Arriana hæresis.

Hil li. 7. De Trinitate.

Hęreticorum diuisio, victoria est Ecclesiæ, inquit Hilarius.

Smichdelinus Lutheri sectator.

QuinãLutheri (vt ipse conqueritur) Iudę atq; proditores extiterint.

tes, cœperũt ab eo deficere, realemq; Christi Domini in Sacramento præsentiam negare potius ducentes, quàm negata conuersione substãtięq; panis in corpus Christi; quæ vocatur transubstantiatio, corporis Christi præsentiam confiteri. Hoc autem tam varijs rationibus ac modis factum est, vt Lutherus ipse in confessione; quam ante mortem edidit, scripserit, se nunquam, illa Sacramentariorum, fœdiorem sectam vidisse; quæ in sui exordio plusquam in octo factiones inter se diuersas & repugnãtes fuit dissipata. Nam statim inter eos orti sunt Significatiui, Figuratiui, Tropistæ, Sacramẽtarij, Impanatores, Vbiquarij, Energici, Arrhabonarii, Stanchariani, Suencfeldiani deniq; qui à Petro Martyre, Martyristæ dici possunt, & alia portentosa hæreticorum nomina: qui omnes in propugnanda hac perfidia concordes quidẽ sunt; licet in modo, & ratione eam tuendi, varij, atq; diuersi: quemadmodum vulpes Samsonis, caudis quidem inuicem colligatæ erant cũ facibus ad incendendas segetes, facies tamen diuersas habebant. Vides quam egregiè his Euangelicis viris competat elogium illud Lucæ: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum; & anima vna.* Nã ex his quidem vim faciunt in pronomine Hoc, quod nonnulli referunt ad panem cum corpore Christi; alij ad nudum panem; alij ad omnes Christi actiones in cœna; alij verò nõ in pronomine, sed in verbo, Est, insistũt, & figuram aliquam in illo agnoscunt; alij vero in nomine, Corpus, multa cõmentantur, & metonymiam quandam somniant: nullus verò in pronomino illo agnouit, quod semper agnouit Ecclesia, & verè est agnoscendum, referendum scilicet esse ad corpus Christi; vt in forma sanguinis, *Hic est sanguis*, pronomen demonstrat sanguinem: alij verò in tota oratione, & non in aliqua particulari vocula, expositionis suæ pondus collocare videntur. Et inter hos quidem energicè siue efficaciter interpretantur Domini verba; alij tantum, dum in vsu est ipsum Sacramentum, ac populis ministratur; alij verò totam orationem Sacramentaliter intellectam tanquam veram admittunt; alij orationem inuertunt, ex prædicato subiectum, & ex subiecto prædicatum facientes; alij postremò eò dementiæ progressi sunt, vt negauerint vlla Dei potentia effici posse, vt corpus Christi simul in multis locis existat: atq; ita hæc hæresis in abiuranda omnipotentis Dei virtute perfectionẽ suam habet. Hoc enim vt impudenter, ita falso asseruit, quidam Petrus Martyr, ex nostris, hoc est, à Catholicis; ad hæreticos trãsfuga, & ex religiosis B. Augustini regulam profitentibus insignis apostata, homo profectò dignus, qui in extremas mundi solitudines relegaretur, qui de primo Apostolici Symboli articulo, quo Deũ omnipotentẽ profitemur, tam malè sentire deprehensus est. Pulchrè his viris competit verbum Hieronymi, *Omnia*, inquit, *Euangeliorum loca apud hæreticos, & peruersos plena sunt scandali.* Sic ille. Vide hic, vnum & eundem locum esse Euangelij, & illum quipem perspicuum, & apertum, ex quo suo vitio hęretici tot scandala acceperũt, vt verè dici posset de Christo in Eucharistia, quod est in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum, cui & à principio, & postea contradicitur. Nec dubito quin plures extiterint sectæ in illis Domini verbis interpretandis: tam varium est, atq; fœcundum mendacium, de quibus fortassis alij aut scripserunt, aut scripturi sunt: nos tantum celebriores, & grauiores complexi sumus hæreticorum sententias. Atque hi omnes inter se multis editis dicacissimis libris, & omni contumeliarum genere refertissimis ita inuicem decertarunt, vt quisque sibi solus sapere videatur, reliquos verò desipere, & in ipsis tenebris versari iudicet. Nec tãmen adhuc illa lis est extincta, aut sopita etiam post tot ingentia bella inter se depugnata, nec vnquam terminabitur, donec omnes ad Ecclesiam Catholicam resipiscentes, & errores suos abiurantes tandem redeant: & ex vnico & salutari remedio, quod ad vitam spiritus alendam, ac producendam Christus instituit, agnoscant, seditiones, scandala, iurgia immortalia se excitasse, & interitum sempiternũ suo vitio sibi cõparasse. Quæ omnia vni Luthero hæreticorum nostri seculi Principi debẽtur. Nã negata transubstantiatione fenestram aperuit magnã, vt cæteri omnes à doctrina illa declinantes tam perniciose desiperent ac delirarent, Satanæq; proinde capitalissimi Christi hostis, negotium promouerẽt: qui nullo errore tantopere exultat atq; triumphat atque isto impudentissimo, ac toti Ecclesiæ perniciosissimo, atque cũ verbis Domini pugnantissimo. Quo autem maior est inter hæreticos discordia; eo admirabilior, & sibi consonantior trium Euangelistarũ, nempè Matthęi, Marci, Lucæ, ac B. Pauli in cœna Domini tradẽda cõcordia, imò etiã Ioannis cũ reliquis Euangelistis, & concors per omnia, & sibi cõsentiẽs de pane dando (qui sit eius caro) promissio cũ exhibitione facta: *Hoc est*, inquiũt, *corpus meum quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus qui pro vobis funditur*; Et, *Panis quem ego dabo caro est pro mundi vita.* Non enim obscuros

Lutherus de Sacramentariorũ secta quid senserit, ac scripserit.

Hæresis Sacramentariorũ in quot, & quales sectas fuerit dilecta.

Iud. 15.

Act. 4.

Hæreticorũ de Eucharistiæ Sacramẽto figmenta vanissima.

Quid Petrus Martyr homo apostata, de Eucharistia, ac de primo Apostolici symboli articulo, & senserit, & pronuntiare sit ausus.

Hieron. in c. 15. Matthia. lib. 2. tom. 9.

Quid de hęreticis senserit D. Hieronymus.

Luc. 2.

Quam variũ est, ac fœcundum mendacium.

Lutherus negando transubstantiationem, omnibus quę de Eucharistia ortæ sunt hęresibus fenestrã aperuit.

Ioan. 6.

Iren. li. 1. aduers. hæres. ca. 1 paulò remotius à principio.

August. li. ad Quoduult-deum. c. 27. to. 6 initio. Epiphan in haeres. 49.

locos, vel parabolicos adferimus, vt olim Valentiniani faciebãt; quos propterea merito reprehendit Irenæus; vel allegoricos, seu ambiguos, quos proferebant Donatistæ, & Priscillianistæ, vt testis est Augustinus lib. ad Quoduultdeum, & Epiphanius. Sic quoque Ioannes Vvicleff quò baptismi necessitatem tolleret, dicebat in illo Christi verbo; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, aquam intelligi non quamlibet, sed illã, quæ post fluxit ex latere Christi crucifixi, & quam Caluinus per tropum pro Spiritu sancto accepit. Ita deniq; Cerinthus, & Nestorius ne à Scripturis cogerentur fateri Iesum fuisse Deum, miros in Scripturis quibus premebantur, excogitabant tropos. Nostrum igitur est pro virili nostra in aciem prodire, & manus cum his Fidei hostibus conserere, & antiquam orthodoxę fidei doctrinam contra istas tenebras decertando vindicare. Sed in primis à Lutheri errore destruendo principium sumemus, & singulatim posteà aliorum sententias hæreticorum cote disputationis, & verbi Dei gladio excussas ac iugulatas, in ostentũ lectoribus proponemus. Etsi enim in illas meritò iactare possemus illud Hieronymi contra Pelagianos ad Ctesiphontem: *Nolo vobis liberum esse negare, quod semel scripseritis: Ecclesia victoria est, vos apertè dicere quod sentitis: sententias vestras prodidisse superasse est. Non necesse habet conuinci, quod sua statim professione blasphemum est.* Sic ille. Volumus tamen, vt in iustitia abundemus, & supererogemus, ne montes aureos pollicer videamur, singulas quasque opinationes proprijs telis confodere, & peculiaribus reuincere rationibus.

Ioan. 3.
Ioannes Vvicleff quid ad Baptismi necessitatem tollendam somniauerit.
Infr. 19.
Caluini de aqua lateris Christi commentum.

Hieronymi pulchrè dictum in Pelagianos.
Hieron. to. 2.

Lutherus quid senserit de Transubstantiatione.

Irridet Lutherus verbum Transubstantiationis, sed simul manente panis substantia adesse corpus Christi censet: non secus atque ferri natura permanet: quãdo ipsum est ignitum, & panis natura quando vino quod imbibit, est plenus. Alij etiam adiunxerunt, non fieri tansubstãtiationem, sed vnionem hypostaticã humanitatis, & substantiæ panis, & vini. Erasmus in Epist. priorem ad Corinthios: *In synaxi*, inquit, *transubstantiationem serò definiuit Ecclesia, & re, & nomine veteribus ignotam.* Scotus in quarto recitat ex Innocentio III. tres fuisse opiniones circa hanc mutationẽ. Prima, quod panis substantia remanet, & tamen cum ipso verè est corpus Christi. Altera, quòd panis substantia non manet, & tamen nõ cõuertitur in corpus Christi, sed desinit esse, aut in nihilum conuersione, aut resolutione in præiacentem materiã, aut corruptione in aliud. Tertia, quòd panis transubstãtiatur in corpus, & vinum in sanguinem. Quælibet autem harũ trium positionum, istud commune obseruare contendit, nimirum ibi verè adesse corpus Christi, quia hoc negare, esset planè cõtra Fidem. Quod verò ibi panis substantia nõ remanet, iam etiam vt articulus Fidei, in Ecclesia definitum est, & conuersionis siue transubstãtiationis nomen euictum; etiãsi modus conuersionis, an desinente videlicet substantia panis & vini, & subintrante corpore, & sanguine Christi sub relictis speciebus, an verò transmutatione substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, nondum sit definitum. Nam quocunq; modo contingat, potest dici cõuersio, siue transubstantiatio. Vanum porrò figmentum est, quod quidam dicunt de vnione hypostatica Humanitatis cum substantia panis & vini, vt inferius in hoc tractatu ostendemus.

Aliorũ quorundam figmentum.
Erasmus in cap. II. prioris ad Corinth.
De Transubstantiatione triplex opinio.
Scot. in 4. dis. in 11. q. 3.
Innocen. III. De offi. Missæ. par. 2. c. 26.
Prima opinio.
Secunda.
Tertia.

Quid in articulo Transubstantiationis non sit ab Ecclesia definitum.

Quòd igitur panis & vini substantia post consecrationem, siue benedictionem, quæ verbis Domini fit, non remaneat; ex Scripturis, rationibus, Patrumque testimonijs euincemus; deinde quod genus probationis firmus ac solidius existat, indicabimus. Necessariò autem statuenda est Transubstantiatio: tum vt excludatur panis & vini substantia, quam Lutherus, & aliqui admiserunt; tum vt verba Domini vera inueniantur, vt deducemus: tũ vt infinita Patrum testimonia de cõuersione, commutatione, transformatione, sanctificatione, consecratione, benedictione (tot enim ferè nominibus appellata ab illis Transubstantiatio est) firma sint, & non inania, vel futilia; tum deniq; vt solidam corporis, & sanguinis Christi præsentiam absq; vllo loci motu tueri possumus: nã quod in ipsum Christi corpus, quod in cœlo est, mutatur; non indiget aliquo locali motu, vt esse incipiat in Eucharistia. Quod enim eo motus genere mouetur vt incipiat esse in loco nouo, desinit esse in priori loco, vbi prius erat. Quod hic non contingit: nam peracta cõsecratione, Christus nõ minus est in cœlo, quam antea, nec minus est in Eucharistia, quàm in cœlo; licet in illa nouum modum existendi acceperit. Ad hæc impossibile erat, vt vnum, & idem corpus vno tantùm motu loci motum, ad diuersa loca terminaretur, cùm tamen Christi corpus pluribus ac diuersis locis sub Sacramento perfecto existat. Vt falsum omnino sit, quod hæretici Thomæ, vel Magistro Sentent. affingũnt, per transubstantiationem fieri, vt corpus Christi tantũ sit in cœlo, & non in alijs locis; cùm oppositum potius asseratur, &

Transubstantiatio tribus de causis statuenda est.

Transubstantiationis ratio nominis.

Quid heretici Thomæ, vel Magistro Sententiarũ falsò affingant.

tur & consequatur, nimirùm mutationem panis & vini in corpus,& sanguinem Christi, efficere, vt corpus Christi simul sit in pluribus, & diuersis locis, citra tamen vllum loci motum.

Non remanere in Eucharistia substantiam panis, & vini, multis ostenditur.
I Locus. Ab autoritate Scripturarum.

Primum igitur ex Scripturis ita colligitur: *Accepit enim Iesus panem, & benedixit, deditq́, discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum.* Ergo non erat ibi panis communis: nam aliàs de pane corpus Christi, hoc est, vna natura diuersa, siue vt Dialectici vocant, disparata, de altera prædicaretur: valet enim argumentum, si hoc est lac, non est ferrum: ita etiam valebit, si hoc est corpus Christi, ergo non est panis: cùm tamen repugnet, vnam naturā de altera diuersam dici, vt hominem esse equum, citra tropum, vel metaphoram. Nam illud pronomen Hoc, demonstrat quicquid sub speciebus continetur illis: nec dixit Hic, vel in hoc loco, sed, hoc est corpus meum. Igitur Dominus cōuersum panē in corpus suū porrexit.

Exemplis res illustratur.

Perinde ac si quis semen manu acciperet, mox inde natum florem alteri porrigeret, aliud profectò acciperet, & aliud daret: possetq; dicere: Accipe, hic est flos. Ad hæc verba Domini dicentis: *Hoc est corpus meum,* vera nō essent, si ibi adesset panis substantia. Nā ostensis & porrectis manu auro, & argēto, non rectè quis diceret, nec plenè, aut integrè; Accipe, hoc est aurum, cùm sit etiam argentum: vel è contrario, Accipe, hoc est argentum, cùm etiam aurum existat. Et dicendum esset: Accipe hoc est aurum, & argentum. Ita hîc Christo, cùm porrigeret panem cum Eucharistia, dicendum erat; Accipe, hoc est panis, & corpus meū. Qui ergo Lutherum sectati defendunt panem cum Christi corpore, verbo Dei addūt, sicut Zuingliani dicentes esse symbolum corporis in cœlo residentis, verbis filij detrahunt.

Lutherani, & Zuingliani addunt verbo Dei, & Filij eius Iesu Christi.

Incommodè etiam, & contra rationem Grammatices pronomen neutrius generis Hoc, panē masculini generis demonstraret: non igitur dixit hic, sed hoc, scilicet contentum sub panis speciebus. Et Christo dicēte: *Hoc est corpus meum,* asserere, sensum esse, Hic panis est corpus meum, nihil est aliud quàm addere verbo Dei; quia ille nil de pane dixerat. Nec minus absurdum est dicere, panem manere, quando est corpus Christi, quàm, virga Moysi mutata in colubrum, dicere virgæ formam adhuc manere sub colubro.

Exod. 7.
II. Locus. *Luc. 22.*

Deinde idem ostenditur ex illo Lucæ: *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnū Dei veniat:* quod si dictum est de poculo legali; quando ergo dixit: *Hic est sanguis meus,* vinum commune non erat, aliàs contra promissionem suam egisset.

III. Locus. *Ioan. 6.*

Tertiò, vox Domini est apud Ioannem; *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* vbi non alium panem designat se daturum, quàm illum, qui sit eius caro; ideò subdit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Caro enim mea, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* cùm ergo tanta asseueratione & inculcatione carnem suam, panem & verum cibum, & subinde sanguinē suum verum potum nominauerit; profectò omnem aliam substantiam panis, & vini exclusit, quæ constat satis cibi & potus habere rationem.

Rationibus idem ostenditur.
Eucharistia, communio cur appelletur.
1. Cor. 11.

Præter Scripturas, producuntur nonnullæ rationes, quæ idem confirmant. Inter quas prima sit ex verbo communionis: quæ ideo dicitur, quia eodem numero pane communicāt sumentes, iuxta illud: *Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus: omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus:* non esset autem vnus panis numero, si maneret substātia panis; quia essent diuersi panes.

II. ratio.

Secunda ratio, sit ex adoratione: qa cùm adoremus id, quod delitescit sub speciebus; substantiam panis, si ibi adesset, adoraremus.

Petri Martyris blasphemia in Eucharistiam adorantes.
Ioan. Alasco, Lutheranis quid obyciat.

Hinc Petrus Martyr detestandā vocat idololatriam, quòd in pane & vino corpus verè & corporaliter esse credamus; scribēs in Westphalū Lutheranum. Et Ioānes Alasco obijcit Lutheranis ἀρτολατρείαν, particulasque illas, Sub, Cum, In, quæ pani solent apponi, minimè ferēdas in Ecclesia. Dicunt enim Lutherani, in pane, vel sub pane, vel cū pane esse corpus Christi.

III. ratio. Quid Deo in Eucharistia sacrificetur.

Tertia ratio ex sacrificio desumitur: id enim sacrificatur, quod latet sub speciebus panis, & vini, & si lateret panis, ille etiā sacrificaretur. Quod valdè derogaret nobilitati ac dignitati Noui Testamenti: maiora enim, & nobiliora Patres olim, quàm nos Deo obtulissent.

IV. ratio.

Quartò, quia in Nouo Testamento non esset vnica hostia, contra Paulum, sed essent tot hostiæ, quot sunt substantiæ panum diuersorum.

Quinta.
1. Reg. 5.

Quinta, quia videtur quòd substantia panis debeat cedere Deo aduenienti, in eius reuerentiam; quemadmodum idolū Dagon cessit arcæ Domini.

Sexta.

Sexta, quoniam si esset substantia panis in Eucharistia, panis esset cōmunis; & sic non esset panis purè spiritualis refectio, sed corporea, & non diceretur panis supersubstantialis.

Septima.

Septima, species non immediatè deducerent ad Christum, sed ad substantiam panis, & non posset vna hostia sumi post aliam, quia solueretur per primam naturæ ieiunium, quod ex reuerentia debetur Sacramēto: cumq; August. tradat hunc panē Eucharistiæ non descendere in ventrē, nec per secessum emitti: si panis substantia re-

Augustinus.

maneret, dictum Augustini falsum esset.

Octaua.

Octaua, eo quòd nō esset mysterium fidei Eucharistia, sicut est ablata substantia: quia ea posita, multa miracula de medio tollerentur, in quibus credendis viua exercetur fides.

Nona.

Nona, in Eucharistia est præsens corpus Christi, vbi antè non erat: & non per mutationem Christi, quia idem remanet in cœlo, nec per mutationē specierum, cū eædem remaneant, vt sensus docet; ergo per mutationem ipsius substantiæ, quæ in Christum conuertitur.

Decima.

Decima, negantes transubstantiationem, peiores sunt dæmone, qui dicebat: *Dic vt lapides isti panes fiant*, & Magis Pharaonis, qui viderunt aquas cōuerti in sanguinē, & virgas in serpentes, & architriclinio, qui gustauit aquam vinū factā. Quòd si adhuc dubitas, quomodo panis fiat corpus Christi, & vinū sanguis eius; cōsidera hoc opus esse supra naturam, nec habere exemplum, nisi valdè remotum.

Matth. 4.
Exod. 7.
Ioan. 2.

Quibus reb' & quo pacto persuaderi valeat hæc panis viniq; cōuersio in corpus & sanguinē Christi.
Naturæ conuersiones admirabiles.

Perpende igitur Naturā, Artem, & Scripturam, quæ quodammodò ad hanc mirabilem, & stupendam conuersionem manuducere possunt. Ars quidem ostendit, cùm virtute ignis herba, vel cinis conuertitur in vitrum, & terra vi eadē mutatur in ferrum, vinum in aquam vitæ. Natura verò idem indicat, quia homo virtute caloris naturalis cibum vertit in carnem, & sanguinem, & in ossa, neruos, humores, vngues, crines: herba in vellera ouium: petræ duræ cōuertuntur in ventre columbarum in carnem, ferrū à Struthione camelo conficitur, atq; fit caro, ouum in mirabilē pauonem, glans parua in ingentē quercum, humor aquosus vitis in vinum; apes quicquid edunt in floribus, conuertunt in ceram & mel, aqua vi frigoris, in gelu, & crystallum. Si ergo ars & natura tantum possunt; quid non Deus? Deniq; Scriptura refert, virgā Moysi conuersam in serpentem, flumina in sanguinē, vxorē Loth in statuam siue petram, saxum percussum à Moyse in aquam, aquam in vinum à Cana Galilææ, vinum ergo in sanguinem in cœna.

Exod. 19.
Exod. 17.

Quid de hac conuersione quidam viri Catholici senserint.

Quibusdam tamen viris & Scriptoribus visum est, hunc articulum ex sola Scriptura, vel ex solis rationib' posse contra hæreticum conuinci, sed tantùm ex Conciliorum definitione, & Patrum traditione: nam facilè esset soluere locos Scripturæ citatos, & rationes. Ideo in Patrum traditione magis standum illis videtur: quę absq; dubio, vt annotauit Scotus in quarto, posteros ad credendā rem tam difficilē non obligassent, nec ipsi eam tam constanter asseuerassent, nisi res hæc accepta esset ab ipso Christo per Ecclesiæ columnas tradita; præsertim cùm posita substantia panis commodè saluari possit Christi præsentia ibi, & effectus suæ gratiæ, & miracula multa excusarentur, quæ, nisi Fide suadente, multiplicare non debemus.

Scotus in 4. dist. 11. q. 3.

Traditiones.
A Conciliorum generalium autoritate.
VIII. Synodus Act. 4.

Porrò traditionem in Conciliorum testimonia, Pontificum decreta, & veterum Doctorum sententias distribuimus. Inter Concilia igitur VIII. Synodus, ex epistola Nicolai hæc verba recenset: *Panis qui super mensam altaris offertur, panis est communis: sed quando ipse Sacramento sacratus fuerit, corpus Christi in veritate fit, & dicitur. Sic & vinū modicū aliquid digna existentia ante benedictionē, post sanctificationē verò Spiritus sanguis Christi efficitur.* Adhæc Concilium Turonēse, Wercellense, & Romanum sub Nicolao II. & Gregorio VII. contra Berengarium idem definiunt. Itē Concilium Lateranense sub Innocētio III. & habetur de summa Trin. & Fid. Cath. c. firmiter. vbi definitur: Transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, &c. Constantiense Concil. sess. VIII. hanc damnat propositionem Wicleff. Nam primus eius articulus ibi damnatus est: Substantia panis materialis, & similiter substātia vini materialis, manet in Sacramento altaris. Concil. Flor. in instruct. Armenorū, in hunc modū statuit: *Forma huius Sacramenti* (scilicet Eucharistiæ) *sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur*, & reliq. Concil. Tridentinum sess. XIII. can. II. ita decernit: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini vnà cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritq; mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manētibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidē conuersionē Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit.*

Conc. Turon.
Conc. VVerc.
Concil. Rom.
Conc. Lateran. sub Innocent III. c. 1.
Constant. Cōcilium
Conc. Floren.
Concil. Trid.
Suprà c. 4.

Pontifices.
Greg. Roman

Accedunt ad hæc Concilia Pōtifices. Inter quos Gregorius homilia 14. in Euangelia: *Bonus pastor pro ouibus suis animam suam posuit, vt in Sacramento nostro corpus suum, & sanguinem verteret; & oues, quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.* Innocentius III. in cap. cùm Marthæ, de celebr. Miss. *Quæsiuisti*, ait, *quæ sit forma verborum quā ipse Christus expressit, cùm in corpus & sanguinē suum panem transubstantiauit, & vinum.* Hęc ille: vbi non tantùm rem, sed etiam vocabulum habes. Clemens V. in Clementina de reliquijs, & veneratione sanctorū, in hoc Sacramento ait innouata esse signa, & mirabilia immutata. Adiungimus prętereà veteres Patres, inter quos Iustinus in Apologia pro Christianis

Innoc. III.
Clem. V.
Veteres Patres.
Iustin. Martyr tom. 1.

ad An-

Ioan. 1.

ad Antoninum Pium, ita habet: *Non enim vt communem panem, neq; communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster, & carnē, & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi eius ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam. Vnde sanguis, & caro nostra per mutationē aluntur, incarnati illius Iesu carnem, & sanguinē esse edocti sumus.* Hæc ille. Vbi apertè vides hanc conuersionem, siue transsubstantiationem insinuari. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses: *Quemadmodum*, inquit, *qui à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non cōmunis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iā non sunt corruptibilia, spē resurrectionis habentia.* Sic ille, docēs Eucharistiam cōstare ex re terrena, & cœlesti propter species q̃ remanent, & corpus Christi sub illis positum atq; contentum. Et lib. 5. apertius: Quādo ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbū Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi, ex quibus augetur, & cōsistit carnis nostræ substantia. Dionys. Areop. lib. de Eccles. hier. Exacta diuinorū operum laude, veneranda mysteria cōficit, atq; in conspectū agit. Ad hæc D. Ignat. in epist. ad Romanos, ait: *Non comedam escā corruptionis, neq; voluptates huius mundi desidero: Panem Dei volo, panem cœlestem, panē vitæ, qui est caro Iesu Christi Filij Dei viui (qui natus est in nouissimo ex semine Dauid, & Abrahæ) & potum volo sanguinem eius; qui est dilectio incorruptibilis, & vita æterna.* Hæc S. ille Ignatius, qui cū hæc scriberet, & iam Christum in se per fidem viuam habitantem haberet, cupiebat vesci, & potare verum sanguinē in Eucharistiæ Sacramento: vt iam non solùm spiritualiter, sed etiā substantialiter Christi corpus acciperet, & illi incorporaretur. Cypr. serm. in cœna Domini: *Panis iste cōmunis in carnem, & sanguinem mutatus, procurat vitam, & incrementum corporibus.* Et infra: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, nō effigie, sed natura mutatus, omnipotētia Verbi factus est caro.* Cyrillus item Ierosol. catechesi 5. mystagogica, de conuersione ita scribit: *Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita sanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinē Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur.* Et paulo antè in 4. catechesi mystagogica dixerat: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.* Chrysostom. in Matthæum similia habet: *Non sunt humanæ virtutis opera, quæ tunc ipse fecit in illa cœna ide*

Irenæ. lib. 4. cap. 34.

Idem.

Dionys. lib. de Eccl. hierar. c. 3 part. 3. post med.

B. Ignat. ep. 15

Ioan 6.

Matth. 1. & Rom. 1.

Cyprianus.

Cyril. Hierof.

Idem.

Chryf. hom. in Matth. 83. tom. 2.

eadem nunc quoq; facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui verò ea sanctificat, & ipse est. Gregorius Nyssenus de sancto Baptismate libro: *Panis item*, inquit, *panis est initio communis: sed vbi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi & dicitur, & est. Eo modo vinum: cū sint res exigui pretij ante benedictionem, post sanctificationem, quæ à Spiritu procedit, vtrumq; eorum excellenter operatur.* Eusebius etiā Emissenus homilia de Pascha: *Nam inuisibilis Sacerdos, visibiles creaturas in substantia corporis, & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit.* Damascenus lib. de fide orthodoxa Græcè sic habet: *Panis, & vinum* μετ. ποιοῦνται ἰςῶ σῶμα κ̀ αἷμα τοῦ Κυρίου. Theophylactus in Matth. c. 26. explicans illa verba: *Hoc est corpus meum*, interprete Oecolampadio, ponit transmutationem: sicut in Marci 14. eadem verba exponens, vtitur voce transelementationis: & in ca. 6. Ioannis vtitur verbo Transformationis. Ambrosius lib. de ijs qui mysterijs initiantur, & lib. de Sacramentis: *Panis iste, panis est ante verba Sacramētorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Adhæc lib. de Fide, declarans quomodo Filius viuit propter Patrē, subiungit citatis illis verbis Ioannis: *Nisi manducaueritis carnem, &c. Carnem audis, sanguinem audis, mortis Dominicæ Sacramenta cognoscis, & diuinitati calumniaris? Nos autem quotiescunq; Sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur, & sanguinē, mortem Domini annuntiamus.* August. ser. 28. de verbo Domini: *Cum de Sacramentis tractarem; dixi vobis quod ante verba Christi quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* In quibus Augustini verbis, dici, & appellari sumuntur pro esse. Idem docet in libris contra Faustum Manichæum, vbi sic habet: *Noster autem panis, & calix, non quilibet quasi propter Christum in spicis, & sarmentis ligatus, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.* Rursus Beda lib. de mysterijs: *Dicimus quod substantia corporis Christi in altari est, vbi forma corporis Christi nō videtur. Sic ibi forma panis videtur, vbi substantia panis nō est: nec est ibi alius panis quā panis qui de cœlo descendit.* Ansel. in quadā epist. *Panis substantiam post Dominici corporis consecrationem, in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana, nuperq; damnauit Ecclesia.* Bereng. in libello, quē edidit reuertens ad vomitum, scripsit; quòd non maneat substantia panis in Eucharistia, opinionem esse vulgi, Lanc franchi, & Paschasij. Vbi fatetur, Ecclesiam sui temporis, quam vulgus vocat, sentire substantiam panis abesse ab Eucharistiæ Sacramento. Fortiter igitur ex Pa-

Greg. Nyssen.

Euseb Emiss. hom. 5. de Paschate.

Damasc lib. 4 de fide orthodoxa, c. 14.

Theophyl.

Idem.

Idem.

Ambr. lib. de ijs qui mysterijs initiantur, cap. 9. & lib. 4. de Sacram. cap. 4. tom. 4. Idem lib. 4. de fide, cap. 5. tom. 2.

Ioan. 6.

Aug. tom. 10.

Idem lib. 20. contra Faust. ca. 13 tom. 6.

Beda.

Ioan. 6.

Anselm. ad Vrbanum Papam.

Bereng.

Iulia fertur Octauiani Augusti filia ouum in gremio suo diu fouisse, quo ad substantia tota versa est in pullum.

liam Octauiani Augusti filiã referũt ouum in gremio suo diu fouisse, quoad substantia tota versa fuisset in pullũ. Nunc si dixeris, Iuliam ouum accepisse, & postquã diu fouit, fregisse, & dedisse nutrici, verum diceres: nec tñ verum erit, quòd ouum ipsa dederit, sed pullum sub testa, quæ diu fuerat ouum. Ita de corpore Christi dicendum.

III. Argum. ex Patribus.

Tertiò argumentantur ex Patribus: Extat enim fragmentum de duabus naturis in Christo cõtra Eutychetem, & Nestorium, quòd in Antidoto contra omnes hæreses tribuitur Gelasio Romanæ Ecclesiæ Episcopo, quod ita habet: *Sacramenta quæ sumimus corporis, & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini. Et certè imago, vel similitudo corporis, & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo vobis euidenter ostenditur, hoc vobis de ipso Christo Domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & scimus, vt in hanc scilicet Diuinam transeant, Spiritu sancto perficiente substantiam, permanente tamen in sua proprietate natura.*

Gelas. Papa.

2. Petr. 1.

Solutio.

Platina in vitis Pontificũ. Trithemius.

Respondemus, quòd quia nec Platina, nec Trithemius hoc opus tribuunt Gelasio, sed tantùm meminerunt quinque librorũ Gelasij, quos scripsit in Eutychen, & Nestorium; & fragmentum illud asserit, recentem esse altercationem de Saluatoris deitate, & humanitate, super quã tamen ante plures annos tempore Leonis in Concilio Chalcedonensi fuerat definitum, damnatiq; Eutyches, & Nestorius; planè ostendit opus non esse Gelasij. Nam Gelasius Concilij illius determinatione, & damnatione illorũ libenter vtitur in suis epistolis; quarum tamen illud fragmentum nec meminit quidẽ. Videtur igitur opus esse Gennadij Massiliensis presbyteri, qui, secũdùm Trithemium, scripsit, non sine multis erroribus, in Eutychetem.

Gennad. Massiliens. presbyter.

II. Solutio.

Potest etiam solui, dicendo, quòd non desinit substantia, & natura panis, & vini externa, hoc est, qualitates, & proprietates cũ dimensionibus panis, & vini naturalibus, quæ dici possunt quodammodò eorum natura. Quod ipse videtur explicare, cùm ait, panem, & vinũ in proprietate suæ naturæ permanere, non in suis substantijs, quas apertè dicit, diuino Spiritu perficiente, in diuinam trãsire substantiam. Nec refert, ad conuincendum errorem Eutychetis, an maneat panis, & vini substantia secundùm se, an secundùm suas proprietates: quia hæresis eius erat, Christum constare duabus naturis ante vnionẽ distinctis, nõ autem post vnionem naturarum: & ideo non ponebat in Christo nisi vnam naturam, proprietatem autem vnius naturæ voluntatem vnã. Si ergo nõ desinit substãtia panis, & vini secundùm suas proprietates, & officia, quanquã non maneat substantia, efficax est ratio contra Eutych.

Error Eutychetis de duplici Christi natura ante vnionem distincta.

Quis sensus Irenæi, & eorũ omnium Patrum, qui asserunt in Eucharistia, panis & vini remanere substantiam.

Irenæ lib. 4. c. 34. sub fin. Theod.

Idem dicendum est de sententia Irenæi, qui libro aduersus hæreses docet, Eucharistiam duabus rebus constare, terrena scilicet, & cœlesti. Et Theodoritus II. Dialogo ita habet: Substantiam, quæ ob oculos ponitur, non mutari, id est prima accidentia, quæ sub sensum cadunt (nam propriè substantia non cadit sub oculos) esse igitur accidentium, & eorum operationes naturales à Philosophis vocantur substantia, natura, & essentia, non simpliciter, sed secundùm quid. Et ita soluẽdæ sunt autoritates Patrũ quæ simile quid continere videntur, vt Origenis in Matthæum, Cypriani de cœna Domini, & Augustini ad Prosperum: qui non loquuntur de substantia physica, quæ accidẽtibus subsistentiam pſtat; nam hanc omnino mutari, Patres omnes testãtur, sed de extrema forma, & operationibus accidentium. Cùm enim Eucharistiæ Sacramentũ speciebus panis, & vini, & corpore, & sanguine Christi constet, mirum esse nõ debet, si à Patribus modò his, modò illis vocibus frequenter nuncupetur: vnde & Paulus modò panem, modò corpus Domini vocat.

Orig. loc. cit. Cyprian. Aug. ibidem.

1. Cor. 11. Suprà cit.

Calvini contra transubstantiationẽ refellitur inanis cauatio.

Illud quoq; arguit Caluinus in transubstantiationẽ, ex eo quòd inutilis sit: *Quia ex ea*, inquit, *proueniret, vt pretiosum hoc corpus commune fiat & Iudæ, & Petro, ac vt ad momentum tãtum adsit nobis durantibus speciebus, moxq́; abeat. Inutile autem apparet id habere, quod & Iudas habuit, vel quod illicò amittas.* Sed eadem ratione si quicquã ponderis haberent, euincerent, prædicationẽ Euangelij, & Baptismũ inutilia esse, vtpotè pijs, & impijs communia, transeuntq; & non permanent. Inutile quoq; fuisset infantulis, & infirmis, Christum tangere, vt quem & turbæ infideles comprimerent: & stultè Christus dixisset: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, quia illi nõ diu hoc viderunt, & pariter impijs, & pijs præsens erat. Vtilem ergo dicimus corporalem Christi præsentiam, quia Petrum fidelem firmat, & nutrit, & sanat, etsi infidelem Iudam perturbet, & scãdalizet, vt bonus odor serpentem. Et licet diu frui Eucharistia non contingat, magnã tamen virtutem sui reliquit.

Marc. 5. Matth. 13.

Boni odoris virtus.

Ioan. 6.

Quòd panis & vinum non vniantur hypostaticè Christi Humanitati.

Quod verò secundo loco propositũ est, panẽ & vinum vniri hypostaticè ipsi Christi Humanitati, ex multis ostẽditur falsum, atq; hæreticum. Primùm, quia Humanitas in verbo non habet propriam subsistentiam, & ita ad illam assumi panis non po-

test: quod enim p se nō subsistit, quomodo alteri subsistētiā suā cōmunicabit. Deinde illud q alteri subsistentiam suā, & hypostasin donat, & cōmunicat, necessariò est ens infinitū: at humanitas secundū se finita est, ac pinde illi panis vniri hypostaticè nō potest. Si aūt vnio Humanitatis cū pane intelligatur, nō quidē ratione sui, sed Verbi, cui est vnita; sensus esset Hæreticus. I. q a absurdū est valdè, vt ait Durād⁹, Deū toties, & tā vili creaturæ, vt est purus panis, maximè p tā paruo tēpore hypostaticè vniri, cū mun⁹ hoc, vel Angelis, & B. Virg. sit denegatū, & soli Christi Humanitati cōcessum. Deinde q a vnio hæc summa est diffusio diuinitatis in externis operibus, ita vt nō possit diuina bonitas se plus alicui cōmunicare, p quā tribuit totū suū esse psonale, & ob q̄ vnionē cōsequenter debet summus honor creaturę, cui ita vnitur: sed Deus nunq̄ hāc diffusionē bonitatis suæ in Ecclesia sua pdidit, neq; hūc honorē pani, aut vino exhibendū esse docuit: hāc ergo vnionē nunq̄ fecit, vel faciet. III. q a tam Christus, qui Deus est, q̄ ipse idē, quaten⁹ homo corruptibilis esset, & indies corrumperet, corrupto pane, cui hypostaticè esset vnitus, & cuius prædicata ei cōuenirent pter cōmunicationē idiomatū: itaq; sicut panis corrumpit, ita Christus, Deus, & homo, corrūperetur, cōtra illud Apost. *Christ⁹ resurgēs ex mortuis iā nō moritur, mors illi vltrà nō dominabitur.* IV. Lutherus hoc dogma somniauit, vt semel à se vt verū dictum tueret, nēpè panē esse corpus Christi; & tn̄ adhuc hoc nō sequeretur. Nā ex quo hoc dictum est, nō vniret hypostaticè panis immediatè ipsi humanitati, sed Verbo: nō sequeretur panē esse corp⁹ Christi, sicut nec in ipso Christo animā esse corp⁹, vel humanitatē diuinitatē. V. videri posset hęc sentētia cōtra definitionē cōc. Chal. militare. Est n. in illo definitum, in Christo tm̄ esse duas naturas; secundū tn̄ hūc errorē essent quatuor, nimirū Diuina, & humana, & illa panis, & vini: atq; ita Christ⁹ dicēdus esset impanatus, & inuinatus, vt sic loquar, sicut dicitur incarnatus. VI. idē colligimus ex nouitate opinionis. Nā vt scripsit Lancfran. in Berēga. cui fuit coętaneus, ante Berengar. nullū hāc opinionē legit tenuisse. Sic eīm scripsit (vt refert Wilielm. Widefordus in lib. cōtra artic. Wicleffi. *Sentētia quòd panis, & vinū sunt solummodò Christi corpus, & sanguis, nullius hominis erat opinio.* Sic ille. Vnde eodem Wiliel teste, Guimund. Auersā. episc. l. de Corp. & sang. Christi cōtra Berēgariū, duas successiuè hæreses (inq t) tenuit Bereng. in hac materia: priorem, q corpus Christi non realiter, & substātialiter, sed in figura cōtineretur in Eucharistiæ Sacramēto: q si dicitur panis, nonnisi p figurā, sicut dicitur Christus agnus, Leo, & lapis angularis: posteriorē verò, quòd corpus Domini nō verè, sed latēter contineē sub Sacramento: ita vt corpus Dn̄i dicatur impanari: & hæc fuit subtilior hæresis Berēgarij. Ex eodē Guimundo adducit dictus Wiliel. Hub. Cardin. Burgūd. cōposuisse cōfessionē illā, Ego Berēgarius. Alger. quoq; eiusdē tēporis scriptor, impugnās, vel hæreticā impanationē, ait: *Nō esset magnū quod Apostolus, ad cōmendandā hominibus Dei dilectionē, & humanæ naturæ dignitatē, ait: Quia Filius Dei Angelos nō apprehēdit, & ille, qui naturæ Angelorū contēpsit personaliter vniri, brutæ panis substātiæ impersonatus panis fieri vellet. Sua n. impersonatio iā nō hominibus singulis, quia etiā panibus facta cōmunis: sicut humanæ naturæ minueret dignitatē, sic etiā Dei erga homines min⁹ cōmendaret dilectionē. Et qui semel incarnatus paulò minus ab Angelis est minoratus, quia factus passibilis: hic toties impanatus, quoties in altari consecratur, ipsis hominibus multo minor fieret, qui factus irrationalis; & quia minor fieret illis redētis, nō videretur æquū, & sufficiēs esse pretiū redeptionis. Et cur De⁹ fieret aliud q̄ quod semel factus est, homo scilicet ad nostrā salutē; cùm nihil aliud operetur in Sacramēto q̄ quod semel operatus est nobis in seipso, in cruce scilicet, & in altari nostrā redemptionē: ad quā dignè suscipiēda semp signo suæ præsentiæ nostrā voluit excitare deuotionē p tanti sui beneficij, præsentis, & præteriti, cōmemorationē?* Hactenùs ille, eruditè admodum, & elegāter.

Ruit igitur sentētia Rup. Tuitien. in c. 12. Exo. dicētis. *Sicut Christus humanā naturā nec mutauit, nec destruxit, sed assumpsit, ita in Sacramēto nec destruit, nec mutat substātiā panis & vini, sed assumit in vnitatē corporis & sanguinis sui.* Hęc ille. Cuius sentētia omninò est deserēda: præsertim q in ca. 6. Ioan. vt confirmet corpus & sanguinē Dn̄i esse (vt loquit) panē, & vinum, q̄ consecrata sunt, dicit, aquā, vinū, & sanguinē, vnius esse substātiæ, nec differre nisi accidētibus. Et in c. 2. Ioan. idē docet de aqua & vino, dicēs, Christū substātię humoris, siue aquę accidēs adiecisse, & saporē nō substātiā mutasse. Habet etiā aquā de Tibri, vel Rheno haustam, & cruce Dn̄i cōsecratā ad baptismū, omninò eandē esse cum ea, quæ de latere Dn̄i confosso fluxit: quæ oīa à veritate, & Ecclesiæ sensu longè distant. Remanet igitur sola accidentia panis, & vini, quæ sensus percipit: & sunt sine subiecto, quia corpus Christi illis nō afficitur, & sola quātitas dimēsiua sine subiecto est, & sola alijs accidētibus prębet sustētaculū: vt pulchrè docet D. Tho. in lib. cōt. Gēt.

Delitescit ergo Christus sub speciebus

Marginal notes (left): II. ratio. — *Durand.* — Quale ac quantum sit donum Dei hypostatica vnio. — III. ratio. — *Rom. 6.* — IV. ratio. — Panē esse corpus Christi Lutherus somniauit. — V. ratio. *Conc. Chalc.* — VI. ratio. *Lancfrāc. antiqu⁹ scriptor* — *Vuiliel. Vuidefordus.* — *Guimūd. Auersan. episc.* Duplex error Berēgarij de Sacramento Eucharistiæ

Marginal notes (right): Berēgarij subtilior hæresis quænam. — *Vuilielm.* — *Alg. l. 1. de corpore Christi c. 7 & 8.* *Hebr. 2.* Si Christ⁹ secundùm Berengarium, in Eucharistia impanaretur, quę inde incōmoda secūdùm Algerium omninò consequerentur. *Ibidem.* *Psal. 8.* — Quid operetur in Sacramēto Eucharistiæ Dominus noster. — Rupert. Tuitien. opinio, panis, & vini substantiā in Sacramento esse dicentis, falsa conuincitur. — I. error Ruperti. — Tertius. — *Matt. 3.* *Ioan. 19.* Quid proprium quantitatis. *D. Tho. l. 4. cont. Gent. c. 65. tom. 9.* — Quamobrē Christus in Eucharistia sub speciebus panis & vini voluerit delitescere.

annotauit in capit. cum Marthæ, illas particulas formæ calicis tres primi Euangelistæ vno consensu retulerunt, quasi aliquid maioris energiæ in illis existat. Sed in forma panis Lucas cum Paulo addidit, Qui pro vobis datur, vel frangitur. Et ex dictis facilè soluuntur argumenta primo loco adducta.

Prioris sententiæ argumentis respondetur. *B. Thomas tom. 15.*

Nam B. Thomas in Commentarijs super priorem ad Corinthios cap. 11. scribit: *Dicunt quidam, quod quæcunq; forma verborum proferantur, quæ sunt in sacro Canone, sufficiunt ad consecrationem. Sed probabilius videtur dici, quòd illis solis verbis conficitur consecratio, quibus Ecclesia vtitur ex traditione Apostolorum instructa. Euangelistæ autem tantum intenderunt recitare verba Domini quantum pertinet ad rationē historiæ, non autem secundùm quod ordinantur ad consecrationem Sacramentorum.* Eadem prorsus docet 3. part. Ex quo colligo, illam sententiam, tanquam probabiliorem B. Thomam amplexatum, sed non tanquam Fidei articulum necessariò credendum. Si quis tamen Sacerdos illa verba omitteret, quæ iuxta ritum Ecclesiæ suæ dicere debet, etsi consecraret, sacrilegium grande perpetraret: vt nemo propter hanc sententiam verba consecrationis aut decurtare, aut producere possit. Et hęc satis de hac dubitatione.

Idem 3. part. q. 78. art. 3. in solut. ad vlt. 10. 12.

Ea verba Noui, & æterni Testamenti, cum reliquis, licet de essentia cōsecrationis nōn sint, cur omitti nō debeant.

Quid hæc verba significent: Pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Iam exponendum est illud verbum, *Pro vobis, & pro multis effundetur in remissionē peccatorum.* Pro vobis, inquit, sumentibus, quibus non tantū in ratione sacrificij prodest, sed etiam in ratione Sacraménti. *Et pro multis.* Etiam absentibus, & mortuis, quatenus sacrificium est: vt pulchrè exponit B. Thom. Vel, *Pro vobis*, electis efficaciter, & pro multis, ad sufficientiam, qui multi dici possunt. Verba etiam illa, *Qui pro vobis effundetur*, posita sunt ad distinctionem sanguinis Christi à sanguine animaliū veteris legis: nam sanguis ille effūdebatur in vindictæ protestationem, cui transgressores pacti fierent obnoxij; sanguis verò Christi, in vindictæ prometitæ remissionem. Idem tamē ille vitulorū sanguis, vt ait Paulus ad Hebræos, expiabat corpora, in typū quod Christi sanguis expiaret à peccatis conscientias nostras. Dicitur etiam, teste Euthymio, *Pro vobis, & pro multis*; ad differentiam sanguinis agni, vel vitulorum, qui pro solis Hebræis effundebatur, hic pro omnibus hominibus. Multos siquidem, hic dicit omnes: nā omnes multi sunt. Hæc ille ferè. Adhæc quia non omnes qui præcesserant, in Christum crediderant, similiter nec omnes erant credituri, qui futuri erāt, rectè dixit, pro multis, quia non omnes tanto beneficio digni sunt, nisi tantum qui fide il-

B. Thomas. Alter sensus.

Sanguis in lege cur funderetur.

Hebr. 9. III. sensus. *Euthy. c. 64. in Matth.*

IV. sensus.

lud acceptāt, Et in Græco fonte de pręsenti, ait, effunditur: quia peracta sanguinis effusione instabat mors, & iam erat inchoata Christi passio per proditionem Iudę. Sicut de præsenti dicitur de corpore: *Quod pro vobis datur*, vel frangitur. Effusus autem fuit in cruce, ad irrorandas animas, vt bene oleant corā Deo, & rubricādas vt oues suas, vt liberentur ab Angelo percutiente. Et vt vena scinditur ad salutē corporis totius; ita sanguis Christi ad salutem totius corporis sui mystici. Effunditur quoq; in mysterio Eucharistiæ per oblationem, & per modū repręsentandi effusionem factam in cruce, vt tanquam salutaris potio bibatur: non quod idem sit effundere, quod infundere, dum potamus Christi sanguinem, vt Hæretici volunt; sed ratione oblationis, qua tunc sanguinē suum Dominus Pater obtulit in remissionem peccatorum: vt Cyprianus tradit in epistola ad Cæcilium. Nā sanguinis effusio in remissionem peccatorum in Scripturis semper dicitur ratione oblationis sanguinis Deo factæ. Cui effusioni sanguinis in cœna factæ per oblationem fauet articulus apud Lucā, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: vbi poculum non potest dici effusum, nisi quia contentum in eo Deo libabatur. Et Ambrosius declarat se legisse in verbis cōsecrationis verbum Effunditur, illudq; intellexisse de effusione quę quotidie fit. Ait enim: *Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere*, &c. Sic ille. Effunditur ergo quotidie sanguis Christi ratione oblationis, quę in Missæ fit sacrificio. Est enim duplex vsus Eucharistiæ, nempe, offerre, & sumere: & sumptio quidem eius fit directè in vitæ spiritualis conseruationem, & augmentum, nō autem in peccatorum remissionem, nisi indirectè, vt dictum est supra. Oblatio verò fit etiam directè in remissionem peccatorum, quatenus scilicet ipsa rememorat oblationem, & effusionem sanguinis in cruce factam, quæ fons est omnis peccatorum remissionis. Ac subdit: *In remissionem peccatorum.* Nimirùm Noui Testamenti. Nam delicta, quæ post baptismū susceptum admittuntur, isto sacrificio expiantur: quia per illud impetratur nobis pœnitentia, & detestatio peccatorum, & in eius virtute valida est absolutio Sacramentalis; sicut & omnis huius sacrificij incruenti virtus tota deriuatur ex sacrificio cruento in cruce peracto: quemadmodum sanguis in cruce fusus per baptismum applicatus, delet peccata omnia ante baptismum admissa.

Quare de pręsenti dicitur iuxta Græcam literam, effunditur. *Luc. 22.*

Sanguis Christi in cruce cur fuerit effusus. *Exod. 12.* Simile.

Christi sanguis in Eucharistia quomodo fundatur.

Christi sanguinis effusio in Eucharistia ab infusione distinguitur aduersus hæreticos. *B. Cyprian. lib. 2. epist. 8.* *Luc. 22.*

Ambr. libr. 5. de Sacramen. cap. 6. tom. 4.

Eucharistiæ vsus duplex.

Huius Sacramenti virtus, & vtilitas quāta sit.

Subiungit Paulus: *Hoc facite, quotiescunq;*

uid: Hoc ite in mea mmemo- ionem. Cor.11.

liter sumi rpus man- icare in sui memoria- onem, aliter sum sangui- em bibere ræcipit hristus.

scunque biberitis, in meam commemorationem. Quemadmodum post benedictum panem dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita idem mandauit de calice, vt Paulus docet: & si discrimen sit non mediocre inter vtrumq; præceptum. Nam primum illud absolutum est, & à nulla pendens conditione; posterius verò indicat, vt quoties bibãt, id faciant in Christi memoriã. Sed etsi simpliciter præcipitur vt corpus Domini edatur; non tamen absolutè, vt calix Domini bibatur in Christi memoriam, sed vt quoties bibitur de calice, memoria Domini recolatur. Vnde & declarãs idem Paulus hoc ipsum Christi verbũ, quid sit illud, in mei commemorationẽ, subiungit: *Quotiescunq; enim manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Etsi autem sit in memoriam cœnæ, nõ tollit recordationem mortis Christi: quia illa cœna facta est pro discessu ad mortem, vt canit Ecclesia:

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Simile.

Estque simile ac si Princeps donaret alicui pretiosum, & aureum poculum, ea lege, vt quoties biberit, dantis cũ gratiarum actione recordetur: quòd si quis adeò desiperet, vt tali poculo vteretur pro matula, aut in alium vsum sordidum, & contumeliosum conuerteret, dignus profectò esset, qui tãto dono spoliaretur, & graues lueret pœnas. Nec ob aliam existimo causam multas Septentrionis prouincias à fide huius Sacramenti excidisse, tantoque Eucharistiæ munere spoliatas; nisi quod ad quæstum, & prauas carnis cupiditates explendas, Sacerdotia, Episcopatus, & beneficia Ecclesiastica ambirent, nullam habẽtes rationem reuerentiæ, aut venerationis, quę tãto Sacramento debebatur: vt timẽdum sit, ne idem nobis contingat.

Septẽtrionalium gentium defectionis à fide catholica causa præcipua.

Expenditur: Dico aũt vobis, Non bibam amodo, de hoc genimine vitis. Matt. 26. Marc. 14. Aug. l. 3. de consen. Euãg. c. 1. 4: tl. 10. 4. Sensus hæreticorum refellitur. 1. Cor. 10. Infrà 11.

Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, cũ illud bibam vobiscum nouum, in regno Patris mei. Hoc referunt Marcus & Matthæus dictum post calicem sanctum benedictum; Lucas verò (vt Augustinus docet) per anticipationem de calice prius locutus est, quàm de pane. Nam quæ Lucas ante panẽ de calice dixit, & quæ post panem iterũ de calice, si simul coniungantur, nihil plus dicunt, quã quod solus Matth. & Marcus. Vrgent hæretici hæc verba volentes ex illis elicere, post cõsecrationẽ certum esse manere vinum, imò in calice nihil esse pręter purũ vinum: quia Dominus illud demonstrando, vocat generationem vitis. Sed facile est responde-re, propter speciem vini quæ remanet, & ex qua factus est Christi sanguis, dici genimen vitis; sicut propter accidẽtia panis ab Apostolo, & à Domino vocatur Sacramentum Eucharistiæ panis. Et quod hic dicitur de hoc genimine vitis, Marcus Græcè sine pronomine dixit, de genimine vitis absolutè. Quod autem Dominus hic pollicetur se non gustaturum vinum, donec illud biberet in regno post resurrectionem, non violauit quando sumpsit acetum in cruce: nam acetum vinum non est, & à vino myrrhato abstinuit. Quod sit autem regnum Patris, in quod veniens bibit vinũ nouum cum Apostolis, forsitan dubitari queat, vt ab Hedibia dubitatur quærente id à Hieronymo per epistolã, & ab Eucherio Lugdunensi Episcopo dubitatum est. Quidam dicunt esse resurrectionem, quãdo Dominus cum Apostolis manducauit, & bibit, vt Chrysostomus exponit. Nouum, id est, nouo modo ob corpus immortale, cibo, & potu non egens. Roffensis lib. 5. in Oecolampadium, colligit ex his Domini verbis, Christum illo paschate impleto (quod factum est per resurrectionem) comedisse, & bibisse cum Apostolis, cum agnitus est à discipulis euntibus in castellum Emmauntis. Vel regnum Dei vocat Ecclesiã nouellam, & primitiuam, in qua regnat Deus, quæ in cõmunione sub vtrãq; specie porrecta vitã spiritualẽ ducebat. Et Christus in suis mẽbris edebat, & bibebat, non tantùm nouo modo, vt prius, sed etiam nouum, hoc est, immortale, & impassibile. Nã in cœna Porrexit illis mortalem, & passibilem sanguinem, licet modo quodã, qui sub aspectum, vel sensum vllum non caderet, in Sacramento existentem, postea verò impassibilem, & immortalẽ sanguinem, & non tantùm insensibili, ac impassibili modo existentem. Tertiò, per regnum Patris potest accipi regnum quod in cœlis expectamus post mortem, vt interpretatur Greg. Nazianz. oratione in sanctum Pascha; de quo dixit Dominus, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum; vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*: atque ita nunc nouum cęlestium deliciarum vinum sine vlla vmbra bibit. Primò enim vmbra tantùm fuit in lege: deinde vmbra, & res, vt in Eucharistia: posthæc res sola in cœlo; & ideo dicitur nouum. Et in primo sensu, regnum, est resurrectio Christi: in secundo, aduentus Spiritus sancti faciẽs Ecclesiam: in tertio cœlestis gloria. Hieronimus verò à literali sensu declinauit ad mysticum, intelligens Dominum de vinea Iudæorum non bibiturum, nisi

Marc. 14. Ioan. 19. Quomodo Christus se non gustaturum vinum pollicetur, nisi in regno Patris sui post resurrectionẽ cùm in cruce acetum sumpserit. Hieron. ad Hedib. q. 2. tom 3. Eucher. in quæst. in Mat. in fine. Marc. 15. Quid sit illud regnum Patris, in quod Christ[us] veniens bibit vinum nouũ cũ Apostolis. I. opinio. Chrysost. ho. 18. in Matth. tom. 2. Roffen. Luc. vltim. II. opinio.

III. opinio. Greg. Naziã. Luc. 22.

Quartus sensus Hieronymi. Hieron. to. 9.

cùm post plenitudinem Gentiũ etiam ipsi fuerint ingressi in Ecclesiam Christi quę est regnum Dei. Atque hinc habes, Christum prius in cœna prægustasse, quàm alijs exhiberet, contra dogma Lutheranũ: hæc enim Domini verba indicant illum bibisse. Secũdò, quia Iesus cœpit facere, & postea docere: *Hoc facite*. inquit, *in meam commemorationem*; nimirum quod ego feci, vt docet Dionys. Areopagita. Vt propterea meritò cantet Ecclesia

Act. 1.

Dionys. lib. de Eccl. hierarc. cap 3 par. 3. propè finem.

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit
Solu presbyteris, quibus sic congruit,
Vt sumant, & dent cæteris.

Vt moris est perpetuò facere, dum conficiunt Sacramentum, si tamen sint qui velint communione participare. Tertiò, quia vt ait D. Chrysostom. in hęc verba: Apostoli horruissent carnem, & sanguinem sumere: propterea prior ipse prægustauit. Quartò, aliàs Christus non fuisset conuiua, nec conuictor, vt aiunt Sancti, & pręcipuè Hieronymus ad Hedibiam, sed esset conditor, instructorq; conuiuij. Nam qui ad cœnam, vel conuiuium alios vocat, debet & ipse conuiuari, vel cœnare. Hunc ergo pretiosum sanguinem venerabundi, & apertis viscerum præcordijs suscipiamus, qui tunc grato demum animo suscipitur, si nostrum sanguinem pro illo fundere parati simus, ad gloriam illustrandam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto dãda est omnis gloria, honor, & imperium per omne seculum, Amen.

Chrysos. hom. 83. in Matth. tom. 2.
Hieron. ad Hedib. q. 2. tom. 3.
Christi sanguis vt nobis venerandus, & suscipiendus.

TRACTATVS XVI.

Inquo Domini verba: *Hoc est corpus meum*, contra hæreticorum sensus innumeris modis illa dilacerantium, ne veritatem Catholicam, vel agnoscere, vel confiteri videantur, diligentius ac pressius examinantur, & in primis sententia Lutheri transubstantiationem negantis, funditus euertitur, ac reprobatur.

PRAECLARE à quodam sapiente dictũ est: Nemo repente fit turpissimus: a minoribus enim ac leuioribus delictis, ad grandiora, & grauiora solet progredi iniquitas: Idem in hæresi, quæ maxima est iniquitas, ac turpitudo, accidisse nostro seculo videmus. Nam cùm ab initio serperet, & ab indulgentijs, bonorumq; operum iustificatione initium sumpsisset, & progressum fecisset per alias peruersas opiniones, negãtes Petri primatũ, Sacramentorũ numerũ, & sanctificationem, siue gratiam, liberi arbitrij facultatẽ, Sanctorũ inuocationẽ, & similia: eò tandẽ quasi in culmen est perducta, vt Satanas per organa sua accommoda Christum Dominum de Eucharistia, quasi de regno suo deturbare tentauerit: atque in eo planè, quasi in summo, quiescit hodie magna hæreticorũ pars, alijs contrà hęreticis grauiter repugnãtibus, & sese illorũ machinis, & conatib. opponentibus. Oportuit namq: hæreticũ vbi veritatis, & pudoris lineas trãsilijsset, gnauiter impudentem esse.

Iuuenal. Satyr. 2.
Nemo repẽte fuit turpissimus, vt ille dixit. Hæresis quãta iniquitas, ac turpitudo. Hęresis nostra tẽpestate quales progressus extiterint.

Quæ quò facilius accipi valeant, perpende, prudens lector, Ecclesiam fuisse labij vnius, & sermonũ eorũdẽ, quando Lutherus nouarũ rerũ studiosus aliquid contra eam moliri cœpit, & turrim Babylonicam, quã sibi diruere; in illis suis pestiferis. De captiuitate Babylonica libris gloriabatur, construere reipsa, totq; sectarũ, quot Ecclesia in hodiernum vsq; diẽ patitur, sementem spargere exorditus est: vix ille tres aut quatuor suæ sententiæ promotores & fautores nactus fuerat; cũ Deus Optimus Maximus illorum linguam discidit; & in cõtraria studia pro suorũ ratione iudiciorũ abire permisit. Hoc enim supplicij irrogare solet Deus hæreticis Ecclesiã Dei scindentibus, vt scindantur & ipsi: vt eleganter quodam loco docuit Augustinus: atq; ita locum habeat diuina illa sententia: *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Hoc Arrij in Oriente, apertissimis cõprobatur exẽplis. Nam cùm ab initio vna tantùm esset hæresis, paullò post in plures sectas dissecta fuit: sicut & illa Donati in Africa, quæ inter Donatistas, Maximiniãistas, Circũcelliones diuisa fuit. Quod diuino factum consilio censendum est; vt ita Ecclesia Catholica faciliori negotio de hostibus suis triumphũ agere posset, ac scitè dixisse pideatur noster Hilarius, hæreticorum diuisionem, victoriã esse Ecclesię. Cùm igitur primus omniũ Lutherus, vt antesignanus, viam omnibus hæreticis aperuisset impudenter transubstantiationẽ negans, & tamen veritatem pręsentiæ corporis Christi firmiter confitens, adeò vt per pronomen illud, Hoc, dicat ostendi panẽ cum corpore, vel corpus, in, cum, vel sub pane, vt Smichdelinus cũ alijs Lutheri sequacibus in disputatione Helbingensi 65. & 66. interpretatur: quidã tamen eiusdẽ magistri discipuli præcipui, siue sodales, & commilitones, vel potius Iudæ & proditores (vt ipse quodã in loco conqueritur) nimirum Carlostadius, Zuinglius, Oecolampadius, atq; alij doctrinam Lutheri non valentes capere, nec illam posse sibi ipsi satis constare, animaduertentes,

Lutheri in Ecclesiam vniuersã conatus quò reciderint tandẽ.

Hęreticorum Ecclesiam scindere volentium digna punitio.
Aug. li. de agone Christiano. c. 29. to. 1.
Sap. 11.
Arriana hæresis.

Hil li. 7. De Trinitate.
Hęreticorum diuisio, victoria est Ecclesiæ, inquit Hilarius.
Smichdelinus Lutheri sectator.

Quinã Lutheri (vt ipse conqueritur) Iudę atq; proditores extiterint.

tes, cœperūt ab eo deficere, realemq; Christi Domini in Sacramento præsentiam negare potius ducentes, quàm negata conuersione substātię panis in corpus Christi; quæ vocatur transubstantiatio, corporis Christi præsentiam confiteri. Hoc autem tam varijs rationibus ac modis factum est, vt Lutherus ipse in confessione; quam ante mortem edidit, scripserit, se nunquam, illa Sacramentariorum, fœdiorem sectam vidisse; quæ in sui exordio plusquam in octo factiones inter se diuersas & repugnātes fuit dissipata. Nam statim inter eos orti sunt Significatiui, Figuratiui, Tropistæ, Sacramētarij, Impanatores, Vbiquarij, Energici, Arrhabonarii, Stanchariani, Suencfeldiani deniq; qui à PetroMartyre, Martyristæ dici possunt, & alia portentosa hæreticorum nomina: qui omnes in propugnanda hac perfidia concordes quidē sunt; licet in modo, & ratione eam tuendi, varij, atq; diuersi: quemadmodum vulpes Samsonis, caudis quidem inuicem colligatæ erant cū facibus ad incendendas segetes, facies tamen diuersas habebant. Vides quam egregiè his Euangelicis viris competat elogium illud Lucæ: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum; & anima vna.* Nā ex his quidem vim faciunt in pronomine Hoc, quod nonnulli referunt ad panem cum corpore Christi; alij ad nudum panem; alij ad omnes Christi actiones in cœna; alij verò nō in pronomine, sed in verbo, Est, insistūt, & figuram aliquam in illo agnoscunt; alij vero in nomine, Corpus, multa cōmentantur, & metonymiam quandam somniant: nullus verò in pronomine illo agnouit, quod semper agnouit Ecclesia, & verè est agnoscendum, referendum scilicet esse ad corpus Christi; vt in forma sanguinis, *Hic est sanguis*, pronomen demonstrat sanguinem: alij verò in tota oratione, & non in aliqua particulari vocula, expositionis suæ pondus collocare videntur. Et inter hos quidem energicè siue efficaciter interpretantur Domini verba; alij tantum, dum in vsu est ipsum Sacramentum, ac populis ministratur; alij verò totam orationem Sacramentaliter intellectam tanquam veram admittunt; alij orationem inuertunt, ex prædicato subiectum, & ex subiecto prædicatum facientes; alij postremò eò dementiæ progressi sunt, vt negauerint vlla Dei potentia effici posse, vt corpus Christi simul in multis locis existat: atq; ita hæc hæresis in abiuranda omnipotentis Dei virtute perfectionē suam habet. Hoc enim vt impudenter, ita falsò asseruit, quidam Petrus Martyr, ex nostris, hoc est, à Catholicis; ad hæreticos trāsfuga, & ex religiosis B. Augustini regulam profitentibus insignis apostata, homo profectò dignus, qui in extremas mundi solitudines relegaretur, qui de primo Apostolici Symboli articulo, quo Deū omnipotentē profitemur, tam malè sentire deprehensus est. Pulchrè his viris competit verbum Hieronymi, *Omnia*, inquit, *Euangeliorum loca apud hæreticos, & peruersos plena sunt scandali.* Sic ille. Vide hic, vnum & eundem locum esse Euangelij, & illum quipem perspicuum, & apertum, ex quo suo vitio hęretici tot scandala acceperūt, vt verè dici posset de Christo in Eucharistia, quod est in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum, cui & à principio, & postea contradicitur. Nec dubito quin plures extiterint sectæ in illis Domini verbis interpretandis: tam varium est, atq; fœcundum mendacium, de quibus fortassis alij aut scripserunt, aut scripturi sunt: nos tantum celebriores, & grauiores complexi sumus hæreticorum sententias. Atque hi omnes inter se multis editis dicacissimis libris, & omni contumeliarum genere refertissimis ita inuicem decertarunt, vt quisque sibi solus sapere videatur, reliquos verò desipere, & in ipsis tenebris versari iudicet. Nec tāmen adhuc illa lis est extincta, aut sopita etiam post tót ingentia bella inter se depugnata, nec vnquam terminabitur, donec omnes ad Ecclesiam Catholicam resipiscentes, & errores suos abiurantes tandem redeant: & ex vnico & salutari remedio, quod ad vitam spiritus alendam, ac producendam Christus instituit, agnoscant, seditiones, scandala, iurgia immortalia se excitasse, & interitum sempiternū suo vitio sibi cōparasse. Quæ omnia vni Luthero hæreticorum nostri seculi Principi debētur. Nā negata transubstantiatione fenestram aperuit magnā, vt cæteri omnes à doctrina illa declinantes tam perniciosè desiperent ac delirarent, Satanæq; proinde capitalissimi Christi hostis, negotium promouerēt: qui nullo errore tantopere exultat atq; triumphat atque isto impudentissimo, ac toti Ecclesiæ perniciosissimo, atque cū verbis Domini pugnantissimo. Quo autem maior est inter hæreticos discordia; eo admirabilior, & sibi consonantior trium Euangelistarū, nempè Matthęi, Marci, Lucæ, ac B. Pauli in cœna Domini tradēda cōcordia, imò etiā Ioannis cū reliquis Euangelistis, & concors per omnia, & sibi cōsentiēs de pane dando (qui sit eius caro) promissio cū exhibitione facta: *Hoc est*, inquiūt, *corpus meum quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus qui pro vobis funditur*; Et, *Panis quem ego dabo caro est pro mundi vita.* Non enim obscuros

Lutherus de Sacramentariorū secta quid senterit, ac scripserit.

Hæresis Sacramentariorū in quot, & quales sectas fuerit dissecta.

Iud. 15.

Act. 4.

Hœreticorū de Eucharistiæ Sacramēto figmenta vanissima.

Quid Petrus Martyr homo apostata, de Eucharistia, ac de primo Apostolici symboli articulo, & senire, & Pronuntiare sit ausus.

Hieron. in c. 15. Matthia. lib. 2. tom. 9. Quid de hęreticis senserit D. Hieronymus.

Luc. 2.

Quam variū est, ac fœcundum mendacium.

Lutherus negando transubstantiationem, omnibus quę de Eucharistia ortæ sunt hęresibus fenestrā aperuit.

Ioan. 6.

Iren li. 1. aduers. hæres. c. 1 paulò remotius à principio.

August. li. ad Quodvultdeum. c. 27. to. 6 initio. Epiphan in haeres. 49.

locos, vel parabolicos adferimus, vt olim Valentiniani faciebãt; quos propterea merito reprehendit Irenæus; vel allegoricos, seu ambiguos, quos proferebant Donatistæ, & Priscillianistæ, vt testis est Augustinus lib. ad Quoduultdeum, & Epiphanius. Sic quoque Ioannes Vvicleff quò baptismi necessitatem tolleret, dicebat in illo Christi verbo; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, aquam intelligi non quamlibet, sed illã, quæ post fluxit ex latere Christi crucifixi, & quam Caluinus per tropum pro Spiritu sancto accepit. Ita deniq; Cerinthus, & Nestorius ne à Scripturis cogerentur fateri Iesum fuisse Deum, miros in Scripturis quibus premebantur, excogitabant tropos. Nostrum igitur est pro virili nostra in aciem prodire, & manus cum his Fidei hostibus conserere, & antiquam orthodoxę fidei doctrinam contra istas tenebras decertando vindicare. Sed in primis à Lutheri errore destruendo principium sumemus, & singulatim posteà aliorum sententias hæreticorum cote disputationis, & verbi Dei gladio excussas ac iugulatas, in ostentũ lectoribus proponemus. Etsi enim in illas meritò iactare possemus illud Hieronymi contra Pelagianos ad Ctesiphontem: *Nolo vobis liberum esse negare, quod semel scripseritis: Ecclesiæ victoria est, vos apertè dicere quod sentitis: sententias vestras prodidisse superasse est. Non necesse habet conuinci, quod sua statim professione blasphemum est.* Sic ille. Volumus tamen, vt in iustitia abundemus, & supererogemus, ne montes aureos pollicer videamur, singulas quasque opinationes proprijs telis confodere, & peculiaribus reuincere rationibus.

Ioan. 3. Ioannes Vviclef quid ad Baptismi necessitatem tollendam somniauerit. *Infr. 19.* Caluini de aqua lateris Christi commentum.

Hieronymi pulchrè dictum in Pelagianos. *Hieron. to. 2.*

Lutherus quid senserit de Transubstantiatione.

Irridet Lutherus verbum Transubstantiationis, sed simul manente panis substantiâ adesse corpus Christi censet: non secus atque ferri natura permanet: quãdo ipsum est ignitum, & panis natura quando vino quod imbibit, est plenus. Alij etiam adiunxerunt, non fieri tansubstãtiationem, sed vnionem hypostaticã humanitatis, & substantiæ panis, & vini. Erasmus in Epist. priorem ad Corinthios: *In synaxi, inquit, transubstantiationem serò definiuit Ecclesia, & re, & nomine veteribus ignotam.* Scotus in quarto recitat ex Innocentio III. tres fuisse opiniones circa hanc mutationẽ. Prima, quod panis substantia remanet, & tamen cum ipso verè est corpus Christi. Altera, quòd panis substantia non manet, & tamen nõ cõuertitur in corpus Christi, sed definit esse, aut in nihilum conuersione, aut resolutione in præiacentem materiã, aut corruptione in aliud. Tertia, quòd panis transubstãtiatur in corpus, & vinum in sanguinem.

Aliorũ quorundam figmentum. *Erasmus in cap. 11. prioris ad Corinth.* De Transubstantiatione triplex opinio. *Scot. in 4. dis. in 11. q. 3. Innocen. III. De offi. Missæ. par. 2 c. 26.* Prima opinio. Secunda. Tertia.

Quælibet autem harũ trium positionum, istud commune obseruare contendit, nimirum ibi verè adesse corpus Christi, quia hoc negare, esset planè cõtra Fidem. Quod verò ibi panis substantia nõ remanet, iam etiam vt articulus Fidei, in Ecclesia definitum est, & conuersionis siue transubstãtiationis nomen quictum; etiãsi modus conuersionis, an desinente videlicet substantia panis & vini, & subintrante corpore, & sanguine Christi sub relictis speciebus, an verò transmutatione substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, nondum sit definitum. Nam quocunq; modo contingat, potest dici cõuersio, siue transubstantiatio. Vanum porrò figmentum est, quod quidam dicunt de vnione hypostatica Humanitatis cum substantia panis & vini, vt inferius in hoc tractatu ostendemus.

Quid in articulo Transubstantiationis non sit ab Ecclesia definitum.

Quòd igitur panis & vini substantia post consecrationem, siue benedictionem, quæ verbis Domini fit, non remaneat; ex Scripturis, rationibus, Patrumque testimonijs euincemus; deinde quod genus probationis firmus ac solidius existat, indicabimus. Necessariò autem statuenda est Transubstantiatio: tum vt excludatur panis & vini substantia, quam Lutherus, & aliqui admiserunt; tum vt verba Domini vera inueniantur, vt deducemus: tũ vt infinita Patrum testimonia de cõuersione, commutatione, transformatione, sanctificatione, consecratione, benedictione (tot enim ferè nominibus appellata ab illis Transubstantiatio est) firma sint, & non inania, vel futilia; tum deniq; vt solidam corporis, & sanguinis Christi præsentiam absq; vllo loci motu tueri possumus: nã quod in ipsum Christi corpus, quod in cœlo est, mutatur; non indiget aliquo locali motu, vt esse incipiat in Eucharistia. Quod enim eo motus genere mouetur vt incipiat esse in loco nouo, definit esse in priori loco, vbi prius erat. Quod hic non contingit: nam peracta cõsecratione, Christus nõ minus est in cœlo, quam antea, nec minus est in Eucharistia, quàm in cœlo; licet in illa nouum modum existendi acceperit. Ad hæc impossibile erat, vt vnum, & idem corpus vno tantùm motu loci motum, ad diuersa loca terminaretur, cùm tamen Christi corpus pluribus ac diuersis locis sub Sacramento perfecto existat. Vt falsum omnino sit, quod hæretici Thomæ, vel Magistro Sentent. affingũt, per transubstantiationem fieri, vt corpus Christi tantũ sit in cœlo, & non in alijs locis; cùm oppositum potius asseratur, &

Transubstantiatio tribus de causis statuenda est.

Transubstantiationis varia nomina.

Quid hæretici Thomæ, vel Magistro Sententiarũ falsò affingant.

tur & consequatur, nimirùm mutationem panis & vini in corpus, & sanguinem Christi, efficere, vt corpus Christi simul sit in pluribus, & diuersis locis, citra tamen vllum loci motum.

Non remanere in Eucharistia substantiam panis, & vini, multis ostenditur.
I Locus. Ab autoritate Scripturarum.

Primum igitur ex Scripturis ita colligitur: *Accepit enim Iesus panem, & benedixit, deditq; discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum.* Ergo non erat ibi panis communis: nam aliàs de pane corpus Christi, hoc est, vna natura diuersa, siue vt Dialectici vocant, disparata, de altera prædicaretur: valet enim argumentum, si hoc est lac, non est ferrum: ita etiam valebit, si hoc est corpus Christi, ergo non est panis: cùm tamen repugnet, vnam naturã de altera diuersam dici, vt hominem esse equum, citra tropum, vel metaphoram. Nam illud pronomen Hoc, demonstrat quicquid sub speciebus continetur illis: nec dixit Hic, vel in hoc loco, sed, hoc est corpus meum. Igitur Dominus cõuersum panẽ in corpus suũ porrexit. Perinde ac si quis semen manu acciperet, mox inde natum florem alteri porrigeret, aliud profectò acciperet, & aliud daret: possetq; dicere: Accipe, hic est flos. Ad hæc verba Domini dicentis: *Hoc est corpus meum,* vera nõ essent, si ibi adesset panis substantia. Nã ostensis & porrectis manu auro, & argẽto, non rectè quis diceret, nec plenè, aut integrè; Accipe, hoc est aurum, cùm sit etiam argentum: vel è contrario, Accipe, hoc est argentum, cùm etiam aurum existat. Et dicendum esset: Accipe hoc est aurum, & argentum. Ita hîc Christo, cùm porrigeret panem cum Eucharistia, dicendum erat; Accipe, hoc est panis, & corpus meũ. Qui ergo Lutherum sectati defendunt panem cum Christi corpore, verbo Dei addũt, sicut Zuingliani dicentes esse symbolum corporis in cœlo residentis, verbis filij detrahunt. Incommodè etiam, & contra rationem Grammatices pronomen neutrius generis Hoc, panẽ masculini generis demonstraret: non igitur dixit hic, sed hoc, scilicet contentum sub panis speciebus. Et Christo dicẽte: *Hoc est corpus meum,* asserere, sensum esse, Hic panis est corpus meum, nihil est aliud quàm addere verbo Dei; quia ille nil de pane dixerat. Nec minus absurdum est dicere, panem manere, quando est corpus Christi, quàm, virga Moysi mutata in colubrum, dicere virgæ formam adhuc manere sub colubro. Deinde idem ostenditur ex illo Lucæ: *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnũ Dei veniat:* quod si dictum est de poculo legali; quando ergo dixit: *Hic est sanguis meus,* vinum commune non erat, aliàs contra promissionem suam egisset.

Exemplis res illustratur.
Lutherani, & Zuingliani addunt verbo Dei, & Filij eius Iesu Christi.
Exod. 7.
II. Locus.
Luc. 22.

III. Locus. Ioan. 6.

Tertiò, vox Domini est apud Ioannem; *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* vbi non alium panem designat se daturum, quàm illũm, qui sit eius caro; ideò subdit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Caro enim mea, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* cùm ergo tanta asseueratione & inculcatione carnem suam, panem & verum cibum, & subinde sanguinẽ suum verum potum nominauerit; profectò omnem aliam substantiam panis, & vini exclusit, quæ constat satis cibi & potus habere rationem.

Rationibus idem ostenditur.
Eucharistia, communio cur appelletur.
1. Cor. 11.

Præter Scripturas, producuntur nonnullæ rationes, quæ idem confirmant. Inter quas prima fit ex verbo communionis: quæ ideo dicitur, quia eodem numero pane communicãt sumentes, iuxta illud: *Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus; omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus:* non esset autem vnus panis numero, si maneret substãtia panis; quia essent diuersi panes. Secunda ratio, fit ex adoratione: q͡a cùm adoremus id, quod delitescit sub speciebus; substantiam panis, si ibi adesset, adoraremus. Hinc Petrus Martyr detestandã vocat idololatriam, quòd in pane & vino corpus verè & corporaliter esse credamus; scribẽs in Westphalũ Lutheranum. Et Ioãnes Alasco obijcit Lutheranis ἀρτολατρείαν, particulasque illas, Sub, Cum, In, quæ pani solent apponi, minimè ferẽdas in Ecclesia. Dicunt enim Lutherani, in pane, vel sub pane, vel cũ pane esse corpus Christi. Tertia ratio ex sacrificio desumitur: id enim sacrificatur, quod latet sub speciebus panis, & vini, & si lateret panis, ille etiã sacrificaretur. Quod valdè derogaret nobilitati ac dignitati Noui Testamenti: maiora enim, & nobiliora Patres olim, quàm nos Deo obtulissent. Quartã, quia in Nouo Testamento non esset vnica hostia, contra Paulum, sed essent tot hostiæ, quot sunt substantiæ panum diuersorum. Quinta, quia videtur quòd substantia panis debeat cedere Deo aduenienti, in eius reuerentiam; quemadmodum idolũ Dagon cessit arcæ Domini. Sexta, quoniam si esset substantia panis in Eucharistia, panis esset cõmunis; & sic non esset panis purè spiritualis refectio, sed corporea, & non diceretur panis supersubstantialis. Septima, species non immediatè deducerent ad Christum, sed ad substantiam panis, & non posset vna hostia sumi post aliam, quia solueretur per primam naturæ ieiunium, quod ex reuerentia debetur Sacramẽto: cumq; August. tradat hunc panẽ Eucharistiæ non descendere in ventrẽ, nec per secessum emitti: si panis substantia remaneret,

II. ratio.
Petri Martyris blasphemia in Eucharistiam adorantes.
Ioan. Alasco. Lutheranis quid obijciat.
III. ratio. Quid Deo in Eucharistia sacrificetur.
IV. ratio.
Quinta.
1. Reg. 5.
Sexta.
Septima.
Augustinus.

maneret, dictum Augustini falsum esset. Octaua, eo quòd nō esset mysterium fidei Eucharistia, sicut est ablata substantia: quia ea posita, multa miracula de medio tollerentur, in quibus credendis viua exercetur fides. Nona, in Eucharistia est præsens corpus Christi, vbi antè non erat: & non per mutationem Christi, quia idem remanet in cœlo, nec per mutationē specierum, cū eædem remaneant, vt sensus docet; ergo per mutationem ipsius substantiæ, quæ in Christum conuertitur. Decima, negantes transubstantiationem, peiores sunt dæmone, qui dicebat: *Dic vt lapides isti panes fiant*, & Magis Pharaonis, qui viderunt aquas cō uerti in sanguinē, & virgas in serpentes, & architriclinio, qui gustauit aquam vinū factā. Quòd si adhuc dubitas, quomodo panis fiat corpus Christi, & vinū sanguis eius; cōsidera hoc opus esse supra naturam, nec habere exemplum, nisi valdè remotum.

Octaua. Nona. Decima. *Matth. 4. Exod. 7. Ioan. 2.*

Perpende igitur Naturā, Artem, & Scripturam, quæ quodammodò ad hanc mirabilem, & stupendam conuersionem manu ducere possunt. Ars quidem ostendit, cùm virtute ignis herba, vel cinis conuertitur in vitrum, & terra vi eadē mutatur in ferrum, vinum in aquam vitæ. Natura verò idem indicat, quia homo virtute caloris naturalis cibum vertit in carnem, & sanguinem, & in ossa, neruos, humores, vngues, crines: herba in vellera ouium: petræ duræ cōuertuntur in ventre columbarum in carnem, ferrū à Struthione camelo conficitur, atq; fit caro, ouum in mirabilē pauonem, glans parua in ingentē quercum, humor aquosus vitis in vinum; apes quicquid edunt in floribus, conuertunt in ceram & mel, aqua vi frigoris, in gelu, & crystallum. Si ergo ars & natura tantum possunt; quid non Deus? Deniq; Scriptura refert, virgā Moysi conuersam in serpentem, flumina in sanguinē, vxorē Loth in statuam siue petram, saxum percussum à Moyse in aquam, aquam in vinum à Cana Galilææ, vinum ergo in sanguinem in cœna. Quibusdam tamen viris & Scriptoribus visum est, hunc articulum ex sola Scriptura, vel ex solis rationib' posse contra hæreticum conuinci, sed tantùm ex Conciliorum definitione, & Patrum traditione: nam facilè esset soluere locos Scripturæ citatos, & rationes. Ideo in Patrum traditione magis standum illis videtur: quę absq; dubio, vt annotauit Scotus in quarto, posteros ad credendā rem tam difficilē non obligassent, nec ipsi eam tam constanter asseuerassent, nisi res hæc accepta esset ab ipso Christo per Ecclesiæ columnas tradita; præsertim cùm posita substantia panis commodè saluari possit Christi præsentia ibi, & effectus suæ gratiæ, & miracula multa excusarentur, quæ, nisi Fide suadente, multiplicare non debemus.

Quibus reb' & quo pacto persuaderi valeat hæc panis viniq; cōuersio in corpus & sanguinē Christi. Naturæ conuersiones admirabiles. *Exod. 19. Exod. 17.* Quid de hac conuersione quidam viri Catholici senserint. *Scotus in 4. dist. 11. q. 3.*

Porrò traditionem in Conciliorum testimonia, Pontificum decreta, & veterum Doctorum sententias distribuimus. Inter Concilia igitur VIII. Synodus, ex epistola Nicolai hæc verba recenset: *Panis qui super mensam altaris offertur, panis est communis: sed quando ipse Sacramento sacratus fuerit, corpus Christi in veritate fit, & dicitur. Sic & vinū modicū aliquid digna existentia ante benedictionē, post sanctificationē verò Spiritus sanguis Christi efficitur.* Adhæc Concilium Turonēse, Wercellense, & Romanum sub Nicolao II. & Gregorio VII. contra Berengarium idem definiunt. Itē Concilium Lateranense sub Innocētio III. & habetur de summa Trin. & Fid. Cath. c. firmiter. vbi definitur: Transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, &c. Constantiense Concil. sess. VIII. hanc damnat propositionem Wicleff. Nam primus eius articulus ibi damnatus est: Substantia panis materialis, & similiter substātia vini materialis, manet in Sacramento altaris. Concil. Flor. in instruct. Armenorū, in hunc modū statuit: *Forma huius Sacramenti* (scilicet Eucharistiæ) *sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur*, & reliq. Concil. Tridentinum sess. XIII. can. II. ita decernit: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini vnà cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritq; mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manētibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidē conuersionē Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat, anathema sit.*

Traditiones. A Conciliorum generalium autoritate. *VIII. Synodus Act. 4. Conc. Turon. Conc. Verc. Concil. Rom. Conc. Lateranen. sub Innocent. III. c. 1. Constant. Cōcilium Conc. Floren. Concil. Trid.*

Accedunt ad hæc Concilia Pōtifices. Inter quos Gregorius homilia 14. in Euangelia: *Bonus pastor pro ouibus suis animam suam posuit, vt in Sacramento nostro corpus suum, & sanguinem verteret; & oues, quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.* Innocentius III. in cap. cùm Marthæ, de celebr. Miss. *Quæsiuisti*, ait, *quæ sit forma verborum quā ipse Christus expressit, cùm in corpus & sanguinē suum panem transubstantiauit, & vinum.* Hęc ille: vbi non tantùm rem, sed etiam vocabulum habes. Clemens V. in Clementina de reliquijs, & veneratione sanctorū, in hoc Sacramento ait innouata esse signa, & mirabilia immutata. Adiungimus prętereà veteres Patres, inter quos Iustinus in Apologia pro Christianis

Suprà c. 4. Pontifices. *Greg. Roman.* *Innoc. III.* *Clem. V.* *Veteres Patres. Iustin. Martyr tom. 1.*

ad Antoninum Pium, ita habet: *Non enim vt communem panem, neq; communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster, & carnẽ, & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi eius ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam. Vnde sanguis, & caro nostra per mutationẽ aluntur, incarnati illius Iesu carnem, & sanguinẽ esse edocti sumus.* Hæc ille. Vbi apertè vides hanc conuersionem, siue transubstantiationem insinuari. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses: *Quemadmodum,* inquit, *qui à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non cõmunis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iã non sunt corruptibilia, spè resurrectionis habentia.* Sic ille, docẽs Eucharistiam cõstare ex re terrena, & cęlesti propter species q̃ remanent, & corpus Christi sub illis positum atq; contentum. Et lib. 5. apertius: Quãdo ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbũ Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi, ex quibus augetur, & cõsistit carnis nostræ substantia. Dionys. Areop. lib. de Eccles. hier. Exacta diuinorũ operum laude, veneranda mysteria cõficit, atq; in conspectũ agit. Ad hæc D. Ignat. in epist. ad Romanos, ait: *Non comedam escã corruptionis, neq; voluptates huius mundi desidero: Panem Dei volo, panem cœlestem, panẽ vitæ, qui est caro Iesu Christi Filij Dei viui (qui natus est in nouissimo ex semine Dauid, & Abrahæ) & potum volo sanguinem eius; qui est dilectio incorruptibilis, & vita æterna.* Hæc S. ille Ignatius, qui cũ hæc scriberet, & iam Christum in se per fidem viuam habitantem haberet, cupiebat vesci, & potare verum sanguinẽ in Eucharistiæ Sacramento: vt iam non solùm spiritualiter, sed etiã substantialiter Christi corpus acciperet, & illi incorporaretur. Cypr. serm. in cœna Domini: *Panis iste cõmunis in carnem, & sanguinem mutatus, procurat vitam, & incrementum corporibus.* Et infra: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, nõ effigie, sed natura mutatus, omnipotẽtia Verbi factus est caro.* Cyrillus item Ierosol. catechesi 5. mystagogica, de conuersione ita scribit: *Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita sanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinẽ Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur.* Et paulo antè in 4. catechesi mystagogica dixerat: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.* Chrysostom. in Matthæum similia habet: *Non sunt humanæ virtutis opera, quæ tunc ipse fecit in illa cœna: illa eadem nunc quoq; facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui verò ea sanctificat, & ipse est.* Gregorius Nyssenus de sancto Baptismate libro: *Panis item,* inquit, *panis est initio communis: sed vbi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi & dicitur, & est. Eo modo vinum: cũ sint res exigui pretij ante benedictionem, post sanctificationem, quæ à Spiritu procedit, vtrumq; eorum excellenter operatur.* Eusebius etiã Emissenus homilia de Pascha: *Nam inuisibilis Sacerdos, visibiles creaturas in substantia corporis, & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit.* Damascenus lib. de fide orthodoxa Græcè sic habet: *Panis, & vinum* μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου. Theophylactus in Matth. c. 26. explicans illa verba: *Hoc est corpus meum,* interprete Oecolampadio, ponit transmutationem: sicut in Marci 14. eadem verba exponens, vtitur voce transelementationis: & in ca. 6. Ioannis vtitur verbo Transformationis. Ambrosius lib. de ijs qui mysterijs initiantur, & lib. de Sacramentis: *Panis iste, panis est ante verba Sacramẽtorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Adhæc lib. de Fide, declarans quomodo Filius viuit propter Patrẽ, subiungit citatis illis verbis Ioannis: *Nisi manducaueritis carnem, &c. Carnem audis, sanguinem audis, mortis Dominicæ Sacramenta cognoscis, & diuinitati calumniaris? Nos autem quotiescunq; Sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur, & sanguinẽ, mortem Domini annuntiamus.* August. ser. 28. de verbo Domini: *Cum de Sacramentis tractarem; dixi vobis quod ante verba Christi quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* In quibus Augustini verbis, dici, & appellari sumuntur pro esse. Idem docet in libris contra Faustum Manichæum, vbi sic habet: *Noster autem panis, & calix, non quilibet quasi propter Christum in spicis, & sarmentis ligatis, sicut illi despiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, nõ nascitur.* Rursus Beda lib. de mysterijs: *Dicimus quod substantia corporis Christi in altari est, vbi forma corporis Christi nõ videtur. Sic ibi forma panis videtur, vbi substantia panis nõ est: nec est ibi alius panis quã panis qui de cœlo descendit.* Ansel. in quadã epist. *Panis substantiam post Dominici corporis consecrationem, in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana, nuperq; damnauit Ecclesia.* Bereng. in libello, ut ẽ edidit reuersus ad vomitum, scriptsit; quòd non maneat substantia panis in Eucharistia, opinionem esse vulgi, Lancfranchi, & Paschasij. Vbi fatetur, Ecclesiam sui temporis, quam vulgus vocat, sentire substantiam panis abesse ab Eucharistiæ Sacramento. Fortiter igitur ex Pa-

Ioan. 1. — Irenæ. lib. 4. cap. 34. — Idem. — Dionys. lib. de Eccl. hierar. c. 3. part. 3. post med. — B. Ignat. ep. 15 — Ioan. 6. — Matth. 1. & Rom. 1. — Cyprianus. — Cyril. Hierosol. — Idem. — Chrys. hom. in Matth. 83. tom. 2. — Greg. Nyssen. — Euseb. Emissen. hom. 5. de Paschate. — Damasc. lib. 4. de fide orthodoxa, c. 14. — Theophyl. — Idem. — Idem. — Ambr. lib. de ijs qui mysterijs initiantur, cap. 9. & lib. 4. de Sacram. cap. 4. tom. 4. — Idem lib. 4. de fide, cap. 5. tom. 2. — Ioan. 6. — Aug. tom. 10. — Idem lib. 20. contra Faust. ca. 13. tom. 6. — Beda. — Ioan. 6. — Anselm. ad Vrbanum Papam. — Bereng.

trum traditione euincitur articulus transubstantiationis.

Transubstantiationis vocabulum quã sit antiquum & quàm vanè à Patribus vsurpatum, atque expressum.

Ipsum etiam vocabulũ non est nouũ, & ex B. Thomę officina ortum, cùm fuerit in Lateranẽsi Concilio vsurpatum, & satis ostendunt Patres rem ipsam antiquissimam in Ecclesia esse, quia vtuntur vocabulis æquipollentibus: vt, conuersionis, consecrationis, sanctificationis, transitus, transumptionis, transformationis, transelementationis, assumptionis, transmutationis, factionis, mutationis, transfigurationis, & transubstantiationis, adde etiã benedictionis, qua vtitur frequenter Cyrillus, ac in Euangelio Christus cùm benedixit. Dominus enim, benedicendo transubstantiauit, vt constat de quinq; panibus, quos benedicendo multiplicauit. Estq; aptum vocabulum trãsubstantiationis, etiamsi illud oderint hæretici, vt olim Manichæi vocem incarnationis, & Arriani nomen homousij, in eo sensu, quo eam accipiunt Doctores. Non enim intelligunt quòd sit naturalis aliqua transmutatio, sed quòd tota substantia panis mutetur, & conuertatur in Christi corpus; siue etiam (quod in idem redit) cedat tota substantia panis, & loco eius adsit ibi totus Christus. Atque hęc mutatio annihilatio dici non potest: quia etsi cedat tota substantia panis, non tamen in nihilum terminatur (quod ad annihilationem necessarium est) sed in aliquid, & quidem longè nobilissimum, actio illa transubstantiationis terminatur, nempè in corpus Christi. Huic etiam sententiæ fauent vel ipsi hęretici; inter quos Boquinus Zuinglianus contra Lutheranos, in cœna verè & substantialiter corpus Christi ore sumi non posse, nisi prius μεταβολὴ, siue μετποίησις τοῦ ἄρτου conuersio, siue transubstantiatio panis statuatur. Beza quoq; in sua, De cœna Domini contra Westphalum tractatione, cũ obiecisset Lutheranis illas loquẽdi formulas, quibus vtuntur: nam alij in pane, alij sub pane, alij cum pane corpus Domini edi, dicere consueuerant, subiungit: Hoc quoq; sępè diximus, quod nunc quoque repetã, ne ipsa nnn posse retineri τὸ ῥητὸν in his Christi verbis, Hoc est corpus meũ, quin transubstantiatio Papistica statuatur. Hæc ille. Adde, quòd Caluiniani Palatini Lutheranis obiecerunt in Concilio Mulbrenensi, quòd Christum facerent cauponem, auenæ mercatorẽ, aromatarium, infantium nutritium, & pharmacopolã: quia caupo dicit, Hoc est vinum Rhenense, ostenso tantùm vini dolio, hoc auena pro equis, hoc barbarię odoramentũ, hoc est infans tuus, hoc piper, hoc zinziber, hoc crocus, quando vasa, saccos, cunas infantiles & pixides demõstrant. Sic enim scripserat Illyricus in apologia contra Bezam an. 1566. Demonstrat. 28. Et planè Illyricus hæc dicens, ostẽdit se satis in cauponis versari solitum vt cauponetur verbũ Dei, aut bibisse dolia, & cyathos ipsos cum vino, vt posset in Eucharistia substantiã panis edere cum corpore Christi. Nec est vocanda vox noua & profana, transubstantiatio, quia teste Vincentio Lyrinensi, illa vox noua & profana habenda est, quę nouum, peregrinum & nunquam in Ecclesia auditũ dogma tradit, quod verbo Dei & veritati aduersetur, cùm apertè contineat doctrinam à Christo & Apostolis acceptam & per Patres veteres multis alijs vocibus significatam & expressam. Nec obstant quę hæretici producunt, vt soluant Patres de transubstantiatione loquentes. Ait enim Musculus: *Quod autem se hãc transubstantiationem in Scripturis Patrum collegisse dicunt: fortasse verum dicunt, sed quos male intellexerint. Nam illi quidem alicubi dicunt cum magna admiratione, panem mutari in corpus, & vinum in sanguinem Domini. Isti intellexerunt de substantia mutatione, cum Patres nõ illam commendent, sed terrestris panis conditionem, & vsum in cœlestem ita mutari intellexerint, vt fideli iam non sit terrenus panis, nec in eo vsu, quo est terrenus panis, sed transierit in corpus Domini, & cœleste alimentum fiat. Quæ mutatio conditionalis dici potest, substantialis autem non ita.* Sic ille. Sed noua est hæc doctrina, & Ecclesiæ ignota. Si enim panis substantia remanet, cur ergo exaggeratur potestas consecrandi, benedicendi, & sanctificandi corpus Christi? Quare hortantur Patres vt sensibus nostris resistamus? Cur toties dicitur non videri carnẽ, ne sumendo horreamus? Hæc omnia ergo apertè contestantur, falsam esse, & vanam hæreticorum glossam.

Benedictionis vox pro transubstantiatione, ipsi Christo, ac Cyrillo familiaris.

Matth. 14.
Infrà 15.
Cyrillus in Ioan. tom. 1.

Cur panis mutatio in corpus Christi, annihilatio dici non possit.

Boquinus, homo hæreticus.

Beza.

Illyricus homo hæreticus.

Musculus cõtra Patres de transubstantiatione loquentes quã ineptè colligat.

Vana quoq; est alia eiusdem farinæ hominum glossa, quòd sicut Patres dicũt nos mutari, & transire, & transelementari in Deum, vel in Christum, & tamen natura nostra nõ mutatur; ita dicant panem transire & mutari in corpus nostrum, non tamẽ sentiunt propterea naturam panis mutari. Ait enim Augustinus lib. Confessionum: *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibũ carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Et Leo serm. de passione Domini: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm vt in id, quod sumimus, transeamus.* Et Theophylactus in illud: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*, inquit: *Dum quodammodo miscetur mihi, & trãselementatur in me, qui viuificare potest.* Sic illi. Dicendum tamen est, Augustinum & Leonem

Aduersus alteram quandam hæreticorum cõtra transubstantiationem glossam.

August. lib. 7. Conf. ss. c. 10. tom. 1.
Leo serm. 14. de pass. Dom. in fine.
Theophyl. in Ioan. cap. 6.

Cùm Patres dicunt per Eucharistiã nos in Deum mutari, quo sensu id asserant.
1. Cor. 6.

nem dicere, nos mutari in Deũ: quia vnus cum eo spiritus efficimur: & dum ei per amorem & intellectum iungimur. Idcircò Theophylact. non simpliciter dixit: edentem corpus Christi trãselementari in Deũ, sed quodammodo: quæ restrictio est ad significandam coniunctionem spiritualem.

Idem ibidem.

At ipse Theophylactus secùs loquitur de transsubstantiatione corporis Domini, ait enim in Ioannem: *Non enim dixit, panis quem ego dabo, figura est carnis: sed, Caro mea est. Trãsformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem: & accessio item sancti Spiritus in carnem Domini: & ne quem conturbet, quod credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum, & sustentationem conferebat, iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur.* Sic ille. Etsi ergo ex voce transitus, vel mutationis non necessariò inferatur mutatio circa substantiam, & quia Patres tradunt similitudinem mutationis per nutritionem, quæ re vera circa substantiam est: conuincitur mutari substantiam, & realem fieri mutationem. Similitudinem autem illam tradunt Gregorius Nyssenus, & Damasc. lib. de Orthodoxa fide, & Theophylactus citatus.

Greg. Nyssen. Damasc. lib. 4. cap. 14.

Proponitur Hæreticorũ contra transsubstantiationem argumẽta, atque diluuntur.

Nec rursus obstant argumenta, quæ ab hæreticis fiunt contra Catholicam Fidem. Primum est: Quia hoc Sacramentum à B. Luca dicitur fractio panis, à B. Paulo, Panis quem frangimus, &c. & Dominus apud Ioannem: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ex quibus colligunt, substantiam panis in Eucharistia remanere. Sed huic obiectioni facilè est respondere, & nõ vno tantùm modo, nec sine exemplo Scripturæ. Nam in primis solet Scriptura vocare aliquid nomine illius rei, ex qua factum est. Sicut homo dicitur puluis, & terra: non quod maneat forma terræ in eo, sed quod ex terra sit formatum corpus humanum. Sic etiam coluber, dicitur virga apud Exodum; qui tamen sola longitudine virgæ similis erat. Cùm tamen in Eucharistia omnia accidentia panis remaneant, & vinum miraculo conuersum, dicitur aqua vinum facta apud Ioannem. Iuxta eandem rationem dictum est ab Adam de Eua vxore ex costa eius assumpta: *Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; & Iacob, caro & os Laban. Deinde consueuit Scriptura nomine antiquo, quod antea aliquis habebat, hominem appellare: quemadmodum Simon leprosus dicitur, quòd olim habuerit lepr ã. Ita dicitur: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur*: &, *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei*: non quòd tunc tales essent, sed quòd olim fuerint. Postremò quandoq; nomine rei, quam videtur referre, vel cui aliquid simile est, licèt non sit ipsa, appellari solet: sicut Angeli dicuntur viri in Scripturis, quòd in specie virorum apparerent. Et ita sacra Eucharistia, cùm ex pane fiat, & quia olim panis fuit, & quia panis similitudinem gerit propter species, & quia Christum continet, qui est panis vitæ, meritò panis dicitur. Vltra tropum Hebræum, quo omnis cibus, seu omne quod edi potest, panis nuncupatur: vt Regum 1. prohibetur, ne quisquã panem gustet vsq; ad vesperam, eius pręcepti violator iudicatus est Ionathas, qui gustauit mel.

I. Argum. Luc. 24. & Act. 2. 1 Cor. 10. Ioan. 6.

Consueuit Scriptura aliquid vocare nomine illius rei, ex qua factum est.

Gen. 3. Exod. 7.

Ioan. 2. Gen. 2. Infr. 29.

Mos est etiã Scripturarũ, nomine antiquo, quod antea aliquis habebat, hominẽ appellare.

Matth. 26. Supra 11. Infra 12.

Nomine rei quam videtur referre, vel cui aliquid simile est, licet re ipsa non sit, diuina interdũ appellant eloquia.

Ioan. 6.

Eucharistia cur panis dicatur.

Cap. 14.

Nomine pãnis apud Hebræos quid veniat.

Illud contra Caluinum vrgentem Scripturas, quæ Eucharistiam panem vocant, annotabis, Eucharistiam non simpliciter appellari panem, sed cum additionibus, quę indicant quid sublimius: vt, *Panis viuus, Panis qui caro est mea: Qui manducat hunc panẽ: Accepit panem, & dixit: Accipite, hoc est corpus meum: Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Et sic de pane illo edat, & de calice bibat: Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc: Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini.* Illis ergo particulis additis, illo, hunc, hoc, Domini, &c. significatur quòd non sit sermo de communi pane, sed de quopiam singulari & eximio.

Eucharistiæ panis in Scripturis à communi pane vt secerni cõsueuerit contra Caluinũ.

Ioan. 6. Ibidem. Matt. 26. 1. Cor. 10. Infra 11. Ibidem.

Secundò argumentatur Bucerus: Quando Christus insufflauit in Apostolos, dicẽs: Accipite Spiritum sanctum, neq; Spiritus sanctus in halitum fuit transpositus corporaliter, nec halitus in Spiritum sanctum transsubstantiatus: ita ergo potuit cum pane & vino dare corpus & sanguinem suum, citra vllam panis & vini realem immutationem. Respondemus: Dubium non est, quin Christus potuerit dare corpus & sanguinem in pane & vino nequaquam mutatis: quemadmodum ager, vel domus in alterius dominium transfertur, sola signi trãslatione. Sed hoc non hic controuertitur; sed an circumstantiæ Euangelij illud patiantur, cùm in primis dicatur quòd accepit panem, & postea dixerit, Hoc est corpus meum; & quia dicitur benedixisse, quo verbo transmutatio aliqua significatur; & quia dicere, Hoc est corpus meum cum pane, est addere Euangelio.

II. Argum. ex Bucero. Ioan. 20.

Solutio.

Matth. 26.

Neque rursus obstat, quòd panem acceperit, & illum porrexerit: nam quando accepit, panis tantùm erit; postquam autem benedixit, & benedictum porrigebat, non panem, sed corpus suum sub speciebus panis tradebat. Quemadmodum historiæ Iu-

Diluitur obiectio.

Iulia fertur Octauiani Augusti filia ouum in gremio suo diu fouisse, quo ad substantia tota versa est in pullum.

III. Argum. ex Patribus.

liam Octauiani Augusti filiā referūt ouum in gremio suo diu fouisse, quoad substantia tota versa fuisset in pullū. Nunc si dixeris, Iuliam ouum accepisse, & postquā diu fouit, fregisse, & dedisse nutrici, verum dices: nec tñ verum erit, quòd ouum ipsa dederit, sed pullum sub testa, quæ diu fuerat ouum. Ita de corpore Christi dicendum.

Gelas. Papa.

2. Petr. 1.

Tertiò argumentantur ex Patribus: Extat enim fragmentum de duabus naturis in Christo cōtra Eutychetem, & Nestorium, quòd in Antidoto contra omnes hæreses tribuitur Gelasio Romanæ Ecclesiæ Episcopo, quod ita habet: *Sacramenta quæ sumimus corporis, & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini. Et certè imago, vel similitudo corporis, & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo vobis euidenter ostenditur, hoc vobis de ipso Christo Domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & scimus, vt in hanc scilicet Diuinam transeant, Spiritu sancto perficiente substantiam, permanente tamen in sua proprietate natura.* Respondemus, quòd quia nec Platina, nec Trithemius hoc opus tribuunt Gelasio, sed tantùm meminerunt quinque librorū Gelasij, quos scripsit in Eutychen, & Nestorium; & fragmentum illud asserit, recentem esse altercationem de Saluatoris deitate, & humanitate, super quā tamen ante plures annos tempore Leonis in Concilio Chalcedonensi fuerat definitum, damnatiq; Eutyches, & Nestorius; planè ostendit opus non esse Gelasij. Nam Gelasius Concilij illius determinatione, & damnatione illorū libenter vtitur in suis epistolis; quarum tamen illud fragmentum nec meminit quidē. Videtur igitur opus esse Gennadij Massiliensis presbyteri, qui, secūdùm Trithemium, scripsit, non sine multis erroribus, in Eutychetem. Potest etiam solui, dicendo, quòd non desinit substantia, & natura panis, & vini externa, hoc est, qualitates, & proprietates cū dimensionibus panis, & vini naturalibus, quæ dici possunt quodammodò eorum natura. Quod ipse videtur explicare, cùm ait, panem, & vinū in proprietate suæ naturæ permanere, non in suis substantijs, quas apertè dicit, diuino Spiritu perficiente, in diuinam trāsire substantiam. Nec refert, ad conuincendum errorem Eutychetis, an maneat panis, & vini substantia secundùm se, an secundùm suas proprietates: quia hæresis eius erat, Christum constare duabus naturis ante vnionē distinctis, nō autem post vnionem naturarum: & ideo non ponebat in Christo nisi vnam naturam, proprietatem autem vnius naturæ voluntatem vnā. Si ergo nō definit substātia panis, & vini secundùm suas proprietates, & officia, quanquā non maneat substantia, efficax est ratio contra Eutych.

Solutio.

Platina in vitis Pontificū.

Trithemius.

Gennad. Massiliens. presbyter.

II. Solutio.

Error Eutycheus de duplici Christi natura ante vnionem distincta.

Quis sensus Irenæi, & eorū omnium Patrum, qui asserunt in Eucharistia, panis & vini remanere substantiam.

Irenæ lib. 4. c. 34. *Ibid.* *Theod.*

Idem dicendum est de sententia Irenæi, qui libro aduersus hæreses docet, Eucharistiam duabus rebus constare, terrena scilicet, & cœlesti. Et Theodoritus II. Dialogo ita habet: Substantiam, quæ ob oculos ponitur, non mutari, id est prima accidentia, quæ sub sensum cadunt (nam propriè substantia non cadit sub oculos) esse igitur accidentium, & eorum operationes naturales à Philosophis vocantur substantia, natura, & essentia, non simpliciter, sed secundùm quid. Et ita soluēdæ sunt autoritates Patrū quæ simile quid continere videntur, vt Origenis in Matthæum, Cypriani de cœna Domini, & Augustini ad Prosperum: qui non loquuntur de substantia physica, quæ accidētibus subsistentiam pstat; nam hanc omnino mutari, Patres omnes testātur, sed de extrema forma, & operationibus accidentium. Cùm enim Eucharistiæ Sacramentū speciebus panis, & vini, & corpore, & sanguine Christi constet, mirum esse nō debet, si à Patribus modò his, modò illis vocibus frequenter nuncupetur: vnde & Paulus modò panem, modò corpus Domini vocat. Illud quoq; arguit Caluinus in transsubstantiationē, ex eo quòd inutilis sit: *Quia ex ea*, inquit, *proueniret, vt pretiosum hoc corpus commune fiat & Iudæ, & Petro, ac vt ad momentum tātùm adsit nobis durantibus speciebus, moxq; abeat. Inutile autem apparet id habere, quod & Iudas habuit, vel quod illicò amittas.* Sed eadem ratione si quicquā ponderis haberent, euincerent, prædicationē Euangelij, & Baptismū inutilia esse, vtpotè pijs, & impijs communia, transeuntq; & non permanent. Inutile quoq; fuisset infantulis, & infirmis, Christum tangere, vt quem & turbæ infideles comprimerent: & stultè Christus dixisset: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, quia illi nō diu hoc viderunt, & pariter impijs, & pijs præsens erat. Vtilem ergo dicimus corporalem Christi præsentiam, quia Petrum fidelem firmat, & nutrit, & sanat, etsi infidelem Iudam perturbet, & scādalizet, vt bonus odor serpentem. Et licet diu frui Eucharistia non contingat, magnā tamen virtutem sui reliquit.

Orig. in Matth. *Cyprian.* *Aug. ibidem.*

1. Cor. 11. *Supra 10.*

Caluini contra transsubstantiationē refellitur ratio.

Marc. 5. *Matth. 13.*

Boni odoris virtus. *Ioan. 6.*

Quod verò secundo loco propositū est, panē & vinum vniri hypostaticè ipsi Christi Humanitati, ex multis ostēditur falsum, atq; hæreticum. Primùm, quia Humanitas in verbo non habet propriam subsistentiam, & ita ad illam assumi panis non potest:

Quòd panis & vinum non vniantur hypostaticè ipsi Christi Humanitati.

test: quod enim per se nō subsistit, quomodo alteri subsistētiā suā cōmunicabit. Deinde illud quod alteri subsistentiam suā, & hypostasin donat, & cōmunicat, necessariò est ens infinitū: at humanitas secundū se finita est, ac proinde illi panis vniri hypostaticè nō potest. Si aūt vnio Humanitatis cū pane intelligatur, nō quidē ratione sui, sed Verbi, cui est vnita; sensus esset Hæreticus. I. quia absurdū est valdè, vt ait Durād[9], Deū toties, & tā vili creaturæ, vt est purus panis, maximè per tā paruo tēpore hypostaticè vniri, cū mun[9] hoc, vel Angelis, & B. Virg. sit denegatū, & soli Christi Humanitati cōcessum. Deinde quia vnio hæc summa est diffusio diuinitatis in externis operibus, ita vt nō possit diuina bonitas se plus alicui cōmunicare, per quā tribuit totū suū esse personale, & ob quā vnionē cōsequenter debet summus honor creaturę, cui ita vnitur: sed Deus nunquā hāc diffusionē bonitatis suæ in Ecclesia sua perdidit, neq; hūc honorē pani, aut vino exhibendū esse docuit: hāc ergo vnionē nunquā fecit, vel faciet. III. quia tam Christus, qui Deus est, quā ipse idē, quaten[9] homo corruptibilis esset, & indies corrumperetē, corrupto pane, cui hypostaticè esset vnitus, & cuius prædicata ei cōuenirent propter cōmunicationē, idiomatū: itaq; sicut panis corrumpit, ita Christus, Deus, & homo, corrūperetur, cōtra illud Apost. *Christ[9] resurgēs ex mortuis iā nō moritur, mors illi vltrà nō dominabitur.* IV. Lutherus hoc dogma somniauit, vt semel à se verū dictum tuerēt, nēpè panē esse corpus Christi; & tñ adhuc hoc nō sequeretur. Nā ex quo hoc dictum est, nō vniret hypostaticè panis immediatè ipsi humanitati, sed Verbo: nō sequeretur panē esse corp[9] Christi, sicut nec in ipso Christo animā esse corp[9], vel humanitatē diuinitatē. V. videri posset hęc sentētia cōtra definitionē cōc. Chal. militare. Est n. in illo definitum, in Christo tñ esse duas naturas; secundū tñ hūc errorē essent quatuor, nimirū Diuina, & humana, & illa panis, & vini: atq; ita Christ[9] dicēdus esset impanatus, & inuinatus, vt sic loquar, sicut dicitur incarnatus. VI. idē colligimus ex nouitate opinionis. Nā vt scripsit Lancfran. in Berēga. cui fuit coętaneus, ante Berengar. nullus hāc opinionē legit tenuisse. Sic enim scripsit (vt refert Wilielm. Wideforđus in lib. cōtra artic. Wicleffi. *Sentētia quòd panis, & vinū sunt solummodò Christi corpus, & sanguis, nullius hominis erat opinio.* Sic ille. Vnde eodem Wiliel teste, Guimund. Auersā. episc. l. de Corp. & sang. Christi cōtra Berēgariū, duas successiuè hæreses (inquit) tenuit Bereng. in hac materia: priorem, quod corpus Christi non realiter, & substātialiter, sed in

II. ratio.
Durand.
Quale ac quantum sit donum Dei hypostatica vnio.
III. ratio.
Rom. 6.
IV. ratio.
Panē esse corpus Christi Lutherus somniauit.
V. ratio.
Conc. Chalc.
VI. ratio.
Lancfr. &c. antiqu[9] scriptor
Vuiliel. Vuideforđus.
Guimūd. Auersan. episc.
Duplex error Berēgarij de Sacramento Eucharistiæ

figura cōtineretur in Eucharistiæ Sacramēto: quod si dicitur panis, nonnisi per figurā, sicut dicitur Christus agnus, Leo, & lapis angularis: posteriorē verò, quòd corpus Domini nō verè, sed latēter continerē sub Sacramento: ita vt corpus Dñi dicatur impanari: & hæc fuit subtilior hæresis Berēgarij. Ex eodē Guimundo adducit dictus Wiliel. Hub. Cardin. Burgūd. cōposuisse cōfessionē illā, Ego Berēgarius. Alger. quoq; eiusdē tēporis scriptor, impugnās, vel hæreticā impanationē, ait: *Nō esset magnū quod Apostolus, ad cōmendandā hominibus Dei dilectionē, & humanæ naturæ dignitatē, ait: Quia Filius Dei Angelos nō apprehēdit, & ille, qui naturæ Angelorū contēpsit personaliter vniri, brutæ panis substātiæ impersonatus panis fieri vellet. Sua n. impersonatio iā nō hominibus singulis, quia etiā panibus facta cōmunis: sicut humanæ naturæ minueret dignitatē, sic etiā Dei erga homines min[9] cōmendaret dilectionē. Et qui semel incarnatus paulò minus ab Angelis est minoratus, quia factus passibilis: hic toties impanatus, quoties in altari consecratur, ipsis hominibus multò minor fieret, qui factus irrationalis; & quia minor fieret illis redētis, nō videretur æquū, & sufficiēs esse pretiū redeptionis. Et cur De[9] fieret aliud quā quod semel factus est, homo scilicet ad nostrā salutē; cùm nihil aliud operetur in Sacramēto quā quod semel operatus est nobis in seipso, in cruce scilicet, & in altari nostrā redemptionē: ad quā dignè suscipiēda semper signo suæ præsentiæ nostrā voluit excitare deuotionē per tanti sui beneficij præsentis, & præteriti, cōmemorationē?* Hactenùs ille, eruditè admodum, & elegāter.

Ruit igitur sentētia Rup. Tuitien. in c. 12. Exo. dicētis. *Sicut Christus humanā naturā nec mutauit, nec destruxit, sed assumpsit, ita in Sacramēto nec destruit, nec mutat substātiā panis & vini, sed assumit in vnitatē corporis & sanguinis sui.* Hęc ille. Cuius sentētia omninò est deserēda: præsertim quod in ca. 6. Ioan. vt confirmet corpus & sanguinē Dñi esse (vt loquit) panē, & vinum, quæ consecrata sunt, dicit, aquā, vinū, & sanguinē, vnius esse substātiæ, nec differre nisi accidētibus. Et in c. 2. Ioan. idē docet de aqua & vino, dicēs, Christū substātię humoris, siue aquę accidēs adiecisse, & saporē nō substātiā mutasse. Habet etiā aquā de Tibri, vel Rheno haustam, & cruce Dñi cōsecratā ad baptismū, omninò eandē esse cum ea, quæ de latere Dñi confosso fluxit: quæ oīa à veritate, & Ecclesiæ sensu longè distant. Remanet igitur sola accidentia panis, & vini, quæ sensus percipit: & sunt sine subiecto, quia corpus Christi illis nō afficitur, & sola quātitas dimēsiua sine subiecto est, & sola alijs accidētibus pręBet sustētaculū: vt pulchrè docet D. Tho. in lib. cōt. Gēt.

Delitescit ergo Christus sub speciebus

Berēgarij subtilior hæresis quænam.
Vuilielm.
Alg. l. 1. de corpore Christi c. 7 & 8.
Hebr. 2.
Si Christ[9] secundùm Berengarium, in Eucharistia impanaretur, quę inde incōmoda secūdùm Algerium omninò consequerentur.
Ibidem.
Psal. 8.
Quid operetur in Sacramēto Eucharistiæ Dominus noster.
Rupert. Tuitien. opinio, panis, & vini substantiā in Sacramento esse dicentis, falsa conuincitur.
II. error Ruperti.
Tertius.
Matt. 3.
Ioan 19.
Quid proprium quantitatis.
D. Tho. l. 4. cont. Gent. c. 65. tom. 9.
Quamobrē Christus in Eucharistia sub speciebus panis & vini voluerit delitescere.

panis & vini, ob meritum fidei augendum; & ob horrorem in esu carniũ humanarum crudarum vitandum, vt testantur Cyrillus, Theophylactus, & Augustinus; & ne in credulis fides nostra irrisioni pateat, postquã etiam sic sub accidentibus panis & vini edentes, amentes, ab Ethnicis tanti mysterij ignaris iudicamur; quasi humanam carnẽ edentes, humanumq; sanguinem potãtes, vt autor est Cyprianus; atque Tertullianus: & ijdem calumniabantur fideles, quasi Cererem, & Bacchum adorarẽt, vt docet Aug. in lib. cont. Faustum Manich.

Cyr. in Ioan. tom. 1. Theoph. in c. 6. Ioan. Aug l. 20. cõt. Faust. cap. 3. to. 6.

Cyp. ser. in cœna Dom. Tert. l. 2. ad vxor. Aug loc praf. Ioan Dam. l. 4. de Orth. fid. c. 14.

Nec obstant verba Damasceni, qui libris de Orthodoxa fide, sic ait: *Panis autem, & vinum assumuntur.* Nam Gręca Damasceni lectio supra allegata habet, *Transumuntur.* non, sumuntur; & quia hęc assuumptio non est ad vnionem hypostaticam, quia vt ipse idem subiũgit: *Quemadmodum in baptismate (quia consuetudo hominibus est: aqua lauari, & oleo vngi) coniungit oleo & aqua gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis: hunc in modum, quia mos hominibus est panem manducare, & vinum, & aquam bibere, coniungit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hec suum corpus, & sanguinem; vt per assueta, & quæ sunt secundum naturam, in ijs quæ sunt super naturam, collocemur.* Sic ille. Vt ergo aqua baptismi nõ assumitur in vnitatem hypostasis diuinæ, nec gratia Spiritus sancti ei vnitur, vt faciat vnam subsistẽtiam: ita panis, & vinum non assumũtur ad diuinum propositum, nisi vt materia transiens, quia panis, & vinum conuertuntur in corpus & sanguinem Christi. Demus igitur operam, vt induti habitum diuinum charitatis, per amorem transformemur in Christum, & vnus cum eo spiritus efficiamur; quò fructum tanti Sacramenti pleniùs cõsequamur: qui in hoc positus esse videtur, vt edentes edamur, & potantes potemur a Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto, omni iure defertur omnis honor, laus, & imperium, in omne seculũ. Amen.

Locus B. Ioã. Dam. corruptus.

Tit. 3.

1. Cor. 6.

TRACTATVS XVII.

In quo eadem Domini verba excutiuntur contra Carlostadiũ, Zuinglium, Oecolampadium, Musculum, atq; alios Sacramentarios.

Christus De⁹ ac Dominus noster, nobis corpus suum & sanguinẽ tradés in Eucharistia, quẽ sponsi morẽ videtur imitatus. Deut. 18. Exod. 23.

PRinceps, q puellã opibus, ætate, ac nobilitate parem, in vxorẽ ducere proponit, primũ cũ illius parẽtibus & cõsanguineis per seruos suos & amicos de matrimonio conciliãdo agere cõsueuit, ac vbi initis pactis inter se cõuenerint, spõsus ꝓ sua magnificentia, pretiosa munera ad sponsã mittit. Nouit enĩ, donis cęcari oculos etiã sapiẽtiũ, & ad amorẽ mittẽtis mariti cõciliandũ, animũ desponsæ maximè inflecti posse: illis aũt maritus testatur, ipsum totum atque integrũ sese ei breui donaturũ. Haud dissimili sane ratione Christus Ecclesiam sibi cooniungere cogitans ꝑ Angelos, & Prophetas, prius cum Patriarchis, & Sacerdotibus, atq; adeò cum Abraham familiæ maioribus, quasi cũ parentibus naturæ humanæ, de ineundo per Incarnationem matrimonio agitauit: quòd vbi impetrauit, & consensum expressit, magnificẽtissima atq; pretiosissima munera, quibus cor eius ad se diligendũ, efficaciter posset inclinare, ad eã destinauit. Inter quę principẽ locũ obtinet Eucharistiæ Sacrosãctæ diuinissimũ donũ, in signũ ꝙ seipsũ iã dedisset ꝑ carnis assumptionẽ, & mortis proinde ꝑpessionem; & in certissimũ pignus, ꝙ se daturus esset spõsæ suæ perfruendũ in gloria. Porrò ad fidelem spõsam spectat, obsignata & chara dona ad se missa, & grato animo suscipere, & amoris magnitudinẽ quo mittunẽ, expendere, donorũq; magnificentiã & pretiũ non ignorare; ne fortè aut stannũ esse putet, quod verè est argẽtũ, aut aurichalcũ, ꝙ re ipsa est defęcatũ aurũ, aut vitrũ, ꝙ est pretiosũ margaritũ. Qđ si qs sit, q virũ inter & vxorẽ serere velit discordię pomũ, & animos eorũ à seipsis inuicẽ abducere; nulla ratione poterit cit⁹ obtinere, q̃ si de dignitate munerũ detrahat; eorũq; pretiũ atq; præstantiã imminuat, aurũ verum, non esse, sed sophisticũ, nec margaritas synceras, sed spurias atq; artificio cõfictas, ac proinde aut vilis, aut nullius valoris esse sponsę persuadeat: ita enim fieret, vt non solùm illa ad se missa monilia, & Principẽ ꝑ quẽ mittunẽ, sed & ipsum mittẽtem contẽneret, atq; vilipẽderet: ꝙ vbi cognitũ haberet spõsus; iusta rei indignatione ꝑmotus, animũ ab ingrata & incredula vxore sua alienaret; & ita vbi priusessẽt eorũ animi arctissimo amoris cõiugalis vinculo copulauit, & cõstricti refrigescẽte mutua, q̃ sibi inuicẽ debebat dilectionẽ, nõ nisi quæ dissensionis sunt, auersiõis, ac pacis vinculi dissolutionis meditarẽtur. Profectò si quis rectè rationẽ subducat, & intẽtis mẽtis cogitatioĩbus contẽpletur, quãto & q̃ pretioso corporis & sanguinis sui margarito Ecclesiã suã Christus hacten⁹ exornasset, atq; locupletasset, & quibus fidei oculis hoc tantũ donũ ab spõsa esset cognitũ atq; ꝑspectũ, atq; in eo magna asseueratione prædicatũ, perpetuoq; mysticarũ ceremoniarũ cultu, vt in omnium fidelium oculos incurreret celebratum, non poterit technam, & fraudem Satanæ non apertè cognoscere; qui per suos à se missos magistros tantæ rei fidem

Ecclesię spõsæ in Christũ sponsum suũ fides qualis esse debeat.

Satanę & hęreticorũ ministrorũ eius

circa Eucharistiæ Sacramentū fraudes,& technę

fidē nobis adimere dignatus est,quo Christū inter & Ecclesiā charissimā suā spōsam dissēsionis semina atq; zizania spargeret,& Sacerdotes ipsos,per quos hoc munus accipimus,& munus ipsum,& incōprehensum mittentis amorem homines facilè contemnerent, & ita paulatim à Christo deficerēt. Tales sunt omnes illi nostri seculi Hæretici,qui obstinato animo,in dedecus Christi grande,& ignominiam , & in Ecclesiæ dispendium ac detrimentum,contendunt nobis persuadere, sub symbolis Sacramenti non Christi carnem , aut corpus & sanguinem,aut animam,aut deitatem delitescere, sed panis communis tantū fragmentulum, & vini profani portiunculam. Tales fuerunt Lutheri sodales,& commilitones,qui ab Ecclesia primùm , deinde etiā à Luthero defectionem designantes, veram ac realem corporis pręsentiam in Sacramēto abiurarūt,& abiuratam,mordicus tueri conati sunt. Et cùm verba Dominicæ cœnæ, illa prima facie aduersari viderentur, nempè, Hoc est corpus meum;in illis interpretandis maiorem in modum laborarūt,& quisque pro suo arbitrio,neglecto Ecclesiæ iudicio,& torrente sanctorū Patrum contempto,in varios , absurdosque atque pueriles sensus distracti sunt. Inter quos Carlostadius primipilus,quē sibi obsistētem in hoc articulo, Lutherus fauore Principis vrbe expulit Wittembergensi , & ad colendam terram cum vxore sua propter victus inopiam coegit. Hic ergo,vt veritatem verborum Domini seruaret, dixit, in illa oratione pronomen illud,Hoc,nō ad panem Eucharistiæ,vt Lutheus sentiebat,esse referendum , nec ad corpus quod manibus tenebat , sed ad illud ipsum Christi corpus, quod mensæ assidebat, quodq; tūc demonstrabat : nam illud verum eius erat corpus, cuius symbolum erat panis exhibitus. Sic illa verba Domini exponebat. Verùm hūc sensum falsum esse, ipse verborum Domini contextus reuincit.Præcedit enim quod accepit panē,& benedixit,ac fregit;deditq; discipulis suis,& ait; *Accipite,& comedite,hoc est corpus meum:* Ex quorū verborum collocatione ac ordine sequitur, illum appellasse corpus suum illud ipsum ,quod dedit,& edi iussit:Non autem dabat corpus illud aspectabile quod mēsæ assidebat sub illa specie,sed panem à se benedictum,& fractum quod porrigebat,& sub quo continebatur corp⁹ Christi. Deinde in calicis porrectione dixit ; *Bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus:* frustrà namque post bibendi pręceptum particulam illam *Enim*,quę causam reddit,addidisset, nisi sanguis quē demonstrabat,non tantū in venis sui corporis credēdus esset existere, sed etiam in calice potandus exhiberi. Denique mera est calumnia , & Christum faciens impostorem aliquem,aut præstigiatorem;quòd porrigendo merum panem, dixerit nō de pane,quē offerebat , sed de corpore suo quod mensæ assidebat,*Hoc est corpus meum.* Ita enim præstigiatores, mira quadam , & vix nota manuum celeritate, vnum verbo promittere; & aliud facto exhibet, quò spectantibus illudant,consueuerunt. Verisimilius est igitur, insignes esse istos impostores , & de Christo malè meritos, qui tantùm mendacium Christo affingere tentarunt. Explosa est igitur Carlostadij sententia,quā Lutherus libēter se amplexaturum fuisse docuit, quòd per illam nouerat se non parùm posse incōmodare Papatui, nisi verbo Dei cogeretur ad retinendā veram corporis Christi præsentiam. Sic enim ille scripsit in epistola ad Argentinenses.

Carlostadij circa pronomē (Hoc, cū dicitur , Hoc est corpus meum) vanū sophisma diluitur.

I. argum.

II argum.

III. argum.

Acceßit deinde Zuinglius:cui,vt scribit in libro de vera & falsa religione, mirificè placuit in Carlostadij opinione , quòd veritatem corporis Christi verbis remouisset:sed modus quo verba Domini exponebat , minimè placere potuit. Idcirco ipse sensit,in ea oratione,*Hoc est corpus meum*,illud substantiuum verbum Est,positum esse pro Figurat,adūbrat,vel significat. Quā interpretationē posteà Beza contra Westphalum tuetur, & Bernardus Ochinus in libro de cœna Domini cōtra eundem Westphalum Lutheranum amplexus est. Ait enim insignis ille hypocrita,atque apostata, perinde atque nos promittēdi aliquid gratia porrigimus alteri manum,dicētes; Hæc est fides mea, hoc est Symbolum fidei : ita Dominum dixisse, *Hoc est corpus meū*,id est, panis hic,signum est corporis mei,sed profectò si verum amamus,verbum substantiuum purum ac simplex,affirmationi tantū vel negationi deseruit;easque res,quæ alijs attribuuntur , vel connectit, vel disiungit, nec ex se compositum aliquid significat. Imò vt Philosophus rectè dixit:*Est,si purum dixeris,nihil significat:* Verba etiā omnia composita in partes suas vltimas per hoc verbū resoluuntur atque distinguuntur ; adeò vt Hebræi rarò illud exprimāt verbum , quia per communem sensum vbiq;subauditur, & suppletur absq; vllo dubio : quòd etiam verbum Lucas in benedictione calicis omisit , velut ex communi ore, & sensu subintelligēdum. Imò in Matthæo Syriacus Euangelij codex,qua lingua creditur Christus locut⁹,sine vllo verbo substātiuo habet, Anau pegri,& anau demi,hoc est,Hoc corp⁹ meum

Agitur contra Significatiuos, eorūq; caput ac Principem Zuinglium.

Beza. Bernardus Ochinus.

Philos. l. 1. Periherm enias.

More Hebræo verbū substantiuū, Est,cur frequēter omittitur.

Qua lingua Christus creditur esse locutus.

Ioan.4.

meum, Hic ſanguis meus. Et apud Ioãnem cùm dicitur, ſpiritus eſt Deus, Græcè tantũ ſine verbo habetur, πνεῦμα ὁ θεός: eſt enim ſupplendum verbum ἐστιν. Id etiam Latinis autoribus contingit; ait enim Poeta illuſtris:

Virg. lib.6. Aen. ſub finē.

Hic Caſar, & omnis Iuli
Progenies;

Et alibi:

Idem lib.1. Æn.

Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ?

Et alius;

Luca. l.1. in init.

Quis furor ô ciues, quæ tanta licentia ferri?

In his enim omnibus orationibus ſupplendum eſt neceſſariò verbum, vt conſtare poſſint. Quòd verò in illis orationibus: *Petra erat Chriſtus. Semen eſt verbum Dei: Ego ſum oſtium*; Et, *Ego ſum vitis vera*, verbũ ſubſtantiuum ſit aliter interpretandum, pro Significabat, vel figurabat, non ei id accidit ex natura ſua, aut per ſe, ſed quoniam petra illa aliter cum Chriſto coniungi non poteſt, quàm per ſignum: nec verbum Dei cum ſemine aliter valet cohærere, vel oſtiũ & vitis cum Chriſto conuenire, niſi per metaphoram, & ſymbolum. Cùm igitur in rebus per eiuſmodi orationem cõnexis ratio tantùm ſigni reperiatur: inde fit, vt parui referat, an dicas, Petra erat ſignum Chriſti, vel ſignificabat Chriſtum. Et oſtiũ & vitis, ſunt ſymbolum Chriſti, vel, in oſtio & vite adumbratur Chriſtus. At verò cùm rebus eiuſmodi copulatis, ratio ac natura neceſſariò ſubſit; tunc verbum, Eſt, non ponitur pro Significat, ſed illud verbum, Significat, ponitur pro toto hoc (eſt ſignum) quod ſignum in rebus ipſis, & nõ in verbo conſtitutum eſt, à rebus verò ad verbum transfertur, & nequaquàm in verbi ſubſtantiui natura propriè conſtitui poteſt. Ineptè ergo in verbo, Eſt, Zuinglius tropum ponit, & vt dici ſolet, nodũ in ſcirpo quærit: quod nihil aliud ex ſe facit, quã vt duo extrema connectat, & tali modo, qualia in ſe ſunt, nihil illis addẽs, vel detrahens. Ideo cum ſumma proprietate verborum vera eſt oratio illa, *Hoc eſt corpus meum*; vbi quod prædicatur, ſubiecto ipſi, de quo dicitur, propriè & ſubſtantiuè conueniat. Si ergo tropus in verbis Chriſti quærendus, nõ in verbo Eſt, ſed in nomine corporis venit conſtituẽdus. Volebat ergo Zuinglius, pronomẽ Hoc referri ad panẽ (quanquàm contra omnem Grammaticæ rationem, vt infrà indicabim⁹) qui Chriſti corpus figurat, & adumbrat per tropum: quo autore nati ſunt Tropiſtæ, ſiue Symbolici, & Figuratiui.

1. Cor. 10.
Luc. 8.
Ioan. 10.
Ioan. 15.

His in locis prænarratis verbum ſubſtantiuũ Eſt, cur pro, Significat, poſitum fuerit.

Illud verbũ Eſt, propriè quando accipiendum ſit.

Nodũ in ſcirpo quærere.

Cõtra Tropiſtas diſputatur.

Oecolamp. ad. Viretus.

Tertio loco acceſſit OEcolãpadius (cui per omnia cõſentit Viretus) qui in expoſitione de cœna Domini, eandem Tropiſtarum, ſiue Symbolicorum ſententiam alia ratione tutatus eſt. Placuit enim illi per omnia tropus, ſed non in verbo eſt, ſed in nomine Corpus; quod ſuauius, ac minus durè pro ſigno, & figura corporis contendit eſſe accipiendum. Vt ſit ſenſus; Hoc eſt figura, vel myſterium corporis mei: dicere enim ſolti ſumus, oſtẽſis figuris Petri & Pauli, & Herculis, Hic eſt Petrus, &, Hic eſt Paulus, &, Hic eſt Hercules. Et ita producit illud Exodi dictum; *Eſt enim phaſe (id eſt, trãſitus) Domini*: Id eſt, Agnus eſt figura illius Agni in tranſitu immolati. Ita dicitur; Petra erat Chriſtus, id eſt, ſymbolum. Verùm cũ hæc opinio à præcedẽti niſi in ratione ac modo dicendi non diſtinguatur, ſtatuendum eſt, perinde hanc atq; illam hæreticã eſſe prorſus, & à veritate longè diſcedentem; ac proinde quæcunq; priorem illam deſtruunt, ſimiliter & iſtam euertunt. Sed & peculiari ratiõe impugnatur: quia explicãs ipſe Dominus quale corpus illis porrigeret, adiunxit; Quod pro vobis datur, vel frangitur; at hoc quod ipſe in cruce clauis & lãcea frangendum & immolandum dedit, typicũ aut ſymbolicum non fuit, ſed verũ ac ſolidum ſuũ corpus. Adhæc de ſanguine dixit, Hic eſt ſanguis meus Noui Teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum, non ergo aliquem typum ſanguinis dedit; quia tale ſymbolum nõ eſt effuſum, nec in remiſſionem peccatorũ effundi poterat; ſed humanum, verumq; ſanguinem, qui in venis Chriſti tunc delitescebat, ſed fundendus erat die ſequenti, & fuſione ſua in ſacrificium immolandus. Præterea Paulus indignè mãducantes, reos eſſe pronunciat, non quidem alicuius ſymboli, & figuræ, ſed corporis Domini. Nã quoties manducamus panem illũ, aut calicem bibimus; mortem Domini annunciamus, rebus ipſis datis, non ſymbolis, quæ data nõ ſunt, mortem Domini annunciamus. Quòd ſi quandoq; quidã ex Patribus, vt Tertul. Auguſt. aut alij tradãt, Chriſtũ in cœna dediſſe corporis ſui figurã; cùm illi hoc rãro aſſerãt, & frequẽtiſſimè cõcedãt, ipſũ Dñm verũ ſuũ & ꝓpriũ corpus porrexiſſe, verũq; ſanguinẽ, & ſubſtantialẽ propinaſſe: ꝑ has frequẽtes ſentẽtias cogimur interpretari priores illas, & pauciores, ne dicam⁹ ſibi ipſis Patres cõtradixiſſe; aut omninò ſtatuendũ, verũq; eſſe verũ & Catholicũ: qa & veritatẽ corporis, & ſanguinis ſui tradidit, & eius etiã figurã, ſiue ſymbolũ. Qđ dictũ eſt ꝓpter ſpecies, ſiue accidẽtia, q̃ remanẽt, & in ſenſus noſtros incurrũt; vel etiã ob id ꝙ Euchariſtia incruẽta victima repreſẽtat cruentã Chriſti immo-

Quid ſit iſtis Hoc eſt Corpus meum.

Exod 12.

I. ratio.
Luc 22.
1. Cor. 11.

II. ratio.

Matt. 26.

III. ratio.

1. Cor. 11.

Si quãdo Patres tradunt, Chriſtum in cœna figurã ſui corporis dediſſe, eorũ dictum vt ſit accipiendũ.

Ioan. 6.

immolationem, & mortẽ Domini annuntiat, teste Apostolo; vel denique quia est figura panis viui illius, qui de cœlo descẽdit, & nos in spiritu viuificantis, ac nutrientis, gratiam,& virtutum augmentũ impertientis, & post hãc in cœlesti mensa ad satietatẽ exhibendi. Etenim Eucharistia hoc modo porrecta,& mãducata,& præteritam Christi mortem;& nostrã præsentem alimoniã, & satietatem in cœlesti mensa futuram per eiusdem Christi corporis merita acquirendam egregiè repræsentat: quod verò quandoque res ipsas pro earum symbolis vsurpemus; circunstantijs ad id cogẽtibus contingit, quæ hic omninò non vrgent, nisi ad contrarium.

Vnde fit, vt res ipsæ pro earum symbolis interdũ accipiantur.

Falsa & inepta Petri Martyris ratiocinatio in illud: Hoc est corpus meũ.

Falsa proinde est Petri pseudomartyris ratiocinatio: *Hoc est corpus meum: Quæro, ait: pronomen Hoc quid demonstret? Si dicas panem demonstrare; falsa est, quia ante finem prolationis non est corpus, sed panis; post finem verò non est amplius panis. Idcirco ait, hoc, id est, hic panis est corpus meum significatione.* Sed vrgeo istũ Martyrem; quomodo pronomẽ neutrius generis Hoc, demõstrat panem, qui est masculini? Ideo respondemus ad argumẽtum propositũ illud Hoc, significare vnum aliquod singulare (quod appellãt) vagum, nõ declaratum quid sit, sed per prædicatũ expressum. Vt in illa oratione, ostenso melle; Hoc est mel, non declarat naturã mellis illud Hoc: & si hoc, idẽ valeret quod mel, inepta planè esset oratio: esset eñ sensus; mel, est mel. Et ita pronomẽ hoc significat quid vagum, singulare, & incertũ, quod in prolationis fine indicatur quale sit, vt in illa Christi signatur esse eius corpus. Nec valet dicere; Cur non dixit Dominus, Hoc erit corpus meum? respondemus quia iam erat corpus Christi, cùm benedicendo conficeret: vt cùm dixit vox de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus.* Iam antè erat Filius dilectus: Vel si dicamus, nõdum fuisse corpus Christi id quod proximè erit; dicimus quod iam est, idcirco dixit, Hoc est, non hoc erit corpus Christi. Et hactenùs in Oecolampadium sit dictum.

Exemplum.

Obiectio diluitur.

Matt. 3. & 17

Quare non dixerit Dominus, Hoc erit corpus meum, sed est.

Tropistæ cõfutantur.

Ioannes Alasco, eorum Hęresiarcha.

Quarto loco agendum in Ioãnem Alasco, Zuinglianum; qui ad tuẽdam illam impietatem, aliam rationem seipsum atq; alios seducendi, meditatus fuit, sed quæ alijs nihilo fit, aut verisimilior, aut solidior. Nã cùm Lutherus, & Carlostadius vim facerẽt in pronomine, Hoc, Zuinglius in verbo Est, Oecolampadius & Viretus in nomine corpus: iste à reliquis diuersis pronomen, Hoc, non ad panem, vt cæteri Zuingliani, sed ad totius Dominicæ cœnæ actionẽ retulit, velut à Domino dictum fuisset; Accipere panem, benedicere, frangere, dispensare, ac manducare, hoc totum est corpus meum: quam hæresim Westphalus Lutheranus Caluinum quoq; defendisse scripsit; etsi Theodorus Beza Caluini discipulus id perneget.

Sed in hanc quoque opinationem, siue hallucinationem euertendã nonnulla, atq; illa quidẽ non parui momenti adduci possunt. In primis enim, Domino dicẽte, Hoc, certam rem aliquam, atq; illam permanentem demonstrauit, & substantiam quampiam solidã, non prætereuntes actiones, & præsertim numero plures; alioqui, ne quis erraret in sensu accipiendo, dicendum erat: Hæc omnia sunt corpus meum, hoc est secundũ Tropistas, figurant, vel adumbrãt corpus meum. Nunc verò ad eius numeri enallagen nihil est quod lectorem omninò coarctet: nam vt dicendo Hoc, vnum aliquod singulare demonstrauit; ita etiam dicendo Est, illud, quòd nondum transijsset, sed adhuc existeret, demõstrauit: acceptio autem panis, & eius benedictio, & fractio iam omninò transierat, sicut & mãducatio nondum adhuc erat, sed tãtùm futura erat. Deinde hæc dicẽdi ratio cõstare nõ potest. Nam Dominus dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*; non solùm præcepit vt panem benedicerent, frangerent, dispẽsarent, ederẽt, sed vt opus quoddam in mensa Domini post actiões nostras finitas perfectum relinquerent, quod ipse corpus suũ vocauit; cuius operis perfectio, eius erat absumptio. Hinc Magnus Basilius rectè inter actionem, contemplationem, & factionem, siue rem factiuã distinguit. Contemplatio siquidem, nihil agit foras extra se: actio, vnà cum corporis motu trãsit: vis verò, seu ars factiua, opus quoddam spectandum, & manibus, & sensibus contrectandũ post se relinquit, vt domum, vel arma, vel nauem, quę homines arte conficiunt. Cùm ergo iusserit Dominus nos nõ contemplari, vel agere, vel facere, & quidẽ illud idem, quòd ipse prior fecisset: planum est, quòd cùm dixit: *Hoc est corpus meum*, vtiq; pronomen Hoc, quod permanẽtis substantiæ verbo & nomini cõiungitur, nõ plures actiones prætereũtes, sed illud vnum opus permanens, quod Christus perfecit, significat. Quare rectè Iustinus scripsit, Christum accepto pane, cùm gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in memoriã mei, hoc est corpus meum.* Sic ille, quasi diceret; Corpus meum, in mei recordationem.

I. argum.

II. ratio.

Basil. hom. 1. in Hexa. to. 1.

Actio, contẽplatio, & factio inter se, differunt secundum Basilium.

Iustin. Apolo. 2. ad Ant. to. 1

Adhæc vrgeo Ioannem Alasco, & quæro ab omnibus illis Tropistis, q̃d pronomine illo Hoc demõstretur: nõ certè panis, & corpus

III. argum.

tionem detorquere. Nam in his verbis: *Ego sum ostium; Ego sum vitis vera*: vel, *Ecce Agnus Dei*; vel, *Vicit Leo de tribu Iuda*, Et, *Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnũ cælorum*: Et rursus: *Si oculus tuus scandalizat te; erue eum, & proijcias abs te*, qui tropum non agnosceret, & per metaphoram non exponeret, in absurdos, & patentes errores incideret: quia illa omnia ab Spiritu sancto per tropum aliquem & metaphorã dicta sunt. Si quis verò, quæ per proprietatem dicta sunt à Christo, siue ab Euangelista, contẽdat ea tropicè, siue per figuram exponere, in falsum aliquem sensum, vel etiam hęresim prolabi potest. Nam ita Apostoli audientes dicentem Dominum de Filio hominis. *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, &c.* Et ipsi nihil horum intellexerunt, existimabant, vt Beda ait, parabolicè, & non propriè locutum: ita cũ Dominus dixit: *Hoc est corpus meũ*, cũ propriè sit locut⁹: quisquis ad tropũ vel figurã occurrerit, in re longè grauissima offendit.

Quæ Christi sententiæ necessario per tropũ intelligendæ sunt. Ioan. 10. Ioan. 15. Ioan. 1. Apoc. 5. Matth. 19. Matth. 18. Luc. 18. Beda tom. 5.

Quintò loco venit doctrina Wolphgangi Musculi excutiẽda, qui in his verbis cõtendit esse tropum ex natura & proprietate Sacramenti, quod nõ est aliud (ait) quàm sacrum signum. Quod autem signũ corporis Christi sit idipsum corpus Christi esse non potest, præterquam in signo, & modo Sacramẽtali. Ob id etsi Musculus in suis locis communibus, titulo de cœna Domini, fateatur omnia benedictionis verba propriè accipienda esse; tamen modum prædicati non posse proprium statui, sed Sacramentalem, hoc est, Sacramento conueniẽtem. Vtpote panis, quatenus est Sacramẽtum Corporis Domini, hactenus est Corpus Domini pro nobis traditũ, ratione ac modo Sacramẽti cõueniẽti: sicut ratione ac modo naturæ ipsius naturaliter est panis. Hæc ille. Atq; isti propriè sunt Sacramentarij. Sed hæc etsi acutè ac subtiliter dicta videantur, nihil tamen ad rem. Substantialis enim Corporis Christi in Eucharistia præsentia, tam solidè in verbo Dei, & in veritate Euangelij nititur, Sacramenti ipsius, vt natura non modo realẽ Christi præsentiam non tollet, sed etiam adiuuet, & stabiliat. Etsi enim signum, & res signata inter se differant, non est tamen necesse, vt signũ alterius naturæ ponatur sed tantum, vt in ratione alia subsistit: quia Dei Filius, qui est eadem natura cum Patre; Figura tamen substantiæ Patris dicitur ab Apostolo, siue vt Græcè habetur, character hypostaseos: dicitur etiam ab eodem imago Dei inuisibilis. Adhæc manna, quod è cœlo cecidit, iussit Deus (vt est in Exodo) in memoriam eiusdem panis è cœlo, cadentis in futura secula asseruari: ita Christi corpus verè adest, & repræsentatur in Eucharistia, vt per hãc præsentiam fide agnoscamus, quali esca nos Deus, & quondam in Cruce redemerit, & nunc nutriat in deserto huius seculi. Ponenda ergo Sacramenti ratio, sed qualis Nouo congruit Testamento. Eucharistia enim ad mortem Domini annuntiandam instituta est; & eadem est summus cultus, quo Deum colimus, & quam ritu perpetuo offerimus tanquam sacrificium, vt in priori ad Corinthios ostendit Apostolus, vbi sacrificia, & pagana Ethnicorum, & Leuitica illi opponit. Sed veteris legis hęc erat infirmitas, quod etsi vmbram futurorum haberet bonorũ, & non rerum imaginem; tamen nec Sacerdos, nec hostia erat perfecta, sed plures erant Sacerdotes, quia nemo eorum vnus manere in perpetuũ poterat, & quotidie aliæ & aliæ eiusdem generis hostię repetebantur, quæ non poterãt expiare delicta: nos autẽ in noua lege liberati ab illis infirmitatibus (cum cultu aliquo externo carere non possimus, nec pręstantius aliquid sacra Eucharistia habeamus) nec vno æterno Sacerdote in cultu nostro destitui, nec nouas quotidie hostias, sed semper eandẽ, & efficacem quotidie offerre debemus. Si autem Eucharistia constaret ex panis, viniq; sola substantia, quæ in Corpus & sanguinem Christi nondum transijssent, profectò nostra hostia, nosterq; cultus, nõ esset illo legali, vel potentior, vel vtilior: nã quotidie repetitur panis nouus, & nouum vinum, quæ non possunt auferre peccata. Fuit etiam fides mortis Christi, non minus in Mose, Aarone, Dauide, & reliquis Prophetis, quàm in nobis sit modò: & tamẽ illorum cultus, ob externi operis infirmitatem, reprobatus est, vt docet Apostolus. Ergo opus est credere, in nostra Eucharistia, nullam veterem, infirmamq; substantiam post interpositam benedictionem Christi Sacerdotis æterni; cuius personam visibilis minister gerit, in se continere; sed sub specie panis & vini Corpus & sanguinẽ Christi delitescere: quę hostię solum valẽt purgare peccata, quoniam virtus sacrificij crucis, semper manet in illa Corporis Christi substantia, ad applicandum nobis diuinæ mortis fructum. Et ita non mutamus hostias, vel Sacerdotes, vt olim in lege, sed per vnum Christum, qui semper viuit ad interpellandum pro nobis, offerimus vnicam ipsius Christi hostiam, quæ in æternum potens est (corpus scilicet & sanguis eius) ad applicandã, & consummãdam in nobis illam sanctificationem, quã in cruce omnibus

Contra Sacramentarios disseritur. Vuolphgang. Musculus. Qui sint propriè Sacramentarij. Heb. 1. 1. Cor. 4. Exod. 16.

Eucharistia ad quid instituta. 1. Cor. 11. Suprà 10. Hebr. 10. Nouæ legis sacrificiũ ab illo veteris discrimen. Supra 7. Vetus Iudęorum cultus, cur à Deo reprobatus sit. Hebr. 7. Hostię Eucharistiæ cur solæ valeant peccata remittere. Ibidem.

dicendo, & scribendo impugnandi gratia effunderet; contra verò, dum in ditione Lutheranorum versaretur, in partes eorũ inclinaret, & in oppositas acriori stylo debaccharetur. Quare in Ratisbonẽsib' Comitijs quibus Carolus Cęsar interfuit, cum Buccero, & alijs sectarum capitibus affuisse legitur, atque ibi, illorum sententiæ de cœnę Domini articulo, subscripsisse: Hinc est, vt verba, & vocabula vtrique factioni permisceret, & si aliter quàm sonarent, interpretaretur. Et tamen vtramq; sectam grauissimè offendit: dicebat enim Christi corpus, & substantiam esse in Eucharistia, & rursus, non esse: sumi, & non sumi nisi per fidem, & spiritali modo. Vt aptè propterea Claudius Santesius, vir eruditissimus; & Catholicæ Fidei acerrimus propugnator; in eum scribens, dixerit, Caluinum imitatũ fuisse Q. Fabium Labeonem: qui, vt testis est Cicero, cum arbiter Nolanis, & Neapolitanis, de finibus agri inter se contendẽtibus, à Senatu datus esset, & ad locum venisset: seorsim cum vtrisque locutus est, vt ne cupidè quid agerent, ne appeterent; atque vt regredi, quàm progredi mallent. Id cum vtriq; fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminauit: in medio relictum, quod erat pop. Romano adiudicauit: *Decipere hoc quidem est* (inquit Cicero) *non iudicare. Quare insectum redditum est à populo Romano.* Haud dissimili solertia, Lutherum & Zuinglium vt falleret Caluinus; librum de cœna Domini scripsit, in quo Lutherum & Zuinglium de finibus veritatis litigantes, coërcere visus fuit: & quod erat medium inter illos relictum, eo animo occupauit, vt tandem vtrumq; de tota possessione deijceret. Lutherus siquidem præsentissimum in pane & vino Eucharistiæ verum, & naturale corpus esse, & inde reipsa, & substantialiter sumi, etiam ab indignè accedentib. asserebat; at Zuinglius à pane, & vino penitus corp', & sanguinem Domini abstrahebat, cœloque tantum includebat; percipi tamen fructus, & merita passionis eius per Eucharistiæ Sacramentum defendebat. Media desiderabatur sententia, quæ panem & vinum sentiret cum Zuinglio, corpore, & sanguine Domini vacua; & tamen cum Luthero videretur affirmare, non puram spiritualẽ gratiam in Sacramento tantum percipi, sed de cœlo ipsam carnem Christi, & sanguinẽ fidelibus accipienda administrari. Sic ergo Caluinus instar Gnatonis, aut potius pręstigiatoris alicuius sophisticè ad imponendũ loquentis, modò aiebat, modò negabat, & inter affirmationem, & negationem mediũ quoddam excogitauit; vt omnes in admirationem sui permoueret, inuenitq; nescio quã simul consistentem negationem cum affirmatione, siue affirmationem cum negatione. Vt autem agnoscas, vetus hoc esse hæreticorum ingenium, vt eandem rem, & negent, & affirment. Audi Hieron. in epist. ad Pammach. & Oceanũ de Origenis errorib. dicentem: *Hæretici sic verba temperant, sic ordinem inuertunt, & ambigua quæq; concinnant, vt & nostram, & aduersariorum sententiam teneant, vt aliter Hæreticus, aliter Catholicus audiat, quasi in eodem spiritu, & Apollo Delphicus atque Loxios oracula fuderit Crœso, & Pyrrho diuersis temporib. sed pari illudens Stropha. Exempli caussa pauca subyciam. Credimus, inquiunt, resurrectionem corporum. Hoc si benedicatur, pura confessio est. Sed quia corpora sunt cœlestia, & terrestria, & aer iste, & aura tenuis, iuxta naturam sua corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem: vt Orthodoxus corpus audiens, carnem putet; hæreticus spiritum recognoscat. Hæc est eorum prima decipula: quæ si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos, & innocentiam simulant, & malitiosos nos vocant, & quasi simpliciter credentes aiũt; Credimus resurrectionẽ carnis. Hoc verò cùm dixerint, vulgus indoctũ putat sibi sufficere; maximè quia idipsum, & in Symbolo creditur. Interroges vltra, circũli strepitus cõmouetur, fautores clamitant. Audisti resurrectionẽ carnis: quid quæris amplius? Et in peruersum studijs commutatis, nos sycophantæ, illi simplices appellãtur. Quod si obdurauerís frontem, & vrgere cœperis, carnem digitis tenens, an ipsam dicãt resurrecturã, quæ cernitur, quæ tãgitur, quæ incedit, et loquitur; primò ridet, deinde annuũt. Dicẽtibusq; nobis, vtrũ capillos & dentes, pectus, & vẽtrẽ, manus & pedes, cæterosq; artus ex integro resurrectio exhibeat, tunc verò risu se tenere non possunt, cachinnoq; ora soluentes, tonsores nobis necessarios, & placentas, & medicos, ac sutores ingerunt. Vtroq; interrogant, vtrum credamus, & genitalia vtriusq; sexus resurgere, nostras genas hirtas, fœminarum leues fore, & habitudinem corporis pro maris, ac fœminæ distinctione diuersam. Quod si dederimus, statim expetunt vuluam, & coitum, & cætera; quæ in ventre sunt, & sub ventre. Singula membra negant, & corpus quod constat ex membris dicunt non resurgere.* Sic ille. Sed vt ad Caluinum redeamus; inter potẽtissimas ille factiones nomen quæsiuit, nec quamdiu vixit, alteram opprimere potuit, sed vtrasque potius mitigare, quàm oppugnare conatus est: reuera tamen si diligenter eius scripta, & verba excutiantur, in Zuinglij sententiam potius, propter confinium Geneuæ & Heluetiorum inclinauit. Simili calliditate Theodorus Beza; quo magis magistrum suũ, & Ecclesiæ suæ Geneuensis an-

Claudius Santesius illustris nostri seculi scriptor acutè in Caluinum quid dixerit.

Cic. l. 1. de Off.

Hier. to. 2.

Hieronymus mores, & ingenium hæreticorũ mitè describit.

In articulo resurrectionis carnis, quales illi sycophãtæ agnosci possunt.

Secunda sycophantia.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Theodorus Beza Caluini discipulus.

tecessorem referret, Proteo ipso inconstantior, in ditione Lutheranorum positus, eorū more, verba de Dominica faciebat cœna: quoties in potestate Zuinglianorum vitam egit, eorum opinioni subscripsit: quādo verò in Gallia versatus est, & in conuētum Pissiacum ascitus potiri se summa rerū existimans, nec alicuius sectæ potētiam expauescens, suam & magistri sententiam reliquis omnibus anteposuit, atq; aliis reprobauit. Obtulit enim Regi Galliarum eam fidei suæ confessionem, quam Zuingliani minimè probarunt, & cuius contrariam omninò Petrus Martyr posteà ibidem prolatā protulit. Beza enim sic dixit: *Credimus in vsu cœnæ Dominicæ reipsa substantialiter, siue in ipsa substantia verum corpus & sanguinē Christi spirituali, & ineffabili modo esse, exhiberi, sumi à fidelibus communicantib.* Petrus verò Martyr planè Zuinglianus, talē professionem dedit: *Respondeo pro parte mea corpus Christi nō esse verè ac substantialiter alibi quam in cœlo: non tamen nego, Christi corpus, & sanguinē illius verū, quæ pro humana salute tradita sunt in cruce, fide, ac spiritaliter percipi à fidelib. in sacra cœna.* Sic ille. Beza tamē postea in eodem conuentu alteram confessionem subiecit: *Profitemur,* inquit, *Iesum Christum in sua cœna nobis verè offerre, donare, exhibere substantiam corporis & sanguinis sui per operationem Spiritus sancti, nosq; Sacramentaliter, spiritaliter, & fide illud ipsum corpus, quod pro nobis mortuum est, percipere, ac māducare: vt facti os ex ossibus eius, & caro ex carne eius, inde viuificemur, & percipiamus quicquid ad salutem nostram requiritur. Et quoniā fides Verbo Dei innixa, res promissas reddit præsentes, eademq; fide verè ac reipsa verum ac naturale Christi corpus per Spiritus sancti virtutem percipimus: hoc respectu præsentiam corporis ac sanguinis Christi in sacra ipsius cœna cōfitemur.* Cuius formulę magis elucidādę gratia postea addit: *Affirmamus, nullā locorum distantiam, impedire posse corporis & sanguinis Domini communionem: quoniam cœna est cœlestis actio. Et quamuis in terris sumamus panem, & vinum, vera corporis, & sanguinis symbola, tamē fide, & vi Spiritus sancti mentes nostræ, quarum in primis est hic cibus, in cælos vsq; sublatæ, præsenti corpore, & sanguine potiuntur. Itaq; hoc demum sensu dicimus, corpus pani, & sanguinem vino verè coniungi: non aliter tamen, quàm Sacramentaliter, id est, non loco, neq; situ: sed quoniam efficaciter significant, quod omnibus cum fide participātibus à Domino donatur, & per fidem à credentibus verè percipitur.* Hæc ille. Quæ propterea tam prolixè à nobis sunt producta; vt intelligas quāta fraude, & dolo procederet Beza, & quā diuersa reuera existat declaratio ab illis verbis præconceptis, quibus verā Christi præsentiam in Sacramento cōfiteri prima facie videtur. Idem quoq; cōsilium secutus est prius Caluinus: qui affirmat, non magis nos percipere corpus Christi in Eucharistia, quā in baptismo, & per verbi prædicationem. Et in harmonia Euāgelica, explicans illud: *Semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis,* affirmat, Christum sola gratia, & virtute nobiscum mansurum in æternum.

Theodori Bezæ de Eucharistiæ Sacramento confessio qualis fuerit.

Petri Martyris de eodem professio.

Alia eiusdem opposita Theodori Bezæ de corpore Christi confessio.

Matt. 26.

Caluinus ergo videns Zuinglij, & aliorum Sacramentariorum infirmas opinationes, & quòd rem ad veteres vmbras reducerēt, excogitauit mathematicam quādam energiam, quàm fides præstat, ait enim eam esse fidei efficacitatem, & virtutem, vt absentia præsentia faciat: & cùm symbolum panis porrigitur fide ad animum nos reuocare, Christum pro nobis Patri obtulisse carnem & sanguinem, gratiasq; ei impetrauisse, & in dextera Patris considentem, aduocati officiū præstare. Vnde & nos fide in cælum penetramus, & ibi corpus eius apprehendimus: quod etsi absens, fide tamē nobis pręsens esse facimus. Itaq; hac in cœlum penetramus, & ibi corpus eius apprehendimus, ita vt etiam manducantibus offeratur corpus Christi vna cum pane, & vino, licèt ab illis (inquit) nequaquam māducetur. Et interpretatur illa verba: *Hoc est corpus meum,* id est, Hic panis est signū efficax corporis mei: *Quia,* vt inquit scribens in Hessutium: *Veritas à figura non excluditur, sed tantum notatur discrimen inter signum, & rem signatam, quod coniunctioni non repugnat.* Hoc est, per bellum Caluini commentum, elegantibus, & pictuiratis verbis adornatum: sed si altius contēpleris, deprehendes, nihil esse aliud, quàm Satanæ cōmentum. Quocirca quę alibi docet, vt videatur veram, & substantialem pręsentiam corporis Christi sub symbolis exhiberi: aut æquiuocè, & sophisticè dicūtur ad blādiendum lectoribus; aut modo vnū, modò aliud sentiebat. Quare non est curādū, quod in cōsensione cum Tigurinis scripsit: *Qui in solennibus cœnæ verbis: Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, præcisè literalem, vt loquūtur, sensum vrgent, eos tanquā præposteros interpretes repudiamus. Nam extra controuersiam ponimus figuratè accipiēda esse, vt esse panis, & vinum dicantur id, quod significant. Neq; verò nouum hoc, aut insolēs videri debet, vt per metonymiam transferatur rei figuratæ nomen: quia passim in Scripturis eiusmodi lectiones occurrunt: & nō sic loquendo nihil asserimus, quod non apud vetustissimos quosq;, & probatissimos Ecclesiæ scriptores extet.* Idem in locum illum prioris epistolæ ad Corinthios: *Quærenda est,* inquit, *metonymiæ ratio. Hic respondeo, nō tantum signo impo-*

Quæ causa impulit Caluinū ad mathematicā illam energiā in Eucharistiæ Sacramento impulerit.

Illud: Hoc est corpus meū, quid Caluino.

Caluini de Eucharistiæ Sacramento in consensione cum Tigurinis facta, confessio.

1 Cor. 11.

imponi nomen rei signatæ, quoniam sit figura, sed magis quia symbolum sit, quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis, & terrenis, quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diuersum, non admitto. Vocatur Herculis statua, Hercules, sed quid illic est, præter mortuam, nudamq; figuram? Columba autē, spiritus sanctus vocatur, quia certa sit tessera inuisibilis Spiritus præsentiæ. Proinde illud mihi extra controuersiam est, veritatem cū suo signo coniunctam esse. Et rursus ibidem: *Audio quid verba sonent: nec enim mortis tantum, aut resurrectionis suæ beneficium nobis offert Christus, sed corpus suum, in quo passus est, & resurrexit.* Et in Catechismo suo: *Cùm Dominus noster Christus ipsa sit veritas; minimè dubium est, quin promissiones, quas dat, illic nobis simul etiam impleat, & figuris suam addat veritatem. Quamobrem non dubito, quin, sicut verbis, & signis testatur, ita etiam nos suæ substantiæ participes faciat, quo in vnam cum eo vitam coalescamus.* Et in Catechismo scripsit, tantum nos percipere Christum per baptismum in parte, in Eucharistia totū. Hæc enim & similia multa in eius libris scripta reperiuntur, quæ apertè videtur prima facie cum Catholicis conuenire, sed planè intelligentia, & sensu à Catholicis sunt diuersa. Et tantum fatetur per fidei energiā accipi corpus Christi, & sanguinem, ac illis nos per spiritū perfrui, ac si præsentia adessent. Hæc autē esse vera ostendit, quod alibi sæpè in illis verbis, tropum metonymiæ ponit modò in voce Corpus, modò in pronomine Hoc, modò in verbo Est, modo in tota oratione. Quare in vltima admonitione sua ad Westphalū ait: *Nemo dicit corpus pro figura corporis, & panem symbolicè vocari corp⁹: quia interponitur quasi visibile pign⁹, dū nos Christus facere vult carnis suæ participes.* Sic ille. Huic Caluini & Bezę sententię proxima esse videtur Stanchari opinatio, qui autor est Arrhabonariorū, vt Caluinus Energicorum (quorum tamen vna & eadē sententia est) qui in cœna Dominica confitetur corporis Christi arrhabonem, & quasi donati pretij vel domus (vt loquitur) inuestiturā nos apprehēdere: sed isti omnes manifestè nobis à symbolis eripiunt veram Christi præsentiam, & illam tribuunt fidei efficaciæ; vel symbolis, à quibus aiunt, inseparabilem esse rem signatā; vel arrhaboni, cui adscribūt certissimam rei donatę, siue promissę exhibitionē. Quare Caluinus & Beza, nos, asserētes corp⁹ Christi verè edi, & sanguinē verè à fidelibus sumi vocāt Capernaitas, Cyclopes, anthropophagos, laniones, & Thiestæ cōuiuas. Præterea producit Beza Ciceronē autorem lib. de natura deorum Ægyptios excusantem, imò Romanos, qui vsitato sermonis genere fruges Cererē, vinū, Bacchū vocabāt: à quo negatur, vllā adeò stolidam gentē fuisse, vt id quo vesceretur, Deū esse crederet. Auerroes quoq; l. 12. metaphys. ita habet: *Quoniam Christiani Deum suum, quē adorant, manducant; sit anima mea cum Philosophis.* Debebat ergo Beza dicere; Sit anima mea cum Cicerone infidelium Rhetorum principe. Sed certè quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Christus dixit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitam in vobis:* reclament licet Capernaitæ, impij Auerrois discipuli, & Ciceronis disertissimi. Sed nos sic vt non erubescimus Euangelium, nec Christū crucifixū, ita nec palā asserere māducari eius corp⁹ & bibi eius sanguinē sub symbolis panis & vini. Ex his ergo planè ꝓdūt seipsos Caluinus & Beza, quid intellexerint per suam illam efficaciam corporis, & sanguinis Domini, & in terra positos corpore, & sanguine Domini vacua elemēta assumere: & vt Beza quodam loco affirmat, tā procul à pane, & vino corpus, & sanguinē Christi dissita esse, quā cęlū à terra. Et Caluinus manifestè fatetur, sub pane, vel in pane, vel cū pane recipi corpus Christi, & nobis dari. Quas etiā locutiones, nisi velit Caluinus cū Luthero cōuenire, intelligit Beza, & interpretatur; vt Sacramētalis tātū, & efficax notetur coniunctio, non aūt realis præsentia.

Deinde hic opinandi, & verba Domini ꝑ metonymiam exponendi modus, prorsus tollit Ecclesiæ Christi sacrificium, & transubstantiationē: quia ꝙ in altari offertur, & in quod natura panis cōuertitur, verè, ac re ipsa adest, & nō sola efficacia repręsentatur. Nam si per metonymiam loquamur, non solum aqua baptismi, in quo designatur fieri hominis ablutionem per Spiritum sanctum; dicetur Christi sanguis, vel Spiritus sanctus, sed etiam pecudū sanguis olim oblatus, & māna, imò quęlibet pictura, & imago Christi. Imò prędicatio & Scriptura erit corp⁹, & sanguis Christi metonymicè, quia illius sunt symbola, & fidem eius excitant. Quod tamen apertè negat Aug. l. de Trin. dicens: *Nec linguam quippe eius* (scilicet Pauli Christum prędicantis) *nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi, & sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritalē in memoriā pro nobis Dominicæ passionis.* Hæc ille. Cultus etiam noster externus, ab infirmitate Iudaica, & legali non liberatur, vt ipse putat, & in quo alios, vt peccantes reprehēdit: quia quotidie in Noui Testamēti cultu repe-

Marginalia: *Matth.3.* — *Idē Caluinus.* — *Idem.* — *Idem.* — Stancharus Arrhabonnariorū autor, vt Energicorū Caluinus. — I argum. cōtra ista sectarū portenta. — Caluinus, ac Beza Catholicos quibus nominibus appellent. — *Cic. l. 3. de nat deor.* — Auerroes de Christianis quid senserit ac dixerit. — *1. Cor. 1. Ioan. 6.* — *Rom. 1.* — *Beza.* — *Caluinus.* — II. argum. — *Aug. l. 3. de Trin. c. 4. prō pè fin. tom. 3.*

III. argum.

tu repeteremus eūdē panē, & idē vinū: q̄ nō possunt expiare peccata. Tertiò cōfutatur Caluini dogma. Inter ipsū & Catholicos cōuenit, panē & vinū esse velut arrhabonē, & sigillū, res verò ipsas, quę promittātur, esse corpus Christi, & sanguinē. Quod ergo pręcipuè in Sacramēto capiēdū est, id à Domino in eiusdē Sacramēti administratione pręcipi, ac doceri. Nā vt baptismus extra causā necessitatis nō datur pręterq̄ ijs, q catechizātur, teste Apost. ita nec Eucharistia nisi ijs qui prius docētur quomodo dignè accipiēda sit, Christ⁹ verò in distributione corporis, & sanguinis nihil pręcepit nisi hoc ipsū q̄ acceptū panē benedixit, & benedictū, & fractū distribuit: *Hoc est corp⁹ meū*. Qđ si Apostoli iubētur in spiritu edere corp⁹ Christi, & sanguinē sumere; vtriq; in illo verbo, *Accipite*, hoc illis pręcepit: quia verò nō acceperūt nisi qđ ipse dabat, verbū aūt dādi rei corporeę trāslationē de manibus Christi in man⁹ discipulorū significauit: quicquid ergo debebāt discipuli pri⁹ accipere, in manu Dñi prius fuit, sed iubentur Christi corpus edere: ergo corpus & sanguis Domini fuerūt prius in manib. & inde spiritu Dei necessariò accipiēda, & māducāda erāt. Qđ ergo spiritu capiēdū erat, sub specie panis, & vini cōtinebatur, alioqui ne iubebātur q̄dē discipuli in illa cœna corp⁹ & sanguinē Domini spiritu accipere, si à Christo nō dabatur: fuisset verò verborū Sacramētaliū sensus, *Accipite* (corpore & spiritu) *& comedite* (corpore s. & spiritu) *Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur*: ergo ante oēm illorū mentis operationē iā ibi erat Christi corpus, & sanguis, quia nō dixit: Hoc erit corpus meum cū s. spiritu comederitis, sed est etiā ante vestrā māducationē. Adhæc si ad veritatē isti⁹ sentētiæ: *Hoc est corpus meū*, satis esset efficax signū excitās fidē ad capiēdā rē signatā, idē euenisset in agno Paschali, qui cibus vētris erat, & nō mētis, licet ipsum verū cibū mētis figuraret: at corp⁹ & sanguis Dñi mētis sunt cibus, mēte ergo illas res suscipere debemus: sed cū manu exhibitæ fuerūt, vtiq; per manus ministeriū in mentē deriuari debebāt. Negare ergo, corpus Dñi spiritu esse accipiēdū, est priuare nos fructu tāti Sacramēti: negare etiā manu, vel ore accipiendū est, negare cultū exteriorē, & instar legis infirmū statuere, & veritatē Sacramēti tollere. IV. adhæc asserit Caluinus, efficaciā corporis, & sanguinis necessariò annexam esse pani, & vino, ideo; ponit, veritatē corporis Christi ab efficacia nō seiūgi: cū ergo panis, & vinū ore nostro capiātur, capietur & efficacia simul cū pane, & veritas carnis simul cum efficacia, idque ore etiā indignè manducātis; hoc si neget, vel efficacia nō cohæret cū signo, & tūc nō sēp est signū efficax, vel veritas carnis Christi separatur ab efficacia & tūc nō est vera corporis efficacia, q̄ adest, sed aliud q̄dā à corpore separatū Christi donū: quale verò est vt panis & vinum, q̄ est Sacramentū, tñ alijs sit signū efficax, alijs verò nudè māducātibus nudū ac inutile signū: nā aliud esset, si de fructu Sacramēti quęstio esset, nūc aūt de Sacramēti signo, q̄d semper debet esse efficax, dicitur. Deniq; calicē benedictū porrexit, dicēs; Hic calix (id est, cōtētū in calice hoc) effundetur p̄ multis: vbi, vt testatur Euth. poculū ipsū p̄ multis effundi dicitur: porrò poculū est sanguis ei⁹. Sic ille. Calix verò spiritū nō habuit, quo sanguinē Christi caperet; sanguinem verò Christi sub vini specie, tā pręsētē calix cōtinebat, q̄ verè est ille fusus in cruce in remissionē peccatorū. V. si hęc vera sunt, quę Caluin⁹ nobis occinit, Sacramētū istud sacrosāctū nō vni⁹ Christi potētia & virtute cōficeretur, sed à nostro poti⁹ opere pēderet, pinde ac si Christus nihil faceret, sed præcipuè spectāda esset fides, q̄ efficeret Christum ibi adesse; cū tñ reliqua omnia Sacramēta Christi virtute cōficiātur, & à fide nostra minìè pēdeāt. Ipse est n. qui baptizat, qui, absoluit & remittit peccata, ipse in nobis, siue per nos perficit hoc Sacramētū, quia in eius persona tātū dicere possumus: *Hoc est corp⁹ meū*: ipse per nos illud sacrificiū Patri suo offert, nos ministeriū tātū præstamus, formā debitæ ac cōueniēti materiæ applicando, neq; à fide circūstātiū, vel vllo eorū opere pendet Sacramētū. Nā siue illa ornati, siue fide destituti ad baptismū, siue ad Eucharistiā cōtingat accedere, nihilominus baptism⁹ imprimit characterē, perficiturq; consecratio corporis Domini, quæ à fide circūstātium nihil accipit. Præposterū verò est, & parum hæreticorū nouellę sectæ cōsentaneū, opus celsissimū trāsubstātiationis Deo detrahere, & fidei nostræ adscribere. Quid ergo verbis opus fuit, aut cōsecratione, siue benedictione? Cur Iren. cū panē, in quo actæ sunt gratiæ, docet esse corpus Christi, & Eucharistiā? Cur Iustin. Apol. 2. cibum per preces sermonis, quē ab eo accepimus, consecratū vocat? Et cū benedictio (in Scripturis) creaturæ mutationē in melius designet semper; cur nō & panis in cœna à Domino benedictus in melius mutat⁹ est, Benedicitur gen⁹ humanū, & fœcūditate donatur. Gen 1. Panes, & pisces in deserto benedicūtur, dum multiplicātur: in semine Abrahæ benedicūtur Gētes, dū Spiritū S. sibi p̄missū accipiūt: Benedicūtur à Christo Apost. Luc. 24. & gaudio ex Christi glorificatione perfundūtur, &

Baptismi, Eucharistiaq; Sacramentum quibus tantū impertiendū, *Galat. 6.*

Spiritu, tū ore, vel manu suscipiēdam Eucharistiā negantes Sacramentarij, quid negent infelices.

IV. argum.

Euthym. in Luc. 22.

V. argum.

Iren. l. 4. c. 34.

Iusti. to. 1.

Benedictio in Scripturis quid denotet

Gen. 12. & 15. & 22.

B. Ambr. l. de ijs, qui myſterijs initiantur, c. 9. init. to. 4.

tur, & Spiritus S. expectatione eriguntur: ſolus panis in cœna benedictus tot ceremonijs à Domino nihil vtilitatis accepit? Sed audi Ambroſ. lib. de ijs qui myſterijs initiantur: *Quantis vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq́; vim eſſe benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur?* Sed apertè Caluinus & Beza fumum merum vendunt, & ad fidei imaginationem reuoluuntur, & ſubſtantiæ corporis Chriſti toto cœlo à nobis remotæ vmbram cogitatione ſectâtur: ita vt qui ab Eccleſia Catholica ad Caluiniſticã menſam confugiunt, cani Æſopico ſimiles eſſe contendant. Nam vt ille amiſſa carne vera, quam inter dentes poſſidebat, deluſus ſpecie carnis relucente in aqua, ad eius vmbrã accurrit, & fraudatus carne, & pane, oblatrauit: ita proculdubio illi facere vidētur, qui relicta vera corporis Chriſti ſubſtantia, quæ ineſt Euchariſtiæ ſecundùm verbum in inſtitutione cœnæ prolatam, vmbram carnis ſitæ in cœlo relucētem, in fide & cœnæ Caluinianæ imaginatione captare conantur: & vtraq; fruſtrati mirificè inſaniunt, & latrant. Pro cuius rei planiori intelligentia aduerte, quod vt olim Ebionitæ, & Neſtoriani filium Mariæ, Dei eſſe Filium aſſerebant per nuncupationem quãdam, ob amicitiam ſcilicet diuinæ cum humana natura: ita Caluiniani dicunt panem eſſe corpus Chriſti, propter ſignificationem, & effectum ſpiritualem, qui apud nos per panem ex Chriſti corpore prouenit. Et vt Neſtorius dicebat impoſſibile eſſe, Deum ab homine generari: ita & hi impoſſibile inquiunt corpus Chriſti in cœlo manere, & ſimul adeſſe in altari. Et vt Neſtoriani illa verba: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, à genuino ſenſu detorſerunt dicētes, Chriſtum non ſubſtantialiter, vel verè eſſe Dei Filium, ſed nuncupatiuè, & per quãdam amicitiam, & copulationem cum Dei Filio, ita verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, conantur Caluiniani per tropum fictitium euertere. Vt hinc colligere valeas, nouos hæreticos diſcipulos eſſe, & ſectatores antiquorum hæreticorum. Rurſus ſicut Patres ex illis verbis: *Ego & Pater vnum ſumus*, demonſtrabant eſſentiæ diuinæ in Patre & Filio vnitatē; Ariani verò negabāt, dicētes eſſe alios in Scripturis ſpiritales, & intellectuales cōiūctionū modos: inter quos enumerabāt illū, quo nos vnimur Chriſto ſpiritali per fidē nexu, nō per ſubſtãtiarū cōiunctionē; Catholici verò ex myſterio Euchariſtiæ, & verbis Ioannis; Et qui mãducat me, & ipſe viuet propter me docebãt cōtrariū: ita modò aſſerim^9^, Euchariſtiæ Sacramēto copulari Chriſtū ſacris ſymbolis re ipſa, & poſteà nobis edentibus, ſpiritalem fructū in nobis operari. Ita enim probant, ac ex profeſſo diſputant Hilarius lib. 8. de Trinitate, Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 15. & lib. 11. c. 26. & 27. & lib. 12. c. 58. & Chryſoſt. hom. 40. ad populum Antioche. & hom. 83. in Matth. & Baſil. epiſ. 141. At Caluinus & Beza illuſi ipſi, & illudere volentes participationem corporis, & ſanguinis Domini, qua Chriſto inſerimur, quæ merè eſt imaginaria, & intellectualis, ſubſtantialē, & realem vocant: quia obiectum Fidei noſtræ cum mouetur in Chriſtū hominem, eſt res, & ſubſtantia corporea, nempe Chriſtus Deus, & homo. At ea ratione ſpeculatio quæcunque circa Chriſtum realis, & ſubſtantialis erit, quia in Chriſtum, Deum & hominem fertur. Non ſatis ergo eſt, quò realis, & ſubſtantialis aliqua perceptio eſſe cenſeatur, vt circa rē, & ſubſtantiã verſetur: ſed opus eſt, ipſam ſubſtantiã re ipſa, & actu ſumi, vt fiat realis, & nō imaginaria. Antequam ergo dici valeat percipi eam actu, ſiue reipſa, & in ſubſtãtia, non ſufficit abſentē carnē per fidem cōtemplari, eiq; inhærere, & aliquid intellectuale de ipſa abſente acquirere: non eſt enim iſta realis, & actualis perceptio, niſi obiecto tenus, nec quicquã differt ab imaginaria. Sicut fundi poſſeſſio alia eſt ciuilis, imaginaria, & fictitia; alia naturalis, corporea, & realis, etiamſi vtraq; erga rē, & fundi ſubſtantiã verſetur, non ob id tamen vtraq; realis eſt, ſed illa tantùm, per quã in rem præſentem actu venitur, & pedū poſitione, acceptaque gleba non ſola mentis intelligentia, ſed actu fundus domino vindicatur. Nec vllum corpus apud Iuriſconſultos apprehenditur reipſa, & actu per ſolam cogitationem; nec matrimoniū abſolutū, & conſummatū per præſtitū cōſenſum mentis intelligentia in vxorem eſſe creditur, ſed per corporū, & ſubſtãtiarum commixtionem: Etſi enim veras nuptias, & poteſtatem mutuã viri in vxorem, & contra vxoris in virū cōſenſus, nō concubitus efficiat; nō tamen dici poteſt actualis, aut realis, & ſubſtantialis coniunctio, quia nondum eſt facta ſubſtantiarū mutua traditio reipſa, ſed ſpiritalis tantùm, & intellectualis: vnde & quiſq; cōiugū eo tempore liber eſt ad meliora vota, id eſt, ad Religionē tranſeundi ſine alterius iniuria. Ita etſi Deus olim deſpōdiſſet genus humanū ab initio, & naturã humanã ſibi in ſpōſã accepiſſet; nō tñ realis cōiūctio fuit ante noſtræ naturæ realem, & cū ea perſonalē coadūationē, etſi pri^9^ haberet ius ad vnien-

Qui ab Eccleſia Catholica ac Caluiniſticā mēſam cōfugiunt, canē Æſopicum vt imitari velle videntur.

Mira Caluini in Euchariſtiç Sacramento (vt ita dicã) cum Ebionis, & Neſtorij dogmate conſenſio.

Matt. 3. & 17.

Ioan. 14. Filij cū Patre vnitatē qualē Ariani commiſcerētur impij, atque ſomniarent. *Supra 6.*

Hilarius. Cyril. tom. 1. initio. Chryſ. tom. 5. Idem tom. 2. Baſil. tom. 4.

Realis quæ & ſubſtantialis habenda perceptio rei alicuius.

Fūdi poſſeſſio duplex eſt.

Matrimoniū quando intelligitur perfectum, atque conſummatū.

Humanã ſibi Deus verbū verè naturã quando copulauit.

vniendam sibi carnem nostram, & intellectuale cœpisset vinculum corā Deo: nondum tamen erat reale, etiamsi obiectum, id est, nostra esset reipsa substantia: Ad eum modum vt Christi matrimonij nobiscum mutua, & realis compleatur ratio, non satis est nos Christo fidei intelligentia, & affectu connecti, vt noster fiat ad elargienda dona, sed opus fuit eius substantiam nostræ applicari, vt sit realis copula, quod per solam Eucharistiam nobis præstari Patres docet.

Christi matrimonij nobiscū mutua, & realis ratio qui constet.

Bezæ imaginarium commentum.

Vnde quod Beza ait, cœnam Dominicam præcipua sui parte cælestem esse actionem, nec sine cœlorum cogitatione, & mentis nostræ ad illum cœlestem locum eleuatione, in quo Christus residet, perfectam cœnā fieri (quicquid à fidelibus geratur, cum Eucharistiam frequentant) imaginarium est & fictitium. Et Paulus cùm dixit: *Iam nō est Dominicā cœnā manducare*, cœnæ nomine potius intellexit cogitationē, & actionem discernendi hūc cibum ab alijs cōmunibus cœnis: quia hic corpus Dñi est, & non alij profani cibi; quod non est in cœlo quęrendum, cùm celebratur cœna, sed in pane ostenditur. Et profectò Apostoli perfecta cœna sunt potiti, cū nihil cogitauerint, neque cogitare debuerint de cœlestibus regionibus, ad quas Christus nondum ascenderat.

1 Cor. 11.

Quid illud Apostoli: Iam nō est Dominicā cœnam manducare.

Quoniam verò hæretici more impostorum loquuntur, attentè considera, ne illudaris, illa aduerbia, carnaliter, corporaliter, naturaliter, & substātialiter, affirmari à Patribus pro vera præsentia, & vera susceptione corporis, & sanguinis Domini in cœna; negantur verò pro modo præsentiæ, & pro ratione, & modo susceptionis, de quo spiritaliter affirmantur. Hæretici contra, fingunt priora quatuor ad modū existēdi, & manducandi, à nobis accommodari, & eadem non tantum de modo, sed de re negari. Et aduerbium Spiritaliter, non intra modum retinent, sed ad rem, quæ in cœna accipitur, extendunt; vt idem sit spiritaliter, quod intellectualiter, quod interdum inficiantur, prout collibitum est, interdum palam enunciant. Porrò in aduerbio Realiter etiam ludunt: nam cùm verè & realiter, & reipsa aliquando intelligantur pro rerū ipsarum natura absolutè considerata, aliquando pro reali existentia, & exhibitione rerum: ipsi sæpè pro natura rerum in se cōsiderata vsurpant, interdum verò pro ipsarum rerum spiritali, siue intellectuali participatione, minimè verò pro actuali, & reali perceptione statuunt. Quæ si diligenter expenderis, magnam lucem præstabunt ad tenebras Hęreticorum æquiuocè & sophisticè loquentium, & scribentium depellendas prorsus ac dissipandas: vt tot superius exemplis est à nobis ostensum.

Hęc aduerbia, Carnaliter, corporaliter, naturaliter, & substātialiter, aliter à Patrib. vera pręsentia, & vera susceptione corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia affirmantur, & negantur, aliter verò ab hęreticis.

Hæretici in aduerbijs etiam spiritualiter, & realiter quem fucum faciant.

VI. argum. contra Energicos.

Sextò, B. Paulus scribit, non minus impios quàm pios, & habentes fidem mortuā, quàm viuam, sumere corpus Christi: *Qui manducat*, inquit, *& bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*; Et iterum, *Reus erit corporis & sanguinis Domini*. Etsi ergo consecratio, à ministerio Sacerdotis ex parte pendeat, quia sine materia, vel sine forma Deus nihil efficeret; à fide tamen circumstantium, vel sumentium Christi corpus, non efficitur pręsentia Christi in Sacramento: quanquam, vt fructuosa sit & salutaris sumptio, à fideli, & religioso accessu eius pendeat.

1. Cor. 11.

Eucharistiæ consecratio à Sacerdote quatenus pendeat.

I. argum.

Septimò, si corpus Christi in vno cœli puncto existit ac residet, & propterea non potest esse in Sacramēto, vt ipsi Catholicis obiectare solent, ergo ille corpus absens, & in cœlo positum, per fidem non poterunt sibi præsens facere, vel coram sistere, multo minus quàm porrigere vel sumere: valebunt quidem illud opinari, sed vana erit eorum opinio, & ipsis imponet. Non secus atque ille decipitur qui somniat se edere & bibere, vel aureos denarios numerare: qui vbi aut à seipsis expergefacti, aut ab alijs excitati sunt, agnoscūt se planè sua opinione deceptos, esurieque & siti atque paupertate premuntur. Quod autem dixit Beza in sua illa fidei confessione, fidem innixam Dei verbo efficere promissa vt sint præsentia, iuxta illud Apostoli; *Est autem fides, sperandarum, substantia rerum, argumentum non apparentium*: prudenter id est accipiendum, non enim per fidem redduntur præsentia quę promittuntur antequā existant, imò ne apprehendi quidem possunt aliter, quàm sint, alioquin iā desineret esse fides, & error ac falsa persuasio succederet. Et Patres quidem veteris Testamenti, fide vera de Missia ornati erant, non tamen habebant ipsum præsentem, cùm nondum aduenisset, nec natus esset: nos etiam vera fide de futura corporum resurrectione insigniti sumus; quæ tamen præsens reipsa non exhibetur propter nostram fidem. Aduersarij quoque sibi ipsis pugnarent, quoniam asserunt, impossibile esse, vt verum Christi corpus sit in cœlo, & simul in pluribus locis subsistat. Idcirco quando asserunt eatenus confiteri eiusdē corporis in cœna pręsentiam, non intelligunt de reali, sed efficaciæ tantùm & virtutis præsentia; aliter nobiscum sentirent, Christū esse simul in cœlo & in Eucharistia, neque hunc articulum Eucharistiæ, articulo ascensionis in cœlum reluctari: quod tamen pertinaciter negant.

Dictum Bezæ ex Apostolo, Fides innixa Dei verbo efficit promissa vt sint præsentia; quare falsum sit. Heb. 11.

Igitur

Igitur vt ad verba Apostoli definientis fidem redeã; à fide non aliter statuitur quicquam in rerum natura, quam in apprehensione; & existentia intellectuali, non autem reali, siue actuali: sicut fides, res inconspicuas non oculorum subijcit cõspectui, sed mentis perspicacitati; & tamen dicitur euidentia siue demonstratio rerum non apparentium. Vnde nec aliter Petra fuit Christus iuxta Bezæ intellectum, quàm per repræsentationem factam intelligenti: nec Abraham aliter vidit Deum, vel diem Domini, quam animi apprehensione, & contemplatione; sed propter certã intellectus adhæsionem, quam de rebus futuris accipit quod suo tempore euenient, dicitur eas cõstituere præsentes, quando de illis tã certos reddit, ac si oculis iam præsentes contueremur. Iam vt receptui canamus. Dominum obnixè ac supplicib. votis deprecemur, vt pro sua insigni pietate oculos Catholicorũ aperire dignetur. vt in tãta fidei confessione constantes permaneant; Hæreticorum verò animos emolliat, & intelligentias illustret, quò vnum cum Catholicis sentiant, & vno ore omnes glorificare valeamus Deũ, ac Patrem Domini nostri Iesu Christi, quibus cum Spiritu sancto detur à creatura ratione prædita honos & gloria & æternum imperium in secula seculorum. Amen.

Qua ratione fides quicquã statuat in rerum natura.

Ioan. 8.

Fidei effect°.

TRACTATVS XIX.

Quo eadem verba Domini in cæna tractantur contra Bucerum, Vvelfendium, Brentium & Valentinum Cratoaldũ: qui à tropo recedentes, alias, tamen parum firmas aut Catholicas, opiniones consectati sunt.

PRAETER eos, qui tropos consectantur in his Domini verbis, & Lutherũ, qui præsentiam corporis Christi in Eucharistia non negauit, sunt & alij nonnulli, qui etsi factionis essent Lutheranæ, & primarij Lutheri discipuli, tamen in verbis Domini explicandis peculiare aliquid, ac à cæteris diuersum profiteri nisi sunt. Quos inter Martinus Bucerus à monasterio ad seculũ, & simul à Catholica fide ad hæresim defecit, & rursus, à Luthero ad Zuinglium, & à Zuinglio ad Lutherum redijt, & nunquam in eodem statu permansit. Hic primus persuasit Luthero, corpus & sanguinem Christi in Eucharistiæ Sacramento non adesse nisi in Sacramentali vsu, hoc est, dum editur, & bibitur. Conuenerunt siquidem, vt Ioannes Cochleus in Miscellaneis suis refert, anno 1537. capita sectarũ in oppidum Vvitembergæ ad ędes Martini Lutheri, nẽpè Lutherus ipse, Pomeranus & Melanchton ex vna parte, ex alia Bucerus, Capito, & Musculus, cum alijs, qui numero decem & octo erant, atq; definitis subscripserunt. Cùm enim Bucerus & sui dicerent, nec realiter, nec substantialiter, sed figura tantùm contineri corpus Christi in Eucharistia, sicut olim in manna, & agno: reclamassetque cum suis Lutherus: tũc Bucerus malitiosè, & fraudulenter medium concordiæ composuit, asserens nimirũ Christum esse cum substantia panis & vini tantum dum in vsu sumitur, non autẽ dum circunfertur, vel in pixide asseruatur: & huic omnes subscripserunt. Hæc ille. Satis autem fuit Bucero, eo tempore Sacramentario, à Luthero hoc expressisse. Sed certè ad breuissimum tempus durauit eiusmodi consensio, & Sacramentarij & Lutherani mordicus suum singuli retinuerunt dogma. In hãc tamen Buceri cogitationem multa, & illa non parui ponderis meritò obijci possunt; cum profanam vocum nouitatẽ, & Ecclesiæ Dei ignotã contineant. Et in primis Euangelicũ verbum est, Christum dixisse, *Hoc est corpus meum*: non ait, Hoc erit corpus meum, quã do edetur, nec ait: Hoc est corpus meum, si quis ederit, quia nõ est verum quod de solo pane diceret. Hoc est corpus meum, nec Christus solum panem daret. Adhæc verbum Christi est efficax in omnibus, ita vt dicta & facta Christi semper in Euangelio sint coniuncta. Nam vt olim dixit, & facta sunt, ita impletis hydrijs aqua, factũ est vinum; & cum dixit leproso; *Volo mundare. Et confestim mundata est lepra eius*: & Centurioni, *Vade*, inquit, *& sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora*. Et de filio Reguli: *Quia heri hora septima reliquit eum febris*. Et cum ait, *Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis*: Ergo quando dixit; *Hoc est corpus meum*, ne impotens, aut fallax vel ignorans sit verbum Dei, immediatè cõsecutus est effectus, antequam quisquam sumeret. Tertiò, non nisi semel benedixit panem, & semel calicem, nec cuilibet Apostolo dicebat, Accipe, Hoc est corpus meum, quod pro te datur; vel, Accipe, hic est sanguis me°, qui pro te funditur: nam aliàs, cùm vnus esset calix, duodecies ipsum consecrasset, & prior cõsecratio posteriori irrita redderetur, vel posterior esset superflua. Quartò, falsa esset forma, *Hoc est corpus meum*, quia eius sensus nõ impleretur in fine prolationis verborũ vt omnes aliç enuntiationes, si vera esset illa sentẽtia: inefficax quoq; esset forma, quia nõ statim haberet effectũ suũ sicut aliç formç: quãdoq; etiã si sumptur° nollet accipere, vel

Buceri leuitas & inconstantia in fide, & religione & monastica, & Catholica atq; orthodoxa.

Stulta, & fraudulenta Buceri persuasio de Eucharistię Sacramento.

Ioa. Cochleus tract. 3. lib. 3. Miscellan.

Exod. 16. Exod. 12.

Sacramentariorum, & Lutheranorum inconstantia

Buceri hoc dictũ impugnatur: Christus tantum dũ sumitur, est in Eucharistia, non ante, nec post.

II. argum.

Psal. 148. Gen. 1. Ioan. 2. Matt. 8. Ibidem. Ioan. 4. Ioan. 11.

III. argum.

IV. argum.

re, vel casu aliquo moreretur, vel recederet, vel tardius recedere vellet, non esset ibi corpus Christi. Quod tamen contra rationem est: quia primum non dependet à suo posteriori, præsertim quod priori est accidentarium. Cùm ergo prior sit consecratio, & posterior sumptio, quæ quandoque fit, & quandoq; non fit; non debet pendere consecratio ab ea, sed satis est, vt id, quod consecratur, sumi possit, licèt casu aliquo interdum non sumatur. Adde, præsentia corporis Christi, nonnisi à voluntate accipientium penderet, non à ministro ritè ordinato, & rectè verba Christi proferenti. Manna quoq; typus Eucharistiæ, seruatum in vrna, vel in diem sequentē vt ederetur, verū erat manna; ergo multò magis illud, quod erat per manna figuratum. Quod si ante sumptionem ibi non esset, profectò adoranda Eucharistia non esset: imponereturq; idololatriæ crimen Ecclesiæ, si antequam ibi esset, adoraret, vel exhiberet adorandum: imò Sacerdoti constare nō posset, quando sit Christus sub Euchatistia: cū existentia Christi à voluntate sumentium pendeat. Præterea arctaretur priuilegium præsentiæ realis Christi ad breue tempus; contra naturam priuilegiorum: maximè quando vsus erat portandi Eucharistiam in domum, vt tempore Cypriani, & mittendi ad absentes, vt refert Iustinus Mart. in Apologia pro Christianis ad Antoninum Imperatorem; vel deferendi ad infirmos pro viatico, vt Eusebius refert de Serapione. Idem etiā probatur ex omnibus, ex quibus confirmatur, Eucharistiam esse summum sacrificium, nam antequam illud sumatur, offertur: ergo ante est ibi Christus, vel purus panis Deo sacrificaretur. Etsi enim nullum Sacramentale elemētum, præterquam in vsu & dispensatione, vim vllam habeat: nostra tamen Eucharistia, præterquā quod Sacramētum est, sacrificij quoq; rationem habet: vnde verba in reliquis Sacramentis ad homines ea suscipientes referuntur; ait enim minister, *Ego te baptizo*, vel *absoluo*, vel *confirmo*, &c. Vel *Accipe potestatē offerendi sacrificium*: Et, *Quorum remiseris peccata remittuntur eis*; at in sola Domini Eucharistia verba non ad hominem referuntur, sed ad ipsa elemēta. Pani. n. dicitur. *Hoc est corpus meū*; & calici, *Hic est sanguis meus*. Et principalis huius panis & calicis vsus est, vt in se Domini mortē, & sanguinē significent, quatenus Dño incruentè offeruntur: quia subiungit de corpore. quod pro vobis datur; & de sanguine, qui pro vobis funditur in remissionē peccatorū, antequā à fidelib. percipiantur. Vt ergo in alijs Sacramentis verba Dñi in hominē illa suscipientē operatoria sunt; ita verba Eucharistiæ in res propositas, id est, panem & vinum, operantur ꝙ significant. Operantur aut nō secus quam olim ignis in altari Leuitarū accensus in vetera sacrificia vim suā exercebat. Ignitū est enim eloquiū Dñi vehementer; Et, *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se*. Porrò ignis propriū est, idq; ad se accedit, in suam naturā conuertere. Quod egregiè B. Chrys. ho. de Eucharistia in Encœnijs, his verbis expressit: *Centū sexaginta octo horas habente hebdomada, vnā & solam horam sibi ipsi segregauit Deus, & hanc in opera secularia, & in ridicula, & inconuenienticula insumis? Cū qua posteà fiducia ad mysteria accedes? O quam polluta conscientia. Nā si stercus manibus haberes auderes appropiare fimbria Regis? Num vides panem? Num vinū? Num sicut reliqui cibi in secessū vadunt? Absit: ne sic cogites. Quēadmodum enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia.* Sic illi. Non ergo panis substantia secus abijt in Christi carnē, quā aqua Cana Galileæ in vinum, & vinū in sanguinē. Sequitur in Textu immediatè. *Hoc facite in meā cōmemorationem*. Quæ verba prius docent corpus Christi faciendū esse, quam comedendū, ad mortem Dñi nuntiandā, vel cōmemorandam: Eucharistia igitur cōfecta prius est in ratione sacrificij, quā Sacramenti, quod nobis ad sanctificationē offertur sumendū. Etsi aūt nemo seipsum baptizare, aut confirmare, aut absoluere, vel ordinare valeat: potest tamen qui corpus Domini conficit, de illo edere, & posteà alijs dare: ergo prius est sacrificiū, ꝙ Deo offertur, qua Sacramentū, & ita hic vsus Eucharistiæ, quatenus est sacrificiū & hostia, amplior est in Ecclesia, quam Sacramēti: quia quotidie offertur sacrificiū Missæ Deo pro viuis & defunctis, etiamsi nulli adsint cōmunicātes, & nō vnū aliquod, sed multiplex in quolibet tēplo & ara pro numero Sacerdotū: vt per hāc mūdā oblationē glorificetur De⁹, & nos illū Patri in gratiarū actionē pro tot acceptis beneficijs offeramus, & nobis quatenus op⁹ aut viuētib. aut in Christo dormiētib. Secūdarius verò eius fruct⁹, & vsus est, vt per fidelē & religiosam māducationē, diuinarū virtutū, Fidei, Spei, Charitatis, & Iustitiæ Christianæ incremēta percipiamus. Itē Apostolus, *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus; nonne cōmunicatio sanguinis Christi est?* Ergo cū ante ibi sit, quā de calice hauriatur, erit ibi cōmunicatio sanguinis Dñi. Calix n. noster non nascitur, sed sacer fit: nā ante benedictionē calix est merum vinum, post illam vero est calix

Marginalia (left): V. argum. — *Deut. 16.* — VI. argum. à natura priuilegiorum. — *Cypria ser. 5. de lapsis. Iustinus Martyr. Euseb. li. 6. Ecclesi. hist. cap. 34.* — VII. argum. — Verba Eucharistiæ ab illis aliorū Sacramētorū quid proprium sibi vendicent. *Ioan. 20.* — Præcipuus Eucharistiæ fructus. *Luc. 22.*

Marginalia (right): Quemadmodū verba Eucharistiæ circa panē, & vinum operentur. *Psal. 118. Prou. 30.* — Ignis propriū. *Ioan. Chrys. tom. 3.* — Simile B. Chrysost. — *Ioan. 2.* — Priuilegium Sacerdotis in Eucharistiæ Sacramento. — Eucharistiæ duo effectus, primarius, & secundarius. *Malac. 1.* — VIII. argum. — *1. Cor. 10.*

calix benedictionis, & communicatio sanguinis, etiam antequam quisquam de illo bibat. Ac subdit ibidem: Panis quem frangimus; nonne participatio corporis Domini est? Etiam antequam illum manducaturis dispensemus, aut frangamus, ad significandã fractionem Christi in cruce, & quia panis sacer & benedictus frangebatur, vt cuilibet sua portio daretur; sicut sacrificia Gentilium Ethnica, & Iudæorum Leuitica sacra erant per immolationem, & sacra permanebant, etiam antequam ederentur.

IX. ac vltim. argum.

Postremò, nefas est in re tam periculosa sine Scriptura, vel Patribus quicquam asseuerare, vel mutare ritus à maioribus traditos, præsertim circa pacta diuina. Cùm igitur intellexerimus semper, & à maioribus acceperimus, pactum Dei fuisse, quod erit præsens statim post prolationem verborum; sacrilegium est huic pacto imponere, & nouum fingere.

Patrum traditione idem dogma redarguitur.

Reuincitur huius dogmatis falsitas ex Patrum traditione, & primum à Canonib⁹ statuentibus, vt cum summa veneratione tractentur reliquiæ corporis Christi: quod non decreuissent, si in illis Christum adesse non intelligerent. Nã Clemens Romanus in hunc modum statuit: *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & Ministro, qui cum timore, & tremore Dei, reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne putredo in Sacrario inueniatur; ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria.* Sic ille. Quod habetur de consecratione dist. 2. c. Tribus gradibus. Et ibidem. c. si per negligentiã, ex Pio Pontifice, &c. Qui non bene, ex Concilio Arelatensi III. c. 6. & titulo, de custodia Eucharistiæ. c. statuimus. Concilium Cæsaraugustanum. cap. 3. constituit ne sacra Eucharistia à sanis domum deferatur. Eidem sententiæ subscribunt Doctores: *Anxie*, inquit Tertullianus, *semper Ecclesia passa est, aliquid vel panis, vel calicis decuti in terram.* Origenes in Matthæum *Panis* (ait) *iste quem Deus Verbum, corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, Verbum de Deo Verbo procedens, & panis de pane cœlesti, qui positus est super mensam*, & reliqua. Sic ille, qui panem adhuc in mensa positum, & nondum sumptum, Deum & Verbum vocat. Idẽ scribens in Exodum, cum magna reuerentia, ait cadẽtem particulam Eucharistiæ in terram, eleuandam. Cyrillus in epistola ad Episcopum Calosyrium: *cæterum, inquit, audio, quod dicunt mysticam benedictionem, si ex ea remanserint in sequẽtem, diem reliquiæ, ad sanctificationem inutilem esse. Sed insaniunt hæc dicentes: non enim alius fit Christus, nec sanctum eius corpus immutabitur, sed benedictionis virtus, & perpetua gratia manet in illo.* Et August. in titulum Psal. 34. in illud: *Dauid ferebatur manib. suis*, asserit Christum se ipsum in Eucharistia tulisse, cum cõmunicabat Apostolus. Ex his igitur constare potest, quam sacrilegè & irreuerenter circa diuinũ hoc Sacramentum se habeãt. Nam vt scribunt viri Catholici, Ioannes Hekius, & Ioannes Cochleus, Lutherani hac opinione imbuti, reliquias sanguinis post populi communionem prope altare effundunt, & laici Eucharistiam in crumenam deferunt.

Clemẽs Rom epist. 2.
Trib⁹ gradibus cõmissa sunt (ait Clemens) Sacramẽta diuinorũ secretorũ.

Conc. Arelatẽn. III. Cõcil. Cæsaraug.

Tertullia.
Origenes tractat. 35. in Mat tom. 2.

Idem hom. 13. in Exodum.
Ioã. Cyril.

Christus quãdo tulit se manib⁹ suis secundum Augustinum.
August. concio 1 & 2. in 8 1. Reg. 21.
Lutheranorũ circa Eucharistiam sacrilegus ritus & impudens.
Ioan Ekius.
Ioã. Cochleus

Melanchtonis pro Bucero futile argumentum diluitur.

Nec valet argumentum Melanchtonis in Apologia pro Bucero contra Colonienses: scribit enim, Sacramenta, certi generis actiones esse, nec vltra institutã actionem, vllam manere Sacramenti rationem: nec Deus ad vllam creaturam alligandus est sine suo verbo. Constat enim dum quis baptizatur, in actione illa adesse Spiritũ sanctum: si quis autem baptismi aquã circumferret, quasi inclusus ibi Spiritus sanctus maneat, ac iuberet eam adorari, omnes pij hunc errorẽ detestarentur. Respondemus, Christum suis verbis se alligasse, cum dixit, *Hoc est corpus meum*: Et sicut verbum caro factũ manet Deus & homo, & homo Deus, quia semper manet Deus, & semper manet homo: ita quamdiu species Sacramentales manẽt habiles ad esum, semper ibi est Christus. Cæterum etsi alia Sacramenta consistant in vsu materiæ: vt, ego te baptizo, cõfirmo, ordino: forma tamẽ Sacramenti Eucharistię nullã actionẽ significat, sed veram duntaxat existentiã corporis Christi; ideo proprium est Eucharistiæ, quod perficitur in consecratione materiæ. Hinc est, vt dum Dominus panẽ in manibus teneret, dixit, *Hoc est corpus meum*: Et qui dicũt, ex vsu, vel sumptione pendere veritatem corporis, contradicunt verbo Dei, atq; illi addunt.

Ioan. 1.

Eucharistiæ ab alijs Sacramentis discrimen.

Qui contradicant verbo Dei, atque illi addant.

Post Bucerum examinanda est Suencfeldij sententia, qui docet, corpus Christi post resurrectionẽ planè Deũ esse factũ, & Humanitatẽ eius planè esse absortã. Hæc enim sunt eius verba libro de collatione statuum Christi, collatione vltima; vt citatur à Cithreo in c. 1. Mat. *Christus iuxta naturã suam clarificatus, deificatus, Deo incorporatus, ac omnino totus gloriosus, spiritualis, & diuinus factus est; etiam iuxta corpus perfectus factus Deus, imò etiam corporalis Deus est.* Idem tribuit Beza libro de omni præsentia carnis Christi Bullingero: *Si assumptus* (inquit) *ille homo euectus est super omnes creaturas, desijt vtique esse creatura*, Sic ille. Hic homo igitur simili stupore oppressus, exponebat illa

Contra Suẽcfeldianos, Christi corp⁹ asserẽtes post resurrectionẽ in Deum fuisse cõuersum Cithreus.

Beza.

verba:

verba: *Hoc est corpus meum*, id est, deitas, siue diuinitatis essentia? Sed cõtra hanc stolidã cogitationem in primis est, quod hoc nihil est aliud, quam renouare veterem, ac iam diu sepultam Eutychetis hæresim, qui asserebat, humanam in Christo naturã nò permansisse, sed in Diuinitatem transijsse. Sed in hoc differt ille ab isto nouo Hæretico, quod is naturæ humanę in diuinam transitum siue confusionem ab initio incarnationis posuit; hic verò post resurrectionem tantũ. Deinde si corpus Christi post ascensionem deificatum est, quomodo Christus in cœna benedixit, dicendo, *Hoc est corpus meum?* nunquid corpus mortui instãti obnoxium, & passioni, tunc Deus erat? quia exponit, *Hoc est corpus meum*, hoc est, deitas. Tertiò, Christus est ad dexteram Dei sedens, & interpellat pro omnibus, vt ait Apostolus: hoc autẽ secundũ diuinitatem facere non posset, quia interpellare, actus est inferioris. Adhæc Angeli dixerunt ad Galilæos; *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet*; humana ergo forma & natura, in qua visus est ascendere, manet in Christo in ęternum: quia quod semel assumpsit, dimisit nũquã, & in illa sola potest ad nos descendere. Præterea, quomodo alioqui mãducaremus Christi corpus, vel sanguinem eius biberemus, si illis Dominus caret, quia transierunt in diuinitatem? Postremò illud quod in aliud conuertitur, desinit esse quod primus erat; & illud, in quod aliud mutatur, debet esse mutationis susceptiuũ; at Christus homo post resurrectionem immortalitate, & cæteris gloriosis dotibus ornatum corpus habens, non potest in aliud transire: & deitas insuper talis existit, vt nec ipsa in aliud, vel aliud in ipsam queat conuerti, *Ego enim*, inquit, *Dominus, & non mutor*: Quomodo igitur iste somniauit hunc humanæ in diuinã naturam transitum, nisi vt iniuria afficeret immortalem, & incorruptibilem Dei substantiam, & humanam tanta gloria, & honore priuaret, dum amplius diuinæ non est copulata? Sed hæc aduersus Suencfeldianos dixisse, sit satis.

I argum. — *Error Eutychetis.* — *II. argum.* — *III. argum.* — *Rom. 8.* — *Act. 1.* — *IV. argum.* — *V. argum.* — *VI. & postremum.* — *Deitatis natura.* — *Malac. 3.*

Proxima est Suencfeldij stultitiæ cogitatio Ioannis Brentij, qui autor est Vbiquariorum, hic enim cùm Lutheranus esset, & Transubstantiationis doctrinam ferre nõ posset, sicut nec Lutherus, & tamen veram corporis Christi in Eucharistia præsentiam constitueret, modũ pręsentię adinuenit, vt diceret corpus Christi post ascensionem in cœlum vbiq; esse; & ideò illud modò in pane manducari, dum panis editur: *Comedite*, ait Christus, *Hoc est corpus meum*; Id est, edite illud, quod in pane porrigitur; illud enim corpus meum est. Hæc ille. Imò in enarratione Euangelij, in die Ascensionis tradit, humanam Christi naturam iã inde ab initio incarnationis in cęlo, & in regno Patris fuisse, & nunc esse vbiq; locorum præsentem. Quod explicãs Smichdelinus disput. Hebingensi, scribit, *Cùm diuinitas in vnitate personæ assumpserit hominẽ, cuius ratio, & definitio, est plenitudinis Dei communicatio, in quo omnis diuinitas corporaliter habitat: sequitur ipsam quoq; Humanitatem Christi vbicunq; præsentem esse.* Brẽtium secutus est Lossius, qui in c. 22. Matth. scripsit. *Corpus Christi post resurrectionem glorificatum, est in omnibus locis, imò supra, infra, intra, extra cœlum & terram*, Ioachimus quoq; Westphallus, Lutheranus & ipse, negat particulam sursum, localiter exponendam esse, & contra rationem Grammatices, & totius Ecclesiæ sensum ascendisse Christum, nihil aliud esse docet, quam euanuisse; illum verò in cœlo esse: pro eo quod est vbiq; esse interpretatur. Hi ergo tres, Smichdelinus, Lossius, & Westphallus, secuti sunt Brentium: Quanquam ne tanti inuenti eum autorem faciamus, illud prius dixerat Lutherus in sermone de Euaharistia, asserens, Christi corpus nõ solum esse in Eucharistia corporaliter, sed vbiq; & cælum, & terram implere instar diuinæ essentiæ propter vnionem hypostaticam cum Verbo Dei. Adde quòd & ante Lutherum Faber Stapulensis dixit: *Corpus Christi, id est, assumpta Humanitas, cælum & terram implet. Est enim vbicunq; Verbum Dei, quia Verbum caro factum est: quare Verbum nusquam est sine carne.* Hæc ille.

Aduersus Bentiũ Vbiquariorum sectæ autorẽ corpus Christi à resurrectione vbiq; esse asserẽtis. — *Ioan. Brent. Vbiquariorum autor.*

Ioan. Brent. hom. 10. in Luc. part. 2. — *Smichdelinus disput. 34.* — *Coloss. 1.* — *Lossius.* — *Ioachimus Vvestphallus li. contra Iod. Alasco.* — *Iacob. Faber Stapul. in c. 11. priorem ad Corinth.* — *Ioan. 1.* — *I. ratio.*

Sed hanc Vbiquitatem, siue πανταχουσίαν, quam omnipręsentiam quidam appellant, aperte & sacræ literæ, & Patres nostri, & ipsimet Hæretici vt singularem vanitatem confutant. Cùm enim corpus Christi sit creatura, ac proinde certis finibus circunscriptum; non solum ante resurrectionem, sed etiam post illam non est vbiq;, nec esse quidem potest. Deinde dicitur Christus certo loco adfuisse, & aliquo loco non esse: igitur monstrosa est ac falsa hæc sententia. Ait enim Dominus: *Gaudeo propter vos (vt credatis) quoniam non eram ibi.* Et alibi; *Reliquit (scilicet Christus) Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.* Et in historia paralytici ad piscinam: *Iesus enim declinauit à turba constituta in loco*; Et Angelus ad mulieres, si illas nõ fefellit: *Surrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerunt eum.* Adhæc legimus Dominum Iesum conceptum in Nazareth, natum in Bethlehem, pręsentatum in templo, fugisse in Ægyptum, & in reditu relicta Iudæa propter Archelaum, habitasse in Galilæa.

Beza. — *II. ratio.* — *Ioan. 11. Supra 4. Infra 5.* — *Marc. 16. Luc. 1.* — *III. ratio. Infra 5. Ibidem.* — *Matth. 2. Ibidem. Ioan. 8. Supra 7.*

Dicitur

Matt. 26. Heb. 13.

Dicitur exiuisse de templo, & abscondisse se ambulasse in Galilæā, & non in Iudæam, quia quærebāt eum Iudæi interficere; Deniq; ascendisse Ierosolymam, atque ibi etsi extra portā, in mōte Caluariæ crucifixum. Adhæc omnia de veritate suspecta, vel falsa essent posita illa φαντασία: nemo enim eò dicitur venire, vbi primus est, cùm locum nouum non acquirat.

III. ratio. *Mar. vlt. Act. 10.*

Adhæc dicitur nunc sedere à dextris Patris, & inde venturus ad iudicandum viuos, & mortuos: ergo vbiq; non est, qui verè creditur venturus ad iudicium, & de quo prædicans dixit, *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra; vt cùm venerint tempora refrigerij a conspectu Domini, & miserit eum qui prædicatus est in vobis Iesum Christum; quem oportet quidem cœlum recipere vsq; in tempora restitutionis omniū, quæ locutus est Deus,* &c. vbi apertè tradit, Iesum modò cœlo teneri vsq; ad tempora restitutionis omnium.

Suprà 3.

V. ratio ab autoritate Patrum. *August. epist. 57. tom. 2.*

Si Patres consulas, in primis inuenies, eos eiusmodi Humanitatis præsentiam per omnia diffusam omninò ignorasse. Imò vt Augustinus scribit ad Dardanum, secundùm hanc formam humanam non est putandus vbique diffusus. *Cauendum enim*, inquit, *est, ne ita Diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis destruamus. Non est autem consequens, vt id quod in Deo est, ita sit vbiq; vt Deus. Nam & de nobis verissima Scriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur, & sumus: nec tamen, sicut ille, vbiq; sumus, sed aliter ille homo in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam, & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumq; est vnus Christus Iesus vbiq; per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo.* Sic ille doctissimus Pater qui mihi nunc instar multorum erit.

Act. 17.

Idem tom. 10. Leo Papa. Fulgentius. Vbique esse, siue immensum & infinitum, Diuinitati dūtaxat conuenire: vnde manifestum fit. *Ier. 23. Sap. 8. Psal. 138. Esa. vlt. & Matt. 5.*

Vt interim omittam Augustinum eundē sermone 14. De verbis Domini, & Leonem epist. 10. & Fulgentium lib. 2. ad Thrasimundum De immensitate Filij Dei secundùm diuinitatem, in cuius libri fine concludit, Christum secundùm corpus certo loco contineri, nec immēsum esse. Si verò rationem in consultationem adhibeas, illa dictat, vbiq; esse, siue immensum, & infinitum esse, Diuinitatis tantùm esse proprietatem, de qua ipse verus testatur Deus. *Cœlū, & terram ego impleo.* &, *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter*; &, *Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiā?* &, *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Imò Esa. 40. & 66. dicitur tenere cœlum palmo, & iterum pugillo: per quæ, vt enarrat Hieronymus, ostenditur Deus & forinsecùs, & intrinsecùs, & infusus, & circumfusus, dum & solio ambiente non cōcluditur, & terram, & cœlum pugillo concludit, & palmo.

Hieron. to. 5. Quid quod Deus tenet cœlum palmo, & terrā pugillo, concludit secundùm Hieronymum.

Ambr. lib. 1. De Spiritu sancto. c. 7. init. tom. 2.

Et Ambrosius lib. De Spiritu sancto; *In omnibus, & vbiq; semper est:* quod vtiq; diuinitatis, & dominationis est proprium. Quæ veritas non fuit vsquequaq; Gentibus ignota, inter quos Poëta quidam dixit;

Virg. Eclo. 3. Lucan. lib. 9. post med.

Ab Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena;

Et alter;

Iuppiter est quodcunq; vides, quocunq; moueris.

Esse autem immensum, siue infinitum, nō minus Deo quadrat quàm esse æternum, & omnipotētem. Si ergo secundùm carnem illi conueniat per se immensitas, vt vbique sit, ergo æterna, & omnipotens sit oportebit, ac proinde Patri æqualis, contra verbū Domini, *Pater maior me est*; &, *Filius ei subiectus erit, qui sibi omnia subiecit.*

Ioan. 14. 1. Cor. 15. VI. ratio contra Vbiquatrios, ab absurdis.

Deniq; si corpus Christi vbiq; post resurrectionem existit, non minus in pane, & vino communi, atque in cæteris fructibus, & cibis corpus Christi ederemus, quàm in ipso Eucharistiæ Sacramento: quia non minus in alijs cibarijs existeret, quàm in pane Eucharistico. Imò quoties homo spueret, vel alium percuteret, diceretur Christum, vel eius corpus spuere, & percutere: quod planè est vanum, & perabsurdum. Adhæc qui assereret, Eucharistiam fieri, antequàm Euangelicis verbis benedicatur, & sanctificetur, falsum omninò assereret; quia hanc panis, & vini in corpus, & sanguinē Domini conuersionē, Scriptura nonnisi Domini verbis tribuit. Ait n. text. εὐλογήσας siue εὐχαριστήσας, id est, cùm benedixisset pani, siue gratias egisset. Vnde & Paulus vocat calicem benedictionis, cui benedicimus, ergo qui absq; Domini benedictione pronuntiata Christi corpus ibi collocat, apertè Euangelio refragatur.

Suprà 10.

Brentianæ huius insaniæ debile fundamentū.

Probat Brentius fatuam sententiam suam ex illo Ephesi. 4. *Ascendit super omnes cœlos vt impleret omnia:* non ait ipse vaticinia, sed loca: Sed clarè patet Apostolum locutum de illo Psalm. 67. *Ascendens in altū, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Impleuit enim omnia donis Spiritus sui, vt ipse subiungit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas:* agit de Christo implente fideles suis donis; vt alibi dicitur omnia ad se trahere, vt hic implere, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus.

Ioan. 12. Suprà 2.

Si denique hæreticos legas, æquales Brentij: videbis illos execratos esse huiusmodi opinationem.

Beza.

Beza in libro De omni præsentia carnis Christi declarat hoc Brentij mōstrum ex duabus furijs Nestorio, & Eutychete in mutuam perditionem conflatam.

Melanchthō.

Melanchthon verò vocat portentosum dogma, ignotum eruditę vetustati.

Ioan. Alasco.

Ioannes Alasco scribens in Wes-

phallum rectè dixit; *Vita, spiritu, & gloria sua Christi corpus spoliant, qui illud vbiq; esse volunt.* Certè Schola Wittebergensis magno consensu hanc tantam temeritatem damnauit. Omnibus ergo rationibus venit reprobanda sententia hæc portentosa, quæ nonnisi ab eo qui dementatus, & attonitus à tonitruo nomen accepit, producta, atq; defensa est. Nec obstat, Verbum illud infinitum, & immensum carni esse vnitum, & caro sit infinita. Quoniam vt omni in loco verum est Alexandrũ Magnum cõiugatum fuisse, & matrimonium cum Roxana inijsse, non tamen nisi in vno loco Roxanam habebat: ita vbiq; verum est, Filium Dei carnem humanam induisse, illa tamen caro non est in omni loco: ex priuilegio potest esse in pluribus altaribus.

Brentius vnde suum nomen acceperit infelix.

Brentij ratio diluitur sumpta ab vnione verbi Diuini cum carne.

Postremus congressus noster erit, cum Valentino Cratoaldo, cuius tanquàm præceptoris sui eruditissimi sententiam in his Domini verbis explicandis producit, ac probat Ioannes Langius in scholijs suis ad Apologiam secundam Iustini Martyris ad Antoninum Imperatorem pro Christianis, quem profectò, neq; præceptorem eius hæreticos ausim affirmare, quia nec veritatem præsentiæ corporis Christi negant, & Catholicè videtur loqui, & sentire, etsi eorum sententia minus mihi probetur. Ait igitur propositionem hanc, *Hoc est corpus meum*, ita esse ordinãdam, & exponendam. Corpus meum est hoc, videlicet panis & cibus, nam illum (vt ait) demonstrat: sed panis, & cibus spiritualis, & viuus è cœlo descendens. Sic in secunda propositione: sanguis meus est hoc, videlicet poculum, siue vinum mixtum, & potus, sed potus spiritualis, viuificus atq; cœlestis. Ita vt hæ duæ propositiones æquipolleant illis duabus, quibus Christus apud Ioannẽ est vsus: *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Et addit rationem: quia in Græca lingua articulus nomini appositus efficit, vt nomen locum habeat subiecti; nomen verò illo carens locũ prędicati teneat: articulus verò τὸ, corpori est adiectus. Hæc ille. Cuius sensus etsi hęreticus, vel falsus nõ sit; quia corpus Christi verè est cibus, vel panis spiritualis nostras alens animas, & ita cũ hæreticis non sentiat: illa tamen verborum ordinatio; dura est ac violenta, & ratio, qua illam stabilire contẽdit, falsa. In omni siquidem enuntiatione, illud est subiectum, cui nonnihil tribuitur vel eripitur, & de quo aliquid affirmare, vel negare volumus. Liquidum est autem, Christum in cœna sua de pane potiùs, quàm de corpore suo aliquid affirmasse: accepit enim ab initio panem velut elementum, ad quod adiecit verbum benedictionis, vt fiet Sacramentum. Panis ergo, elementum est, & primum initium cœnæ Dominicæ; corpus autem Christi, non initium, sed cœnæ perfectio existit, & finis. Et vt verbis facta sint consona; sicut primùm accepit in manus panem, sic quod posteà benedixit, fregit, locutus est, ita est interpretandum, vt potiùs de pane aliquid fiat, quàm de Christi corpore, de quo adhuc ibi nulla mentio: & ita facta verbis non responderent, Nam facto ipso cœperat à pane; verbis autem ipsis inciperet à corpore: & panem facimus veluti virtutem, quæ corpori Domini tribuatur: quod absurdum esse videtur. Quod verò vrget, vim articuli efficere subiectum illud, cui apponitur: non semper verum est. Nam interdum vtriq; tam subiecto, quàm prædicato apponitur articulus, vt ibi: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς θεὸν, & rursꝰ καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων: quandoq; verò neutri articulus affigitur: vt illud, Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ: vbi nec in noĩe Deus, nec in voce Homo, aliq̃d articuli loco positũ est: aliquando verò ponitur in subiecto, nõ in prædicato: vt illud καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, & id: ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον: vbi duplex articulus subiecto cõiungitur, nullus verò attributo. E contrario verò quandoque apponitur prædicato, non subiecto, vt in præsenti oratione Christi: *Hoc est corpus meum*, & similibus alijs, vt, *Hic est Filius meus dilectus*, &, *Hic est hæres*, &, *Non erat ille lux*: Vbi articulus Græcus corpori coniungitur: vt verum, proprium, viuum, animatum, & diuinitati coniunctum corpus se illis tradidisse insinuaret, non corporis figuram, symbolum, vel imaginem. Similiter in alijs enuntiationibus articulus affigitur vocibus filij, hæredis, lucis; nec propterea sunt inuertendæ eiusmodi propositiones, vt dicamus, Filius meus est hic, hæres est hic, &, Lux non erat ille. Quod autem in illa propositione: *Deus erat Verbum*: καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, sic ordinetur, & inuertatur, & Verbum erat Deus: peculiari ratione fulcitur. Non tam enim id factum est ob articulum voci verbi præpositum, quàm quòd constat Euangelistã id ex proposito agere, vt aliquid Dei Verbo tribuat, quod erat in principio, & apud Deum, & quo etiam Deum esse afirmauerat. Res igitur subiecta ibi docet, Verbum, locum habere subiecti: sicut & in cœna panis est qui dicitur corpus Christi, per benedictionem. Et tunc corpus Christi prius de pane confectum, cibus esse noster declaratur.

Cratoaldi & Ioannis Langij refellitur opinio in eadem verba, Hoc est corpus meum,

Ioan. 6.

Ibidem.

Huius sententiæ rationes proponuntur, ac diluuntur. I. ratio.

Omnis enuntiatio quid habeat pro subiecto.

Brentij alia quoque ratio fatus infirma.

Matt. 3. Infra 17. Matt. 21. Ioan. 1.

Ioan. 1. In hac sentẽtia: Et Deus erat Verbũ, voci Deus quare nõ fuerit præfixus articulus.

Quod verò Ioannes Langius ait, corpus Christi

I. ratio.

Christi esse Panem viuum, & spiritualem: certè non propterea pronomen illud propriè accipitur, sed figuratè. Nec enim corpus Christi est reuera panis triticeus, quem Christus, secundùm Crotoaldum, demonstrabat, sed veluti panis hic: ita vt aliquid sit supplendum in Christi oratione: Corpus meum est spiritui vestro, ac re ipsa cibus verus, & salutaris, velut hic panis corpori vestro. Et ita hoc residuũ esset ad spiritualem panem de cœlo descendẽtem; de quo tamẽ nihil anteà dixerat, vt posset demonstrari pronomine illo Hoc. Tertiò, producit Ioannes Langius in confirmationem suæ expositionis, Epiphanium in Ancorato, dicentẽ: *Videmus quod accepit Saluator in manus suas* (panem scilicet, & poculũ) *veluti Euangelium habet, quod surrexit in cœna, & accepit hæc: & vbi gratias egisset, dixit, Hoc meum est, hoc & hoc. Et videmus quòd non æquale est, neq. simile, non imagini in carne: non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim (panis videlicet) est rotunda forma, & insensibile, quantum ad potentiam (id est si ad virtutẽ Sacramenti respicias) & voluit per gratiam dicere, Hoc meum est istud: & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à gratia, & salute.* Hæc ille. Vbi quod ait: Hoc meũ est istud, perinde est ac si dixisset: Hoc meũ corpus, est istud quod porrigo sub speciebus panis: ergo corpus meum, locum habet subiecti, & pronomen Istud attributi, vel prædicati. Sed reuera alius est hic sensus à priori: & catholicus, pro quo probando adducitur. Ille enim exponebat: Hoc meũ corpus, est hic cibus, & panis, sed spiritualis, & viuificus; Hic verò dicit, Hoc meũ est (corpus) hoc & hoc, quod porrigo. Quæ oratio in se ipsam conuerti potest: istud quod porrigo, meum est corpus. Et Epiphanius bis vsurpat pronomen Hoc, dum ait: Hoc meum est istud: hoc enim, & istud, pronomina bina sunt, eiusdem rei demonstratiuã, & ideo nihil ad Ioannis Langij propositum facere videtur. Remanent ergo verba Domini Iesu in cœna ventilata sicut triticum, & ab omnib. extraneis, & alienis sensibus ac expositionibus vindicata, quò salutarem, & orthodoxam pariant intelligentiã, & tanti mysterij fidem in nostris pectoribus corroborare valeant, illam nobis præstante, & seruante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto debetur omnis honor, gloria, & imperium in secula seculorum.

Amen.

Tertia.

B. Epiphan. sub operis calcem.

Cœna Dominicæ verborum expensio qualis secundùm Epiphaniũ.

Excidat quis à gratia, & salute.

TRACTATVS XX.

Quo in omnes, tropum, aut symbolum, aut metonymiam, aut energiam in verbis illis Domini constituentes agitur, & in genere ostenditur, tropis illis locum esse minimè posse.

HACTENVS peculiari disputatione persecuti sumus celebriorum hæreticorum sententias, qui nodum in scirpo quærentes (vt dici solet) tropũ in illis verbis Domini constituunt, siue in pronomine, siue in verbo, siue in nomine, siue in tota oratione. Quoniam verò fortassis plures sunt constituendi tropicã locutionem rationes ab alijs, quorũ nomina ignoramus, excogitatæ; præterea opportunum, ac pernecessariũ esse duximus, generaliori quadam oratione omnes eorũ opiniones confutare, qui figuratè illa verba aut hactenùs interpretati sunt aut in futurum interpretabuntur, & aliquid dictis simile affingere tentabunt, vt vna opera quasi fidelia multos hæreticorum depictos parietes dealbemus.

Hæretic qui nodum in scirpo quærant.

Primum igitur in Scriptura explicanda hæresis est manifesta, sicut figurata, & per metaphoram pronuntiata propriè accipere, ita quæ sunt propriè dicta, ad tropicam locutionem detorquere. Nam in his verbis: *Ego sum ostium*, & *Ego sum vitis vera*, vel, *Ecce agnus Dei*; &, *Vicit Leo de tribu Iuda*; &, *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum*; &, *Si oculus tuus scandalizat te; erue eum & proijce abs te*, qui tropum non agnosceret, & per metaphoram non exponeret, in absurdos & patentes errores incideret: quia illa ab Spiritu sancto, per metaphoram, & tropum dicta sunt. Si quis verò in ijs, quæ per proprietatem dicta sunt à Christo, tropicè ea, aut per metaphoram & figuram exponat, in hæresim prolabetur: vt Apostoli, qui audientes Dominum dicentẽ de Filio hominis: *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, &c. Et ipsi nihil horum intellexerunt: & erat verbum istud absconditum ab eis, & nõ intelligebant quæ dicebantur*: quia existimabant, vt Beda ait, Christum parabolicè loqui, & non propriè: ita cùm Dominus dixit; *Hoc est corpus meum, propriè locutus est.* Proinde quisquis ad tropum, vel figuram accurrerit, in re grauissima offendit. Quòd si liberum esset cuique pro arbitrio suo figuratas locutiones fingere; omnis Scripturæ veritas nobis eriperetur, & facilè esset tropis & schematibus quodcunq;, vel solidissimum Fidei do-

I. argũm.

Ioan. 10.
Ioan. 15.
Ioan. 1.
Apoc. 5.
Matt. 19.
Suprà 18.

Luc. 18.

Beda tom. 5.
Qua ratione quis vniuersam Scripturam omni veritate spoliatet.

gma diruere. Nam qui vellet negare deitatem Christi; illa verba, *Et Deus erat Verbum*; exponeret, hoc est, corrumperet; Verum illud erat figura Dei, vt Arrius dicebat. Similiter illud; *Verbum caro factum est*, eluderet Manichæus, & exponeret; Verbum factum est similitudo carnis: quia ille veritatem articuli Incarnationis negabat, & Christum tantùm apparentem docebat, nō autem solidā humanitatem induisse. Ita verbum illud in Transfiguratione à Patre dictum; *Hic est Filius meus dilectus*; & id, *Ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi*; & quòd Petrus, inquit, *Tu es Christus Filius Dei viui*, similibus falsis glossulis inficerentur dicendo sensum esse, Hic est verè figura mei Filij: Hic est figura Saluatoris; &, Tu geris typum, & imaginem Filij Dei viui. Quæ cùm sint absurda, & vel auditu ipso horrenda: vanissimum est; ea quæ propriè à Christo sunt dicta, & ab Ecclesia Catholica per proprietatē semper intellecta, ad tropos & figuras perniciosè detorquere: nam alioqui Ecclesia perpetuam hæresim fouisset, & grauissimum idololatriæ crimen amplexata fuisset; ac proinde nec vlla vera Christi extitisset Ecclesia. Nam Ecclesia, in qua vera dogmatum Fidei confessio non existit, & cui Spiritus sanctus non suggerit omnem veritatem, & quę mendacia perniciosa tāto tempore filijs suis tradidit, Christi sponsa nequaquàm fuisset, cui perpetuò promisit Spiritum sanctum; & quæ columna est, & firmamentum veritatis.

Ioan. 1. — Manichęi blasphemia. *Ibidem.* — Aliæ Christi sententię citra omnem tropum, & figuram accipiendæ. *Matth. 3. & inf. 7. Ioan. 4. Matth. 16.* — Dei Ecclesia eas Christi sententias si per tropum, & metaphoram intellexisset, quid peccasset. *Ioan. 16.* — *Supra 14.* — *1. Tim. 3.*

II. argum. Denide alia ratione idem euinco: Quia vbi non est aliquid in textu ad ponendum figuratam locutionem excitans, vel ratio aliqua, quæ per proprietatem exponendo, tardat impossibile, aut facinus, aut sensum absurdum, & inutilem, non est ad tropum accurrendum, vt docet Augustinus lib. 3. De doctrina Christiana cap. 16. Sed hic nihil tale inuenitur: igitur frustrà ponitur tropus. Quòd si quisquam partes hæreticorum tueatur, ac dicat, Christi verba p tropum accipienda ex omnib. his rationibus, quas producit Augustinus: nam in primis res impossibilis videtur, vt corpus loquentis edatur manducato pane; deinde inhonestum & absurdum esse dicat, humanis carnibus vesci: nam audi quid de alijs animalium carnibus edendis, in nomine Pythagoræ Poeta quidam cecinerit:

August. to. 3. — Ratiunculæ quorundam ad probandum, verba Consecrationis non nisi tropicè ac figuratè accipi posse, ac debere.

Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi,
Congestoq; auidum pinguescere corpore corpus,
Alterius q; animantem animantis viuere letho.

Oui. l. lib. 15. Metamorph.

Quid quæso dixisset de humanarum carnium voratoribus? Nam ob eam caussam anthropophagi ab omnibus vituperantur, quòd rem & sensui, & rationi inimicam, & contrariam agerent. Est etiam talis esus inutilis, & omni fructu destitutus: ait enim Dominus; *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam*. Adhæc assignatur à B. Augustino illa pulchra in exponēdis Scripturis regula: vt ab illo sensu, qui Dei miracula multiplicat, declinemus; illum verò amplectamur, qui signis, aut nullis, aut quàm paucissimis opus habet. Cùm igitur ille sensus, qui proprietatem verborum seruat, multa miracula includat, alter verò tropicus signa omnia excludat: videtur hic cum omni veneratione amplectendus, atque priori meritò anteferendus.

Antropophagi cur tam abominabiles omnibus seculis exstiterint. *Ioan. 6.* — B. Augustini ad Scripturas interpretandas formula, per quam elegans, atq; concinna.

Respondemus tamen, quòd hæc omnia absurda, quæ dicta sunt, Patribus occurrerunt, & prætereà periculum idololatriæ, ne cultus Dei debitus, rei inanimæ, id est, pani tribueretur. Adhæc intellectus ipse noster, qui liber esse cupit, & cogi nollet ad credendum ea, quæ non capit, naturaliter obsistebat. Patres omnes prorsus incli nassent ad tropum, & ad figuratam locutionem, nisi expresè, ac perspicuè ab Apostolis accepissent (sicut Apostoli à Christo) & Ecclesijs tradidissent, verè hic esse corpus Christi, & firma fide illud apprehēdissent. Qua Dei voluntate posita, & fide Ecclesiæ Catholicæ, non est impossibile Deo facere, vt ibi adsit totus Christus in pane exhibito. Nam diuinitas vbique est, & omnia implet: anima etiam locum non occupat, cùm incorporea sit: & vt naturaliter existit in capite, & pede, & qualibet parte corporis, ita miraculo potest esse in diuersis locis, & hostijs. Corpus etiam ipsum præsens est, quod est prius quàm occupare; etsi locum ibi non occupat, sicut nec substantia panis occupabat, cui succedit: nam substantia per se quanta nō est, sed à quantitate illam sibi mutuatur: discedente ergo inde substantia panis, vel transmutata in corpus Christi, succedit corpus Christi sub quantitate prioris panis.

Soluuntur eiusmodi obiectiones. — Dei, animæque rationalis natura.

Dices; corpus Christi an non quantum est, & extensum, ac proinde occupans? Respondeo, esse quidem hic Christi corpus cum quantitate sua, sed non per modum quantitatis, hoc est, non extensum in ordine ad locum, nec occupans, sed per modum substantiæ sub panis quantitate relicta delitescens. Caro etiam Christi sub hoc Sacramento dum manducatur, dentibus non atteritur, quia tangi nequit, estque immortalis ac impartibilis: manducatio autem realis requirit contactum rei edendæ, & posse diuidi, & transmutari: quod

Quomodo Christi corpus in Eucharistia existat. — Vera manducatio quid requirat.

hic de corpore Christi fieri nequit. In mãducatione ergo Eucharistiæ tantùm species atteruntur dentibus: secùs est de substantia panis, quæ propriè mandi, & atteri potest. Quia etsi non sit extẽsa ratione sui, est tamen ratione quantitatis; ac ob id tangi, diuidi potest, & transmutari: vt egregiè docet sanctus Doctor. Deinde sicut impossibile non est ibi adesse Christum, ita non est inhonestum sub speciebus panis, & vini (quibus quotidiè familiariter vtimur ad alendum corpus) ipsum Christum edere, ac sumere; vt videtur carniũ humanarum horror, & fides, quæ est de non apparentibus, locum habeat. Secus est si in propria specie sumeretur, vt olim anthropophagi faciebant, & Capharnaitæ existimabant, & Gentiles Christianis obijciebant: vt autor est Tertullianus in Apologetico, & Eusebius in libris de historia Ecclesiastica. Vt enim carnes humanæ arenis Arabiæ desiccatæ, præsentissimum adferunt antidotum ad morbos propulsandos, easque ægrotantibus, & sub pharmacis delitescentes medici porrigunt: ita medicus ille cœlestis corpus ac sanguinem suum charitatis igne torridum ac desiccatum, sub speciebus panis & vini nobis ad edendum, & bibendum, quò infirmitatibus nostris spiritalibus, vel mederemur, vel obuiam iremus, porrexit.

D.Thom. 3. p. q. 77. art. 7. ad 3. tom. 12. II ratio pro ea veritate. *Hebr. 11.* *Tertul. Euse. lib. 4. hist. Eccles. c. 2. tom. 1.* Qualis Eucharistiæ corpus Christi, & sanguine contineutis medicina:

Adhæc non est inutilis hæc manducatio corporis Christi, nisi ferino modo intellecta, & quemadmodum carnes in macello væneunt, vt Capharnaitæ existimabant; vel nisi Sacramentaliter tantùm sine fide & Spiritu edatur, vt multi docent Iudam sumpsisse. Si tamen quis cum fide & spiritu accedat ad hanc Sacram mensam, vtilissima est, & ingentium bonorum mater, vt expressit Dominus apud Ioannem.

III. ratio, & qua ratione Eucharistiæ manducatio sit inutilis, inutilis, & pernitiosa, qua verò salutaris. *Ioan. 6.*

Præterea superflua haud sunt existimanda multa signa Deo volente illa in hoc augustissimo mysterio exhibere, neque nostrum est Dei potentiæ, aut sapientiæ, & bonitati mensuram miraculorum pro nostra sapientia præscribere; sed eius est in numero, pondere, & mensura, prout ille nouerit expedire, signa facere. Vnde illa verba: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se*; ad Eucharistiam referunt Arnobius, atque alij plurimi Patres. Est enim Eucharistia compendium quoddam multorum, & admirabilium Christi signorum, quæ perpetuò in Ecclesia DEI celebrantur, ad illustrandam gloriam tantæ charitatis, & sapientiæ Christi; qui seipsum & nouit, & voluit in animorum nostrorum alimentum relinquere. Cùm ergo tot rationes extitissent, quæ libenter Patres ad tropum flectere potuissent, & tamen non flexerunt: signum certum est exploratissimæ & compertissimæ veritatis, quam Christus Apostolis, & Apostoli Ecclesiæ declararunt, se per illa verba verum corpus, & verum sanguinem tradidisse. Et confirmatur hæc ratio: quia non tantùm DEVS tradidit Ecclesiæ suæ libros Sacræ Scripturæ, quos possunt & Iudæi, & Pagani, & Infideles omnes paruo ære sibi comparare, sed etiam rectum illarum sensum, & rectam intelligentiam in his, quæ ad Fidei dogmata, & bonos mores spectant. Hinc per Esaiam Dominus ait, *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus* (loquens ad Messiam) *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & vsque in sempiternum.* Hæc ibi Dominus. Hæc fuit autem certa, & inuicta ratio ad prosternendos vniuersos errores, & hæreticos confutandos: quæ si deseratur, omnes hęreses ad vitam redeunt in Ecclesia. Nam Eusebius Cæsariensis ex antiquis, suadet consubstantialitatem; & Sisinius suasit Theodosio Imperatori, vt ad controuersiam terminandam Patres, qui olim floruerant, consulerentur. Et beatus Augustinus libris contra Iulianum Pelagianum, multis ex veteribus Patribus productis testimonijs, qui ante hæresim Pelagianam floruerunt, rectè scriptum reliquit: *Neque nobis,* inquit, *neq; vobis irati sunt* (scilicet antiqui Doctores) *neque nos, neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est caussa nostra.* Hæc ille: quæ verba planè sunt aurea, & viam, qua iugulentur vniuersæ hæreses, ostendentia.

IV. ratio. *Arnobius in Psal. 110.* Eucharistia quale compendium signorum Christi sit. Spiritus sancti in Ecclesia Dei perpetuitas quibus verbis ab Esaia prædicta. *Esai. 59.* Vnica & inuicta ratio de omnibus hæresibus triumphãdi. *Euseb. Cæsariensis.* Sisinius Theodosio Imperatori quid suaserit. *August. lib. 2. contra Iulianum, prope fi. tom. 7.*

Tertiò, argumentum producitur ex circumstantijs ipsius textus ad comprobandum, propriè Christum fuisse locutum. Nam ex illis cogimur ad tropos accurrere, aut illos negare, ait enim textus, manducato agno, & lotis pedibus, & exempto humilitatis, & charitatis ad literam dato, Dominum accepisse panem, & gratijs actis, illi benedixisse, fregisse, & porrexisse eum, dicendo; *Hoc est corpus meum*: vbi hactenùs nihil est, quòd prorsus cogat ad tropum. Deinde sequentia minus impellunt, ait enim: *Quod pro vobis datur*, vel pro

III. argum. *Ioan. 13. Matt. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.*

vobis frangitur: Christus autem in cruce non dedit figuram corporis sui pro nobis, sed verum corpus, quod pro nobis clauis, cruce, & lancea fractum est, & confossum. Deinde vbi dixit, *Hic est sanguis meus Noui Testamenti adiecit, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* quibus verbis apertè indicat, ipsum illum sanguinem Christi verum in cruce, & in remissionem peccatorum fusum, nobis porrectum fuisse; nec enim figura sanguinis Christi data est in remissionem peccatorum, sed verus sanguis. Neque repræsentatio nuda fusi sanguinis in Eucharistiæ mysterio remissionem magis operetur, quàm olim sanguis hircorum, & vitulorum: quia illa etiã adumbrabant futuram fusionem sanguinis Christi. Quòd si secundùm sentẽtiam quorundam Patrum, vt superiùs annotauimus, calicem Euangelicum porrexit post antiquum poculũ legale, vt insinuat Lucas, cùm in priori poculo fidem suam adstrinxisset se non bibiturum ampliùs ex eo, donec biberet illud in regno Patris sui: profectò secũdum poculum, quod est Euangelicum, non habebat nudum, & purum vinum in typum sanguinis Christi fusi, vt volunt hæretici. Ergo nulla est figurata locutio: maximè, quia illa eadem nocte, & mensa dixerunt Apostoli: *Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis.*

Confirmatio rationis & argumenti, aduersus Tropistas. *Luc. 22.*

Ioan. 16.

Ideo falsum esse coouincitur, quod Caietanus in tertiam partem S. Thomæ scribens dixit, non apparere coactiuum aliquod ad intelligendum verba Christi propriè, sed tantummodò autoritatem Ecclesiæ. Sed sanè veriùs, & solidiùs statuisset si dixisset nullum apparere verbum in Euangelio, quòd cogat ad tropum. Et prætereà inuicta Ecclesiæ autoritas vehemẽter premeret ad proprietatem vocum seruãdam: quia nulla est certior, & magis vsitata regula rectæ intelligentiæ verbi Dei, quàm sacrosancta Ecclesiæ traditio, & veterum Patrum intelligentia.

Quid minus verè, ac solidè de hac re senserit noster Caietanus. *Caiet. in 3 p. S. Thom. q. 42. artic. 1.*

Certior, magisq; vsitata regula rectæ intelligentiæ verbi Dei, quæ sit.

IV. ratio.

Quartò, ducimus argumentum à verbo illo substantiuo Est: cuius ingenium, & natura est, vt quoties res diuersarum naturarum, quæ Latinis dicuntur disparata, vnit, & copulat, ibi necessariò ad figuram, & tropum accurramus. Vt cùm Dominus ait: *Ego sum lux mundi: Ego sum ostium: Ego sum vitis vera.* Et similiter cùm dicitur petra, serpens leo, agnus. Nam hæc cùm sint diuersæ naturæ ab illis, de homine non possunt prædicari nisi metaphoricè, & figuratè. Quãdo verò eiusdem sunt naturæ, ac substantiæ, standum est in propria verborum significatione: vt, Homo est rationis particeps, disciplinæ capax, corporeus, ac denique substantia. Et ita cùm dicitur, Hoc est corpus meum, quia ad naturam illius pronominis Hoc, spectat, demonstrare quandam substantiam incertã, & qualis describitur per prædicatum; ideò in his locutionibus minimè opus est confugere ad tropum. Cogeremur autem ad illum confugere, si aliter dixisset, nempè: Hic panis, est corpus meum: Hoc vinum, est sanguis meus: quia esset prædicatio dissapatorum, vt vocant. Hinc apparet quomodo Christus sit ostium, vitis, petra, lux mundi, nimirum per tropum: quanquam propriè, & sine tropo dici possit petra, non simpliciter, sed spiritalis, & consequens eos, vt ait Apostolus. Et quod dicitur, semen, est verbum Dei: propriè accipi potest, quia illud seminatur in cordibus per prædicationẽ: ideò non simpliciter dixit, semen, est verbum, sed, verbum Dei. Cum inquit: Ego sum vitis; statim declarauit in quo esset similitudo, subdẽs: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Suntque tropi accommodati ad increpandum: vt illud; *Serpentes, & genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Et quod dixit de Herode: *Ite, & dicite vulpi illi: Vade post me Satana: Vnus ex vobis diabolus est: Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ.* Ita familiari sermone de astuto dicimus, Hic est vulpes: de forti, Hic est leo: de voraci, Hic est lupus: de timido, Hic est cuniculus: de obscœnis voluptatibus dedito, Hic est porcus. Sunt etiã tropi apti ad laudandum: vt, *Ille erat lucerna ardens, & lucens: Vos estis sal terræ: Vos estis lux mundi: Ego vox clamantis in deserto: Ipse est Helias:* & de sancto viro dicere consueuimus: Hic est alter Paulus, Hic est Angelus; innocentes, & mansuetos, vocamus agnos, & oues, & ad exprimendum dilectionis affectum, vocauit Ioannem filium Mariæ, & Mariam matrem Ioannis. Sed nihil hic tale occurrit, vt opus sit tropum statuere.

Optimus canon intelligentiæ Scripturarum. *Ioan. 8. Infrà 10. Infrà 15. 1. Cor 10. Apocal 5. Ioan. 1.*

Quib. Christi verbis de Eucharistia tropus subesse posset.

Quomodo Christus propriè, & non allegoricè petra dici possit. *1 Cor. 10. Luc. 8.*

Illud: Semen est verbum Dei, quid. *Ioan. 15.*

Tropi atque metaphoræ in Scripturis quibus rebus inseruiant. *Matth 23. Luc 13. Matth. 16. Ioan. 6. Esa. 1.*

Tropici sermones vulgares.

Alter vsus troporum in sacris literis. *Ioan. 5. Matt. 5. Ioan. 1. Matt. 11. Ioan. 19.*

Quinta ratio ducitur ex eo, quòd quæ Dominus parabolicè, vel tropicè, hoc est, obscurè, & ænigmaticè differebat, posteà seorsum, & familiariter discipulis aperiebat, atque explanabat, vt docet Marcus: & discipuli dum inopia intellectus cogerentur, ad Dominum veniebant, dicentes; *Edissere nobis parabolam*; scilicet zizaniorum agri. Et quando dixit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*, Petrus putans esse parabolam; Edissere, ait, nobis parabolam

Ratio V. *Marc. 14. Matt. 13. I. frà 11.*

Luc. 12. *Ioan. 16.*

bolam istam. Et apud Lucam idem docet: *Domine*, aiunt, *ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* & apud Ioannem dixerunt Apostoli, *Nescimus quid loquitur* (dicens scilicet: *Modicum, & iam non videbitis me*) *& volebant eum interrogare.* Hic autem Christus parabola non est vsus, nec eam exposuit, nec Apostoli eius expositionem petierunt. Imò solent Euangelistæ obscurius dicta interdum exponere, vt illud apud Ioannē: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* & nondum soluēs Euangelista, subiunxit: *Ille autem dicebat de tēplo corporis sui.* Et alibi: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* &, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* Explicansque qualis sit aqua, subdit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Et apud eundem Ioannem, cùm Dominus dixisset: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me ipsum.* aperit qualis sit exaltatio, dicens: *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Cùm etiā Petro dixisset, quod senesceret, & alius eum cingeret & duceret quò nō vellet, explicuit quò tēderet ille sermo, adiungens: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Et apud Matthęum cùm dixisset: *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorū, & Sadducæorum,* & illi cogitarent de panibus, declarauit, se per fermentum doctrinam intellexisse. Si ergo hoc loco aliquid obscurū, & metaphoricum dixisset, ob rei magnitudinem proculdubio declarasset bonus Dominus, vel Apostoli interrogassent Dominū, & ille explicasset. Certè Chrysost. in Matth. pulchrè ait: *Quomodo turbati non fuerunt cùm hoc audissent* (scilicet; *Hoc est corpus meum*) quia multa iam, & magna de hoc antea disseruit. Et infrà: *Ipse quoq; bibit ex eo:* ne auditis verbis illis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus, & carnē comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodò propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoq; accideret, primus ipse fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorū induceret. Sic ille. Parabolæ igitur clarè ostendunt metaphoram, sicut & somnia, in quibus aliquid futurum prædicitur. Sicut in Genesi dicitur: *Tres propagines, tres adhuc dies sunt; post quos recordabitur Pharao ministerij sui, & restituet te in gradum pristinum.* In eodem quoq; libro, *Septem boues, & septem spicæ plenæ, septē vbertatis anni sunt.* Et Daniel regi inquit Nabuchodonosori: *Tu es caput aureum:* in quibus omnibus locis libenter admittimus tropum.

Euangelistæ obscurius dicta solent interdum explicare, & quænam illa.

Suprà 2. *Infra 7.* *Ibidem.* *Infrà 12.* *Infrà 21.* *Matth. 16.* *Chrys. hom. 83 in Matth. tom. 2.*

Cur Christus & ipse, ac prior qualem de calice biberit, quam discipulis bibēdum porrigeret, teste Chrysost. *Ioan. 6.*

Gen. 40. *Infra 47.* *Dan. 2.*

VI. Ratio. Parabolicæ, vel allegoricę

Sexta ratio, à natura parabolicæ, & allegoricæ locutionis desumitur. Nam quēadmodum voces fluxæ, ac transeuntes, res solidas & permanentes in sensu literali significant; ita in allegorica, vel tropica locutione res minores, & inferiores, ad designandas res maiores, & sublimiores assumuntur: vt etsi superficies tropi, vel allegoriæ parua videatur, atqui exigui momenti; sensus tamen in tropo, allegoriave delitescens excelsus sit, & magnificus. Nam ita agnus sensibilis in lege, & serpens æneus exaltatus & petra percussa reddens aquas, delineabat Christum verum agnum, Deoq; immolatum, & tanquam serpentem in cruce exaltatum, ibiq; lancea percussum, reddentemque aquam cum sanguine: quæ celsissima sunt, & excellentissima Fidei nostrę mysteria. Si autem hæc verba, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*; per tropum, aut allegoriam, aut metonymiam exponantur, vt sit sensus: Hoc est figura corporis, & similitudo sanguinis mei; profectò cōtra naturam tropicæ, & allegoricæ locutionis id esset. Nam à sensu altiore ad literam de Christi corpore, & sanguine per tropum, siue allegoriam non ascenderetur, sed descenderetur ad sensum inferiorem de pane, & vino: iustius autem est, vt panis signet corpus Christi, & vinum sanguinem, quàm è contrario, vt corpus Christi significet panem, & sanguis vinum: vt hæretici importunè moliuntur, qui pro vitali Christi corpore, & rutilanti ac pretioso sanguine, quę in ipsa verba propriè significant, ad aridam, & planè mortuam, panis, & vini figuram nos adducere contēdunt. Adde, quod quæ metaphoricè rei alicui tribuūtur, ac de ea prędicantur, solent eius rei proprietates ante oculos ponere, & metaphoricè dicta de re tali prædicantur, non contra: res enim ipsa non prędicatur de metaphoris, nemo siquidem dicet; Leo, vel agnus, serpens, vel vitis, lapis, aut ostium est Christus; sed è cōtrario dicitur, Christus est leo, vel agnus, vel serpens, vel vitis, vel lapis, vel ostium. Si ergo Dn̄s in verbis cœnę metaphora vti voluisset, dixisset, corpus meū est panis, non autē dixisset demōstrando, Hoc est corpus meū: nec opus esset vti pronomine demōstratiuo. Quia metaphoræ à generibus, vel speciebus rerū desumi solēt, aut ex alijs passim notis: vt Ioannes est Helias, scilicet officio, & ministerio. Idē etiam in parabolis locum habet, q̄ habentur ad res declarandas, & nō ex particularibus, sed ex generibus rerū petuntur, aut rebus alioquin vulgatis, vt ex agricultura, ex pastura, piscatura, & alijs reb⁹ satis notis. Vnde dicitur: Simile est regnum cœlorum fermento, grano sinapis, thesauro, margaritę pretiosæ: nō cōtra. Nec enim

locutionis ingenium.

Christi figuræ. *Exod. 12.* *Num 21.* *Exod. 17 &* *1 Cor. 10.* *Ioan. 19.*

Quid Figuratiui pro corpore, & sanguine Christi tantùm porrigant suis.

Rerum figuratarum initium & natura.

Metaphoræ vnde dicātur.

Matth. 11.

Parabolæ vnde etiam peti soleant.

Matth. 13.

Ibidem. dicimus fermentum, vel granum sinapis, vel thesaurus, vel margarita similis est regno cœlorum: nam hoc quando fit, expositio est, & declaratio parabolæ. Sic dicitur: Qui seminat bonum semē, est Filius hominis. Ager autem est mundus: messores, Angeli sunt; &, *Gen. 41.* septem boues, septē anni sunt. Cùm ergo Dominus nomen corporis sui rei tribuat, quam edendam porrigebat, & demonstratione peculiari vtatur, dicens: *Hoc est corpus meum*, constat eum sine metaphora, vel parabola locutum.

VII. ratio. Septima ratio sit: Ipsa verba Euangelica si exactius, & expressius inspiciātur, omnē ex se rationem metaphorę, vel tropi depellunt. Nam primum dicitur: Hoc est corpus meum, siue vt Græcè significantius legitur: τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, vel vt Paulus dixit: *1. Cor. 11.* τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. Id est, Hoc est illud ipsum corpus meum: & de sanguine: τοῦτο τὸ αἷμά μου, nēpè, hic est ille ipse sanguis meus. Græci articuli quam vim habeant. Eā enim vim habent articuli Gręci, vt rem ipsam vocibus, quibus adduntur, significatam magis determinent, ac exprimāt. Et licèt Dominus non dixerit: Hoc est verè, vel propriè, vel sine vlla figura corpus meum; nihil refert; quia eandem virtutem, atq; significationē, habet dicere, Hic est pater meus, ac dicere, Hic verè, & propriè est pater meus; Vel, Hæc est domus mea, vel vestis mea: tanquam si dicatur, Hæc est verè domus mea, vel propriè vestis mea. Hinc pleriq; doctores antiqui, & recentes, tam Gręci, quàm Latini, ponderant, Dominum nō dixisse, Hoc est signum, vel symbolum, aut figura corporis, & sanguinis mei, vel quid simile. Lege Damascenum, & Theophylactum in Matthæum hæc scribentem: *Porrò dicens, Hoc est corpus meum: ostendit quod ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in altario, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura: sed, Hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem. Et ideo panis quidem apparet, sed caro est.* Sic ille. Deinde cùm dicitur: *Hic est calix Nouum Testamētum in sanguine meo*, vel, *Hic est sanguis meus Noui Testamenti:* non potest exponi; Hic calix est figura calicis sanguinis mei in ipsa cruce effusi: quia in cruce nullus fuit talis calix recipiēs Christi sanguinem. Adhæc sicut Vetus Testamentum vero & reali aliquo sanguine vitulorū sancitum fuit: ita nouum nō signo, vel memoriali aliquo sanguinis fuit obsignandum: nisi velimus figuram præstantiorem facere, & nobiliorem veritate signatā, & figuratā. Nam si hic tantùm est vinum vt figura, & imago sanguinis Christi, & non ipse sanguis; profectò sanguis vitulorum, & hircorum perfectius repræsentasset sanguinē Christi quàm vinū, quod res insensata est.

Cur Domin⁹ non dixerit, Hæc est figura, aut symbolum corporis mei: sed, Hoc est corpus meum.

Damascen. li. 4. cap. 14.

Theophyl. in Matth.

Luc. 22.

Quo sanguine Vetus Testamentum fuerit confirmandum.

Exod. 24.

Licèt non negem per metaphoram vinum dici sanguinem vuæ, iuxta illud: *Et sanguinē vuæ biberent meracissimum:* &, *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Tamen sanguis vitulorum, & hircorum, quia sanguis verus erat animalium, & quia aspersus super populum, & librum, perfectius adumbrabat sanguinē Christi, quàm vinum, quod non nisi metaphoricè dicitur sanguis vuæ.

Vinum vt dicatur sanguis vuæ. *Deut. 32.* *Gen. 49.* *Leuit. 16.* *Num. 26.* *Hebr. 9.*

Quòd verò apud Lucam Gręcè dicitur: *Hic calix, Nouum Testamētum in sanguine meo:* etiamsi non sit verbum substantiuum, supplendum est, sicut in similibus locutionibus aliàs suppleri solet, & sicut supplet B. Paulus in priori ad Corinthios, vbi ait: *Hic calix, Nouum Testamentum in meo sanguine.* Quæ oratio, similiter ac superiores, potest in huncmodum ordinari. Nouum Testamentum in meo sanguine, est hoc, nempè poculū: quia Græcè dicitur; τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη τὸ αἵματί μου: vt calix, vel poculū sit prædicatum, nouum verò Testamētum sit subiectum, & sit sensus: Noui Testamenti sanguis, confirmator scilicet, est hoc poculū, vel cōtinetur in hôc poculo, quod porrigo. Pręterea, si, hoc est corpus meum, illum sensum efficeret, quem Hæretici volunt, nempè, Hoc est symbolum corporis mei; rectiùs, ac veriùs eiusmodi verba dici possent de agno Paschali: Nam ille, perfectior est similitudo Christi, ac typus, quàm panis: nam agnus veras carnes habet, verū sanguinem. Erat agnus animal viuum, ac sentiens, mansuetū, humile, obediens: quibus perfectius repræsentat vitam, mortem Christi, eiusq; virtutes, quàm panis qui nec vitam, nec mortem Christi, nec virtutes valet adumbrare. Perfectius etiam fuisset signum corporis Christi manna cœleste, quā panis noster: manna siquidem edebatur, illoq; pane pasti sunt vsq; ad ingressum Terræ promissæ: illudq; Deus asseruari iussit in memoriam, iuxtà illud Exodi: Sume vas vnum, & mitte ibi man, quātum potest capere gomor, & repone coram Domino ad seruandū in generationes vestras. Habebat itē omnem saporem quam quisq; volebat, vt tradit liber Sapientiæ: neq; qui plus accipiebat ex eo, abundabat; neq; qui minus, deficiebat. Si igitur manna typus fuit Eucharistiæ, vt Dominus ait apud Ioannē: ergo pro figura reddita est figura, & nō veritas, contra illud: *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est* Quomodo igitur

Luc. 22.

Quid supplendum in his Lucæ verbis: Hic calix Nouum Testamentum in sanguine meo.

1. Cor. 11.

Sententiæ eiusdem ordinatio.

Si panis Eucharisticus, symbolum esset corporis Christi, quid consequeretur.

Agnus legalis, & māna, quia panis noster Eucharistiam, & Christum repræsentarūt.

Exod. 16.

Sapient. 16.

Exod. 16.

Ioan. 6.

Suprà 1.

Infra 6.

igitur verum est quod Dominus dixit: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus, dat vobis panem de cœlo verum?* Quòd si Eucharistia tantùm est symbolum corporis Christi: longè excellentiori figura vsi sunt Patres. Nam manna de cœlo cadens melius repræsentabat diuinitatem Verbi è cœlis profectam, & Humanitatem de Spiritu sancto in vtero Virginis sanctificatam. Ille erat Angelorum virtute confectus, & quem quisque volebat, saporem habebat; at panis noster, pistorum manibus conficitur, & non nisi nudum panis saporem continet.

Si Eucharistia tantùm figuraret corpus Christi, quid inde.

Psalm. 77.

VIII. Ratio.

Octauò, in cæteris Sacramentis conficiendis nunquam Christus tropicas, aut metaphoricas locutiones adhibuit, sed ꝓprijs verbis illa instituit, vt discurrenti per illa constare potest: nulla enim forma Sacramenti nouæ legis potuit ab alio, quàm à Christo institui, & ab eo ad nos per manus peruenit: nullas item metaphoras, aut tropos habent, sed simplicibus ac proprijs verbis quælibet illarum constat. Non erat igitur rationi consentaneum, vt infinita Dei sapientia, quæ nouerat quantum imminerret dissidiorum in Ecclesia ex his verbis tropicè acceptis, quantum item periculum idololatriæ, si propriè non loqueretur pro sua sapientia, & incomparabili erga Dei Ecclesiam charitate, non ita temperaret verba sua in instituendo hoc Sacramento, vt etiamsi in omnibus alijs figuratas locutiones admiscuisset, in hoc tamen ab omni tropo, & metaphora abstineret; ne consultò occasionem, & ansam porrexisse Ecclesiæ videretur, vel perniciosissimè errandi, vel schismata in ea serendi, vel crimen idololatriæ admittendi. Hactenus igitur de rationibus per tropum, aut metaphoram, aut energiam, quàm illis verbis subesse hæretici seducti arbitrantur. Non me latet nonnullos locos ex Scripturis, ac Patribus illos adducere, quò sententiam suam stabiliant: sed quàm id verè, & efficaciter efficiant, paulo pòst ostensuri sumus.

Cur in Sacramēto Eucharistiæ conficiendo, vt alijs in rebus omnibus, ab omni propositus tropo, & figura abstinuerit Diuina sapientia.

Nunc tantùm producamus definitionē Concilij Tridentini, quod sess. 13. post longas, & acres disputationes definiuit: *Si quis negauerit in sanctissima Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totū Christum, sed dixerit tantummodò esse in eo vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Hæc ibi. Reliquum est iam, vt vela contrahamus atque obnixè Dominum rogemus, vti pro sua charitate, quæ maxima est, & infinita fidelium, & Catholicorum mentes illustrare, tantamq; eis, tamq; vtilem, & salutarem veritatem patefacere velit, vt in tanta Fidei confessione firmiter perseuerent; aduersariorum verò, & hæreticorū tanta in re hallucinantium animos emolliat & intelligentias illustret, vt idē cum orthodoxis sapiāt, idem dicant, quò ita ab omnibus glorificetur Dominus noster Iesus Christus, qui cū Patre, & Spiritu sancto semper viuit & regnat, ab omniq; creatura laudatur, atq; benedicitur in cunctis seculis, Amen.

Synodi Tridenunę definitio aduersus Tropologicos.

Concil. Trid. can. 1. sess. 13.

Philip. 2.

TRACTATVS XXI.

In quo illa eadem verba: Hoc est corpus meum, *nonnisi propria vocum significatione seruata, exponenda esse demonstratur.*

QVANQVAM superiori tractatu hæc verba omni tropica, & figurata locutione carere, varijs rationibus in peculiares hæreticos sit ostensum, atque inde meritò deducatur propriè esse accipienda, nec nisi propria vocum significatione exponenda: tamen ad hoc ipsum nouis rationibus confirmandum, pręsenti tractatu accingimur. Nam etsi idem sit, aliquem non esse mortuum, vel illum esse viuum, probare, & qui vnum illorum concludit, alterum quoque euincat: tamen aliæ rationes sunt, quę petūtur à morte, quàm illi minimè conuenire probamus, aliæ sunt quæ desumuntur à ratione vitæ, quam illi congruere probamus. Vtroque igitur modo hic procedendum est nobis. Age igitur, prima prodeat ratio. Dixit Dominus, *Hoc est corpus meū.* Hęc sunt verba Iesu, hoc est, Dei & hominis. Quòd si quisquā dicat, Deus non est; cū hoc nō disputo: quia contra negantem principia non est argumētandum. Quòd si admittat, Deū esse, cogetur omnipotentem illum, vt tradit Symbolum confiteri, veracem in omnibus verbis suis, scientemq; propriè loqui. Si igitur is, qui accepit panem, qui benedixit, ac fregit, & porrexit discipulis suis, dicens, Hoc est corpus meū, Deus est, ac Dei filius, cui nihil est impossibile: qui nō mentitur, nec falli, aut fallere potest: profectò nihil sibi impossibile illis verbis expressit, de quo Propheta ait: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Et iterum: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis:* & Angelus: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* &, *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Et Esaias: *Verbum meum quod egredietur*

Simile.

I. Ratio.

Cum quo nō sit disputandum.

Psalm. 144.

Omnipotentiæ Christi sermonis testimonia Scripturarum.

Matth. 19.

Luc. 1.

Psal. 148.

Psal. 34.

Luc. 1.

Rom. 4.

Esai. 55.

gredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Et ipse Dominus: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, atque etiam Euangelista: *In potestate erat sermo ipsius.* Si ad hos locos Scripturæ attenderent Hæretici, non esset adeó infirma illorum fides, quam tamen tantopere prædicant, & euanescerent eorum argumenta, quæ aut sensus, aut rationem humanam consultando, vt faciebant Capharnaitæ, impossibilem indicant Christi præsentiam in Sacramento. Et ideo languet eorum fides, quę vincitur à Centurionis illius militis fide, qui dicebat: Sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Hanc rationem non ignorarunt Patres: ait enim Ambrosius libro de Sacramentis: *Hoc igitur astruamus, quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cœlum: iussit Dominus, & facta est terra: iussit Dominus, & facta sunt maria: iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?*

Matth. 24. *Luc. 4.* Hæreticorũ fides cur tam infirma. *Ioan. 6.* *Matth. 8.* *Patres.* *Ambr. lib. 4. Sacram. c. 4. init. tom. 4.* Quomodo possit qui panis est, corp^9 esse Christi consecratione, secũdùm Ambrosium. *Gen. 1. & seq. Psal. 148. Psal. 134.*

Audi Damascenum libro de Orthodoxa fide, vbi propositis verbis Euangelicis, subiungit: *Si igitur verbum Dei viuens est, & efficax, & omnia quæcunque voluit Dominus fecit: si dixit, Fiat lux, & facta est: Fiat Firmamẽtum, & factum est: Si verbo Dei cœli firmati sũt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, verbo Domini perfecta sunt: & homo ipse vbique diuulgatum animal: Si volens ipse Deus Verbum factus est homo, & ex sanctæ Virginis purissimis, & illibatissimis sanguinibus in se ipso sine semine carnẽ sustentauit: non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquam sanguinem?* Et infra: *Quomodo*, inquit, *fiet mihi istud, dicit sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas quomodo panis fit corpus Christi, & vinum, & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego: Spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem, & intelligentiam, panis autem & vinum transumuntur.* Hæc ille doctè, & eleganter.

Damasc. lib. 4. de Orthod. fide, cap. 14. Psalm. 134. Gen. 1. & seq. Psal. 32. *Luc. 1.*

Quòd si fortè obijcias, aliud esse, loqui de Christo Deo; aliud, de Sacerdote ministro, qui homo est infirmus, & impotens. Respondet tibi Chrysostomus homilia illa pulchra de proditione Iudæ: *Et nunc*, inquit, *ille præsto est* CHRISTVS, *qui illam ornauit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit, & sanguinem, sed ille, qui crucifixus est pro nobis* CHRISTVS. *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia, Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernum diem, & vsque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.* Hæc illi Patres doctissimi.

Chrys. tom. 3. Hostiam cõsecret propriè quis, Sacerdos, an Christus. *Gen. 1.*

His accedit, quòd non tantùm omnipotens, sed etiam verax est Deus, qui nequit fallere, aut falli, sicut omnis homo mendax: plus igitur verbo Dei dicentis, *Hoc est corpus meum*, standum est, quàm toti mundo neganti, nam de illo scriptum est: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; & sanctus in omnibus operibus suis*: & vt ait Paulus, *Impossibile est Deum mentiri.* Et iterum: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et Dominus ipse de se: *Ego sum Via, & Veritas, & Vita*: ac vt vita mori nequit, ita prima veritas errare non potest. Qui igitur à proprietate verborum recedunt, mendacem faciunt Deum; cùm sint ipsi merum mendacium, & ex patre diabolo, qui mendax est, & pater eius, id est, mendacis. Adhæc Deus, si quis alius, optimè nouit linguarum idiomata, verborum etymologias, & proprietates ad exprimenda animi sui sensa, nec opus est vt homo sibi tantùm temerè tribuat, vt Deũ, quomodo sit loquendum, docere audeat. Hinc B. Hilarius libro octauo de Trinitate, in Arrianos interpretantes Christi verba: *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, &c.* secus quàm Catholica regula patiatur: *Vnum*, inquiunt, *non natura, sed voluntate*: respondet acutè, & sapienter: *Quid hic (ait) æquanimitatem, quid per voluntatis assensum, animæ & cordis vnitatem introducis? Fuerat namque in verborum copia, & proprietate, vt si voluntas vnum esse eos faceret, Dominus ita precaretur: Pater, sicut nos vnum volumus, ita & illi vnum velint, & vnum per concordiam simus omnes. Aut fortè qui Verbum est, & qui veritas est, loqui vera nesciuit? Et qui sapientia est, in stultiloquio* erra-

Quàm verax sit Deus. *Psalm. 115.* *Psalm. 144. Hebr. 6. Rom. 3. Psalm. 115. Ioan. 14.* Prima veritas errare non potest. *Supra 8.* Deus sciẽtiã habet vocis. *Sap. 1. Act. 1.* *Hil. sub init.* *Ioan. 17.* Aduersus Arrianos eiusdẽ cum Patre esse naturæ Filium penegantes. *Suprà 14.* *1. Cor. 1.*

errauit? Et qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi? Locutus planè ille est vera, & syncera fidei Euangelicæ Sacramenta. Neque solùm locutus est ad significationem; sed etiam ad finem docuit Hactenus ille de Dei sapientia. Iam verò audi quid ille de Dei potentia & virtute eodem libro octauô de Trinitate scribit: *Excedit*, inquit, *humanam mentem Dei potestas; ad quem si se infirmitas protendat, magis infirma reddetur, dum hoc ipsum quod obtinebat, amittit potiore ad obtundendam eam rerum cœlestium natura, quia omnes eius conspectantis se pertinaciam ipsa complexu eius maior infirmat. Vt igitur Sol ita videndus est, vt possit videri: tantumque excipiendus lumine est, quantum admittitur; ne si plus velimus spectare, minus quoque quàm possumus, consequamur: ita & ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi: in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se dedit, ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta. Est ergo in Deo quod percipi potest: est planè, si modo quod potest, velis. Sicut enim est in Sole quod videas, si hoc velis videre, quod possis, amittas autem quod potes videre, dum quod non potes, niteris: ita & in rebus Dei habes quod intelligas, si intelligere quod potes, velis: cæterum si vltra quam potes, speres, id quoque quod potuisti posse, non poteris.* Hactenus ille doctissimus Pater: quæ vtinam ante oculos haberent Hæretici: modestius enim de Dei viribus, & sapientia & sentirent, & loquerentur, & scriberent. Porrò qui addiderit verbis Christi, diuersum, vel contrarium sensum faciendo; dignus est, vt Dominus addat plagas multas super eum, vt minatur Apocalypsis. Addit autem verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, qui dicit sensum esse, Hoc est symbolum corporis mei; vel, Hoc, significat corpus meum, vel, Hoc est energia corporis mei.

Idem int. medium & fin. Dei virtus ac potentia quāta sit. — Simile. — *Apoc. vlt.* Addat verbis Christi quis.

II. Ratio. Secunda ratio ad idem ostendendum, sumitur ex eo, quòd hæc sunt verba Christi, siue Messiæ, Dei & hominis Mediatoris: ad Messiam autem nonnisi præclara, tum dicere, tum facere spectabat: qui nihil vnquam non excellens, ac sublime à Conceptione, & Natiuitate sua ad Ascensionem vsque, & dixerit, & fecerit. Hinc de eo turbæ dicebant: *Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui*; Et, *Numquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur*; Et, *Omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Morem igitur agendi suum, cùm esset à nobis discessurus, nec intermisit, nec oblitus est: nam ingressus est Hierosolymam tanta populorum acclamatione, mirabilia fecit in templo: cœnam magno miraculo apparari iussit: *Ite*, inquit, *in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, &c. & ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum: & illic parate nobis.* Pascha cum discipulis edit: lauit discipulorum pedes, non sine ingenti Apostolorum admiratione. Quinam igitur fieri potuit, vt discessum suum ab cæteris omnibus vitæ suæ actionibus alienum, hoc frustulo panis, quod esset figura sui corporis, clauderet, suisque discipulis, & fidelibus omnibus in perennem sui recordationem edendum commendaret? Nam hîc nihil dignum admiratione ad extremum egisset. Vt ergo admirabilis sit; vt planè erat, sub panis, & calicis speciebus corpus, & sanguinem suum reliquit, vt verba expresse sonant: quæ si per allegoriam, vel tropos aliò detorqueantur, fit vt Christus in extremis mysterijs cæteris suis verbis ac admirandis operibus nulla ex parte respondeat, nec illius persona digna sint, nec illum deceant; cùm eius conceptio, natiuitas, disputatio in templo, baptismus, vita, sermo, signa, actio, & conuersatio, summa cum admiratione fuerint semper coniuncta; vt Propheta dixerit: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Tantum enim abfuit Dominus à nudo pane porrigendo, vt etiam compendium admirabilium operum suorum, potentiæque suæ, sapientiæ, ac bonitatis, & charitatis in hoc vno Eucharistiæ mysterio, quod corpus suum, & sanguinem continet, nobis reliquerit.

1. Tim. 2. Messię Christi dicta omnia, & facta, qualia fuerunt. — *Marc. 7.* — *Ioan 7.* — *Luc. 4.* — Mos Christi nunquā intermissus quis. — *Matth. 21.* — *Ibidem.* — *Marc. 14.* — *Ibidem.* — *Ioan. 13.* — *Psalm. 110.*

Cùm autem dubitari interdum soleat, qua ratione alicuius viri verba interpretanda sint, consueuimus illorum verborum sensui inhærere, qui personæ dicentis magis conueniat, ac congruat; quique statum illius magis deceat. At verò quæ Christus dixit in cœna iuxta sensum Sacramentariorum exposita; magnificentiæ, & sapientiæ Christi, non conueniunt, cùm ad litteram secundùm Ecclesiæ mentem intellecta, insignem, & commendabilem Christi sapientiam, & charitatem testificentur.

Verba alicuius dubia, cōmoda interpretādi ratio.

Tertia ratio est: Verba hęc Domini sunt exhibentis, & opere complentis, quod ipse olim non tantùm prædixerat, sed etiam promiserat. Disputans enim cum Capharnaitis, in hæc verba prorupit: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Vt autem fidem datā liberaret, III. ratio. *Ioan. 6.*

Domi-

Dominus in cœna accepit panem,& benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum.* Vides quomodo exhibitio respõderit promissioni? Vides promissum panem, qui sit caro eius? Vides exhibitum panem, qui erat caro eius? Et quod dixit: Quam ego dabo pro mundi vita, idem est, ac dicere, quod pro vobis datur. Nam si loco panis promissi, qui esset caro sua, præstaret nudum panem, qui esset figura carnis, haud secùs profectò Dominus fecisset atque ille, qui alicui spopondisset centum aureos, vel decem capones, & postea exhiberet depictos aureos,& capones in charta, aut vt rex qui promitteret ciuitatem alicui, exhiberet autem picturam illius ciuitatis in tabula descriptam: quod horribile est de Christo cogitare. Nam promissioni suę promissionem alteram substitueret, si verus est sensus Hæreticorum de symbolis,& non continet realem exhibitionẽ, cùm tamen scriptum sit: *Rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide.* Rursus: *Et quæ procedunt de labys meis, non faciam irrita.* Et iterum: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Negant igitur fidelitatem Domini Iesu, & veracitatem in verbis suis, qui hæc per tropos & symbola interpretantur.

Si pro promisso pane, qui esset caro sua, Christus nudũ panem tradidisset, quid egisse videri potuisset.

Psalm. 32. Psalm. 88. Psalm. 188.

Quòd si quisquam contendat, non minus subesse tropum, & figuram in verbis capitis Ioannis 6. quàm in verbis illis, *Hoc est corpus meum*; is profectò mihi desipere, aut insanire videbitur. Nam ea omnia verba, quæ illo capite habentur in illa disputatione de pane, si accuratiùs scrutemur, deprehendemus longè esse ab omni figura,& symbolo: nam præcesserat obiectio Iudæorum, dicentium: *Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto.* Et Christus respondit, manna non esse panem de cœlo, sed verum panem de cœlo esse quem ipse porrigeret. Quòd si panis Eucharistiæ ratione rei contentæ, id est, corporis Domini, non excelleret manna; profectò quod ad externam speciem spectat, panis noster non possit illi æquari, nedum anteferri. Deinde præcessit: *Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*: at figura corporis Christi de cœlo non descendit, nec habet vim dandi vitam. Deinde, cùm dixit: *Panis quem ego dabo* (scilicet in cœna) *caro mea est, quam ego dabo* (scilicet in cruce) *pro mundi vita*: si sensus esset: Figura est carnis meæ, profectò carnis figura non fuit data pro mundi vita, sed vera caro IESV Christi.

Verbis Christi de carne sua manducanda,& sanguine suo bibendo, Ioan 6. nullum tropis,& metaphoris locũ esse posse multis de causis.

Exod. 16.

II. Ratio.

III. Ratio.

Adhæc, si Christus tantùm imaginem corporis sui porrigeret in vero pane, non fuissent offensi sermone eius Capharnaitæ, sed cessasset eorum scandalum, & responso Christi pacati fuissent: at verò Christus non solùm nihil tale, vt somniant Hæretici, dixit; sed perstans in sua sententia, & necessitatem carnis suæ manducandæ ad salutem, subiunxit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis,& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Omitto Traditionem Patrum, & multa alia argumenta, quæ in Ioannis explicatione protulimus, quæ non est operæpretium repetere, ne actum agere videar: mitto Lectorem ad librum præcedentem de disputationibus. Hic satis sit indubitatum esse, & inuictum, eiusmodi locos Ioan. 6. ad Eucharistię Sacramentum esse referendos.

IV. & vlt.

Lib. 8. tract.

Quarta ratio: Sunt eadem verba Domini morituri,& testamentum condentis, suamque vltimam voluntatem declarantis. Nam in ea cęna dixit: *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo.* Et iterum: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, &c.* Solent autem prudentes viri morituri in condendo Testamento expressis, rotundis, planis, atque perspicuis verbis vti, ne lites interminabiles inter hæredes, & legatarios relinquant; ac proinde omnes metaphoras, figuras, & vocum schemata consultò fugiunt; multo igitur magis diuinam hoc Sapientiam suo exemplo nobis præstitisse credendum est. Adde, quòd vbi dubia incidunt in verbis testatoris, nõ aliter atq; sonãt,& secundùm propriã,& simplicem vocum significationem sunt accipienda, vt habetur in regulis iuris, nisi planè constare posset aliunde aliam fuisse eius voluntatẽ, quàm verba p se ferunt. Ex quo fit, vt asserere, Christum testamentũ suum tropis,& figuris refertum condidisse, nihil sit aliud, quàm testamentum eius infirmare, ac labefactare: & Christum intestatum ex hoc mundo discessisse, contra omnium Prophetarum, & Apostolorum fidem statuere. Hinc Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ, tractans illa verba, morientium nouissima in proprio sensu esse accipiẽda, ita scribit: *Quid est hoc, rogo? cum verba nouissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, & impius iudicatur hæres, qui forte illa contempserit. Quomodo ergo effugiemus iram Dei, si vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba nouissima, & vnici Filij Dei, & Domini nostri, ac Saluatoris, & ituri in cœlis, & inde prospecturi, qui ea negligat, quis obseruet: & inde venturi, vt de omnibus iudicet?*

IV. itẽ Ratio contra Tropistas,& Metonymicos.

Luc 22. Ibidem.

Qui Testamentum condiderunt, quibus verbis vti consueuerunt.

Morientium nouissima verba vt sint accipienda.

L. non aliter, ff. de leg 3.

Aug de vnit. Ecclesia, c 30.

indicet? Habeo manifestißimam vocem pastoris mei commendantis mihi, & sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam: mihi imputabo, si ab eius grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci, atque aberrare voluero, cùm me præsertim admonuerit, dicens: Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequũtur me, ecce vox eius clara, & aperta, ac audita. Qui eum non sequitur, quomodo se ouem eius dicere audebit? Hactenus ille. Quomodo igitur ouis esse possit Christi, qui à voce eius clara, *Hoc est corpus meum,* per allegorias & tropos discedit? aut quomodo ab Ecclesia, quam iubet Christus audiri, horum verborum non petit intellectum? aut quare transfugis Ecclesiæ, ac desertoribus quis præstat fidem, vt ea ratione extorris ab Ecclesia efficiatur? Præterea verbis hominis testantis aliquid addere, aut detrahere, impium est prorsus, & iniquum: nam vt Apostolus ait: *Hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat?* Quomodo non igitur erit impijssimum, & iniquissimum, Filij Dei testamentum peruertere, ac corrumpere? Et quid est contemnere, vel superordinare, nisi vbi Christus dixit, *Hoc est corpus meũ*, de suo addere, dicendo: Hoc est symbolum, vel similitudo, energiave corporis mei? Essetque perinde, atq; si pater quispiam ædium suarum magnificarum filium cõstitueret hęredem, & vt quis eluderet testamentum, interpretaretur, non ædes magnificas, sed ligneam formam, siue modulum ędium magnificarum filio reliquisse: quis hîc non agnosceret stropham, & technas malignorũ hominum? aut quomodo non succenseret filius contra illos, & irrideret tam inanem, & fallacẽ testamenti paterni interpretationem? Quidni igitur & nos rideamus tam stultas, & sophisticas Hęreticorum glossas, qui pro vero Christi corpore, nobis nudũ panem porrigunt?

Grex Christi quis.

Ioan. 10.

Matth. 18.

Verbis hominis testantis aliquid addere, vel detrahere, quantũ scelus sit.

Galat. 3.

Filij Dei testamentum qui spernant aut superordinent.

Simile.

Quinta ratio: His verbis Dominus legi veteri finem imposuit, & nouã inchoauit. Etenim agnus primum sacrificium veteris Testamenti extitit, ante egressum de Ægypto institutum, & postremò perfectum est à Christo in cœna; Gerebat autẽ agnus ille expressam imaginem Christi, de quo Scriptura cecinerat: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* & alibi: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Ioannes Baptista: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Si ergo in cœna loco agni Paschalis nudum panem, & meram figuram corporis sui instituit, profectò nõ opus erat vt ab agno ad panem descenderet: nam ille pulchrius ac dilucidius prętеritam Christi vitã, & passionem imminentem designare poterat, quàm panis. Vnde & Apostolus dixit: *Pascha nostrum* (id est, agnus noster) *immolatus est Christus.* Et Ioannes in Apocalypsi habet, Christum esse agnum occisum ab origine mundi. Quòd si Christus ante institutionem Sacramenti figuram agni aboleuit, dicens: *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei:* id est, Hoc erit postremum Pascha, quod celebrabo; quomodo panis mortui figurã tantùm instituit? Quòd si Eucharistiam in nudo pane, & puro vino constituit, quomodo post agnum Paschalem non statim manducauit typicum Pascha, si panis nuda figura erat? Vnde Chrysostomus in Matthæum: *Postquam,* inquit, *Sol iustitiæ radiauit, vmbra soluitur luce: & ideo in ipsa mensa vtrunque Pascha, & typi, & veritatis, celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigijs quibusdam adumbrare consueuerunt, & sic colorum varietate perficere: ita & Christus fecit in mensa, & typum Paschæ descripsit, & Pascha veritatis ostendit.* Hactenus ille in sensu. Quoniam igitur omnia in figura contigerunt illis, vt ait Apostolus, vmbram habebat lex futurorum bonorum: Noui autem Testamenti status contineat ipsam imaginem rerum, id est, res solidas ac veras, illisque vmbris figuratas: cumque potissima huius Testamenti Noui pars sit Eucharistia, quæ aliarum omnium est finis: asserendum est illam Christum verè præsentem continere. Aliàs adhuc ageremus in vmbris, & in figuris, & essemus in Veteri adhuc Testamento, nondum in Euangelico, & Nouo. Quod si absurdum non est, quid quæso absurdius excogitari potest? Cumque agnus ille Paschalis, manna, panes Propositionis, lex per Moysen data, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, panis & vinum Melchisedech, & quotidiana ex simila oblatio in templo, figurę sint Eucharistiæ: si Christus in ea præsens non esset, figuræ nobiliores essent re figurata, contra omnem figuræ rationem: & inconueniens esset secundùm Gregorium Nazianzenum, quòd figura præcesserit figuram. Et Irenæus agens in Hæreticos, ait: *Coguntur hi tales, quemadmodum sæpenumerò ostendimus, semper typos typorum, & imagines imaginum adinuenire, & nunquam figere animum suum in vno & vero Deo.*

V. Ratio.

Christus quãdo veteri legi finem imposuit, & nouã inchoauit.

Exod. 12.

Agnus in lege quid adũbraret.

Esai. 16.

Infrà 53.

1. Petr. 1.

Ioan. 1.

1. Cor. 5.

Apocal. 13.

Luc. 22.

Chrys. hom. 83. in Matth. tom. 2.

Christus in cœna Eucharistiam instituens, cui similis pictori, secundùm Chrysost.

1. Cor. 10.

Hebr. 10.

Noui Testamenti potissima pars quæ sit.

Exod. 16. & seq.

Ioan. 1.

Gen. 14.

Typi Eucharistiæ.

Greg. Nazianz. orat. 2. in Pascha.

Iren. lib. 4. cap. 35.

Sexta ratio, ab immensa Christi in nos dilectione accipitur; sunt enim hæc verba summè amantis, & in pignus amoris, preciosissimum, & gloriosum donum porrigentis. Solent sponsi cùm abire coguntur, ac recedere ab his, quas summo amore prosequuntur, vxoribus, illud in pri-

VI. Ratio.

Christi in Ecclesiam suam sposam quale amoris symbolum Eucharistia.

mis cogitare, si qua ratione fieri posset, vt simul & abirent, & cum sponsis manerent: sed quia illud, quod magis cogitare, quàm præstare possunt, expellendi facultas non non adest, in argumentum, & pignus dilectionis suæ ad illas, relinquunt imaginem, aut picturam aliquam, cuius contemplatione, & recordatione, sponsæ interim dum absunt, oblectentur. At si daremus, aliquem esse summè amantem, potentia & sapientia illud præstandi non destitutum; profectò talis ab vxore recedere compulsus, & ab ea recederet, & cum ea maneret. Cùm igitur Dominus ardentissimus fuerit Ecclesiæ amator, pro qua liberanda ipse factus est captiuus, pro eaq; viuificanda extinctus, & pro lauanda sanguinem suum fudit; illi autem neque defuerit sapientia, neque potentia, qua simul subtraheret præsentiam suam sensibilem Ecclesiæ, & cum ea tamen admirabili modo præsens remaneret (nam quis hoc nisi valdè fatuus, & communi sensu destitutus de omnipotenti virtute Filij Dei inficiari valeat) proculdubio euincimus, illum simul & profectum in cœlum, vbi sedet ad dexteram Patris, & mansisse nobiscum in Sacramento, ad alendam, & tuendam Ecclesiam suam: absurdum enim esse videtur, & dedecet maximè diuinam liberalitatem, vt sponsæ suæ charissimæ, pro qua mortuus est, frustulum panis in sui memoriam relinqueret.

Marc. vlt.

Mos abeuntium amicorum à Christo seruatus in Eucharistici exhibitione conuiuij.

Adhæc solent qui peregrè abituri sunt, & amicos, qui vehementer diligunt, deserere coguntur, ante discessum, valedicendi gratia, ad conuiuium illos vocare; vbi prudenti modestia & vrbanitate cibos appositos non solent verbis, & prædicatione magis efferre, quàm par sit, imò vrbanius est proposita fercula extenuare, & pro sua erga illos beneuolentia minima facere. Christus igitur cùm humanitatis & modestiæ esset exemplum, & se discipulis imitandum in lauandis Apostolorũ pedibus paulo antè proposuisset; panem à se porrectũ dando, si corpus non contineret suum, non debebat dicere, *Hoc est corpus meum*, & inciuiliter egisse verbis sublimioribus amplificando donum exhibitum, si nihil aliud quàm nudum panem porrexisset, & vt prouerbium apud quosdam habet, loco leporis dedisset felem; atque ita discipulos seduxisset.

Ioan. 13.

VII. Ratio.

Septima ratio: His verbis Christus instituit excelsum Eucharistiæ Sacramentũ, & sacrificium: præcepitq; vt illud frequentemus, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cùm ergo in cæteris Sacramentis, simplicitate & puritate verborum semper vsus fuerit, multo magis in hoc omnium supremo illud obseruare debuit. Nam cùm institutum sit in sacrificium succedens omnibus victimis veteris Testamenti, debuit illis dignitate & nobilitate præcellere: proinde Eucharistia panis & vinũ nuda non sunt, sed Christi corpore, & sanguine plena; ne figuram panis & vini a Melchisedech oblati, contingat pani & vino Christi esse paria, & æqualia, cum semper figura ignobilior esset re figurata. Adhæc cùm instituere Christum Sacramentum, nihil sit aliud, quàm medicum sapientissimum pharmacum quoddam, & antidotũ contra morbos omnes propulsandos, siue contractos, siue contrahendos, condere, & tradere rationem, qua confici possit ab alijs: profectò rationi non est consonum, vt primarius ille medicus verbis obscuris, & per metaphoras, & ænigmata transumptis artem illud conficiendi tradat, sed planis, perspicuis, atque apertis verbis, ne vllus error irrepere possit, & antidoti virtus inanis reddatur, si sapit, aget. Cùm igitur Eucharistia medicamentum sit præstantissimum, & ad alendos spiritus nostros, & in remissionem peccatorum, vt Dominus dixit, sit institutum; profectò non decebat vt ipse Sacerdotibus, qui illud erant confecturi, metaphoricis, ac tropicis locutionibus rem per se alioqui altissimam & difficillimam intellectu, obscurioribus verbis inuolueret, & fructum tanti Sacramenti impediret.

Luc 22.
1. Cor. 11.

Eucharistiæ Sacramentum ad quid institutum.

Gen. 14.
Heb. 7.

Figura re figurata ignobilior est.

Christum Eucharistiã instituere, quid sit.

Ioan. 6.

Finis Eucharistiæ quis.

VIII. Ratio.

Octaua ratio: Verba sunt hæc exhibentis, nõ communem, aut vulgarem cœnam, sed distinctam à profana, ac prorsus diuinam, & ad quam cum fructu edendam magna exigitur dispositio, ac præparatio, de qua Apostolus ait: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit.* Et paulo antè: *Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Id est, non minus reus, quam proditor Iudas, & Iudæi, qui eum cruci suffigi postulârunt. Ideo inprimis se debet probare, & explorare, an credat illis verbis, *Hoc est corpus meum*: deinde an aliquod peccatum in conscientia delitescat, vt illud per contritionem, & confessionem expellat; demùm vt intus igne charitatis incalescat, & indutus veste nuptiali accedat ad percipiendum, & digerendum hunc sacrum panem: alias iudicium sibi manducat, id est, condemnationem. Pro nudo autem panis frustulo, vel symbolo corporis

1. Cor. 11.

Ad Eucharistiæ susceptionem quænam digna præparatio.

Matth 22

Exod 16. *Suprà 12.*

Christi, tam atrox pœna minimè decerneretur, siquidem ad sumendam nudam figuram corporis eius, vt olim mannæ, & agni Paschalis, & hodie panis benedicti, qui in quibusdam locis porrigitur loco Eucharistiæ olim dari solitæ, non fuit, neq; est necessaria tanta probatio, cùm illam multi etiam sine nouo peccato sumerẽt. Est autem diuinæ iustitiæ consonum, vt iuxta mensuram delicti sit & plagarum modus.

Deut. 25.

Buceri cõtra veritatem Eucharistiæ, vanissimum sophisma diluitur.

Verùm obijcit Bucerus, Apostolica huiusmodi verba non euincere præsentiam corporis Christi: quia dum symbolum corporis Domini profanatur, siue imago, rectè corpus Christi profanari dicitur; sicut contemni Christum ipsum ab eo qui Apostolum contempserit. Sed certè falsum est: nam textus ait: *Reus erit corporis, & sanguinis Domini*; non ait, symboli corporis, aut figuræ sanguinis. Et ibidem: *Non dijudicans corpus Domini*; non ait typum corporis Domini. Diuersissima porrò sunt, reum esse violatæ imaginis, vel symboli corporis Domini; & reũ esse corporis, & sanguinis Domini, quasi in seipso, & non tantùm in symbolo violati. Porrò quis nesciat, grauiorem esse iniuriam factam personæ ipsi, quã factam in imagine sua, vel similitudine: quia imagini nulla debetur veneratio nisi ob repræsentatum: at Christi sanguini hîc fit iniuria, non secùs ac si quis illum fudisset: vt exponit Theophylactus. Præterea non dixit veteri populo: *Probet autem seipsum homo*, & sic de agno Paschali, vel de manna edat, etiamsi figuræ essent corporis Domini. Et grauia sunt, quæ interminantur Apostoli in Nouo Testamento. Audi quid dicat ad Hebræos Paulus: *Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Et ne putares, Paulum tropico, vel hyperbolico sermone vsum, vt minas intentaret ad perterrefaciendum, subdit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*: in quem locum lege Theophylactum. Nam inuenies multos ob impuram Dominici corporis susceptionem, graues, & horrendas pœnas sustinuisse: & tempore Gregorij peste inguinaria Roma flagellata fuit ob indignũ accessum ad Eucharistiam.

Luc. 10. *1.Cor. 11.*

Imago quatenus veneranda.

Theophyl. in c. 11. prioris ad Corint.

Hebr. 10.

1.Cor. 11. *Theophyl. ibi.*

Quas olim sub Gregorio & quàm graues Roma luerit pœnas ob indignam Dominici corporis sumptionem:

Iam verò si conferamus Eucharistiam nostram ad fractionẽ panis Hæreticorum, etsi magnificè, & sublimiter loquantur de ea, magnum tamen est discrimen. Nam quid est aliud quod illi exhibẽt, quàm profanum quoddam conuiuium, communisque cibi, & potus perceptio, & compotiunculæ, per quam aiunt se redire in passionis memoriam, & de beneficijs collatis gratias agere? Sed probi omnes Christiani idem faciunt, & ad idem faciendum obligantur ab Apostolo, dicente: *Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* & alibi: *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite: gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Ideo religiosi Christiani ante prandium, vel cœnam adhibent benedictionem, à prandio, & à cœna subiungunt gratiarum actionem, & dicunt: Gratias agimus tibi Domine pro vniuersis beneficijs tuis, qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen. Imò maiores nostri, vt Tertullianus est autor, etiam communem, & vsitatum panem, ob id quod Eucharistiam aliquo modo repræsentaret, reuerenter tractabant; & si in terram cecidisset, eleuatum exosculabantur, vt pij multi hodie faciunt. Ergo fractio panis hæreticorum nõ multùm distat à conuiuio profano. Quantum autem distet cœna Domini à cõmuni cœna, Paulus docet, ait enim: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quẽ frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Vbi vides, hanc cœnam præter alios cibos cõmunes, habere corpus & sanguinẽ Domini. Rursus: *Conuenientibus vobis in vnum iã non est Dominicam cœnam mãducare: vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Vbi Chrysostomus annotat, post communionem Eucharistiæ Corinthios egisse publica conuiuia, & coram, q̃ ipsi ἀγάπας, id est, charitates vocabant: quidã verò præsumebant, siue anticipabant cœnam: non quòd prius cœnarent, quàm Eucharistiam sumerent: vt docent & interpretantur, Cyprianus serm. de cœna Dominica, & Augustinus epist. ad Ianuarium: quos secutus est Thomas, & Sedulius; quia hoc maiori reprehensione dignum extitisset; sed quia cœnam Dominicam priuatam faciebant, non expectatis fratribus communicando, & postea cœnando. Mos enim erat in ecclesijs, vt vbi fideles doctrinam audissent, precati essent, & sacramenta sumpsissent, soluta concione non statim concederent domum, sed ditiores, allatis è domibus suis in ædem sacram dapibus, communia prandia & cœnas agitarent, ac pauperes pascerent: quem morem Corinthij tẽporis progressu corruperant. Opulentiores enim contemptis inopibus, quorum solebant subleuare inopiam, sui similes abundantiores inuitabant: pauperes verò tardè venientes, vt po-

Inter Catholicorum Eucharistiam & fractionẽ panis hæreticorum quãtum intersit.

1.Cor. 10.

Coloss. 3.

Pius religiosorum prandentium, & cœnantium ritus.

Tertullia.

Fideliũ olim erga commune, & vsitatum panem, consuetudo quàm pia.

1.Cor. 10.

Dominica cœna à cœna communi quantum distet.

Infra 10.

Chrys. hom. 27. in 1.Cor. tom. 4.

Cœnam suã præsumere ad mãducandũ, iuxta Apostolum, quid.

Cyprianus. Aug. ep. 118. tom. 2. B. Thomas. Sedulius.

Ecclesiæ mos primitiuæ circa communionem laudabilis.

Corinthiorũ abusus in eo à Paulo reprehensus.

vtpotè negotijs, & exercitijs ſuis ſecularibus detentos, non paſcebant, nec expectabant: quare rubore ſuffuſi, & mœſti recedebant. Hæc ex doctrina Chryſoſtomi in eum locum Pauli accepi. Baſilius in regulis fuſiùs diſputatis: *In publica*, inquit, *cœna Corinthijs vitio datur, quòd magnifico ſuarum epularum apparatu egentibus inopiam viderentur exprobrare, ac pudore aſpergere.* Eodem modo intelligunt Theodoritus, Oecumenius & Theophylactus. Eſt ergo Dominica cœna, quæ de more ſumpto Dominico corpore inter diuites & pauperes ſumebatur, ad imitationem cœnę Domini, quę omnibus Apoſtolis fuit communis. Nã alioqui participatione corporis Domini ventriculo eſurientis non ſatisfiebat, nec fit quis ebrius: nec Euchariſtia propriè eſt cœna cuiuſquã, de qua ait, Cœnam ſuam pręſumit, &c. ſed communis eſt omnium, & in qua nihil magis ab altero accipitur. Ac ſubdit: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?* Ecce diſtinguit Paulus inter cœnam profanam, & Dominicam: nam illa, domi propriè; hæc verò in templo ſumenda eſt.

Baſil. in reg. fuſiuedisputatis, interrog. 22. tom. 10.2. Theodorit. part 2. Oecumen. Theophyl.

Cœnam Dominicam quã vocet Apoſtolus.

1. Cor. 11.

Matth 26.

Vbi commu nis, vbi verò Dominica cœna ſumenda ſit.

IX. Ratio.

Nona ratio deſumitur ab analogia quadam, ſiue collatione Euchariſtiæ cum Incarnationis myſterio: quam Patres non ignorarunt. Nam & Iuſtinus martyr, & Irenæus, & Damaſcenus, & Auguſtinus de ea diſſeruerunt. Ambroſius verò libro de ijs qui myſterijs initiantur, in hunc modũ loquitur: *Sed quoad argumentis vtimur? ſuis vtamur exemplis, Incarnationisq́; aſtruamus myſterij veritatẽ. Nunquid naturæ vſus præceſſit, cùm Ieſus Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſueuerat. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine? Vera vtique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: vera ergo illius carnis ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum.* Hæc ille bonus Pater. Si ergo vtrumque myſterium, & vtriuſque rationes perſcrutemur, multa quàm ſimillima in illis deprehendimus: & quæ veram ac realem Chriſti præſentiam in Euchariſtiæ myſterio confirmare valeant. Nam inprimis quemadmodum Incarnatio abſolutè neceſſaria ad ſalutem nõ fuit, cùm poſſit multis alijs modis redemptionem noſtram operari; fuit tamen conuenientiſſimus modus, & amori noſtro excitando per quam accommodatus, vt ipſe per ſe ipſum humanum genus redimeret, vt Auguſtinus teſtatur: ad eum ſanè modũ

Iuſt martyr. Damaſcen. Auguſt. Ambr. lib de ijs qui myſter. initiantur, c. 9 circa med. to. 4. in medio.

Qualis Chriſti partus ex Virgine ſecũdum Ambroſium.

Matth. 26.

Incarnationis & Euchariſtiæ myſteria quam aptè inter ſe cohæreant.

I. ſimilitudo, & collatio.

Aug. li. 13. de Trin. c. 10 & alibi ſæpiùs, tom 3.

facilè erat diuinę Sapientiæ in puro, & mero pane Sacramentum ad memoriam eius recolendam inſtituere, & gratiam ſuam nobis per illud impertiri: ſed voluit aptiſſimum & congruentiſſimum modum adhibendo corpore, & ſanguine ſuo à diuinitate nequaquam diſiunctis, nos paſcere, ac ſatiare. Deinde ſicut illud Incarnationis arcanum incomprehenſum eſt, & prorſus ineffabile, de quo dixit Propheta: *Generationem eius quis enarrabit?* & B. Virgo tantæ rei propoſitæ admiratione correpta, dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ita planè ineffabilis eſt panis in corpus Chriſti per myſticam benedictionem mutatio, in quam Capharnaitę dixerunt: *Quomodo poteſt nobis hic carnem ſuam dare ad manducãdum?* Et de qua Damaſcenus: *Si modum requiris, quonam pacto fiat* (ſcilicet corpus Chriſti in Euchariſtia) *ſat tibi ſit audire, quoniam per Spiritum ſanctum, quemadmodum ex ſancta Deipara, ſe ipſum, & in ſeipſo Dominus carnem ſuſtentauit. Et nihil amplius cognoſcimus, quàm quod verbum Dei, verum eſt, & efficax, & omnipotens, modus autem inſcrutabilis.* Sic ille. Adhæc quemadmodum Filius Dei duas in vna hypoſtaſi habet naturas, vnam quidẽ increatam, & quæ minimè mutationi eſt obnoxia, alteram verò creatam, quę à priori ſuſtentatur, vt habet Fides Catholica: ita conueniebat eandem ſuam potentiam in rebus inferioribus quàm ſint ſubſtantiæ, in accidentibus ſcilicet Deum nobis oſtendere, nimirùm faciendo, vt diuinum Verbum, quod hypoſtaticè ſuſtentat humanitatem, alia tamen via faciat ſubſiſtere quantitatem ſine ſubiecto, & per illum reliqua omnia accidentia, quæ quantitati nituntur. Nec tamen propterea vllam ponimus Chriſti cum panis & vini accidentibus hypoſtaticam vnionem, vt quidam ſomniarunt. Quare Ambroſius lib. de Sacramentis, comparat coniunctionem diuinæ cum humana natura, copulationi carnis Chriſti cum ſua ſimilitudine, hoc eſt, panis accidentibus: *Sicut*, inquit, *verus eſt Dei Filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nõ quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi Filius ex ſubſtantia Patris: ita vera caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus eſt potus. Sed fortè dicas, quòd dixerunt tunc tẽporis etiam diſcipuli Chriſti audientes dicentem: Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam. Fortè dicas: Quomodò vera? Qui ſimilitudinem video, non video ſanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de ſermone Chriſti, qui operatur, vt poſſit mutare, & conuertere generalia inſtituta naturæ. Deinde non tulerunt ſermonem Chriſti di-*

Altera ſimilitudo.

Eſai. 53.

Luc. 1.

Ioan. 6.

Damaſc li 4. c. 14. paulo poſt medium.

III. ſimilitudo.

Chriſti miraculũ in Euchariſtia.

Ambr. lib. 6. de Sacram. c. 1. tom. 4. à medio.

Ioan. 6.

Ibidem.

Sermo Chriſti, quam potens & efficax.

ſcipuli

scipuli eius, sed audientes quòd carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant: solus tamen Petrus dixit; Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis: ideo in similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam, virtutemq́; consequeris. Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cœlo descendi. Sed caro non descendit è cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodò ergo descendit panis e cœlo, & panis viuus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis, & corporis. Et tu quia accipis panem diuinæ eius substantiæ, in illo participaris alimento. Hactenus Ambrosius. Præterea quemadmodum bonitatis immensitas diuinæ in incarnatione declaratæ, & in passione, occasio fuit, vt quorundam tanto splendore offuscarentur oculi, & penitus excæcarentur, quales Manichæi extiterunt, qui pertinaciter diuinæ incorporationis mysterium pernegârunt: simili ratione diuinæ charitatis infinitas, quæ in Eucharistiæ mysterio suam præsentiam exhibendo, maximè elucet, & quæ rationibus humanis comprehendi non potest, multos nostri seculi hæreticos, quales sunt Sacramentarij, & Caluiniani, excæcauit, vt tantam Dei munificentiam, quæ sola fide apprehenditur, capere non valentes, in tantum mysterium & verbis, & scriptis debacchati fuerint. Et vt olim Manichæi proprio sensu Verbum Dei corrumpendo, & illud: *Verbum caro factum est*, importuna glossa interpretabâtur, hoc est, Verbum factum est figura carnis: ita Sacramentarij, apertissimũ Christi verbum, *Hoc est corpus meum*, per tropum, & metonymiam quocunq; volunt, detorquent. Et vt Nestoriani verba illa: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui*, à germano sensu detorserunt, dicentes, Christũ non substantialiter, nec verè esse Dei Filium, sed nuncupatiuè duntaxat, & per quãdam copulationem, & amicitiam cum Dei Filio: ita quoq; verba Filij Dei in cœna deprompta, per fictitios tropos euertere conantur impij Sacramentarij. Et vt non defuerunt qui Christum hominem tantùm opinati sunt; & idcircò non esse cultus latriæ capacem: Nestorius quoque etsi assereret Christum Dei filium, nõ quidem per naturam, sed per adoptionẽ, & gratiam; & ideo eundem illi, ac Deo cultum præstari iure posse negabat, sed diuersum: in quem tamen Concilium Ephesinum talem edidit canonem: *Si quis audet dicere assumptum hominẽ coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emmanuelem, secundùm quod factum est caro Verbum, anathema sit*: ita & modò inuenti sunt magistri, qui panis & vini elementa corpore, & sanguine Christi vacua dogmatizantes, venerationem, ac debitam latriæ seruitutem Eucharistię denegant, vt sunt Sacramentarij omnes: quanquam & illi, qui corporis, & sanguinis Christi pręsentiam in Sacramento confitẽtur, vt Lutherani iuniores, non esse tamen vt adoretur, sed vt sumatur tantùm, contendunt, & Catholicos Artolatros cõtumeliosè vocant. Sed hi nõ cogitant quid prędixerit Dauid de hoc Sacramẽto; Adorate, inquit, scabellũ pedum eius, quoniam sanctum est; & alibi: Mãducauerunt, & adorauerunt oẽs pingues terræ: quos locos de Eucharistiæ Sacramento veteres Patres apertè interpretati sunt. Adde, quòd vt olim hęretici verbum Incarnationis oderant, & ferre non poterant; cùm tamen scriptum sit: *Verbum caro factum est*: & in symbolo Nicęno decantetur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto*: simili rabie, & furore perciti nostri seculi hęretici, vocem consecrationis & transubstantiationis summo odio prosequuntur, eamque abolere omni qua possunt ratiõe, sed frustra, cõtendunt. Nam illa vox satis expressa est in Euangelio in verbo, *Benedixit*, siue *gratias egit*, & in Ecclesia apud Patres. Respondet enim cõsecratio corporis & sanguinis Dñi, creationi corporis Christi in vtero Virginis: vt enim ibi purissimi Virginis sanguinis per sancti operationem Spiritus in verã Christi carnẽ sunt mutati; ita in Eucharistia panis eiusdẽ artificis virtute in eandem carnẽ mutatur. Hinc Iustin. martyr in Apologia pro Christianis, Christi incarnationem, & panis mutationem in Christi corpus inter se mutuò comparat; quemadmodum etiã Chrysost. in Ioan. & Damascen. lib. de fide orthodoxa. Ad hæc si veras Incarnationis Christi causas perscrutemur, easdẽ prorsus aut similes in hoc mysterio deprehendes. Incarnatus est Dominus Iesus ad alendã sua præsentia Fidem, Spem, & Charitatem nostrã, & vt nos ad bonorũ operum studium incitaret: eosdem sanè fructus excellenter præstat in Eucharistia, quę planè fidem alit nostram tot diuinæ potẽtiæ signis, tantaq́; liberalitatis effusione spem accendit, quòd remissionẽ peccatorum, diuinæ gratię adeptionẽ, & vitam ęternam pręstabit, qui se ipsum nobis tam sapiẽter, ac tam benignè in cibũ condiuit. Pręstat etiã incitamẽta charitatis, qui tantùm amare nouit hominẽ, vt eius gratia, tam dulcis esca fieret: vt qui antea dixerat: Deliciæ meę esse cũ filijs hoĩm, propter prædestinatã incorporationẽ; ita etiam

Ibidem. Luc. 1. Quomodo Christus sit panis viuus è cœlo descendens. IV. similitudo. Manichæi olim Dominicæ Incarnationis Sacramentum pernegârunt. V. similitudo. Ioan. 1. VI. similitudo. Matt. 3. & 17. De Christo impiè quid senserint Nestoriani. VII. similitudo. Concil. Ephesinum, can. 8.

Ioan. 1. Lutherani iuniores Catholicos cur Artolatros vocant. Psalm. 98. Psalm. 22. VIII. similitudo. Ioan. 1. Nostri seculi hæretici vocẽ consecrationis, & trãsubstantiationis, vt oderint. Iust. martyr apologia 2 à medio aliquãto, tom. 1. Chrys. hom. 44. in Ioan. tom. 3. Damasc. li. 4. de fide orthodoxa, c. 14. IX. similitudo. Verbum cur incarnatum. Eucharistiæ fructus admirabiles nonnulli recensentur. II. ratio. Prou. 8. Cur deliciæ Filij Dei fuerint esse cum filijs hominũ

etiam non tantùm præsentia spiritali, verú etiam re ipsa adsit caro & sanguis eius, quibus nos pascat, & verum sit quod ex integro datus sit nobis, & quòd eius deliciæ sint semper esse cum filijs hominum. Vnde corroboramur ad actiones honestas, virtutesque amplectendas, ad imitationemq; Christi vehementer incitamur. Accedit: vt qui olim inuisibilis erat, per corpus assumptū nobis apparere voluerit, quo nos ad se nobis minimè ignotum traheret, ita nūc cùm humana in Christo natura nostris aspectibus sit subducta, cōgruum fuit, vt nobis visibilia sectantibus sub aliena specie daretur visibilis. Vnde Chrysost. eleganter inquit: *O quot modò dicunt, Vellem formam, & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre, ipse verè seipsum tibi tradidit, non vt videas solùm, verū etiam vt tāgas, & in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat.* Infra: *Quis pastor vnquā manibus suis oues suas nutriuit? Multæ matres post partū alijs nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, & sibi coniungit, atq; conglutinat.* Et Tertul. lib. de Resurrect. carnis, non procul ab initio, ostendit cōueniens fuisse: vt, quoniam nos naturaliter per corporea ad spiritualia assurgimus, priùs Christus oculis corporis spectādus appareret, quàm mentis. Ait namque: *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera cōiungit.* Hęc ille, de quatuor vt videtur, verba faciens Sacramentis. Amplius, Dn̄s dum viueret, non sola diuinitatis suæ virtute, sed etiam humanitatis suæ quasi cōiuncto organo signa edebat admiranda, ac pro sua munificētia cæcis visum, surdis auditū, leprosis munditiā, infirmis sanitatem, mortuis vitā largiebatur, verbo quoq; suo ignorātes docebat, mœstos solabatur, peccantibus veniam dabat: ita etiam nūc tactu suæ carnis, quę tantùm in esu Eucharistiæ cōsistit, & tangi aliquo modo dicitur, & alijs Sacramentis tāquam extrinsecis instrumentis, salutē nostram operari dignatur. Quā veritatē egregiè tradit Cyril. in cōment. in Ioan. ait enim: *Quoniam igitur Saluatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est: quādo eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa in exuscitandis mortuis, non solummodò verbo, atq; imperio, vt Deus, vtebatur, verùm etiam carnē suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, vt re ipsa ostenderet, carnem quoq; suam, quoniā sibi cōiuncta est, viuificam esse: atque fideles doceret, suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagogæ principis filiolam suscitabat, manum eius apprehēdit, vt scribitur, & erexit, dicens: Puella surge, &* reliq. Postremò, per Incarnationē summa Dei dignatio, & humiliatio declarata est; vt meritò ad sententias illas; *Verbum caro factū est: Homo factus est*, omnes in genua prouoluamur, ac in terram prosternamur, vt par est. Simili etiam ratione in hoc Sacramento eadē Dei dignatio elucescit; vt propterea vbi diuinis verbis perfecta est consecratio, cōtinuò omnes venerabundi, & humiliati illud fide suscipientes, externo quoq; adorationis signo colamus. De hac tanta humiliatione ita loquitur Aug. scribens in Psal. 33. ponderans illa verba: *Dauid autem ferebatur manibus suis. Hoc verò*, inquit, *fratres, quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundùm literam, nō inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendauit ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis: ipsa est humilitas Domini nostri Iesu Christi, ipsa multùm cōmendatur hominib⁹: ad ipsam nos hortatur, fratres, vt viuamus, id est, humilitatem eius imitemur, vt percutiamus Goliam, & tenētes Christum, vincamus superbiam.* Hæc ille doctissimus Pater. Vbi perpende, quòd si Christus signa sui corporis, & sanguinis tenebat in manibus; quomodò verum est, vt ait Aug. ad literam, de Dauide non posse intelligi? siquidem non solùm Dauid, sed quiuis etiam homo sui imaginem portare potest in manibus suis? Deinde quomodo quęso commēdaretur humilitas alicuius, quòd sui relinquat imaginē; cùm imagines honoris potiùs gratia erigi soleant? Sicut ergo humiliationem suam ostendit in eo, quòd carnē suam ab impijs, & pro impijs tradidit crucifigendā: ita etiā & nunc, dum nō solùm ab amicis sed etiam ab impijs & sceleratis se contrectari, & mādacari permittit, insignē suam exerit dignationē. Huc pertinet quod ait Optat. lib. contra Parmenianum, & Donatistas altaria euertentes Catholicorum: *Quid est*, inquit, *altare, nisi sedes corporis, & sanguinis Christi? &c. Hoc modo Iudæos estis imitati. illi manus miecerunt Christo in cruce: à vobis percussus est in altari.* Et Chrysost. in 1. ad Corinth. *Quod in cruce passus non est, & propter te frāgi permittit.* Hęc Chrysost. Sic Iudæi probare sibi videbātur, Christum non esse Filium Dei, ca-

ratio-

Prouer. 8.

III. ratio.

Chrys. homil. 83. in Matth. aliquanto à medio, tom. 2

Christum in Eucharistia manducātes ab eo beneficia quāta percipiant, teste Chrysost.

Tertull.

Eucharistici cibi conuenientia ex Tertulliano.

X. similitudo Incarnationis Christi cū Eucharistia.

Matt. 11. & Esai. 35.

Cyril lib. 4. comment. in Ioan. c. 14 sub init. tom 1.

Quare Christus cum signa ederet, carnis suæ contactum adhiberet, teste Cyrillo.

Matt. 9.

XI. ac postrema similitudo.

Symb. Nicæn.

Aug in Psal. 33 concione 1. sub fin. tom. 8.

1. Reg. 21.

Quomodo Christus ferebatur manibus suis secundū Augustin.

Viuere si volumus (ait Aug.) Christi humilitatē sectemur.

1. Reg. 17.

Contra Significatiuos.

Imagines cur erigi soleant.

Christus in quo humiliationem declarauit suā.

Opt. lib. 6 contra Parm. & Donatist.

Altare quid mystice.

Chrys. hom. 24. in 1. ad Cor. ante medium, tom. 4.

Sap.2.& Matth.22.

Hæretici Chriſtum in Euchariſtia præſentē inficiãtes, quorum ſimiles videantur.

ratione: quia ſi eſſet Filius Dei, erueretur de manibus contrariorum ſibi, vt dicitur in libro Sapientiæ. Si enim, inquiunt, eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illũ de manibus contrariorum. Ita nũc infideles agunt: Si corpus Chriſti eſſet in Euchariſtia, nec fractio, nec incineratio, nec putrefactio contingeret ei. Non proſequar fuſiori ſermone collationem horum duorum myſteriorum, quoniã ex his paucis facilè acutus lector, intelliget quantum ſib cohærent, & per omnia cõgruant hæc duo religionis noſtræ altiſſima myſteria: & Incarnatio veritatem præſentiæ corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia maximè confirmet: ſicut econtrariò, myſterio corum, quæ in Euchariſtia accidunt, probabant Patres veteres Sacramentum Incarnationis. Nam cõtra Eutichetem, qui contendebat formã naturæ humanæ tranſijſſe in diuinam, ita argumẽtabatur Gelaſius in opere contra Eutychetem, & Neſtorium: & Vigil, libr. in Eutychet. *Si ita eſt*, inquit, *quod in Euchariſtia, in qua ſubſtantia intrinſeca non manet (ſcilicet panis) ſed tranſit in diuinam carnem, manet tamen forma, & operatio naturalis accidentium: multò magis in Chriſto forma humana maneret, etiamſi Humanitas in Diuinitatem trãſiſſet (quod nullibi tamẽ legimus) quoniam Euchariſtia huius rei eſt nobis imago, eſtq; exemplum diuerſarum Sacramenta operationũ, ducens ad diuerſas perſonæ Chriſti operationes: & vnitatis ſubſtantiæ in Sacramento exemplum, ducens ad vnitatem perſonæ Chriſti.* Quòd ſi in Sacramento Euchariſtiæ eſſent diuerſæ ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes, vnum tantùm Sacramentaliter facientes cum diuerſis operationibus vnicuiq; ſubſtantiæ conuenientibus, nihil illi Patres in illos hæreticos exemplo ab Euchariſtia adducto cõprobarent. Deinde Neſtoriani contendebant diuerſas eſſe perſonas in Chriſto, ſicut diuerſas operationes. In quos Patres ita arguebant: In Euchariſtia ſunt diuerſæ rerum operationes, diuerſas ſubſtantias per naturam conſequentes, nec tamẽ ſunt diuerſa ſuppoſita, aut ſubiecta: ergo licèt in Chriſto ſint diuerſæ operationes, non propterea erunt plures perſonę. Nam operatio diuerſa, non ſemper diſtinctam arguit hypoſtaſim. Vnde S. Vigilius in libr. contra Eutychetem: *Sicut*, inquit, *in vno homine diuerſas habent operationes caput & pedes, & tamen vnus eſt homo, non alius in capite, alius in pedibus: ſic diuerſa volunt opera verbi; & carnis in Chriſto, nec tamen alius eſt in Verbo, alius in carne, ſed ex vtroq; idem eſt Chriſtus.* Sic ille. Adhæc alij contendebant, quod ſicut ex corpore & anima fit quoddam tertium,

Gelaſij Papæ contra Eutychetem formam humanam aſſerentem in diuinam trãſiiſſe, ratiocinatio.

Gelaſ. Papa. Vigil. Pap. li. 5. contra Eutyche.

Olim impij Neſtoriani duplicem in Chriſto conſtituebãt perſonam: eius; inſani dogmatis confutatio.

S. Vigil. lib. 4. cõtra Eutych. Sermo S. Vigilij.

quod nec eſt corpus, nec anima, ſed quaſi aliud ex vnione eorum conſurgens, quod ſecundùm Philoſophos vocatur ſuppoſitum, ſiue compoſitum: ita in humanæ glorificatione naturæ aſſerebant hæretici tertium quoddam conſurrexiſſe, quod nec humanum ſit, nec planè diuinum: ſicut ex vnione duorum metallorum fit mixtum quoddam ex vtroque. In quos Patres veteres ita arguebant: Euchariſtia eſt quaſi quædã vnionis hypoſtaticæ imago, & tamẽ licèt intrinſeca panis ſubſtãtia mutetur in diuinam carnem, nõ tamen conſurgit aliqua ſubſtantia ex carne, & operationibus naturalibus accidentium, quæ remanent: ergo etiam ſi hæc mutatio eſſet humanitatis in diuinitatem, non propterea ſequeretur hæc naturalium operationum confuſio: ſicut nec ſequitur in Euchariſtia, in qua mutatio phyſicæ ſubſtantiæ interuanit. Cũ ergo Eutychiani argumentarentur: Vnica eſt natura, vbi vnica eſt operatio; at modò Chriſtus in cœlo vnicam operationem diuinam habet tantùm; ergo humanitas tranſijt in diuinitatem: malè profectò ſyllogizabant, quoniam Chriſtus in cœlo non vnicam habet operationem diuinam, ſed etiam humanam, ſicut etiam in Euchariſtia, in qua ſunt operationes naturales panis, & vini, & tamen vna eſt diuinæ carnis hypoſtaſis, & ſubſiſtentia. Hinc Gelaſius in prædicto libro: *Si ſubſtantia*, inquit, *& forma hominis Ieſu Chriſti eſt transfuſione conſumpta, quis eſt, quem ad dexteram vidit Stephanus? Quis eſt Filius hominis venturus iudicare viuos, & mortuos? Quis erit quem videbunt, in quem compunxerunt? Quem vt hominem ianuis clauſis conſtitiſſe diſcipuli affirmabant?* Hæc ille. Non ergo natura, quæ tranſit, infert vnam operationem, nec operatio neceſſariò naturam, vt Hæretici volebant: & falſum eſt, poſt Aſcenſionem in Chriſto non eſſe accidẽtia naturalia, vt eſſe mobile, loco contineri, ſitum habere, & ſimilia. Vides igitur quomodo myſterium Incarnationis egregiè confirmetur per illud Euchariſtiæ, & rurſus illud Euchariſtiæ per illud Incarnationis.

Hæreticorũ quo probant ex diuina, & humana Chriſti natura tertium quiddã conſurgere à Verbo diſtinctum, ſophiſma diluitur.

Gelaſ. Pap.

Act. 7. Exod. 10. Zacha. 12. & Ioan. 19. Apoc. 1. Ioan. 20.

Chriſtus poſt aſcenſionem accidẽtia naturalia retinuit.

Poſtrema ratio deſumitur à conſonantia horum verborũ Chriſti ad alia verba, quæ vel per ſeipſum, vel per ſuos Apoſtolos in Scripturis canonicis locutus eſt. Nã ſi alia teſtimonia iſtis verbis per proprietatẽ intellectis ſint conſona, & inciuile ſit non perſpecta tota lege pronũtiare de vero ſenſu legis ſententiam: planè hæc verba propriè exponenda ſunt. Nam in primis eo poſito quod Dominus apud Ioannem agat de Sacramento Euchariſtiæ, vt planè

X. ratio, ac poſtrema.

D. De leg. l. inciuile.

Ioan 6. & ſeqq.

Vera, & realis Christi præsentia in Eucharistia ex multis euincitur.
I. locus.
Exod.16.

comprobatum reliquimus, ex multis euincere possumus verā & realem Christi præsentiam in Eucharistia. Primò enim dixit: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panē de cœlo verum.* Ex quo euincitur quòd panis Eucharistiæ non est symbolum, aut figura. Tum quia dicitur panis de cœlo verus, tum quod præfertur ipsi mannę, quod tamen erat figura corporis Christi, & quod ad externam speciem attinet, pretiosior erat pistorio pane: & ille quidem sustentabat vitam corporalem, iste noster, si non adest Christus, cùm in tam modica quantitate dispensetur, nec temporalem, nec spiritualem. Adhæc qui cum fide manna manducabāt, gratiam Dei percipiebāt, dicente Apostolo: *Omnes eandem escam spiritalem manducauerunt: & omnes eundem potum spiritalem biberunt:* Panis igitur Eucharistiæ, qui manna est pretiosior: præ quo illud nec est panis de cœlo, nec verus, Christū ipsum re vera continet. Deinde idem deducitur ex illis verbis: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Hæc verba tam manifesta sunt, vt vllo solido, aut vero responso nō possint eludi. Quod ostēdunt Iudæi qui litigabāt, ac decertabant inter se, dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Sed vt Capharnaitæ hæc verba carnalissimè intellexerunt, ita nostri Sacramentarij figuratissimè; Ecclesia autem Catholica excluso vtroque sensu, vt extremo, docet, carnem Christi veram, ac solidam sub specie panis nobis porrigi.

Manna olim manducātes qui gratiam Dei percipiebant.
1.Cor 10.
Exod.16.
Infrà 17.
II. Locus.
Ioan.6.
Ibidem.

III locus.

Tertiò, idem elicitur ex eo, *Caro mea, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* quib' verbis manifestè omnis figura, & symbolum tollitur, vt etiam nonnulli Patres hæc verba exponentes ponderârunt. Quia si verus est cibus, nō est tantùm figuratiuus: repugnat enim, aliquid esse respectu eiusdem veritatem, & figuram, vel vmbram & corpus. Nam manna, & petra percussa, tantùm figura erāt; at Eucharistia dicitur caro Christi, & corpus Christi, & nunquàm, vel semel, in literis Euangelicis, vel Apostolicis vocatur figura, vel symbolum corporis Christi. Quartò, Dominus dixit apud Matthæum: *Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Quæ verba non possunt intelligi de diuinitate, secundùm quam præsens fuit Dei Filius omni tempore: imò cœlum, & terrā, & infernum ipse implet. Nec rursus de præsentia per virtutem auxilij, aut gratiæ suæ: nam illo modo etiam fuit cum Hebræis, qui dicebant, vt in Deuteronomio habetur: *Nec est vlla natio tam grādis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Rursus nec tantùm adest Deus Ecclesiæ, dirigendo eam sine vllo errore, quantum ad Fidem, & mores; nam sic etiam cum synagoga adfuit. Vt enim ait Apostolus: *Iesus Christus heri, & hodie ipse & in secula.* Et si ita adest nobis, direxit hactenùs Ecclesiam in hoc Sacramento, Christum esse certa fide apprehendentem; atque ita non errauit in hoc articulo. Quòd si aliquis nouus modus nobiscum existendi signatus fuit illis verbis; postremò nō est alius quàm ille, qui sub Sacramēto Eucharistiæ velatus in Ecclesia militanti, sicut facie ad faciē visus regnat in Ecclesia triumphanti. Atque in hunc modum interpretantur hæc verba nonnulli Pontifices, vt, Innocentius III. Clemens V. in Concilio Viennensi: & habetur in Clementina De reliquijs & veneratione Sanctorum, cap. Si Dominum; & Vrbanus III. in institutione solennitatis corporis Domini; B. Bonauentura, ac Thomas, & nonnulli alij. Quintò, idem probamus ex B. Paulo, qui apertè habet: *Calix benedictionis cui benedicimus; nónne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Vbi participatio panis, & vini, communicatio, participatione corporis, & sanguinis Christi dicitur. Quod certè verum nequaquàm esset, nisi sub speciebus panis, & vini, corpus & sanguis Christi verè continerentur. Illud etiam pondera, non dixisse Apostolū Communicatio Spiritus sancti est, vel participatio diuinæ gratiæ, quia innuisset his verbis tantùm Spiritus gratiam porrigi per hoc Sacramentum, sicut etiam cōfertur per Baptismum, sed dixit, Communicatio corporis Christi est, & participatio sanguinis Christi, vt præter gratiam, quam benè præparati percipiunt, intelligant se vero Christi corpori, & vero sanguini communicare, quod est admirandum & stupendæ Dei beneficentiæ symbolū. Et infrà idem Paulus asserit: *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & calice participamus:* atqui si non esset ibi Christus, vnus profectò panis viuus, & verus, non vno pane, sed multis participaremus. Nam qui hodie ederetur, distinctus esset ab illo, quem Christus fecit: & quem heri nō edimus, & quem alij à nobis hodie in alio altari manducarent. Vt igitur sit vnitas panis & vini eiusdē numero, necessariū est asserere, Christum in Eucharistia præsentem cōtineri. Intellexit hoc Cyrillus, qui scribens in Ioannē super

Exod.16.
Infra 17.

IV locus, & quot modis sit nobiscum Filius Dei.
Matth. vlt.
Ierem.23.

Deut.4.

Hebr 13.
Eius dicti: Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus &c propria, & vera intelligentia.

Innocen. III. lib. 4. myst. c.36.
Clemens V.
Vrba. IV.

B. Bonauent.
S. Thom.
V locus.
1.Cor.10.

Huius dicti Apostolici, Panis quem frangimus, nonne participatio, &c.

Ibidem.

Il.c.13

Ioan.c.13.circa med. to. 1. Cyrill. lib 10. Cōmentar.in Ioan.15.

illud: *Ego ſum vitis vera*, ait: *Non negamus rectà nos fide, charitateq́; ſincera Chriſto ſpiritaliter coniungi. Sed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundùm carnem cum illo eſſe, id profectò pernegamus, idq́; à diuinis Scripturis omninò alienum dicimus. Quis enim dubitauit, Chriſtum etiam ſic vitem eſſe, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto. Quia etſi multi ſumus, vnum tamē in eo ſumus: Omnes enim Vno participamus. An fortaſſis putat ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe? Quæ cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? cur enim membra fidelium, membra Chriſti ſunt?* Et rurſus in Ioannem: *Quis enim*, inquit, *eos, qui vnius ſancti corporis vnione in vno Chriſto vniti ſunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Nam ſi omnes vnum panem manducamus, vnum omnes corpus efficimur: diuidi enim, atque ſeiungi Chriſtus non patitur. Ideirco etiam Eccleſia corpus Chriſti facta eſt, & nos ſinguli membra Chriſti, ſecundùm Paulum. Vni enim Chriſto per corpus ſuum coniuncti, quoniam in nobis illum, qui eſt indiuiſibilis, accepimus, ipſi potiùs quàm nobis membra noſtra accommodantur.* Sic ille Pater eruditiſſimus.

1.Cor.10.

Idem li.11.in Ioan.c.26.circa finē, & ſuprà c.20.in fi. Eccleſia corpus Chriſti effecta eſt.

Ephe.5.

Ad Dominicam mēſam accedere quo modo oportuat.

Atque ita videmus alios locos Scripturæ mirificè fauere ſenſui illorum verborum: *Hoc eſt corpus meum*, ſecūdùm proprietatem vocum acceptum. Quare contendamus ad hanc Domini menſam magna cordis ſimplicitate, & fidei puritate, & mentis ſinceritate, ac proprietate accedere, excluſa omni figura, & extrema ſpecie ſanctimoniæ, quàm multi ficti, & hypocritæ induti, ad hoc Sacramentum participādum accedere non verentur. Sed abſcedāt omnes Cardales, & Figuratiui, ſiue Symbolici, Energici, & Arrhabonarij, ne iudiciū ſibi manducent, & bibant, qui verbo Dei tantam iniuriam inferre non formidant; accedant autem fide ornati, & nuptiali charitatis veſte induti; vt ſolennes, & feſtiuas nuptias celebrent cum ſponſo ſuo Ieſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto vna eſt diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maieſtas in ſeculis ſempiternis laudanda, atque benedicenda: Amen.

Matt. 22.

TRACTATVS XXII.

IN Quo vera corporis & ſanguinis Chriſti præſentia in Sacramento Euchariſtiæ ex Patrum veterum traditione, & conſenſu, atque adeò rationibus Fidei nixis oſtenditur.

CVM certiſſima inteligentiæ Scripturæ clauis, in traditione veterum Patrum, & ſanctorum Doctorum conſenſu poſita ſit, qui aliquid vt fide credendum concordi ſententia tradiderunt; ideo ſupereſt, vt qui tot vijs veritatem præſentiæ Chriſti in Sacramēto euincimus, per hanc etiam traditionis viam obtineamus. Traditionem porrò, quò diſtinctior ſit, in tria membra ſecabimus; nimirum in Concilia Catholica, & in Eccleſia recepta; & in Decreta, & autoritates ſummorum Pontificum; poſtremò in ſententias, & teſtimonia Doctorum. Et intellgat qui hæc legit, nos pauca quædā ex illis ſeligere: quia immenſum eſſet opus, & minimè vtile, teſtimoniorum aceruis lectorem obruere; præſertim cū plerique tractatores Catholici magna ex parte id præſtiterint.

Certiſſima intelligentiæ Scripturæ clauis, quænam ſit.

Inter Concilia igitur primū locum obtinet Nicæna ſynodus: quæ cap.14. inquit: *Hoc neq́; regula, neque conſuetudo tradidit, vt hi, qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant.* Et inter Canones Græcorum, iſte nomine Concilij Nicæni circumfertur. Iterum etiā hic in diuina menſa, ne humiliter intēti ſimus ad propoſitum panem, & poculum; ſed attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum illius corpus, & ſanguinē nos verè ſumentes credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Propter hoc neque multum accipimus, ſed parùm; vt ſciamus quòd nō ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumimus. Cōcilium Epheſinum I. in Epiſtola ad Neſtoriū, vbi vera corporis Chriſti in Euchariſtia exiſtētia, tanquàm res ab omnibus confeſſa, & manifeſta deducitur cōtra Neſtorium tradit non eſſe in Chriſto duas hypoſtaſes, alteram diuinam, alteram humanam. Nam ſi hypoſtaſis tantùm humanæ eſſet caro in Euchariſtia, non eſſet viuificatrix, & conferens vitam ęternam: hinc oportet fateri, eam eſſe propriam Verbi, ac diuinæ hypoſtaſis, à qua vim habet viuificandi. Verba Concilij ſunt hæc: *Ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur participes ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti, omnium noſtrûm redemptoris, effecti: non vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati, & Verbo coniuncti ſecundùm dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentes habitationem: ſed verè viuificatricem, & ipſius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter; vt Deus exiſtens, quia propria carni vnitus eſt, viuificatricem eam eſſe profeſſus eſt.*

Cōcilia Generalia. *Nican. ſynod.*

Græcorum Canones.

Ioan.1.

Cur in tam parua quantitate nobis Euchariſtia porrigatur. *Cōc.Epheſ.I.*

VII. Synod. seu 2. Nicæna tom 3.

Hæc ibi. Habes VII. Synodum, quæ secunda Nicæna dicitur, sic habentem: *Legas quousq; voles, nunquàm inuenies neque Dominum, neq; Apostolos, neq; Patres incruentum illud sacrificium; quod à Sacerdote effertur, imaginem dixisse, verum ipsum corpus; & ipsum sanguinem.* Infrà ait, *Quod antequàm sanctificata fuerunt* (nempè panis & vinum) *vocata sunt antitypa* (scilicet à Basilio, & Eustathio, de quib' ibi fit mentio) *post consecrationē autem corpus Domini, & sanguis Christi verè esse creduntur.*

VIII. Synod.

Octaua Synodus actione quarta, continet epistolam Nicolai sic habentem: *Panis iterū, qui super mensam altaris offertur, panis est communis: sed quando ipse Sacramento sacratus fuerit, corpus Christi in veritate fit, & dicitur. Sic & vinum modicum aliquid digna existentia ante benedictionem; post sanctificationem verò Spiritus, sanguis Christi efficitur.*

Concil. Lateranen sub Innocen. III. Extra Ecclesiam nemini salus cōstat.

Lateranense Concilium sub Innocentio III. capite I. sic statuit: *Vna verò est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur: in qua idem ipse Sacerdos, & sacrificium Iesus Christus: cuius corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinē; potestate diuina; vt ad perficiendum mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.* Adde Concilium Viennense sub Clemente V. celebratum: in eo Pontifex approbat festum corporis Christi, dicens: *In hac verò Sacramētali corporis Christi commemoratione Iesus Christus præsens sub alia quidem forma, in propria verò substantia est nobiscum, Ascensurus enim in cœlum, dixit Apostolis: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi: Benigna ipsos promissione confortans, quòd remaneret, & esset cum eis etiam præsentia corporali.* Hæc ille. Concilium Constantiense sessio. 8. in propositione prima, & tertia contra Wicleffum, damnat eius assertiones: *Substātia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, manet in Sacramento altaris.* Et rursus: *Christus est, non est in eodem Sacramento identicè, & realiter in propria præsentia corporali.*

Cōci. Viēnen. sub Clem. V. In Clement. De reliq. & venerat. Sanctor. Matt. vlt.

Concil. Constantien.

Conc. Florēt.

Concilium Florentinum in bulla vnionis Armenorum integram doctrinam tradit de Sacramēto Eucharistiæ, vbi Christi præsentia, veraq; existentia comprobatur.

Concil. Trid.

Concilium postremum generale Tridentinum, sessione decimatertia, doctrinam pulchram de Sacramento Eucharistię tradit; & anathemate percutit omnes, qui verba Christi, exclusa proprietate, per tropum, aut symbolum: aut energiam, seu virtutem interpretantur. Hactenùs protulimus Concilia generalia, silentio suppressis Prouincialibus: quæ cùm in vniuersali Ecclesia recepta sunt, vim etiam habent obligandi: sed ne longiores simus, consulò omittimus.

Cōcilia Prouincialia quādo vim habeant obligandi.

II locus ab authoritate Romanorū Pontificum. Clem. Roma. epist. 2. Alexand. I. epist. 1. Hilar. Papa.

Secundo loco proferimus Romanorū Pontificum (qui in decidendis Fidei cōtrouersijs summā in Ecclesia Dei potestatem obtinent) autoritates. Inter quos Clemens Petri discipulus, Alexander Primus, Hilarius Papa de Consecr. distin. 2. cap. In symbolis, & Leo Primus epist. ad Constantinopolitanos, apertè de corporis Christi existentia in Eucharistia loquūtur. Ait etiam Leo in epist. ad Anatolium: *Christus licèt in Patris sit dextera constitutus; in eādem tamen carne, quā sumpsit ex Virgine: Sacramētum propitiationis exequitur.* Et sermone De Quadragesima agens in Manichæos, qui abstinebant ab specie sanguinis per hæresim, subdit: *Cùm ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysterijs, ita in Sacramentorum communione se separant, vt interdum tutiùs lateāt; ore indigno Christi corpus accipiāt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant.* Idem sermo. 7. De passione, & sermo. 6. De ieiunio septimi mensis. Adhæc Gregorius in lib. Dialogorum, & Gregorius VII. libr. 6. epistolarum, hunc quem impugnamus, errorem damnauit. Adde Innocentium III. in libris illis De mysterijs Missę, & in cap. cùm Marthæ. De celebrat. Missar. & Clementem V. in Clement. De reliquiis, & veneratio. Sanctorum: & Vrbanum IIII. in institutione solennitatis corporis Domini. Omnes denique post hos, & ante illos constantissimè hāc fidem de corpore, & sanguine Christi in Eucharistia tenuerunt. Consultò autem eorum verba non expressimus, quòd facilè sit volentibus, eorum libros consulere.

Leo I. epist. 22. Idē epist. 40. cap. 2. Idem serm. 4. de Quadrages.

Manichęorū simulata cōmunio redarguitur.

Gregor. lib. 4. Dialog. c. 58. tom. 2. Gregor. VII. epist. 8. Innocen III. Clem. V. Vrban. IV.

III. locus à testimonio Doctorum.

Tertio loco accedant Doctores, qui altiùs & apertiùs de hoc mysterio in scriptis suis & commentarijs philosophati sunt. Nam in primis beatus Andreas Apostolus, vt in eius martyrio authētico legimus: *Ego quotidiè,* inquit, *agnum offero omnipotenti Deo, qui cùm manducatus fuerit à populo, viuus & integer perseuerat.* B. Ignatius in epistola ad Smyrnenses, vt eum citat Theodoritus in Dialogis Polyphormi in Hæreticos, qui Eucharistias, & oblationes nō admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam carnem esse Saluatoris nostri Iesu Christi, quę pro peccatis nostris passa est, & quam Dominus pro sua benignitate suscitauit. Idem etiam in epistola ad Ephesios, & ad Romanos nonnihil scribit.

Ignat. epist. 10. Theodor. p. 2. dialog. 1. Idem Ignat. epist. 14. & 15.

Beatus Martialis Apostolus Galliarum epistola ad Burdegalenses: *Honorabitis,* inquit,

inquit, *Sacerdotes, qui decipiebant vos sacrificijs suis, qui mutis, & surdis statuis offerebant, quæ nec se, nec vos iuuare poterant: nunc autem multò magis Sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuit in calice, & viuo pane, honorare debetis.* Et infrà: *Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere: nos caussa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem.*

Ierem.11.
Luc.22. & 1 Cor.11. & seq.

B. Dionys. p. 3. post medium.
Ioan.13.

Beatus Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia, de excluso à Christo Iuda, vt superiùs produximus, scribit: *Sed & illud sacratiùs intuere, quòd impositis sancto altari venerabilibus signis (hoc est, pane, & vino) per quæ Christus signatur, ac sumitur, adest protinus atque incunctanter Sanctorum descriptio, coniunctionem eorum indiuiduam, vnionemque cum illo altissimam, & sacratissimam iudicans.*

Iusti. circa fi. orationis 20.2.

Iustinus Martyr in oratione ad Antoninum Pium, ita de Eucharistia loquitur. Postquàm enim, dixit, panis, & poculum aquæ & vini ad eum qui fratribus præest, oblatum fuerit, adiungit: *Atque vbi ille preces, & gratiarum actiones absoluit, populus qui adest omnis, fausta approbatione clamat, dicens, Amen. Amen autem voce Hebræa, Fiat, significat. Præsidens verò postquàm gratiarum actionem perfecit, & populus vniuersus approbatione læta eam comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque ministri, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alij participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita vt* CHRISTVS *tradidit viuenti. Non enim vt communem panem, neque communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per Verbum caro factus Iesus Christus Seruator, & carnem, & sanguinem salutis nostræ caussa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi eius ab ipso profecti, gratiæ sunt actæ, alimoniam, vnde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius* IESV *carnem, & sanguinem esse edocti sumus.* Hæc ille, multa hæreticorum dogmata confutans.

Amen Hebræis quid.

Eucharistiã quibus tantũ par[illegible] ope[illegible] licitum sit.

Ioan. 14.

Origen. lib. 8. contra Celsum tom. 2.

Adde Origenem, qui libro contra Celsum sic scribit: *Nos, qui rerum omnium Conditori placere studemus, cum precibus, & gratiarum pro beneficijs acceptis actione oblatos panes edimus, corpus iam per precationem factos, sanctum quoddam, & sanctificans, vtentes eo cum sano proposito.*

Tertull.

Tertullianus in libro 5. aduersus Marcionem: *Proinde panis, & calicis Sacramento iam in Euangelio probauimus corporis & sanguinis Dominici veritatem aduersus phantasma Marcionis.* Idem libro De resurrectione carnis sub initium, eandem veritatem testatur. Et libro ad vxorem. Idem scribens in Marcionem, & tractans verbum Ieremiæ: *Venite, mittamus lignum in panem eius: Vtique,* inquit, *in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram panis dedisse, cuius retrò corpus in panem Prophetes figurauit, ipso Domino hoc Sacramentum posteà interpretaturo.*

Idem.
Idem li. 2. ad vxorem.
Ierem 1.
Idem li. 3. aduers. Marcionem sub fin.

Idem lib. 4. in Marcio. sub fi.
Marcionis dogma.
Luc. 22.

Idem in eundem agens Marcionem, qui Christum negabat verum corpus hominis habere, ita scribit: *Professus itaque* (scilicet Christus) *se concupiscentia concupisse edere Pascha vt suum (indignum enim vt quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quòd est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis.* Et infra: *Itaque illuminator,* inquit, *antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem. Sic & in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis. Nam etsi qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certè sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. Vt autem sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias, Quis, inquit, qui aduenit ex Edom? rubor vestimentorum eius ex Bosor.* Et reliqua. Sic ille, à symbolo eius in Eucharistia argumentum ducens ad probandam veritatem corporis: sicut Irenæus vice versa, à re Sacramenti ad Sacramentum argumentatur hac ferè ratione: *Si caro nostra non est capax vitæ æternæ, neque Christus nos sanguine suo redemit, neque in Eucharistia verum corpus, & sanguinem communicauit.*

Phantasma figuram non capit.

Illuminator antiquitatũ Christus, ait Tertullian⁹.
Luc. 22.

Esai. 63.

Irenæ. lib. 4. cap. 34.
Nisi caro nostra esset capax vitæ æternæ, quid inde.

B. Cyprian.

Beatus Cyprianus in sermone De cœna Domini: *Panis,* ait, *iste communis, in carnem, & sanguinem mutatus, procurat vitam, & incrementum corporibus.* Et infrà: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat Diuinitas:*

Idem.

tas: ita Sacramento visibili ineffabiliter Diuina se infudit essentia. Et sermone in orationem

Idem. Matth 6.

Dominicam ait, panem nostrum Christum esse, cuius corpus in Eucharistiæ communione attingitur. Idem ad Cæcilium scribens:

Idem lib. 2. epist. 3.

Torcularis, ait, *quoq; calcatio, & pressura taxatur, quia quomodo ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset, & pressus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret.* Hæc ille, qui quidem multa alia tradit, & sermone 5. De lapsis, & alijs in locis.

Idem.

Orig. hom. 38. in Luc. in fin. tom. 2.

Origenes in Lucam sic habet: *Si non comedimus Panem vitæ, si non carnibus Christi vescimur, & cruore potamur; si contemnimus dapes Saluatoris nostri; scire debemus quòd habeat Deus & benignitatem, & seueritatem.* Idem in Matthæum:

Idē tract. 25. in Matth. eo. tom.

Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, verbum d. Deo Verbo procedens, & panis de pane cœlesti, qui positus est super mensam, de qua scriptum est: Præparasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.

Psal. 22.

Irena. lib. 4. cap. 34.

Beatus Irenæus in Valentinianos disputans, scribit: *Quemadmodum qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam nō communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Rursus ait:

Idem lib. 5. sub initium.

Eum calicem, qui est creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora, (scilicet ad æternitatem) quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia, quo modo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine, & corpore Christi nutritur, & membrum eius.

Iusti. Martyr apolog. 2. ad Antoninum Pium, sub fin. tom. 2.

Ante nos Iustinus Martyr in apologia, quam pro Christianorum defensione ad Antoninum Pium Imperatorem scripsit: *Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti; & lauacro propter remissionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita, vt Christus tradidit viuenti. Non enim vt communem panem, neq; communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus est* IESVS *Christus Seruator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ caussa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi eius ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam* (τὴν δι᾽ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ᾽ αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν) *vnde sanguis & caro nostra per mutationem alitur, incarnati illius Iesu carnē, & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in Commentarijs à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderūt præcepisse sibi Iesum. Eum enim pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in mei recordationem. Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratijs actis dixisse: Hoc est sanguis meus, ac solis ipsis ea tradidisse.*

His accedit Cyrillus Ierosolymitanus, qui in Catechesi quarta Mystagogica ita habet:

Cyril. Ierosolym.
Christophori vt esse possimus teste Cyrillo.

Sub specie panis datur tibi corpus: & sub specie vini datur sanguis; vt sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis Χριστοφόροι γινόμεθα. *Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes: cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus; atq; ita vt B. Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiemur.*

2. Pet. 1

Et ibidem: *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atq; dicat de pane, Hoc est corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? Ac eòdem quoque confirmante, & dicente, Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ, sola voluntate: & non erit dignus, cui credamus quòd vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendum miraculum operatus est; & non multo magis corpus, & sanguinem suum filijs Sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus.*

Ioan. 2.

Matth. 9.

Et infrà: *Ne ergo consideres tanquàm panem nudum, & vinum nudum: corpus enim est, & sanguis Christi, secundùm ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerat, tamen fides te confirmet; ne ex gustu rem iudices; quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem.* Hæc ille antiquissimus pater, qui Concilio Nicæno interfuit, & tamen cum tāta asseueratione loquitur, vt maior excogitari non possit.

Athanas. lib. de passione imag. Saluat. c. 7. tom. vlt.

Adiungimus istis Magnum Athanasium, qui in libello De passione imaginis Domini nostri Iesu Christi, qui Patribus apud Cæsaream Cappadociæ congregatis oblatus est, expresse negat, aliquid ex corpore & sanguine Christi in mundo inueniri præter illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidiè spiritualiter efficitur. Dicit autem, *Spiritualiter efficitur, quia non sumitur sub propria, sed sub aliena specie.* Et in illud: *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, &c.* apertè affirmat Christi carnem in Eucharistia contineri.

Idem tom. 1 Matt. 12.

Basil. tom. 1. Psal. 33.

Beatus Basilius super illud Psalmi: *Gustate, & videte quoniam suauis est dominus: Quoniam verò,* ait, *Dominus noster verus est panis, & eius caro verus cibus: necesse vt voluptas lætitia*

panis per gustum spiritualem in nobis gignatur. Et sermone de Baptismo: *Habebimus autem,* inquit, *vitam æternam, sicut promisit qui mentiri nequit, Dominus ac Deus noster Iesus Christus: si edentes ac bibentes memores fuerimus eius qui pro nobis est mortuus.* Et libro 2. quæstione 3. epistola etiam 76. & 141. Et homilia 41. De baptismo. Et in dialogo de dignitate Sacerdotij conscripto à Chrysostomo, dicitur in persona Basilij: *O miraculum, o Dei benignitatem: qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere, ac complecti. Fit autem id nullis præstigijs, sed apertis ac circumspicientibus circumsistentium omnium oculis, &c.* Idem in Liturgia sua: *Te obsecramus, & te postulamus, Sancte Sanctorum, beneplacita tua benignitate, venire Spiritum sanctum tuum super nos, & super proposita munera ista, & benedicere ea, & sanctificare, & ostendere panem quidem istum, ipsum honorificum corpus Domini, Dei & Saluatoris nostri* IESV CHRISTI: *quod autem est in calice isto, ipsum sanguinem* Domini Dei, *& Saluatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita.*

Idem ser. 2 de baptis. c. 3. eodem tomo.

Idem.

Chrys. l. 3. de Sacerdot. to. 5.

Idem Basil. tom. vit.

Gregorius Nazianzenus Basilio cõtemporaneus, inuectiua prima in Iulianum: *Túne contra Christi sacrificium tuis spurcitijs? Túne contra sanguinem, per quem expiatus est mundus, tuis sanguinis effusionibus?* Et paullò superius: *Mox incruenti sacrificij oblatione manus commaculat: per quod nos Christo vnimur, nec non passionis ac diuinitatis eius participes reddimur.* Idem etiam oratione in sanctum Pascha. Item oratione in sancta Epiphaniarum lumina. Similia habet & in Carmine De Sacerdotibus. Et Gregorius Nissenus in catech. & apud Euthymium in Panoplia, & lib. de vita Moysis.

Greg. Naziã.

Idem.

Greg. Nissen.

Adhæc Epiphanius in Ancorato sub medium, vt superius eum protulimus, vbi concludit: *Nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute.*

Epiphan.

Excidit quis à gratia, & salute secũdum Epiphanium.

Theophilus Alexandrinus libro secundo Paschali, inter Origenis errores recenset, quòd dixerit res inanimitas ab Spiritu sancto non sanctificari, ita scribens: *Non recogitat aquas in baptismate aduentu Spiritus sancti consecrari panemque Dominicum, quo Saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus ad sanctificationem nostrã. & sacrum calicem, quæ in mensa Ecclesiæ collocantur, per inuocationem Spiritus sancti sanctificari.*

Theophilus Alexand.

Error Origenis.

Matth. 3.

Beatus Ephrem Basilio familiaris, & Edessenæ Ecclesiæ Archidiaconus libro De natura Dei non scrutanda: *Est fidelis* inquit, *atque innocens: particeps corde immaculato corporis Domini sui, fide plenissima sciens quod agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli temerè ea perscrutari, ne in ipsorum participatione comburaris.* Et infra: *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, & omnem sermonem, quod fecit nobis vnigenitus Filius Christus Saluator noster, ignem & spiritum manducandum & bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus scilicet & sanguinem suum.*

Ephrem. c. 5.

Eusebius Emissenus homilia quinta De Pascha, ita habet: *Vnde meritò cœlestis confirmat autoritas: Quia caro mea, verè est cibus; & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui autor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantia corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit: ita dicens: Accipite, & edite; hoc est enim corpus meum: & sanctificatione repetita: Accipite & bibite, hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum; pari potentia in spiritualibus Sacramentis Verbi præcipit virtus, & seruit effectus.*

Euseb. Emis.

Ioan. 6.

Cyrillus in Ioannem, tractans illud: *Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam: Quid igitur,* inquit, *Christus pollicetur? quid credentibus affert? Corruptibile certè nullum, sed benedictionẽ, quam communicatione corporis, atque sanguinis Christi assequimur: vnde ad eam incorruptionem integrè reducemur, vt cibo & potu corporali non indigeamus: viuificat enim corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cuiusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa & viuunt, & sunt.* Idem in illud: *Ego sum vitis vera: An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicationem carnis Christi, Christum in nobis habitare? cur enim membra fidelium membra* CHRISTI *sunt? Nescitis, inquit, quia membra vestra membra sunt Christi? membra igitur Christi, meretricis faciam membra? absit. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat*

Cyrill. l. 3. in Ioan. c. 37. t. 1.

Ioan. 6.

Idem l. 10. in Ioan. c. 15.

1. Cor. 6.

Christus est in nobis dupliciter.

Qualis mansio Christi in nobis teste Cyrillo.

enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vita corpus ei coniungeretur. Hæc ille, potenter & clarè indicans præsentiam corporis Christi, & effectum eius mirabilem.

Idem. Idem in epistola ad Calosyrium Episcopam Arsinoitem: *Nec dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente; Hoc est corpus meum; sed potius suscipe verba Seruatoris in fide. Cùm enim sit veritas, non mentitur. Insaniunt igitur dicentes, mysticam benedictionem a sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ manserint eius in diem sequentem.* Idem Anathematismo 11. in Theodoretum.

Ioan. 14. Idem to. vlt. circa finem.

Euseb. Cæsarien. l. 1. de demonst. Euangel. c. 10. to. 1. Eusebius libro de demonstratione Euãgelica tomo primo. *Quando igitur,* inquit, *secundum testimonia Prophetarum inuentum est magnum, magniq; æstimandum pro redimendis, & Iudæis pariter & Græcis pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro anima cunctorum hominum sacrificium, illa pro omni macula, & peccato purissima hostia, ille vtique Agnus Dei, illa Deo accepta, & mundissima ouis, &c. meritò sanè quando illius memoriam, corporisq; eiusdem, & sanguinis recordationem quotidie celebrant, & ad longè præstantius & sacrificium, & munus assumpti sunt, quàm illud antiquius fuerit.*

Ioan. 1.

Chrysost. hom. 3. in epist. ad Ephes. tom. 4. Beatus Chrysostomus homil. 3. in epistolam ad Ephesios; *Quotquot in corpore Christi communicamus, quotquot sanguinem illius degustamus, cogitemus quod illius corpus, & sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet.. qui ab Angelis adoratur, qui ad immortalem est potẽtiam.* Hæc eadem ad verbum fermè repetit in homilia quadam ad Populum Antiochenum. Idem in Ioannem: *Quare necessariò dicendum, quàm admiranda mysteria, & cur data sint, & quænam eorum vtilitas. Vnum corpus sumus, & membra ex carne, & ossibus eius. Quare initiati eius præceptis parère debent. Vt autem non solùm per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est.* Et infrà: *Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate adstringeret, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.* Idem in Matthæum: *Non enim (ait) sufficit ipsi hominem fidei, flagellis interim cædi, sed nos secum in vnam (vt ita dicam) massam reducit: neque id fide solùm, sed re ipsa nos corpus suum efficit.* Et infrà: *Multæ matres post partum alijs nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere noluit. sed proprio corpore nos alit, & sibi coniungit atque conglutinat.* Et paullò superius: *Nihil sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus; omnia verò quæ tradidit, insensibilia sunt: sic & in baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur; quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet, ac renouatio, intelligibile quidem est: nam si tu incorporeus esses, nude ipse dona incorporea tradidisset tibi; quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. O quot modò dicunt; Vellem formam, & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre, ipse veró se ipsum tibi tradidit, non vt videas solùm, verum etiam vt tangas, & in te habeas.* Idem in Matthæum: *Quando igitur Sacerdotem corpus tibi præbere videris; noli Sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari. Nam quemadmodum in Baptismo non a Sacerdote baptizaris, sed à Deo caput tuum in virtute visibili tenetur, non ab Angelo; nullus enim prorsus id facere potest: ita etiam nunc.* Et iterum explicans illa verba: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum,* ita interrogat, *Quomodo turbati non fuerunt, cùm hoc audissent?* & respondet: *Quia multa iam, & magna de hoc ante disseruit.* Et addit: *Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis, dicerent; Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.* Idem homil. De Iuda proditore, & homil. In nouam Dominicam, & in Apostolum Thomam: *Beati,* inquit, *qui non viderunt & crediderunt. Ad nos pertinet hæc beatitudo, qui non vidimus eum, & credidimus in eum. Beati enim qui fide vident eum, qui videri potest. Beati nos qui in vnoquoque conuentu Ecclesiæ eum videmus, eumq; oculis admonemus, & ore salutamus, ac dentibus edimus, & quem edimus, sed non consumimus. O Sacramenta inaudita, ô Sacramenta tremenda? qui sedet ad dexteram Patris, in dextris hominum peccatorum reperitur, & qui ab Angelis laudatur, fœdis manibus tenetur, & portat qui portatur ab indignis, qui eum portent: non fugit manus peccatrices, non fugit digitos reos, non conterit ex luto fictos eorum autor: quin potius ipse hortatur, & dicit, Accipite, edite, & adhibete manus vestras, & mittite in latus meum. Et omnes mea membra tenetis: quodcunque enim ceperitis, in eo sum totus, qui à Thoma contrectatus sum. Accedamus ergo omnes purè ad purum.* Sic ille. Longum esset omnes sententias Chrysostomi de Euacharistia enumerare, q̃ ferè innum eræ

Idem hom. 61. ad Pop. Antioch. tom. 5. Idẽ hom. 46. In Ioan. to. 3. Idẽ hõ. 82. & 83. in Mat. t. 2. Idem hom. 51 in eundem. Idem ibidem, hom. 83. Idem tom. 5. Ioan. 20.

numeræ ſunt: qui ex Græcis plura legere voluerit, legat in primis Theodoritum in dialogo contra hæreticos, qui inſcribitur, Impatibilis; eundem in Tripartita hiſtoria duob' in locis: legat Damaſcenũ ſupra productum: hic enim ait l. 4. de orthodoxa fide c. 14. *Non eſt figura panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti: abſit enim hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini Deificatum, ipſo Domino dicente, Hoc eſt meum (non figura corporis, ſed) corpus, & non figura ſanguinis, ſed ſanguis, & ante hoc ipſis Iudæis: Quoniam niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam æternam.* Legat Theophylactum, & Euthymium in verba cœnæ Dominicæ recitata à tribus Euangeliſtis, & in caput Ioann. 6. multa enim pulchra & egregia continent.

Sed iam redeamus ad Patres Latinos. Inter quos Hilarius, libro de Trinitate tractans illa verba: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem,* ita habet: *De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta atq; hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Contingat plane his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in Deo eſt.* Ambroſius in illud Apoſtoli; *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat,* ita commentatur: *Quia enim morte Domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo & potando carnem & ſanguinem quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus, Nouum Teſtamentum in his conſecuti, quod eſt, noua lex, quæ obedientem ſibi tradit cœleſtibus regnis.* Idem libro de Sacramentis: *Ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus, & ſanguinem: nunquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare?* multa etiam alia ex eodem libro ſuperius protulimus. Beatus Auguſtinus multas ſententias, & in Pſalmos, & in Ioannem, & in ſermonibus, & in tractatibus contra hæreticos continet, quas enumerare, nedum citare longum eſſet: ſed præſertim lege librum tertium de Trinitate, & in Pſalmum 33. & epiſtolam ad Caſulanum, & in Leuiticum, & ſermonem ad Neophytos. Optatum præterea. B. Hieronymus in epiſtola ad Hedibiam, *Si ergo panis,* inquit, *qui de cœlo deſcendit, corpus eſt Domini; & vinum quod diſcipulis dedit, ſanguis illius eſt Noui Teſtamenti, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum; Iudaicas fabulas repellamus, & cæt. Nec Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus: ipſe conuiua, & conuiuium: ipſe comedens & qui comeditur: Illius bibimus ſanguinem,*

Theo dial. 3. par. 2 a med. Idem l. 7. Tripar c. 11 & l. 9. c. 30.
Damaſ. l. 4 de orth. fide c. 14
Matt. 26.
Ioan. 6.
Theophyl. Euthym.
Hilar. l. 8. de Trinitate.
Amb in c. 11. primo ad Cor. to. 5.
Id. l. 4. de Sac c. 5. to. 4.
Aug. c. 8. & 9 & 10.
Id. to 3.
Id. ep. 8 to 2.
Id. l. 3 in Leuit. c. 57. to. 4.
Idem to. 10.
Optatus l. 6. in Parmenia.
Hier. ad Hed. q. 2. to 3.
Ioan. 6.

& ſine ipſo potare non poſſumus. Idem epiſtola ad Theophilum, aduerſus errores Ioannis Ieroſolymitani, & in commentarijs epiſtolæ ad Titum. Paulinus duabus epiſtolis ad Seuerum Sulpitium miſſis egregiè veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento tradit. Adhęc Iuuencus Hieronymo antiquior, Euangelicam hiſtoriam deſcribens, ait:

Hæc vbi dicta dedit, palmis ſibi frangere panem
Diuiſumq; dehinc tradit, ſanctumq; precatus
Diſcipulos docuit proprium ſe tradere corpus:
Hinc calicem ſumit Dominus, vinoq; repletum
Sanctificat gratis verbis, potumq; miniſtrat;
Edocuitq; ſuum ſe diuiſiſſe cruorem
Atque ait; Hic ſanguis populi delicta remittet.
Hunc potate meum, iam veris credite dictis?

Sedulius etiam li. 4. operis Paſchalis ita habet:

Nec Dominum latuêre doli; ſceleriſque futuri
Prodidit autorem, panem cui tradidit ipſe,
Qui panis tradendus erat; nam corporis atque
Sanguinis ille ſui, poſtquam duo munera ſanxit,
Atq; cibum, potumq; dedit, quo perpete nunquam
Eſurient, ſitientq; animæ ſine labe fideles.

Adde tertium Poëtam Chriſtianum Prudentium, antiquitate illis proximum, qui in Pſychomachia eleganter ſcripſit de typis & antitypis huius ſpiritualis eſcæ, & potus, dicens:

Excidit ergo animis eremi ſitis, excidit ille
Fons patribus de rupe datus, quem myſtica virga
Elicuit ſciſſi ſalientem è vertice ſaxi.
Angelicusve cibus prima in tentoria noſtris
Fluxit auis? quem nunc ſerò felicior æuo
Veſpertinus edit populus de corpore Chriſti.

Hæc ille, aſſerens typis mannæ, & aquæ de petra percuſſa ſucceſſiſſe corpus Chriſti. Auguſtinus plures hanc veritatem confitetur, & inter alia libr. 6. contra aduerſarium legis & Prophetarum ait: *Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, carnem ſuam nobis mãducandam, bibendumq; ſanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere.* Et lib. contra Fauſtum Manichæum: *Habet magnam vocem Chriſti ſanguis de terra, cum eo accepto ab omnibus*

Ibidem.
Idem.
Idem to. 9.
Paulin. Epiſ.
Iuuencus.
Sedulius.
Prudentius de luxuriæ, & ſobrietatis pugna.
Exod. 79
Pſal. 77.
Aug. l. 2. cont. aduerſ. leg. & Proph. c. 9. t. 6
Id. l. 12. cont. Fauſt. c. 10. to. eod.

Gentibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. Et in Psalmum 98. *Suscepit de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini; & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando,* Et infra: *Durum illis visum est quod ait. Nisi quis manducauerit carnem meam, non habebit vitam æternam: acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt, Durus est hic Sermo. ipsi erant duri, non Sermo.* Et in Psalm. 33. exponens eius titulum: *Immutauit os suum coram Achis, & collabebatur inter manus eorum,* pro quo ipse legit: *Et ferebatur manibus suis,* ait Augustinus: *Hoc verò fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam, non inuenimus; in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Et infra: *Quomodo ferebatur in manibus suis? Quia cum commendaret ipsum corpus suum, & sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodò, cum diceret, Hoc est corpus meum.* Hæc ille, qui & in Psalmos, & in Euangelium Ioannis, & in alijs tractatibus plura habet firma testimonia realis Christi existentiæ in Sacramento Eucharistiæ. Facile esset ex multis alijs Patribus similia producere testimonia, nisi producta satis forent. Legat qui volet, Cassianum in collationibus suis, Eucherium Lugdunensem Episcopum in quæstionibus Noui Testamenti in principio, Bedam lib. de mysterijs, Paschasium libr. de Christi corpore, Anselmum li. de corpore Christi, Victorem in historia Wandalica, Bernardum in epistola contra Abailardum; & omnes illos, qui contra Berengarium suo seculò scripserunt: vt Lãfrancum Cardinalem, Algerium, Guimundum. Fuit aũt Berengarius, Archidiaconus Gandauensis, discipulus Petri Abalardi, in quem Bernar. scripsit: qui primò abiurauit hæresim suam in synodo Wercellensi sub Papa Leone, deinde abiurauit Romæ sub Nicolao II. ab eo ad Concilium vocatus: posthæc cum redijsset ad vomitum sub Gregorio VII. in Concilio Romæ coacto, fecit illam reuocationẽ, quę habetur apud Gratianũ in cap. ego Berengarius. De quo scribit Ioannes Gerson: quòd cum ille extremo decumbens morbo mortis horam viciná præsentisceret in die Epiphaniæ, alludens ad nomen Apparitionis dixerit: *Hodie apparebit mihi Dominus Iesus: vel ad gloriam, vt spero, propter pœnitentiam meam; vel ad damnationem, sicut ego formido, propter aliorum corruptionem, quos ad vitam veritatis adducere non potui.* Testatur etiam B. Bernardus in vita Malachiæ simile de quodam clerico, qui ausus fuerat dicere, in Eucharistia esse Sacramentum, id est, corporis significationem, non autem veritatem: super quo cõuictus ab Episcopo, nec resipiscens, incidit in extremum vitæ discrimen, & agnito errore, sententiam suam reuocauit. Quòd verò hi duo traditi nõ sint brachio seculari per Episcopos hoc fuit, quia necdũ tales canones, vel leges traditæ erãt, de tradendis brachio seculari ijs, qui pertinaciter in suo errore persisterent; aut in eosdem semel abiuratos relaberentur. Volo tamen verba Ruperti referre, qui de hoc Sacramento sentẽtiam rogatus, in hũc modũ respondit *Breuiter tibi nunc pando, qua vel quomodo sentiens de viuifico corporis & sanguinis Domini Sacramẽto tractauerim illa eiusdem Domini verba, quibus Sacramentum illud commendat; quoniam caussarum supradictarum prima hæc erat. Tribus essentiæ modis corpus & sanguis Christi est, quarto autem differt. Est enim nomine, re, atque effectu; differt vero specie. Est, inquam, nomine, quia summus cœlorum Pontifex; qui cum sit ipsa veritas, nomina non vana rebus ponere solet, adeo fortiter nomen hoc impreßit, vt non saltem diceret, Hoc vocetur corpus meum: hoc vocetur sanguis meus; Sed, hoc, inquit; est corpus meum: hic est sanguis meus. Est etiam re, quia nimirum Sanctum Sanctorum est: quam verè in illa specie, qua traditus, & lanceatus ipse Sanctus Sanctorum est, est nihilominùs effectu, quia quam verè in illa specie, qua pependit in Cruce, remißionem peccatorum operatus est omnibus ab Abel iusto vsq; ad latronem, quem in cruce confitentem suscepit, tam verè in istis speciebus panis & vini eandem operatur remißionem peccatorum omnibus qui ingreßi sunt, vel ingrediuntur ad eandem fidem, postquam illa species hinc transiuit, & sese in cœlum recepit, Quarto idem specie differt, quod & plurimum prodest: non modo ne color, aut sapor sanguinis humani horrorem sumentibus illum faciat; Sed vt & competenti antidoto, nimia parentum nostrorum curetur credulitas: crediderunt enim deceptori diabolo in eo quod non videbant, scilicet quod illi ligno consequendæ diuinitatis effectiua virtus inesset, & comedentes mortui sunt. Credamus*

Id to. 8.

3. sent dist. 9. c. alijs aũt, in fin.

Idem Concione 1. to. 8. 1. Reg. 21.

Matth. 26.

Id. Conc. 2.

Cassian. coll. 22. c. 7.
Eucher.
Beda.
Paschas.
Anselm.
Victor l. 1 hist VVandalica
Lanfrancus Cardin.
Algerius.
Guimund.
Bereng. quis fuerit, eiusq; conuersio.

Ioan. Gerson. part. 4. alpha. 64.
Verba Berengarij ante mortẽ suam.

Bernard.

Rupert. Tuit.

Trib⁹ essentię modis corp⁹ & sanguis Christi est, quarto autem differt.

Luc. 23.

Gen. 3.

econ-

econtra fideli Saluatori in eo quod videmus, ſcilicet panem & vinum in veram corporis & ſanguinis transiiſſe ſubſtantiam : & comedentes atque bibentes, viuamus in æternum. Hæc ille. Denique in Liturgia Græca Chryſoſtomi legitur : *Oſtendit Sacramenta populo Pontifex dicens : Sancta ſanctis. Clerus & populus reſpondet: Vnus ſanctus, vnus Dominus, in gloria Dei Patris, Amen.* In quæ verba ſcribens Nicolaus Cabaſila, hæc addit: *Ipſi autem pietatem oſtendẽtes & fidem, & adorant, & benedicunt, & Ieſum, qui in eis intelligitur, vt Deum celebrant : & vt ſit ſplendida glorificatio, ex verbis Propheticis eam faciunt : Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & apparuit nobis.*

Liturgia Græca Chryſoſt.

Nicolaus Cabaſila c. 39.

Pſal. 117.

Rationib. eadem veritas cõprobatur.

Quod ſi traditioni Patrum rationes Fidei lumine, & pietate refertas adiũgere velimus; omnibus modis comprobata relinquetur hæc veritas. Ac prima ſumatur ab ſtatu Noui Teſtamenti, qui ea ratione potiſſimum differt à veteri, quod ille vmbras, & figuras tantùm continebat; Nouum verò ipſam rerum veritatem. Cùm igitur pars potiſſima Noui Teſtamenti ſit Euchariſtia, quæ aliorum omnium eſt finis; Chriſtum reuerà continebit, & non in ſigno, alias adhuc eſſemus in vmbris, & figuris. Secunda ſit, à figuris huius Sacramenti, quæ in veteri Inſtrumento ſecundùm Doctores præceſſerunt, vt agnus Paſchalis, manna, panes propoſitionis, panis & vinũ Melchiſedec; quæ omnia, ſi non eſſet præſens Chriſtus in Euchariſtia, non fuiſſent à Deo conſcripta ad figurandum ſolùm panem: nam ita nobiliores eſſent figuræ re ipſa figurata. Tertia ratio à nominib. ipſius Euchariſtiæ, dicitur enim Euchariſtia ob gratiarum actionem, quam de tanto beneficio Deo debemus: & profectò non haberet locum, ſi tantum nudum panem contineret. Dicitur etiam cõmunio, ob id quod qui illa vtuntur, admirabilem per ſe vnionem, & cõmercium comparant: quòd non eſſet, ſi ſolum in pane communi edendo communicarent. Vocatur Synaxis, nempe collectio, quòd illam participantes in vnũ colligat; quod communis panis non efficeret. Appellatur panis ſuperſubſtantialis apud Matthæum; ergo aliam ſubſtantiam ab ea, quam ſenſus, vel ratio indicat, continet. Dicitur cœna Dominica ab Apoſtolo, quòd Domini corpus in ea ſumamus. Myſterium fidei, quòd in nudo pane non lateret, niſi aliquod arcanum contineat : nam panis ſuperſubſtantialis, & cœna Dominica dici non meretur. Dicitur ſummum ſacrificium, ergo aliquod maius in ſe complectitur, quàm ſenſus aſſequatur; alioqui non vinceret ſacrificia omnia legis naturæ, vel Moyſi. Nominatur etiam corpus, & caro Domini, cõmunicatio corporis Chriſti, participatio ſanguinis Chriſti: per quæ nomina abſolutè prolata Euchariſtiæ Sacramentum concipimus; cùm tamen per nomina per ſe prolata, id quod propriè ſignificat, non id quod metaphoricè, ſoleamus intelligere. Nec enim per lapidem, vel vitem, vel agnum, cùm per ſe proferuntur, Chriſtum intelligimus, ſicut cùm dicimus corpus Domini, aut ſanguinem Domini. Quarta ratio, à probatione neceſſaria ad ſumptionem Euchariſtiæ, de qua Apoſtolus ad Corinthios ſcribit; ergo reuerà eſt ibi corpus Chriſti, & non ſolùm in figura; cùm ad ſumendas nudas figuras, vt manna & agnum Paſchalem, talis probatio nõ requiratur; imò ſiue nouo peccato illas ſumerent, quemadmodum etiam hodie panem benedictum.

Noui Teſtamenti potiſſima pars eſt Euchariſtia.

II. ratio

Exod. 12.

Exod. 16.

Exod. 25.

Gen. 14.

Tertia. Euchariſtiæ variæ appellationes cum rationibus illatum.

Matt. 6.

1. Cor. 11.

Matth. 26.

1. Cor. 10.

IV. Ratio.

Ibidem.

Quinta ratio, ab effectibus ipſius Euchariſtiæ: vt enim ex ſanctorum Patrum lectione, & experimentis frequenter accedentium ad Euchariſtiam conſtare poteſt, admirabiles profectò, & ſupra naturã ſunt poſiti in animis ſumentium fructus Euchariſtæ: quos quidem purus panis non efficeret, præſertim in his, qui fide apprehendunt ibi eſſe Chriſtum, quorum fidem, ſi falſa eſſet, Deus his effectibus non confirmaſſet, nec etiam nunc confirmaret, nam omni tempore magnus errorum & lapſuũ, deformitatiſq; Eccleſiæ fuit neglectus, vel abuſus huius Sacramenti; ſicut profectus, & reformatio Eccleſiæ ex fideli, & religioſa frequentatione Sacramẽti nata eſt. Sexta ratio, à ſignis, & miraculis, quæ iuxta Doctores probatos, & Eccleſiaſticos hiſtoriographos in hoc Sacramento ſæpè contigerunt: Quæ ſi Dñs ad oſſa Eliſæi, & cineres Martyrum edidit, mirum eſſe non debet, ſi ad tanti Sacramenti fidem ingenerandam, vel ad errores deſtruendos, ſæpè ediderit. Cyprianus enim nonnulla recenſet. Nam ignem erupiſſe ex arca, in qua repoſita erat Euchariſtia, ad quam muliercula minus reuerenter accedebat. Puella etiam, quæ olim de idolothytis comederat, miro horrore refugiebat bibere ſanguinẽ; quem vi infuſum à Diacono, coacta eſt euomere. ¶ Alius etiam minus religioſus, panem ſanctum manu domum deferẽs, cùm domum aduenit, in cinerem mutatum inuenit. Ambroſius quoq; in oratione de obitu Satyri fratris, refert eum à naufragio liberatum, quod fide, & ſpe liberationis Euchariſtiam petierit, & orario inuolutam in collo geſtauerit. Euſebius Cæſarienſis Serapionem

V. ratio ab Euchariſtiæ fructibus.

Profectus, & reformatio Eccleſiæ vnde orta ſit.

VI. à miraculis Euchariſtiæ.

4. Reg. 13.

Cypr ſer. 5. de lapſis.

Ambr. to. 3. prope initium

Euſeb. li. 6. Eccl. hiſt. c. 34

docet olim lapsum in extremis per quatriduum laborasse, nec potuisse è corpore migrare, donec Sacerdos tunc ægrotus per puerū misit illi parum Eucharistiæ, quod infusum sibi dari præcepit: & ea accepta spiritum lætiorem Domino reddidisse. Augustinus in libris de Ciuitate Dei asserit sacrificio Eucharistiç per quendam ex presbyteris suis celebrato, liberatam esse domū cuiusdam Hesperij tribunitij à vexatione dæmonum, quam læsionem in seruorum suorum, & animaliū corporibus expertus fuerat. B. Gregorius in dialogis recenset Agapitum Pontificem, Eucharistia in altera parte tantùm porrecta, cæcum, & mutum sanasse. Idem in eisdem dialogis refert, quendam apud hostes in captiuitate positum, & in vinculis religatum fuisse, ꝓ quo sua coniux diebus certis sacrificium offerre cōsueuerat: quibus diebus vincula soluta fuisse, postea innotuit. Beda etiam in historia Anglorum, quam conscripsit, his similia recenset. Non sunt aūt isti autores aut contēnendi, aut in suspicionem vocandi, cùm sint omni exceptione maiores.

Aug. l. 22. de Ciuitate Dei, c. 8. to. 5.

B. Greg. l. 3. Dialo. c. 3. t. 2. Idē l. 4 c. 57.

Beda l. 3. init.

Septima ratio, ab adoratione Ecclesiæ, quæ summo cultu hoc Sacramentum semper venerata est, & quā diuina prouidentia ab errore, & omni simulachrorū cultu semper seruauit. Quod si in hoc peccatum esset ab Ecclesia, vbi est promissio Spiritus, qui doceret omnem veritatem? vbi pollicitatio Domini, qui dixit ad Samaritanam: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate?* Nam post consecrationē mox assistunt cœlestes intelligentiæ, & Angeli, omnē adorationis cultum exhibentes, & fideles assistentes Missæ sacrificio, ad admirationem, & venerationem excitant. Nam hæc sunt verba Chrysostomi in homilia de Eucharistia in Encœnijs: *Papè*, inquit, *mensa in mysterijs instructa est, & Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, sanguis spiritualis ex sacra mēsa resilit, Seraphim astant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis spiritualis è cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, & non erubescis? reuereris, confunderis, neq; Deum tibi propitium facis?* Et infrà: *Accedentes, ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim, forcipe ignem, quem scilicet Esaias vidit, nos accipere.* Similia tradit libro tertio de Sacerdotio. Et Greg. noster libro 4. Dialogor. cap. 43. *Quis enim fidelium*, inquit, *habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoq; ex visibilibus, & inuisibilibus fieri?* Pleraq; his similia apud veteres Patres inuenies. Quis autem dicat, Angelos aut non adorare Christum, aut creaturæ cultum latriæ tribuere?

VII. ratio cultu Eucharistiæ.

Ioan. 16.

Suprà 4.

B. Chrys. to. 3.

Esai. 6.

Ibidem.

Idem.
D. Greg. to. 2.

Octaua ratio, atque postrema, à pacifica possessione huius veritatis: quia à tempore Apostolorum vsque ad Berengarium nullus extitit in Ecclesia Dei, qui negotium illi facesseret, aut aliter sentiret, vt tot annorū seculis in hac veritate credēda, atq; publicè profitenda cōstantissimè, nemine reclamante, præscripserit: quod veritatis certissimę argumentum est, & vt ille dixit: Veritas est filia temporis. Proinde precemur Dominū, vt in tantæ fidei mysterio nos indies corroboret, atque confirmet, & eos qui diuersum sapiunt, ad Ecclesiam sua misericordia reuocet, vt gloriam vno ore illustremus Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis honor, gloria, atq; gratiarum actio sit seculis sempiternis, Amen.

VIII. ratio.

Veritas est filia temporis.

TRACTATVS XXIII.

In quo argumenta resoluuntur, quæ vel ex Scripturis, vel ex Patribus fiunt ab hæreticis, ad probandum, vel tropicam esse locutionem, vel ibi non esse corpus Christi verum.

PRæstabo officiū boni medici, qui tempore imminentis pestis solet præmunire medicamento aliquo, & antidoto præsentaneo homines ad contrahendum morbum procliues: ita ego scrupulos & tentationes dæmonis, atq; ministrorum suorum propulsare conabor, quæ contra hanc tanti Sacramenti veritatem, aut oriuntur ex infirmitate carnis, aut aliunde ingeruntur. Et si autem tentari, peccatum nō sit, sicut nec honestissimam fœminam, & pudicitię amātem ab aliquo impudico ad malum solicitari; bonum tamen est armatum incedere, ne tentationibus consensus præbeatur. Tentantur autem quidam, ne credant ibi Christum adesse; quidam credentes, ne venerentur, & adorent Eucharistiam. Vel ne assistāt sacrificio, vel vt minus piè & religiosè assistant: tentantur postremò alij, vt rarò, aut nunquam accedant ad sacram mensam, aut vt accedentes indignè, iudicium sibi manducent & bibant, sed omnes hæ tentationes gladio verbi Dei sunt repellendę, ac superandæ.

Prudētis medici officium.

Tentari qua ratione malum sit.

Variæ tentationes circa Eucharistiā.

1. Cor. 11.

I. arg. contra veritatem corporis Christi præsentiã in Eucharistia. *Mat.26. Infra vlt.*

Primùm igitur argumentantur quidam ex verbis Domini: Semper pauperes habebitis vobiscum; me autem non semper habebitis. Sed cum idem ipse alibi dixerit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi*, necessum est, vt vtrumque verum existat. Christum ergo non habemus secundùm humanitatem imbecillam & egentem, cui dando aliquid possimus succurrere: habemus autem illum in sacra Eucharistia, in qua potest, & vult nobis indigentibus succurrere, nosque miserari: quemadmodum nobiscum est præsens per auxilium & fauorem, iuxta id: *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Est etiam adhuc præsens, & egens, non tantum in se, sed in membris suis, de quibus dixit: *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Et. *Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Adhæc Dominus dixit: *Iam non sum in mundo; & hi in mundo sunt*; Cùm tamen Christus nondum discessisset ac eis, imò à morte rediens per quadraginta dies vsq; ad ascensionem cum discipulis versatus est, quin etiam post ascensum bis in terris visus est à B. Paulo, vt est in Actis. Nec Christus in Scripturis vnquam sibi terris interdixit: imò resurgens asseruit: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: præcipuè autem in omni potestate est libertas ostentandi se, cùm vult. Et in cælo non est veluti in ergastulo aliquo, vel carcere conclusus, vt nequeat venire si velit, vel inuisibiliter adesse mysterijs, etsi oculis corporis non cernatur, quemadmodum angelus qui tibi præsens est, oculo carnis non cernitur. Et vt olim Deus vbiq; erat, voluit tñ peculiari ratione habitare in medio populi, hoc est, in tabernaculo: ita etsi Christus cuncta gubernet, & vbiq; adsit per prouidentiam suam, peculiari ratione habitat in Eucharistia.

Christi in nobis præsentiæ varius mod' & effectus. *Matt.18.* *Mat.25. Ibidem.* *Ioan.17.* *Act.9. & 23. Mat.vlt.* Deus vbi cũ Iudæis habitaret. *Leuit.26.*

II. argum. *2 Cor.5.*

Deinde obijciunt ex Apostolo: *Et si cognouimus Christum secundum carnem: sed nunc iam non nouimus.* Quid igitur hic somniamus carnem Christi, de qua ipse Dominus dixit: *Caro non prodest quicquam?* Respondet B. Aug. verbum illud, secundùm carnem, intelligendum esse secundùm carnis corruptionẽ, sitim, famem, labores, dolores; quo modo eum non talem amplius nouimus, sed regnantem ad dexterã Dei. Theophylactus in hunc modum respondet: *Quia omnes occisi à peccato, reuiximus, & viuificati sumus per Christum, per baptisma, merito neminem nouimus fidelium, inquit, secundùm carnẽ viuentem, hoc est, iuxta veterem; & carnalem vitam. Omnes enim spiritu regenerati, nouam & spiritualem vitam auspicantur, ducuntque.* Et infra: *Christus autem secundùm carnem vixisse dicitur, quando secundum naturales, inculpatos tamen motus, & affectiones vixit, esuriens, sitiens, dormiens, laborans. Nunc autem non est secundùm carnem, hoc est, ab his naturalibus & inculpatis affectionibus liberatus est, impassibile & immortale corpus habens, vt omninò, & nos abundè doceat, ne porrò viuamus secundùm carnem, & peccabiliter, sed secundùm spiritum.* Eodem modo interpretatur Oecumenius, & ante eum, & ab eo citatus, Clemens in libris Informationum.

Ioan.6. Aug.l.11. cõt. Faustum. c.1. & c.10.6. Quo sensu non amplius Christum nosse se negaret Apostolus. *Theoph in c. 5 post. ad Cor.*

Christus secundùm carnem quomodo vixerit. *Oecum. in c. 5 poster ad Corinth. c.7. Clemens li.4. Informationum*

III. argum. *Luc.22. 1.Cor.11.*

Tertiò argumentantur ex illo verbo: *Hoc facite in meam commemorationem*; cõmemoratio autem & typus non sunt res ipsa. Respondemus negando consequentiam: imò summa commemoratio res ipsa est, vt summa imago idem est cum eo, cuius imago est secundùm Hilarium: quia Filius imago Patris, eadem est deitas, & essentia cum Patre: ad hæc summa gratia, siue summa ars natura est. Ideò diuina natura, q̃ data est Christo homini, maximum donum fuit. iuxta illud: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Et vt ait Paschasius: *Vt virtus, & splendor gloriæ, & humanitas character, id est, quasi litera, qua capitur sensus Verbi: ita, quod videtur exterius in Eucharistia, est figura eius quod intus creditur.* Et infra: *Veritas ergo dum virtus Christi, & sanguis virtute Spiritus in Verbo ipsius ex panis, viniq; substantia efficitur; figura verò, cum Sacerdos quasi aliud exterius gerens ob recordationem sacræ passionis ad aram quod semel gestum est, quotidie immolatur agnus.* Hæc ille, docens actus Sacerdotis, esse commemorationem eorum, quæ fecit Christus, non ipsam Eucharistiam. Dici etiam potest, quod ipse Christus refert se ipsum, olim in cruce, & morte sua mundum liberantem, non verbo, nec facto per alium, sed per seipsum. Non secus atque Rex si olim per seipsum ciuitatem magno ingenio, atque industria liberasset, ac posteà ipse in comœdia, vt rẽ populo suo gratam faceret, per seipsum liberationem ciuitatis repræsentaret: nam tunc concurrerent veritas & figura. Vt igitur panis, vel pannus, vel liber prostans in fenestra pistoris, vel mercatoris, vel bibliopolæ, signum est ibi vendi panem, & pannum, & libros, ita vt panis ipse ante fores propositus, vel pannus idem numero, vel liber etiam vendatur: ita in Eucharistia simul sunt signum, & Sacramentum corporis Christi, & naturale corpus Christi: estq; signum alimoniæ hîc exhibitę per gratiam, & fruitionis in gloria conferendæ, iuxta illud:

Hila.l. de Synod. ante med *Ioan.10. Paschasius B. de corpore Christi.* Christi humanitas qualis character eius sit. Quemadmodum in Eucharistia simul sint signum, & Sacramentum corporis Christi & naturale corpus Christi.

O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur:

Recolitu

Recolitur memoria passionis,
Mens impletur gratia:
Et futura gloriæ nobis pignus datur.

Vrna mannæ quid mysticè. *Exod. 16.*

Vrna mannæ, signum erat, quod olim pasti sunt manna per quadraginta annos Iudæi: erat tamen ipsum verum manna. Species igitur sensibiles sunt signa Christi insensibilis; & ipse Christus sub speciebus panis & vini contentus, symbolum Christi olim in cruce immolati, effusiq; sanguinis eius, & iterum signum cibationis per gratiam, & gloriam. Atque ita intelligendum est illud August. in Psalm. 3. *Iudam adhibuit Dominus ad conuiuium, in quo corporis sui figurã discipulis commendauit & tradidit*: nam ibi agit de corpore & sanguine, prout in cruce Deo oblata sunt, quæ repræsentantur in Eucharistia. Et lib. 20. contra Faustum, loquens de sacrificio crucis, & passionis Christi: *Huius*, inquit, *sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinũ promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur.* Ita etiam Ambrosius in 1. Corint. 11. *Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores, in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Sic ille. Etsi Oecolampadius autoritate hæretica, post verbum, potando, ponat distinctionem, cùm ponenda sit post carnem, & sanguinem: alioqui illa Gerundia, edendo, & potando, non haberent Accusatiuum quem regunt. Non ergo est bona consequentia, hoc est, figura corporis, ergo non est corpus: sicut non valet: Christus apparens duobus Discipulis, cùm fingit se longius ire (sicut Augustinus docet) significauit se post paucos dies in cælum ascensurum esse: quod iter longè remotum est à communi hoĩm vita, quæ in ipsis duobus discipulis figurata est: ergo ipse fingens non erat Christus. Est ergo Christus ipsius Christi Sacramentum, idem quidem eiusdem, nec tamen vsquequaq; eiusdem. Et quod idem esse possit figura, & res, ostenditur autoritate Tertulliani lib. aduersus Marcionẽ, dicentis: *Planè de substantia Christi putant & hic Marcionitæ suffragari Apostolum sibi, quòd phantasma carnis fuerit in Christo, cùm dicit, quòd in effigie Dei constitutus nõ rapinam existimauit pariari Deo, sed exhausit semetipsum, accepta effigie serui, non veritate: & in similitudine hominis, non in homine, & figura inuentus homo, non substantia, id est, non carne: Quasi non & figura, & similitudo, & effigies substantiæ quoque accidant. Bene autem quod & alibi Christum imaginem Dei inuisibilis appellat (scilicet Apostolus) Nunquid ergo & hic qua in effigie Dei collocat? æquè non erit Dei Christus verè, si nec homo verè fuit in effigie hominis constitutus? Vtrobiq; enim veritas necesse habebit excludi, si effigies, & similitudo, & figura phãtasmati vindicabitur.* Et Ambrosius epistola ad Irenæum: *Nec sibi*, inquit, *blandiatur virus Apollinare, quia ita legitur: Et specie inuentus vt homo: non enim negatus est homo Iesus, cùm alibi ipse Paulus de eo dicat: Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sed confirmatus est. Id enim vsus & moris Scripturæ sic significare.* Sic & in Euangelio legimus: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre.* Sicut ergo quasi vnigenitus dicitur, & non abnuitur vnigenitus Filius Dei: ita nõ valet: Hoc est, Sacramentum, seu figura corporis Domini, ergo non est corpus Domini. Imò apud Latinos autores figura tam ad substantiam, quàm ad qualitatem extẽditur: à fingendo enim deriuatur: fingimus verò, quæ componimus, aut efficimus. Idcirco Christus dicitur figura substãtiæ, Patris scilicet. Et Sap. 8. *In ventre matris figuratus sum caro.* Et Lactantius; *Homo*, inquit, *ex rebus diuersis ac repugnantibus configuratus est, ex animo, & corpore.* Et in hunc sensum Ambrosius libro de Sacramentis dixit, Sacramenta transfigurari in carnem, & sanguinem Christi, & Christum in imagine offerri, in cælo in veritate: quia ibi apertus, hic velatus, & in recordationem passionis transactæ offertur.

Aug to. 8. ini. Quis sensus Augustini, dicẽtis, Iudã adhibuit ad conuiuiũ, in quo corporis sui figurã discipulis cõmendauit & tradidit. Idẽ cõtra Faustum c. 21 prope fin. tom. 6. Ambr. to. 5. circa finem. Oecolãpadij insignis astutia, & impudentia. Qualis hæc illatio: Hoc est figura corporis, ergo nõ est corp'. Luc. 24. Aug vbi supr Tertul l. 5. aduers. Marcionem. c. de epist. ad Philippen. sub initium. Philip 2. Coloss. 1. Ambr. epist. 47. tom. 3. Contra Apollinarem. 1. Tim. 2. Mos Scripturarum. Ioan. 1. Figura Latinis substantiã & qualitatem significat. Vnde nomen habeat. Hebr. 1. Lact. l. 7. c. 5. circa med. Ambr. l. 4 de Sacr. c. 5 to. 4.

Quartò obijciunt Bucerus, Caluinus, & Zuinglius: *Christus sedet ad dexteram Patris, ergo non est in Eucharistia.* Sed profectò vana est illatio: nam Deus totus est in cœlo, & etiam simul totus apud nos, & in manibus Sacerdotum continetur. Porrò Dominus præuidens hæreticorum istorum argumenta, dixit apud Ioannem: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius?* quasi dicat; cùm ascẽdero in cçlũ, subducta vobis corporis mei præsentia, ex hoc ipso cognoscetis posse me omnipotenti mea virtute, nõ obstante quòd ad dexterã Patris sedeo & permaneo, corpus meũ vobis in terris pro meo arbitrio, & modo mihi cognito, realiter, & substantialiter exhibere. Cui Christi incomprehensibili operationi, etsi nulla naturæ actio, efficiẽtiave queat cõparari, quia illa infinita, hæc finita sit: est tamen exemplũ Solis visibilis in cœlo, qui nonnisi nuda creatura est, necdũ glorificata vt corpus Chhristi: & tamẽ naturales suas virtutes ac proprietates vniuerso orbi cõmunicat: omnes creaturas viuificat, fœcundat, ac roborat, ita vt sui imaginem in omnibus, quæ eius capacia sunt, exprimat, & in exigua crystallo verum ignem præbeat; ita vt nemo sit qui se abscondat à calore eius:

IV. arg. Buceri, Caluini, ac Zuinglij. Deus vbique totus continetur. Ioan. 6. Hęc Domini verba quem sensum habeant: Si ergo videritis Filiũ hominis ascendentẽ vbi erat prius. Solis natura ac proprietates. Psal. 18.

Interim

Interim dum in cœlo est, hic etiam permanet, nullam sentiens, vel naturæ, vel virtutis diminutionem. Et Christus Dei viuentis Filius. Solis ipsius conditor, imò verus ipse Sol iustitiæ, non poterit omnipotenti virtute sua corpus suum cũ diuinitate inseparabiliter coniunctum, modo quo ipse nouit, re ipsa, & substantialiter ad animarum nostrarum, & corporum alimoniam, & conseruationem impertiri? Huius exempli vestigium porrigit Rupertus, ita dicens: *Horum omnium forma, facieq́ vera, ita secretò repræsentatur in Canone, eorumq́ procursu, & verè viuo flumine super panem, & vinum confluente, tam veram diuinitatem, veramq́ humanitatem Christi in cœlo sedentis, & regnantis excipimus; quàm veram substantiam ignis à Sole, supposita crystalli sphæra exigua fere quotidie mutuare possumus.* Sic ille.

Matth. 16. & sæpe alibi. Sol iustitiæ Christus.

Malac. 5. Rupert. Tuit. l. 2. diuin. offi. c. 2.

Quod ergo dicitur, vnum corpus non posse esse simul in pluribus locis: id naturæ infirmæ est conditio, quæ Deum supra naturam operantem non constringit. Quod dicitur inde, id est, de cœlo venturus, iudicare viuos, & mortuos: intellige cum gloria, & maiestate, omnibusque manifestus, qui modo absconditus in Eucharistia delitescit. Hinc Patres plerunq; asserunt, Christum simul esse in cœlis, & in Eucharistia. Hinc Chrysost. in Liturgia sua: Sacerdotem ita precantem introducit: *Qui sursum cum Patre sedes, & deorsum nobis inuisibiliter assistis.* Et alio loco: *Helias melotem quidem discipulo reliquit; Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit: sed Helias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.*

Vnũ corpus in pluribus simul locis nõ posse cõsistere, vnde sit. Christus de cœlo cur dicatur venturus ad iudicandũ viuos & mortuos. Chrys. l. 10. 5. in fine. Id hõ. 2. ad po. Antioch. to. 5. 4. Reg. 2.

Quintò arguunt, hunc articulum Eucharistiæ non esse positum inter alios in Symbolo fidei, cum tamen sit tam sublimis, & creditu difficilis: & tamen de Baptismo in symbolo continetur. Respõdemus, huius Sacramenti articulum non fuisse expresse & apertè positum in symbolo, quemadmodum de Baptismo, quia nulla de ea re hæresis in Ecclesia pullulârat: quemadmodum de baptismo, & alijs vsque ad Berengarium. Per mille enim annos, & eo amplius Ecclesia fuit in pacifica huius veritatis possessione. Quare B. Thomas huic argumento respondet: *Vnum, ait, officium Sacramentorum est; illa suscipientes sanctificare: & quantum ad hoc, reducitur ad illum articulum: Credo sanctam Ecclesiam: quantum ad illud verò, quod continet Christi corpus secundum veritatem hoc Sacramentum, cum sit miraculum, pertinet ad articulum de omnipotentia: Credo, inquit, in Deum Patrem omnipotentem.* Et vt notauit Thomas Waldensis libr. de Sacramentis: cum hoc Sacramentum communionis sit, vt Paulus docet, pertinet ad articulum illum Symboli, *Sanctorum communionem.* De nulloque Sacramẽto in Symbolo fit mentio Apostolorum, tantummodo in Symbolo Nicæno fit mentio de vnitate Baptismi; eo quod ab hæreticis de eo fuisset dubitatum.

V. argum.

Eucharistiæ articulus, vt Baptismi, in Symbolo cur posit' nõ sit.

Thom. in 3. 2. q. 1 art. 8. Vnum officium Sacramẽtorum est significatio.

Thom. Vual. l. de Sac. c. 95.

1. Cor. 11. Act. 6.

Sextò, Patres obijciunt plerosque, qui Eucharistiam vocârunt signum, figuram, vel typum. Hinc Basilius, & Eustathius vocant typum, Tertullianus in Marcionem: *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit. Hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei.* Clemens Romanus vocat Antitypa, sicut etiam Macarius, & Gregorius Nazianzenus oratione in Gorgonian. & alibi vocat imaginem rei. Idem etiam: *Reuerere, inquit, mysticam mẽsam ad quam accessisti, panem quem participasti; poculum, de quo communicasti.* Ibidem dicit Christi corpus typicum siue symbolicum. Augustinus libro contra Adimantium Manichæum; *Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum; cum signum daret corporis sui.* Et in illud Psalmi; *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est: Non hoc, inquit, corpus quod videtis, manducaturi estis; & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritaliter intellectum viuificabit vos.* Eusebius vocat signa, & notas. Et Hieronymus in Matthæum: *Quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis, & sanguinis repræsentaret.* Respondemus, sic à Patribus appellari Sacramentum Eucharistiæ, quia tale erat ante consecrationem, vel benedictionem, vt interpretatur VII. Synodus, quæ habet; *Ante sanctificationem antitypa vocauerint* (Basilius scilicet, & Eustathius, de quibus ibi fit mentio) *post consecrationem autem, corpus Domini, & sanguinem Christi, atque ita esse creduntur.* Idem respondent Damascenus, & Ambrosius. Secundò dici potest, sic vocari Sacramentum, ob species sensibiles, quæ post consecrationem remanent. Hinc à Paulo Eucharistia vocatur panis. Commodè etiam dicimus, Eucharistiam dignè sumptam signum esse gratiæ collatæ, & maducationis spiritualis. Quartò adiungimus, signum corporis mystici Eucharistiã repræsentare; vt sæpe docet beatus Augustinus. Postremò dicendum, quòd stat, typum, & veritatem idem esse diuersis rationibus, vbi typus est summus: vt, Christus est imago Patris in Trinitate, & splendor gloriæ, & figura substantiæ paternæ. Et diuina natura summum donum est collatum

VI. arg. Basil. Eustath. Tertul. l. 4. in Marc. sub fin. VII syno. seu 2. Nicæna. Clẽ. Rom. li 5. Apo. cõst. c. 16 Macar. ho. 27 Greg Naz. or 9. in S. Lauac.

Aug. l. contra Adimant. ca. 12 paulo ante med. tom 6. Id. in Psal 98. tom. 8.

Eus. l. 1. de demonst. Euãg. c. 10 to. 1. Hier. in c. 26. Mat to. 9. Gen. 14. Sacramẽtum Eucharistiæ signũ, vel figuram, cur vocẽt Patres. 7. Syn. Act. 6. to 3. Dama l 4. de orthod. fide c. 14. Amb. li. 4. de Sacr. c 4. & 5. to. 4. Altera solut. 1. Cor. 10. B. Aug.

Signum corporis mystici Eucharistia demonstrat. Typ' & veritas diuersis tẽporibus quãdo sunt idem.

Aug de conſ. diſt. 2. c. vtrũ ſub figura.

lat um Humanitati in Incarnatione. Vnde Auguſtinus; *Corpus Chriſti*, inquit, *& veritas & figura eſt. Veritas, dum corpus Chriſti, & ſanguis virtute Spiritus ſancti, in virtute ipſius ex panis & vini ſubſtantia efficitur: figura verò eſt id, quod exterius ſentitur.* Et Hilarius Papa, Leonis Primi ſucceſſor: *Corpus Chriſti*, inquit, *quod ſumitur de altari, Figura eſt, dum panis & vinum videtur extra; veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate interius creditur.* Ad verba verò beati Auguſtini reſpondet Iuo Epiſcopus Carnoten. ad Haimericum Abbatem, ea ſic exponens: *Ipſum* inquit, *& non ipſum corpus manducaturi eſtis: Ipſum quidem materiali eſſentia, ſed non ipſum viſibili forma*, & quæ ſequuntur. Atque in hunc modum ſoluendæ ſunt aliæ Patrum autoritates. Ad Tertullianum peculiariter dici commodè poteſt, cùm dixit; *Hoc eſt corpus meum, hoc eſt figura corporis mei*, non voluiſſe explicare tropum, qui eſt in illis verbis, cùm nullus ſit, ſed illa expoſitio referenda eſt ad nomen demonſtratiuum, Hoc, vt intelligamus, cum Dominus accepto pane dixit, *Hoc eſt corpus meum*, Hoc nempè panis, qui in Veteri Teſtamento fuit figura corporis ſui, effeciſſe iam corpus ſuum, veterem implendo figuram: quia hic eſt totius illius libri ſcopus, oſtendere contra Marcionem, Chriſtum non deſtruxiſſe, ſed impleuiſſe Vetus Teſtamentum. Quod confirmatur in paullò ante præcedentibus, vbi Chriſtum dicit in cœna poſt eſum agni Paſchalis impleuiſſe figuram ſalutaris ſui ſanguinis, non nouam figuram inſtituendo, ſed veterem per inſtitutionem Euchariſtiæ perficiendo.

Hil. Papa de conſec. diſt. 2. c corp. Chriſti

Corpus Chriſti vt figura ſit & veritas.

Iuo Epiſcopus Carnot.

Tertulliani liber quartus aduerſus Marcionem quo tendat.

Matth. 5.

Tertull.

Et poſt prædicta verba in contrarium citata ſubdit: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* Vbi non dicit; Figura autem non eſſet: ſed, *Figura autem non fuiſſet*, ſcilicet in Veteri Teſtamento. Et quæ fuerit illa figura, de qua loquitur, oſtendit in ſequentibus, cùm ait: *Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis pepònem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterẽ fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis per Ieremiam: Aduerſus me cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite, conijciamus lignum in panem eius, ſcilicet crucem in corpus eius? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit panem ſignificare, ſatis declarauit, corpus ſuum vocans panem.* Hæc ille, qui ſimilia habet & de ſanguine, cuius figuras veteres repetens, tandem concludit: *Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit.* Ex quibus habes, non myſteria Euchariſtiæ vocare figuras, ſed ea quæ veteris fuerunt Teſtamenti. Multum intereſt autem inter ſigna veteris Teſtamenti, & illa Noui; illa rerum abſentium ſigna erant, hæc præſentium. Et ideo ſigna, & figuræ non excludunt veritatem, quaſi abſint, ſed modum præſentiæ, & exhibitionis deſignant, quia clarè eas non cernimus. Quare ante omnia hæc allegata verba, habet Tertullianus: *Figuram ſanguinis ſui ſalutaris implere concupiſcebat.* Hæc ille. Quando ſcilicet deſiderio deſiderauit edere Paſchalem agnum: quia ipſe verus agnus mori volebat, & pro vmbratico agno corpus & ſanguinem ſumenda inſtituere, & ſic veterem cæremoniam ſumendo implere. Idem in libro de Reſurrectione carnis, apertè fatetur veritatem carnis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, & libr. 2. ad vxorem, vbi ait: *Non ſciet maritus* (ſcilicet infidelis) *quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciuerit, panem, non illum credit eſſe qui dicitur.* Quibus verbis conſtanter docet veritatem corporis Chriſti in pane ſancto. Quod verò Tertullianus lib. 1 aduerſus Marcionem dixit, Chriſtum pane repræſentare corpus; & Hieronymus in Matthæi 26. Chriſtum veritatem ſui corporis, & ſanguinis repræſentaſſe: rectè eſt intelligendum. Eſt enim repræſentare, rem præſentem exhibere. Vnde & Cicero rectè dixit, *Pretium rei emptitiæ præſentatum*, id eſt, præſenti pecunia ſolutum. Hoc etiam docet Tertullianus ipſe, qui libro 4. in Marcionem teſtatur, Patrem repræſentaſſe Filium, dum dixit, *Hic eſt Filius meus*: repræſentaſſe dixit, pro, præſentem exhibuiſſe: Hic eſt, inquit, Filius meus, quem ſcilicet repromiſi. Si enim promiſit aliquando, & poſtea dicit, Hic eſt eius, eſt exhibentis voce vti in demonſtratione promiſſi, qui aliquando promiſit. Ita etiam cum Dominus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, præſtitit quod aliquando in figura, & poſtea per ſe in carne poſitus, Ioan. 6. tanta aſſeueratione promiſerat. Ambroſius verò cap. 9. de ijs qui myſterijs initiantur, cum ait: *Poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur*, accipe verbum, ſignificatur, pro, nuncupatur. Ait enim: *Sic ipſe clamat Dominus Ieſus. Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum ante conſecrationem: aliud dicitur poſt conſecrationem. Sanguis nuncupatur, & tu dicis, Amen: Hoc eſt, Verum eſt quod os loquitur: mens interna fatetur: quod ſermo ſonat, affectus ſentiat.* Gregorius Nazianzenus oratione in ſanctum Paſcha, ita habet; *Cæterum iam Paſcha*, inquit, *ſiamus participes, figuraliter tamen adhuc, etſi Paſcha hoc veteri ſit manifeſtius.*

Somnium Marcionis.

Ierem. 11.

Quid illud Prophetæ in Iudæorũ perſona: Venite conijciamus lignum in panem eius.

Idem Tert.

Signa Veteris Teſtamẽti, & illa Noui quid differãt.

Idem.

Luc 22.

Idem.

Idem.

Idem.

Hier. in 9.

Quo ſenſu Tertul. ac Hieron pane corpus ſuũ Chriſtũ repræſentaſſe dixerit.

Repræſentare quid ſit.

Cicero.

Tertull.

Matth. 3.

Infra 17.

Amb. to. 4. à medio.

Greg. Nazid. orat. 4.

Siquidem Paſcha legale, audenter dico, figura figura erat obſcurior; at paullò poſt illo perfectius, & purius fruemur, cùm id ratio noſtra in regno Patris nouum bibet, detegens, & docens, quæ nunc mediocriter oſtendit. Nouum etenim ſemper exiſtit id, quod nuper eſt cognitum. Hæc ille, docens ex epiſtola ad Hebræos, vocare ea, quæ futura ſunt vitæ, res ipſas, quæ autem Noui Teſtamenti, ipſam rerum imaginem; at Vetus Teſtamentum, ipſam imaginis vmbram. Sacramentum igitur Euchariſtiæ Veteri Teſtamento comparatum, res ipſa eſt; comparatum verò gloriæ, eſt imago rei ipſius. Quod rectè Ambroſius docuit his verbis; *Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœleſtibus*, Id eſt, nuda figura in lege: imago cum veritate in Euangelio: veritas nuda in cœlo.

Nouum ſemper exiſtit id, quod nuper eſt cognitũ.
Heb 10.
Vetus Teſtamentum à Nouo quid diffeiat.
Ambr l.1. de offic. c. 48. to. 1. initio.

VII. argum.

Septimo obijciunt; intellectu ſuo tantùm myſterium capere non poſſe; ideò libenter confugere ad tropum, cuius beneficio ſe ab infinitis quæſtionibus liberari aſſerunt. Reſpondeo, in hoc manifeſtè opus Dei eſſe Euchariſtiam, quòd eorum intellectu non comprehendatur: quis enim vel minima opera naturę comprehendere valeat? vt meritò per Salomonem dictum ſit: *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis; ſic neſcis opera Dei, qui fabricktor eſt omnium.* Et paullò ante dixerat: *Intellexi quod omnium operum Dei nullam poßit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt ſub Sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniat; etiãſi dixerit Sapiens ſe noſſe, non poterat reperire.* Deinde oportet ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei: quæ fides ſi non eſt data hæretico, vt credat verbis Chriſti, num incredulitas illius fidem Dei euacuabit? Quem enim vnquam decepit Deus; vel quis vnquam deceptus nõ eſt à ſuis ſenſibus, & rationibus? Thomas Apoſtolus non credebat oculis ſuis, quia verebatur phantaſma: voluit manibus contrectare latus, & loca clauorum: at Iſaac manibus contrectauit Iacob filium ſuum, & deceptus eſt putando eſſe Eſau. Scilicet non eſt Chriſtus ſub accidentibus panis, & vini, quia tu non potes oculis cernere: ergo Sol, vel ſtella non eſt maior, quàm oculorum tuorum viſus dijudicat. Impium eſt plus credere humanis ſenſibus, quàm diuinis oraculis. *Beati*, inquit, *qui non viderunt, & crediderunt.* Petrus plus tribuit verbo Dei quàm oculis. *Habemus*, inquit, *firmiorem Propheticum ſermonem.* Opus eſt conſpicillis fidei ad longè videndum, & forcipe ad candens ferrum tenendum. Et fides quò minus videt, eò plus videt: quia eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumentum non apparentium. Ideò Eccleſia canit:

Eccleſ. 11.
Suprà 8.
Rom. 12.
Supra 3.
Ioan. 20.
Gen. 17.
2 Pet. 1.
Heb. 11.
Quo minus videt fides, plus videt.

Quod non capis, quod non vides,
Animoſa firmat fides,
Præter rerum ordinem.

Et Ambroſius muniens fidem noſtrã contra haſce tentationes, quodam loco ſic ſcribit: *Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus eſt Virgine?* Et Algerius ſcribens in Berengarium, ait; *Et cùm non ſolum ſingulorum, ſed vniuerſitatis ſint iſta myſteria, nemo præſumat ſentire quod vniuerſitas non aſſentit. Sic ergo commune debet eſſe iudicium, vt ſubiecta vnitate communi nemo de parte extollatur. Hoc fides credat, intelligentia non requirat; ne aut non inuentum, putet incredibile; aut repertum, non credat ſingulare. Si ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit notabile: demus Deum aliquid poſſe, quod nos fatemur inueſtigari non poſſe. In his rebus tota facti ratio eſt, facientis cum voluntate potentia.* Hoc ille, quod videtur ab Auguſtino accepiſſe, qui epiſtola ad Voluſianum, eandem ſententiam de Incarnatione repetit. Et contra Felicianum Arrianum; *Si naturæ*, inquit, *autorem creaturarum legibus æſtimamus, dum anteriorem eſſe Patrem Filio prædicamus; cur non eâdem naturæ lege, fortiorem Patre Filium per acceſſum temporis dicimus; dum nec huic deſunt incrementa naſcenti, & imbecillitatis iniuriam ſenectus ingerit Patri? Quòd ſi hoc ratio ipſa non recipit; omittamus in Deo corporalis intelligentiæ legem, ne operibus ſuis ſimilem eſſe dicamus factorem; maximè cùm ex eo, quod apud nos euidens eſt, etiam id quod in occulto eſt, poßimus oſtendere. Sicut enim ſine exemplo mater genuit autorem ſuum; ſic ineffabiliter Pater genuiſſe credendus eſt coæternum. De matre natus eſt qui ante iam fuit; de Patre, qui aliquando non defuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inuentum, putet incredibile; aut repertum, non credat, ſingulare.* Chryſoſtomus etiam ait: *Credamus itaque vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit: ſuperet & ſenſum, & rationem noſtram, quæſo verbum ipſius, quod in omnibus, & præcipuè in myſterijs faciamus, nõ illa quæ ante nos iacent, ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque eius tenentes. Nam verba eius defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius atque ſæpius fallitur.* Cyrillus quoque ſic habet: *Non dubites an hoc verum ſit, eò manifeſtè dicente: Hoc eſt corpus meum; ſed potius ſuſcipi*

Ambrſ. de ijs qui myſt. init. c. 9. tom. 4. à medio.
Alger l. de Sacram.
Cõmune de aliquo quatenus debeat eſſe iudiciũ.
Aug ep. 3. ſub med. t. 2. Idẽ l. 6 contra Felician. c. 8. t. 6.
Verbũ Patri cõſubſtãtiale & coæternũ, vnde probet Auguſtinus.
Chryſ. ho. 83. in Mat. to. 2.
Plus fidei, quam ſenſui credendum.
Cyril. ep. ad Caloſyrium Epiſcopum.

verbum Saluatoris in fide: cùm enim sit veritas, non mentitur. Ne n. horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescens Deus nostris fragilitatibus, insluit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen viuificantium inueniatur in nobis. His Patrum testimonijs præmunire volui fidem tuam, optime lector; vt intelligas quàm soliciti Patres extiterint in confirmanda Christianorum fide ad hoc venerabile Sacramentum.

VIII. argum.

Octauò ratiocinantur; Si Sacerdos prolatis illis verbis facit ibi esse corpus Christi & sanguinem, cur ergo non facit cælum & terram, Solem, & Lunam, quę sunt Christi corpore inferiora? Sed non habemus tale verbum, quod nobis illa mandet facere; sed de Eucharistia habemus mandatum dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Rursus vrgent: Cùm dixit Deus, Fiat lux, statim in lucem prodijt lux, quæ cerni poterat. Item cùm cæcos illuminabat, aut leprosos mundabat, aut vinum ex aqua faciebat, cótinuò effectus signorum oculis spectantium cernebantur: at cùm dixit: *Hoc est corpus meum*, cùm de corpore materiæ coniuncto, & sub aspectū cadente, loqueretur, nihil tale sensu cōprehensum est, imo nec panis, aut vini substātia est mutata. Respōdeo, miracula esse in duplici differentia: alia, q̄ sub aspectum non cadunt, vt illa: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; Et, *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Rursus alia sunt visibilia, quæ Christus, & Apostoli ediderunt, vt fidem inuisibilium signorum cōfirmarent: hinc signa visibilia data sunt infidelibus vt crederent, non fidelibus: vt testatur Apostolus. Et Dn̄s dixit; *Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittēdi peccata (tunc ait paralytico) Surge, tolle lectū tuum, & vade in domum tuam.* Et dum Lazarū suscitat, testatur se illud edere vt credant quòd sit à Deo missus. Diu autem est, quod deficientibus miraculis externis in Ecclesia Dei, sola spiritualia, & quæ sub sensum nō cadunt, in ea manserint: & q̄ fieri in Ecclesia vsq; ad seculi cōsummationem fide apprehenduntur. Quòd si quæ nullo sensu percipiuntur, miracula non sunt: spiritualia miracula, quæ potissima oīm sunt, nomen miraculi amitterent. Hinc August. rectè ait: *Hæc, scilicet corporea signa, fecit Dominus, vt inuitaret ad fidem: hæc fides nunc feruet in Ecclesia toto orbe diffusa. Et nunc maiores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic & melior salus animi, quam salus corporis: Modo caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcū aperit oculos sermoni Domini. Modò non resurgit mortale cadauer, resurgit anima, q̄ mortua iacebat in viuo cadauere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quam multi habēt aures clausas cordis, q̄ tamen verbo Dei penetrante patescunt, vt credant, qui non credebant, & bene viuant, qui male viuebant, & obediant qui non obediebant: & dicimus, ille credit, ac miramur cum audimus de his, quos aliquando duros noueramus?* Hæc ille, & quidē eleganter. Quod ergo corpus à Christo suscitatū, vel mundatū à lepra, videretur, & nō corpus Christi in Sacramento: ratio in promptu est. Nā illa erāt hoīum corpora nondū gloriosa; Christi verò corpus, plenū gratia & gloria: cùm versaretur in terris, Dei & hoīs erat corpus; post resurrectionē verò glorificatū fuit. Eiusmodi verò corpus nō videtur, nisi qn̄, & vbi, & à quibus vult videri: vt ab euntib. discipulis in Emmaus visus est in specie peregrini; & in fractione panis, eorū ex oculis euanuit. Et qn̄ ianuis clausis ingressus est, non est visus, nisi quando dixit: *Pax vobis.* Glorificata igitur corpora, angelis similia sunt, qui quando volunt videntur. Qui ergo arguit, in Sacramento corpus Christi nō esse, quia non videtur oculis; Christi resurrectionem videtur negare: nam seminatur corp⁹ animale; surget corpus spirituale. Deinde meritū fidei per oculorum visum impediretur. Nā fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Ne etiam horror esset in edendo carnem Christi visam. Etsi ergo oculis corporis corpus Christi nō videatur, oculis tamen fidei melioribus cernitur: quia Christus veritas est, & fidelis in omnibus verbis suis. Et quemadmodum Spiritus sanctus præsens adesse creditur in omni baptismo, licet non videatur in specie columbæ, vt est visus in Christi baptismo, adest etiam in Confirmationis Sacramento, etiamsi non appareat in linguis igneis, vel vento vehementi, vt olim: ita corpus Christi pręsens in omni altari post consecratā hostiam ab omnibus fidelibus creditur, sicut pręsens fuit in ipsa prima cœna, qua ipse se manibus porrexit suis, etiamsi corporijs oculis minimè videatur. Nec mirum, nos non videre in Eucharistia, quod Angeli vident; sicut puer Helisæi non cernebat quod Helisæus, plures scilicet esse nobiscum, quàm cum illis, non ergo omnibus omnia manifestantur. Et facilè quidē esset ex probatissimis historijs ostendere, Christum sæpè in Eucharistia visum, modò sanguinolentū, modò in specie pueri; sed qui Christi verbis non credit apertissimis, nec historijs Patrum etiam illustrium

Luc. 22.
1. Cor. 11.
Gen. 1.
Ibidem.
Miracula duplicis generis sunt.
Ioan. 20.
Ioan. 1.
1 Cor. 14.
Matth. 9.
Ioan. 11.
Aug. serm. 18. de verb. Domini, tom. 10.
Signa cur fecerit Christ⁹.

Christi corp⁹ in Eucharistia quare sub aspectum non cadat.
Luc. vlt.
Ibidem.
Ioan. 20.
Corpora gloriosa quibus similia sunt.
1 Cor. 15.
Ioan. 14
1. Ioan. 5.
Psal. 144.
Matt. 3.
Act. 2.
Matt. 26.
4 Reg. 6.

Quę presens quæ absens signa Christus edidevit.

strium fidem habebit. Perpende quoque Christum, dum vixit, multa præsentem edidisse signa ad Patris gloriam illustrandam, & vt se eius Filium, & nuntium comprobaret: vt de vino ex aqua facto ad nuptias, de panibus multiplicatis in deserto: manibus etiam tangebat infirmos, & voce excitabat mortuos ad vitam. Nec tantùm præsens, sed etiam absens operatus est: vt cùm sanauit seruum Centurionis à paralysi, filium Reguli à febri, filiam Chananææ à diabolo. Cùm autem modò præsentiam suam sensibilem subduxerit, & absens possit operari salutem nostram; maluit tamen præsens nobis adesse. Et quanquàm fides non sit apparentium, vel præsentium, sed absentium potiùs; est tamen præsentium occultorum, & quæ sumerant humanum intellectum, vt corporis Christi delitescentis sub speciebus panis, in quo mysterio maximè captiuatur intellectus noster. In cruce siquidem erat latens diuinitas, sed patebat in infirmitate Humanitas; in hoc verò mysterio, tam Humanitas, quàm Diuinitas abdita sunt. Et vt in mũdi creatione, ex inuisibilibus visibilia facta sunt, vt docet Apostolus: opposita ratione, in institutione Eucharistiæ, ex visibilibus formis corporis, & sanguinis Domini fecit nobis illa inuisibilia. Vt vel hinc elicias, quòd sicut miracula, quæ ad salutem nostram edidit, quædã pręsens corpore, quædam verò absens operatus est: ita in Sacramẽtis, quibus partã salutem nobis applicat, debuit in quibusdã præsens corpore adesse, vt facit in Eucharistia, in quibusdã verò abesse vt in reliquis facit: quanquàm eius Diuinitas nusquam absit, cùm omnia impleat.

Ioan. 2. Matth. 14. & 15. Ioan. 6. Luc. 5. Luc 6. Ioan. 11. Matth. 8. Ioan. 4. Matth. 15. Heb. 11.

Eucharistiæ mysteriũ maximè nostrũ captiuat intellectum.

Hebr. 11. Ierem. 23.

IX. argum. hæreticorum contra Eucharistiam.

Nonò argumentantur hæretici, qui etsi admittant corpus Christi esse in specie panis; & sanguinem esse in specie vini, negãt tamen ibi adesse Diuinitatẽ. Et ita irrident Scholasticos Doctores, à quibus putant inuentum, contineri Christum totum per concomitantiam in vtrauis specie, & quauis eius parte; ideo hoc diligẽter discutiendum est. Caluinus enim irridet concomitantiam, atq; alij, vt refert Ioãnes Hebius. Dicti igitur Gæretici tradunt, tantùm contineri sub aliqua specie, quantum nos dicimus ex vi sacramenti, seu ex vi verborum cõtineri; negant autẽ contineri Christum per concomitantiã naturalem, quòd Scriptura eius mentionem non faciat. Ex qua positione hæc sequũtur absurda. Primum, quòd in neutra specie contineretur diuinitas: Secundum, quòd in neutra contineretur anima Christi: Tertium, quòd in specie panis non contineretur sanguis, & in

Ioan. Eckius homil. 23. de sanctis.

Nisi totus Christus Eucharistia contineretur per naturalẽ concomitantiã; nec etiã diuinitatem eius in vtraq; specie contineri posse.

specie vini nõ contineretur corpus. Quòd autem hæc absurda sint, facilè intelligi potest. Nam in primis qui neget præsentiam Diuinitatis implentis omnia, non tantùm negat Scripturas sæpe hoc testãtes: *Cœlum,* inquit, *& terram ego impleo: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*; sed etiam est negare Philosophiam: nam vel Philosophi Deum vbiq; esse intelligebant; ideo animam mundi eum faciebant. Quod vel Poëtæ nouerunt, vnde illud:

Ierem. 23. Psal. 138.

Animã mundi sapientes, Deum vocauerunt.

Ab Ioue principium musæ, Iouis omnia plena. — Virg. Eclog. 3.

Et iterum:

Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. — Idem lib. 6. Æneid.

Ac rursus:

Deum namque ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum. — Idem Ecl. 4.

Qua ratione Christi diuinitas sit in Eucharistia secundùm Hæreticos.

Quòd si intelligamus diuinitatem quidem esse sicut in omnibus rebus est, non tamen hypostaticè carni vnitam: ostenditur hoc esse falsum: primò ex Scriptura dicente: *Ego sum panis vitæ*; Et, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*; Et rursus: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: Et qui manducat me, & ipse viuet propter me:* Vbi quia Ego, & Me, pronomina sunt hypostasim significantia, oportet diuinam hypostasim verbi inueniri in hoc Sacramẽto. Deinde donum diuinitatis fuit maius omnibus à Christo acceptum, ab eoq; nunquàm repetendum citra eius peccatũ, iuxta illud: *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei:* Cùm ergo ipse nunquàm peccauerit, contra decretum esset, & iniuria Christo homini fieret, si toties ad libitum tot Sacerdotum vbiq; celebrantium sua diuinitate spoliaretur; & consequenter Filius Dei, & regno, & Sacerdotio, atq; etiã mediatione pro nobis priuaretur. Quippe omnes hi tituli illi conueniunt ratione Humanitatis hypostasi Verbi coniunctæ: at Humanitate à Diuinitate separata; neq; Filius Dei esset Sacerdos in æternum, neque semper viueret ad interpellãdum pro nobis, neq; sederet ad dexteram super Ecclesiam regni vsque ad iudicium: quæ omnia contra Scripturam sunt, & blasphemiã manifestam continent. Verè enim dixit Dominus; *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Quòd si in passione Diuinitas non est parata à corpore, quia de illo ob hypostasim dicitur ab Angelo; *Ecce locus vbi posue-*

Ioan. 6. Ibidem. II. ratio. Ioan. 10. Rom. 11. Esai. 53. 1. Pet. 3. 1. Ioan. 3. Hebr. 7. Ioan. 10. Marc 16. Ephes. 4.

runt eum; nec ab anima, quia descendit ad inferiores partes terræ; ergo in repræsentatione passionis, id est, in Eucharistia multò magis id erit; cùm hoc Sacramẽtum sæpè celebretur, & ibi nec semel sit factum. Tertiò consequeretur, quòd beati omnes visione vnionis Humanitatis ad Verbum priuarentur, totaq; humana natura honore ineffabili vnionis illius, & cõmodis; quæ ex ea persistente corã Deo ei proueniunt spoliaretur, id est omnibus commodis spiritualibus, & hoc non tantùm ad horã, sed à prædicatione Apostolorum ad diem vsq; iudicij: quia semper fuit, & erit aliqua hostia consecrata. Quartò, relicta Humanitate à diuinitate, remaneret vel humana persona, vel indiuiduum humanũ sine hypostasi: quòd esset monstrosum & impossibile. Nam persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Remanente ergo post separationẽ humana persona, & vnione Verbi adueniẽte, siue potiùs redeunte, vel deberet sine causa perire, vel essent duæ personæ in Verbo, altera diuina, & altera humana, vt docebat Nestorius. Quintò, esset idololatria adorare Eucharistiam, in qua tantùm esset creatura. S Sextò, Eucharistia nihil prodesset, quia caro nõ quatenus nuda est, sed vt coniuncta Verbo, viuificat, iuxta illud: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Rursus: *Sicut me misit viuẽs Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me:* nam qua ratione ipse accipiens Diuinitatem à Patre, Deus est, eâdẽ & nos viuificat. Postremò, Omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, vt testatur Ioannes: atqui hæc opinio soluit Humanitatem à Diuinitate, ergo falsissima est, & à dæmone excogitata.

Eucharistia, passionis Christi est repræsentatio.
III. ratio.
IV. ratio.
Quid sit persona.
Nestoriana blasphemia.
V. & VI. ratio.
Caro Christi vt viuificet.
Ioan. 6.
Ibidem.
VII. ratio.
1 Ioan. 4.

Animam verò Christi non esse in Eucharistia, vehementer essa absurdum, constat ex nonnullis. Primò ex illo Pauli; *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà nõ dominabitur:* Si autem corpus, vel sanguis sine anima esset, quotidiè pluries Christus moreretur, & semper mortuus vsq; ad iudicium permaneret. Essetq; implicatio quædam contradictionis: nam ex quo Eucharistia ad iudicium vsq; durabit, semper esset mortuus; ex quo verò Eucharistia quotidiè conficitur, quotidiè moreretur. Et ita semel mortuus, iterum moreretur; & semper viuens ad interpellandum pro nobis, mortem oppeteret. Deinde, vt iam dictum est, Christus se vocat panem, & se manducari dicit. Cùm ergo illud non solùm vt Deus, sed etiã vt homo loquatur: quia quatenus homo est, cibus est de cœlo descendens: sequitur quòd anima etiam est id hoc cibo, alioqui homo non esset. Tertiò, anima est mediũ, quo caro assumitur à Verbo, & ab eo viuificatrix efficitur: Si ergo caro esset sine anima; caro consequenter esset sine diuinitate, & nequaquàm viuificaret; demùm nõ deberet adorari, nec esset perfecta participatio, & vnio cum Christo per Eucharistiam. Essetq; prætereà hoc sacrificium cruentum, cõtra Patres omnes, quia in eo interueniret mors; & nõ esset commemoratio mortis Christi, vt ait Paulus, sed mors ipsa.

Quod anima Christi non esse in Eucharistia, nisi eius ibi diuinitas adesset.
Rom. 6.
Hebr. 7.
II. ratio.
Ioan. 6.
III. ratio.
IV. ratio.

Tertium quoq; esse hæreticũ, ex dictis conuincitur: quia sine diuinitate, & sine anima corpus in Eucharistia constituendo, idololatriam admitteremus, & creaturam mortuam adoraremus, & per illam nihil consequeremur, & Christus mortuus esset, carne sua à sanguine separata. Et qui diceret, Hæc est manus mea; ostenderet profectò informatam illam anima rationali. Verissimũ igitur est, & Scripturis, ac rationi euidenti innixũ, quod Theologi docẽt de concomitantia naturali. Nam etsi vocabulum esset nouũ, res tamen est tam antiqua, quàm est Scriptura, & institutio Sacramenti: neque ita oportet esse addictos Scripturæ vocibus, vt alios locos Scripturarum, & rationem euidentem parui pendamus. Quod faciunt illi, qui audientes dici à Domino, *Hoc est corpus meum*; Et, *Hic est sanguis meus*, nudum corpus, & nudum sanguinem intelligunt ibi esse: satis enim est ad horum verborum veritatem, adesse ibi corpus & sanguinem, & solum corpus, & solum sanguinem ex vi verborum. Quanquàm ob dictam naturalem vnionem integer sit Christus in vtrauis specie: & hæresis sit manifesta atque adeò blasphemia, asserere nudum esse corpus, vel nudũ sanguinem absque anima, vel diuinitate. Et qui negat veram & realem concomitantiam, negat B. Cyrillum contra Nestorium sic dicentem: *Quoniam minimè editur diuinitatis natura; propter hoc commune dixerit quis sanctum corpus Domini? Scire autem operæpretium est, quod sicut suprà diximus, proprium est corpus eius Verbi, quod omnia viuificat. Quoniam autem corpus vitæ, viuificum est. Nam per hoc mortalibus nostris corporibus largitur vitam, & mortis imperium euacuat; viuificat autem nos æquali modo & sanctus Spiritus Christi.* Negãs etiam concomitantiam, peccat in Concilium Ephesinum: *Si quis*, inquit, *non confitetur, carnem Domini viuificatricem esse, & propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum, coniuncto eidem per dignitatem, aut quasi diuinam habentis habitationem, ac non potius viuificatricem esse, quia facta est propria Verbi,*

1. Cor. 11.
Absente etiã Christi diuinitate ab Eucharistia, nec in specie panis contineri sanguinem, nec in specie vini corpus Christi contineri.
Quemadmodum adhærẽdum sit Scripturę vocib'.
Christi verã & naturalem concomitantiam in Eucharistia negantes, quid negent prætereà nugatores illi.
B. Cyril. anathematismo 11. tom. vlt. circa fin.
Concilium Ephesinum I cap. 11.

Verbi, cuncta viuificare valentis, anathema sit. Hæc ibi.

X Argum. ex Beza.

Decimò argumentatur Beza, irridendo Catholicorum sententiam, quòd Christi carnem & sanguinē dicant re ipsa edentibus adiungi, & substantiæ ipsæ corporeæ inter se cohæreant, quod vocat Capernaiticum, & crassum commentum; veritatiq; Christi corporis, & eiusdem ascensioni ex diametro pugnare, quod corpus cōstituimus omni formali proprietate corporis spoliatum, vt totū sit simul in infinitis penè locis, & quantum absq; quantitate & loco, & subiectum absq; accidētibus, inuisibiliter visibile, deniq; infinitè finitum, & σῶμα ἀσώματον. Adhæc percunctatur, qualē esse nexum substantiarū in ipso esu esse velimus? Nam si naturali alimento conferamus, caro Christi corporis, non animi erit alimentum, & habebimur, ait, Christi sæuiores carnifices, quàm qui illum cruci suffixerunt. Quare exaggerat confessionem, quam Nicolaus Papa Berengario præscripsit; in qua dicitur verū corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi sensualiter non solùm in Sacramento, sed in virtute manibus Sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri. Sin verò demitti in stomachum voluerimus, posteà verò nec concoqui, nec digeri, nec assimilari, ne sit illius post resurrectionem deterior conditio, quàm cum exanime corpus in sepulchro iaceret; Quærit quonā fructu vel corporis nostri, vel animi, illa Christi corporis substātia deuoretur, cùm etiam si illam perinde atq; alios cibos, voraremus, conficeremus, & in nutrimentum nostrum conuerteremus, ne quicquam hoc sit nobis ad vitam æternam profuturum. Denique interrogat, cur repetamus sępiùs mensam, cū corpus eius re ipsa habeamus, & an excidat ex corpore sumentium: an quod realiter intus est, realiter rursùs extrinsecùs veniat, & quod apud Patrem manet, Patri iterum ex altari offertur? Sic ille, non aliter de Christi corpore iudicans, quàm ex sensibus, & naturalibus alimentorum legibus.

Nicolai Papę confessio ad Berēgarium præscripta, quam Beza deprædicat, inter cætera quid contineat.

Quemadmodum Christi caro in Eucharistia cū nostra carne copuletur.

Respondendo ergo asserimus, ineffabili quodam modo, & planè diuino coniungi re ipsa carnis Christi substantiam cum nostra, & animabus nostris. Nam qui fieri potest vt re ipsa coadunentur, quæ reuera se minimè contingunt? Quod si re ipsa sumuntur à nobis, ergo realiter ipsi prius aderant; quandoquidem quod non est, sumi non potest. Quemadmodum diuinitas nisi re ipsa impleret omnia, non censeretur omnibus rebus præsto esse; & si tantùm virtutem suam diffunderet vbique, & non essentiam suam, nō diceretur omnibus assistere, & vbique præsens esse. Ergo multò minùs caro Christi, quæ diuinitati minimè est adæquanda, ab anima vel corpore diceretur percipi, nisi omnibus copularetur, eisdemq; inesset. Ideo mera est fabula Caluini laudantis Dei potentiam, quæ tam longè dissita coniungit: nam nisi reuera vnum alteri ita copuletur, vt se contingant, non sunt coadunata, vel copulata inter se. Quæ enim per vnum tertium annectūtur, vt cœlum terræ medijs elementis, nō sunt reuera inter se copulata, imò inuicem distare dicuntur. Quare repugnat, nos dicere frui carne Christi, illamque percipere, & non propriùs eam re ipsa cōtingere. Quare meritò credimus corpus Christi cœlum non deserere, & ad nos tamen delabi in Sacramento, & per illud corpori, & animo nostro applicari: vt non fiat substantiarum permistio, sed singularis, & supra naturam, modò vera sit ac realis applicatio: quam nostri Sacramentalē vocant, eo quòd huic Sacramento sit peculiaris, nec aliam similem habeat in rerum natura; idcirco ascensioni ad cœlos nō aduersatur. Quod si naturales omnes corporis proprietates hoc Dei opus aboleret, non esset tamen proptereà negandum, vel Scripturæ ob id essent à suo sensu literali peruertendæ: quoniam de Dei factis & verbis non est ex natura, & rebus naturalibus ferendum iudicium, sed ex potentia Dei, quæ superat intelligentiam nostram, & de creaturis agit, illasque transformat prout vult, manente tamen earum natura, & substantia, nonnunquàm etiam in aliud cōuersa, vel prorsus perempta. Neque sentimus cum Beza, corpus Christi in Eucharistia omni formali proprietate corporis spoliari, sed negamus ad naturam & substantiam corporis naturalis pertinere quantitatem, vel loci spatium oculis esse obnoxium, & similia quæ ipsi accidunt ex vera naturalium rerum indagatione; & ideo istis carere substantiam dicimus, ita vt salua & integra, absque illis diuina virtute existat. Neque corpus Christi in Eucharistia negamus esse quantum, vel quantum absque quantitate, sed dicimus suam corpus Christi retinere quantitatem, & suæ substantię limitationem, & quantitatis extensionem; sed inficiamur talem dici, aul haberi ex locorum magnitudine, vel multitudine, sed ex eius proportione, quæ substantia, & quantitas nominatur in naturali corpore. Hinc asserimus, substantiam, & quantitatem ex sua intrinseca natura nō necessariò exigere locorum breuiora, aut longiora spatia.

Caluinianū commentum de Christi potentia in Eucharistia.

Dei potētia.

Bezæ indocta Philosophia de Christi corpore.

Nec infertur necessariò ex substantiæ & quantitatis definita natura, certi loci mensura & intercapedo; cùm loci proprietas non sit intrinseca substantiæ, aut quãtitati, sed aduentitia, & accidentaria. Ad hæc corporis spiritalis conditio, secerni debet ab animali corpore, vt hoc ad normã proprietatis corporum consistat, illud verò ad existendi modum trãsferatur, qui spiritibus competit. Etsi ergo in spiritali corpore substantia & quãtitas perduret; non tamen qualitates omnes, & conditiones extrinsecæ, quæ substantiam & quantitatem in corporibus naturalibus cõsequi solent, remanent, sed immutantur, vt Paulus ad Corinth. docet. Et existentia corporum, non ex natura corporũ animalium exigenda est, sed ad regulã & proprietatem spirituum, ac si iam non essent, quæ tamen esse perseuerãt corpora, sed spirituũ modo, & non corporum existente. Nã si corporum quę iam computruerunt, substãtia non deperditur (qa nec capillus de capite nostro peribit) quæ in terræ puluere ad resurrectionem vsq; sine qualitate, & ratione loci certa mensura superstes est ac salua; siquidem vtraq; in indiuisibili loci puncto tota integra extare potest, & si corpus Christi in partu Virginis, in trãsitu per lapidem sepulchri & per ianuas clausas, suam non amisit quãtitatem, nec corporeo modo se gessit, sed prorsus spirituali; ideo spiritus, aut phantasma ab Apostolis iudicatus est, quia non more corporũ inuia & solida penetrauit: quid mirum si in Eucharistia nihil Christi corpori adimimus de sua quantitate, vel suis proprietatibus naturalibus, vel corpus incorporeum reddimus, vt putat Beza, si illũ modo spirituali in Eucharistia collocamus, id est, nõ occupantẽ locũ, nec extensum. Quare Capernaitæ, qui nequibant modos alios capere carnẽ Christi comedendi, quam vulgares, & animales, & carni consuetos, à Christo desciuerunt: & de suo modo existendi spiritali subiunxit: *Spiritus est qui viuificat: caro no prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Et vt caro in Scripturis accipitur quandoque pro carnali statu, & conditione; ita hoc loco spiritus pro spirituali modo, & proprietate, vt Patres exponunt. Ex huius enim rei ignoratione lapsi sunt Manichæi, Origenistæ, Eutychitæ, atque alij, qui à Christo vel susceptum verũ corpus non crediderunt, aut Humanitatẽ eius in Diuinitatem transijsse opinati sunt, aut carnis resurrectionem negauerunt. Hæreticorum ergo argumentis respondeamus, primùm, ex lege, aut proprietate creaturæ non esse Verbum Dei oppugnandum, sed potiùs ex virtute, & potentia Dei contra creaturarum imbecillitatem, & defectionem confirmandum; alterum, non tam sępè derogare fidem naturis ipsis rerum, & proprietatibus, quã aduersarij existimant. Nam cùm objiciunt, creaturæ, qualis est Christi corpus, repugnare immensitatem, & esse in infinitis locis: id verum est, si naturam tãtùm cõsulamus, sed si ad Dei virtutem respicimus, quæ plura valet operari supra rerum omniũ conditionem, & quàm nos possimus cõprehendere, docemus audacter, Christi corpus in tot locis existere, in quot cœna Domini celebrabitur, & in tot hostijs, quas cosecrauerint Sacerdotes Dei. Et addimus, ex multitudine locorum ineptè inferri infinitatem corporis à Beza: quoiam a nobis non concipitur diuina potestas quàm latè patet ad cõstituendum idem corpus in pluribus locis citra eius corporis infinitatem. Siue ergo oppugnent corporis Christi existentiam in Eucharistia, siue eiusdem corporis manducationem insectentur, vt Capernaiticã, Thyestinam, & inutilem, distinguenda sunt & res ipsa quæ adest, & modus existendi, qui spiritalis est: ita in manducatione separamus corpus ipsũ, quod facto ipso ore nostro sumimus, & edimus. Sed quia habet modum incorporeum, & spiritalem existendi, nõ dilaniatur, nec consumitur, nec atteritur dentibus, nec in eorũ, qui comedunt, substantiam conuertitur, nec egeritur quod de alimento excernitur, sicut alia corporea alimenta quę sumimus, quæ in se sunt corruptibilia, & naturali modo existunt, & ideo eis illa contingunt: at corpus Domini immortali & incorruptibili modo existit; ideo non est quod more aliorum animantium, quę eduntur, necetur, dilaceretur, trãsmutetur, cõsumaturve, licèt nos, quod ad nos attinet, officia nostra corporalis esus exerceamus ore sumẽtes, mãdentes dentibus, traijciẽtes in stomachũ. Ideo Doctores, qui rei isti tribuũt illa aduerbia, Naturaliter, Corporaliter, Carnaliter, remouent tamen à modo; quare frustrà Hæretici saltant à re ipsa ad modum.

Quod verò Berengarius in confessione sua, verum Christi corpus manu Sacerdotum contrectari, frangi, & dentibus atteri affirmet: neque nouum est, nec falsum. Non nouum, & à Nicolao Papa inuẽtum, cùm illud sit ex Chrysostomo, & Cyrillo Alexandrino ad verbum desumptum: non falsum, quia nos ex parte nostra corporaliter manducandi officium præstamus in speciebus ipsis, quę propriè tanguntur, sumuntur,

1. Cor. 15.

Luc. 21.

Corpus Christi quæ loca penetrando suã retinuit quãtitatem. Ioan. 20. Luc. 24.

Quare interdum Apostoli Christum phãtasma esse putauerũt.

Ioan. 6.

Quid carnis, & quid spiritus nominibus Scripturæ interdum accipiant.

Manichæi, Origenistæ, & Eutychitæ vnde prolapsi sint in errores.

Christi corpus quot locis possit existere per Diuinam virtutem.

Inepta Bezæ ratiocinatio.

Christi corpus à nobis dum editur, cui nihil patiatur.

Quæ mutationes Eucharistiæ manducationi à Patribus tribuũtur, quo modo accipiendæ sint.

Dictũ Berengarij de corpore Christi, quod à Sacerdotibus contrectetur, frãgatur, & dentibus atteratur, neque nouum, neque falsum esse. Chrysost. Cyrill. Alex.

tur, franguntur, dentibus teruntur, nō ipse Christus sub illis, qui modo impatibili, & spirituali existit. Ita autē vsi sunt Catholici illis loquendi formulis, ad significādum veram ac realem māducationem, & ad designandam quandam indiuiduam coniunctionem, & præsentiam Dominicæ carnis cum pane consecrato. Sic enim habet loquendi consuetudo; vt quando aliqua duo sunt inter se copulata, proprietas vnius alteri tribuatur. Sic Deus dicitur natus, crucifixus, mortuus, quæ propria sunt Humanitati, non Diuinitati, cui adscribuntur in subiecto, in quo Humanitas cum Deitate adunatur. Et ita Lucas dixit, poculum vel calicem effundi in remissionem peccatorum; non quidem vasculum, sed speciem potionis, cui attribuit sanguinis proprietatem, quæ est effundi pro nobis, vt ipsum sanguinem ipsi potioni præsentissimum. Idem facit Paulus, sed è contrario modo, dum ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis* (vt Græcè est) *frangitur:* frangi enim quod propriè pani conuenit, ad corpus Domini refert, quod tam propinquum est pani, atque intimum, vt eius proprietatem subire dici possit.

Is loquendi formulis cur vsi sunt Patres.

Luc.22. Calix quomodo effunditur (vt ait Lucas) in remissionē peccatorum. *1.Cor.11.*

Quod addit, eiusmodi manducationem inutilem, & nil ad salutem præstare supra spiritualem manducationem ex fide: Dicimus, quòd sic etiam licebit concludere, frustrà Christum natum, & mortuum, & suscitatum, quia satis erat fides illorum; inutilia quoq; essent Sacramenta, & quæcunq; externa actio, quoniā mors spiritualis Christi, qua agnus est occisus ab origine mundi, & existentia spiritualis, qua Abrahā vidit diem Christi; tātum attulit cōmodi ad salutem Patribus, quantum realis incarnatio, & passio Domini. Et ita sine Sacramentis seruarentur paruuli, & adulti sola fide. Quòd si dicat; *Oportuit Christum pati, vt promissiones Dei implerentur:* & quia ex illa naturali, ac reali Christi natiuitate & morte vim suā accepisse spirituales illas Christi apprehensiones creditur: simpliciter dicemus præter spiritualem Christi participationē, opus esse substantiali, & reali communicatione, Nisi manducaueritis carnē, & ex illa in cœna exhibita vim suam accepisse spiritualem illam Patrum, siue nostram māducationem Christi. Vel etiā si nil gratiæ adferāt Sacramenta, vt volunt hæretici; tamē existimarētur necessaria propter obsignationem, & confirmationem acceptorū Dei beneficiorum per fidem; quando firmiùs, & luculentiùs caro Christi nobis distributa certiores nos facit de Dei bonitate erga nos, ac donis ab eo sperandis, quàm frustulum panis, & parū vini. Postremò addunt: Quare repetitis mensam vestram? Cur illi toties suam? Quia opus ligno vitæ seruante. Postremum argumentum sit Petri pseudomartyris, qui amplexus Tropistarum sententiam, & interpretatus, *Hoc est corpus meum*, id est, symbolū, siue signum corporis, disputans tamen in Stephanum Vintoniensem Episcopum, negat Deum efficere posse vt corpus Christi, vt tale manens, sit simul in pluribus locis: qua ratione & Catholici, & Lutherani illud fatentur, & qua ratione etiam nōnulli Sacramentarij id factum quidem esse negant: sed fieri id non posse, alius pręter hunc apostatam, & pseudomartyrē inficiatus est nullus. Vnde hic apostata, & pseudomartyr, quod credere noluit, tollit ab omnipotenti Dei virtute. Quidam tamen ex hæreticis admittūt, id Deū posse facere, vt corpus suū sit sub specie panis; verùm id Deum noluisse præstare. Quam ob causam? Quia non credunt quod Catholici credunt. Beza in Tractatu suo contra Westphalum, non credit: *Quia*, inquit, *repugnat articulus de Ascēsu Christi in cœlos, & eius in illis commoratione.* Sed ecce nos idem credimus de illo ascensionis articulo. Et cum eo credimus posse corpus, quod ad dexteram Patris collocauit, in Eucharistia reponere: non quia descendat de cœlo, sed, vt ait Damascenus, quia ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinē Domini. Et Chrysostomus hos duos articulos simul veros esse docet, & neutrum alteri repugnare. Si dicat Hæretic[us] pugnare, cùm ipse ascenderit in cœlū, iuxta Scripturas. Respondemus, etiā idem Euangelium docere, Christū benedicendo dixisse: *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum*, cur minùs hoc creditis verum Christi verbum, quàm illud de ascensione in cœlum? Certè Christus huius veritatis est autor apud tres Euangelistas, & apud Paulum: Ecclesia Christum sub specie panis pręsentem, semper & agnouit, & adorauit, & Berēgarium aliter opinantem damnauit, & ad palinodiam coēgit: cur ergo verū non credis esse id, quod ipse Deus tot modis ita esse planū fecit? Superest igitur, vt dicas fieri non posse, vt illi duo articuli simul sint, cōmorationis videlicet Christi in cœlo, & existentiæ in Eucharistia. Quòd si Deus id possit efficere per te; ergo operator erit vtriusque, ac proinde omni ratione carebit tua incredulitas. Si dicas effici haud posse, vt eodem tēporis momento cōmoretur in cœlo, & existat in Eucharistia: negas ergo Dei virtutē ac potentiam, quā nos credendo, magis honoramus Deū; quā tu negando.

Refellitur hęc Bezæ propositio: Realis Christi manducatio in Eucharistia, nil maius habet spirituali eius manducatione per fidem. *Apoc.13.* *Ioan.8.*

Obiectio diluitur.

Ioan.6.

Sacramenta nil gratię conferunt, secundum Hæreticos.

Vltimum argumentum, idque Petri Martyris.

Petrus Martyr Deū omnipotentia spoliat.

Beza corporis Christi præsentiam in Eucharistia negat.

Ioan.Damasc. lib.4.c.14.

Chrysost. li 3. de Sacerdotio tom.5. *Marc. vlt.* *Act.1.*

Matt.26. *Marc. 14.* *Luc.22.*

1.Cor.11.

Perstringantur negantes Christi corpus existens in cœlo, simul & in Eucharistia existere.

do. Cùm tamen primus fidei articulus sit; *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & Angelus dixerit: *Non erit impoßibile apud Deum omne verbum*, & Christus; *Apud homines hoc impoßibile est*, inquit, *apud Deum omnia poßibilia sunt*.

Luc. 1.
Matth. 19.
Luc. 2.

Si enim de vtero B. Virginis inuiolatis claustris egressus est Christus, & intrauit ianuis clausis ad discipulos: duo ergo corpora, Christi, & Matris, & Christi, & ianuarum simul esse potuerunt.

Ioan 20.
Aug lib. 9 de Genesi ad literam c. 17. to. 3
Quanta sit virtus, ac potestas Dei.

Hinc Augustinus; *Super hunc motum, cursumq; rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quàm eorũ quasi seminales rationes habent: nõ tamen id quod in eis posuit, vt de his fieri vel absq; ipso poßit. Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est: & hoc de vnaquaq; re in suo tempore facit, quod ante in ea fecit, vt poßit?* Sic ille.

Matt. 19.
Quid Deus possit facere in corpore.

Audi etiam quid Deus possit in corpore facere, ait enim; *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnũ cælorũ.* Et admirantibus discipulis, dixit illis: *Apud homines hoc impoßibile est, apud Deum autem omnia poßibilia sunt.* Quod verò Dominus vtrunq; impossibile hominib. esse significauerit, satis indicat admiratio discipulorũ, dicẽtium; *Quis ergo poterit saluus esse?* Nam si voluisset Dominus transitũ cameli per foramen acus difficilẽ, sed non impossibilem reddere, nullã rationem habet quæstio Apostolorũ.

Luc. 18.
Quò difficilior sit ingressus diuitis in regnum cœlorũ cameli transitu per foramẽ acus.

Quare Lucas de vtroq; loquẽs, dixit; *Quæ impoßibilia sunt apud homines, poßibilia sunt apud Deum.* Tãtò autem difficilior est ingressus diuitis in regnũ, cameli transitu per foramen acus, quãtò magis resistit praua voluntas, & ingenium hominis, cui contra virtutem veram arma sunt diuitiæ, quàm corpus bruti per tortuosam magnitudinem resistit transitui per arctum illud foramen acus. Habemus ergo ex Scriptura, hominibus impossibile esse efficere, vt camelus transeat per foramen acus, etiamsi cameli nomine intelligas funem nauticum cum Theophylacto, cùm Deo id sit possibile: quòd si fieret, mox humana ratiocinatione colligeres cameli tolli naturã, sicut corporis Christi tolli asseris, cũ creditur diuina potentia simul in duobus locis esse.

Theophylact.
Aug. lib. 1. de Spiritu & litera, c. 1. tom. 3.
Qua ratione camelus ingredi possit per foramen acus humana virtute.

Hoc etsi nunquàm factum sit: tamen Christus dixit Deo esse possibile, vt inquit Augustin. Quid ergo meritò dicere possunt scrutatores corporaliũ dimensionum ex natura corporis fidem Ecclesiæ impugnantes? Quòd si dicant Deo possibile, naturam cameli creare in quantitate tenuis fili, vt sic transeat camelus per foramen acus: at secundùm hanc rationem non est impossibile hominibus facere vt camelus transeat per foramen acus, nec verum erit Christi verbũ, Apud homines hoc impossibile est, sed eis tantũ erit impossibile, exiguum illum, & fictitium camelum producere, at non creationem exigui cameli; sed transitum ingentis statura bestiæ per angustum foramẽ acus dixit Dominus esse hominibus factu impossibilem. Quòd si tu tali consideratione camelum ad fili tenuitatem extenues, vt Deo factu possibilẽ transitum eius per foramen acus ostendas: ego contra foramẽ acus in amplitudinem magnæ portæ extendam, faciens acum, cuius foramen camelo ingenti sit latius, vt hominibus contra Christi sententiam possibilem per foramen acus traductionem faciam.

Inepta quorundã interpretatio cameli introeuntis per foramen acus.

Non ergo nomine cameli intelligenda est porta quædam in Ierusalem, quàm nonnisi onere deposito poterant transire cameli: nam erit falsum dictum Domini; *Apud homines hoc impoßibile est*, vt mentitus sit Christus, & Apostoli frustrà admirati. Potest ergo Deus efficere, vt idem corpus sit in distantibus locis, & vt plura corpora sint in vno loco, & vt corpus aliquod seruetur extra omnem locum, sicut totum vniuersum seruatur, extra quod nihil corporeum, aut locale est.

Corpus Christi in Eucharistia quomodo existat.

At in Eucaristia, corpus Christi nec sine loco est, quia locum habet quem species panis, ac vini, quas ad tempus signo sustentat: nec ibi locum tenet respondentem suæ propriæ, ac visibili quantitati (quam in se perpetuò habet, & secundùm quam est in cœlo) sed in Eucharistia per modum substantiæ, quo panis ipse, cuius substantia in corpus conuersa fuit, ibi ante conuersionem erat.

Chrysost. li. 3. de Sacerdotio tom 5.

Et in hoc sensu dixit Chrysostomus: *O miraculum, ô Dei benignitatem: qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere, ac complecti.* Et rursus: *Quoniam in multis locis offertur* (scilicet Christus) *multi Christi sunt? Nequaquàm, sed vnus vbique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus, vnum corpus.* Sic ille.

Idem hom. 17 in epist. ad Hebræ. tom. 4. circa fin.
circa fin.
Quomodo & non sit Christus in plurib. locis.

Non est Christus in pluribus locis per extensam quantitatem proprij corporis, in ordine ad locum, quam solùm tenet in cœlo; sed est in pluribus locis, quia est sub pluribus panis & vini speciebus, quæ species naturaliter sunt in pluribus locis.

Petri pseudomartyris contra Eucharistiam diluuntur obiecta nonnulla.
1. Argum.
Aug. 57. to. 2.

Vana ergo, & sophistica sunt pseudomartyris argumenta: *Si corpus est, ergo occupat: si non occupat, nõ est corpus*, Quia Augustinus ait ad Dardanũ; *Spatia locorum tolle corporibus, nusquàm erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.* Sic ille. Sed intellige, naturaliter: nam Dei infinita potentia supra totam

est

est naturam. Nemo etiam nostrûm adimit Christo spatium locale: nam in cęlo locum habet quātitati suæ coextensum, in Eucharistia verò locum specierum; tollit verò locum corpori, qui ei omnem locum tollit: quod Catholici non fatentur, quanquàm sciant Deo nō esse impossibile seruare corpus extra omnem locum; sicut totum vniuersum seruat, extra quòd nimirùm nihil est, à quo fulciatur. Deinde arguit: quia Christus tantùm semel ascendit, semel ad nos venit, & iterum in fide veniet, ergo nō est in Eucharistia. Alioquin oporteret sæpè ascendere, & descendere, cùm secundùm Basilium in Liturgia, & Chrysostomum veniat ad hostiam, ac secundum Bernardum, Christus sit in tot locis, in quot cōsecratur: Si ergo est modò, & prius non erat, ergo venit. Sed negatur consequentia: quia aduentus, à sanctis dicitur, ob effectum ibi existendi: & esse in loco dicitur, sed non occupare: esse autem non per totum ad locum, vel mutationem naturalem, sed per supernaturalem conuersionem, & ita corruptis speciebus, & ad nihilum redactis desinit, sed sine motu, & annihilatione: quemadmodum ibi cœpit esse nō creatione, vel motu.

Quis sensus verborū Augusti. Spatia locorum, tolle corporib', nusquā erūt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Deus potest seruare corpus extra omnem locum. II. argum.

Basi. tom. vlt. Chrys. ho. 24. in priorem ad Corin. to. 4. Bern. serm. in cœna Dom.

Sed vrget, implicare, corpus esse in loco, & nō occupare: quia esset corpus, & nō corpus. Sed in Eucharistia non est vt in loco, & non contradicit in vno loco occupare, & non in alio, suspensa vi occupandi, vt igni fornacis Chaldæorum nō vrendi tres pueros, & suspēsa grauitate corporis in Petro in aqua, ne descendēdo submergeretur. Tertiò obijcit ex Bernardo, Christū præsentem ob signū, deitatem, & fidem: quia, ait, hîc veritas velata. Sed dicendum est, sensum esse, quòd verus Christus hîc est, sed in signo propter species. Ex eodem Bernardo asserit negari Christi præsentiam, quòd dicat verbum nudum, nempè præsens Angelis hîc, & Sacramento, & fide, & memoria, sed in Sacramento ipsum tegēte, & memoria passionis, & gloriæ pignore. Similia multa effundit, quæ nullius sunt ponderis; Vt illud: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Et, Non excipitur esse in Sacramento, ergo non est ibi. Sed profectò Dominus illo loco de secundo aduentu visibili Christi loquitur, & ne crederetur hæreticis initio occultè agentibus vt vulpes, donec grandescāt vt Leones, & bello irruant, vt Arriani, vt nostri seculi hæretici. Obijcit Aristotelē, dicentem: *Substantiā non esse priorem accidenti suo, & ab aliquo non posse re ipsa separari, sed tantùm mēte, & cogitatione.* At profectò Aristoteles oppositum docet;

Ad illud Petri pseudomartyris, Respondeat corpus esse in loco, & non occupare. Dan. 3. Matth. 14. III. argum. Bern. loco predicto. IV. argum. Idem serm. 33 in Cantica. V. Argum. Matth. 24. Quid proprium hæreticorum. Sextum. Arist. Vltimum.

non tamen ab omni accidenti, & proprio. Et si natura ab accidēti aliquo separat, cur non Deus ab omni, vt corpus ab occupatione, & figura? Demum ait: Angelus dixit: *Surrexit non est hic*, ergo nec in Eucharistia; aliàs esset in pluribus locis. Sed id non est absurdum plerisque, vt Brentio, Lossio, Westphalo: & est vbi consecratur, sed non vt in loco occupādo, vt naturalia corpora. Quare vanissimum est, & insigni inscitia & impietate plenū, quod Carolus Molinæus, vt eludat exemplū quo nos vtimur, Christi exeūtis de clauso Virginis vtero, ad corporis Christi præsentiam in Eucharistia persuadendā, negat Christum clauso Virginis vtero natū: quod à Bucero autore accepit Molinęus in quintam partē vnionis Euangelicæ, vbi tradit Iesum nascentem adaperuisse vuluam Mariæ: quam hæresim antè 1200. annos tenuit Iouinianus contra Prophetæ verbū: *Ecce Virgo concipiet, & pariet*, vt Ambrosius pōderat, nimirùm Prophetam prædixisse Virginem parituram: & contra Ezechielem de porta clausa, per quā Deus Israël ingressus est, vt ibidem expēdit Ambrosius, sicut etiam Chrysostomus, & Augustinus, ac Hieronymus in Ezechielis locum, & Ecclesia confidenter canit: *Post partum Virgo inuiolata permansisti.* Deinde Caluinistæ palàm negant Christum intrasse ad discipulos ianuis clausis: sed vt ait Caluin', patefecit sua virtute ianuas, sibiq; intranti cedere iussit. Petrus Pseudomartyr: *Fortè*, inquit, *non per ianuas, sed aliundè posse dici ingressum.* Sed vterque hoc accepit à Berengario magistro, qui teste Guimundo, simpliciter negabat Christum ianuis clausis intrasse ad discipulos, Brentius asserit, corpus Christi post resurrectionem fuisse incircūscriptum, & vbique; & ob id discipulis apparuisse: tam malè sibi constant hæreses. Addūt alij, corpus Domini clauso tumulo non surrexisse, sed tunc, quando Angelus remouit saxum ab ostio monumenti. Sed certè in stimulum calcitrant: textus Ioannis apertè asserit Dominum ingressum ad discipulos ianuis clausis, non apertis, vel per aliam partem domus. Et Hilarius pulchrè ait: *Quæro per quas clausa domus partes sese corporeus intulerit? integra sunt omnia, & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peruia. Inuisibilibus calumniaris, ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili ligna, & lapides admittunt. Corpus Domini à sese non deficit, vt sese resumat ex nihilo, & vnde, qui assistit, in medio est? Cedit adhuc & sensus, & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti.* Et

Marc. 16. Brentius. Lossius. VVestphal. heretici nostra tēpestatis. Caroli Molinæi de illæsa Dei Genitricis Virginitate impia vox, atque blasphemia. Bucerus. Esai. 7. & Matth. 1. Ambr. lib. 10. ep. 81. tom. 3. Ezech. 44. Idem ibidem. Chrys. ho. de Ioan. Baptista, tom. 3. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei, c. 8. tom. 5. Hieron lib. 1. aduersus Iouinianum. tom. 2. Ioan. 20. Hæreticorū nostri seculi de Christi ad discipulos ingressu ianuis clausis, cōmenta vanissima. Caluinus in Instit. c. 18. § 26. Petrus Pseudomart. Brentius. Matth. 27. Marc. 16. Ioan. 20. Hilar. lib. 3. de Trin. post medium.

statim infrà: *Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus: & cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mēdacium nostrum facti ipsius fides vincit.* Rursus Iustinus Martyr quæst. 117. ad Orthodoxos: *Nobis intelligendum est, ea quæ sunt earundem virium, habere eandem fidem, siue concedantur, siue tollantur. Habent autem easdem vires, ambulare super mare corpore non mutato, & intrare ad Apostolos corpore non mutato, ianuis clausis. Item intelligendum est, fieri non posse, vt quæ suprà naturam in natura fiunt diuina potestate, ea ratione naturæ exhibeantur. Itaque territis tali ingressu discipulis, permisit palpare passos locos sui corporis, quoniam non mutatione corporis in spiritum, ingressus erat ad eos, sed cum crasso corpore diuina sua potestate effectrice rerum quæ sunt suprà naturam.* Et Chrysostomus in Symbolum Apostolorum: *Quomodo introiuit Christus ianuis clausis ad discipulos, super mare ambulauit, &c. quia ista super nos sunt, & rationem de talibus miraculis reddere non valemus, fide tenemus.* Cyrillus in Ioannem, ita habet: *Clausis foribus, repentè Dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus ad discipulos est: Nullus igitur quærat, quo modo clausis ianuis corpus Domini penetrauit, cùm intelligat non de homine nudo, vt modò nos sumus, sed de omnipotente Filio Dei hæc ab Euangelista conscribi. Nam cùm Deus verus sit, rerum naturæ non subiacet: quod in cæteris quoque miraculis patuit.* Ambrosius in Lucam: *Habuit,* inquit, *admirandi causam Thomas, cùm videret clausis omnibus per inuia septa corporibus, inoffensa compage corpus insertum.* Augustinus quoque: *Nec nos moueat, quòd clausis ostijs subitò eum apparuisse discipulis scriptum est, vt propterea negemus illud fuisse corpus humanum: quia contra naturam huius corporis videmus illud per clausa ostia intrare: Omnia enim possibilia sunt Deo.* Et infrà: *Ita ergo & post resurrectionem suam de corpore suo fecit quod voluit.* Item Hieronymus in Iouinianum: *Si clausis ingressus est ostijs, quod humanorum corporum natura non patitur: ergo & Petrum, & Dominum negabimus vera habuisse corpora, quia ambulauerunt super aquas, quod contra naturam est.* Idem ad Hedibiam: *Angelum non putemus idcirco venisse, vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti, & reuolueret lapidem: sed postquam Dominus resurrexit, hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse quod factum est: & sepulchrum vacuum reuolutione lapidis, & sui ostendisse præsentia: quæ omnia videbantur splendore faciei ipsius, & horrorem tenebrarum fulgoris claritate fulgente.* Idem disputans aduersus errores Ioannis Ierosolymitani: *Quod clausis ingressus est ostijs, eiusdem virtutis fuit, cuius & ex oculis euanescere. Lynceus (vt fabulæ ferunt) videbat trans parietem: Dominus clausis ostijs nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Aquilæ & vultures trans marina cadauera sentiunt: Saluator Apostolos suos, nisi ostium aperuerit, non videbit? Dic mihi, acutissime disputator; quid est maius, tantam terræ magnitudinem appendere super nihilum, & super aquarum incerta librare, an Deum trāsire per clausam portam, & creaturam cedere creatori? Quod maius est, tribuis, quod minus est, calumniaris?* Sic ille. Vbi quod ait, creaturā creatori cedere, non signat ostium Christo introeunti cessisse, sed quòd legibus corporalium creaturarum non subiaceat Creator. Idcirco non naturæ, aut conditioni gloriosi corporis, sed miraculo diuinitatis adscribunt ingressum illum, Leo serm. de resurrect. Sophronius Episcopus Ierusalem epistola quadam, quæ habetur Actio. 11. 6. Synodi, & Greg. homil. de octaua Paschæ, & B. Thomas eos sequitur. Accepta est hęc doctrina hęreticorū à Durando in quarto, vbi ait: *Christus intrauit cùm fores essent clausæ, sed non dicitur, per ianuas clausas: potuit enim intrare per fenestras, aut alium aliquē locum: & si per ianuas intrauit, potuerunt ianuæ subitò aperiri, & subitò claudi: & res non dicitur fieri, nisi quādo innotescit. Dicuntur ianuæ fuisse clausæ, quia apertio earum nulli patuit. Vel potest dici, quòd Christus potuit figuram corporis mutare in angustum, & sic intrare per quamcunque rimā. B. Augustin. videtur tenere hunc modum.* Sic ille. Sed certè August. in loco citato de Agone Christiano, non id docet quod Durandus dicit, intrasse per rimam, sed quòd potētia diuina potuerit corpus Christi ad quā vellet subtilitaté redigere, non quidem tollendo quantitatem, sed faciendo ne corporis quātitas in transitu impediretur ostij quantitate. Rursus Aug. *Quomodo de sepulchro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate processit? fefellit custodes, exiliuit de sepulchro, apparuit discipulis ianuis non apertis: inde clausus exijt, huc inclusus intrauit.* Sic illi Patres doctissimi.

Ruunt ergo omnes machinę hæreticorum, & detortæ, ac falsæ expositiones, quarum Satanam autoré fuisse, promptum est cuiq; Catholico credere, & vt dici solet; dato vno incōuenienti, multa sequuntur. Ita Sacramentarij dogma suum tueri non potuerunt, nisi negata omnipotēti Dei virtute, vel posita corporis Christi πανтоπία, vel corporis in diuinitaté commutatione, vel negata sanctissimę Deiparę virginitate, vel posita corruptione Euangelij. An non cernis, prudens lector, verbū Christi Propheticum in istis impletum: *Ecce hic est Christus,*

Iust. martyr tom. 3. — *Matth. 14.* — *Chrys. hom. 2 in Symbolum Apost. tom. 5. à medio.* — *Cyril. lib. 12. in Ioan. c. 53. tom. 1.* — *Ambr. lib. 10. in Luc. c. vlt. circa med. tom. 5.* — *Aug. de agone Christiano. c. 24. tom. 3. à med.* — *Matth. 19. & Luc. 1.* — *Hieron. lib. 1. aduersus Iouinia. à medio, tom. 2.* — *Math. 14.* — *Idem ad Hedib. q. 6. tom. 3. circa med.* — *Marc. 16.* — *Idem tom. 2.*

Lynceus (vt fabulæ ferũt) videbat trans parietem. Aquilæ, & vultures trãs marina cadauera sentiũt. *Iob 26. Prou. 8.* — *Leo serm. 1. de resurrect.* — *Sophro. Episc. Ierosolym.* — *Greg. tom. 2.* — Error Durandi. — *Duran. in 4. dist. 44. q. 6. ad 3 argum.* — *Aug. lib. de Agone Christiano, c. 24. tom. 3. à med.* — *Idem ser. 130. tom. 10.* — *Matth. 28.* — Dato vno inconuenienti multa sequuntur. — *Matth. 24.*

aut illic? Aut vnquam vlla extitit hæresis, quæ tot dissidia, & bella pepererit in Ecclesia Dei, mihi valdè dubium est. Pugnant enim Tropistæ, siue Sacramentarij non tantùm cum Lutheranis, & Catholicis, sed etiam inter se, dum vnus alterum obiurgat, & alter cum altero rixatur, & nouas verbis Domini affingit interpretationes: quarum autores ipse facit Carlostadium, Zuingliū, Oecolampadium, Suencfeldium, Campanum, aliosq; complures. Westphalus in Apologia confessionis in cœna Domini, ex vno Zuinglio quintuplices hac de re sententias variantes collegit. Sed iam plus satis illorum refellendis argumentis dictum sit. Id vnum superest admonere Lectorem, vt intelligat Hæreticorum technas, & dolos, & ab Ecclesiæ sensu propter illorum sophismata nequaquam recedat, sed eo magis veritatibus ab Ecclesia propositis hæreat, quò magis illas viderit ab Hæreticis oppugnari. Nam dabit intellectum ad tenebras illorum agnoscendas bonus ille Dominus Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto æterni debentur honores, laudes, gratiarum actiones in seculis sempiternis, Amen.

Sacramentariorum quā tumultuaria secta in Ecclesia Dei.

VVestphal.

Prudentis lectoris officiū.

TRACTATVS XXIV.

IN quo ostenditur, Christum in venerabili Eucharistiæ Sacramento adorandum esse, & festis diebus venerandum, in publicisq; rogationibus circumgestandum, & ad infirmos deferendum.

QVANQVAM ex his, quæ hactenus disputauimus, perspicuum & dilucidum sit, articulum adorationis corporis Christi euinci, & alios qui propositi sunt: quia tamen Satanas magno liuore, ac rabie percitus hunc tantùm honorem inuidit Christo, & per eius organa non sine zelo quodam, & studio diuinæ gloriæ asserendæ quo magis imponeret, disseminauit, ad perturbanda, & infidelitatis vitio inficienda corda fidelium, par esse existimauimus peculiaribus rationibus, firmisq; argumentis venerationē corporis & sanguinis Christi præsenti tractatu fidelibus confirmare, atque commendare. Vt igitur hinc dicendi initium sumamus, cùm Ecclesia adorationem corporis Christi diuturno tempore præscripserit; quæramus ab illis, qui secùs docēt, quo firmo argumēto euincāt, Christum non esse summo honoris cultu venerandum? Respōdent in primis, hoc in Scriptura non haberi. Non enim dixit, adorate, sed; *Accipite & comedite.* Sed profecto hoc argumētum ex negatiua sumptum parum est neruosum apud Dialecticos. Deinde in Scripturis satis habetur, quod in Eucharistia Patres intelligunt contineri: at in vtrauis specie Christum integrū, & Deum comprehendi traditum est: ergo hoc ipso docent adorādum, præsertim cùm ipsa vbiq; clamet Scriptura, Deum esse adorandum, etiamsi expressum nō sit quòd adoretur in Eucharistia, non ob id minus firmum erit quòd debeat adorari. Nam Scriptura quædam tacet quasi nota, & ponit lectores suos debere habere intellectū, secundùm illud: *Adhuc & vos sine intellectu estis?* Sat enim esset dicere quòd Christus in Eucharistia est p̄sens, vt vel exiguo intellectu præditus credat esse adorandū. Deinde argumētantur: Christum nō esse hic vt adoretur, sed vt in cibum sumatur. Sed profectò ridiculū est, occurrere Christo, ac rogare, an velit adorari: non sic Magi ab Oriente profecti, aut Chananæa, aut Leprosus, qui venerabund: cultum latriæ obtulerunt Christo: quos tamen commendat Scriptura tanquam pios & fideles. Non igitur opus fuit nouo præcepto adorationis, sicut neque quando Imperatorem habeo obuium dissimulata specie, & ille mihi ad hoc non occurrat vt adorem, satis est mihi agnoscere illum esse Imperatorem, vt debitam præstem honorificentiam. Itaque Euangelici isti viri parciores volūt esse in cultu Christi, quàm in cultu hominum. Non valet igitur, non est ibi, vt adoretur, ergo non est adorandus: sicut non valet: *Non veni ministrari, sed ministrare*; & tamē illi ministrārunt Angeli, & Maria, & Martha, & nonnulli alij. Ad hæc negandum est, nō esse ibi Christum, vt adoretur: nam cùm semper Ecclesia adorauerit, & actus hic per se studiosus sit, & vtilis; Christus, cui nihil, quod ad nostram salutē spectet, est fortuitum, etiam hanc nostram vtilitatem intendebat. Hinc Ecclesia Catholica, etsi sciat quosdam infirmos propter ægritudinem non posse Sacramentum sumere, mittunt tamen ad eos Eucharistiam, vt vel saltem adorationis cultum illi præstent. Quare inuidia est gloriæ Christi, ita fateri fructum præsentiæ eius in Eucharistia, vt alij fructus atque virtutes denegentur; quod tamen faciunt Lutherani, dum Christum admittunt esse in Eucharistia ad cibum, & negant eum ibi esse vt adoretur, & vt à nobis Patri offeratur.

Tertiò obijciunt, Apostolos in cœna cū communionē de manu Domini perceperunt,

Satanæ in Christum inuidia.

Soluuntur argumenta negantiū Christi corpus esse colendum atq; adorandum.

I. argum.

Matth. 15.

II. argum.

Matth. 2.
Matth. 15.
Matth. 8.

Matth. 20.
Matth. 4.
Luc 10.
Ioan. 12.

III argum.
Caluin.

Act. 2. perunt, nō se in terram prostrauisse ad adorandum: & Actus Apostorum testantur, nō in adoratione panis, sed in eius fractione primitiuā perseuerasse Ecclesiam. Tale enim Caluinus texit argumentum. Respōdemus enim, quòd etsi hoc non legatur, satis tamen haberi quòd adorauerint, si credimus Apostolos verbo Christi credidisse, *Ioan. 6.* dicentis: *Hoc est corpus meū*, & quia aliàs promiserat se daturum panē, qui esset caro sua.

In quo potissimū adoratio consistat.

Nec adoratio tam cōsistit in externis actibus, quàm in Fide, Spe, & Charitate. Illos autem credidisse Christo, fidisse illi, atq; amasse eum, dubium non est. Adde quòd in pṡentia ipsius Christi non opus erat corpus & sanguinem ita venerari, pręsertim cultu latriæ, nec nos etiā prostrati suscipere debemus Christi corpus. Nā Sacerdos stans cōsecrat, & edit: infirmi, sedentes, vel iacentes communicant. pro loci tamen & temporis circumstantijs optimum est, atque adeò alios ædificans, externis adorare signis, vt genuflexione, detectione capitis, & prostratione. Adde his, quòd cùm adorare Deum, sit primum pceptum affirmatiuum quod non obligat omni tempore, sicut nō semper Deum nobis, & vbique præsentem adorare oportet: ita nec præsente venerabili Sacramento, Christum in eo existentem actu semper adorare obligamur, sed pro tempore maximè quo suscipitur: nam tunc oportet dijudicare adesse corpus Domini, ipsumque adorare. Et quod Lucas ait, perseuerasse in fractione panis, non negat adorationem, quia præcedit quòd erāt perseuerantes in doctrina Apostolorum; vt ostēderet quòd sicut reuerenter audiebant doctrinā Apostolicam, ita corpus Domini magna cum reuerentia & animi submissione percipiebant. Si ergo credebant Apostoli, Christum se illis in cibo, potuq; pbuisse, & Christum Deum esse, profectò non sine magna veneratione & adoratione panem sanctum suscipientes ederunt.

Exod. 20. Pręcepti affirmatiui natura.

Act. 2. Ecclesiæ primitiuæ fidelet ita sacti panis Eucharistiei fractionem frequentabant, vt ei tamen adorationem non omitterent.

IV. argum. Caluini. Christ⁹ quod semel assumpsit, nunquā dimisit.

Quartò, objicit Caluinus, negando concomitantiam Diuinitatis ad corpus Christi. Sed euictum est falsum esse, quia quod semel assumpsit, dimisit nunquam. Nec valet, Corpus Christi non est Christus, ergo corpus etsi coniunctum sit in Eucharistia cum diuinitate, non est adorandum. Hoc enim valdè est friuolum: nec enim nos adoramus Corpus Christi quasi esset Christus, sed quia Christi est, & in eadem persona subsistit, ita vt quicquid ipsi honoris, vel contumeliæ fiat, redeat in Christum. Quemadmodum ridicula est collectio, si quis lædens caput aut brachium Regis, dicat se Regem nō lædere, quòd neutrum il-

Christi corpus cur fideles adorent.

Quale argumentum Caluini.

lorum sit Rex. Ambros. ait: *Christus est, quia corpus Christi est.* Rursus: *Christus offertur in terris, quando Christi corpus offertur.* Ita Ambr. egregiè. Vnde Ecclesia primitiua hanc adorationem ab Apostolis accepit, & acceptā posteris tradidit. Et colligi videtur ex sacris literis, præsertim ex illo verbo: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum*: in quo gratiarum actio, adoratioq; pro tanto beneficio significatur. Præterea, ait Dauid: *Adorate scabellum pedū eius, quoniam sanctū est.* In quæ verba ita scribit August. *Quæro quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi Scriptura: Terra, scabellum pedum meorum: fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio: quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Et Ambrosius libro de Spiritu sancto: *Videamus ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, vt suprà diximus, adorarunt.* Et Chrysostomus in primam ad Corinthios: *Hoc corpus in præsepe reueriti sunt Magi, & viri impij & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerūt. Imitemur igitur saltem barbaros nos, qui cœlorum ciues sumus. illi enim cum id præsepe, & tugurium tantū neq; eorum quicquam, quæ tu nūc intueris, viderent, summa accesserunt reuerentia, & horrore. Tu verò non in præsepe id, sed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum perabunde super proposito diffusum sacrificio vides.* Theodori. lib. 2. in Polymorpho; *Neq; post sanctificationem (ait orthodoxus) mystica symbola illa propria sua natura egrediuntur. Manent siquidem in priori sua substantia, & figura, & specie, adeoq; videntur, & palpantur, quemadmodum antea: intelliguntur autem quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, tanquam ea existentiæ quæ creduntur.* Sic ille, tria docens de Eucharistia. Primum, quòd symbola manent in priori substantia, & specie: vnde videntur, & palpātur, vt antè. Secūdum, ea ipsa post sanctificationē facta iam esse aliqua quæ non videntur, sed intelliguntur, & creduntur. Tertium, hæc ipsa symbola adorari, propterea quòd existunt illa quę existere creduntur. Præterea

Ambr. lib. de ys qui myster. initiantur. c. 9. sub fin. tom. 4. à medio. Cultum Eucharistiæ sacrosanctæ va de accepit Ecclesia. *Matth. 26. Psal 98. Aug. in Psal. 98. tom 8.* Scabellum pedum Dei iuxta Prophetā cato Christi est. *Esai. vlt. & Matth. 5. Ioan. 6.* *Ambr lib 3. de spiritu san cto, c 12. circa med. tom. 2.* *Chrys. hom. 24 in prio. ad Corint to 4. circa finem. Matth 2. Ephes. 2.* *Theodoret. part. 2.* Triplex Theodoriti de Eucharistia doctrina Catholica.

Da-

Dauid loquens de Eucharistiæ Sacramento, ait: *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ.* Vbi illa coniunctio, *Et*, causalis est. Estque sensus; manducauerunt, quia prius adorauerunt. Et Augustinus in hæc verba scribit: *Manducauerunt corpus humilitatis Domini sui etiam diuites terræ: nam sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt.* Simile quid asserit idem August. scribens ad Honoratum. Idē quoque Psaltes inquit iuxta literam nostram: *Ergo firmamentum in terra in summis mōtium, superextolletur super Libanum fructus eius.* Vt in Hebræo habetur, Pissath-bar, hoc est, bucella panis, & Chaldæus codex habet, firmamentum refectionis, vel panis substātificus. Hieron. verò iuxta Hebræam veritatem vertit: *Erit placentula in summitate mōtium.* Quod Doctores multi referunt ad Eucharistiam, quam super capita sua, quasi super summitatem montium eleuātes, exhibent Sacerdotes populo adorandam. Ait etiam Dauid: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Vbi Hebræa veritas habet: *Osculamini filium, vel frumentum*: vel, vt alij: *Adorate purè*: quòd videlicet Christus in specie frumenti, panisve adorandus esset in Eucharistia, & osculo puro amoris suscipiendus. Item Apostolus docet: *Qui enim manducat, & bibit indignè; iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini quod accipit.* Qui autem iudicat Dominum suum illic adesse, & ad se venire, hospitium illi parat, & cum reuerentia, ac deuoto animo suscipit. Augustin. ad Ianuarium: *Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium: inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant a cæteris cibis veneratione singulariter debita.* Sic ille. At quæ erat illa singulariter debita, nisi quia in ea agnoscitur præsens corpus Christi, & vt tale colitur mente, & corpore adoratur? Ambrosius quoque in verba Pauli: *Non diiudicans corpus Domini*, ait: *Deuoto animo, & cum timore accedendum ad communionem docet; vt sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficij Dei.* Denique ex Scripturis habemus, Angelis præceptum esse, vt Christum adorent, secundùm illud Apostoli: *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Cùm igitur Angeli eum in Eucharistia adorent, multo magis iustum est vt homines adorent, qui eius sanguine redempti sunt.

Psalm. 21. — *Aug in Psal. 21. exposit. 1. tom. 8.* — *Idem ep. 120. tom. 2.* — *Psalm. 71.* — Varia huius loci Dauidis interpretatio: Erit firmamentum in terra in summis, &c. — *Hieron. ib.* — *Psalm. 2.* — Quid illud euidem: Apprehēdite disciplinā, &c. — *1. Cor. 11.* — Quis diiudicet corp' Domini, secundùm Apostolum. — *Aug ep 118. c 3. tom 2.* — *Num 21.* — *Amb. in c. 11. prior. ad Cor. tom. 3 à med.* — *Psalm. 96. & Hebr. 1.*

Idem etiam ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ, quæ in cultu Dei errare non sinitur, ostendi potest. Nam ab initio Ecclesiæ in hunc vsque diem Ecclesia Christum in mysterio adorauit. In Concilio verò Viennensi sub Clemente V. inter errores Beguardorum, & Beguinarum damnatos à Concilio, octauus articulus fuit: *Christum in Eucharistia à perfectis non esse exterius adorandum.* Et habetur in Clement. ad nostrum, de hæreticis. Erāt enim quidam, qui in eleuatione corporis Christi nolebāt assurgere, & reuerentiā exhibere. Sexta synodus docet qua reuerētia sit suscipiendus Christus in Eucharistia: tradēs, vt manibus in crucis formam positis, cum summa veneratione accipiat Eucharistiam. Idem etiam sub anathemate definiuit Concilium Tridentinum, vt postea citabitur.

A traditione & Ecclesiæ cōsuetudine. — *Cōc. Viennense sub Cle. V.* — VI. Synodi can. 101. — Quemadmodum Eucharistia sit fidelibus suscipienda. — *Concil. Trid. sess. 13. can. 6.*

Romani quoque Pontifices suis decretis adorationem statuerunt. Nam Clemens docet fragmenta corporis Christi cum timore ac veneratione tractanda. Anacletus præcipit, vt ministri intersint sacrificio corde contrito, & spiritu humiliato, & vultu prono; quæ omnia speciem adorationis præ se ferunt. Alexander I. *Nihil*, inquit, *in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, sed omnes hæc præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab hominibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.* Honorius III. docet, quòd in eleuatione sacræ hostiæ omnes se reuerenter inclinent, & illud idem præstent, cùm ad infirmum defertur Eucharistia.

Romani Pontifices. — *Clemens ep. 2* — *Anaclet. ep. 1* — *Alex. I. ep. 1. can. 4. de consecrat. dist. 2. c. Nihil.* — *Honor. III. c. sanè, de celeb. Miss.*

Possunt etiam veteres Doctores produci. Primus sit, Dionysius Areopagita, qui in libro de Eccles. Hierarchia asserit, quòd Pontifex, cùm diuina munera laude prosecut' fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, venerandis operta atq; abdita signis, in conspectum agit, diuinaq; munera reuerenter ostendens, ad sacrā illorum communionē & ipse conuertitur, & reliquos, vt communicent, hortatur. Idem etiam colligitur ex Liturgia Græcorum, in qua Sacramentum omnibus adorandū proponitur, sicut apud Latinos. Nā in Missa Græca Sacerdos adorat, & Diaconus in eo, in quo est loco; ter mysticè dicētes: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Præterea Cypria. ad Quirinum, cum timore, & honore Eucharistiam accipiendā tradit. Chrysostomus: *O miraculū (ait) ô Dei benignitatem: qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere, ac complecti.* Et rursus: *Considera, quaso, mensa*

Veteres Doctores. — *Dionys. lib. de Eccl. Hierar. c. 3. par. 2.* — *Græcorum Liturgia.* — *Cypria. lib. 3. ad Quirinū, cap. 94.* — *Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, tom. 5.*

Idem ho. 61. de sacro partici pat. mysteriorum, to. eo.

mensa regalis est apposita, Angeli mensæ ministrãtes, ipse Rex adest, & tu adstas oscitans. Sordescunt tibi vestimenta, & nihil est tibi curæ. At pura sunt, igitur adora, & communica. B. Ambrosius: *Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, vt suprà diximus, adorarunt.* Augustinus: *Nos in specie panis, & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem, & sanguinem, honoramus.* Et contra Faustum Manichæum scribens, testatur aliquos ethnicos imposuisse Christianis, quòd Cererem & Liberum colerent: quæ calumnia locum non haberet, si Christiani tunc non adorassent Eucharistiam. Theodoritus in Dialogis: *Intelligantur,* inquit, *ea, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur.* Bernardus quoque: *Adora deuotiùs, & recole frequentiùs in Sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinẽ infirmatam. Si membrum Christi es, compatere capiti tuo, si frater Christi es, commorere fratri tuo.* Gregorius Romanus in Dialogis: *Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?* Et sequitur: *Sed necesse est, vt cùm hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus.* Idem docet Ambrosius in Lucam de Angeli apparitione loquens: *Vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, imò præbeat se videndum. Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur.* Et Chrisostomus recenset visionem, quam Sacerdos quidam habuit de multitudine Angelorum Missæ sacrificio adstantium, & se ab illo fuisse persuasum. Et hæc testimonia satis sint, cùm res non sit aut obscura, aut dubia, sed valdè perspicua habentibus fidei oculos.

B. Amb. lib. 3 de spiritu sancto, c. 2. to. 2.

Aug. li. 3. senten. Prosperi, tom. 3. ad calcem.

Idem lib. 20. contr. Faustũ c. 13. tom. 6.

Theod. dial. 2. par. 2.

Bern. serm. 1. in cœna.

Greg. Rom. li. 4. Dialog. c. 58. tom. 2.

Cap. 50.

Officium Sacerdotum sacra mysteria celebrantiũ.

Ambr. li. 1. in Lucam, init. tom. 5. init.

Chrys. li. 6. de Sacerdot. sub init. tom. 6.

Rationibus idem dogma firmatur.

I. Ratio.

Deut. 6. & Ioan. 10.

Accedo ad rationes, quæ huic articulo subscribunt, quarum prima sit: Quia Scriptura præcepit adorare Dominum, & honorificare filium: nec præscribit magis in hoc loco, quàm in illo, sed vbicunque sit: at Filius Dei est in Eucharistia, vt euictũ est, cõtumeliosè igitur subtrahitur illi adoratio. Secunda: Deus olim in signo adorabatur in specie viri, qua per Angelum apparuit Abrahæ, qui tres vidit, & vnum adorauit: & Patres ante arcam Domini sese prosternebant in templo. Cùm ergo hoc sit certissimum signum, in illo maximè debet adorari. Ait enim Augustinus: *Sub signo seruit qui operatur, aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui verò aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemq́; intelligit: non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potiùs, quo talia cuncta referenda sunt.*

Secunda.

Gen. 18.

Aug lib. 3. de doct. Christ. c. 9. tom. 3. initio ferè.

Tertia ratio.

Tertia: In humanitate sua quandiu hic fuit viator, adoratus est Dominus à Magis, à leproso, à Chananæa, ab Hemorrhoyssa, & cæco nato, & multis alijs: cùm igitur iam gloriosus sit, & ad dexteram Patris sedeat, & in Eucharistia existat, summo latriæ cultu venerandus est; sicut etiam à morte excitatus adoratus est ab Apostolis, & mulieribus, vt Matthæus est autor. Quarta ratio: Potest quiuis, imò etiam debet, nullo etiam existente signo, mente sua Deum colere in spiritu, & veritate. Cùm igitur signum Eucharistiæ, vel sacer templi locus, in quo est, adorationem non impediant, imò potius eam excitent, cùm ad id sint instituta, sequitur quòd debeamus Christum in Eucharistia adorare. Quinta: Si nomen Iesu venerandum est propter Christum, vt docet Paulus: *In nomine Iesu omne genu flectatur*; multo iustiùs ipsemet in Eucharistia existens. Sexta: Hoc Sacramentum sumendum est cum Fide, Spe, & Charitate, in quibus consistit latria, seu theosebia, si volumus ad salutem, & non ad iudicium sumere: ergo adorandus est interno cultu, & per consequens etiam externo, quem interior parere solet. Septima: si Christus tantùm esset in signo, & non per seipsum in Eucharistia, dæmon, qui gaudet idololatria, non infestaret adoratores Sacramẽti; cùm ergo prohibeat adorationem, euidens argumentum est, ibi adesse Christum, & adorandum in contemptum Satanæ. Postrema ratio: Si actus adorationis per se bonus est, quia habet obiectum conueniens, nempè Deum, & locum, & tempus, & alias circunstantias: nec est in Scriptura prohibit⁹, quin potiùs commendatus est, atque adeò nobis vtilis, quòd in eo exerceamus Fidem, Spem, Charitatem, & Humilitatem, atque alias virtutes Christianas: Christo etiam hic actus est gloriosus, ergo nulla ratione est illicitus.

Matth. 2. Infrà 8. Infrà 15. Suprà 9. Ioan. 9.

Matth. vlt.

Quarta.

Ioan. 4.

Quinta.

Philip. 2.

Sexta.

Latria quibus consistat.

Septima.

Postrema ratio.

Non dissimulabo quòd quidam ex hæreticis obijciunt, eiusmodi Eucharistiæ adorationem periculosam esse, & posse facere artolatras, seu cultores panis, posito quòd impius Sacerdos verba consecrationis omittat, vel loco vini aquã puram proponat adorandam: quia tunc populus adoraret creaturam. Respõdemus, quòd vt nihil obfuit Iacob, cùm Laban sibi ignoranti pro Rachel in cõcubitu substituerit Liam, quia bona fide se cũ propria vxore dormire puta-

Hęc obiectio diluitur: Eucharistia si esset adoranda, populus Christianus panẽ nequitia Sacerdotis non consecratum adorãs, esset artolatra.

Gen. 29.

putabat: ita non est artolatra, qui adorat Christum in pane non consecrato, quẽ bona fide putat consecratum: sicut nec periculosè errare conuincitur, qui falsum fratrem, & fidei simulatorem, tanquam fidelem, & Catholicum honorat: quia non impietatem eius, vel hypocrisin, sed fidem, quam in eo esse arbitratur, honorat. Simili argumẽto posset quis argumẽtari: Si enim Christi derisor, hominibus, qui Christũ de facie nõ nouerãt, vel cęci erant, dixisset trãseunte Petro Apostolo, Hic qui transit, est Christus, & eũ illi adorarẽt, vel clamarent, *Miserere mei, fili Dauid*, nunquid hi, qui bona fide Petrũ pro Christo adorarent: rei essent idololatriæ? Non certè, quia hi Christũ potiùs, quàm Petrum colerẽt: neq; propterea fidei nostræ Catholicæ vllũ subest falsum, quia fides Catholica tantùm credit in omni hostia ritè cõsecrata Christi corpus esse, & omnem ritè baptizatum, vel à Sacerdote absolutum esse regeneratum, & cum Deo reconciliatum, & iustificatum. Quòd verò hæc hostia ritè sit consecrata, & hic, vel ille legitimè baptizatus, vel claue non errante absolutus nihil dicit, in quibus tamen potest secùs accidere, atque à nobis creditur. Atque hæc satis de adoratione.

Hæreticorũ circa ritus alios & cæremonias Ecclesiasticas inepta somnia confutantur multiplici ex capite.

Circa alios articulos, in quibus hæretici potiùs agunt legislatores, quàm dogmatistas, ex nõnullis capitibus rectè expugnari posse videtur. Primum est ex eo, quòd Ecclesia, quæ errare non potest in cultu Dei, hæc, quæ isti vocãt illicita, magna cum laude exercet. Alterum est: quòd eiusmodi actus, quos prohibẽt, nõ solum ex obiecto, sed etiam ex circumstantijs sunt studiosi, eosque exercenti vtiles, & salutares. Tertium: quia antiquitas similes actus approbauit, nõ enim Ecclesia posterior illos adinuenit, sed à Patribus veteribus, quibus iure Naturæ debemus deferre, eos accepit.

Ecclesia Christi in quo errare nõ possit. Secundum. Tertium.

Quartum.

Quartum sit: periculũ mutationis rituum, ob quam interdum orta sunt schismata, & hæreses. Etenim Augusti. quærens causam erroris Cypriani de rebaptizandis semel baptizatis ab Hæreticis, asserit in causa fuisse quosdam, qui fuerunt ante Cyprianum, qui maluerunt nouum aliquid moliri, quã tenere consuetudinem, cuius defensionem non intelligebant. Loquitur autem de consuetudine non rebaptizandi venientes ab Hæreticis ad Catholicam, quam constanter semper tenuerat Ecclesia Romana, & Africana, donec isti præcedentes Cyprianum eam innouãrunt: ex qua innouatione ipse assumpsit occasionẽ erroris.

Aug. lib. 2. de Bapt. contra Donatist. c. 7. tom. 7.

Quæ caussa extiterit erroris Cypriani de rebaptizandis semel ab hæreticis baptizatis.

Quintum.

Quintum est: Defectus potestatis in his, qui abolere antiquos Ecclesiæ Romanę ritus, & nouos introducere volunt. Quadrat enim illud quod Iuliano Pelagiano dixit Augustinus de Ecclesia Romana loquẽs: *Quid ei* (id est, Ecclesiæ Occidentali, inquit) *quæris inferre, quod in ea non inuenisti, quando in eius membra venisti? Imò quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepisti?* Hæc ille, eleganter depingẽs nouos istos legislatores, qui nihil aliud quàm noua instituta, & nouos ritus introducere tentant, quos in Ecclesia non inuenerunt: & abolere illos, quos in ea ipsi non ita pridem cùm catechizati sunt ab Ecclesia Romana sub Gregorio III. & Carolo Magno acceperunt. Hinc separãtes se à ritu Romanæ Ecclesiæ, maiori in culpa sunt quàm Oriẽtales, qui Germanis in fide sunt antiquiores: qui etsi sint sub Pontifice Romano, nõ tamẽ sunt sub Patriarchatu Occidentali Romano, vt sunt Germani: qui propterea peculiarius in ritibus debent sequi suã matricem, & non facere schismata.

Aug. lib. 1. in Iulianum, tom. 7.

Nouellos nostri seculi legislatores hæreticos, ritus Ecclesiæ abrogare, & nouos inducere tentantes, mirè describit August.

Orientales in fide Germanis sunt antiquiores.

Ecclesia Romana matrix omnium Ecclesiarum.

Sextum caput est; à peculiarib⁹ rationibus, quæ in quouis horum articulorũ vltra dicta generalia occurrere possũt; quales sunt circa festiuam solennitatem Eucharistiæ. Primùm, ab Scripura, quæ festum suadet facere in conuiuio vituli saginati, quo pastus est reuertens prodigus, vt Lucas commemorat. Paulus etiam immolato paschate Christo, epulari, & festa celebrare adhortatur: id enim significat; *Itaq; epulemur*, vbi Græcè habetur ὥστε ἑορτάζωμεν; id est, *Eia festum diem celebremus*: vt est in priori ad Corint. In nuda quoq; figura huius Sacramenti, nempè in agno paschali, festum erat celeberrimum institutũ in lege, vt in Exodo habetur. Et dicitur festum sempiternũ: quòd non tam in illo agno, quàm in vero nostro impletur. Impia ergo fuit vox Lutheri dicentis; *Nullum festum magis odi, quàm festum Corporis Christi, & Conceptionis Mariæ Virginis*. Deinde idem colligimus ex Ecclesiæ definitione in Concilio Viennensi, vbi statuitur hoc Festum celebrandum, sicut quibusdam fuerat reuelatum; vt habetur in Clement. de reliquijs & veneratione Sanctorum. Vrbanus quoque IV. idem decernit; & indulgentias fidelibus, qui officio Diuino interessent, concessit: quod Officium ibidem dicitur composuisse B. Thomas. Tertiò, fauet & ratio. Primò, quia Ecclesia potestatem habet solennes dies instituendi: alioqui nulla Festa deberemus celebrare, quia nullum habemus expressum in Scripturis. Esset etiam Ecclesia inferior Synagoga, quæ certa instituebat Festa, vt Esther, Iudith, ac Renouationis tẽpli. Cùm igitur Ecclesia potestate sit prædita, & caussam habeat instituẽdi, nempè cõmemorationem

Sextũ caput à peculiari quadã ratione duplici circa propositũ argumẽtum.

1. Cor. 5.

Exod. 12.

Nullũ Festũ magis odit Lutherus quàm Festũ corporis Christi, & cõceptionis Mariæ Virginis, vt ipse impudens asseuerabat.

II. Ratio, ab institutione solennitatis corporis Christi.

Ca. si dominũ Vrban. IV. idem & triplici ratione firmatur.

Esther vlt. Iudith vlt. 2. Mach. 4.

tionem tanti beneficij: rectè diem festũ instituit, & institutum obseruare debẽt fideles, quandiu viget præceptum. Quanquam quia eiusmodi Ecclesiæ præcepta politiua sunt, variari possint, & interdum abrogari, si causa abrogationis subsistat. Adhæc sibi ipsis pugnare videntur hæretici: dicunt enim, gaudendum esse in memoria passionis; at Eucharistia memoria passionis est, ideo Festum eius instituere, & fructũ eius celebrare, & de ipso fructu gaudere, non autem de ipsa passione, vt docent hæretici.

Festum corporis Christi celebrare, quid sit.

Accedat iam articulus de non gestanda Eucharistia in publicis rogationibus: gestare enim, & non gestare, medium est, & indifferens, naturaque harum rerum, de quibus leges Ecclesiasticæ feruntur, valdè est variabilis. Possunt enim casus incidere, & tempora, in quibus non expediret gestare Eucharistiã, vtpote si populus Christianus esset sub infidelibus, & immineret periculum vel irrisionis, vel alicuius contumeliæ Sacramenti Eucharistiæ: possent etiam tales oriri abusus ita alioqui immedicabiles, vt expediret tollere supplicationes, Sacramentiq; circumgestationem: & tunc asserere nõ esse gestandã Eucharistiã, non esset hæreticũ. Verùm hæc non est hæreticorum mens, sed illa potiùs, quòd Eucharistiam gestare per se sit illicitum: quia est cultus, vt ipsi aiunt, Scripturę sacrę non innixus, & ob id secundùm eos damnatus: quo in sensu manifestus est error: & præter iam dicta, peculiariter damnatur, primò ex arcæ fœderis, quæ circumgestabatur, figura, vt constat ex libro Numerorum, & ex libro Iosue, vbi circumgestatione arcæ, muri Iericho corruerunt. Primo etiam Regum libro spectantes arcam, percussi sunt Bethsamitæ. Deinde accedit experientia. Nam perspecta est vtilitas huius gestationis, tam in excitatione deuotionis fideliũ; quàm perterrefactione dęmonũ, qui istum aërem incolunt, & magis fugiunt Eucharistiam, quàm olim idolum Dagon fugerit arcam Domini. Hostes etiam fuerunt mitigati, vel fugati à B. Clara, Eucharistiã manibus gestante Assisij. Tertiò, est consuetudo Pontificis Maximi, qui vt viaticum habeat paratum, quoties opus fuerit, & quò magis Sacramẽtali præsentia ad Christum excitetur, eius cuius vicem gerit, Sacramẽtum in sola panis specie ante se gerit, dum iter aliquod instituit. Quartò, refert Ambrosius in oratione de obitu fratris sui Satyri, illum liberatũ à naufragio sola gestatione Eucharistiæ in orario inuolutæ. Quintò, Hieronymus laudat Exuperium Tolosanum Episcopum in epistola ad Rusticum

Quibus causis festum corporis Christi minimè publice celebrari conueniat, atque circumgestari.

I argum.

Num. 14.

Iosue 3. & 6.

1. Reg. 6. & seq.

II. argum.

Ibidem.

Miraculum Eucharistiæ per B. Clarã Assisinatem.

III argum.

IV. argum.

B. Ambr. to. 3 sub init.

V. argum.

Hieron. to. 1.

monachum, quòd corpus Dominicum gestaret in canistro vimineo, & sanguinem Domini in vasculo vitreo. Sextò, quia hæc gestatio nihil est aliud, quã trophæũ quoddam, & triumphus Christi; qui vt in passione certauit, & superauit dæmonem, ita in Eucharistia circumgestatus triumphat: in qua etiam regnat super Ecclesiam militantem, cuius vniuersus cultus ad Eucharistiã refertur. Postremò, quòd negatur, deferendam esse Eucharistiam ad infirmos ex communibus illis capitibus: impugnatur ad sensum, in quo hæretici id asserunt: qui non est quòd infirmi non communicent, cùm contrarium velint, sed est vt ad infirmos non deferatur, vt apud eos conficiatur. Atque hoc etiam si in facto aliquo diceretur, & res Ecclesiæ alio modo se haberent, quàm nunc, hæreticum non esset, vt de circumgestatione dictum est. Rebus autem Ecclesiæ, vt nunc se habent, cõstitutis, asserere, quòd nõ expediat, impudentiæ est in Ecclesiastica politia, atq; adeo animi schismatici; asserere autem quòd non liceat tanquam sit cultus per se malus, hæreticũ est: & in vtroque sensu horum duorum improbatur peculiariter hæc pars. Primùm, quia ad sanos mittebatur Eucharistia, vt docet Eusebius Cæsariensis. Refert namque, antecessores Victoris Papæ ad Asiaticos Episcopos Romam venientes in signum pacis & communionis, solitos mittere Eucharistiam. Iustinus Martyr in Apologia sæpiùs citata ad Antoninum Pium pro Christianis, admonet, Eucharistiam deferri solitam ad absentes: data quoque est & Satyro fratri beati Ambrosij, quã in orario gestabat, Eucharistia, vt dictum est. Cyprianus quoque, ac Tertullianus tradunt morem fuisse laicis dandi Eucharistiam, vt ad domum illam deferrent, domiq; asseruarent, vt cùm vellent, communicarent: quẽ etiam confirmat consuetudo vtendi pane benedicto, quem in locum Eucharistiæ suffecit Pius Primus Romanus Pontifex. Cæterùm illa consuetudo gestandi Eucharistiam, varijs, & iustis quidem de causis abolita est, vt patet ex canone 3. Concilij Cæsaraugustani; vbi præcepto indicitur, vt omnes in Ecclesia Eucharistiam consumant. Quòd si ante prohibitionem licebat, ad homines sanos destinare Eucharistiam, illamque domum deferre, multo magis licebit eam ad infirmos deferre, quia multo plus ea indigent. Et Concilium Carthaginense III. statuit: *Infirmorum ori infundatur Eucharistia, in phrenesin lapsorum, si præsentes testarentur illos eam desiderasse.* Iterum Tertullianus in libro de oratione: *Accepto*, inquit, *corpore Domi-*

VI argum.

VII argum. quo quidem Eucharistiã ad infirmos deferendã esse, contra Hæreticos multis ostẽditur.

Euseb. lib. 5. c. 24. Eccles. hist. tom. 1.

Antecessorũ Victoris Papæ pia consuetudo.

Iust. martyr tom. 1.

Ambr. in oratio. de obitu fratris sui. tom. 3.

Cypria. ser. 5. de lapsis.

Tertul. lib. 2. ad vxorem.

Pius I. Rom. Pontifex panis benedicti primus in Ecclesia cõsuetudinem introduxit.

Concil. Cæsaraug.

Concil. Carthag. III. can. 34

Tertull.

Domini, & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij. Quibus verbis indicat, Eucharistiam deferri solitam pro absentibus, seruari solitam pro præsentibus. Et Basilius ad Cæsaream patritiam scribit, morem esse in Alexandria, & Ægypto, vt quisque communionem domi suæ teneat. Eius verba, vt refert Ioannes Νηστευτὴς, qui à ieiunio nomen accepit, Græcorum Canonum collector, talia sunt: *Cõmunicare singulis diebus, & sacrum Christi corpus participare, honestum est, & valde vtile, ipso apertè dicente: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis ergo dubitauerit, quòd frequenter participare vitam, nihil sit aliud quam multipliciter viuere? Nos tamen quater per singulas hebdomadas ad diuina illa sancta participanda accedimus, in Dominica nimirùm, & in quarta, & in Parasceue, & in Sabbato, & in alijs diebus, si sit in eis memoria Domini, vel sancti alicuius. At verò persecutionis tempore arctari quemquam ad communionem propria manu percipiendam, cùm non adest Sacerdos, vel minister, nequaquam esse graue, superuacaneum est demonstrare: propterea quòd longa consuetudo ex rebus ipsis hoc factum comprobat. Omnes enim qui in eremo monasticam vitam degunt, vbi non est Sacerdos, communionem domi habentes accipiunt. In Alexandria verò, atque Ægypto, vnusquisque etiam ex his, qui ex populo sunt, vt plurimum habet communionem domi sua, & cùm vult, per seipsum assumit. Vbi enim semel Sacerdos sacrificium perfecerit, & illud impertiuerit, credere debet is, qui acceperit, quòd totum simul per singulos potest iure participare, quasi ab eo id suscipiat, qui dedit. Etenim & in Ecclesia donat particulam Sacerdos, & suscipiens cum omni retinet facultate, & ita propria manu in os mittit. Idem igitur est in virtute, siue vnam particulam suscipiat quis à Sacerdote, siue plures particulas.* Hactenùs ille, egregiè multa scitu dignissima, & suo tempore vsitata docens de Eucharistię perceptione.

Basil. tom. vlt. Alexandrinos mos Ecclesiæ & Ægypti totius.

Ioan. 6. Frequenter participare vitam, Christum scilicet in Eucharistia quid sit.

II. ratio, ab incommodis.

Deinde impugnatur hoc dogma: Quia si conficeretur in domo infirmi Eucharistia, vt volunt isti noui legislatores, multa, grauiaque absurda consequerentur. Primò enim oporteret sæpè in loco non sacro celebrare; deinde extra tempus, vt à prandio, vel nocte: item celebrare nõ ieiunum; ad hæc sæpè conficere in die Eucharistiam; quin etiam irreuerentia nonnulla ex loco vili Eucharistiæ accederet; adde, impossibile esset quandoque conficere, quia in domibus pauperum vix esset cõmoditas celebrandi; vel oporteret sine vestibus, & vasis sacris agere, quod etiam absurdum esset. Præterea priuarentur sua deuotione illi, qui solent reuerenter comitari Eucharistiam, & admoneri proprij finis perspecta fratris infirmitate. Idcirco vltra errorem, imprudens esset illud statutũ de celebrando semper in domo infirmi.

Tertiò, impugnatur hæc pars ex decretis Pontificum, & Ecclesiæ canonibus, quibus videtur asseruari Eucharistia, vt ad infirmos deferatur; vt patet ex decreto Leonis titulo de officio Archipresbyteri, cap. Officium, & ex Concilio Vvormaciensi, quod habetur De consacratione distin. 2. cap. Presbyter, & ex Cano. 2. Rhemen. Synodi in cap. Peruenit, vbi peculiariter indicitur Sacerdoti, vt per se ipsum deferat Eucharistiam. Et Honorius III. vt habetur in titu. De celebrat. Missa. c. sanè.

III. ratio, à decretis Pontificum, & canonum Ecclesiasticorũ. *Leo Papa. Conc. VVormacien. Synod. Rhem. Honor. III.*

Quartò, improbatur ab vsu antiquissimo Ecclesiæ. Nam Eusebius Cæsariensis refert, Sacerdotem ægrotantẽ dedisse puero parùm Eucharistiæ deferendum Serapioni ad mortem infirmo: & Clemens Romanus præcipit, ne Sacerdotes non cœlibes fiant sacrificij portitores. Et Augustin⁹ libro de visitatione infirmorum suadet infirmo, vt faciat sibi adferri Eucharistiam. Confirmanturque hæc omnia hoc tractatu comprehensa definitione Concilij Tridentini, quod sess. 13. in hunc modum statuit: *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorãdum, atque ideo nec festiua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundùm laudabilem, & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel no publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.* Hactenus Cõcilium. His igitur tot, ac tãtis rationibus persuasi, summo honoris cultu Eucharistiam veneremur, in supplicationibus publicis comitemur, & cùm ad infirmos defertur, comitatum nostrum nõ denegemus, atq; omnibus quibus possumus rationibus honorificentiæ debitæ cultum rependamus illi, qui naturæ nostræ tãtum honoris & beneficij cõtulit, Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto sit sempiterna laus, honor, atq; benedictio, Amen.

IV. ratio, ab vsu Ecclesiæ antiquissimo. *Euseb Cæsar. lib. 7. Eccles. hist. cap. 34. tom. 1. Clem. Rom. epist. 2. Aug. lib. 2. de visit. infirm. ca. 4. tom 9. circa finem. Concil. Trid. sess. 13. can. 6.*

TRACTATVS XXV.

In quo agitur de fructibus, ob quos consequendos instituta est à Domino nostro Eucharistia.

HActenus disserendo euictum reliquimus, corpus, & sanguinem Christi in hoc

Epilogus dictorum de Eucharistia.

hoc Sacramento contineri, atque sumentibus exhiberi; quodq; substantia panis & vini omninò absit, manentibus tantùm accidentibus, siue speciebus: iam vt rationi cõsentaneum esse videtur, de fine, ob quẽ est institutum tantum diuinę munificẽtię donum, agẽdum erit. Fieri enim nequit, quin excellentes, & præstantissimi sint fructus, ad quos infinita Dei sapientia comparãdos talem nobis escam pręparauit. Et quemadmodum in agnoscenda substantia Eucharistiæ, plurimi perniciosissimè hallucinati sunt, neq; ad Christum intus delitescẽtem agnoscendũ peruenerunt: ita in eius fructibus dignoscendis, atq; assignãdis, præterea in modo cum fructu Eucharistiã sumendi, in magnis tenebris versati sunt: sed de modo, & ratione salutari edendi hunc cibum, aliàs; nũc, quod instat, de fructib' agamus.

Vnde pleriq; fructus Eucharistię perperã dignouerint, & assignauerint.

Extiterunt olim, vt testatur historia Tripartita, hæretici quidam nominati Messaliani, qui diuinum hunc cibum manducatum, nec prodesse, nec obesse sumentibus assererent. Sed cum his tam apertum mendacium proferentibus, nõ est longiori sermone disputãdum. Christus enim promisit, hunc panem manducantibus vitam æternam, atq; eos resuscitaturum in nouissimo die: & rursus, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et Paulus indignè sumenti interminatur gehennam. Qui enim manducat, & bibit indignè; iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini; & Ecclesia canit:

Hist. Tripar. lib. 7. c. 11. Messaliani olim de Eucharistia quid senserint. *Ioan. 6.* *Ibidem.* *1. Cor. 11.*

Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus.

Ex quibus prudens Lector facilè possit agnoscere, pręter Scripturam, & rationem locutos esse Messalianos. Nam si hic cibus, neque noceret, neque prodesset, quorsum esset institutus? Et quid aliud est, quã stultam facere Dei sapientiam, si hoc non est? Et si summum Sacramentorum virtute diuina destitutum est, quid (si de alijs Sacramentis nouæ legis asserendum? Sed iam relictis illis, ad nostræ ætatis hæreticos se nostra conuertat oratio: qui in fructibus Eucharistiæ assignandis, dupliciter peccasse videntur. Nam partim affingentes illi eos fructus, qui minimè illi competunt; partim verò detrahendo veros, & legitimos, vt adorationem, gestationem in supplicationibus, & rationem sacrificij, qui illi, quam maximè congruunt, grauiter lapsi sunt. Dixerunt namque Hæretici, ob solam remissionem peccatorum institutam esse Eucharistiam: quæ assertio, si de sacrificio Eucharistiæ esse sermo, non dubium quin sit ad remissionem peccatorum: nam sacrificia Noui Testamenti peccata debent expiare, quæ committuntur in noua lege: quia autem sermo est de Eucharistia, vt Sacramentum est, & non vt sacrificium, licèt quatenus Sacramentum est, remittat peccata venialia, & ad illud possit dici instituta (siquidem satis dicitur res aliqua ad omnia effecta, q̃ per se ab illa proueniunt, præsertim ab artifice perito, & qui omnem vsum rei, quam facit, nouit, instituta) cùm igitur Dominus Eucharistiæ Sacramentum condiderit, illaque vim habeat remittendi peccata venialia; ad id profectò inter alia dici potest instituta. Veruntamen cùm peccati nomine, absolutè loquendo, peccatum veniale non veniat, sed lethale; sicut nec præceptum propriè dicitur, quod per veniale delictũ aliquis transgreditur, sed quod per mortiferum: vnde in Scriptura & Patribus iusti sunt, & dicuntur, qui lethifero delicto carent, & propriè præceptum nõ transgrediuntur, etsi venialibus sint obnoxij. Cùm ergo nomine peccati graue, aut capitale tãtùm significetur: sensus illius assertionis esset, Eucharistiam institutam ad remittenda peccata mortifera: qui sensus profectò contra Scripturam, & Patres, & rationem militat. Nam etsi demus, interdum per accidẽs mortiferum delictũ remitti: veruntamen cùm id, quod per accidens est, ars nõ intendat, & Christus ipse nolit, vt quisquam cũ peccato grauiori accedat ad hoc Sacramentũ, vt ei perceptione Eucharistiæ remittatur, sed velit, vt quisque se ipsum probet, vt in gratia accedat ad hunc cibũ sumendum; sequitur, falsam esse hanc propositionem.

Si Eucharistia neq; noceret, neque prodesset, quid consequeretur. De fructibus Eucharistiæ cõtra nostri seculi hæreticos latè disserit. In Scriptura & Patribus quinam propriè sint, & habeantur iusti. *1. Cor. 11.*

Quod etiam rationibus sequentibus ostenditur. Primò ex Ioan. cap. 6. vbi Dominus non vult vt quisquam nisi viua fide præditus manducet hunc panem, ait enim: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, in me manet, & ego in illo.* ac rursus: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam:* id est, oportet spiritum fidei adesse sumenti, vt non tantùm nudam carnẽ sumat. Ideo Dominus in typo, ante communionem lauit pedes discipulorum, testatusq; est illos animo mundos esse præter vnum Iudam, qui immunditia sua maiorẽ locum Satanæ in se intrandi dedit. Deinde Apostolus docet: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mãducat, & bibit:* quid est autem indignè, nisi in peccato accedere? Tertiò, idem Paulus admonet; *Non potestis calicem Domini bibere, & calice dæmoniorũ:* at qui in peccato accedit, cũ dæmoni

Eucharistiã ad peccata grauiora remittenda, nõ fuisse à Christo institutã, multis ostenditur. Scripturis. *Ioan. 13.* II locus. *1. Cor. 11.* Indignè ad Eucharistiã accedere, quid sit. III locus. *1. Cor. 10.*

parcat?

IV. locus à fructibus Eucharistiæ.

pareat, & ei spiritualiter sacrificet, non potest bibere calicem Domini. Quartò, Scriptura Sacra in Euangelistis satis idoneè fructus Eucharistiæ enumerat, nempè cómemorationem passionis Christi; mansionem in Christo, & Christi in nobis, viuere propter Christum; habere vitam ęternam, non mori, id est, præseruari à peccato; resuscitari in nouissimo die, & si qui sunt alij similes. Cùm igitur ibi nulla mentio fiat de remissione peccatorũ, cùm res sit magni momenti hic tantus fructus; profectò ab Scriptura non fuerat subticendus. Quintò accedunt Patres tam veteres, quã Scholastici, dehortãtes homines cum Apostolo ab indigna sumptione Sacramenti; & admonentes vt cum Fide, gratiaque accedant, vt fructuum Eucharistiæ participes efficiantur, vt peculiariter docet Augustinus in Ioannem. Ijdem præterea Patres percensentes fructus, qui per se sequuntur hoc Sacramẽtum, non faciunt mentionem remissionis delicti mortiferi: vt promptum est videre in Concilio Florent. in quo fructus huius Sacramenti enarrãtur in bulla vnionis Armenorum cum Ecclesia Romana. Ad hæc Innocentius III. scribit: *Eucharistia si dignè sumatur, à malo liberat, & cõfirmat in bono: delet venialia, & cauet mortalia.* Hãc etiam doctrinam latè persequitur B. Thom. in 3. parte, docens primam gratiam per hoc Sacramentum nequaquam conferri, nisi per accidens, sed tantùm habitam augeri. Consulat illum qui volet. Sextò, accedant rationes, inter quas prima sit: quia olim in Veteri Testamento ad tactum vasorum, vel panum Propositionis, seu sacrificiorum, quæ erant ad edendum, munditia legalis requirebatur, & in laicis abstinẽtia ab vxoribus: vt ex Scriptura deducitur. Cùm igitur illa nostrorum typus extiterint; & longè inferiora ipsa figurata Eucharistia, ad eius vtilem accessum necessaria erit mentis munditia. Quòd si illam ponit in accedente ad hoc Sacramentum, certè ad eam conferendam non est institutum.

Sanctorum testimonijs.

Aug. tr. c 6. Ioan. tom. 9.

Conc. Floren.

Innoc. III. lib. 4 myst. Miss cap. 44.

B. Thom 3. p. q. 79. art 1 ad 1. & art. 3. ad 3 & in corpore reliquo. tom. 12

Rationibus. Prima.

1. Reg. 21.

Secunda.

Secunda ratio: Patres sermonem habentes de remedijs Sacramentorum per se institutorum ad remissionem peccatorum, de duobus tantùm loquuntur, nẽpè de Baptismo pro peccatis antè regenerationem admissis; & de Pœnitentiæ Sacramẽto pro delictis post Baptismum perpetratis. Cùm igitur Patres idoneè docuerint, nec sint alia peccata remittẽda, nisi antè, vel post baptismum patrata: sequitur, quòd illa duo sufficiãt, & quodcunq; aliud sit superfluũ. Hinc Thomas elegãter ait: *Baptismus & Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem Sacramentum est medicina confortatiua, quæ non debet dari nisi liberatis à peccato.* Hęc ille. Tertia ratio: Hoc Sacramentum datur vt cibus & alimentum animæ, iuxta illud: *Caro mea, verè est cibus: & sanguis meus, verè est potus.* Cũ ergo mortui non sit edere, sed viui tantùm, oportet in gratia esse eum, qui ad hoc Sacramentum accedit. Denique, si per se esset institutum ad peccata remittenda, deberet quisq; cum peccato mortifero, quod posset per id remitti, accedere.

B. Thom. 3 p. q. 80. art. 4. ad 2.

III. Ratio.

Ioan. 6.

Quarta.

Nec obstant in contrarium, quæ obijci possent. Primò verbum Domini; *Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ:* remittit igitur peccata hoc Sacramẽtum. Ex quo colligebat Lutherus, non opus esse accedenti ad Eucharistiam vel contritionem afferre, vel confessionem, sed sufficere fiduciam obtinendæ remissionis per Eucharistiam. Respondeo, non aliud significari illis verbis, quàm sanguinem Domini in cruce effundẽdum in remissionem peccatorũ, vt rectè exponit Roffensis. Illa enim effusio fuit, q̃ tulit peccata mundi, non illa quæ fit bibitione. Promittit ergo remissionem per sanguinis effusionem: hæc enim, vt dignè fiat, ponit iam obtẽtam remissionem peccatorum, siue per baptismum, siue per pœnitẽtiam, de qua ait Apostolus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Nam effusio sanguinis in Eucharistia, si voluntariè fit, nullius tollit peccatũ, sed auget potiùs peccatum spontè effundentis: si autem inuoluntariè, non peccat offendẽs, & tamen per eam effusionem ad remissionem peccatorũ nec ipse, nec alius iuuatur. Deinde opponi potest Ecclesiæ precatio, quæ habet: Præsta vt hoc Sacramentum nõ sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, &c. Respondet B. Thomas, hoc intelligendum de his, quorum conscientiam non habemus; vel vt contritio in nobis perficiatur ad remissionem peccatorum; vel vt detur robur ad vitanda futura peccata: & sic potest accipi: *Hæc nos communio, Domine, purget à crimine*, scilicet committendo; vel loquitur de peccatis quantum ad eorum pœnas. Quorum duo priora per accidens hoc Sacramento, vt Sacramentũ est, obtinentur. Nam quatenùs sacrificium, aliter dici posset, vt suprà est declaratum, & hunc sacrificij effectum fortassis expetit Ecclesia: quanquam vsui loquendi se accõmodans, indiscriminatim nominet modò Sacramentum, modò sacrificium. Valere autem Eucharistiæ Sacræ perceptionẽ declarat illud

Quæ in contrarium obijciuntur, diluuntur. I. argum.

Matth. 26.

Lutheri futea argutatio ex verbis Domini.

Roffen. art. 15 in Lutherum

1. Cor. 11.

II. argum.

B. Thom. 3 p. q 79. art. 3. ad 1.

Quid precetur Ecclesia his verbis: Præsta vt hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnã, & reliq. secũdùm B. Thomam.

Euseb. lib. 7. hist. Eccl. lib. 8. tom. 1.

Dionysij Alexandrini, de quo lib. 7. histor. Ecclesiasticæ scribitur: is enim fratrē quendam animo deiectum, quòd ab Hæreticis baptisma olim suscepisset, cohortabatur debere confidere communioni tam multi temporis, quā in Ecclesia à Catholicis consecutus fuisset.

III argum. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. vlt. tom. 4. à medio.

Tertiò obijcitur Ambrosius, dicens: *Si quotiescunq; effunditur sanguis, in remissionem peccatorū funditur: debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* Hæc ille. Sed intelligendum est de Eucharistia quatenus sacrificium est, vt docet Thomas. Quod si de Eucharistiæ Sacramento intelligendum esse admittamus, quia ait: *debeo illum semper accipere:* respōdendum est, quod loquitur de venialibus, & leuibus delictis, q̃ semper admittimus, & ideo ait: *Qui semper pecco, &c.* Idem quoq; ait: *Quotidie accipito, vt quotidiè debito tuo indulgentiam petas.* Et in comment. epist. ad Corinth. *Medicina spiritalis est, quæ cum reuerentia degustata purificat sibi deuotum.* Quæ omnia testimonia arguunt, eum de remissione peccatorum venialium loqui. Ad venialia autem expianda institutam dicere Eucharistiam, nihil habet absurdi.

B. Thom. 3 p. q. 79. art. 5. in concl.

Ambr. lib. 4. de Sacram. c. vlt. in fin. & lib. 6. c. 5. circa med. to. 4.

Idem in c. 11. prior ad Cor. tom. 5.

IV. argum.

Quartò obijcitur, omnia Sacramenta conferre primam gratiam. Sed hoc manifestè falsum est, & peculiariter de hoc Sacramento aliter statuit B. Thomas, imò etiam adducta ad probandum in accedente exigere gratiam ad Sacramentum, vt dignè communicet, ponunt iam primam gratiam inesse. Etsi ergo omnia Sacramenta cōferant gratiā, & (si volumus) eiusdem speciei gratiam, varios tamen effectus operantē. Nam in Baptismo regenerat; in Confirmatione roborat contra hostes; in Eucharistia cibat ac nutrit. Et ita multiformis est Dei gratia, vt ait Petrus, & varios fructus operatur: ac proinde non semper remissionem peccatorum efficit. Deq; hoc articulo satis hactenùs sit dictum.

B. Thom. vbi suprà.

Proprij effectus Sacramētorū quinam

1. Petr. 4.

Refellitur opinio quorūdam Catholicorum, asserentiū Christi passionē remissioni dūtaxat præteritorū peccatorum, Eucharistiam verò remissioni futurorū ordinatā fuisse.

I. argumen. à Scripturis.

Nonnulli præterea extiterunt, quos inter dicendum sententias suas, ipse audiui Tridenti, qui Eucharistiæ institutionem ob id factā docuerunt; vt passio quidem Christi pro peccatis præteritis necessaria fuerit, pro remissione verò futurorum necessariò fuit aliquod sacramentū condendum. Nec enim videtur æquitati, aut rationi consonum, quòd Pater punierit Filium pro peccatis futuris nondum actu perpetratis; atque hoc Sacramentū fuisse Eucharistiam. Sed hæc ratio prorsus falsa est. Christus enim pro omnibus mortuus est, & pro præteritis, p̃sentibus, ac futuris sanguinē suum fudit: quod facilè est ex Scripturis, Patribus, ac rationibus euincere. In primis enim docet Scriptura: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* Mundus autem non solùm præcedentes significat, sed & futuros. Iterum ait: *Oportet exaltari Filium hominis, vt omnis qui credit in ipso, non pereat:* Omnis, inquit, qui credit, non tantùm præteritus, sed etiā futurus. Rursus: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: nō tantùm ergo præteritos, sed etiam futuros traxit, immò magis eos, quibus copiosius datum est per fidem agnoscere mysterium mortis Christi; qui futuri fuerunt, id est, fideles Noui Testamenti. Adhæc ouis errās, drachma perdita, & descendens ab Ierusalem in Iericho, qui spoliatus, & vulneratus fuit; secundùm veteres Patres, totam naturā humanam significant: & apud Ioannem clarè prophetauit Caiphas: quòd Iesus esset moriturus pro gente: & nō tantum pro gente (vt ipse declarat Euangelista) sed vt filios Dei, qui erant dispersi, cōgregaret in vnum: hi autem filij Dei sunt Gentiles vsque in finem seculi congregandi in Ecclesia. Item apud eundem: *Pro eis ego sanctifico me ipsum* (quod est dicere, Meipsum in hostiam pro eis offero) *vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Quibus verbis nihil clarius, aut efficacius dici poterat. Paulus etiam cùm in pluribus locis hoc asserat, tum maximè ad Romanos, cùm inquit: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius: ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* In posteriori quoque ad Corinthios; *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iam non sibi viuāt, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Et infrà: *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, &c.* Et alio in loco: *Speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium.* Et discipulus Dilectus: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Ex quibus omnibus facilè colligimus, Christi mortem pro omnibus ab illo susceptam.

Christũ pro omnib' mortuum esse. Ioan. 1.

Infrà 3.

Infrà 12.

Luc. 15.

Suprà 10.

Infrà 11.

Filij Dei dispersi quinam sint.

Infrà 17.

Rom. 3.

2. Cor. 5.

1. Tim. 4.

1. Ioan. 2.

II. argum. à testimonijs Patrum.

B. Athanas. tom. 1. initio

Secundò idem confirmatur sententijs Patrum. Inter quos primus sit Athanasius, qui libro de Humanitate Verbi, eiusque corporali aduentu, sic scribit: *Quid, quæso, aliud decuit fieri, aut cuius opera ad recuperādam*

istam

istam gratiã requirebatur, nisi solius Verbi, quod ab initio omnia ex nihilo condiderat? Eius enim fuit, id quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere; & pro omnibus id quod æquum, rationiq. consentaneum erat Patri præstare. Quum enim Patris sit ratio, & supra omnes, meritò solus omnia recuperare potuit: & idoneus fuit qui pro omnibus pateretur, ac apud Patrem intercederet. Accedat & Basilius in regulis breuioribus: *Quomodo, inquit, certò persuasus esse aliquis potest, Deum sibi peccata remisisse?* Responsio. *Nempè si affectionem animi in se esse animaduerterit similem illius, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Deus enim pro remissione peccatorum nostrorum demisso vnigenito Filio suo, quantum in ipso est, ea ante iam omnibus condonauit.* Adiungimus & duos alios Patres Latinos, Augustinum, & Hilarium. Hic enim in Matthæum scribens, sic ait: *Denique in Ioanne postquàm potauerat, dixit; Consummatum est: quia omne vitium humanæ corruptionis hausisset. Et quia nihil agendum esset extrinsecus, spiritum cum clamore magna vocis emisit, dolens non omnium se peccata potare.* Ille verò libro ad articulos falsò ipsi impositos, ita respondet; *Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta, & mortificata est natura, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum, & potens, & singulare remedium est mors Filij Dei Domini nostri Iesu Christi; qui liber à mortis debito, & solus absque peccato pro peccatoribus, & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet caussam generis humani, sanguis Christi, redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt.* Hæc illi Patres: quorum dicta rationibus etiam confirmantur. Baptismus enim & Pœnitentia peccata delent, & vtrumque Sacramentum ex Christi passione vim habet; quia sine sanguinis effusione non fit remissio. Deinde Eucharistia ea ratione, qua sacrificium est, nonnisi à Christi passione, quam commemorat, virtutem mutuatur; aliàs Christi passio, & oblatio in Cruce sufficiens non fuisset: remissio ergo quæcunque sit per Eucharistiam, nonnisi à passione CHRISTI, à quo omnia Sacramenta, & sacrificia oriuntur, habet efficaciam. Ad hæc contra honorem, & virtutem passionis est, dicere solum peccata, quæ ante passionem fuerunt commissa, Christi mortem expiasse, ac nõ etiam futura: & antiqui melioris fuisent conditionis fidelibus Noui Testamenti, vtpotè cariori pretio saluati, nempè morte Filij Dei; cùm tamen in Eucharistia non moriatur; atque in hunc modum illi quidem reipsa, nos autem signo, & commemoratione rei seruaremur. Prætereà obedientia Christi in Cruce non fuisset tam potens ad seruandum, sicut inobedientia Adæ ad perdendum: nam hæc omnes infecit, etiam nondum natos; illa autem vniuersos minimè liberauit, si futuros nõ seruauit. Postremò hoc dogma manifestè est contra Symbolum, in quo canitur: *Qui propter nos homines, & propter nostrã salutem descẽdit de cœlis.* Et rursus: *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus, & sepultus est,* & reliqua.

Basil. in regu. breuior. inter rog. 12. 10. 2.

Psal. 118.

Hilar. can. 33 in Matthæũ. Ioan. 19. Quare Christus moribundus clamauit secundum Hilarium. Matt. 27. Aug. art. 1 et 9. prope fin.

III. argum. à rationibus.

II. ratio.

III. ratio.

IV. ratio.

Gen. 3.

Rom. 5.

V. ratio.

Nec quenquã mouere debet, quod prima facie videtur difficile, quod tum ratione Dei, tum ratione ipsius existit. Repugnare siquidem Dei iustitiæ videtur punire nondum peccantẽ, cùm Deus non sit prius vltor, quàm homo peccator. Rei etiam natura non patitur, vt peccatum quod nondum est, puniatur: cùm ergo peccata futura post passionem nondum homines actu perpetrassent, nec essent in rerum natura; præposterum videretur, Christum pro illis puniri à diuina iustitia, vel Deo satisfacere. Respondemus, quod vt peccata præterita potuerunt remitti, licèt non existerent in seipsis actu, sed reatu, & in diuina memoria volente illa punire, & nihilominùs remissa sunt: quia Deus acceptauit passionem filij sui in redemptionem pro illis; ita peccata posterorum in Dei præscientia erant præsentia: prẹter hoc quod in rerum natura erat radix infecta originali peccato, ex qua similes propagines oriri debebant. Hinc Dominus Iesus, cui omnia etiam peccata futura præsentia erant, pro illis mortem suam obtulit; pro quibus etiam Pater oblationẽ eius acceptauit. Quare B. Paulus Galatis scribens, dixit: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me:* prò me, inquit, blasphemo, & persecutore Ecclesiæ; quæ peccata post passionem admissa sunt. Et crucifixoribus Christi iam post passionem compunctis, & dicentibus ad Apostolos, *Quid faciemus, viri fratres?* respondet Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum:* quorum baptismus, iuxta Paulum, in Christi morte & sepultura fit. Non igitur puniuit in Christo peccata sibi futura, sed iam suo æterno oculo præsentia. Quare beatus Thomas cùm argumentatus fuisset, nullũ posse liberari à peccato, quod nondum admisit, sed in posterum est commissurus: respondet, Christum sua passione nos libe-

Quo iure Christus pro peccatis mortuus sit, quæ futura erant.

Galat. 2.

Act. 2.

Rom. 6.

B. Thom. 3. p. q. 49. ar. 1. ad 3. tom. 12.

Qualis Christi passio pro peccatis futuris.

liberasse causaliter, id est, instituendo causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcunque peccata, & quandocunque remitti, siue præterita, siue præsentia, siue futura: quemadmodum si medicus componat medicinam qua possint vniuersi morbi etiam in futurum contrahendi sanari.

Ioan. Dryedo tract. 3.

Modus redemptionis à peccatis cōmissis in Veteri Testamēto, ex Dryedone

Ioannes Dryedo libro redemptionis humani generis ait, præteritos liberatos per gratiam Dei fideiussoris prædestinati ab origine mundi ad soluendum debita nostrorum peccatorum, & suo tempore soluere promittentis: futura quoque peccata eo modo sustulisse, quo medicina sæpè præparatur, antequàm homo nascatur: quamuis vim suam, & efficaciā non habeat, priusquàm infirmo fuerit applicata: talis fuit Christi passio. Hæc ille.

Alterum exemplum.

Potest etiam hoc exemplo illustrari: Finge Principem aliquem magna seruorum & militum caterua stipatum peregrinari, quorum pars quædā antecedat illum, quædam verò subsequatur: pone illum ad hospitium accedere, neque tantùm pro se, & suis, qui cum eo sunt, sed & pro his, qui antecesserunt, ac pro ijs, qui sequuntur, iustum pretium hospiti numerare: ita Christus in cruce Patri iustum pretium pendit non solùm pro ijs, qui tunc erāt, sed & pro vniuersis hominibus tam præteritis, quàm futuris. Nam & qui præcedebant, & qui sequebantur, clamabant dicentes; *Hosanna filio Dauid*, petentes ab eo vno salutem, qui solus seruare poterat. Si autem hi dicerent sacrificio Eucharistiæ per virtutem passionis deleri peccata, quæ fiunt post baptismum, rectè dicerent. Nam vt virtute hostiæ cruentæ in cruce post baptismum nobis applicitæ expiantur peccata illa vetera; ita per sacramentum Pœnitentiæ peccata post baptismū admissa delentur; quanquàm tam Eucharistia, quàm pœnitentia in virtute passionis Christi operentur, sic ut posteà, cùm de Sacrificio erit sermo, fusiùs explicabitur.

Matth. 21.

Eucharistiæ duplex fructus.

His igitur erroribus explosis, statuendum est, duplicem esse fructum huius Sacramenti: alterum, qui ex vi Sacramenti, siue, vt Theologi loquūtur, ex opere operato sumenti accedit: alterum verò, qui fidei, deuotioni, & religioni cuiusq; respondet, qui nominari solet, ex opere operante. Gratia igitur ex opere operato, extra Sacramentum, non percipitur, sed reali tantùm sumptione Sacramenti. Secùs dicendum est de gratia ex opere operante, nam hæc in Sacramento, & extra Sacramentum decerpi potest. Differt deinde; quia gratia ex opere operato est vniformis in omnibus quidem pueris; in adultis verò dignè percipientibus Sacramentum, licèt non ex merito dispositionis, at iuxta illius mensuram confertur: quæ vero ex opere operante pendet, varia est & difformis pro merito ac dispositione varia ad Eucharistiam accedentium. Est igitur gratia ex opere operato illa, quæ datur ex pacto Christi supra hominis dispositionem, siue meritum; sicut ex opere operante, quæ hominis dispositioni, vel merito respondet. Quæ vt rudioribus dilucidiora aliquo exemplo reddamus, finge nutricem lac ore proprio, vel manu expressum infanti porrigere, & ori eius infundere, absque eo quòd puer quicquam faciat: hoc lac dici potest ex opere operato, id est, opera alterius expressum & exhibitum: quòd si infans mammillas nutricis aggrediatur; & sugendo, atque laborando lac exprimat, iam hoc lac dici potest ex opere operāte, id est, suo labore & matre partum.

Gratia (quæ dicitur) ex opere operato & gratia ex opere operāte, dupliciter differunt.

De fructibus Eucharistiæ ex opere operato differentiis.

Vtraque hæc gratia qualis sit.

Exemplum alterum.

Sume aliud exemplum: Ingrediatur Sol cubiculum tuum apertis fenestris, illudq; luce sua impleat: hæc lux dici potest ex opere operato, quia nullo hominis labore contingit illa illuminatio cubiculi: si verò nox sit, & tenebris obsitum cubiculum, tuoque labóre & industria excusso ferro ignem de silice producas, candelamq; accendas, illaq; accēsa, cubiculū luminosum efficias, iam hæc lux dici potest ex opere operante. Duo enim cōdidit edicta Deus, alterum antiquum & perpetuum, quo dixit: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos:* id est, ea ratione qua aliquis ad me accedit, eâdem & ego ad illum, id est, magis pro maiori dispositioni, maiorem dando gratiam, vel miorem pro minori præparatione: nimirùm pro quantitate vasculi aquam gratiæ meæ impertiam. Præter hoc autem edictum, est aliud peculiare, & maximè proprium Noui Testamenti, si quis v.g. ad me per certas, & speciales cæremonias, signaque sensibilia ad me instituta accesserit, vt Baptismum, Eucharistiam, absolutionem, &c. eis maiorem gratiā communicabo, quàm eorū dispositio requirat, vel fides eorū promereatur, & hoc ex mero beneplacito volūtatis meæ, & benigno pacto meo. Vt patet in baptismo, in quo infanti Fides, Spes, Charitas, & gratia, tanq̄ lac à mater, vel nutrice, infunditur absq; aliqua eius dispositione, sicut olim pueri in primitiua in nōnullis Ecclesijs communicabant, & vt creditur, nō sine fructu, quanquàm sine aliqua eorum actione: nam cùm essent rationis vsus expertes, tantùm ex Dei pacto, siue ex opere operato cōsequebantur

Duo Domini edicta quę condidit.

Zachar. 1.

Mos Ecclesię primitiuæ.

bantur gratiam, quanquàm illa ratio communicandi infantes, iustis de causis ab Ecclesia sit omninò sublata. Adultus porrò accedens ad baptismum, non solùm gratiam, quam puer, sed etiam maiorem pro ratione suæ dispositionis percipit. Et hinc Sacramenta nouæ legis dicuntur gratiam conferre non tantùm ex opere operante, quia ea ratione Veteris Testamenti Sacramenta illam conferebant; sed etiam ex opere operato: non tantùm quia per malum ministrum non impeditur fructus Sacramenti, sed etiam quia interdum sine vlla dispositione, aut actione sua, vt in puero baptizato, qui omni vsu rationis caret, impertitur gratiam; aliquando etiam ante perfectam dispositionem, ita vt virtute Sacramenti Pœnitentiæ ex attrito, id est, imperfectè disposito, fiat quis contritus, sine quo Sacramento contritionis gratiam nō assequeretur. Interdum etiam gratiam confert supra omnem dispositionem sufficientem, supra fidem, supra deuotionem & meritum: quia præter illam gratiam, quæ fidei, vel merito, vel dispositioni respōdet, confert etiam aliam gratiam, quæ dicitur dari ex opere operato.

Nouæ legis Sacramenta nō solùm ex opere operāte, sed etiam ex opere operato gratiam conferunt.

His positis atque præmissis, asserimus Dominum instituisse sub speciebus panis, & vini hoc Sacramentum, ad præstandum spiritales fructus panis, & vini animæ nostræ, quos illa præstare solent corpori, id est, vt dent vitam, restaurentq; humidum vitale, confirment atque lætificent, nutriantque in nobis Fidem, Spem, & Charitatem: de quibus latiùs est & iocundiùs philosophandum. Nam vt vitam corpoream cibo, potuque sustinemus, ita spiritualem, quæ in sapientia, & amore Dei, & proximi consistit, vitam huius spiritalis cibi, & pótus alimonia tuemur, ac conseruamus, quo sine mox interiret, non secùs atque lux lampadis consumpto oleo extinguitur.

Cur sub speciebus panis & vini à Domino hoc Sacramentū sit institutum.

Vitæ spiritalis alimonia.

Charitas etenim propter fomitis rebellionem, astutias Satanæ, mundi fraudes, naturæque nostræ ad benè operandum repugnantiam periclitatur: natura siquidem nostra inimica est amori Dei, & vt aqua frigida, quæ supposito igne calescit, illo ablato redit ad ingenium, & frigiditatem suam; iustificataque anima facilè relabitur, nisi fulciatur cibi alicuius spiritualis sustentaculo. Vt enim cibus corporis institutus est ad vitam corpoream sustinendam, ne humidum vitale, quod per calorem naturalem absumitur, intereat, sed potiùs illo reparetur, ac reficiatur: ita planè ne humidum vitale Charitatis, quod est vita spiritalis animæ nostræ, per calorem fomitis & propensionem ad malum absumatur, prospexit Dominus hoc alimentum spirituale, quo instauretur, augeaturq; ipsa charitas. Natura nostra in triplici concupiscentia posita est, carnis nimirum, oculorum, & superbiæ vitæ. Prima trahit ad vitia turpia sub specie delectabilis boni; secunda ad bona fortunæ sub specie vtilis immodicè affectanda; tertia sub specie honesti, ad inanem gloriam, honores, & famam comparanda tendit. Pugnaturo igitur contra tot hostes domesticos, opus fuit de cibo, & nutrimento aliquo conuenienti prospicere.

Naturæ nostræ corruptæ ingenium.

Cibi corporalis officiū, atque spiritualis.

Eiusdem cōcupiscentia triplex eiusq; medicina. 1. Ioan. 2.

Ad hæc non deest Satanas, qui ab extrinseco insidiatur, & contendit nos amore Dei spoliare; qui tamen & ingenio, & sapientia, ac fortitudine hominem superat, imò etiam fide, nam dæmones credunt & contremiscunt; homo verò Satanam tantùm Dei amore, & proximi, quo ille prorsus caret, superare potest; proinde inuidus hanc amoris diuini in nobis accensi flammam cōnatur extinguere.

II. ratio.

Quo vno dæmō ab homine superetur. Iacob. 2.

Præterea mundus totus in hoc positus est, quo amore diuino nos spoliet, vt in ipsum dilectionem nostram transferamus. Meritò proinde comparatur Absaloni, de quo Scriptura tradit: *Sicut Absalon, vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico*; hoc est, vt Epiphanius libro de ponderibus, & mensuris ex Septuaginta legit, holcen siclorum, id est, duas libras cum dimidia: hic tamen talis, ac tantus Absalon animos filiorum Israel reuocare ab obedientia patris sui Dauid, & cōficta humilitate, ac liberalitate ad se pertrahere tentabat. In Absalone pulchrè hic mundus externus suis coloribus est adumbratus, & pictus. Est enim elegans, & pulcher, obijcitque nobis capillos, hoc est, externa, & delectabilia bona, diuitias, thesauros, vestes pretiosas, domos amplas, hortos, & similia: conaturque adimere à nobis amorem Dei, debitamque obedientiæ seruitutem, & ad se pertrahere. Sed hic cibus sustentat animam, impertiendo gratiam ad reficienda damna per ignem concupiscentia illata, quæ paullatim humidum vitale, Fidei, Spei, Charitatisque consumunt.

III. ratio.

Mundus Absaloni comparatur. 2. Reg 14.

Eius cæsaries quantū ponderabat.

Epiphanius.

Mundi fallacia blandimenta.

Si igitur quæstio sit de peccato mortifero, etsi gratiam quæcunq; peccata remittendi conferat hoc Sacramentum, quatenus instrumentum passionis Christi est, qui tamen reciperet Sacramentū hoc cum consci-

Qua ratione Sacramentū Eucharistiæ gratiā conferat remissionis omnium peccatorum.

conſcietia criminis alicuius, & ita obicem poneret, reus eſſet corporis & ſanguinis Domini, & iudicium ſibi manducaret, & biberet. Deinde Sacramentum hoc operatur remiſſionem peccatorum etiam lethalium in voto; dum quis iuſtificatur aut per baptiſmum, aut per pœnitentiam: nam in vtroque includitur votum huius Sacramenti, quia Euchariſtia eſt finis omnium Sacramentorum, atque hac ratione confert gratiam primam. Ad hæc hoc Sacramentum actu ſuſceptum, præſtat mortiferi delicti remiſſionem, cuius qui accedit, nec conſcientiam habet, nec affectum. Sed hoc intellige per accidens, quia Sacramentum ad hoc per ſe principaliter non eſt inſtitutum, ſicut nec nutrimentum, ſiue alimentum ad conferendam vitam mortuo, ſed viuenti tãtum. Præterea Sacramentum hoc gratiæ augmentum porrigit; ſed ab illo, quod datur per Cõfirmationem diuerſum: nam illic datur ad robur contra hoſtes externos ad Chriſti fidem profitendã, ac propugnandam; hic verò, ad vitam ſpiritualem ſuſtinendam, vt homo perfectus per hoc Sacramentum Chriſto vniatur, & in eum magis transformetur. Porrigit igitur hoc Sacramentum primam gratiam aliter quàm baptiſmus, & pœnitentiam porrigit, & gratiæ incrementum ſecùs quam Confirmatio, proprie autem & purè confert gratiam alẽdi ſpiritum in amore Dei, qui eſt vita ſpiritus.

1. Cor. 11.

Idem vt conferat gratiam primam.

Euchariſtia, Sacramentorum omniũ finis.

Eadem quaten' remittat peccatũ mortiferum.

Aliter Euchariſtia, aliter Cõfirmatio auget gratiã

Si autem ſermo ſit de quotidianis & venialibus delictis; tollit illa hoc Sacramentum, tum ratione nutrimenti, quod reſtaurat deperditum, tum ratione rei, id eſt charitatis in actu; & hoc per ſe, quia venialia gratiam non excludunt, quemadmodum mortifera. Nec obſtat, quòd poſſemus aſſerere nos eſſe ſine peccato veniali, contra illud; Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt. Sed vt reſpondet Thomas: mirum non eſt, ſi ad tempus ſimus etiam ſine veniali, ſecùs per totam vitam. Et Ioannes negat nos non poſſe dicere immunes eſſe à labe peccati, verũ quod nõ debemus aſſerere: ſi verò quæſtio ſit de pœnis peccato debitis, cùm hoc Sacramentũ per ſe inſtitutum ſit ad nutriendum hominem, & Chriſto capiti, atque alijs fidelibus vt membris incorporandum, non habet tollere vllam pœnam, quanquàm ex concomitantia quadam illud efficiat: nam hæc vnio fit per actum, vel feruorẽ charitatis, qua ratione non ſolùm veniale delictum, verùm etiam pœna debita expiatur: non tamen ſemper omnis pœna, ſed maior, aut minor eius portio, pro menſura doloris, vel charitatis amplectentis opera ſatisfactoria. Quòd ſi loquamur de peccatis futuris, dubium non eſt ab illis præſeruare, vt illis qui frequentant Sacramenta, ignotum non eſt. Hinc Dominus dixit: *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: id eſt, quia manna erat à Deo miſſum tantùm in vitæ temporalis ſubſidium, quæ ſuapte natura finitur, manducantes tandem mortui ſunt: hic autem meus panis, quia præſidium eſt ſpiritualis vitæ quæ per ſe eſt perpetua, nec per mortem corporis interpellatur, virtutem habet eam ſeruandi, atque à morte peccati eam tuendi.

Venialia delicta Sacramentum Euchariſtiç quomodo tollat.

Si hæc tantũ tollit Euchariſtia, quid vetat dicere nos eſſe ſine peccato.

1. Ioan. 1.

B. Thom. 3 p q 79. art. 4. ad 2. tom. 12.

An per hoc Sacramentũ omnis pœna peccati remittatur.

Euchariſtia à futuris peccatis præſeruate.

Ioan. 6.

Exod. 16.

At obijciet aliquis, quòd vt manducantes manna, mortui ſunt, ita etiam qui Euchariſtiam percipiunt, moriuntur: nam datur morituris, vt viaticum. Si ergo eſt ſermo de morte corporis, vtrique moriuntur; ſi de morte animæ, dicet Iudæus, non minùs ſuum manna ad vitam ſpiritualem iuuiſſe, quàm Euchariſtiam. Dicet Paganus, quòd ad neutrum, vel manna, vel Sacramentum ſeruit. Reſpondeo ad Paganum, quòd ille non eſt per Scripturas arguendus, niſi prius Fidem ſuſceperit: ad Iudæum verò, quod ille debet credere, ſuum manna fuiſſe cibum corporis, & pro corpore ſuſtentando ad tempus datum, alioqui non debebat in introitu terræ promiſſæ ceſſare, nec promiſcuè bonis & malis ſine cautela dari: cumque ſic eſſet, non conferebat vitam perennem, vel animæ, cuius cibus non erat, vel corpori, quod à morte non ſeruabat. Secùs noſter panis datus ad ſalutem animæ, & ſpiritualem vitam alendam, quæ perpetua eſt, & æterna, ſi per nos non ſteterit. Hinc in tam parua quantitate porrigitur; quòd Concilium Nicænum annotauit; vt intelligamus non eſſe corporis, ſed ſpiritus cibum; nam qui poſſet corpus humanum tantillo panis fruſtulo, vel tantillo vini hauſtu ſuſtineri?

Quomodo ſit verum, panem ſanctũ manducãtes nunquã morituros.

Aliter Ethnicus hoc obijciens, aliter eſt Iudæus cõfutandus.

Ioſu. 5.

Concil Nicæ.

Quare Chriſti corp' ſub tam parua quantitate fidelibus præbeatur.

Poſtremò valet hic cibus ad dæmones arcendos, eorumq; vires & fraudes debilitandas, ac ſuperandas, ſecundùm illud: *Stemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus?* Dæmõ enim fugit frequenter cõmunicantes, id eſt, cibo diuino confirmatos, & ſe ſuperiores. Eſt etiam Euchariſtia ſignum paſſionis, quam dæmones frequenter horrent; adeò vt Chryſoſtom. ſcribat: *Tanquam leones flammas ſpirantes ab illa menſa diſcedimus, terribiles facti diabolo.* Hæc ille. Hæc eſt illa menſa, de qua Propheta dixit: *Paraſti in conſpectu*

IV. ratio inſtitutionis Euchariſtiæ.

Eſai. 50.

Chryſoſt. ho. 61. ad pop. Antioch. tom. 5. & 45. in Ioã. tom 3.

Pſal. 22.

ti.co

meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Dæmones namque nos alliciendo ad peccatū, si possunt, aut pœnis flagellando, & vexando, tribulare nos consueuerunt. Hinc hoc munimento protecti Martyres, in primis de seipsis, atq; adeò de dæmonibus, & morte ipsa omnium terribili triumphârunt, & in æternum vitæ beatæ solium recepti sunt à Christo Domino nostro, cui cum Patre, & Spiritu sancto tribuatur omnis gloria, honos & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

Vnde martyrum victoria & triumph⁹.

TRACTATVS XXVI.

In quo iterum de fructibus Eucharistiæ differitur.

Eucharistiæ fructus ex opere operāte.

HVCVSQVE egimus de fructibus Eucharistiæ, qui ad gratiam ex opere operato, siue ex vi Sacramenti referuntur: iam de fructibus, qui ad gratiam ex opere operante, siue ex fide, & religione accedentis reducuntur, meritò tractandum videtur. Sunt enim thesauri multi reconditi in Eucharistiæ Sacramento, non solùm ineffabiles, sed etiam incomprehensi; ac proinde in illo, velut in diuite vena, elaborandum, ac sudandum est, vt illos eruamus. Ita enim natura comparatum est, vt cùm nouus aliquis, & inauditus cibus, qui morbos omnes propulset, & sanitatem ac iocundam vitam accersat, ex remotissima aliqua prouincia asportetur, operam nauemus diligentem, vt eius virtutes, proprietates, ac fructus, quàm fieri potest exactissimè intelligamus, modumque & rationem, qua salutariter, atque cum fructu percipiatur, compertam, atque exploratam habeamus.

Primus fructus in ostensione diuinæ potentiæ consistit.

Vt igitur ad rem accedamus, & multa paucis comprehendamus; hic cibus ad nutriendam Fidem, Spem, & Charitatem, magna Dei sapientia institutus fuit. Et fidem quidem diuinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, atque iustitiæ mirificè alere videtur. Nam in primis si quis rectè perpendat, deprehendet magnam miraculorum multitudinem, & varietatem Dominum in Eucharistia operari, quibus infinita Dei potentia exeritur. Sunt enim duo corpora simul, quod natura non patitur: locatum maius est loco: accidentia manent sine subiecto: idem in diuersis simul locis collocatur: idem qui est in cœlo sine motu vllo, incipit esse in Sacramento: idem est conuiua, & cibus: fracto Sacramento: non frangitur Christus: sumptus, manducatusque, non consumitur, sed integer perseuerat: vt tantùm sumat qui paruam particulam hostiæ sumpserit, atque is, qui plures hostias acceperit: denique malus Sacerdos æquè hoc operatur, atque bonus. Latum profectò habet campum fides, in quo spatiet, habet vnde admiretur: si Angeli stupent, & Dauid in spiritu huius mysterij præscius dixit: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Neque propterea debet fides nostra labefactari, quod minus sensus noster, aut humana ratio hæc percipiat. Quia vt plura videt intellectus, quàm sensus, qui non capit, quomodò Antipodes in cœlum non labantur, capit tamen ratio, quæ docet omne graue sua natura tendere deorsum, siue ad medium, ita plura sunt quæ fides apprehendit, quàm intellectus valet percipere, iuxta id: *Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi.* Vt enim lapidi non est datum vegetare, nec arbori sentire, nec pecudi intelligere, ita nec homini videre Deum sicuti est: neque homo se minus esse intelligit, quia hoc inferioribus suis viribus nō comprehendit. Quemadmodum autem si visus auditui enarraret varietatem colorum, & auditus visui multitudinem sonorum, alterum alteri credere oportet, nec deberet esse incredibile, quia ei comprehensum est: si ergo sensus non debet præiudicare sensui pari suo, quominùs esse credat, quod non sibi, sed alijs est sensibile; quomodo igitur præiudicare debet intellectus maiori se, id est, Deo asserenti quòd id sit, tametsi ipse non comprehendat? Nam vt hæc rudioribus quibusdam exemplis, & rem à longinquo iudicantibus illustremus: si credis Regem delitescere in cubiculo, asserentibus eius familiaribus, etsi ipse non videris oculis tuis; ita Christum in Eucharistia re ipsa contineri crede, asseuerantibus id Angelis, & Apostolis, atque adeò Ecclesia ipsa. Quòd duo corpora sint simul, opus est diuinæ potentiæ, nam Christus ex integra Virgine matre, & ex saxo monumenti prodijt, & per ianuas clausas venit ad Apostolos, potestate diuina à quantitate repugnātiam quam habet existendi simul cum alio corpore, suspēdens ita prorsus efficit in hoc Sacramēto. Quòd verò locatum maius sit loco, & in tam parua hostia totus Christus contineatur, inde est quod miraculo occupationē corporis Christi suspendit: neque ibi existit per modum naturalis quantitatis, sed modo quodam substantiali, Sacramentalique; quemadmodum montes ingentes, & cœli ipsi in parua pupilla oculi existunt, non

Psal. 100.

Fides perspicacior intellectu, vt hic sensu.

Eccles. 3.

Plus esse fidei, quàm rationi credendum, quibus exēplis doceri possim⁹.

Math. 28.
Ioan. 20.

non quidem in esse reali, sed in esse, vt Philosophi vocant, intentionali; anima etiam, quę potest capere totum mundum, includitur in corpore se ipsa longè minori. Porrò quòd accidentia maneant sine subiecto: hoc est, quia potentia diuina sustentat illa, quemadmodum terra nixa est super nihilum, ait enim Iob: *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum:* quanquàm inter accidentia sola quantitas est, quæ subiecto destituitur, reliqua verò quantitati inhærent: nec mirum accidentia, aut quantitatem subiecto destitui in Sacramento; cùm in ipso Christo substantia humanæ naturæ, non in sua, sed in Verbi hypostasi subsistat, sicut lux illa prima quæ ad diem quartum vsq; fuit: sic enim se habebant illa primigenia lux & Sol, sicut albedo & corpus album, vt testantur Basil. homil. 6. hexameron, & Damascen. libr. 2. cap. 7. Vt ita accidentis sit, non actu, sed aptitudine tantùm inesse, sicut substantiæ per se esse aptitudine sua. Cæterùm quòd in tot locis simul existat, ideo est, quia non circunscriptè locum occupat, sed modo quodam singulari, & Sacramentali in locum substantiæ panis succedit. Et exemplum aliquod habet, nam eadem vox integra ad multa aures peruenit. Ad hæc, quòd sine motu is qui in cœlo est, existat in hostia, ab infinito agente proficiscitur: si Sol sine motu proprio in momento illuminat hemisphœrium vniuersum, & idem homo sine vllo suo motu propositis diuersis speculis in illis existit. Esse autem eundem & cibum, & conuiuam, refert aliquo modo exemplũ Chrysostomus in Matthæum, qui ait, Christum instar nutricis suo proprio sanguine atque lacte infantem alere. Præterea quòd fracto sacramento non frangatur Christus, ex eo fit, quòd fractio ad ipsas species spectat, non ad ipsum corpus Christi; quemadmodum fractis speculis imago quæ in eis est repræsentata, non frangitur. At quòd sumptus, & manducatus non consumatur, sed integer perseueret, inde est, quòd etsi sumatur corpus Christi, species solùm sunt quæ consumuntur, non corpus: quemadmodum scientia, quæ pluribus communicari potest, tota tamen superest in communicante, & in homine à fera deuorato anima tota ac integra remanet. Quòd verò tantundem capiat is, qui particulam paruam, atqui qui multas hostias integras sumpserit; cùm tamen omnis pars minor sit toto: illinc proficiscitur, quia partes & totum ad species Sacramenti referuntur; non ad ipsum Christi corpus. Idem in manna figuratum fuit: nam neque qui plus accipiebat, abundabat; nec qui minus, deficiebat; sed in eadem mensura participabat quisque: & sicut anima tota est in toto, & in qualibet parte corporis, & idem verbum totum in omnibus, & in singulis auribus, eademque imago tota in speculo vno, ac in varijs fracti speculi partibus. Tandem quòd malus Sacerdos æquè conficiat, atque bonus hoc Sacramentum, ex eo est, quod non merito suo, sed virtute agentis principalis tanquàm Dei minister, atque instrumentum operatur: quemadmodum Medicus applicans ægroto medicinam, aut in lignis ignẽ construens, perinde effectum præstat bonus, atque malus; nec enim ipse dat virtutem medicinæ, ignive. Cùm igitur tot, ac tanta potẽtiæ suæ signa edat Dominus, qui vsque modo cum Patre operatur, debemus præclarè admodum de hoc Sacramento sentire, & intellectus nostri ratiocinationes in obsequium fidei subijcere, vt Apostolus admonet.

[Margin notes: Iob 26. — Propriũ quãtitatis, inter omnia accidentia quid sit. — B Basil. to. 1. Damascen. — Esse accidentis, est inesse. — Eucharistia cur simul in multis locis maneat. — Quare ibi Christus sine motu. — Cibus idem, & conuiua. — Chrysost. ho. 83. in Matth. tom. 2. — Fracto Sacramẽto cur minimè frangatur. — Esus ille quare non consumitur, — Cur æquè participatur in omnibus. — Exod. 16. — Quæ istę causa sit, cur hoc Sacramentũ æquè malus, ab bonus Sacerdos conficiant. — Ioan. 5. — 2. Cor. 10.]

Progrediamur ad secundum fructum: qui est, nutrire multipliciter fidem Sapientiæ Dei. In primis enim videtur Christus Dominus casum Adæ magna sapientia restaurasse. Nam qui ob id prolapsi sumus, quod Satanæ credidimus promittenti diuinam scientiam, diuinosque honores edenti de ligno vetito à Deo, par fuit reddi cibum, qui veram diuinitatis participationem, & vitæ æternæ promissionem edentibus conferret. Deinde summa diuinæ sapientiæ proditur ars, in eo quod esum carnis humanæ, qui horrorem generat, ita vt sapiens Medicus condiuit, ac vt peritus coquus instruxit sub speciebus panis, & vini, vt omnem prorsus nauseam, tædiumque percipientibus adimat. His accedit, quòd in pane, & vino, quæ vsu communi ad nutriendum sumuntur, aptissimè corpus suum, & sanguinem repræsentauit, quæ ad alimoniam, & nutrimentum animæ significandum referuntur. Vt item nõ omittam, quòd nutrimentum integrum in cibo & potu positum, commodè est expressum: quod hic efficitur per gratiam, in cœlo verò per fruitionem gloriæ: de quo canitur ab Ecclesia:

O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur:
Recolitur memoria passionis eius;
Mens impletur gratia;
Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Adhæc, vt panis idem ex pluribus granis efficitur, & vinum ex multis granis confluit; ita se nostræ fragilitati attemperans, vnita-

[Margin notes: Secundus fructus Eucharistię multipliciter fidẽ erudiens Sapientiæ Dei. — Gen. 3. — Causa nostrę ruinę. — Eucharistiæ conuiuij pręstantia.]

vnitatem eiusdem corporis Ecclesiæ artificiosè nobis repræsentare voluit, qui panem Angelorũ in sua specie edere nõ possemus; quare micas tantùm quasdã, & quasi lac infantib⁹ in hoc Sacramẽto propinauit. Præterea summa in hoc sacrificio à veteri distincto delitescit sapiẽtia. Nam vt illic animalia, herbæ, & fructus, quę communia etiam sunt homini cum belluis, sacrificabantur: nos in Nouo Testamẽto in pane, & vino, quæ tantùm sunt propria hominum, Christum litamus; vt ratione præditam, ac diuinam hostiã Deo nos offerre testemur.

Quàm pulchre corpus Christi, panis cor hominis confirmans, eius verò sanguinem vinum cor lætificãs adumbrauerunt. Psal.103. Apoc.17. Gen.4.

Postremò, panis cor hominis confirmans, peculiariter corpus Christi designat: nã vt panis in impuram aquam cõiectus, omnes noxias aquarum impuritates ad se trahit; ita Christi corpus peccata omnium nostrum in se transtulit, & pro illis apud Patrẽ satisfecit, vt aquæ populorum mundæ, ac purgatæ efficerentur; siquidem aquæ multæ, populi multi. Vinum quoq; cor hominis lætificans aptè sanguinem Domini nos exhilarantem, meliusq; clamantem quàm Abel, sedantemque sitim ex veneno pomi vetiti relictam, denique inebriãtem, ac extra se trahentem, atq; confirmãtem aptissimè repræsentabat. Adde, quòd panis seminatus in terra virginea, roburque pręstans, diuinitatem adumbrat Verbi, sicut vinum dulcem Humanitatem, quę vt vinũ panem durum mollem reddit: hæc enim in vino adumbrata, Diuinitatem ad misericordiã, atque clementiam inflexit, esilemq; nobis constituit.

Tertius fructus Eucharistiæ, declarãs bonitatẽ Dei.

Tertio loco Eucharistia mirificè ostendit bonitatem Dei: quæ in caussa fuit, vt hominem cùm nondũ esset, ex nihilo produceret; perditum verò morte sua, & sanguine restauraret, restauratum verò, & ad vitam excitatum, in diuinã, & spirituali vita corpore, & sanguine suo tueretur, & aleret. Hinc proximus morti, cùm monumentũ aliquod relinquere cogitaret, quo nos sibi perpetuo amoris vinculo deuinciret, nõ munus aliquod aureũ, aut argenteum, aut torquẽ, aut annulum pretiosum; sed, quod omnẽ rationẽ, & desideria nostra superare dignoscitur, corpus suũ sanctissimum, sanguinemque pretiosum quo perpetuò eius mensæ assideremus commendauit.

Quemadmodum in sanctæ Eucharistiæ mysterio totius vitæ Christi, ac mortis imago sit expressa. Luc.1.

Sed ego hanc Christi bonitatem magis detegam, non grauabor commemorare qua ratione viua fide totius vitæ Christi imago in ea nobis exprimatur, ac repræsentetur. Vt enim in Nazareth media Angeli legatione conceptus est Dominus, & post illi pauca Virginis verba, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Incarnationis mysteriũ est peractum; ita in hostia post prolationem illorum verborum Sacerdotis, consecrationis mysterium peragitur. Et cùm semel tantùm sit incarnatus, non semel, sed infinities, id est, in omni altari sæpiùs ad verba Sacerdotis consecratio, quæ velut quædam incarnatio est, repetitur.

Consecratio ore Sacerdotis quæ fit, quædam veluti incarnatio est.

Hæc est Bethlehem, id est, domus panis, seu Ecclesia, in quam panis qui de cœlo descendit, in hostiam tanquàm Virginem, in qua nihil fuit fermẽti, per Spiritum sanctum in lucem editur, & ex visceribus panis, tanquàm ex visceribus Marię gignitur.

Bethleem quid sonet. Ioan.6.

In præsepio Domino reclinato humiliantur animalia, & coram hostia sacrata boni Christiani, quasi sancta animalia prosternuntur: nec minùs ad hoc præsepe iustorum accurrunt Angeli, quàm ad aliud, vbi erat puer Iesus, testibus Chrysostomo, & Gregorio. Huc veniunt pastores adorare, vt pastum salutarem pro seipsis, atque adeò pro suis ouibus inueniant.

Luc.2. Chrys.li.6. de Sacerd.to.3. Gregor.lib.4. Dial.c.58.to.2. Luc.2.

Si ad illud præsepe Reges Magi duce Stella ab Oriente profecti venerunt, & singularibus munerib⁹ fidem suam testati sunt: huc etiam omnes Reges, & Principes mundi confluunt, ducatu fidei, quasi radiantis Stellæ, illumque venerabundi adorant, & muneribus cohonestant, offerentes vasa aurea, & argentea ad ministerium, thus orationis benè olentis, & myrrham abstinentiæ, & macerationis carnis, vt dignè sumãt.

Matth.2. Eucharistiæ cultus atque reuerentia.

In circuncisione effudit Dominus sanguinem, & vocatum est nomen eius Iesus: in hostia verus est Iesus, id est, salus mundi, circuncisus ab omni pœna, & labore: & impertitur nobis calicem sanguinis sui.

Luc.2.

Hic licèt inuenire præsentationem Domini in templo: nam ipsa hostia Virgo est, quæ in sinu suo ducit Christum ad offerendum in templum animæ nostræ: vbi debet adesse cor desiderijs sanctis accensum, tanquàm Simeon expectans consolationem Israel, atque Anna vidua bonæ conscientiæ, quæ reddit testimonium de Christo. Hinc post sumptam Eucharistiam Sacerdotes multi dicere solent, *Nunc dimittis seruum tuum Domine.*

Ibidem.

Fugit in Ægyptum, vt declinaret peccatores meditantes sibi mortem inferre: ita Dominus ab his, qui indignè iudicium sibi manducant, & bibunt, recedit, quia nullum fructum illis impertitur, & pergit ad alios, qui gratiam cum fructu percipiendi Sacramentum acceperunt: sed redit ad illos, quos fugerat, quãdo oblato obice moritur in illis Herodes. Hic etiam multi perdunt Iesum, vt Maria, & Ioseph, quia interdum etiam amicissimis Sacramenti gustum subtrahit, quem soli-

Matth.2. 1.Cor.11. Luc.2.

solitus erat conferre, vt maiori cum auiditate,& dolore eum quærant. Inuentus est Christus in templo disputans cum doctoribus,de cuius intelligentia,& respōsis stupebant: admirantur vniuersi Ecclesiæ doctores Christum,cùm tam magnus existat, sub tam parua hostia delitescere:excitantque quæstiones plurimas, & disputant super hoc Sacramentum, fiuntq; attoniti de tanta sapientia, qua se vbi voluit, reliquit: repiuntur in admirationē de respōsis eius, considerātes quàm aptè respōdeat res figurata ad vmbras & figuras, quæ in huius cibi typū præcesserūt. Celebratur hic baptism[us] Christi,nā iusti lachrymis, quas tāti mysterij fides,& deuotio exprimit,Christum baptizant: & dum partem hostiæ in calicem reponunt,baptismum sanguinis repręsentant. Crucis verò signa,verbaque,quæ super hostiam sacram dicuntur ; declarant quòd de cœlo venit vox à Patre, dicente : *Hic est Filius meus dilectus*. Hîc altiori modo repręsentatur nuptiæ Architriclini,vbi nō solùm aqua in vinum, sed etiam vinum in sanguinem conuertitur. In Cana Galilææ, id est,in domo zeli videre cōpetit Christum in Eucharistia, & potest dicere,Zelus domus tuæ comedit me: nam zelus Domini excogitauit artem, qua se posset in alimoniam animarum relinquere; communicauitque Sacerdotibus potestatem, qua tātum miraculum perpetuū existeret in Ecclesia. Primum Christi signum fuit, conuersio aquæ in vinum;vltimū verè conuersio vini in sanguinem : & vtrumque fit in mensa Domini, & coram discipulis suis,quibus eam potestatem conficiendi tradidit, quò esset Christi gloria illustrior, & manifestior, qui bonū vinum extremo loco seruauit. Adhæc Christus est hic bon[us] pastor, oues suas, & agnos optimis atque pinguibus pascuis reficiens. Et cùm pastor non tam verbo,& exemplo,sed etiam subsidio debeat pascere: ideo Christus tribus substantijs hîc nos reficit ac recreat. Primò quidem diuino verbo,quod intùs prędicat in conscientijs nostris,dum in Missæ sacrificio legitur Euangelium, & sumpturi Eucharistiam,verbo Dominico præmuniuntur: Domine,non sum dignus vt intres sub tectum meum:sed tantùm dic verbo,& sanabitur anima mea. Deinde in cibum animorum nostrorum se condiuit, in quo magnum præbuit exemplum, quo nos in escā gratam Christo, & proximis condiamus. Denique vt subsidio pretioso, nos pascat, animam suam donis pretiosissimis ornatā ac repletam, de cuiusque plenitudine accipiunt omnes Sancti,nobis liberaliter cōtulit. Atq; hæc sunt tria illa, quæ edi olim iubebātur,caput,pedes,&intestina agni. Hoc pastu spirituali circuit omnem Iudæam, id est,Ecclesiam, in qua laudatur pastor noster Christus: hac medicina sanantur, qui malè habent,amoreque eius languent: hoc vitæ cibo excitat à morte peccati iam vita functos;liberat oppressos per vitium Simoniæ à diabolo, qui interdum resipiscunt: hoc cibo corroborat iustos ,& inuitat nos, vt illum inuitemus, quia māducamus manducantem nos, quia de comedente exiuit cibus,& de forti egressa est dulcedo. Et serpens noster deuorat alios serpentes. Hîc multiplicat panes Dominus,dando gratię, atq; virtutum incremēta: sanat omnes infirmitates in se,vel in sua præuia pœnitentia. Hic altiùs prædicat Dominus, & trahit post se gētes ad templum, vt in veritate:& spiritu eum adorent. Assumit prætereà tres animę nostrę virtutes ac facultates,& ascēdere facit ad sanctum altare, tanquàm tres discipulos in montem Thabor; in quo cernitur Christus transfiguratus in forma panis,& vini. Et facto ipso loquitur de magno excessu glorię, quem completurus est nobiscum in Ierusalem cœlesti, quando sine nube lucida accidētium,quæ visum nostrum obumbrant modò, videbimus: si tñ prociderimus in facies nostras cū Apostolis adorando illum,cum timore,horroreq; tātæ maiestatis præcipientis edere,nō scrutari. Supplicationem factam in die Palmarū,hîc licet cernere:intrauit enim in Ierusalem Dominus ad purgādum templum,descendendo de Monte Oliuarum:sic quotidiè descendit de cœlo in terram, vt purget, & emundet Ecclesiam suam , transitq; per Betphage ciuitatē Sacerdotum,quib[us] datū est ducere Christum , vt regnet in animab[us] nostris:quæ quotidiè debēt illum recipere, dicendo; *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis.* Inuenies prętereà cœnam montis Sion necdum finitā. Nam eodē quo Apostoli, agno Christi pascimur, & perpetuò cibamur , qui viuus de mortis ventre prodijt. Celebratur hîc lotio pedū: quia hic cibus nō inquinat,sed lauat. Est.n. agnus Dei tollens peccata mūdi:& non tantū pedes affectuū,sed etiā caput intētionis, & manus actionis abluit,& permūdat. Annuntiatur etiam in Sacramento mors Christi,teste Apostolo, quæ in ara crucis oblata est pro his,qui nodum nati erant, & nunc pro illis Patri dicit: *Dimitte illis,nō enim sciūt quid faciunt.* Est enim hic sanguis meliùs clamās quàm sanguis Abel: hic donat paradisum latroni, dum peccatori pœnitēti seipsum impertitur. Commendat nobis matrē

suam

Marginalia (left): *Ibidem.* — *Matth.3.* — *Ioan.2.* Cana Galilęę qd significet. — *Psal.68.* — Quod primū Christi signū fuerit: quod vltimū quodam modo. — *Ioan.10.* Christus in Eucharistia nos pascit tripliciter. — *Matth.8.* — *Ioan.1.*

Marginalia (right): Caput,pedes & intestina agni, quid mysticè. *Exod.12.* Eucharistiæ effectus admirabiles. — *Iud.14.* — *Exod.7.* — *Ioan.4.* — *Matt.17.* — *Luc.9.* — *Ioan.6.* Supplicationis Ierosolymitanæ in die Palmarū factæ in Eucharistia contemplatio. *Matth.21.* — *Infra 26.* — Passionis Christi in Eucharistia repræsentatio. *Ioan.1.* — *1.Cor.11.* — *Luc.23.* *Hebr.12.* *Gen.4.* *Luc.23.* *Ioan.19.*

suam, vt eam, quę se concepit, loco pientissimæ matris habeamus: hic sitit salutem nostram: queritur se à nobis derelinqui, consummauit omnia opera sua, nosq; in spiritu suo Patri commendat. In cruce separata est anima à corpore, etiamsi à neutra parte abesset diuinitas: ita hic licèt frangatur panis, Christus tamen in toto, & in qualibet parte est integer. Hic est aqua lateris Christi, qua baptizamur; & sanguis, quo redimimur, in cuius symbolum, aquæ nonnihil in vino reponitur. Deniq; ab impijs, & cōtaminatis peccatoribus indignè p hoc mysterium celebrātibus & sumentibus renouatur passio Christi, quantum ad ipsos spectat; nam Dominus ipse impassibilis existit, & ampliùs iam nō moritur. Hic igitur Christus venditur à Iuda, id est, à Sacerdotibus, auarè Missas, & ministeriū Sacramenti vendētibus. Dānatur à Caipha, & ab assidētibus sibi Sacerdotibus, id est, ab Hęreticis negātibus Christum adesse Sacramento. Irridetur, ac illudetur à Iudęis: id est, falsis Christianis ore cōfitentibus, atq; dicentibus, *Aue Rex Iudæorum*: Conspuitur ab his, qui sacram hostiam blasphemant. Derelinquitur ab Apostolis, id est, à prælatis magis, qui vix, vel rarissimè ad celebrandum, communicandumve se præparāt. Negatur Dominus à Petro nō sponte, sed prę timore: quem imitantur, qui metu hominum se Sacerdotes esse negant, aut cùm vidēt lupū venientem, dissimulato habito fugiūt, nec perstant in vera atq; constanti Sacramenti cōfessione. Sequuntur multi cum Petro longè, qui semel in anno, & sine fructu, ac gustu communicant. Datur illi fel, & acetum ab his, qui in acerbitate animi, & odio fratris cōstituti, ad mensam hanc accedūt. Occiditur tandem ab his, qui Sacramentū indignè percipiendo, occidūt animas suas. Demùm potest Dominus dicere de talib⁹; *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecū est in mensa*; & rusus, *Aperuerunt super me os suū, sicut leo rapiens, & rugiens.* Multi enim instar belluarum, ora sua fraude ac malitia plena ad seducendum proximum, percipiendo aperiunt Sacramento. Descendit quotidiè Christus in Eucharistiā, si non ad limbum Patrum, saltem ad purgatorium, vt animas inde eruat, quod significat proiectio particulæ Hostiæ in sanguinem; descēdit etiam in pectus tuum, vt te ab immoderatis affectibus tuis liberet, & in altum euehat.

[Margin: Ibidem. — Rom.6. — Matth.26. — Ibidem. — Infrà 27. — Suprà 26. — Ibidem. — Ioan.18. — Matt. 25. — Ibidem. — Luc.22. — Psal.21. — Quid missio particulæ in calicē signet.]

Reperies prętereà Christi sepulchrum, nam corporalia sindonē, qua fuit inuolutus, significāt; linteolum, quo tegitur calix, sudarium signat, quo velata fuit Christi facies; ara lapidea designat petrā monumenti, vbi reponi debet à Ioseph, nēpè à Sacerdote. Debemus etiam nos in visceribus nostris inuoluere Christum, dando illi sepulchrū nouū in corde. Huius sindō debet lacrymis contritionis, & aromatibus curari, nam ita citò resurget in nobis hostia cōferens vitā æternā, vt loquamur de regno coelorum, & geramus nos quasi peregrinos, ac proinde hoc viatico egētes, donec ascēsu de virtute in virtutē, perueniamus ad mōtem Dei Horeb, vt pane Angelorum, qui igni Spiritus sancti in fornace Seraphinorum decoquitur, vescamur, si modò vitam Angelicam traduxerimus. Vides igitur quàm expressa imago omniū Christi actionum, & totius vitæ eius in Eucharistia contineatur. Vides quàm verè sit dictum: *Memoriam fecit mirabilium suorum?* Vides rursus, quàm scitè Dominus dixerit, *Hoc facite in meam commemorationem?* Nō enim inquit, in meæ vitæ, aut meæ mortis, sed absolutè in mei commemorationem; quo vniuersas actiones, cunctaque sua mysteria complecteretur.

[Margin: Descriptio sepulturæ Christi in Eucharistiæ Sacram. — Matth 21. — Ioan.20. — Psal 83. — Psal.110. — Luc.22.]

Quarto loco nutritur hoc Sacramento fides iustitiæ diuinæ, cuius proprium est vnicuique secundùm opera sua tribuere. Id enim in primis cū natura, & summa iustitia, & æquitate cōiunctum est, vt parentes qui filijs esse naturale præstans, & alimenta quoque præbeant, quibus quod acceperunt, fouere, & seruare valeāt. Hinc prouida natura de lacte per mammillas exhibendo prospexit, quo tenera infantia sustentetur, donec adolescat, & fiat solidi cibi particeps. Ad eum modum Christus, vt se accingeret ad nos in cruce magnis doloribus parturiendos, & ad diuinum esse filiorum Dei præstandum, de diuino alimento prospexit, nempè de corpore & sanguine suo per fidem, & charitatem, quasi lacte ex aperto Christi pectore sugendo, quò nos in donis tantis acceptis aleremur, & augeremur, quòd non tantùm lactis pro infantulis, sed etiam solidi cibi pro grandibus & perfectis rationem haberet: quòd si nobis non fecisset, aliquid posset desiderari in Diuina iustitia, & prouidentia, cùm parentes ad filiorum alimenta lege teneātur. Est etiam iustitiæ consentaneum, vt corpori Christi, quod tam dira, immania, atq; foedissima supplicia pro nobis tulit, debita honorificentia, atque gloria non denegetur. Scriptum est enim: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi: vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malū.* Rursus. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Et Christi corpus, quod pro nobis gessit, ac passum est;

[Margin: IV. effectus huius Sacramenti, à duplici ratione iustitiæ, & æquitatis. — 2.Cor.5. — Luc.14.]

est; & sanguis, qui pro nostra salute fusus est, amplissimam remunerationis promeretur coronam. Ipseque Christus suo corpori, ac sanguini debebat hanc tantam gloriam, vt videlicet tot in locis, cum tanta miraculorum varietate, multitudineque exornaretur, atque illustraretur; vt attonitos Angelos, nedum omnium hominum sapientissimorum animos teneret atq; suspensos. Debuitque qui pro nobis humiliatus, atque adeò exinanitus, assumpta forma serui, exaltari, ac sublimari, vt verus Deus, & Dominus; queadmodum etiam à Patre in cœlo supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur nō solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, euectus est. Par etiam fuit, vt tantis redemptionis nostræ argumentis gratum animum testaremur, fidemque nostram circa hoc mysterium declararemus; vt tot illis decorandis, ac venerandis templa atque altaria erigeremus; tot homines sanctos in eius ministeriū deputaremus; festiuā ac peculiarem solénitatem ad eius cultum institueremus, & ad omnia mala propulsanda, bonaque ac commoda nobis accersenda in publicis rogationibus circumgestaremus in illisq; cōficiendis quotidianas, ac perpetuas exequias mortis Christi pro nobis impensæ celebraremus, omnibusq; viijs ac rationibus latriç cultum, tam internum, quàm externū, qui summa Dei veneratio est, illi impenderemus; vt ita sit Christus velatus in Eucharistia in Ecclesia militanti, atq; est in Ecclesia triumphāti apertus atque detectus. Atque hacten⁹ nobis dictum sit, qua ratione fides potentiæ, sapientiæ, bonitatis, atque iustitiæ diuinæ per hoc Sacramentum nutriatur.

Iam secundò ostendendum est, queadmodum virtus Spei eodem Sacramēto nutriatur. Nam cùm virtus Spei præcipuè ad vitam æternam expectandam referatur, ac proinde ad remissionem peccatorum de diuina bonitate atque clementia sperandam, & ad virtutes saluti necessarias, earumque augmentum assequendū, & deniq; ad temporalia bona, vt instrumenta sunt virtutis, diuina manus largitate accipienda respiciat: profectò si rem diligētiùs insp ciamus, ad vniuersas has spes promouēdas atq; confirmandas certissimum argumētum nobis hæc porrigunt Sacramenta. Nam qui se nobis minimè petentibus, in talem, tamq; pretiosum cibum donauit, ac piscem tam vilē annulo planè aureo piscari voluit, quomodo nobis supplicātibus in gloria se spectandum denegabit? Est enim corpus Christi certissimum pignus æternç gloriæ, atq; adeò ipsi non impar, aut inæquale. Adhæc q d aliud hoc tantum sacrificium nobis pollicetur, quàm indubitatam peccatorum remissionem, si modò resipiscamus, & scelera nostra detestemur? Nam huius victimæ virtute, quæ in Ecclesia Dei quotidiè peragitur, impetratur pœnitentia, & vitiosorū actuū detestatio, quò veniā, ac iustificationē promereri possimus. Quid porrò clamat hic sanguis Christi meliùs; quā sanguis Abel, nisi quod ille vindictam, hic veniā postulat? Porrò virtutes Theologicas, ac morales, quæ ad salutem nostram faciunt, earumq; incrementa nulla ratione magis nobis polliceri possumus, quàm per hoc ipsum fidei, & charitatis Sacramentum: quippe eius frequentatione illæ nobis inferuntur, illæ nobis insertæ augentur, atq; auctæ perficiuntur, non secùs atque cibo corporeo singulç corporis partes & membra accrescunt, aut saltem conseruantur. Cæterùm temporalia bona nobis minimè defutura, satis cōprobat hæc tam larga, & incōprehensa Domini liberalitas. Nam q nos suo corpore, & sanguine pascit; quomodo modica hæc, & contemptibilia huius mundi bona ad tuēdam vitam denegabit? Cuius rei fidem vt nobis faceret, interdum seruos suos, & ancillas p multos dies, atque adeò mēses, neq; edētes, neq; bibentes, sed tantum hoc Sacramentum percipientes nutrire voluit; quò nimirùm nos commonefaceret, illis, qui Christum habent, nullum subsidium temporale fore denegandum.

Tertiò, ac postremo loco maximè instituta est ad alēdam charitatem nostram Eucharistiæ: nam cùm nosset Dominus, amore amorē exculpi, singularem suam nobis charitatem in hoc Sacramento declarauit, ineffabiliq; munere nos cohonestauit, quò faciliùs nostram exprimeret erga se dilectionem. Nam cùm in cæteris Sacramentis amorem suum largiri soleat; in hoc fontem amoris, id est, seipsum Iesus Christus donauit. Cogita paulisper, Si Rex pretiosum aliquod munus in vase aureo per seruum suū ad te mitteret; qui haberet in mandatis, vt non tantùm fructus contentos in vase, sed etia ipsummet vas tibi dono daret; an non hoc singularis charitatis esset argumētum? Sed hæc nihil sunt, si rei propositæ cōferamus. Mittit enim Pater æternus fructū dulcissimi sui amoris per hoc Sacramētum ad te: nec hoc contentus, donas & vas pretiosū Humanitatis Christi: donat & ipsū mittentem, non seruum; sed filium charissimum; vt verè dici possit. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; Et Apostolus,

Eucharistiæ quantus honor debeatur

Philip 2.

Ephes. 1.

Spei virtutē Eucharistia vt alat, ac nutriat.

Corporis Christi laudes atq; virtutes enarrantur.

Gen. 4.
Hebr. 12.
Quid melius Christi sanguis clamet, quā sanguis Abel.

Christi liberalitas, ac munificentia in seruos suos

Optima charitatis nutrix Eucharistia est.

Quale & quātum donum Dei Patris Eucharistia sit.

Ioan 3.

Qui

Rom. 8.

Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit. Inſigne præterea extitit dilectionis ſymbolum, quod imminente morte hoc inſtituit Sacramentum. Nam cùm cæteri iam morituri aliorum omnium obliuiſcantur, ſibique ipſis ſolis attendāt, ac proſpiciant: Chriſtus ſuiipſius oblitus, noſtræ verò indigentiæ, inopiæq; ſubleuandæ non immemor, hoc ampliſſimum charitatis ſuæ erga nos monimentum reliquit. Videturque planè non ſecùs feciſſe Dominus nobiſcum atque ſponſus, qui chariſſimam ſibi coniugem deperit, & zelo eam ardentiſſimo proſequitur; metuens verò ne ſponſa cor ſuum ab amore viri diuertat, & in alium vtpote immerentem conijciat, conſeruandi amoris eius erga ſe gratia, bucellam illi; tanquàm filtrum quoddam porrigere non dubitat: quod factum etſi minimè ſit laudabile, eò tamen rapuit interdum viros, & interdum fœminas amoris vehementia, vt id auderent efficere. Ad hunc planè modum ardentiſſimus generis humani Seruato, quò amorem ſponſæ ſuæ; id eſt, Eccleſiæ erga ſe tueretur, myſticis verbis conſecratam panis bucellam, &, vt ſic dicam, ſanctè benedictam, & incantatam magna ſua ſapientia excogitauit, ad rapienda, ſuſpendenda, transformandaque in amorem ſuum corda fidelium, vt dum hoc cibo veſcuntur, dilectione Chriſti, & proximi propter Chriſtum incaleſcant, & viciſſim ad amorem ſibi rependendum incitentur, incendanturque. Nam cùm maiorem hac dilectionem nemo habeat, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, atque illum charitatis gradum Chriſtus in hoc Sacramento attigerit; voluit nos ad obijciendum periculo corpus, & ad fundendum ſanguinem noſtrum pro ipſius gloria excitare. Quare frequentāda eſt hæc menſa, vt hic amoris ignis, quem venit Ieſus mittere in terram, in nobis incendatur. Nam vt balſamum vulneri appoſitum, & citò ablatum fructum nullum præſtat, opus eſt enim, diù illi inhærere, & tenaciter inſiſtere, vt tandem ſanitatem reſtituat, & cicatricem obducat: ita hoc pretioſiſſimum corporis Chriſti balſamum vulneribus animi noſtri curandis non tantùm ſemel in anno, ſed frequenter eſt applicandum, vt fructum deſideratum efficiat. Cumque Dominus non ignoraret, hominis temperaturam per qualitates ciborum mutari, & vel melancholici, vel phlegmatici fiant per cibos phlegmati, aut melancholiæ alendæ accommodos; hanc rationem ſecutus Dominus de cibo diuino, ſpirituali, ac cœleſti nobis proſpexit, vt diuini, ſpiritales, ac cœleſtes redderemur, & tantùm amatorem imitati; nonniſi amorem diuinum, & ſpiritalem ſpiraremus, quo vno legem impleremus, ac gratiam nobis Ieſu Chriſti conciliaremus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, iure omnis honor, & gloria reddenda eſt, atque dominatio in ſempiterna ſecula, Amen.

Quare Chriſtus morti proximus hoc inſtituit Sacramentū.

Qualis ſponſus videri poſſit.

Chriſti charitas & ſapientia.

Ioan. 15.

Menſa Domini cur nobis frequētanda.

Luc. 12.

Corpus Chriſti balſamo apte comparatur.

TRACTATVS XXVII.

In quo de fructu ſingulari Euchariſtiæ, quatenus ſacrificium eſt Noui Teſtamenti, diſſeritur. Chriſtumq́; in cœna ſacrificium obtuliſſe, probatur.

QVemadmodum ſani, & valentes, ad edendum, & bibendum monitore non egent, aut cōdimentis, ac ſalſamentis opus non habent, cùm optimum condimentum ſit fames, ita malè habentes, & valetudine laborantes, medico egent, & hortatore, acribus, ac dulcibus ſaporibus famem prouocantibus. Ita nos hoc loco virtutem admirabilem ſacrificij huius aperiemus, quò famem ſpiritualem ad frequentandam hanc menſam excitemus. Vt igitur dignè de ſacrificio Noui Teſtamenti verba faciamus, præmittendum eſt, ſolam Euchariſtiam inter omnia Noui Teſtamenti Sacramenta hoc priuilegium ſibi vindicare, vt ſimul ſit & Sacramentum, in quantum ſumitur, & ſacrificium, quatenùs pro peccatis noſtris Patri æterno iugiter, ac quotidiè offertur. Omne ſiquidem ſacrificium Sacramentum eſt, quia res ſacra inſtituta ad ſanctificandum; non tamen omne Sacramentum eſt ſacrificium, quia non offertur Deo, cui ſoli datur ſacrificiū, etiamſi hominem ſanctificet ex Dei Pacto: & ſacrificium quidem Deo, Sacramentum verò proximo exhibetur. Deinde ſtatuendum, maiorem eſſe, & excellentiorem fructum Euchariſtiæ, quatenùs ſacrificium eſt, quàm ea ratione, qua Sacramentum. Nam etſi in ratione rei contentæ eadem ſit vtriuſque magnitudo & præſtantia, quia Chriſtum ipſum Dominum neceſſariò vtrumque complectitur; in ratione tamen fructuum, quos producit, plures exiſtunt, & maiores vtilitates ſacrificij, quàm Sacramenti. Etenim Sacramentum ſolis ſumentibus prodeſt; at vt ſacrificium eſt, non tantùm ſumentibus, ſed etiam non ſumentibus, nec tantùm præſentibus, ſed etiam abſentibus, imò in vniuerſum tā viuis, quàm defun-

Optimum condimentū fames.

Euchariſtiæ ſupra omnia Sacramenta prærogatiua ſingularis.

Sacramentū & ſacrificiū differunt.

Euchariſtiā vt ſacrificiū eſt, ſeipſa vt Sacramentū eſt, fructus producere & plures, & maiores.

defunctis in Christo fructuosum existit: vt hac de caussa asserendum sit, Dominum magis in sacrificij, quàm in Sacramenti ratione illud instituisse. Cùm autem Hæretici omnes, etiam inter se contrarij, vt puri Lutherani, & Sacramentarij inueniantur; in hoc tamē vno demoliendo, ac de medio tollendo alaris sacrificio concordi discordia conuenerunt: vt meritò hęc res diligentem, luculētamq; tractationem mereatur. Nos igitur ex locis quibusdam sacræ Scripturæ, Patrū traditione, ac rationibus ostēdemus, Eucharistiam sacrificium esse Noui Testamenti, & Christum ipsum, illa eadem nocte, qua Sacramentum instituit. Patri se ipsum sub specieb⁹ panis, & vini immolasse, & in sacrificium eidem obtulisse, sacrificandiq; ritum instituisse, & præceptum Sacerdotibus Noui Testamenti indixisse sacrificandi. Scripsit enim Lutherus, nullum verbum extare in Euangelio, quo probari possit Eucharistiam esse sacrificium: quod dictum Ioannes Roffensis Christi Martyr reprehendens, summam vocauit impietatem. Quo in loco perpēde, quosdā hæreticos extitisse dictos Petrobrusianos, & Henricianos, vt testatur Petrus Cluniacēsis Bernardi coætaneus & æqualis; qui etsi concederent, Christum in cœna obtulisse, negabant tamē Sacerdotes nostros offerre. Fuerunt & nostro seculo quidam Catholici, qui è contrario pro Ecclesia scriptitârunt, asserentes Christum nō obtulisse, sed benè nostros Sacerdotes offerre, At Lutherus, atq; eius fautores neq; Christum obtulisse, neq; nos offerre debere. Postremò Catholici Patres veteres, & recētiores, pro fide in hæreticos decertantes, & Christum obtulisse, & nos offerre debere, quemadmodum etiam Concilium Tridentinum definiuit, asseruerunt.

Impium dictū Lutheri.
Ioā Roff. a. 10. in Luth.
Petr. Clunia. Petrobruysiani, Henricianiq; quid senserint olim de hoc Sacramento.
Syn. Trident. ess. 22. c. 1. & 2.

Prodeat igitur primo loco testimoniū propheticum Malachię, qui quidem de futuro hoc sacrificio in hūc modū prophetauit: *Non est mihi voluntas in vobis; dicit Dominus exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis, vsq; ad Occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meū in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hic autem locus aliam literalem, & verbis Prophetæ cōgruentem interpretationem, quam de Eucharistia non suscipit. Nam si quis velit tergiuersari, & de oblatione legali interpretari, reclamabit continuò ipse literæ contextus; quia ait, *In omni loco*; at satrificium legis in vno tantū loco, id est, Ierosolymis offerre licebat. Deinde asserit, magnum nomen suum in Gentibus, à quibus offerenda esset hostia; at Gētes nihil legitimum obtulêre; nulla etiam Iudæorum oblatio ex se munda erat, nisi ex fide, & deuotione offerētis.

Eucharistiā, sacrificium esse nouæ legis ostenditur multipliciter. Scripturis. I. locus. Malach. 1. Explicatur locus Malachiæ de sacrificio & oblatione.
Deut. 16. & alibi. Excluduntur varij sensus huius loci.

Secundò nō potest intelligi de sacrificio spirituali, aut orationis, aut fidei, aut misericordię, aut cordis contriti (quę omnia in Scripturis sacrificia dicuntur) vt apologia Augustana interpretatur: tum quia illa nō sunt vnicū sacrificium, sed varia, & multa; tū quia non succedūt veteribus sacrificijs, nam in Veteri Testamento eiusmodi sacrificiorū vsus erat, sicut apud nos; tum quia non erant per se munda sacrificia tantū ex fide offerentium; tum deniq;, qui nō propriè, sed metaphoricè dicuntur sacrificia⁹ nec offerūtur in omni loco, cùm spiritualia sint, & loco non indigeant, Adhęc min⁹ intelligi potest de prædicatione Euangelica, de qua ait Apostolus; Sanctificās Euangelium Dei; vt Bucerus ad Latomum scribēs, interpretatur: quia prædicatio propriè non est sacrificium, nec succedens veteribus hostijs. Nec rursus Gētium ad Christū conuersio prædicatione Euangelica parta, quemadmodum Oecolampadius ad Senatum Basiliensem exponit: Eiusmodi cōuersio enim per metaphoram dicitur sacrificium, nec vnum, sed varium, & multiplex pro numero gentium conuersarum, cùm tamē in Propheta vnica numero hostia significatur: nec cōtinuū esset, sed ad tempus, quia intrante plenitudine Gentium, tūc omnis Israel saluus fiet, vt testatur Apostolus. Postremò non fuit illud in cruce Christi sacrificium sine Eucharistia oblatū: quia illud non fuit continuum, sed ad horā tantùm⁹ nec in omni loco, sed in Monte Caluariæ, nec oblatum propriè à Gentibus, quia tantùm notus erat in Iudæa Deus; & in Israel magnum nomē eius; per Apostolicam verò prædicationem Gētes traductæ sunt ad Christi cognitionem.

II. confessionis Augustanæ. Psal 50.
III. sensus Buceri. Rom. 15.
IV. sensus Oecolampady.
Rom 11. V. & vlt.
Psal. 75.

Superest igitur, vt de oblatione Christi in Eucharistia peracta, & quæ perpetuò celebratur ritu in Ecclesia, locus hic intelligitur: estque hic sensus non solùm cæteris præferendus, sed etiam in sensu literali solus acceptandus: tum ob literę contextum, & rationes allatas; tum ob Patrum traditionem, quæ firma est clauis intelligētiæ Scripturarum. Nam ita interpretatur Clemens Rom. l. 7. const. Apost. ca. 32. B. Martialis in epistola ad Burdegalens. Iustinus Martyr Dialogo in Tryphonem, Irenæus li. 3. c. 23. Tertull. libr. 3. in Marcionem, Cyprian. lib. 1. in Iudæos, c. 16. Eus. li. 1. de demō. Euang. c. 10. Cyrill. lib. 1. De adoratione in Spiritu & veritate, Damascen. lib. 4. ca. 14. Augustinus

Verus sensus & proprius eius loci assignatur.
Clauis firma intelligentiæ Scripturarū Patrum traditio.
R. Martia. c. 3. Iustin. Mart. Iren. to 2. Tertull. Cypria. Eusеb. Cyrill. Damasc.

Aug. tom. 5. Hieronymus. Theodoritus. Remigius. Haymo. Rupertus. Lyranus. Conc. Trid.

stinus lib. 18. de ciuit. Dei, c. 20. & 35. Hieronymus, Theodoritus, Remigius, Haymo, Rupertus, & Lyranus in commentarijs suis super Malachiam Prophetam. Accedit postremò Concilium Tridentinum; quod sess. 22. in doctrina de sacrificio Missæ, hæc verba de Eucharistiæ Sacramento intelligenda esse tradit, & interpretanda. Nos autem ne multas paginas impleremus, recitatis Patrum testimonijs, consultò abstinuimus; cùm quisque prudens Lector locos illos, & autoritates Patrum facilè per se ipsum possit consulere.

Rationibus idem comprobatur.

Non desunt etiam rationes ex textu ipso deprompteæ, quæ hoc ipsum confirmēt, & ora Hæreticorum validè obturare possint; quas ob id in medium proferam. Harum prima sit: Moris est Prophetis, vt reiectis ac reprobatis Veteris Testamenti sacrificiis, noua substituant: vt constat ex illo Psalmi: *Sacrificium*, inquit, *& oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*: siue, vt Paulus legit ad Hebræos, *Corpus autem aptasti mihi*. Vbi notandum est, verbum Sacrificium, Hebræis esse Zebeach, quod propriè est cruentum, & sanguinolentum sacrificium: loco autem oblationis ponitur Hebraicè Mincha, quod propriè erat cibariū munus & incruentum, vt infrà dicemus. Pro omnibus ergo Veteris Testamenti sacrificijs, siue incruentis, substituit Dominus in Propheta, dicendo: *Corpus aūt aptasti mihi*: quod in cœna incruentè Patri obtulit, & discipulis participandum præbuit, in cruce verò sanguinolentū obtulit. Et ita in vno Christi corpore vniuersa sacrificia veteris legis implentur. Nec obstat quòd litera Hebrea habeat, *Aures autem perfecisti mihi*. Nam idē prorsus sensus ex vtrisq; verbis colligitur. Ea namq; perfecta obedientia, qua se obtulit in mortem crucis, eadem prorsus se obtulit incruentum in Eucharistia, & illa est aurium perfectio: quasi dicat, aures excanatas dedisti mihi, vt apertiùs audirem. Ait etiam Psalmista: *Nunquid manducabo carnes taurorum: aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. Esaias quoq; cùm de veteribus hostijs dixisset: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguinē vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui*; de nouis ita subdit: *Lauamini, mundi estote, aufer te malum cogitationū vestrarum ab oculis meis*. Ita hic cùm Malachias populū illum reprobatum à Deo ostendisset, dicendo in persona Domini: *Non est mihi voluntas in vobis*, id est, Vos mihi non placetis, confestim reprobat sacrificia ab eis oblata, dicens: *Et munus non suscipiam de manu vestra*: nam vt offerentes non placent, nec ipsa sacrificia placent, iuxta illud: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non respexit*.

Psalm. 39. Hebr. 10. Perpenditur verbum Prophetæ: Sacrificium & oblationem noluisti. Matth. 26. Hebr. 5. Hæc lectio Hebræa: Aures autem aperuisti mihi, vt ista est illa LXX interpretum, Corpus autē, &c. Psalm. 49. Esai. 1. Gen. 4.

II. Ratio. Malach. 1.

Deinde si diligenter inspicias, Propheta eo in loco conqueritur, quòd panem pollutum offerrent super altare: *Offertis*, inquit, *super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te?* & sequitur: *Magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est cum igne, qui illud deuorat*. Quadrat igitur mirificè, vt pani polluto Veteris Testamenti, de quo conqueritur, opponat panem mundum Noui Testamēti. Tertiò accedit, quod cùm ait: *Munus non suscipiam de manu vestra*: verbum Munera, Hebraicè dicitur מנחה, id est, Mincha, videlicet munus cibarium, vel sacrificium cibarium, de quo in Leuit. fit mētio: fiebatq; ex simila purissima oleo aspersa cū thure sine fermento, edenda à filijs Aaron in atrio templi. In quo pulchrè vides Eucharistiæ expressam imaginem, in qua simila Corpus Christi purum significat sine peccato conceptum; oleum verò, animam vnctam gratia & Spiritu sancto designat; thus verò Deitatem. Edendaq; est à baptizatis, & à fermento peccati sanctificatis, vt ait Apostolus: nam illi propriè sunt filij Christi summi Sacerdotis in filijs Aaron figurati. Eratq; in atrio templi percipienda, vt Eucharistia consummanda in loco sacro; vt sit proportio inter edentem, & rem esam, locumq;, & ministrum: omnia siquidem oportet esse sacra. Et vt olim fuit Pascha typicum, in Euangelio verum, ita fuit & mincha vetus, & mincha nouum: vt & mincha vetus quotidie celebrabatur, ita etiam quotidie offertur Eucharistia.

III. Ratio. Mincha Hebræis quid. Leuit. 2. & 6. 1. Cor. 5.

IV. Ratio.

Quartò, dicitur in singulari numero mincha, & Septuaginta, θυσία, & Latinè munus siue oblatio: ad designandam vnitatem hostiæ nostræ. Vnus enim est Christus, & vnus agnus, qui in vniuersis hostijs continetur, & vt Apostolus ait: *Vnus panis, & vnū corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus*. Porrò LXX. addiderunt: καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσάγεται τῷ ὀνόματι μου, καὶ θυσία καθαρα. Hoc est. In omni loco profertur thymiama noīni meo, Sacrificium mundum. Vbi nomine thymiamatis intelligimus preces & orationes, quibus Eucharistia conficitur, & offertur: ac vocat sacrificium mundum; contra sordidas Gentilium oblationes, & contra cruenta Iudæorum sacrificia. Hæc verò hostia incruen-

1. Cor. 10. Hæc versio Septuaginta: In omni loco profertur thymiama nomini meo, & sacrificium mundum: quē sensum habeat. Hostiæ Eucharistiæ mūditia.

incruenta est,& munda in se, & tam Deo ipsi accepta, vt offerentis ministri malitia inquinari, aut sordibus nequeat, sanctificansq;,aut emundans omnes,tum offerentes,atque percipientes,tum etiam illos,pro quibus offertur,modò suo vitio obicē non ponant. Quintò additur; in omni loco offerendam: & intellige omnem locum,sanctum, & honestum: vt exponens Basilius locum illum Pauli: *Volo viros orare in omni loco,leuantes puras manus*,ait.Atq; hoc ex decentia magis,quàm ex necessitate; vt ita sacer locus operationi sacræ,atque adeò personæ offerenti, & sumenti consonet,atque congruat.Proinde vanum est,quod Osiander obiecit,Eucharistiam,siue Missam non in omni loco celebrari: quia etsi non celebretur,tamen celebrari potest,si pietas,aut necessitas postulet. Et quod dicitur de præsenti, offertur, & sacrificatur, præsens pro futuro ob certum euentum,more Prophetarum posuit,id est, offeretur, & sacrificabitur.Significaturq; generalis hostia, ac orationis continuitas per tēpus præsens. Postremò subdit: *Ab ortu enim Solis vsque ad Occasum,magnū est nomen meū in Gentibus.* Quibus verbis denotatur Ecclesiæ Christi amplitudo contra angustos terminos Iudææ, & contra angulos hæreticorum tali hostia suo vitio priuatorum. Diciturq; magnum Dei nomen in Gentibus: quòd ingens & illustris quædam gloria in Deum redeat, ob talia,& tanta,quę fide certa credimus Christum operari in hoc sacrificio ad Ecclesiam alendam;cui propterea Fidem,Spem,Charitatem, preces, laudis confessionem, corpus, & omnia bona nostra offerimus, ad gloriam huius hostiæ extruentes templa, & altaria,Sacerdotes sacrificos, & tot ordines ministrorum,totq; Canonicos, dignitates,personatus, & alia ministeria sacra habentes,cantores atq; alios innumeros, qui & assistant sacrificio, & interdum ipsi conficiant,populoq; ministrent. Quid dicā de tot reditibus,prouentibus,prædiis,ac temporalibus ditionibus Ecclesiæ ob hanc causam assignatis, vt honestè viuant tanti mysterij ministri?His autem fit,vt nomen Dei celebre sit,gloriosum,& laudabile in Gentibus: nam de hac laude agitur Psalmo illo (qui totus de passione Domini inscribitur) cùm dicitur; *Apud te laus mea in Ecclesia magna:* id est, Sacrificiū laudis in Ecclesia Catholica,quæ magna est,ad differentiam Iudææ,& angustorum angulorum, quos hæretici ab Ecclesia præcisi colunt. Et subdit Propheta: *Vota mea reddā in conspectu timentium eum.* Vota,vocat Eucharistiam; quam cùm instituit Dominus,dixit:*Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar:*quod quia publicè in prę̨sentia religiosi populi, Deumque sancto timore colentis offertur, rectè dicitur: *In conspectu timentium eum.* Ac subdit de participātibus Sacramentum Eucharistiæ: *Edent pauperes, & saturabuntur:& laudabunt Dominum,qui requirunt eū.* Pauperes vocat primitiuos illos Dei cultores,qui paupertatem profitebantur,& se pauperes agnoscentes,Deique gratia indigentes, mensam hanc frequentabant: fructus autem manducationis huius est,saturari,& laudare Dominum, & viuere corda eorum in seculum seculi. Quod cum illo conuenit, quod dixit Dominus: Qui manducat hunc panem,viuet in ę̨ternum. Ponitur etiam inter fructus reminiscentia, siue recordatio Domini:*Reminiscentur*, inquit, *& conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ*,secundùm illud Domini verbum; *Hoc facite in meam commemorationem.* Adiungit: *Manducauerunt,& adorauerunt omnes pingues terræ: & in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.* Vbi manducaturi designātur, quòd prius debeant adorare cibum diuinum,quem sumunt. Vocatque pingues terræ, fideles pingues spiritu, & adipe deuotionis plenos. In hunc ferè modum illum locum absoluit Augustinus libro de gratia Noui Testamenti. Adhæc idē Dauid in Psalmo, qui incipit: *Deus iudicium tuum Regi da*,qui manifestè,testibus Patribus,atque adeo ipsis Hebręis,de Messia intelligitur; laudem & orationem Domini in hoc Sacramento commemorans, ait:*Et erit firmamentum in terra in summis mōtium,superextolletur super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.* Vbi Ionathan Chaldæus loco illius verbi, *Erit firmamentum*, legit, *Erit firmamentum panis.* Et Thargum aliud, *Erit substantificus panis.* Hieronymus iuxta Hebræum, *memorabile triticum.* Hebræa veritas habet,pissabar, id est,fragmentum, vel particula, vel buccella tritici, siue panis, quia sic dabatur in primitiua Ecclesia sub forma buccellæ, Septuaginta vertunt, ἰϛαι ϛήριγμα ἐν τῇ γῆ, id est, firmamentum in terra, quia hic cibus robur est, & fortitudo in terra peregrinantium. Dicitur, *In summis montium*, quia supra capita Sacerdotum eleuandum, ac Deo erat offerendum. Ac subdit: *Superextolletur super Libanum fructus eius.* Quia fructus rectè edentium sanctificat, atque dealbat animas percipientium; nam Libanus, candidatio, siue dealbatio interpretatur; & ex eo monte collecta sunt ligna ad templi constructionem. Et sequitur: *Et florebunt de ciuitate sicut fœnum*

Ratio V. à loco oblationis hostiæ huius.
1.Tim.2.
Basil in Moralib.reg.56. c.4.tom.2.
Osiandri,hę̨retici hominis,impudēs dictum refellitur.
Hebraismus in verbo futuri temporis.
Explicatur: Ab ortu enim Solis vsque ad Occasum magnū est nomen meum in Gētibus.
Quid illud: Apud te laus mea in Ecclesia magna.
Psalm.21.
Quid item: Vota mea Domino reddam.
Luc.22.
Edent pauperes, & saturabuntur.
Ioan.6.
Luc.22.
Pingues terrę,quinā sint.
Aug.lib de grat.nou.Testa.c.34.to.7.
Psalm.71.
Quod nam illud firmamentum in terra in summis mōtium.
Ionathan Chaldæus.
Thargum.
Hieronym.
Variæ interpretationes eius verbi.
Quid etiam: Superextolletur super Libanum fructus eius.
Libanus quid significet.
3.Reg.5.
Et florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.

num

num terra, Id est, Qui edent hanc hostiam, floridi erunt virtutibus, & benè olebunt apud Deum & homines in Ecclesia Dei, quę est ciuitas suprà montem posita.

Matt. 5.

II. locus.

Secundus locus ad stabiliendam veritatem sacrificij Noui Testamenti, desumitur ex Psalmo, qui habet: *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*: qui Psalmus intelligendus venit de Messia, vt testes inuicti docent, Dominus apud Matthęum, Petrus in Actis, ac Paulus ad Hebræos. Iurauit, inquit, Dominus, vt rem firmam stabiliat, & non pœnitebit eum, quemadmodum pœnituit veteris Sacerdotij, quod de medio sustulit. Tu es Sacerdos in æternũ. Hoc dictũ est in die resurrectionis, quia Paulus ad Hebræos ante hæc verba: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec*: allegat illud Psalmi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: porrò Paulus in Actis hoc verbum testatur impletum in die Resurrectionis, ait enim in prædicto loco: *Qui in diebus carnis suæ* (id est, cùm esset mortalis, & peccatorum personam sustineret) *preces, supplicationesq; ad eũ qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, &c.* Postea verò immortalis excitatus, & Rex iustitiæ, id est, iustificatorum aduocatus, & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ; appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedec. Et cõfirmatur: tùm quia initium Psalmi Ascensionis Domini facit mentionem, cùm ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: tum quia paullo pòst Apostolus idẽ subdit: *Vbi præcursor pro nobis introijt Iesus, secundùm ordinem Melchisedec Pontifex factus in æternum*. Et infrà idem docẽt. Vbi tria docet de Christo, quod manet Sacerdos in æternũ: Secundum, quòd habet sempiternum Sacerdotium; ideo nõ tantũ in cœna, & in cruce obtulit se ipsum; Sed etiam per Sacerdotes, & ministros suos in æternum offert, vt interpretatur Oecumenius. Tertium, quòd dat fructũ salutis perpetuum: *Tu es*, inquit, *Sacerdos* in persona tua offerens, nec tantùm per Sacerdotes ministros in Ecclesia Dei quotidie offerentes. *Secundùm*, inquit, *ordinem Melchisedec*. Hebraicè dicitur, Hal dibrathi, Septuaginta verterunt, κατὰ τάξιν, id est, secundùm ritum, & morem, quo ille in pane, & vino sacrificauit: tum quia nullus alius ritus, vel ordo legitur in Scripturis, tum quia sic interpretantur Patres, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Athanasius, Eusebius, Epiphanius, Arnobius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Theodoritus, Damascenus, Theophylactus, ac Photius, atq; alij permulti, & Ecclesia. Officium solennitatis Corporis Christi ab illa Antiphona sumit exordium: *Christus Dominus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, panem, & vinum obtulit*. Producuntur à nostris duo antiqui Rabbini, alter, Rabbi Pinchas, filius Iaher, qui super 28. librum Numerorum scribit; *Tempore*, inquit, *Messiæ omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini nunquam cessabit: quia Melchisedec obtulit panem, & vinum: & Messias est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec*. Idem docet Rabbi Cahanam super Genesim.

Psalm. 109.
Expenditur dictum Dauidis: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.
Matth. 22.
Act. 2.
Hebr. 5.
Infra 6.
Infrà 7.
Illud quando fuerit Christo dictum.
Hebr. 5.
Psalm. 2.
Act. 13.
Hebr. 6.
Infra 7.
Oecumenius in c. 5. epist. ad Hebraos.
Clemens li. 4 Strom. tom. 2
Cypria. lib. 2. epist. 3.
Athan. orat. de Fide, to. 1.
Euse. lib. 5. de demõ. Euang. c. 1 tom. 1.
Epiphan. in hæres. 55.
Arnob. in Psalm. 109.
Hieron. epist.
ad Euagriũ, tom. 2.
Ambr. in ep. ad Hebr. 5. tom 5.
Aug. li. 16. de ciuit. Dei, ca. 22. tom. 5. & in Psalm. 109. tom. 8.
Theod. in c. 8. ad Heb. par. 2
Damasc. lib. 4. cap. 14.
Theophyl. in c. 5. epist. ad Hebr.
Photius ibid.
Rabbi Pinchas filius Iaher.
Gen. 14.
Rabbi Cahanam super Gen. 49.

Quod etiam ratio confirmat: non enim dici potest Christus offerendo se Patri modò in cœlo, vel olim in cruce, quòd impleuerit Sacerdotium Melchisedec: in cruce enim magis accessit ad ordinem Aaron, vt docet B. Thomas, cùm cruentè obtulerit; & quia dicitur Sacerdos in æternum, quod non quadrat cruci perinde, ac cœnæ. Et cùm ait Paulus: *Secundùm ordinem Melchisedec Pontifex factus in æternum*: sensus est, id est, meruit fieri: quemadmodùm etiam cùm dicit: Factus est omnibus obtemperãtibus sibi, causa salutis æternæ; quod est dicere, meruit esse causa salutis nostræ. Cùm ergo, teste Dauide, & Paulo, Melchisedec typus Christi fuerit in Sacerdotio, ergo in sacrificio, nam Sacerdotium, & sacrificium mutuum inter se ordinem habent; & nõ in sacrificio cruento, quia nihil cruentum legitur obtulisse Melchisedec, ergo in oblatione sacrificij incruenti, in quo vno solummodò illum, vt Sacerdotem refert; nam in aliis omnibus multi Sacerdotes qui præcesserũt Christum repræsentarunt. Licet enim corpus, & sanguinem humanum imò diuinum Christus obtulerit in cœna, neque secundùm Aaron, neque secundùm Melchisedec, sed suprà illos ritus, & ordines obtulerit, hostiasque humanas DEVS semper fuerit execratus, & dæmon illas sitierit, secundùm id: *Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs. Et effuderunt sanguinem innocentem*: tamen in cœna sub speciebus panis, & vini offerendo corpus & sanguinem suum, magis accessit ad orpinem Melchisedec, quàm in Cruce. Et quanquam daremus, Iesum etiam in Cruce, & in cœna obtulisse secundùm ordinem Melchisedec: sensus de oblatione Christi in cruce non deberet tollere sensum de oblatione in cœna, in qua planius & plenius expleuit ritum, & ordinem Melchisedec: nam illi magis litera fauet, & Patres illum sensum communi consensione amplectuntur.

B. Thom. 3. p. q. 22. art. vlt.
Hebr. 6.
Supra 5.
Matth. 26.
Psalm. 105.

Nec valet, dicere, quòd in cœlo se modò Patri offerat, vt testis est Paulus: quod minimè negamus; sed Paulus ea ratione vocat Christum Sacerdotē in cœlo, quia præstat officium Aduocati: nec Paulus illi tribuit Sacerdotium in cœlo secundùm ordinem Melchisedec; sed quòd semper viuit ad interpellandum pro nobis, agens causas nostras vt Aduocatus. Aut si id Apostolus dixisset, interpretandus esset, quod in cœlo offert secundùm ordinem Melchisedec: quia per nostros Sacerdotes offert & offertur. Nec illud item est validum, si qs dicat, Christum per alios offerendo, esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec; eò quod per nos tantùm, non per se ipsum obtulerit in pane, & vino. Id enim esse falsum deprehenditur; tum quia otiosa fuisset potestas illa in persona Christi, quæ in actū non prodijsset, sacrificando secundùm illum ritum Melchisedec, cùm tamē dicatur: *Tu es Sacerdos*, nimirùm in persona tua, at Sacerdotis proprium munus est offerre dona, & sacrificia pro peccato, vt ad Hebræos tradit Apostolus. Tum etiam quia cùm Sacerdotis sint munera, docere, exemplo pascere, benedicere laicis, & deniq; offerre: si Dominus reliqua omnia, id est, orationem exemplum, doctrinam per se ipsum exercuit: ergo & offerre incruentè in pane, & vino. Ipse ergo primus vt Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec obtulit, & alios offerre docuit; atq; hæc offerendi potestas continua perpetuo perseuerat vsque ad iudicium, quam per Sacerdotes vt ministros exercet.

Hebr. 7. Obiectio quorundam aduersus dictum. II. obiectio. Sacerdotum proprium munus quod nam sit. *Hebr. 5.* *Infra 8.*

Hæretici vt hoc telum repellant fortissimum, multis cauillis vtuntur, quorum primus est, quòd Melchisedec non obtulit, sed tantùm protulit panem, & vinum, ad refocillandos milites, qui è bello reuertebantur. Sed hoc cauillum reuincit ipse textus, ait enim in Genesi Moyses: *Melchisedec Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei Altissimi) Benedixit ei, & ait, Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.* Vbi habes quòd erat Sacerdos, & quòd obtulit panem & vinum in sacrificium; quòd benedixit Abraham, & Deo, quod proprium est munus Sacerdotis, vt est in libro Numerorum: habes quoque, quod accepit decimas, quæ non sunt, nisi Sacerdotum, teste Malachia. Corruit ergo cauillum Zuinglij, quod verbum Hebræum non habet Sacerdos, sed Cohen, id est, Princeps, vel Satrapa. Sed quis quæso esset sensus, Erat Princeps Dei altissimi? Et satis iam expresserat principatum, cùm dixit: Melchisedec Rex Salem, & quid quæso Principi cum benedictione, & decimis? Et vt omittam quod Septuaginta Interpretes verterūt, Ἱερεὺς, hoc est Sacerdos, profectò isti debebāt ad Dauidem, & ad Paulum oculos conuertere; qui eum nō Satrapam, aut Principem, sed Satē vocant: & verbum Hebrǽum Kihen, propriè est ministrare in sacris, vnde Cohen non nisi Sacerdotē, qui in Sacris ministrat, significare potest.

Hæreticorū aliquot cauillationes de Sacerdotio Melchisedec apertè reuincuntur. *Gen. 14.* Benedicere propriè est Sacerdotis. *Num. 6.* *Malach. 3.* Zuinglij ineptia in his verbis de Melchisedec: Erat enim sacerdos Dei altissimi.

Ruit secunda cauillatio, quòd non obtulerit, sed protulerit. At vt demus quòd protulerit, certè non protulit nisi iam Deo domi oblata in sacrificium, quemadmodū Sacerdos Achimelec panes Propositionis protulit Dauid, vt habes in libris Regum, qui tamen erant oblati Deo. Et Gregorius Pontifex misit panem benedictum Aquitanis pugnaturis contra Saracenos. Vel potius protulit panem, & vinum, vt offerret, & in gratiarum actionem coram omnibus: quemadmodum in libro Iudicum Gedeon dixit Angelo, cui volebat sacrificare: *Ne recedas hinc, donec reuertar ad te, portans sacrificium & offerens tibi.* Vbi idem verbum Hebræum hic, & in Genesi habetur, offerendi videlicet, dicitur enim iuxta Hebræum Vehozethi eth Minchathi Vehinacthi Lepanecha. Atq; hoc videtur magis congruere, quia cùm dicitur quòd protulit panem, & vinum, subditur cum causali, *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*; nimirùm ad offerendum hostiam pacificam pro victoria obtenta.

II. cauillatio. *1. Reg. 21.* *Iudic. 6.* Hebræa lectio prædicti loci de Melchisedec Sacerdote.

Redditur infirmum & aliud cauillum: quia Hebraicè non dicitur, Erat enim Sacerdos, sed per cōiunctionem copulatiuā, & erat Sacerdos Dei, &c. Sed ignorant isti, quòd illa coniunctio copulatiua apud Hebræos interdum est causalis: quemadmodum cùm dicitur: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*, pro causa accipiendum docet Theophylactus; id est, quia benedictus fructus ventris tui; sicut illud: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. &c, Verbum caro factum est*, id est, quia Verbum caro factum est. & illud: *Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, &c. Et inimici hominis, domestici eius*; hoc est, quia inimici hominis, domestici eius. Adhæc in Psalmo 59. semel, & iterum in Psalm. 107. dicitur iuxta Hebræum: *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis*: id est, quia vana salus hominis. Vbi necessariò iuxta Hebræum coniunctio Et, ponitur pro causali, imò etiam apud authores Latinos eam vim interdum habet illa particula, ait enim Poëta: *Audieras, & fama fuit*, id est, quia fama fuit.

III. cauillatio. *Luc. 1.* *Theophyl. in Luc. cap. 1.* *Ioan. 1.* *Mach. 10.* *Micha. 5.* *Virg. in Buc.*

Quartò,

IV. cauillatio

Quartò cauillantur, Septuaginta aſſerere, protuliſſe panes in plurali, hoc eſt, ἄρτους. Sed perinde facilè eſt offerre multos panes atque vnum, & panes Propoſitionis plures erant, nec vetabat eſſe in ſacrificium Deo oblatas: nec vetat Euangelicum Sacerdotium plures panes ſimul conſecrare, ſi opus ſit, & oportebat plures eſſe panes, vt tot numero milites guſtarent aliquid. Nec contradicit litera Hebræa lectioni Septuaginta: quia quod dicitur, Protulit panem, per figuram Scripturis familiarem, qua ſingulare ponitur pro plurali, conciliari poteſt: nam ita Lucas dixit: *Dic lapidi huic, vt panis fiat*, vbi Matthæus dixerat: *Dic vt lapides iſti panes fiant.*

Hebraiſmus. *Luc. 4. Matt. 4.*

V. cauillatio. *Hieron. to. 2.*

Obijciunt quintò Hieronymum ad Euagrium referētem, quòd ad refectionem panem dederit. Sed id ex ſententia Hebręorum fecit Hieronymus, nam ante illud dixerat: *Verùm & opinionem Hebræorum ponam, &c.* Ioſephus quoq; refert, Melchiſedec exhibuiſſe conuiuium Abrahæ & militibus. Verùm hoc non tollit vnitatē ſacrificij; neque illos fame verum eſt laboraſſe, aut exercitum Abrahæ indiguiſſe pane. Nam in textu dicitur, quinque Reges tuliſſe omnem ſubſtantiam & viros, & mulieres, & vniuerſa quæ ad cibum pertinēt, & abijſſe: & mox ſubditur, Abraham potitum victoria, reduxiſſe omnes viros, & ſubſtantiam; deinde Regi Sodomorum offerrenti bona, quæ per vim fuerant erepta, & ab eius exercitu reducta, dicentiq;: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: reſpondit cum iuramento ſe nihil accepturum, exceptis his, quæ comederunt iuuenes. Ad hæc ſi dedit decimas ipſi Melchiſedec ex omnibus quæ poſſidebat, ergo non egebat, aut mendicabat panē, & vinū. Quod etiam ex Ambroſio, Auguſtinoque producitur: quod Melchiſedec obtulit ei, nimirùm Abrahæ, panem & vinū: intellige ei, ad eius vtilitatem, vel pro eo, nam pro eo obtulit Melchiſedec. Vel, vt diximus, obtulit ei panē iam Deo oblatum. Poſtremò cauillantur, quòd Paulus, qui latè de Melchiſedec philoſophatur in epiſtola ad Hebr. maximè, c. 7. nunquam oblationis panis, & vini meminerit. Sed profectò infirmum eſt argumētum à negatiua depromptum, atq; illud Apoſtolū conſultò ſubticuiſſe, & ſubintelligi voluiſſe tāquam rem notiſſimam, & compertiſſimum credendum eſt. Liquidum enim erat, quod omnis Pontifex cōſtituitur ad offerēda munera, & ſacrificia; Vel fortaſſis Apoſtolus illud tacuit, quod non faceret ad ſuum inſtitutum, in quo ſermo erat de hoſtia cruēta in illa epiſtola, in quo non repræſentabat eum Melchiſedec. Habes igitur, Melchiſedec verè vt ſacerdotem Domini, obtuliſſe panem & vinum in ſacrificiū, ſacrificioq; ſuo præfiguraſſe Chriſti Sacerdotium, quo functus eſt in cœna, offerens in pane, & vino: vt egregiè docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. in cap. 1. doctrinæ.

Ioſeph. lib. 1. Antiq. c. 18. *Gen. 14.* *Ambr. in c. 7. ad Hebr. to. 5. Auguſt.* VI. cauillatio VII. cauillatio, ac poſtrema. *Hebr. 5. & 8.* *Concil. Trid.*

III locus, ab inſtitutione Euchariſtiæ, multiplici ratione ab textu deſumpta.

Tertius locus ſit ab inſtitutione Euchariſtiæ, in qua ea verba dicuntur, & illæ ceremoniæ obſeruantur, quæ plenè & apertè indicant, Euchariſtiam in ratione ſacrificij fuiſſe à Domino cōſtitutam. Nam cùm agni immolati cœnam abſoluiſſet, dicitur Dominus accepiſſe panem (ſic enim moris erat hoſtiā à Sacerdote accipi ad immolandum) & eleuatis oculis, quaſi Patri offerre vellet panē illum ſanctum, in quem, vt ait Ieremias, Iudæi iam miſerāt lignum, id eſt, decreuerāt mortem crucis dare. Quod clariùs Liturgia Græcorum tradit, dicens: *Accipiens panem in ſanctas, immaculatas, inculpabiles, & immortales manus ſuas, in cœlum ſuſpiciens, ac tibi Deo, & Patri oſtendens*, & reliq. Et in vtraque, tam Græca, quàm Latina Miſſa, ſubiungitur, *gratias agens*, id eſt, pro mundi redemptione obtenta, & Patre reconciliato, ſacrificium gratiarū actionis offerens benedixit, id eſt rem ſacram operatus eſt, & ita non prius obtulit, quā conſecrauit, ſed conſecrando obtulit ſe voluntate ſua pmactatum, & quaſi agonizantē, vt ait Rupertus, & venditum à Iuda, vt iam verę immolationis initium eſſet inchoatum. Deinde dixit: *Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum* (addit Lucas) *quod pro vobis datur*, vel pro vobis frangitur, vt habet Paulus, id eſt pro vobis offertur, vt interpretatur Auguſtinus. Et de ſanguine dicitur etiam à tribus Euāgeliſtis de præſenti, *Funditur*: non ſolùm q̄ ſtatim erat oblaturus in cruce, accipiendo præſens pro futuro; ſed etiam quia tunc ſe actu Patri obtulit in myſterium. Et q̄a dare, tradere, frangere, fundere, verba ſunt ad ſacrificia ſpectantia; colligimus, Chriſtum ſacrificium in cœna obtuliſſe. Nam ita hæc verba in Scripturis accipiuntur: vt cùm dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*, nimirùm in hoſtia pro nobis. Et rurſus: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, tradidit autem in victimam, & ſacrificium: ſic etiam Apoſtolus de Chriſto aſſerit; *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*. Vides igitur verbum Dandi, & Tradendi, ſpectare ad ſacrificium: nam quo modo ipſe ſe tradidit Patri pro nobis in cruce, & in cœna, ita Pater nobis illum tradidit; vt vna fuerit Patris & Filij tradentium voluntas. At quia ſanguis

Ierem. 11. *Græcorum, in Miſſa B. Iac.* *Rupert. Tuit.* II Ratio *Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11* *Auguſt. in li. Sent. Proſperi citato à Gratiano.* Expenditur de præſenti dictum; Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis funditur. *Marc 14.* Actus ſacrificiorum proprij. *Ioan 3.* Vt Filium nobis ſuum dederit Pater. *Rom 8.* *Epheſ. 5.*

Exod. 24. Matth. 26. olim confirmator, Testamenti Veteris erat immolatus; ita iste in illo figuratus, debuit esse immolatus. Hinc Theophylactus in illa verba: *Hic est sanguis meus; Sicut vetus,* inquit, *Testamentum immolationem habebat, & sanguinem, ita & Nouum Testamentum sanguinem habet, ac immolationem.* Sic ille. Tertiò probat, Dominum obtulisse: quia hic fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, cuius proprium est offerre in pane & vino, vt ille. Quartò, quia recumbens in cœna cum Apostolis suis, dixit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum:* vel enim dixit hoc de vero Pascha, id est, Eucharistia, de quo Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur.* Sic enim interpretantur Theophylactus in Lucam, & Tertullianus lib. 4. in Marcionem, & Thomas in 3. part. quæst. 81. art. 1. ad tertium. Nam Christus in cruce immolatus non editur, quemadmodum interpretatur Origenes tractatu 35. in Matthæum, Ambrosiusq; lib. 1. in Lucam, & Ecclesia in die Paschæ, quando populus communicat, illa verba Apostoli legit. Si ergo est Pascha, sacrificium est; quia est argumentatio ab specie ad genus affirmatiuè: si autē per Pascha non intelligitur Eucharistia, sed agnus, idem etiam deducitur: nam cùm ille agnus esset typus Christi sub Eucharistia delitescentis, si agnus ille erat immolatus; ne figura nobilior sit re figurata; debuit & Christus in Eucharistia exhiberi immolatus. Et confirmatur verbo Domini, dicentis apud Ioannem: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quem ego dabo pro mundi vita:* Ergo panis datus in cœna, continet carnem datam in cruce pro mundi vita, nimirùm in sacrificium: ergo vel nec in cœna, nec in cruce immolatum fuit, vel vtrobique, quia idem verbum dandi bis repetitur; vel etiamsi semel dicatur, dabo, in hunc modum: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* vt Latina habet lectio, necessario includit carnem Christi immolatam: vt etiam acutè sensit B. Thomas scribens in Ioannem. Nam Eucharistia quatenus est Sacramentum, soli sumenti prodest; at quatenus est sacrificiū, valet pro tota Ecclesia, ac pro mundi vita, ac proinde panis à Christo datus, & continens Christi carnem, necessariò fuit immolatus, & Patri oblatus. Quintò, cùm iota vnum, aut vnus apex à lege præterire nō debeat, quin impleatur; & Moyses iubeat, vt à decimaquarta luna ad Vesperam agnus immoletur, & veritas debeat figuræ respondere; oportebat Christū illa nocte seipsum offerre: atqui non illa nocte, sed die sequēti fuit cruci suffixus: ergo in cœna debuit se

Theophyl. in Matth. c. 26.

III. Ratio.

IV. Ratio. Luc. 22.

1. Cor. 5.

Theoph. in c. Luc. 22. Tertull. Thom. to. 12.

Orige. tom. 2. Ambr. tom. 5.

Ioan. 6.

B. Thom. in c. 6. Ioan. tom. 14.

V. Ratio. Matt. 5.

Exod. 12.

saltem offerre in mysterio Eucharistiæ, vt fecit: atq; ita Beda, Rupertus, & B. Thomas docent veritatem respondisse figuræ.

Sextò, dicit Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem;* quo verbo apertè indicauit rationem sacrificij: id est, Hactenus obtulistis agnum typicum & vmbratilem, nunc potestatem offerendi victimam non aufero, sed in digniorem & altiorem immolandi corpus meum, & sanguinē transfero. Vt igitur Christus consecrârat, & obtulerat, & alijs impertierat, ita Sacerdotes Noui Testamenti legem habent conficiendi, offerendi, atq; immolatum Christi corpus, & sanguinē dispensandi. Nam si Christus non obtulit, nos sacrificium offerentes plus quàm ipse fecit, faceremus. Et profectò non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum, vt præstantiorem faciat Eucharistiam. Si igitur Dominus sacrificium obtulit, & nos offerre possumus: quòd si ille non obtulit, nec nos valemus offerre, cùm tantùm nobis sit faciendum, quod ipse eadem nocte fecit; dixit enim: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hinc Leo Papa eleganter ait: *Vt vmbræ cederent corpori, & imagines sub præsentia veritatis: antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur.* Hęc ille. Hinc perpende, Christum illa eâdem nocte ter obtulisse: primò in figura pura; deinde in figura, & re ipsa; tertiò in re ipsa sola. Nam primò obtulit agnum paschalem, qui figura nuda erat. Deinde sub panis, & vini speciebus corpus & sanguinem suum, quod erat res ipsa, & figura ob species panis, & vini. Postremò se obtulit re ipsa ad mortem, cùm in locum, vbi comprehendendus erat, perrexit, & Patri per orationem se obtulit, & deinde hostibus vt immolaretur: quanquam victimę ipsius mors nonnisi sequenti die in Cruce fuerit subsecuta.

Septimò, Dominus inquit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vbi inprimis verbum faciendi non est arctandum ad oblationem tantùm, quia sic nihil diceretur de consecratione, vel de sumptione, dispensationeque Sacramenti; quæ tamē annuntiat mortem Domini, vt ait Apostolus; sed extendendum est ad illa omnia, quæ Christus fecerat in cœna. At Christus aliquid profanum, vel seculare non fecerat, sed rem sanctam, & sacram; ergo Dominus sacrificauerat. Nam verbum faciendi quod alter fecit, restringendum est ad illud idem, quod alter fecerit: qui si pingat, aut saltet, aut cātet, aut scribat, & dicat alteri: Fac hoc, quod

Beda tom. 5. Rupertus. B. Thom. VI Ratio. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Matth. 10. & Ioan. 13. & 15.

Luc 22. & 1. Cor 11. Leo Papa ser. 7. de pass. Domini.

Christus in cœna ter obtulit.

Exod. 12.

VII. Ratio.

1. Cor. 11.

Quibus tantum dictum sit, Hoc facite in meam commemorationem.

go fecit, restringitur ad picturam, vel saltationem, aut cantionem, vel scriptionem. Ita hoc loco ad sacrificium referendum est: nam Christus rem sacram fecit consecrando, & oculis eleuatis Patri offerendo hostiam, quam manibus tenebat. Proinde illa verba, *Hoc facite*, non pertinent ad singulos fideles, nisi quatenus pronomen, Hoc, refertur ad sumptionem ab Apostolis factã, aut quatenus sunt Ecclesiæ membra, quæ in Apostolis accepit, & in Sacerdotibus obtinet potestatem faciendi quod Christus fecit. Quare si probari posset, eiusmodi verba ad omnes fideles spectare, sensus esset, quòd deberent offerre Eucharistiam per eos tantùm, qui potestate offerẽdi fungerentur, id est per Sacerdotes. Quare filij Israël phase suum offerre debebant per Sacerdotes, maximè post acceptam legem, in qua Leuitici 17. habetur: Sacerdoti offerre debent filij Israël hostias suas quas occidũt in agro, vt sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi, & immolent eas hostias pacificas Domino. Sæpè tamẽ verbum Faciendi absolutè sumptum, pro verbo sacrificandi vsurpatur, & in Scripturis, & in profanis autoribus. Ait enim Apostolus, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; id est, hostiam piacularem pro peccato obtulit. Et Lucas inquit; *Vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo*; id est, offerrẽt in sacrificium, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et Dauid; *Offeram tibi boues cum hircis*. Ait etiam Moses in Leuitico; *Facietis & hircum pro peccato, duosq; agnos anniculos hostias pacificorum.* Libro quoq; Numerorum cap. 9. facere phase significat, sacrificare, & edere. Apud Latinos etiam autores eam vim interdum habet verbum Faciendi, vt cum Poëta dixit:

Faciendi verbum sæpe in Scripturis pro sacrificando sumitur, & apud exteros.

2. Cor. 5.

Luc. 2.

Leuit. 12.

Psal. 65.

Leuit. 23.

Virg. Eclo. 3.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito:

& alter Poëta de eo qui abstinuerat à congressu cum vxore, vt sacrificare posset, dixit:

Vt faceret purè, cùm foret orta dies.

Cicero.

Cicero etiam pro Murœna: *Nolite*, inquit, *à sacris patris Iunonis Sospitæ, cui omnes Consules facere necesse est, domesticum, & suum Consulem potissimum auellere.* Facere ergo simpliciter, est sacrificium offerre. Idem de verbo Operandi, siue ἐργάζεσθαι, obseruatum est, vt cum Apostolus ait; *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt?* Hinc quidam dixit;

1. Cor. 9.

Operari pro sacrificare, non raro vsurpatur.

Virgil. 1. Georgic.

Lætus operatus in herbis:

Et alius.

Iuuenal. Satyr. 12.

Et matutinis operatur festa lucernis.

Adeò vt Nonnus Marcellus asserat, operari, esse, rem sacram facere. Sunt & alia verba Græca, quę faciendi significatum includunt, & tamen ad sacrificandum extẽduntur. Nam δρᾶν, ῥέζειν, ἔρδειν, facere significant; & vsurpantur pro sacrificio operando, vt Athenæus de primo verbo scribit: de alijs duobus constat ex Homero,

Nonnus Marcellus.

Athenæus lib. 14.

Homerus.

Ἄλλος δ' ἄλλῳ ῥέζε θεῶν

Et.

Ἔρδομεν ἀθανάτοις τελήεσσας ἑκατόμβας.

Ad hæc dixit, *in meam commemorationem*, scilicet eius quod nunc facio, & in cruce faciam; at pręcipuum eorum quę in cruce fecit, fuit seipsum offerre in hostiam Deo Patri: præcipuum etiam in cœna fuit seipsum sacrificatũ pro speciebus panis & vini Deo prius oblatum Apostolis se tradere edendum: ergo si nos in commemorationem offerimus, igitur ipse quoque obtulit; ne nostri sacrificij oblatione commemoraremus quod ipse non fecit.

Præcipua Christi actio in cœna quæ nam fuerit.

Octauò, concors est Patrum veterum sententia, Dominum illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos ad Sacerdotium promouisse, ac potestatem Sacerdotalem illis tribuisse: quod etiã nuper Synodus Tridentina, anathemate percutiens aliter opinantes, definiuit. Et probatur: quia cõsueuit Dominus potestatem conferre alicuius rei, actum & exercitium potestatis præcipiendo: vt Petro, *Pasce oues meas*; & Apostolis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: item, *Eũtes docete omnes, baptizantes eos*, &c. Id est, Do potestatem pascẽdi, remittendi peccata, docẽdi, & baptizandi: ita hic dicendo; *Hoc facite*, significat, Do potestatem faciendi id ipsum quod ego facio. Cõstat autem Sacerdotem ad offerendum sacrificia, & dona pro peccato constitui, vt Apostolus docet; igitur illis verbis potestatem contulit offerendi sacrificium: ergo & ipse prius obtulerat, quia præcepit vt tantum facerent quod ipse fecerat. Et confirmatur hæc ratio: Quia si illis verbis illos constituisset Sacerdotes, constat illa verba æquipollere formæ, qua Episcopi creare Sacerdotes solent, quam Ecclesia Romana ex traditione Apostolorum accepit. Illa autem forma, hæc est: *Accipe potestatem offerẽdi sacrificium in Ecclesia Dei pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Cùm igitur hæc forma apertè trãdat potestatem offerendi sacrificium; ergo & illa verba, quæ Christus dixit, si æquipollent istis, continent non obscurè dari potestatem sacrificandi, atq; offerendi, qua ipse functus fuerat. Confirmatur quoq; ex Ecclesiæ Catholicæ inuiolabiliter obseruata consuetudine. Nunquam enim Episcopi

VIII. ratio.

Quibus verbis Christus Apostolos Sacerdotes creauit.

Synod. Trid. sess. 22. can. 2.

Quomodo Christus potestatem alicuius rei conferebat.

Ioan. 21.

Suprà 20.

Marc. vlt.

Machab. vlt.

Hebr. 5.

Manus Sacerdotis, secundum Apostolum.

Qua forma vti consueuerint Episcopi, cum Sacerdotes creant.

Episcopi quo tantum tempore sacerdotes consecrare soleant.

Dionys. li. De Eccl. hierarc. Clem. Lib. 8. Apost. consti. cap. vlt.

Leuit & sequen.

Act. 2.

scopi extra Missarum solennia, vel sine sacrificij incruenti oblatione, alios ad sacros etiam presbyteratus ordines promouere possunt: vt testantur veteres Patres, nimirum Dionysius lib. De Ecclesiast. hierarc. Clemens in constitutionibus Apostol. vbi habetur: *Post assumptionem Domini, nos oblato secundum eius ordinationem sacrificio puro, & incruento, constituimus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.* Quod etiam ex Veteri Testamento profectum videtur. Namque in Leuitico etiam vbi consecrantur Aaron, & filij eius, iubentur offerre vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum; quò intelligeremus consecrationi Sacerdotis coniunctum esse iure diuino præceptum offerendi; vt etiam in Actis Paulus, & Barnabas nō sine Liturgia ordinati sunt. Hæc autem cōstitutio à Christo ad nos promanauit, quā non solùm verbo, sed etiam facto in cœna Dominus docuit. Ne ergo in archetypo, & primo exemplari Christo hoc desideremus exemplum; dicendum est Christum Dominum, in cœna obtulisse, & inter offerendum Apostolos ad Sacerdotium promouisse.

Verba Domini Iesu nullū alium continent sensum, quam quem Spiritus sanctus per Ecclesiam manifestauit.

Nonò probatur efficacissimè: quia verba Domini Iesu non continent alium sensum, quàm illum, quē Spiritus sanctus per Ecclesiam declarauit, tanquàm literalem, & germanum. Cùm igitur illa Christi verba Ecclesia interpretata sit tanquam potestatem offerendi sacrificiū in Eucharistia, necessariò à posteriori sequitur Christum obtulisse. Quòd verò Ecclesia interpretata sit illa verba tanquam rationem sacrificij offerendi includētia; probatur ex eo, quòd cùm de more in Ecclesia Sacerdos sacrificarit, & Patri sacrificium obtulerit, populoq; spectandum exhibuerit, atq; adorandum, statim subiungit: *Hæc cum feceritis, in mei memoriam facietis.* Et statim sequitur in Sacro Canone: *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi Filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, &c. offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis, ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Canon prætereà Liturgiæ B. Iacobi Apostoli similia verba ferè habet: subiungit enim post prædicta verba: *Memores igitur & nos peccatores passionum eius viuificarum, crucis salutaris, at mortis, &c. offerimus tibi, Domine, hoc sacrificium verendum, & incruentum,* & reliqua. Non dissimilia habet Liturgia B. Chrysostomi, ait enim: *Memores igitur salutaris huius mādati, & omnium eorum, quæ pro nobis facta sunt, &c. tua ex tuis offerentes, per omnia in omnibus,* & quæ sequuntur.

Canonis verba.

Canon Liturgiæ B. Iacobi Apostoli.

Canon Liturgiæ B. Chrysost. in fine.

Ecclesiæ Africanæ Canonis verba.

Dionys. li. De Eccl. hierarc. c. 3. par. 3 circa med. & fin. Luc. 22 & 1. Cor. 11.

Ecclesia Mediolanens.

Ecclesia quoque Africana, vt testis est Cyprianus, ita habet: *Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit?* &c. Dionysius libro de Ecclesiast. hierarch. *Quocirca,* inquit, *reuerenter simul, & ex Pontificali officio, post sacras diuinorum operum laudes, de sacrificio quod ipsius dignitatem superat se excusat ad ipsum primo decenter exclamans, tu dixisti; Hoc facite in meam commemorationem,* & reliqua. Subiungamus & his Ecclesiam Mediolanensem, quæ in peculiari officio, quod B. Ambrosius edidit, habet in Canone Missæ de Christo: *Qui sacrificij perennis formam instituens, primus omnium hostiam Deo obtulit, & primus illam docuit offerri.* Addimus postremò Ecclesiam Æthiopicam, cuius ritum in celebrando mysterio Missæ nuper editum in lucem vidimus: qui post illa verba; *Hoc facite in meam commemorationem,* subdit: *Nunc autem recordamur mortis tuæ, & resurrectionis tuæ; tibiq; gratias agimus, quod per hoc sacrificium dignos nos fecisti standi in conspectu tuo.* Adhæc producimus & aliud testimonium ex libro Constitutionum Clementis Romani, vbi habet: *Primus igitur natura Pontifex est vnigenitus Christus, qui non sibi honorem arripuit, sed constitutus à Patre; qui propter nos factus homo, & spirituale sacrificium offerens Deo, & Patri suo, ante passionem nobis solis præcepit hoc facere.* Adhæc Irenæus Lugdunensis scribens, aduersus Valentinianos, sic habet: *Sed & suis discipulis dans consilium, primitiás Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & Noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo.* Hæc ille. Aut igitur Ecclesia Catholica nunquam Christi verba intellexit, aut reuera Christus obtulit.

Ecclesia Æthiopica.

Clem. Rom. lib. 8. Constit. cap. vlt. Hebr. 5.

B. Iren. lib. 4. cap. 32. prope fin.

Frugum primitiæ cur Deo debeantur.

Matth. 26.

Nec obstat glossa Buceri, & aliorum hæreticorum exponentium: *Hoc facite,* id est. Manducate, & bibite, in mei memoriam. Falsa enim inuenitur, si ad hoc solū restringatur: qui enim possemus edere, & bibere, nisi priùs fieret Eucharistia? alioqui panem purum, & communem edissemus. Deinde satis supra hoc explicauerat, dicendo: *Accipite, & comedite: Accipite, & bibite.* Adhæc comedere, & bibere, non est propriè facere, sed potius est pati: nec. n. propriè id quod manducamus, & bibimus, facimus. Prætereà Christus, teste Paulo, distinxit inter facere, & bibere, cum dixit post calicem: *Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in meam commemo-*

Buceri, aliorumq; hæreticorum huius loci interpretatio refellitur.

Ibid.

1. Cor. 11.

rationem

rationem. Sic etiam poterat distinguere inter facere, & edere, ac dicere; Hoc facite quotiescunq; manducabitis: quia verò Dominus per verbum, *Facite*, præcipere volebat vt conficerent, & offerrent, sumerent, dispensarentq;, consultò abstinuit à verbo specifico offerendi, vel consecrādi, vel sumendi, distribuendive, vsusq; est verbo generali vniuersas species illas sub se complectente. Si igitur oblatio Christi in cœna cōsideretur vt res nudi facti, cùm rem ipsam non viderimus, per testes debet congnosci. Sunt aūt plurimi, & doctissimi, & sanctissimi viri, ac proinde volentes quenquam decipere, qui dicunt eum obtulisse, & tempori Christi ni vicini, vel illis, qui proximi extiterūt, continuati, qui propterea rem scire potuerunt: qui verò pertinaciter negant, pauci sunt, & improbi hæretici recentes, & ab antiquis recedentes, in alijs dogmatibus falsi, & fallentes: ergo potius prioribus est credendum.

Rationibus eadem veritas sancitur.

Idem etiam factum vt iuri coniunctum probant, quæ ex Scripturis produximus, & rationes etiam; quarum prima sit: Christus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, ergo vel obtulit in pane, & vino, vel malè functus est Sacerdotio, non vtens talento suo, & tenens illud absconditū; nam potentia est propter actum, vt arbor propter fructū. Secunda, quia summi Doctoris, & pastoris est, exemplo, oratione, verbo, & sacrificio pascere, sed Christus præfuit exēplo, sanctè operans; præfuit verbo, rectè docens, præfuit & in oratione, Patrem coram Apostolis precatus; ergo etiam in sacrificādo; præsertim quia ceremoniæ melius exēplo docentur, vt pueri ambulationem, adolescentes saltationem & digladiandi artem, & Missa dicitur à nouo Sacerdote ab exemplo alterius facto docētis potius quàm verbo; & Episcopus dum promouet ad Sacerdotium, sacrificare, & offerre, suo exemplo nouos docet Sacerdotes. Tertia: Eucharistia discipulorum, id est, Apostolorum, & nunc nostrorum Sacerdotum, sacrificiū est Deo oblatum, ergo & illa Christi, vel Apostoli, & nos sumus supra magistrum, & supra Dominum. Quarta: Dei perfecta sunt opera; & perfectiora, quæ per seipsum, quàm quæ per alios edit, vt testatur corpus Adæ à Deo per se conditum, & corpus Christi, & vinū in Cana Galilęæ, & panis multiplicatus in deserto, & sanitas signo ægrotantibus concessa, ergo & communio Apostolorum per Christum facta, præstantior quam nostra fuit: ergo de immolato ederunt Apostoli, vt nos, vel imperfectior fuit eorum communio, vtpote non de mensa, id est, altari Domini, sed potius de mensa communi. Quinta: Eucharistia figurata fuit per Sacrificium Leuiticum agni, quod illi cessit, & cessauit in cœna: ergo vel Christus illa nocte obtulit, vt dicunt Patres, vel fuit hiatus quidam sine cōtinuatione sacrificij, & mūdus aliquo tempore extitit sine sacrificio, id est, à cœna ad tempus, quo Apostoli post Pentecosten Eucharistiam offerre cœperunt; & sic antequam veniret lux, cessassent tenebræ; cùm tamen, vt Ecclesia canit:

Secunda.

Summi Doctores ac pastoris partes quæ sint.

Tertia.

Matt. 10. & al. bi. IV. ratio.

Gen. 2. Ioan 3. Matt 14. Esa 15. Ioan 6.

Quinta.

Vetustatem nouitas,
Vmbram fuget veritas,
Noctem lux eliminet.

Quòd autem sanctissimæ Eucharistiæ cesserit Leuiticum sacrificium, ac proinde vetus Sacerdotium, docent ex Græcis quidem Chrysostom. hom. 27. in epistolam ad Hebræos, & homil. 55. in Matth. Theodoritus in cap. 8. epist. ad Heb. Damasc. l. 4. c. 14. Ex Latinis verò Aug. l. 17. De ciuit. c. 20. Leo Pontifex serm. 17. De passi. Domini, in quo disserit, cur Christus mori voluerit in festo Paschæ. Relinquimus igitur comprobatū, illa nocte sub speciebus panis & vini in ratione veri sacrificij, & obtulisse Patri, & nobis offerendum mandasse, Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu sancto, ab vniuersa creatura ratione vtente laudatur, atq; benedicitur in sempiternis seculis. Amen.

Sanctissimæ Eucharistiæ Leuiticum cessit sacrificium.

Chrysost. ho. 27. & 52. in Matth. to. 4. Theodor to 2 Damasc. August. Leo.

TRACTATVS XXVII.

In quo agitur de veritate sacrificij noui Testamenti, & de nominibus Missæ, & Liturgiæ, & Eucharistiæ.

QVANQVAM superior tractatus paulò longior prodierit, in eo tamen non nisi tres locos, duos ex veteri Testamento, vnum ex Nouo, ad veritatem sacrificij Noui Testamenti asserendam produximus: in præsenti nonnullos alios excutiemus, rationesq; ad firmādam fidem huius sacrificij adducemus, cauillasq; hæreticorū confutabimus. Quartus igitur locus desumitur ex doctrina Pauli, qui corpus, & sanguinē Domini inter Deo immolata recenset; meminit & altaris, & noui Sacerdotij, & operationis sacræ, quæ fit à Sacerdotibus in celebrando; vt sponte cæcus sit, qui ad tātum lumen Apostolicum cæcutiat. Paulus enim in primis in priori ad Corinthios in hunc modum scribit: *Videte Israel secundū carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod idolu immolatū sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant* Gen-

IV. locus à doctrina Pauli Apostoli.

1. Cor. 10.

Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Quia non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: nō potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Vbi in primis panem, & calicem recenset inter ea, quæ immolata sunt Domino; & arguit quòd panis est participatio Corporis Christi in Nouo Testamento: sicut in Veteri qui edunt hostias, participes sunt altaris, & qui idolothyta manducat, fit socius dæmoniorum. Panem igitur quem frangimus, & poculum benedictionis connumerat cum victimis Israelis, & cum his, quæ immolantur dæmonijs, & mensam Domini connumerat cum altari Israelis, & mensa dæmoniorum, & edentes de mensa Domini, ac de poculo illius bibentes, recenset cum edentibus victimas de altari Israel, atq; cum edentibus immolata dæmonijs: ex quo infert, quod non possunt participes esse immolatorum Deo, & dæmonijs. Nisi ergo sermo esset de pane, & calice Christi, argumentatio Pauli rueret, quę est hęc: quod sicut qui iuxta legem edebant victimas immolatas, consortium inibant cum illis, quibus immolabantur; ita cùm tales victimæ vel Deo, vel dæmoni offerantur, & non possit quis simul esse consors Dei, & dæmonum, ita nec simul edere immolata Deo, vel dæmoni. Atque ita explicat Augustinus, atq; Concilium Toletanum XII.

Quis fiat socius dęmoniorū secūdum Apostolum.

Aug. l. 1 in adver. leg. & Prophet. c. 19. tom. 9. Concil. Tolet. XII c. 5.

Obiectio Lutheri diluitur.

Nec bene elabitur Lutherus, cùm asserit Paulum dixisse, mensæ Domini, & non altaris Domini. Sed certè Hebræi Schulcam, id est, mensam, capiunt pro altari, in quo Dominus, tanquam in mensa per ignem edit. Hinc per Malachiam cùm dixisset; *Offertis super altare meum panem pollutum*, subiungit; *Et dicitis, In quo polluimus te? In eo quod dicitis, Mensa Domini despecta est*: Idem ergo est mensa, & altare. Hinc Esaias: *Væ*, inquit, *qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam*: Vbi mensa pro altari accipienda est: sicut Salomon in Prouerbijs accipere videtur, cū ait: *Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam*: vbi mensa victimis respondens altare est. Præter sacrificium, habemus etiā altare Noui Testamenti, de quo Apostolus; *Optimū est gratia* (scilicet Eucharistia) *stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare: de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiūt.* Vbi pondera verbum, *Habemus*: quia loquitur de Christiano altari, quod Hebraicè Mizbeach, Græcè θυσιαστήριον, quod etiam Gregorius Nazianzenus in Epitaphio sui patris vocat εὐχαριστήριον, à sacrificio gratiarum actionis, quod in eo celebratur: de hoc non habent facultatem edendi, qui tabernaculo deseruiunt, id est, Iudæi, vel Iudaizātes Sacerdotes, qui vmbris legis vacant. Et illo verbo, *Habemus*, inquit, tale altare esse peruium, & accessibile Christianis, vt edere possint: nemo autem vnquam dixit, comedere laudes, orationesve, nec altare lapideū, ligneumve, vel æreum ad offerēdas preces, & laudes erigi, & ad hoc altare non prohibentur accedere Iudæi. Nec loquitur de altari crucis, in quo Christus hostia fuit, secundùm aduersarios. Nam illud altare nec Christiani quidem habent, vt ex eo edant, nedum Iudæi. Non enim Christus sub propria specie se edendum præbuit. Loquitur ergo de altari aliquo peculiari, ad quod soli Christiani, non autem Iudæi possunt accedere, & hoc est Eucharistia.

Schulca Hebræis quid

Mensam pro altari sępe vsurpat Scriptura.

Mal. 1.

Esai. 65.

Prou. 9.

Heb. 13.

Expenditur dictum Pauli Habemus altare; de quo edere, &c.

Georg. Naz.

Duo falsi sensus reijciuntur huius sententiæ.

Et sequitur apud Paulum: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem; horum corpora cremantur extra castra.* Alludit enim Paulus ad victimā dici expiationis, de qua Iudæi non edebant: ita modò Iudæi de nostra victima, hoc est, Christo extra portam passo, & immolato, & in mensa altaris fidelibus ad edendum proposito non edunt. Hinc rectè exhortatur ad exeundum de castris Iudaicis, videlicet nos, qui mortem Christi hoc mysterio repręsentamus, sicut olim typicis illis sacrificijs erat adumbrata. Quare rectè subiungit: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructuum labiorum confitentium nomini eius.* Quod mirificè conuenit Missæ sacrificio, quod nullus Sacerdos, sine pura prece & laude, & inuocatione diuini nominis vnquam obtulit, nec quisquam cum fructu percipit, nisi qui precibus & præparatione præmissis ad illud accedit. Atque in hunc modū ex Græcis interpretantur hūc locum Theodoritus, Oecumenius, Theophylactus: ex Latinis, Sedulius, & Anselm[9]. Vanum est igitur quod Hæretici objiciunt Paulum dixisse, altare, non sacrificium: quia sæpè continens ponitur pro contento, vt illud; *Calicem quidem meum bibetis*; Et, *Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo.*

Quid illud: Quorum enim animalium infertur sanguis, pro peccato in Sancta, &c. *Ibidem.*

Leuit. 6. & 16.

De quib. castris exire debemus, secundùm Apostolum.

Ose. 14.

Sacrosanctū Missæ sacrificium quomodò offerendū eodē autore

Theod. part. 2. Oecum. Theophyl. Sedulius. Anselm in ep. ad Heb. c. 13. tom. 11.

Matth. 20. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Præter sacrificium, & altare, habemus Sacerdotium Nouum. Ait enim Apostolus ad Hebræos: *Translato enim Sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat.* Nimirum quia lex, & Sacerdotium simul sunt initiata; ideo qui vnū tollit, vel ponit, alterum similiter tollit, vel ponit; Et quia Sacerdotiū maiorem connexionem habet cum sacrificio, quam cum lege, quia Sacerdotium ad sacrificium offerendum instruitur, & sacrificium nonnisi à legitimo Sacerdote offerri

Heb. 7.

De Sacerdotio nouo.

Quomodo accipiendum sit dictū Apostoli: Translato enim Sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat.

ferri valet. Sicut igitur Paulus ait, translato Sacerdotio, non extincto, aut consumpto, vt putant hæretici, translata quoq; lex est, ita translato Sacerdotio, proculdubio transfertur & sacrificium. Cùm igitur Vetus Sacerdotium externum esset, & ad offerenda externa sacrificia institutum; nec propriè sit translatum in spirituale Sacerdotium, quod omnibus in lege scripta imò etiam in lege Naturæ commune erat ad offerendas hostias spirituales laudis, & precum, & similium: ergo translatum est in externum sacrificium Eucharistiæ, ad quod solū offerendum instituuntur Sacerdotes. Nam ad reliqua omnia offerenda, præter Eucharistiam, ita apti sunt laici, sicut Sacerdotes: & sicut Sacerdotium est translatum, ita & sacrificia illa externa in sacrificium sensibile Eucharistiæ, quod solum implet figuras, & Prophetias omnes legis, & quod vnum illi successit.

Quale Sacerdotiū vetus.

Quod Christus non sit Sacerdos in cruce secundum ordinē Melchisedec, vt Lutherus somniauit. *Psal. 109.* I ratio.

Neque valet, quod obijcit Lutherus, Christum in cruce esse externum; & internum Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedec. Contra quod est in primis: quod vt demus esse nostrum Sacerdotem, & sacrificium, non tamen sacrificium, quod solum propriè ad Nouum Testamentum spectet: quia Christus in cruce est hostia omnium seculorum, & agnus occisus ab origine mundi; & qui ante secula operatus est salutem in medio terræ; & qui ab omnibus per spiritualem fidei oblationem offerri potest & olim, & modo: maximè cum post eius oblationem in cruce cœperit lux noua, & populus in die Pentecostes. Deinde quēadmodum agnus in die Paschæ quotannis immolatus, non tollebat iuge sacrificium, quod mane, & vespere fiebat ex agnis, vt præcipitur in Exodo, ergo nec Christus cruentè oblatus in cruce, tollit iuge incruentum, & quotidianum Missæ sacrificium. Adhęc vt Christus immolatus ab origine mundi, non sustulit sacrificia externa legis vel Naturæ, vel Moysi, sed potius illis vim, atque efficaciam contulit; vt propterea Deus dicatur ea adorari vt suauia, quod repræsentarent Christi sacrificium cruentum; ergo nec aufert externum, & sensibile Noui Testamenti sacrificium, quod sensibilis quædam est repræsentatio cruentæ illius Christi oblationis. Quartò, deterioris esset conditionis Nouum Testamentum, quàm Vetus fuerit, vel lex naturæ, in quibus per sacrificia externa poterant Christi mortem, & passionem repræsentare; quod nos modo oblato Missæ sacrificio præstare non possumus; priuatique essent homines, Noui Testamenti dignitate & excellentia

Apocal. 13. *Psal. 73.* *Act. 2. & seq.* II. Ratio. *Exod. 29.* III. Ratio. IV. Ratio.

externa sacrificia offerendi, quam in lege Naturæ, & Moysi constat homines habuisse; ac proinde nostri Sacerdotes fictitij essent, & magis vmbratiles, quàm Leuitici. Nec obstat, si dicas, quod id est sacrificare in spiritu & virtute hostias spirituales. Nam etiam illi Patres hoc potuerunt præstare, & præstiterunt. Quintò, verum non est, Christum esse Sacerdotem in cruce, secundum ordinem Melchisedec, sed proprius accedit ad sacrificium Aaron; cuius victimę erant cruentæ, sicut Melchisedec incruentæ in pane, & vino. Sexto. si Christus in cruce solus est Sacerdos Noui Testamenti, nec est aliud sacrificium, vel Sacerdotium externum; quomodo Esaias in fine suæ Prophetiæ prædicit futuros nouos Sacerdotes, & Leuitas? Sacerdotes etiam veteres non figurassent, aut frustra figurassent Sacerdotes nouos, si nulli extarent; cum Sacerdotes nostri nihil possint offerre, præter Eucharistiam: quòd Sacerdotes alij non valeant? Quomodo etiam Paulus docet ad Titum; *Constituas per ciuitates Presbyteros*, & Lucas in Actis ait, quòd Paulus, & Barnabas constituebant per ciuitates seu Ecclesias, Præsbyteros. Et ad Timotheum; *Noli negligere gratiam, quæ in te est: quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij*, siue Sacerdotij, vt vertit Erasmus. Et rursus, *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*. Et, *Manus citò nemini imposueris*. Et Petrus in priori epistola; *Seniores* (siue Præsbyteros, vt habet litera Græca) *qui in vobis sunt obsecro, consenior* (seu compresbyter) *& testis Christi passionum*. Et Ioannes in secunda sua Canonica Epistola se seniorem, vel Presbyterum vocat. Quod verò Presbyter idem sit quod Sacerdos, & vsus loquendi, & Patres docent, & Scriptura nō siluit, quia Petrum, & Ioannem Presbyteros vocat, & Iacobus, ad ægrotum venire Presbyteros Ecclesiæ, qui vngant eum, & orent pro eo, hortatur. Illos autem Presbyteros esse Sacerdotes, definiuit Synodus Tridentina, & docet experientia: quia illius Sacramenti nonnisi Sacerdotes sunt ministri. Et in Actis, quos prius vocauerat Presbyteros, mox Paulus vocat eos Episcopos ad regendam Dei Ecclesiam positos. Constat autem Episcopum esse non posse quenquam sine Sacerdotio, cum sit Episcopatus aut ordo Presbyteratu superior, aut saltem gradus, qui superat Sacerdotem. Consultò autem Spiritus sanctus abstinuit à nomine Sacerdotis, & Presbyteri vocem indidit; ad discrimen assignandum inter veteres & nouos Sacerdotes; vt rem nouam nouo nomine indicaret. Si ergo in Nouo Testamento

Futilis obiectio. V. Ratio. VI. Ratio. *Esai. 66.* *Tit. 1.* *Act. 14.* *1. Tim. 4.* *Erasmus.* *1 Tim. 5.* *Ibidem.* *1. Petr. 5.* *Ioan. 2.* Presbyterum à Sacerdote minimè differre, multis ostenditur. *Iacobi 5.* *Synod. Tride.* *1. Tim 5.* *Act. 20.* Cur in Nouo Testamento Presbyteri potius quā Sacerdotis vox à Spiritu sit vsurpata.

mento Sacerdotes sunt peculiares, atq; externi, necessariò debent sacrificare atq; offerre: quia vt Apostolus habet ad Hebræ. *Omnis Pōtifex* (siue primus Sacerdos, qui Grecè dicitur ἀρχιερεύς) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deū, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Dixit autem, *Omnis*; vt complecteretur rationem Sacerdotii, siue legis Naturæ, siue Moysi, siue Euangelicæ. Opus est igitur præter sacrificium cruentum Christi in cruce, alio sensibili sacrificio, & communi, & instituto à Deo; ac proinde nobilissimo, quod à quibusdam tantùm ministris in Ecclesia offerendum sit. Sensibili quidem, quia Deus, cui offertur per incarnationem, sensibilis est factus, sicut offerens, & illi, pro quibus offertur, sensu præditi sunt; conueniensque proinde viæ nostræ, & cognoscendi modo, qui à sensibus proficiscitur. Quadrat etiam Sacramentis Noui Testamenti; quæ & ipsa sensibilia sunt, atque externa, quo nos magis excitare valeant, & instruere. Debet etiam esse commune sacrificium vltra priuata cuiusuis volentis offerre, vt populus per illud maiori vnitatis vinculo coniungatur, minusque oneret vnum sacrificium quam facerent plura priuata sacrificia. Debet præterea esse à Deo institutum, & præceptum; vt sciamus illud Deo placere, gratumq; existere, ne de nostra dicat, quod de veteribus per Ieremiam dixit; *Non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens; Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus.* Quia de nostro nouo dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Debet etiam esse nobilissimum, ita vt populo perfecto, & legislatori Deo, & homini conueniat, ac proinde debet continere ipsum Christum in cruce oblatum, & ideò debet esse virtute Chatah Schelamin, & Holah, hoc est sacrificium pro peccato, sacrificium pacificum, siue gratiarum actionis, & sacrificium holocausti. Postremò debet à certis, & peculiaribus ministris offerri; quod ad eius maiestatem, & sanctitatem declarandam spectat.

Hebr. 5. Infra 8. Ἀρχιερεύς. Grecè quid.

Eucharistico in sacrificio quæ requiruntur.

Ierem. 7.

Exod. 14. Psalm. 113.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Vltra sacrificium, altare, atque ministros eius, legimus in Nouo Testamento operationem sacram, qua hostia conficitur. Nam in Actis Apostolicis, vbi legimus: *Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus; Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*: loco illius verbi Ministrantibus, Græcè legitur λειτουργούντων, id est, sacrificantibus, seu publico munere in sacris deseruientibus, nimirum in sacro Missæ officio: sicut nunc post orationes & ieiunia, & Missam, ordinantur qui ad ministerium sacrum Eucharistię promouentur. Esse ergo sermonem de Missæ sacrificio, ostendunt multa. Primo loco, quòd λειτουργία apud Græcos, idem sit prorsus, quod apud Latinos Missa: Hinc Iacobus, Basilius, Chrysostomus atque alij, qui rem diuinam tractârunt, Missam suam liturgiæ vocabulo expresserunt. Accedit Suidas, qui vocem hanc interpretatur: λειτουργία ἡ δημοσία ὑπηρεσία, id est, publicum ministerium. Et paulò antè; λειτουργικὴ κυρίως μὲν ἡ ἱερατικὴ καταχρηστικῶς δὲ ἡ δουλική. Hoc est, Propriè est ministerium in sacris, impropriè autem ministerium seruile. Dicitur verò, nō à λιτή, id est, prece, quam offerimus, sed à λειτά, quæ significat publica bona: inde λειτουργεῖν, quod est, publica bona tractare. Et dicta vox λειτά, vt testatur Etymologicon Græcum, descendit à λήϊτον, & ἔργον, η, in ι, per Systolen mutato, tum, ε, & ι, in ει diphthongū coeuntibus. Accedit tertiò, vt hæc vox pro sacrificij, ac Sacerdotij negotio accipiatur: quia idem Lucas initio Euangelij de Zacharia agens, dixit; *Vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.* Vbi legitur λειτουργίας pro officio, siue ministerio Sacerdotali, quod vtique in re diuina facienda consistebat. Agnouit præterea Paulus vim huius vocis in epistola ad Hebræos: nam cùm ait: *Nunc melius sortitus est ministerium*; Et infra. *Omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit*: Vbi vox ministerij λειτουργία dicitur, cùm sermo sit de sacrificijs. Deinde subiungit: *Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans*: Vbi Græcè καθ' ἡμέραν λειτουργῶν, id est, quotidie sacrificans, & in sacrificio offerendo ministrans. Quartò respondet hęc vox liturgiæ, quę significat ministeriū in sacris, verbo Hebręo Kihen; quod nihil est aliud, quā publicè ministrare in sacris, vnde Kohen Sacerdos, vel ministrās in sacris, nullū aūt magis publicū ministeriū, quā illud quod impēditur sacrificio, quod cōmune est, & pro ōnib. Et quadrat vox ministerij, quia Christus est qui propriè offert, & sacrificat. Sacerdos autem potius est minister: vnde & in Nouo Testamento non Sacerdotes, sed ministri vocantur. Quintò, rectè dicitur, *Sacrificātibus* (seu ministrantibus in sacris) *illis Domino*: sic enim à vi veritatis, & verbi proprietate Oecolampadius, & Pelicanus, & Erasmus verterunt: nā duo priores interpretātur, quòd dispēsabant Dominicā cœnā, seu panē Domini-

Operatio sacra in Euangelio. Act. 13.

Illud Act. 13. Ministrātib' illis Domino &c de Missæ sacrificio esse accipiendum tantūmodo, multis ostenditur.

Λειτουργία Græcè. Latinè Missa, nil differunt. Suidas.

II. argum. Liturgia quid sit, & vnde dicatur. Λειτουργεῖν. quid Græcè.

III. argum.

Luc. 1.

Hebr. 8. Infr. 9.

IV. argum.

Kihen Hebræis quid.

Sacrificet propriè quis Christus, an Sacerdos in Veteri Testamento sacrificantes, nō Sacerdotes, sed ministri dicebātur.

V. argum. Oecolamp. Pelican. Erasmus.

Zuinglij, Erasmi, & Caietani prędictū locum ad Euangelicā doctrinam trahentium interpretatio refellitur.
Caietanus.
Zuinglius.
Act. 13.

minicū; Erasmus verò cū interpretatur, sacrificantibus, declarat; Nullū gratius ministerium, quàm impertiri doctrinam Euangelicam. Atq; hunc sensum de prędicatione, secutus est Caietanus, & ante eum Zuinglius: quia præcedit in Luca, *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores.* Contra quem sensum est: quia dicitur in dandi casu, *Ministrantibus illis Domino.* Ergo de aliqua actione immediata ad Deum est sermo: prædicatio autem immediatè fit ad populum. Deinde quid commercij habet docendi officium in ieiunio, & oratione cum Apostolis, quod passim administrabant? Rursus quid prædicationi cum impositione manuum, quæ ad ordinandos Episcopos, & Sacerdotes fiebat: quæ magis missæ sacrificio, quam prędicatione peragi solet in Ecclesia? Rursus nō obstat quod quidam interpretantur de sacrificio spirituali precum, diuinæ laudis, & inuocatione nominis eius: quia nomen Liturgiæ in Scripturis illa non significat, & quia satis dicitur, ieiunantes, & orantes, scilicet dum ministrarent Domino. Ergo distinctæ erant preces à ministerio. Adhæc sacrificia spiritualia orationis & ieiunij nunquam non faciebant Apostoli. Denique in Missa sunt orationes, laudes, inuocatio diuini nominis, & similia: superest igitur, vt necessariò intelligi, & exponi debeat de ministerio in sacrificio Missæ impenso, sine quo in Ecclesia Dei ordinationes, aut promotiones ad Ordines sacros non fiunt: ita vt ordinati sint Paulus & Barnabas in Missarum solennijs, vt habet consuetudo Ecclesiæ, & Traditio Apostolica. Habet enim Dionysius in Ecclesiastica hierarchia: Neq; enim fermè fas est Sacerdotalis muneris mysterium aliquod peragi, nisi diuinum illud Eucharistiæ, augustissimumque Sacramentum compleat. Et Clemens supra citatus. *Post assumptionem ipsius,* nempe Christi, *nos oblato secundum eius ordinationem sacrificio puro, & incruento, constituimus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos numero septem.* Quadrat quod dicitur de ieiunio, quia in Quatuor anni Temporib. præmittitur ieiunium, ad ieiunium ministros Ecclesiæ ordinandos: quadrat ieiunium ante Missam; vt intelligas quod & post cœnam celebrarent Missæ sacrificium, vt institutio Domini in cœna, & Ecclesiæ Corinthiorum consuetudo demonstrat. Postea tamen aliter videtur esse constitutum, vt videlicet non nisi ieiuni homines ad celebrandum sacrificium, vel ad perceptionem Sacramenti accederent: quod solum ex hoc loco videtur deduci. Conuenit & hoc quod Gregorius scribit ad Episcopum Syracusanum, & Isidorus li. de officijs, nimirum Petrum Antiochiæ instituisse ordinem Missæ. Et lib. 8. Constit. Apost. refert Clemens, Euodium ordinatum à Petro in Episcopum Antiochenum, & postea Ignatium à B. Paulo. Certè Leo Pontifex locū hunc de ordinatione Episcoporū intelligit, & interpretatur. Adhæc Roffen. l. de Sacer. in Lutherum, & Ioan. Faber Episc. Viennēsis, & nonnulli alij ex recentioribus locum hunc de ordinatione Pauli, & Barnabę, quibus præmissum fuit Missæ sacrificium, interpretatur. In quo præter corporis, & sanguinis Christi sacrificium, est in eo sacrificium contriti, & humiliati cordis, in confessioneq; præmittitur; laudis, & gratiarum actionis sacrificium in cantionibus, psalmisq; Fidei sacrificium in Euangelij prędicatione, & auditione eius; Panis, & vini oblatio ante transubstantiationem, qua testamur temporaria bona per Christum nos à Deo percipere; adhæc sacrificium panis, & concordię in osculo pacis; & sumptione Sacramēti; Deniq; offeremus corpora nostra, & corda Deo in hoc ministerio; & nos vt Christi membra Patri cœlesti per Christū, & ministrum Sacerdotem offerimur: vt in tanta sacrificiorum multitudine, quæ cum Missa coniuncta sunt, rectè dictū sit à Luca, Sacrificantibus autem illis Domino. Et hactenus ex Scripturis dictum.

Alter sensus eiusdem sententiæ: Ministrantib' autem illis Domino, &c. ineptus reijcitur.

Ordinatiões, seu promotiones in Ecclesia quo ritu & ceremonia celebrantur.

Dion. de Eccl. hier. pa. c. 3.

Clē. l. 8. const. Apost. c. vlt.

Quę faueant huic sententiæ de Missæ sacrificio.

1 Cor. 11.

Noua Ecclesiæ cōstitutio à Sacerdotib. & laicis communicantib' obseruanda.

Greg. l. 7. Reg. ep. 63. 10. 2. Isi. li. 1. off. c. 15.

Ordinē Missę vbi Petrus instituerit.

Clē. l. 8. const.

Leo ep. 79.

B. Roffen.

Faber Stapul.

Missæ sacrificij variæ oblationes.

Eadem veritas sacrificij incruenti à Traditione Apostolica, Concilijs generalibus, Pontificum Romanorum decretis, atque veterum Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum testimonijs cumulatissimè ac plenissimè probari posset. Sed quia multa folia impleremus, & actū agere videremur; non existimauimus in re tam manifesta & conspicua operæpretium esse illa citare. tātum quædam breuiter perstringemus. Vt enim in sacris literis, pluribus nominibus gaudet hoc sacrificium, ita multis, & significantibus vocibus apud veteres Patres exprimitur. Dicitur enim à Dauide, sacrificium iustitiæ, vt multi Patres interpretātur. Dicitur sacrificium laudis, in quo est salutare Dei videndum; de quo Dauid. Vocatur sacrificium panis, vel buccella frumenti à Paraphraste Chaldæo, & Hebræa veritate, Psalm. 71. Dicitur iuge sacrificium à Daniele. Oblatio munda à Malachia; sacrificium Iuda, & Ierusalem. Vitulus saginatus, qui immolatur, iuxta Græcam literam apud Lucam. Munus offerendum ad altare, apud Matthæum, nam in Euangelio non est vllum præceptum seruiens Veteri legi, vt docet Irenæus. Pascha nostrum, velut Apostolus vocat; Mensa Domini, ab eo-

Missę sacrificij, quib' passim insigni tur, & decoratur in Scripturis sanctis, & Patrib. variæ appellationes

Psalm. 4.
Esai. 49.
Chald. Paraph.
Dan. 8. & 12.
Mal. 1.
Infra 3.
Luc. 15.
Matth. 5.
Iren. l. 4. c. 34.
1. Cor. 5.
Infrà 10.

Hebr. 13.
Act 2.
Infrà 13.

dem; Altare, de quo nō poteſt edere Iudę. Fractio panis, à Luca in Actibus; Liturgia, ab eodem. Quis ergò tantæ nubi teſtium refragari queat? aut quis tantæ teſtimoniorum luci valeat obſiſtere?

B. Andreas Apoſtolus.

Sed veniamus ad Patres. B. Andreas Apoſtolus vocabat agnum: *Ego, inquit, quotidie offero agnum Deo; qui cum manducatus fuerit, integer perſeuerat.* Quibus verbis indicat Andreas, ſe quotidie Miſſæ ſacrificium obtuliſſe. Concilium Nicenum vocat agnum, qui tollit peccata mundi: vt ſuperius citauimus. Clemens nominat purum, & incruentum ſacrificium. Dionyſius Areopagita, ſalutaris hoſtiæ oblationem nuncupat. Irenæus appellat, Noui Teſtamenti nouam oblationem. Martialis dicit eſſe ſacrificium & oblationem mundam, vnicum remediū ad vitam æternam præſtandam, & mortem effugandam. Cyprianus appellat ſacrificiū verum & plenum. Athanaſius, exanguem immolationem. Euſebius Cæſarienſis, & Chryſoſtomus, ſacrificium tremendum, terribile, perenne, honore pleniſſimum. Alij ſacrificium ſingulare oēs excedens victimas; oblationem pennem; victimam verā; perfectam hoſtiam, incruentā ſacrificij ſeruitutem; ſacrificium quotidianum; ouem Dominicam. Auguſtinus nuncupare ſolet ſacrificium pretij, ſacrificium Mediatoris, ſacrificium veriſſimum, ac ſingulare: ſacrificium Chriſtianorum, victimam ſanctam. Gregorius Romanus vocat oblationis hoſtiam & hoſtiam ſalutarem. Pulchrè autem tùm victima, tùm hoſtia vocatur: quia pro dextra victrice Chriſti oblata eſt in gratiarum actionem: & hoſtes tùm ſuos, tùm noſtros domat, ſecundùm illud quod, Poëta quidam cecinit:

Conc. Nic.
Clem. l. 8. cōſt. Apoſt. 2. vlt.
Dion. c. 3. p. 3. de Eccl. hier.
Iren. ibid.
Mart. epiſ. ad Burdeg. c. 3.
Cypr. l. 2. ep. 3. ad Cæcil.
Athan.
Euſ. l. 1. de demonſt. Euang. c. 10. tom. 1.
Chryſ. hō. 24. in ep. ad Cor. tom 4.
Auguſt.
Greg. Rō l. 4. Dial. c. 57. to. 12.
Euchariſtia, hoſtia, & victima, quàm verè dicatur.
Ouid. l. 1. Faſt.
Hoſtea vnde dicta.

Victima quæ cecidit, dextra victrice vocatur:
Hoſtibus a domitis hoſtia nomen habet.

Rupert. l. 2. de diuin. offi. c. 10

Rupertus quotidianas appellat Saluatoris exequias. Et alij ſexcentis eiuſmodi titulis; quos operoſum eſſet, aut propè impoſſibile percenſere, exornant, illuſtrantque.

Dion. Areop. part. 1 c. 3. de Eccl. hier.
Euchariſtiæ ſacrificium quale Dion.
Suidas.
Τελετὴ q. d.
Plat. l. 2. de rep. propè init.

Illud non ſilebo, quod Dionyſius Areopagita de hoc ſacrificio loquitur: *Eſt n. iuxta inclytum præceptorem noſtrum* (id eſt Paulū) *Sacramentorum conſummatio.* Vbi antiqua verſio Dionyſij habet, *Hoſtia hoſtiarum*: Grecè autem dicitur, τελετὴ τελετῶν. Declarat autem Suidas quid ſit illa vox, dicens, Τελετή, *θυσία μυστηριώδης ἡ μεγίστη, καὶ τιμιωτέρα ἀπὸ τῶν γινομένων εἰς αὐτὴν δαπανημάτων*. Hoc eſt: Τελετὴ, *ſacrificium eſt myſterioſum, maximū, & honorabile, ab his, quæ ab ipſo fiunt impenſis denominatum.* Plato etiam Teletas vocat expiationes, id eſt, perfecta ſacrificia, quæ non ſolum priuatorum, ſed & ciuitatum eſſent, pro viuorum, & mortuorum peccatis expiandis: quæ omnia quadrant Euchariſtico ſacrificio. Nam myſterioſum eſt, maximū omnium, & honore latriæ venerabile: fiūtque magnæ in ipſo expenſę, nam oēs Eccleſiæ reditus, prouentus, decimæ, primitiæ, donaria, templa, altaria, vaſa aurea, & argentea, ornamenta multiplicia, miniſtri, Sacerdotes, Epiſcopi, ad hoc vnum ſacrificium honorificandum referuntur. Eſt & non ſolum vnius priuati ſacrificium, ſed etiam totius Eccleſiæ: quia pro omnibus offertur, nec tantū pro viuis, ſed etiam pro omnibus vita defunctis. Diciturq; ſacrificium ſacrificiorum: vel quia omnia vetera ſacrificia in illo conſummantur; vel quia reliqua Eccleſiæ Sacramenta ab iſta hoſtia vim expiandi habent, vt etſi ipſa per ſe ſacrificia non ſint, virtute tamen huius ſacrificij per illa operantis, ſacrificia aliquo modo dici poſſint.

Euchariſtię ſacrificij propria.

Euchariſtia ſacrificium ſacrificiorum à B. Dionyſio quare dicatur.

Miſſa, Hebræa, an Latina vox ſit, eiuſq; varia deductio.
Mas ſiue maſas, & neza Hebræis quid.
Pſalm. 140.
Eſai. 31.
Deut. 28.
3. Reg. 5.
Deut. 16.

Non inuoluam etiam ſilentio ipſam vocem Miſſæ: quæ vox vel Hebræa eſt, vt multi volunt, vel Latina. Qui Hebræam eſſe vocem tuentur, Miſſæ nomen à verbo mas, ſiue maſas deriuant, quod eſt, penſionem, vectigal, tributum, vel munus perſonale pendere; vel à verbo neza, quod ſignificat leuationem penſi: vnde illud: *Eleuatio manuum mearum, ſacrificium veſpertinum.* Non ſolùm enim Chriſtus eleuatus fuit in cruce, ſed etiam in Euchariſtia à Sacerdote ſuper capita erigitur. Vnde eiuſdē prorſus ſignificatus eſt nomen mas (nam & nomen eſt, & verbum, & pro onere perſonali accipitur. Vnde apud Eſaiam dicitur, *Iuuenes eius vectigales erunt*, id eſt, in tributū, ſiue miniſterium, & in Deuteronomio. *Erunt tibi lamas*; id eſt, ſeruient tibi ſub tributo, vel in tributum, ſiue obſequium. Et Salomon accipit pro collatione tributorum. *Sic fecit*, inquit, *Rex Salomon aſcendere mas, id eſt, tributum de omni Iſrael.* Sed manifeſtè in libro Deuteronomij dicitur: *Celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo miſſah*: id eſt, vt vertit interpres, oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui. Et quadrat, vt denominatio fiat à nobiliori actu Miſſæ, id eſt, ab oblatione, eo quod eleuatione manuum fieret. Quadrat & quod dicitur, Iacobum fratrem Domini Miſſæ celebrandæ, ac peragendæ ordinem inſtituiſſe: vnde vox Hebræa etiam ob myſterium fortè remanſit: quemadmodum pleraq; alia in Officio diuino remāſerunt, vt, Alleluia, Oſanna, Emmanuel, Sabbaoth. Nā B. Iacobū iudaicè, & chriſtianè ſacrificaſſe, poſt Egeſippum, & Clement. Alex. & Euſebium, teſta-

Miſſę celebrādę ac peragēdæ ratio, à quo ſit primū inſtituta.
B. Iacob. Domini frater appellatus, iudaice, & chriſtianè fenur ſacrificaſſe.
Egeſip.
Clem. Alexā.
Plat. l. 2 de rep. propè init.

Epiphan.

testatur Epiphanius duobus locis, nempe in Hæresin 29. & 68. vbi sic habet: *Sed & reperimus ipsum,eo quòd ex Dauid esset, propterea quòd esset filius Ioseph, etiam Nazaræum factum. Erat enim primogenitus ipsius Ioseph, ac sanctificatus. Insuper verò etiam sacerdotio ipsum functum esse,iuxta vetus Sacerdotium reperimus. Quapropter etiam permittebatur ipsi semel in anno ingredi ad Sancta Sanctorum, velut lex pontificibus præcepit: sicut scriptum est. Sic enim multi retulerunt ante nos de ipso, Eusebius,& Clemens,atq; alij. Sed & folium siue bracteam (id est,mitram) in capite gestare ipsi licebat, quemadmodum relati fide digni viri in suis Commentarijs testati sunt.* Sic ille. Huiusmodi Sacerdotium Iacobo inuidisse Ananum propter nostram religionem,tacitè ex Iosepho indicat Eusebius in historiæ libris Ecclesiasticæ. Porrò Sacerdotio Christianorum functum, præter dictos testatur Hieronym. in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, Eusebius ibidem ex Sexto Clementis Hipothyposeon, à Petro, Iacobo, eiusque fratre Ioanne post assumptionem Saluatoris Iacobum alterum Iustum cognominatum, Ierosolymorum Episcopum,constitutum fuisse,quamuis à Domino alij ipsi essent prælati; sed gloriam sibi non vendicasse. B. Ignatius ad Heronem Diaconum ita scribit: *Sine Episcopis nihil agas, Sacerdotes enim sunt, tu verò minister Sacerdotum: illi enim baptizant,Sacerdotium agunt,ordinant,manus imponunt;tu verò eis ministras,sicut sanctus Stephanus Iacobo, & cæteris Presbyteris in Ierosolymis.* Et iterum ad Tral[illegible] *Quid est Presbyterium,nisi institutio san[illegible] filiarij,& confessoris Episcopi? Quid etiam Diaconi, nisi imitatores Christi ministrantes [illegible] po,sicut Christus Patri,& operantes illi operationem mundam,& immaculatam? quomodo sanctus Stephanus beatissimo Iacobo, & Timotheus, & Linus Paulo,& Anacletus,& Clemens Petro?* Hæc ille: Illum igitur instituisse ritum, ac morem sacrificandi,indicat Epiphanius in hæresin Collyridianorum, Mos illius in genua procumbendi,vt ex alijs narrat Eusebius;& ex consuetudine procumbendi in frontem,frons eius occalluerat, vt tradit Chrysostomus in Matthæum: ritus etiam ab Apostolicis temporibus non discrepans, vt qui ferè ijdem sint cum his, quos Dionysius percurrit,& Chrysostomus varijs operum locis ostendit. Proclus in epistola quadam, quæ extat inter libros Cyrilli,tradit, Clementem Petri discipulum, & deinde B. Basilium mysteria Missæ celebrandæ in lucem edidisse, sed Basilium in breuiorem formam redegisse. Canon etiam 32. Sextæ Synodi in Trullo congregatæ,Iacobo fratri Domini, & Basilio rationem celebrandæ missæ adscribit. Igitur si Missa,& ratio peragendi mysterij à B. Iacobo Apostolo Hebræo primum tradita est, mirum esse non debet, si nomen illi Hebræum indiderit Missæ.

Exod. 30. — *Hebr. 9.* — *Euseb. loc. præalleg. Iosl. 20. Ant. c. 16. Hier. to. 1. circa fin. Eus. vbi supr. c. 1 Clem Rō. B Ignat. ep. 3.* — Quod sit Episcoporum munus. — *Idem ep. 5.* Quid sit Presbyterium. quid Diaconus Ignatio. — *Epiph. in hær. 79.* Iacobi cognomento iusti pietas,& in Deum reuerentia, *Eus. l. 2. Eccl. hist. 23. to. 1. Chrys. ho. 1, in Ma. to. 2. suis Dion. l. Eccle hier.* — *Proclus.* Clemens Petri discipulus ac deinde B. Basilius Missæ celebrandæ mysteria in lucem ediderunt. VI. Synodus.

II. opinio. Missa Latinis vnde sit dicta.

Alij tamen Latinam vocem esse volunt, & dictam,vel ab eo quòd Missa sit hostia à Deo,vel quod Angelus pro ea ferenda mittatur;vel ab emittendis extra eam Catechumenis,vt docet Ambrosius: vnde Diaconus re diuina peracta clamat: *Ite, Missa est*, quasi missio. Vnde qui apud nos est Latinus autor Cassianus,cōgregationis,ac vigiliarum Missam vocat finem,cum potestate abeundi,ac cessandi. Nec tantum expellebantur Catechumeni,sed etiam excommunicati qui non communicabant: *Si quis non communicat,det locum*, sicut apud Gregoriū in dialogis;aut vt est apud alios: *Si quis est Catechumenus, exeat foras.* Hoc etiam fieri solitum erat in Ecclesia Græca. Scribit enim Athanasius in epistola ad solitarios: *Plerique populorum missione è sacris facta abrerant, aliquot mulierculis remanentibus.* Et Chrysostomus homil,de Ecclesiæ mysterijs: *Ingressus es in Ecclesiam,ô homo,ne exeas, ni dimittare,* Hoc quoque fieri solitum in Gentium mysterijs compertum est,in quibus q rem diuinam facturus erat,populū rogabat; Quis hic? cui qui aderant,respondebant, Multi, & boni. Postremò sacrificium hac voce cōcludebat: λαοῖς ἄφεσις, id est, populis datur dimissio. Ad quam dimissionem videtur illudere B. Lucas in Actis, vbi dixit: *tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos.* Latini ergo nomen Missæ à primis Christianis acceptum,quoniam rerum potius,& pietatis,quam verborum eruditionis erant studiosi, Missam ex suæ linguæ etymologia interpretati sunt: quemadmodum Ambrosius,& Lactantius nomen Paschæ Græcum esse, & à verbo patiendi desumptum,nullo re ligionis periculo hallucinati sunt: & Iustinus Martyr in dialogo contra Tryphonem in voce Satanas hallucinatus esse videtur: nam Sata, Iudæorum, Syrorum voce inquit, apostatam, siue desertorem significari; Nas verò serpentem denotari: cum tamen vera eius etymologia sit,à voce Satan Hebræa,quæ aduersarium, vel contrarium significat.

Amb. ep. 5. l33. to. 3. — *Cassian. l. 3. 7. & 8. Greg. l. 2. Dialog. c. 23. to. 2.* — *Athan. to. 3.* — *Chrysost.* — Gentilitius mos in sacrificando. *Act. 13.* — *Amb. in 1. Cor. 5. to. 5. Lact. l. 4. c. 23. diuin. inst. Iust. Mart. to. 2.* — Satā propriè Hebræis quid

Sed quoniam de Liturgiæ, & Missæ vocibus philosophati sumus, non erit ab re de nomine Eucharistiæ nonnihil disserere, & an in suo significatu sacrificium in sacris literis designet, & vnde vim sortitum est, vt sacrificiū altaris significet. Certè, vt hinc exordiamur, Origenes contra Celsum, Eucharistiam,

Eucharistiæ nomen vnde deductum sit. *Orig. l. 8. cōt. Cels. to. 2.*

Bern. serm. in coen.

charistiam. Bonam gratiam interpretatur, sicut & noster Bernardus; Panis, inquit, iste, per excellentiam Eucharistia dicitur, id est, Bona gratia: in hoc enim sacrificio non quælibet gratia, sed ille, à quo est omnis gratia, sumitur. Et Chrysostomus in Matthæum: *Propterea*, inquit, *& reuerenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, Gratiarum actio nuncupatur.* Et reli. Nicolaûs Cabasilaus in expositione Liturgiæ quærit, cur sacrum mysterium, quod in gratiarum actione, & supplicatione versatur, non etiam vtrumque, sed Eucharistia, hoc est, gratiarum actio, tantùm dicitur. Et post multa concludit: *Quia enim*, inquit, *in ea Deo supplicamus, & gratias agimus, sed gratiarum quidem actio, Dei opus est, vt dictum est; Supplicatio verò, humanæ imbecillitatis: & gratiarum quidem actio, propter plura; Supplicatio verò, pro paucioribus. Illa enim propter omnia, vt semel dicam, bona; hæc verò in nonnullis: propterea oportebat ex melioribus, & pluribus ei nomine imposito, appellare Eucharistiam. Ita enim etiam homo dicitur animal ratione positum, licet sit alicuius particeps, quod caret ratione, vt qui à meliori, & maiori parte vocetur; & maximè quia primus, qui id ostendit, Dominus noster Iesus Christus, non supplicans, sed solum Patri agens gratias, hoc mysterium peregit, & tradidit: & ea de causa, quod illud esse accepit, hoc vocat, Eucharistiam nominans.* Sic ille. Hæc Germanior est significatio, nondum tamen plena. Legi tamen epud Valerium Maximum, & Ouidium quædam, quæ huius vocis proprietatem magis indicarent. Scribit ille: *Conuiuium, inquit, etiam solenne maiores instituerunt, idq; Charistia appellauerunt, cui præter cognatos, & affines, nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Sic ille. Ouidius verò in Fastis sacros dies cuiusque mensis percensens, ait.

Chrys. hõ. 26. in Matt. to. 2.

Nic. Cabasil. c. 52. Liturg.

Cur Eucharistia etiam in supplicatione versetur, cur gratiarũ actio tantum nominetur.

Valer. Max. li. 2. de inst. c. 1. initio ferè.

Charistia quid.

Ouid lib. 2. Fast. post med.

Proxime cognati dixêre Charistia chari:
Et venit ad socios turba propinqua deos.
Scilicet à tumulis, & qui periere, propinquis
Protinus ad viuos ora referre iuuat.
Postq; tot amissos, quicquid de sanguine restat,
Aspicere, & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant, procul hinc, procul impius esto
Frater, & in partus mater acerba suos.

Et infra:

Dij generis date thura boni: concordia fertur
Illo præcipuè mitis adesse die.
Et libate dapes, vt grati pignus amoris
Nutriat incinctos missa patella cibos.

Hæc illi duo, vbi planè videntur describere formam quandam sacrificij, quæ ad opprimendas simultates, & discordias sedandas instituta erat: vnde sacram mensam illam vocat Valerius; & illic aderant concordiæ conciliatores, qui omnes extinguerent simultates. Erant igitur Charistia, solenne festum, quo symposia agitabant vna propinqui & consanguinei, & dona vltrò, citroq; transmittebant; & mortui quoq; ad hæc conuiuia conuocabantur, & impij ab illis pellebantur.

Dices; Quid Charistijs cum Eucharistia? Multum per omnem modum. Voces enim istæ valdè propinquæ sunt: & nostra Eucharistia quantum ad nomen, nõ addit nisi aduerbium εὐ, appositum, vt puto, ad designandum sacram, & præstantissimam conuiuij rationem, vt præ illa nihil videri possint Ethnicorum Charistia. Et vtraque vox à verbo Græco descendit χαρίζομαι, quod est gratificari, siue gratum facere, siue etiã condonare, & ignoscere, delictiq; gratiam facere: quod mirificè quadrat solennitati illi Ethnicorum, sed multo magis nostræ, vt dicemus.

Eucharistia aduerbium, εὐ cur additum apud Græcos Charistia, siue Eucharistia vnde deriuentur.

Nec est quod rursus mireris, χαρίστια, esse neutrius generis, nobis vero fœminini: leuissimum id videri debet, cum in vtroque genere vsurpata sit illa vox, & Concilium Nicenũ τὰ εὐχαριστία, in neutro posuit pro nostra Eucharistia, quemadmodum Iustinus Apologia in Antonium Pium, & Origenes li. contra Celsum, τὰ εὐχαριστία, vocauit nostrum altaris sacrificium. Est etiam Græcis χαριστήριον θύειν, per sacrificiũ agere gratias, siue pro acceptis beneficijs sacrificare. Imo illa eadẽ vox χαρίστιον, & χαρίσιον, est apud Pollucem placentæ species; vt magis admirari valeas. Cæterum si rem ipsam spectemus: ego aliud in illo dicto conuiuio cernere non possum, quam vmbram quandam, & picturam nostræ sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ sacrum est conuiuium, vt Ecclesia vocat. Hæc enim proculdubio est instituta ad mutuas querelas, & quotidianas offensiones, quæ nobiscũ Deo communi fidelium omnium parente, & cum proximis, quasi cum fratribus nostris intercedunt, terminandas prorsus, atque extinguendas, quasi intra domesticos parietes, ne in iudicium externum illæ quoquomodo veniant. Erat in illis Concordiæ dea concilians omnes: est & apud nos verus Dei Filius, concordiæ, & veri amoris autor, & amator, qui venit vtraque facere vnum. Vnde Eucharistia dicitur Synaxis, communio, & vnus panis. Aderant præterea in illis conuiuijs concordiæ fautores: adsunt in nostra Eucharistia Sacerdotes, qui Eucharistiæ con-

Eucharistia fœminini, & neutrius est generis.

Conc. Nic. can. 13.

Iust. Mart. in 1. Orig. l. 8. cõt. Cels. to. 2.

Iul. Pollux.

Eucharistiæ quid sit. & cur instituta.

Charistia Gẽtilium Christianorũ Eucharistiæ quã pulchrè consentiant.

Ephes. 2.

1. Cor. 10.

Qua ratione Sacerdotes homines cũ Deo reconciliant.

conuiuium instruunt, & dispensant: & eos, qui ea participare debent, à peccatis expiant & absoluunt, quasi quidam concordiæ administri, & conciliatores. Defunctorum quoque animæ ad illam mensam vocabantur: nostra quoque Eucharistia non tantum pro viuorum peccatis expurgandis, sed etiam defunctorum delictis expiandis, quò plenè Deo reconcilientur, adhibetur, quatenus est sacrificium. Pellebantur de illo conuiuio impij, & scelerati, quique magnis flagitijs erant contaminati: de nostro quoque pelluntur peccatores publici, qui scelerum suorum pœnitentiam minimè egerunt. Vnde Dominus illam sanctissimam legem quasi concordiæ edixit, alludens ad Eucharistiæ mensam: *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum*. Quamobrem Diaconus tempore communionis in Ecclesijs Græcorum clamat: *Sancta sanctis*; admonens, vt qui non satis sunt à peccatis mundati, sacram mensam non attingant. Mittebant illi quoque in sua mensa ad absentes, libatorum, seu prægustatorum ciborum munera: & Eucharistia olim, vt testatur Iustinus, & Cyprianus, absentibus mittebatur, sicut hodie in vsum infirmorum mittenda asseruatur. Vides ergo quanta sit, & vocum, & rerum conuenientia? Nemo tamen existimet me Gentilium fabulas in allegorias conuertere, quod magnum Ecclesiæ lumen Augustinus videtur reprehendere; non enim eo hæc animo à me sunt allata; sed quo tantum nomen Eucharistiæ à sacrificij ratione non abhorrere indicarem, atque Paganos planè inscios, & ignaros quædam sacrificiorum symbola bonis inspirantibus Angelis vsurpasse; in hoc ipsum, vt illis assuefacti minus admirarentur, cùm ad amplectendam Euangelicam veritatem vocati; vel audirent nomen Eucharistiæ, vel mensam sacrificij Christiani, paratam illis omnibus, qui querelas, & animorum acerbitates omitterent, & iniurias condonarent; vt ita primùm Deo, deinde fratribus reconciliarentur.

Matth. 5.

Quid Diaconus in Græcorum Ecclesijs tempore communionis clamitos: Sancta sanctis nos doceat.

Iust. loc. dict. Cypr. ser. 5. de lapsis.

Aug. in lib. de doctr. Christ. tom. 3.

Videtur etiam ex ipso Euangelico contextu accipi posse, Eucharistiæ vocem à ratione non esse alienam. Nam cùm Dominus in cœna panem accepisset, & gratias egisset, siue benedixisset (idem enim est εὐχαριστήσας, & εὐλογήσας) id est, Eucharistiam confecisset, & in ratione sacrificij Eucharistici Patri obtulisset, vt Fides tradit Catholica, & nuper Concilium definiuit Tridentinum: inde profectum est, vt in Nouo Testamento Patres Eucharistiæ nomine gratiarum actionis sacrificium denotari intellexerint, & Paulus in priori ad Corinthios, calicem benedictionis, cui benedicimus, inter ea, quæ Deo immolata sunt, recenset: qui etiam dici potest calix Eucharistiæ, quia illa benedictio, & gratiarum actio nonnisi more sacrificij peragitur: tamen, & inferius in eadem epistola Paulus habet: *Cæterum si benedixeris spiritu; qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter nō ædificatur*. Obserua, Apostoli sermonem esse de eo, qui in Ecclesia benedicit, siue gratias agit: & vbi nos habemus, super tuam benedictionem; Græcè tamen, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, vbi Interpres nomen Eucharistiæ, vel gratiarum actionis per benedictionem expressit. Et nō absque probabilitate quidam volunt illo verbo significatum esse Eucharistiæ sacrificium in illa benedictione, duplici vtentes coniectura. Altera est, quia ibi dicitur: *Qui supplet locum idiotæ*, vbi ostenditur, ministros ab Ecclesia fuisse præpositos ad respondendum gratias agenti; at quando Ecclesia alios habuit in templo gratias agentes cum ministris, nisi Sacerdotes gratiarum actionis sacrificium offerentes, quibus Diaconus assistit; & omnium circunstantium nomine respondet. Altera; quod supplens locum idiotæ, respondebat; Amen. Si autem Iacobi fratris Domini Missam, & Græcorum; id est, Basilij, & Chrysostomi Liturgias diligenter inspicias apertè deprehendes; quòd vbi Sacerdos alta voce verba, quibus conficitur Eucharistia, pronuntiasset; totus populus acclamando, & ratum, quod fiebat, habendo, respondebat, Amē, tam in panis sancti, quàm in propositi consecratione. Et præter eos idem docent Iustinus Martyr, & Ambrosius, & Augustinus, ac Leo. Itaque olim, vel populus respondebat, Amen, vel is, qui locum eius sustinebat, seu, vt ait Paulus, qui locum idiotæ supplebat. Ex illa ergo responsione colligimus nō esse mentionem apud Paulum de quacunq; simplici gratiarum actione, sed de illa, quæ cum sacrificio altaris coniuncta erat, & publicè celebrabatur, & illi omnes assistebant; & de illa ait, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, id est, in tua Eucharistia, quàm benedicendo, siue gratias agendo perficis. Et hæc de voce Eucharistiæ.

Eucharistiæ vocabulum à sacrificij ratione minime abhorrere.

Matth. 26.

Conc. Trident. sess. 22. c. 1.

1. Cor. 10.

Infra 14.

Hunc locum Apostoli: Quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem, ad Eucharistiā pertinere, duplicitter.

Iust. Mart. ib. Ambros. l. de his, qui myst. init. c. 9. 10. 2. August. Leo ser. 6. de ieiu sept. mens.

Præter traditiones, rationes multæ, & magnæ suppetunt, ad statuēdam veritatem sacrificij. Prima est, à Christi Sacerdotio,

Ratione eadem veritas multiplici comprobatur.

quod

quod moriens in æternum promeruit: non eſt autem æternum, vel propter oblationē ſemel factam in cruce, vel oblationem ſemel factam in cœna, ſed quod quotidie per miniſtros offerat, vſque ad iudicium; maximè quia perfectior eſt potentia frequentata, quàm cum vno actu. Hinc OEcumenius in Catena Pſalmi 109. annotat dici Sacerdotem in æternum, non propter paſſionem, ſed reſpectu præſentium ſacrificiorum, per quos ſummus ipſe Sacerdos ſacrificat. Et idem Theophylactus docet in eadem verba allegata à Paulo in epiſtola ad Hebræos, & ante hos Euſebius Cæſarienſis in libro de demonſtrat. Euang. necnon Epiphanius, & Haymo in epiſtola ad Hebræos, alijque permulti. Deinde Chriſtus eſt ſummus Sacerdos, ſeu Sacerdos magnus, ſiue Pontifex, ſecundùm omnes, & non metaphoricè, ſed maximè propriè, ergo alios Sacerdotes ſub ſe offerētes habet: alioqui non eſſet ſummus. Adhæc Sacerdotium Chriſti perfectum debuit auferre vetus imperfectum: ergo ſi non eſt aliud, quàm illud Chriſti in cruce, quod ceſſante cruce ceſſauit, vetus igitur Sacerdotium ac perinde lex nondum deſijt; quia quælibet lex habet ſuum Sacerdotium quo legem ipſam interpretentur, & cuſtodiant, at legem veterem ſuſtulit, ergo & Sacerdotium: ſicut ergo nec duæ leges, ita nec duo Sacerdotia eſſe poſſunt. Adde quod hic ſummus Sacerdos, ſumma impetrare ſolet. Sed plus eſt impetrare non ſolum communionem ex præſentia paſcentem tantum ſumentes, vnientemque cum proximo, ſed etiam impetrare inſtar ſacrificij, quod etiam non ſumentes ex memoria iuuat, & cum Deo vnit. Amplius, ab Eccleſia, & eius lege petuntur rationes. Nam vt Eccleſia ſit populus Dei, eget ſacrificio, vt lege inſtruente de via, & fine; & Sacerdote docente ipſam viam, & orante pro tranſgreſſore legis. Et mutuò ſe inferunt hæc quatuor, lex Dei, populus Dei, Sacerdotium, & ſacrificium. Et Antiochus (vt liber primus Machabæorum tradit) abſtulit ſacrificia, vt tolleret legem Dei. Erraſſetque hactenus perniciosiſſimè Eccleſia vſurpādo ſibi Sacerdotium, & fingendo ſacrificia, & Patres non ſolum reprehendentes; ſed applaudentes grauiſſimo in errore verſati fuiſſent. Dubitare etiam de his, quæ facit Eccleſia, inſolentiſſimæ eſt ſuperbiæ: vt docet Auguſtinus ad Ianuarium. Poſtremò petuntur rationes ab orbe ipſo: nam offerre, vel ſacrificare, ad moralia præcepta iuris naturæ ſpectat: quæ Chriſtus in Euangelio non ſuſtulit, ſed firmauit. Deinde toti orbi innatum atque infixum eſt, quod Deo ſit ſacrificandum, & quod optima ſint ei offerenda: vnde Abel de primogenitis obtulit, non ergo in offerendo Chriſto, quo nihil habemus nobilius ac præſtantius. Nec obſtat illum eſſe nobis datum: quia nihil valemus offerre, quod de manu eius non acceperimus, iuxta illud: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Adhæc Patres ſacrificabant, ac externa ſacrificia offerebant, non obſtante ſacrificio ſpirituali, vel fidei, vel precum, vel diuinæ laudis; non obſtante etiam paſſione Chriſti futura; ergo & nos offerre poſſumus Chriſtum Deo in Euchariſtia, non obſiſtentibus ſacrificijs ſpiritualibus, neque paſſione Chriſti tranſacta. Iam rationes in contrarium diluendæ erant, niſi quòd vt arbitror, melius ac commodius refellentur poſt abſolutam de ſacrificio Domini integram doctrinam traditam. Nos verò ad huius ſacrificij veritatem illuſtrandam, ac examinandam, alios articulos ad illam pertinentes, diſputationis gladio, vt hactenus fecimus, ſecabimus; vt proinde abnegata omni impietate, & doctrina falſa, illuſtrior fiat, & glorioſior autor tanti ſacrificij Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, detur omnis honor, laus, & imperium in ſempiternum, Amen.

[Margin: OEcumenius. — Chriſtus Sacerdos in æternum cur dicatur. — Theoph in c. 5 ad Hebr. — Euſ. Cæſ. l. 5 de dem. Euang. c. 3. tom. 1. — Epiph in hær. 55. — Haymo in c. 8. ad Hebr. — II. argum. — III. argum. — IV. argum. — 1. Mach. 1. — Dubitare de his quæ facit Eccleſia, inſolentiſſimæ eſt ſuperbiæ. — Aug. epiſt. 118 vel 119. to 2. — Offerre, vel ſacrificare, quæ ad præcepta pertineat. — V argum. — VI argum. — Geneſ 4. — 1. Paral. 29. — VII. argum.]

TRACTATVS XXIX.

In quo examinatur, an Sacroſancta Euchariſtia veram, & propriam induat ſacrificij rationem, an verò metaphoricam, & impropriam.

QVÆSTIONEM an ſit, conſequitur, vt Philoſophi tradunt, ſuaptè natura, quæſtio quid ſit: cùm igitur duobus præcedentibus tractatibus expedierimus, Euchariſtiam, ſacrificium, ſeu hoſtiam ſalutarem eſſe; meritò diſſerendum eſt, ob quam cauſſam Euchariſtia ſit ſacrificium. Reſpondemus autem, ſacrificij rationem illi competere: quia nomen, & natura, ſiue definitio ſacrificij illi propriè, & verè quadrare, & conſonare comprobatur. Nam propterea Chriſtum Deum, & hominem eſſe dicimus, quia nomen & ratio, tum Dei, tum hominis illi competit. Hoc ergo vt intelligatur, nomen ipſum, & res ſiue natura rei interpretanda nobis eſt, tribuſque exemplis, quo clarior, & apertior reddatur, illuſtranda. Eſt autem nomen, notitia quædam generalis, & confuſa rei, ex aliqua proprietate eius, vel accidenti deprompta;

[Margin: Quare Euchariſtia ſit ſacrificium. — Nomen, & definitio quid.]

Definitio verò exacta est, integra & peculiaris naturæ rei comprehensio, atque explicatio.

Circa nomē igitur sacrificij, quod prius nobis est cognitum, hoc est, externum, quo adunamur, ignorandum non est, propriè iuxta B. Augustini, ac B. Thomæ doctrinam, significare actionem quandam mysticam, rem aliquam externam applicatione ad Dei cultum, & oblatione sacrantem. Est enim sacrificium, iuxta etymon verbi, factio sacri; sicut artificium, opificium, lanificium, & beneficium, nomina sunt actionum. Sacrificare item est, rem Deo sacram facere, & rem iam sacratam Deo applicare: sicut consecrare Virginem, vel Sacerdotem, nihil est aliud, quàm virginem, vel sacerdotem tanquam rem sacram Deo applicare, atque dedicare, vt iam siue virgo sacra, siue Sacerdos alijs vsibus profanis accommodari nec possint nec debeant. Hoc autem sacrificare propriè consistit in operatione, qua rei faciem quandam sacram tribuimus: sicut propriè facere, est opus præstare, cui facies quædam, velut à faciente tribuitur, vt sartor tribuit vesti faciem, & architectus domui. Præter hanc significationem primariam habet sacrificij nomen aliam germanam, & propriam significationem. Sumitur enim pro re ipsa sensibili, & externa Deo sacrata, atque oblata; vnde animal ipsum dicitur victima, & hostia, & sacrificium: sic beneficium dicitur, non solùm actio ipsa benefaciendi, sed etiam munus ipsum collatum: & apud sacros Theologos, intellectus, voluntas, & memoria, non tantùm facultates ipsas, & earum actus, sed etiam res ipsis obiectas, significant. Et in sacris literis, Fides, Spes, Charitas, promissio, oblatio, non tantùm habitus virtutum, vel actus credendi, sperandi, amandi, promittendi, & offerendi dicuntur, sed etiam ipsa obiecta credita, sperata, amata, promissa & oblata. Atque his duobus modis sumitur vox sacrificij; metaphoricè autem, & figuratè, quodcunque bonum opus, quod Deo gratum esse existimamus: vt eleemosyna, de qua testatur Apostolus: *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et ad Philippenses, gratias agens de eleemosyna missa, ait: *Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Vel externum aliquid denotat, quod Deo offertur, sed à Sacerdote non sacratur, vt martyrium, maceratio carnis, prædicatio Euangelij, laus, & gratiarum actio, decimarum, ac primitiarum collatio, oblationes, numi, candelæ, panis, & vinum, quæ offeruntur; nam hæc omnia sacrificia dicũtur per metaphoram, etiamsi non consecrentur, quibus Scriptura plena est. Ait enim Salomon: *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Et Paulus ad Romanos: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Et infra: *Vt sim minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificans Euangelium Dei,* (vbi Græcè dicitur ἱερουργοῦν) *vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in spiritu sancto.* Multa enim Deo sacrantur, sed nō vt illi offerantur quasi sacrificium, quemadmodum templum, altare, calices, Sacerdotes, virgines, ornamenta, & omnes in baptismo sanctificati: sicut è contrario multa offeruntur Deo in altari, sed non sacrantur, vt primitiæ, decimæ, numi, thura, candelæ, & similia; nam talia sunt dona, ac munera, & oblationes: vt rectè propterea habeat Paulus, munus Sacerdotis est, offerre dona, vel munera & sacrificia. Aliud ergo est sacrificium, aliud donum, munusve, quia sine morte, & sanguine, & cæremonia sacrante Deo offeruntur: vt expendunt Chrysostomus atque eius sectator Theophylactus: siue illud sit internum opus Deo gratum, vt cor contritũ, fides, oratio, obseruatio mandatorum Dei, siue dilectio, siue obedientia; de quibus sacrarum literarum extant testimonia. Ait enim Dauid: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nō despicies.* Et Daniel: *In anima contrita & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in cōspectu tuo hodie, vt placeat tibi.* Rursus Paulus: Sed si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ; gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Item de oratione ait Dauid: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Rursus de mandatorum custodia habetur apud Ecclesiasticum: *Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.* In symbolum enim quòd interna nostra Deo offerimus, externa offerenda sunt: quæ nisi propter interna Deo non placent, & sine illis grata minimè sunt: ideo diligere Deum, & proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus, vt docet Dominus apud Marcum: Et, *Melior est obedientia, quam victima: & ascultare, magis quam offerre adipem arietum,* vt habetur primo libro Regum. Oseas quoque inquit: *Misericordiam*

Marginalia (left): Aug lib. 10. de ciuit. Dei, c. 5. tom. 5. — Thom 2. 2. q. 85 art. 1 tom. 9 part. 2. — Sacrificium nomine tenus qui sit. — Sacrificium quid. — Alter significatus. — Beneficium quid. — Sacrificium quid figuratè, & improprie significet in sacris literis. — Hebr. 13. Philip. 4. — Alter significatus metaphorici sacrificij.

Marginalia (right): Sapient. 3. — Rom. 12. — Infrà 15. — Quæ sacrentur Deo, non tamen offerantur: & offerantur, non tamen sacrentur. — Hebr. 5. Infra 8. — Sacrificium, munus, vel donum distinguuntur. — Chrys. homil. 18. in epist ad Hebr. tom. 4. Theophylact. ibid. c. 8. — Psalm. 50. — Dan. 3. — Philip. 2. — Psalm. 140. — Eccles. 35. — Internæ oblationis argumentum. — Marc. 12. 1. Reg. 15. Ose. 6. Matth. 9.

voluì, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocaustum. Hinc Augustinus: *Sacrificium*, inquit, *visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Hæc ille. Ideo sine internis, externa non placent. Quare per Esaiam ait: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Quod autem hæc interna metaphoricè dicantur sacrificia, vt canticum cordis, iubilum mentis spirituale, & domus, templum, corpus, vinea, ciuitas Ecclesiam, vel Rempublicam designat, ex nonnullis liquidum redditur. Primò, quia in illis non inuenitur operatio Sacerdotis mystica, vel oblatio, quæ Deo applicetur, vt in primitijs, & decimis. Deinde, quia in Ieremia dicitur: *Non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus.* vbi distinguit præcepta, & eorum obedientiam, à sacrificijs. Tertiò, quia sacrificia externa, & sensibilia erant, quæ in lege offerebantur: & à notioribus nobis factæ sunt denominationes. Vnde Isaac dicebat patri suo: *Ecce*, inquit, *ignis, & ligna: vbi est victima holocausti?* Quartò, sic accepta voce sacrificij, vt comprehendat internas actiones, ad nullam peculiarem spectant, sed ad omnem virtutē, legem, personam, tempus, & locum pertinet, communiaque sunt omnibus hominibus, quia non habent proprium Sacerdotem, sed omnes ad metaphoricè sacrificandum Sacerdotes sunt, iuxta illud: *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo.* Propriè verò acceptum sacrificium ad virtutem latriæ, seu religionis pertinet, quæ ad reddendum Deo debitum cultum intus & extra docet animum, & inflectit: habetque proprium, & selectum Sacerdotem sacrificantem, & tempus, & locum sacrificio deputata. Atque hactenus de nomine quidē philosophati sumus.

Aug. li. 10. de ciuit. Dei, c. 5. tom. 5. — Sacrificium quid secundùm August. — *Esai. 1.* — Sine internis externa Deo minimè placent. — Oblationes internas quæ fiunt, impropriè sacrificia dici ostenditur. — II. argum. — *Ierem. 7.* — Tertium. — *Gen. 22.* — Quartum. — Sacrificij propria acceptio

Accedamus ad naturam & definitionē sacrificij: quæ ex quatuor causis pensanda est. Scire enim, secundùm Philosophos, rem est per causas suas cognoscere: quæ cū quatuor sint, Materia, Forma, Efficiens, & Finis, diligenter sunt perscrutandæ, & propositæ materiæ adaptandæ. Materia igitur res est sensibilis, & externa: & quæ à nobis in pretio habeatur. Malè enim Apollonius Tyaneus solam mentem & orationem docebat Deo sacrificandam: quia animalia inquit, immunda sunt, & Deus illis non eget: vt Eusebius Cæsariensis tradit in libro de præpar. Euang. Sed certè Deus non propter se, sed propter nos, & bonum nostrū volebat sacrificium: & nihil est per immundum, & placebat animus pius & religiosus sacrificantis; vt propterea diceretur odorari odorem sacrificij, vel suauitatis. Hæc autem materia sensibilis, non tantùm erat res vita carens, & inanimis, sed etiam animata: vnde Cain obtulit fructus terræ, & lege offerebatur simila cocta aqua, & fricta sartagine, vel decocta craticula, furnoque. Offerebatur præterea panis, vinum, thus, thymiama, sal, & oleum: vt habes in lib. Leuitici. Erāt etiam animata sacrificia, & viua, etiamsi Porphyrius negauerit illa sacrificanda: dabantur enim pro vita offerentis, donec melior hostia, id est, Christus appareret: vt idem Eusebius docet, & præterea ad significandum Christi sanguinem, quo solo omnia peccata erant expianda; Omnia etiam, quæ vsui nostro apta erant, & commoda, mensæ altaris Domini proponebātur, qui ea per ignem edere censebatur. Hæc autem materia, siue animata, siue animæ expers, in ratione sacrificij soli Deo offerebatur. Sic enim in Exodo scriptum legimus: *Qui immolat dijs, occidetur; præterquam Domino soli:* Et Apostoli Paulus, & Barnabas, vt viderunt populos sibi volentes sacrificare, dixerunt: *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum,* & quæ sequuntur. Et lex erat vniuersalis; *Dominum Deum tuum timebis* (siue adorabis) *& illi soli seruies.* Quod verò Danieli præcepit Rex Nabuchodonosor thus, & hostias offerri: verisimile est illū ea recusasse, vt Paulus, quia rectè nouerat, sacrificium soli vero Deo tribuendum: vt Aug. docet in epistola ad Deogratias, cuius hęc sunt verba: *Hoc sanè nec ista breuitate prætereundum est, quod templum, Sacerdotem, sacrificium, & alia quæcunque ad hæc pertinentia, nisi vni vero Deo deberi nossent dij falsi, hoc est, dæmones, qui sunt præuaricatores Angeli, nunquam hæc sibi à cultoribus suis, quos decipiunt, expetissent.* Et alibi inquit: *Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorū nobis est Deus: Honoramus sanè memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum pro veritate certarūt, vt innotesceret vera religio falsis religionibus, fictisq; conuictis: quod etiamsi qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumq; constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel*

De natura sacrificij agitur. — Scire quid sit — Materia quid & quę materia sacrificij sit. — Apollonij Tyanei de sacrificio error.

Euseb. lib. 4. de præp. Euangel. c. 5. tom. 2. — *Gen. 8.* — *Gen. 4.* — *Leuit. 7.* — *Leuit. 2.* — Animalia viua Deus sacrificanda negauit Porphyrius. — *Euse. lib. 1. de demō. Euang. c. 10. tom. 2.* — *Exod. 22.* — *Act. 14.* — *Deut. 6.* — *Infrà 10.* — *Matth. 4.* — Danielis pietas & modestia sibi oblata sacrificia recusantis. — *Aug. ep. 49. q. 3. tom. 2.* — *Idem lib. 8. de ciuit. Dei, ca. 27. tom. 5.*

Cypriane.

Innoc. III lib. 3. myst. Miss. cap. 11.

Cypriane. Hactenùs Augustin. Innocentius quoq; III. lib. Mysteriorum Missæ, docet templo, altari, sacrificio, & Sacerdotio, vt virtutibus, & interno latriæ cultu solùm Deum honorādum, atq; venerandum: cuius quidem prædicto in loco hæc sunt verba: *Duæ sunt species seruitutis: Vna quæ debetur soli Deo creatori, & dicitur* λατρεία; *& altera, quæ creaturis impenditur, & dicitur* δουλεία. *Vtramq; speciem determinat Dominus, dicēs: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Ad latriam pertinēt templa, altaria, sacerdotia, sacrificia, & huiusmodi, quæ sunt soli Deo exhibenda, qui glorificatur in cōcilio sanctorū, magnus & metuendus super omnes qui in circuitu eius sunt. Non enim sanctis ad honorē Dei, sed Deo potius ad honorem sanctorum dedicātur templa, consecrantur altaria, sacerdotia statuuntur, sacrificia offeruntur. Ne fortè si non secus agatur, non theosebia, sed idololatria committatur.* Hæc ibi. Illis ergo quatuor externis quasi vocibus proprijs protestamur fidem ad Deum verum, & vt talem creditum. Alia verò rituum symbola, vt thurificatio, detectio capitis, genuflexio, prostratio, oratio, inuocatio, gratiarum actio, æquiuoca sunt, & pro voluntate exhibentis, aut duliæ, aut latriæ seruitutē testantur. Vt enim inter virtutes quędam sunt, quæ habent Deum pro obiecto, vt Theologicæ, & latria, seu religio, quatenus illas amplectitur; aliæ verò sunt communes Deo, & hominibus, vt pietas, obedientia, amicitia: ita etiam inter cęremonias externas, aliæ sunt priuatæ; aliæ verò communes sunt Deo cum hominib⁹.

Seruitutis, ad orationis vel duplex species, secundùm Innocētium. *Matth. 22.*

Psalm 88. Templa, & altaria Deo propriè, non sanctis dedicantur, & quare.

Exemplum à virtutib. sumptū, diuinis, & humanis.

Cùm dicitur, Soli Deo sacrificandum, id quomodo intelligendum sit. *Fulgen. Rusp. Episcopus.*

Quòd autem soli Deo offerantur sacrificia; intelligo tam Filio, & Spiritui sancto, quàm Patri; quia vnus sunt tantùm Deus: vt notauit Fulgētius Ruspensis Episcopus contra quosdam sui temporis hæreticos in Africa, qui soli Patri dicebant esse sacrificandum: quod erat perinde, ac dicere, Filium, & Spiritum sanctum non esse Deum. In quos scribunt Marcellinus Pontifex epist. Decretali, & Aug. lib. de ciuit. Dei, & Nicolaus Cabasila in expositione Liturgię. Hinc Ecclesia toti Trinitati offert Eucharistiam: *Suscipe,* inquit, *sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus.* Et Missa absoluta, ait Sacerdos: *Placeat tibi sancta Trinitas, obsequium seruitutis nostræ,* & reliqua. Et hactenùs de materia sit dictum.

Marcellinus Papa. Aug. lib. 10. de ciuit. Dei, ca. 25. tom. 5. Nic. Cabasil. c. 32. Liturg.

Forma sacrificij.

Theodor. Balsamo. Græcæ Ecclesiæ mos & consuetudo.

Forma sacrificij, est actio mystica rem sacrās, applicatione ad cultum, & oblatione, qua Deo offertur; sine qua oblatione nō est sacrificium, vt Theodorus Balsamo interpres Canonum Græcorum docet de pręconsecratis. Nā Gręca Ecclesia in Quadragesima tantùm die Dominico, ac Sabbati sacrificat, ac Missam celebrat: cæteris verò diebus pręconsecratis vtitur. Idem etiam docet B. Thomas in 2. 2. de decimis & oblationibus pro cultu Dei, & tabernaculo, ac templo: sicut etiam de sacrificijs metaphoricis dictum est. Illa verò actio mystica fiebat impositione manus, quę mactationem præcedebat de more, vt habes Leuit. 8. deinde immolatione, siue mactatione, abdicatione à se, & eleuatione per modum crucis, de qua: *Eleuatio manuum mearū,* (quæ Theruma Hebraicè dicitur) *sacrificiū vespertinum.* Hinc in Exodo scribitur: *Sumes quoq; pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisq; illud eleuatum coram Domino,* scilicet in modum crucis; nā sacrificium ab Occidente in Orientem mouetur, dein de à Septentrione in Meridiem.

B. Thō in 2. 2. tom. 11. p. 2.

Actionis mysticæ in sacrificio olim adhiberi solitæ, modus, & ratio. *Psalm. 140.*

Exod. 29.

Efficiens causa sacrificij primaria Deus est: quia enim sacrificia ex se sunt res mediæ atque indifferentes, scire non possumus illas esse Deo gratas, & per illas adhibitas ad Deum nobis esse placandum, nisi Deus ipse reuelauerit, aut per Scripturas, aut per Ecclesiam, & Concilia generalia, aut per Apostolum, aut aliquem sanctum, approbante Ecclesia tacitè, vel expresè. Nam vt dicitur in Sapientia: *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctū tuū de altißimis?* & Apostolus: *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Vt meritò reprehendat Petrus apud Clementem in lib. Recognitionum, Philosophos, qui solo lumine naturæ de his, quę pendebant à mera Dei voluntate, vt creatione, & incarnatione, ac similibus definire quicquam audebāt. Quare falsum est, quod de viro quodam erudito intellexi, quòd si Christus Eucharistiam in ratione sacrificij non instituisset, Ecclesia potuisset illud constituere: nam vt de auro, vel fructibus terræ donatis potest Deo auri, & fructuum largitori offerre; ita Christum sibi donatum potest offerri. Sed profectò hæc ratio etsi probet quòd Christum, & alia omnia possimus Deo offerre in ratione oblationis, minimè tamen in ratione sacrificij: quod cùm indifferens, & sua natura medium sit, ex opere operato, Deum placare, ab eoque ex pacto gratiam remissionis peccati, & dona impetrare non valeret, nisi accederet diuina institutio: secùs ex ratione oblationis; quæ tantùm vim habet ex fide, & deuotione operantis. Dixi autem, nisi Deus reuelauerit, non sola Scriptura: quia ante Scripturam constabat de his, quæ erant Deo sacrificanda, & post illam sola traditione reuelatio-

Sacrificij efficiens primarium.

Sapient. 9.

1. Cor. 2.

Philosophorum arrogantia, & superbia. *Clemens lib. 8. Recognit.* Recentioris cuiusdam de sacrificio improbatur sententia.

Præter Scripturam quōad modum possit constare Dei volūtas.

uelationis Apostolis factæ, vel alicui sancto priuatim, approbatæ tamen ab Ecclesia expressè, vel tacitè; vel peculiari significatione facta ipsi Ecclesiæ in Vicario suo, vel Concilio, vel Doctoribus cœlitùs impressa: nã his omnibus rationibus præter Scripturam, scitur Dei voluntas. Proinde cultus isti, & ritus ita traditi, per calumniam dicuntur ab hæreticis fieri sine causa, & esse mandata, & traditiones hominum; cùm eiusmodi non sint nisi illi, qui temerè præter Dei reuelationem vsurpantur, vt frequens illa manuum lotio.

Hæretici de hoc sacrificij ritu quid sentiant.
Matth. 15.

Efficiens autem secundarium tanquam instrumentum est Sacerdos, id est, publicus Dei minister, eique sacratus; cuius solius proprium semper fuit offerre. *Omnis namque Pontifex*, ait Paulus, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et Azarias Sacerdos dixit Regi Oziæ volenti adolere incensum in templo: *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium.* Isti verò Sacerdotes, siue ministri initio legis naturæ non videbantur distincti ab alijs: vnde Abel & Cain offerebant sacrificia; postea autem restrictum est officiũ ad primogenitos, vt ad Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, cui Sacerdotalis vestis Esau tradita est: ideo Esau, ab Apostolo, profanus dicitur, & vendens primogenita sua, id est, Sacerdotium, & vestes bonas, vt interpretatur Eucherius; ob quod Sacerdotium, Abraham, Isaac, & Iacob, Christi dicuntur, cùm Reges non essent, nec Prophetæ communiter vngerentur. Hinc primogeniti tribuum duodecim obtulerunt ante Leuiticum Sacerdotium, vt est in Exodo, cùm tamen post institutum Sacerdotium filiorum Aaron, quorum erat sacrificare, non obtulerint, vti colligitur ex Numer. 7. Quanquam tempore Ezechię ob multitudinem victimarum, & paucos Sacerdotes Leuitæ eos iuuerint ad excoriandum victimas, quasi ex dispensatione, vt habes lib. 2. Paralip. & Ozias lepra percussus sit, ob vsurpatum munus offerendi incensum: vt dictum est. In lege autem noua, quanquam vnius carnalis generis, vt olim, non efficiãtur Sacerdotes; vnius tamen ordinis sacri collatione ab Episcopis fiunt, & horum tãtùm est propriè sacrificare.

Sacrificij secundarium efficiens, seu minister.
Hebr. 5.
2. Paral. 26.
Exod. 29. & Leuit. 1.
Gen. 4.
Sacerdotes in lege naturæ cũ alijs cõueniebant: & ad quos postea sacrificandi munus fuerit restrictũ.
Hebr 12.
Gen 25.
Primogenita Esau à se vendita, quę fuerint.
Eucherius in c. 25. Genes.
Exod. 24.
Leuit. 6.
Num. 7.
2. Paral. 29.
Ibidem 26.

Sequitur finis, qui vt in alijs rebus solet esse effectus, vel fructus, ita etiam in sacrificio: cuius fructus ad hoc omnes possunt reduci. Primus est, Excusatio aliorum peccatorum vt idololatriæ, & superstitionis sanctaque occupatio: nã inclinati sumus ad cultum externum vsq; adeo, vt vero negato Deo, ad falsum aut fictum accurramus, vt constat in pueris domi altaria cõstruentibus, & Sacerdotum munera ecclesiastica imitãtibus, vt testatur Gulielmus Parisiensis. Secundus, protestatio internæ fidei, ac deuotionis, quæ est ad Deum vt summum ens, & dominum, ac gubernatorem, creatoremque, quo semper egemus, volũtaria subiectio: proinde vt intus credimus, & afficimur illi, ita foris non tantùm ore, sed etiam cæremonijs soli Deo debitis, hoc est, tẽplo, altari, sacrificio, & Sacerdotio protestamur. Tertius, Deum summè bonum in se ipso ex amore etiam internè laudare, & honore summo prosequi, nihil ab eo petendo præter ipsum; quod holocausto fiebat. Hinc illud: *Sacrificium laudis honorificabit me.* & iterum: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Quartus, commercium, vnioq; cum Deo, dando illi quæ nostra sunt, & sua suscipiendo intermedio Sacerdote, ex quo omne bonum nostrum. Respexit enim Deus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autẽ, & ad munera illius nõ respexit: & alibi, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.* Erat etiam commercium in eodem cibo; de quo edit Deus per ignem: vnde lætitia, & gaudium, secundùm illud: *In voce exultationis & confessionis sonus epulantis.* Et per Esaiam: *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt super altari meo.* Quintus, erat gratiarum actio de beneficijs, quod fiebat hostia pacifica, de qua Psaltes: *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est cor meum in tribulatione mea.* Et Tobias: *Fac eos Domine plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre.* Sextus, impetratio noui beneficij, siue temporalis, siue spiritualis: vt victoriæ Iephte & sapientiæ obtinendæ à Salomone. Dauid: *Benignè fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, &c. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta,* id est: si exaudieris, offeremus tibi, & hoc fiebat hostia pacifica. Septimus, redemptio sui, & alieni peccati, iuxta illud: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur ab ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* & alio loco: *Pro peccato suo offeret arietem immaculatum de grege, &c. & dabit eum Sacerdoti, qui rogabit pro eo corã Domino, & dimittetur illi.* Octauus, significatio

Finis sacrificij & fructus.
I. Fructus.
Quam sit humana mens ad cultum externum propensa.
Gulielmus Parisiensis.
Secundus.
Tertius.
Psalm. 49.
Ibidem.
Quartus.
Gen. 4.
Malach. 1.
Psalm. 41.
Esai. 56.
Quintus fructus.
Psalm. 65.
Tob. 8.
Sextus.
Iud. 11.
3. Reg. 3.
Psalm. 50.
Septimus.
Hebr. 5. & infra 8.
Leuit. 6.
Octauus.

rei

Exod.12.
Suprà 11.
Leuit.6.
Gen.14.
Hebr.7.
Leuit.14.

rei præteritæ: vt agnus quotannis immolatus, egressionis de Ægypto, & præseruationis primogenitorum Ægyptijs mortuis; azymi, egressus de Ægypto, non conspersa farina; vel rei futuræ, vt idem agnus sacrificij crucis cruenti, & incruenti in Eucharistia; & vt simila in Leuitico, in monumétum odoris suauissimi Domino: id est, in memoriam suauissimi sacrificij Crucis. Panis etiam, & vinum Melchisedec, præfigurabat nostrum sacrificium futurum. Interdum etiam præsentis: vt sacrificium oblatum pro peccato, significabat sacrificium cordis contriti præsens; vel fidei, vt sacrificium Heliæ; vel spiritus boni, vt sacrificiū Gedeonis; vel gratiæ, vt matris Samsonis? vel facti contra debitam viro fidem, vt sacrificium zelotypiæ. Postremus fructus sacrificij, erat significatio, qua certa reddebātur pacta inita: vt cùm reciperent legem: & ita in fœderibus sanciendis semper adhibebantur hostiæ. Et hi sunt in genere sacrificiorum fructus, ad quos præstandos instituta sunt à Deo.

3.Reg.18.
Iudic.6.
Infra 13.
Num.5.
Sacrificij vltimus fruct⁹.

An verò prçter ea quç dicta sunt, ad naturam, & essentiam sacrificij spectet esus sacrificij, meritò indagandum est. Nam si de esu Dei per ignem sit quæstio, non est dubium ad eius essentiam pertinere: nam ipsa combustione fiebat sacrificium. Hinc dicitur: *Offeres totum arietem in incensum super altare.* Et rursus: *Adolebit ea Sacerdos super altare in pabulum ignis, & oblationis Domini.* Quòd si sit sermo de esu hominis; dicendum, in omnibus alijs hostijs ab holocausto, necessarium extitisse ad cōplementum & consummationem sacrificij. Quod verò non sit de essentia, ex eo cōstat, quia edens talia, iam edit sacrificia: quemadmodum communicans corpori & sanguini Christi. Vnde Chrysostomus ait: *Quando habes sacrificia in manibus*; & Theodorus Balsamo testatur, quòd vtens præconsecratis nō sacrificat: Ergo iam factum erat sacrificium. Ad hæc in Deut. dicitur: *Non habebunt Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem, & hæreditatem cum reliquo populo Israël, quia sacrificia Domini, & oblationes eius comedent. Et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum.* Idem tradit liber Numerorum, ac Iosue. Quod verò esus sacrificij cōpleat, quod attinet ad bonum, & fructum eius edenti applicandum, probatur ex his, quç in Exodo habentur: *Sumes quoq; pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisq; illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem suam. Sanctificabisq; & pectusculum consecratum, & armum, quem de ariete separasti.* Infra: *Arietem autem consecrationis tolles: &*

An ad naturā & essentiam sacrificij spectet sacrificij esus.
Exod.29.
Leuit.3.
Altera solutio.
Chrysost.6.Sacerdotij, to.5.
Theod. Balsamo.
Deut.18.
Num.18.
Iosu.13.
Exod.29.

coques carnes eius in loco sancto, quibus vescetur Aaron, & filij eius. Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij, comedēt: vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus. Hæc ibi. Ad hæc in Leuitico dicitur: *Sacerdos qui offert* (scilicet hostiam) *comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi:* super quo Rupertus ait, necessarium esse esum Eucharistiæ. Augustinus: *Manducare,* ait, *panem, quod est in Nouo Testamento sacrificium Christianorum.* Sic ille. Ideo Concilium Tolet. XII. reprehendit sæpè in die consecrantes, & in prioribus Missis non communicantes: & Concilium Neocæsariense offerre vocat communicare: & Laodicenum Concilium, in communione tradit esse fructum oblationis.

Leuit.6.
Rup. in 6. c. Leuit. cap.32.
Aug. li.17. de ciuit. Dei, c.5. tom.5.
Concil. Tole. XII. cap.5. de consec. dist.2. c. relatum est nobis quosdā.
Conc. Neocæsar. ca.13.
Laodic. Concil. ca.6.

Est ergo necessarius esus non ad naturā sacrificij, sed ratione præcepti ad fructum sacrificij sibi applicandum: ideo esus nō intrat definitionem sacrificij: quæ ex disputatis colligitur esse talis; Sacrificium, est actio mystica à Deo instituta, & per eius Sacerdotem ministrata: rem sensibilem Deo soli sacram faciens, atque ei offerens ad fructus illos nouem percipiendos: vel, Est res sensibilis per actionem mysticam à Deo institutam, & eius Sacerdotem ministratam; soli Deo sacratam, atq; oblatam ad dictos fructus adipiscendos. Quæ definitio tribus est exemplis, ac comparationibus elucidanda. Primùm igitur, quòd nomen & definitio prædicta conueniat sacrificijs legis naturç, & Moysi, adeo est certum, & exploratum ex his, quæ proposuimus, vt maiori explicatione non indigeat. Nam omnia illa, quç diximus de sacrificio apertè competere sacrificijs Mosaicis, ex Scripturis sacris est demonstratum.

Sacrificium propriè quid sit.
Alia definitio sacrificij.
Dicta definitio quod cōpetat sacrificijs legum naturæ & Moysis.

Quod verò etiam conueniat sacrificio cruento crucis, facilè ostenditur. Primò enim ei competit nomen sacrificij: Oblatus enim est, quia ipse voluit; & vnica oblatione, consummauit in sempiternum sanctificatos. Deinde ipse ait: *Pro eis ego sanctifico me ipsum.* & rursus: *Sacrificium, & oblationem noluisti: aures autem* (siue, vt ait Paulus, corpus) *aptasti mihi.* Et si naturam, rationemque sacrificij diligentiùs expendamus, & in causas suas distribuamus, facilè congruere Christo, cruentè in cruce sacrificanti comperiemus. Nam materia sensibilis, fuit Christus homo, vel corpus eius, de quo ait Paulus: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Et ipsemet Dominus per Prophetam: *Aures autem aptasti mihi.* Singulare fuit in hac hostia, quòd humana fuit, & rationalis, &

Prædictā definitionem cruento crucis Christi sacrificio conuenire.
Esai 53.
Hebr.10.
Ioan.17.
Psalm.39.
Hebr.10.
Cruēti sacrificij materia.
Gal.2.
1.Petr.2.

Hostia Christi cruenta quid habeat singulare.

non exacta à Deo, nisi præcognito, & posito peccato, sed dæmones illam exegerunt. Deus enim horrebat huiusmodi sacrificia, quæ tamen dæmones sibi mactari, & offerri pręcipiebant, quod Dominus nunquam fecit, imò lege prohibuit: quanquam nolentibus sibi obedientiam debitam præstare, benè vsus est, præcipiendo Christo, vt illatam mortem acceptaret, & sibi offerret, & oblata est soli Deo. Sed singulare est, quòd offerens sibi ipsi obtulit, id est, Christus homo sibi vt Deo. Forma fuit, actio sanctificans: non solùm enim Pater sanctificauit Filium, & Christus ab Incarnationis momento, quæ placita sunt ei semper faciens sanctificatus est, sed imminente passione, dixit: *Pro eis ego sanctifico me ipsum*; & vt Apostolus ait: *Quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, quemadmodùm crucifixoribus se sponte obtulerat.* Et actio fuit externa, quia vt Apostolus ait: *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia:* sed singularis fuit actio, quia semel tantùm ab vnico sacerdote facta est, & super rem summè sanctam, maiorisque sanctitatis minimè capacem. Porrò efficiens, Deus fuit, qui proprio Filio suo non pepercit; & vt Petrus ait: *Hũc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis.* Sed hoc est hic singulare, quòd instituens hostiam, prohibet mactare: ac Sacerdos proximè offerens Christus homo est, spiritu forti carnem infirmam Deo litans. Vnicum verò, ac eximium, quòd se sibi pro se offert summè merendo: nam valuit ad gloriam corporis sui, & ad expiationem, & redemptionem corporis sui mystici. Singulare deinde est, quòd non mactat ipse, & mactans peccat, ac demeretur: sicut ipse sinens se mactari, summè promeritus est.

Forma eiusdem. *Ioan. 8.* *Infrà 17.* *Hebr. 9.* *Supra 5.* *Efficiens.* *Rom 8.* *Act. 2.* *Singularia duo habet.*

Hostię Christi cruentę finis & fructus multiplices.

Finis verò eiusmodi sacrificij, inprimis fuit euitatio peccati tali ac tanta expiatione indigentis ex exemplo semel passi Christi, summeque idololatriam propulsauit, qui pro vno Deo, eiusque cultu asserendo passus est. Hinc dixit: *Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus hinc.* Deinde additur fructus significationis, & quia summum sacrificium est, potiùs significatur, quàm significet, & tamen impropriè significat nobis magnam Adæ innocentiam, pro qua recuperanda Filius DEI sacrificatus est, postq; peccatum, & inferni pœnam, pro quibus abolendis crucifixus est; ac vitæ æternæ gloriam, pro qua vobis donanda, tanta perferre voluit. Est enim crux Christi liber, in quo omnia leguntur. Tertius fructus, ratihabitio fuit totius Fidei Euangelicæ, & fœderis, quod cũ mundo sanciuit, vt sit velut arcus à Deo traditus Noë, in signum quod non erit amplius diluuium super terram. Quartus, est commercium, quod per hanc hostiam contrahimus cum Deo; vt Apostolus dicat: *Quomodo non etiam cum illo* (scilicet in mortem dato) *omnia nobis donauit?* Hinc velum templi scissum fuit, vt ad secreta intelligenda agnoscamus nos euectos: quia reconciliauit nos cum Patre. Vnde dixit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, id est, Patrem & omnes homines, vt cum Patre vnum sint. Quintò, fuit & gratiarum actio, si in panibus, & vino Melchisedech fuit: & agnouit omnia præterita beneficia, & amplissimas Patri pro nobis gratias egit. Sextò, fuit & impetratio beneficiorum: quia impetrauit, vt exauditus ipse pro sua reuerentia, in omnibus suis membris postulando exaudiretur: *Postula à me*, inquit, *& dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ.* Septimò impetrauit remissionem omnium peccatorũ nostrorum: nam dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Octauò, fuit causa summè laudandi Deum, & Christum, qui ex amore nostro tanta pertulit; ac proinde verum fuit holocaustum, nihil habẽs reijciendum. Vides igitur quàm rectè ratio sacrificij cruentæ Christi victimæ competat?

Ioan. 14. *Crux Christi qualis liber sit.* *Gen. 9.* *Rom. 8.* *Matth. 27.* *Quid veli scissio significauerit.* *Ioan. 12.* *Gen. 14.* *Hebr. 7.* *Hebr. 2.* *Psalm. 2.* *Apocal. 1.*

Hostię Christi incruentæ & nomen, & rationem sacrificij etiam conuenire.

Sed non minus profectò incruentę hostiæ Eucharistię aut nomen, aut ratio sacrificij congruere apprehenditur. Et quia de causa formali, siue de actione mystica, per quam perficitur sacrificium, nonnulla est differentia inter Doctores, non grauabor pro rei huius subobscuræ elucidatione hoc diligenter discutere atq; expendere.

In sacrificio quatuor sũt, & an omnia illa necessariò requirantur.

Cùm igitur in Missæ sacrificio quatuor inueniantur, nimirùm Consecratio, Oblatio, Fractio, & Consumptio; dubium consurgit, in qua actione illarum quatuor consistat sacrificium. Qua in re cum hæreticis nulla est controuersia: nam cùm illi negent sacrificium, consequenter negant in aliqua illarum, vel pluribus, vel omnibus posse consistere. Disputatio ergo hæc inter Theologos existit, & plures sunt inter eos sententiæ. Prima tenet, in omnibus illis quatuor consistere: ita vt si quid illorum desit, perfectum non sit sacrificium. Ita sentit Canus lib. 12. de locis Theolog. in responsione ad 4. argument. vbi copiosè

Melchior Canus vnde pro

de ea re differit. Duo enim priora, Conſecrationem ſcilicet, & Oblationem, certum eſt neceſſaria eſſe, ſine quibus nullo modo intelligi poteſt ſacrificium: maximè quòd Chriſtus in benedictione, & gratiarum actione ſimul cum cõſecratione illa duo ſine dubio intellexit. Quartum etiam, hoc eſt Communio, conſtat ex Concilio Tolet. XII. cap. relatum, & ex Auguſt. cap. Cùm frangitur, de cõſecrat. diſt. 2. *Quale*, inquit, *ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſt?* Tertium verò de Fractione, hac ratione oſtenditur: Quia in Chriſti ſacrificio hæc actio etiam reperitur, & illa eſt quæ ſacrificium facit: ſiquidem circa rem oblatam aliquid fieri debet, vt dicatur ſacrificium: Quòd autem fiat niſi hoc, nõ cernitur. Accedit, quòd etiã ibi repræſentatio ſit cruenti ſacrificij. Producitur & D. Thomas 2. 2. q. 75. art. 3. ad 3.

bet in omnibus illis ſitũ eſſe ſacrificium.

Tolet. XII.
B. Auguſt.

B. Thom. in 11 p 3.

Secunda eſt ſententia Soti qui in 4. ſenten. q. & artic. 1. tenet tria eſſe, quæ neceſſaria ad ſacrificium ſunt, & inter illa primas tenere Communionem, propter verba illa Concilij Toletani XII. & quia cùm hoc ſacrificium ſit repræſentatio Chriſti paſſionis, & in ſumptione hęc paſſio commoretur, iuxta illud; *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, videtur ſpectare ad eſſentiam ſacrificij. Accedit, quod holocauſtum in conſumptione præcipuè conſiſtebat: cùm igitur perfectum ſit hoc ſacrificiũ, videtur quòd in Cõmunicatione ſit præcipua pars eius. Adhęc, ideo (inquit) cõſecratur Chriſtus, vt immoletur: quando aũt id fiat, nullus dicere poteſt niſi quando conſecratur, tũc enim offertur, & mactatur: ex quo colligit ſine communicatione non eſſe ſacrificium. Et ita laici quodammodò etiam Chriſtum ſacrificant, cùm communicant.

Sotus quæ tria tantùm dicat eſſe de eſſentia ſacrificij.

1. Cor. 11.

Tertia ſententia quorundam Patrum ponit ſacrificium in duobus, nimirùm in conſecratione, & oblatione: quam tenent Chlictoueus libr. 2. in Lutherum, cap. 16. Eckius lib. 3. cap. 9. Roffenſis cõtra Lutherum in defenſione Aſſertionum. Sine oblatione enim ſacrificium eſſe non poteſt, minùs ſine conſecratione: reliqua non videntur pertinere ad ſacrificium, vt ſit.

Quę verò ſecũdùm alios duæ ſacrificij partes tantummodò.
Chlictou.
Roffen.

Vltima ſententia tenet, ſolum ſacrificium eſſentialiter in conſecratione conſiſtere; per alia potiùs explicari quod factum ſit, quàm quòd ſacrificium fiat. Ita Ruardus Tapper artic. 16. nõ longè à principio, & Gaſpar Caſallius libro de ſacrificio, & Gulielmus Halanus libr. 2. cap. 15. de ſacrificio. Verum eſt, quod inter Ruardum, & hunc, multũ intereſſe videtur: quia Ruardus & Caſallius vidẽtur admittere panem & vinum ſacrificari, quando tranſmutantur; Chriſtum verò potiùs offerri, quàm ſacrificari. Vnde modus illi ſacrificandi, vt iſti ſentiunt, ſimilis eſt ille, quo Chriſtus ſe offert modò in cœlis. Gulielmus verò tenet, reuerà Chriſtum, nõ panem, vel vinum ſacrificari in conſecratione, & non ſolùm offerri.

In qua ſola illarum partium conſiſtat ſacrificium iuxta ſententiam aliorum.
Ruar. Tap.
Gaſpar Caſ.
Guliel. Hala.

Et quia hæc probabilior videtur ſententia, & à pluribus Patribus aſſerta, pro eius maiori explicatione dicendũ, primò, aliud eſſe ſacrificare, aliud offerre rem immolatam: illud enim ſemel fit, hoc poteſt fieri ſæpiſſimè. Sic cernimus in Chriſto, qui offert perpetuò corpus ſacrificatum ſemel. Secundò tria ſunt in ipſa cõſecratione, nimirùm panis & vini corruptio: permutatio ſubſtantiæ panis & vini in corpus Chriſti, & Sacramentalis diuiſio corporis, & ſanguinis Chriſti.

Aliud rẽ immolatam, aliud eſſe ſacrificium.

Quę tria ſint in conſecratione.

His poſitis, ſit prima aſſertio: Communio, ſeu conſumptio Sacramenti, nõ videtur pertinere ad eſſentiam ſacrificij. Primò, quia Scriptura diſcernit inter ſacrificium, & participationem ipſius, vt patet 1. Corinth. 10. *Nónne*, inquit Paulùs, *qui edũt hoſtias, participes ſunt altaris?* Et in Canone Miſſæ oramus: *Vt quotquot ex hac altaris participatione, ſacroſanctum Filij tui corpus, & ſanguinẽ ſumpſerimus, &c.* Vbi inter hoſtiam, & hoſtiæ conſumptionem diſtinguitur. Ita Deutero. 18. & Leuit. 10. de immolatis Dominus iubet comedere. Præterea nullus dixit Laicos eo ipſo ſacrificare, quod cõmunicant; hoc enim abſurdum eſt, cùm ſacrificium facere, ſit proprium opus Sacerdotis. Nam illi ſoli dicitur; *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia Dei.*

Quod cõmunio, non ſit de eſſentia ſacrificij.

1. Cor. 10.

Deut. 18.
Leuit. 10.

Nec obſtat, manducantem annuntiare memoriã paſſionis. memoria enim in conſecratione conſiſtit primò & per ſe, & in ipſo vſu ſacrificij, vt dicemus. De illa enim Chriſtus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Secundò tamen poteſt in vſu eſſe recordatio paſſionis CHRISTI in cruce immolati: participatio enim fit eo ipſo, & neceſſaria debet eſſe recordatio paſſionis Chriſti, quatenùs immolatus eſt. Nam annuntiant mortem Domini, teſte Paulo.

Ad illud: Cõmunicãs annuntiat mortẽ Domini.

Luc. 22.
1. Cor. 11.

Secunda aſſertio: Fractio illa hoſtiæ, & mixtio quę fit in calice, non pertinet ad eſſentiam ſacrificij, licèt benè ſit ſacrificalis operatio, ſeu cæremonia ſignificans quod factum fuit in ſacrificio: ſicut in Baptiſmo multæ cæremoniæ adhibentur, quæ non ſpectant ad eſſentiam eius. Et probatur primò; quia hæc cæremonia, licèt

Hoſtiæ fractionem, & mixtionem cum ſanguine ad ſacrificij ſubſtantiã minimè pertinere.

antiquissima sit, & ex Apostolica traditione profecta, à Christo tamen nō fuit instituta vt necessaria,& ante illam fractionem iam ibi est Christus immolatus, & oblatus in Missa.Imò D.Thomas ait potiùs significationem habere corporis mystici,quàm Christi. Vel possumus dicere, significare id quod factum est, scilicet diuisionē corporis à sanguine, & vnionem similiter, vt docet Augustinus de consecra. dist.2. cùm frangitur hostia Dominici corporis, in cruce immolatio designatur. Designat etiam factum in consecratione diuersarum specierum: per quod soluitur id, quod dixit Canus.

D.Thomas loco præcitato. D.August.

In oblatione non esse positum Missæ sacrificium.

Tertia assertio: Non consistit sacrificium in illa vocali oblatione panis, & vini ante,vel post consecrationem facta. Et in antecedente clarum esse videtur: quia cùm Christi corpus hîc offeratur, in illo tamen tempore nondum sit, nec potest dici illa ad sacrificium pertinere. Quare dicendum est illam per anticipationem dici, quia scilicet statim,breuique futura sit.

Quare Christus vocali oblatiōe nulla sit vsus.

¶Sed quòd nec in sequentibus, ita probatur: quia CHRISTVS nulla tali vocali oblatione vsus est, quòd fecisset, si intrinseca esset sacrificio: tum quia ferè omnes illæ oblationes vocales ponūt immolationem factam: quia sacerdos offert immaculatam hostiam, sanctam, &c. Et facto iam sacrificio orat, & offert dicendo; *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, &c. offerimus præclaræ Maiestati tuæ hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ; & calicem salutis perpetuæ.* Præterea in veteri lege nulla vocalis oblatio, sed ipsa mactatio in Dei gloriam dicebatur sacrificium.

Soluitur hoc: Cur sit oblatio, si non est intrinseca sacrificatio.

Si dicas;Cur igitur fit oblatio? Respondeo: vel vt significet quod factum est; vel melius, quia oblatio latiùs patet quàm sacrificium. Vnde licèt in consecratione fiat sacrificiū, tamen oblatio rei immolatæ fieri potest sæpè,vt dictum est. Id enim quotidiè in Christo videmus, qui se quotidiè in cœlis offert, non tamen sacrificat:potest etiam homo hoc modo offerre hostiam istam pluries,sed non sacrificare.

Hebr.2.

Quòd sola consecratio sit de essentia sacrificij. B.Dionys. Areop.

Sequitur quarta assertio; solam scilicet consecrationem esse substantiam sacrificij: quod probatur ex Dionysio c.3. de Ecclesiast. hierar. q.2.2. à medio, appellat enim cōsecrationem, mysticam sacrificationem circa panem & vinum: nam ipsorum oblatio dicitur diuina,immaculata hostia, dicūtur dona sancta, sacrificia illibata, oblatio benedicta, adscripta,rata:& per hęc omnia sine dubio significatur corpus, & sanguis Christi in consecratione. Ad id pertinet Græcorum cæremonia,qui cùm assumunt panem ad consecrationem,aiunt; Sicut ouis ad occisionem ductus est: Tertiò lanceolis minutis pungunt panem consecrandum in dextro latere, addentes illud, *Vnus militum lancea latus eius aperuit*;Vt,quid agatur in consecratione,significetur. Præterea eo ipso quod sit consecratio, Christus immolatitio modo ibi existit: nusquàm enim existit, nisi in eo, quod frangitur, & funditur sanguis, vt Christus dixit, *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*; Et, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur:* Ergo tunc sacrificatio fit primò, & ibi Christus conficitur,& ibi mactatur, ergo ibi sacrificatur.

Græcorum ritus sacrificandi. Esai.53. Ioan.19. 1.Cor.11. iuxta Græcū. Luc.22.

Eucharisticū sacrificiū in desitione panis, aut in eius transmutatione in corpus Christi minimè consistere.

Quinta assertio: Sacrificium hoc altaris non consistit in desitione panis, aut in eius transmutatione in corpus Christi,contra aliquos, scilicet Ruardum, & Casalium. Primò, quia communis sensus sanctorum, & omnium Christianorum est, in religione Christiana non esse aliud sacrificium quàm corpus,& sanguinem Christi;at verò si in eo consisteret panis, panis esset sacrificium quod offertur. Deinde sequeretur,quòd non esset victima, & hostia rationalis, & sancta, quod est in Canonem,quia res inanimata sacrificaretur. Tertiò sequeretur, operationem, in qua propriè est sita sacrificatio, & in qua Deus maximè colitur, & summa latria,esse circa panem,& vinum. Quartò,aliud offerretur in altari,quàm in cruce oblatū fuerit: quæ omnia absurda, & falsa esse, nullus est qui non videat. Accedit,quòd Concilium Tridentinum nil aliud esse sacrificium, quàm corpus,& sanguinem agnouit.

Trid.Synod. sess 22.c.1. & 2.

Cur Patres Eucharistiā appellent sacrificium panis & vini. August.to.3. Cyprian. Irenæ. Psal.109.

Sed dicis, passim à Patribus appellari sacrificium panis, & vini, vt Augustino, vel potiùs Fulgentio, in libro de fide ad Petrum, cap.19. & Cypriano libro secundo, epistola tertia. Irenæo libr.4. cap.31. Imò in Antiphona legimus: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedec, panem & vinum obtulit.* Respondeo, hæc dici à Patribus, non quia panis, & vinum sacrificantur, sed quòd materia remota sit,ex quibus corpus, & sanguis CHRISTI efficitur, quod sacrificatur. Deinde sacrificium panis & vini dicitur, id est,corporis Christi, & sanguinis eius.

II.ratio.

Dicuntur enim hæc ita, propter rationes superiùs dictas. Vnde Cyprianus: *Obtulit*, inquit, *hoc idē quod Melchisedec obtulerat, id est,panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Tertiò olim panem, & vinum in Ecclesiā adferebant ad cōsecratio-

III. ratio.

nem,

Matiscon. Cō cil. 2. Ioan. Diac.

nem, & eleemosynas, vt docet Concilium Matisconēse 11. c. 5. & Ioannnes Diaconus in vita Gregrij Primi, cap. 24. passim. Dicebant autem illi sacrificia impropriè pro oblatione illa, & sic forsan sumitur, cùm ante consecrationē dicuntur sacrificia panis, & vini.

Quod sacrificium altaris per se in speciebus panis, & vini consistat.

Sexta assertio: Sacrificium per se altaris nō cōsistit in illa mutatione, per quam acquirit esse Sacramētale, sed in hoc, quod est ad modum animalis sacrificati, hoc est, non per se in esse Sacramentali, sed in esse sic diuiso Sacramentaliter, id est, in diuersis speciebus: sic enim mactatur, quatenùs sub diuersis speciebus existit. Itaque summus cultus iste, nec in panis desitione, nec per se in persona Christi, quę ad sacrificium pertinet, sed in tali esse, scilicet sub diuersis speciebus consistit. Secundò clarum, & euidens: quia hoc est per se immolari, & immolatio modo esse. Hoc etiam exprimit Sacrificium crucis, & immolationem, fractionemque, & fusionem sanguinis.

Quòd si dicas: Quomdo se habent illa duo? Respōdeo: tanquàm causa, sine qua non: quia illa duo ponūtur ad sacrificium, scilicet panis subiectum desinere, & fieri Christum præsentem. ¶ Similiter si roges: Species panis quomodo se habet ad sacrificium? Respondeo: Sicut se habent ad Sacramentum. Sicut enim Christus non esset sine his specieb⁹ aptus ad significationem, & perceptionem, ita nec in ratione sacrificij nec aspectabile, nec iterabile, nec tractabile esse posse.

Quomodo species panis se habeat ad sacrificium.

Septima assertio: De alijs actionibus quę sunt circa species, & corpus Christi, dico; quòd licèt nō pertineant ad essentiam, pertinent tamen vel ad integritatem, & perfectionem, vel maiorem significationem. Offertur sæpiùs, quia non repugnat semel immolatum pluries offerri in diuersos fines: quomodo non à solis Sacerdotibus, sed ab omnibus astantibus offerri potest. Itaq; solida est sententia, quod in consecratione peragitur illa actio mystica, per quam Christus propriè sacrificatur, vt egregiè docet Cabasila cap. 32. non antequàm panis sanctificetur, vel postquàm sanctificatus est panis, sed eo ipso tempore quo sanctificatur, sacrificium peractum est. Idem tradit B. Thom. in 3. p. q. 82. art. 1. ad 1. & in art. 10 in corpore arti. & in solut. ad 1. & ideo etiam dici potest, quòd hic mactatur, dum scilicet est sub diuersis speciebus, vbi à sanguine separatum est corpus. Vt enim existit Christus Sacramentaliter, sic etiam Sacramentaliter mactari, & mori

Oblatio, fractio, & consumptio qua-tenus sint partes sacrificij Eucharistici.

B. Tho. to. 13.

dicitur, & fit eius omnimoda consumptio in cōmunione, siue perceptione, quia tunc vel paullò post desinit esse sub speciebus. Id etiam Veteres Patres agnouerunt, & ita locuti sunt. Nam Leo serm. 7. de pass. ait Christum præuenisse mortem suā per oblationem voluntariam in Sacramento. Hesychius libr. 2. cap. 7. in Leuit. cùm cœnaret Dominus, ait seipsum occidisse. Gregorius Nyssenus homil. 1. de Pascha, ad medium: *Cuilibet hoc perspicuum est, quòd oue vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit. Qui igitur dedit Discipulis corpus suum ad comedendum, apertè demonstrat iam perfectam & absolutam factam esse immolationem. Non enim ad edendum idoneum esset corpus victimæ animatum.* Chrysostom. homil. 24. in priorem ad Corinth. ait in Eucharistia Christum pati, & occidi. Gregorius Roma. libr. 4. Dialog. capit. 48. *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri?* &c. Id est, quando profert verba consecrationis Sacerdos. Adhæc Christus sacrificando expressit: Corpus quod pro vobis funditur, vel traditur, & sanguis, qui pro vobis funditur: porrò frangi, & fundi, verba sunt ad sacrificium spectantia. Fundebatur olim sanguis sacrificiorum, & tingebat, sed non bibebatur, vt modò: frangebatur omnis hostia alia ab holocausto (quam totam absumebat ignis) vt de ea participare possent, vt in victima pacifica, & pro peccato: impositio manuum super hostiam præcedebat immolationem. Leuit. 8. & 9. Eleuatio etiam hostiæ immolatæ fiebat, quæ dicebatur Theruma, de qua: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Veterum Patrum testimonia. Leo. Hesych. Greg. Nyssen. Chrysost. to. 4. Greg. Rom. tom. 2.

1. Cor. 11. Frangi, & fundi, cuius rei propria.

Psal. 30.

Præterea est ibi materia sensibilis soli Deo oblata, nimirùm Christùs sub speciebus panis, & vini, & per eas sensibilis, quanquàm inuisibiliter ibi maneat: & substantia non per se sine accidentibus agnoscitur. Sed hoc habet peculiare, quòd materia transmutatur, & quòd hostia viua re ipsa non mactatur, sed in mysterio, vt est sub panis, & vini speciebus, mactari dicitur etiam à Patribus. Sed etiā ille qui præmactatus fuit in cruce, ibi est, sicut etiam in cœna quam fecit cum Discipulis, in Dei acceptatione præmactatus erat, & in proposito obedientiæ suæ. Vt prætermittam quòd actu iam pridie eius diei venditus erat à Iuda. ¶ Forma etiam adest verbis prolatis transmutans materiam: quod stupendum est miraculum, quo transmutamur ipsi, sicut oblatione offerimur, & sumptione sumimur. Tertiò, est efficiens, nempè Deus instituēs hoc sarificiū dicens: *Hoc faciten*

Materia sacrificij Eucharistici.

Matth. 26.

Forma, & efficiens.

Luc. 22. 1. Cor. 11. cere: quod similiter admirandum est. Christus verò, Sacerdos est, & hostia, & is, cui, & pro cuius gloria offertur. Sacerdos, minister est talem habens potestatem: qui semper visibilis, vel Christus inuisibilis, sicut Ioan 3. nobis baptizantibus, ipse baptizat in Spiritu sancto; semel tamẽ in cœna visibilis fuit, se ferens suis manibus. Quartò, finis huius sacrificij fuit, peccati fuga ex tanto sacrificio commemorato, & ita nobis applicato. Est enim hic Christ⁹ immortalis, & alimoniam immortalitatis administrat: totaque Ecclesiæ occupatio ad hoc vnum iuge sacrificium ritè colendum, & honorificandum refertur. Deinde est in eo summa significatio, & repręsentatio passionis, & nõnulla conuiuij futuræ gloriæ expressio, vt Ecclesia canat, *Recolitur memoria passioñ eius*, &c. *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Tertiò est certa quodammodò totius fidei euidentia hoc mysterio credito, & boni spiritus notitia, quia aperiuntur oculi in fractione panis; & non facti adulterij probatio: adultera tamen anima ad hoc Sacramentum accedens, meretur vt putrescat femur eius, id est, robur carnis, & fœcunditas sensus. Quartò, est commercium magnum Ecclesiæ cum Christo in eadẽ mensa cum illo edentis. Quintò est caussa, & materia diuinę laudis, ex amore quo se donauit in cibum; vt rectè dixerit Ionnes, *In finem dilexit eos*. Sextò, est gratiarum actio pro tanto munere crucis Christi, vt verè nihil aliud habeamus, quod pro tanto dono reddere valeamus, secuudùm illud; *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*. Et prætereà cùm ad actionem sacram peruenit Sacerdos, ait: *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Et responditur: *Dignum, & iustum est: quin imo æquum & salutare*. Septimò est impetratio gratiæ, & gloriæ, & temporalium bonorum, quatenùs ad salutem necessaria: nam edenti hunc panem promittitur vita æterna, & resurrectio: per quem est remissio peccati, quia sanguis Iesu Christi, qui in mysterio Eucharistiæ effunditur, emundat nos ab omni peccato; & Sacerdotes sunt hoc sacrificium offerentes: ergo pro peccatis offerunt. Et hactenùs tribus exemplis ostendimus nomen, & rationem sacrificij prædictis competere.

Finis & fructus Eucharistiæ.

Luc. 24.

Ioan. 13.

Psal. 115.

Ioan. 6.

Componuntur inter se hæc sacrificia tripliciter.

Iam inuicem conferenda sunt hæc sacrificia, quo magis eorum natura, & substantia elucidetur. Prima igitur collatio erit, primi & secundi sacrificij; Secunda, erit secundi, & tertij; Tertia, primi, & tertij. Et in qualibet harum dispiciendum est an ita differant, vt inter se pugnent, & si non pugnant, in quibus conueniunt.

Comparatio prima.

Age igitur, primo loco componamus primum sacrificium cum secundo, hoc est, Veteris legis sacrificia, cum cruenta passionis Christi hostia quantum ad differentiã. Differunt enim in materia, quantum differt Christi Humanitas, imò Christ⁹ Deus & Homo à brutis animalibus, vel plantis, quæ olim offerebantur: vt rectè propterea fit dictum; *Sacrificium & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi*. Deinde differũt in forma, quantum Christi actio, eiusque sanctificatio differt ab ea antiqui Sacerdotis. Tertiò, in instituente conueniunt; sed illa opus rude erat, hoc supremũ artis, in quo sibi summè complacuit. Sed differt in Sacerdote proxime offerente, quantum distat Christus à veteribus Sacerdotibus. Quartò conuenit in fine, nam hic per meliorem occupationem maior peccati fuga offertur, & ansa: significatio quoque quantum ad præteritũ, maior est: maior hic cognitio, & cõfirmatio Euangelicæ veritatis, quia Deus non finit Dæmonẽ illudere Ecclesiam: Cõmercium hîc, & in cœlestibus, sicut ibi erat in terrenis: Laus Dei ex amore vsque ad se mactandum, & non tantùm ad brutum procedens, vt illic: Hic gratiarum actio de æternis, vt ibi de temporalibus, & similiter impetratio: Remissio hic peccatorum vera, mediata, vel immediata, ibi tantùm remissio quarundam irregularitatum, quæ impediebãt ab ingressu templi, quæ vi institutionis legis soluebantur, non autem coram Deo: tum ob defectum Sacerdotum, qui mortales erant, & peccatores; tum ob infirmas hostias, quia impossibile erat sanguine taurorum & hircorum auferri peccata; tum ob organa imperfecta, & non vera, & Sancta sanctorum, & altare. Aliàs non prædicerentur reprobãda, nec nouo sacrificio opus fuisset, nec sæpe intrarent Sacerdotes in Sancta pro peccato originali, & illud consequentibus expiandis: sacrificium enim vetus originale delictum non remittebat, sine quo alia nõ expiantur. Non enim summus Sacerdos, nec alij inferiores id præstare poterãt: non enim summus, quia in verũ sanctum, id est in corpus Christi, in quo exaudit Dominus, minimè intrauit. Deinde, quia per alienum intrabat sanguinem. Tertiò, quia pro eodem peccato non iterato intrabat. Quartò, quia pro sua, & populi ignorãtia. Quintò, quia corpora cremabantur extra castra, nec ex illis edebant: ergo nec litabant, sed figurabant Christum, quem Iudæus non edit extra portam passum, id est,

Victimæ legalis & cruentæ passionis Christi hostia in quib⁹ differant, in quibusque conueniant.

Psalm. 39. Hebr. 10.

Hebr. 10.

Suprà 9.

Quare summus Pontifex legalis, & vetus remittere peccatum originale non poterat.

Ibidem. Exod. 30. Leuit. 16. Hebr. 13.

eſt, pro omnibus oblatum: minores quoq; Sacerdotes non litabant, quia ſæpè offerebant, & peccatores erant, & hoſtiam infirmam proferebāt. Ad hoc vnum ſemel oblatum eſt ſacrificium, & ab vno Chriſto Sacerdote; illa verò plura, & à pluribus, & pluries offerebantur, quia inefficacia, & infirma erant.

In quo differant, & in quo etiam conueniant hæc ſacrificia.

Deinde componenda ſunt inuicē quantum ad pugnantiam pertinet, & cōuenientiam. Cùm enim conueniant primò in inſtitutore, quatenùs eſt operis perfectioris, aut rudioris autor; & in materia ſenſibili, & forma, & fine humiliori, vel ſublimiori: pro tempore, & loco ſuo non pugnant. Tempus veteris ſacrificij, quod à peccato Adæ vſque ad nouum ſacrificium protenditur, cumque vetus peccata non expiaret; non poterat ſemper niſi fruſtrà, & cū damno durare. Locus electus à Domino, fuit tabernaculum, vel templum, & pro Iudæis vicinis, non pro Gentibus longè diſſitis (alias non caperet ille locus omnes venientes ter in anno ad templum: vt egregiè docet in libris de Demonſtratione Euangelica Euſeb. Cæſarien.) Tempus verò noui ſecundum ſpiritualem oblationem cœpit ab incarnatione; quantum ad realem, & corporeum verò, à cœna ad mortem. Locus verò electus fuit, Mons Sion, & mons Caluariæ; quantum verò ad virtutem attinet, cœpit ab origine mundi ad finem eius, & in omni loco, & gente fructum edere.

Euſeb. Cæſar. lib. 1. de Demonſt. Euāg. cap. vlt. to. 1.

Quibus de cauſis Aarō, & Chriſti ſacrificia cùm inter ſe conueniant in virtute ac fructu minimè tamen illa ſibi repugnarent.

Cauſſa verò, cur hæc ſacrificia etſi ſimul concurrerent in virtute ac fructu, non tamen pugnarent inter ſe, eſt in primis: quia non repugnant magis & minus in materia, maximè ſub eodem inſtitutore. Deinde quia vetus ſacrificium mediū quoddam erat ducens ad nouum tāquàm finem excuſans peccata occupando, atque hoc ſignificabat; etſi ad iuſtificandum eſſet infirmum, præparabat tamen ad nouum, vt Ioannes ad Chriſtum; & per modum excitationis tantū fidei ſiue operis operantis, nō tamen operis operati vim ſuam cōferebat, id eſt, remiſſionem peccatorum coram Deo, & impetrationem ſpiritualium donorum: quam vim qui ex fide erant, & non tantùm ex lege, hæc omnia ſibi deriuabant ab hoc ſacrificio, quatenùs finis illorum erat, & à Deo erat inſtitutum. Eſt autem hæc regula in Hæreticos noſtri ſeculi maximè ante oculos habenda. Vbi duo ſunt agentia, alterum principale per ſe idoneum, ac ſufficiens ad aliquid efficiendum; alterum autem minùs principale, quòd ex ſe vim nullam habet, niſi illam

Velis Canō doctrinę propoſitę deſeruiens ad recentium hæreticorū tenebras ignorantię diſpergendas.

tantùm, quam principale agens ſibi liberè communicat; tunc tale ſecundarium agens ad operandum ſibi adiunctum non ſolùm non derogat principali agenti, imò etiam ſummè arrogat. Quod his rationibus oſtendo. Nam principale agens alterius nullius opera indiget. Deinde quia liberè, & ſpontè communicat ſuam virtutem. Tertiò, quia quicquid eſt boni in ſecundario agente, perfectio eſt principalis ſparſa ſimul, & retenta, nullò ſuo cum detrimento: quæ quò maior eſt in riuo, eo perfectiorem indicat eſſe in fonte: quare quò diuinior eſt cooperatio, eò magis arrogat agenti principali: quemadmodum Sacramenta nihil adimunt ipſi CHRISTO; à quo totam ſuam virtutem mutuantur. Poſtremò omnis creatura, alioqui Dei adminiſtra, Deo derogaret (& quò perfectior, eò magis vt Chriſti Humanitas) imò vbi principale ſit minùs idoneum, & neceſſariò communicet virtutem ſuam, perfectior eſt eiuſcemodi communicatio: vt conſtat in cauſis vniuerſalibus ſecundis, non autem in prima cauſſa, quæ Deus eſt.

Agens ſecundarium à primario planè in actione ſua, effectuq; dependere.

Deinde, vt ad ſacrificium redeamus, vetus ſacrificium vltra metas temporis præſcriptas occupans illos, qui ad vetus ſpectant Teſtamentum, nouo cum ſacrificio pugnaret: vt contingeret, ſi quis poſt noui ſacrificij promulgationem perſiſteret in legalibus. Vnde cùm dixiſſet, *Sacrificium, & oblationem noluiſti,* ſubiunxit: *Ecce venio.* Illud enim veteris legis cùm non expiet peccatum, ſuperfluum videtur; & quia futurum ſignificabat, etiam eſſet pernicioſum, quia eſſet proteſtatio, quod nouum nondum veniſſet; ideo nec à Deo inſtituente moueretur ad retinendum vetus, ſed Iudæus à dæmone ageretur. Quemadmodum igitur lex illa non præſtabat remiſſionem, aut iuſtificationem, ita nec ſacrificia, vt dictum eſt; ac proinde ſi nudè obſeruarētur, diſſentirent, ac pugnarent cum nouo, ſi modò ſeruarētur ſimul cum nouo: quemadmodum lex vetus, ſi cum noua foret coniungenda. Atque hæc de prima collatione. Accedamus ad ſecundam, comparemusque inuicem primum, & tertium ſacrificium, id eſt, hoſtias legis cùm hoſtia Euchariſtiæ. Et breuiter dicendum eſt, penè eandem eſſe cum prima collatione: niſi quòd Chriſtus in Euchariſtia ſæpè offertur; & à pluribus Sacerdotibus ſecundarijs ob naturam peccatorum, quæ remittit, differentem ab ea peccatorum venia, quæ per cruentum Chriſti ſacrificium immediatè porrigitur. Denique primum ſacrificium, cui definitio aſſignata magis con-

II. ratio.

Pſal. 39. Hebr. 10.

II. collatio veteris ſcilicet cum nouæ Euchariſtiæ ſacrificio.

conuenit, quàm secundo & tertio, quia imperfectiùs est; priùs, & plus nobis notũ est; illa verò Christi cruenti, & incruenti ob perfectionem sunt singularia, vt Christus singularis inter homines alios fuit. Quia tamen Eucharistia Sacramentum est Noui Testamenti, & aliquam rationem ceremoniæ, & vmbrę habet; cum definitione sacrificij, & veteribus hostijs magis videtur conuenire: estq; finis, & perfectio illorum: & sic quodammodò Corpus Christi, quaten' in cruce oblatum est, ad veterem hostiam accedere videatur; quatenùs verò in altari offertur, ad nouam; vt sit lapis angularis vtriusque legis Testamenti, & Sacerdotij. Idemq; de Christo asserendum Sacerdote: nam quatenùs in cruce obtulit Corpus, & sanguinem suum, veteri functus videtur Sacerdotio; quatenùs verò in altari offert quotidiè per Sacerdotes, & in cœlo interpellat pro nobis apud Patrem, ad nouum Sacerdotium propiùs accedit.

Hebr. 7.

III. collatio sacrificij cruenti, & incruenti.

Iam de tertia, siue postrema collatione verba faciamus: & in primis illa, quæ spectant ad differentiam ponamus, deinde ea quæ spectãt ad pugnantiã, siue conuenientiam. Nam Christus cruentus, & incruentus in materia non differunt, quia vnus, & idem est Christus: sed ille patiens, hic impassibilis, ille visibilis, hic inuisibilis, ille corporeo, & naturali modo, hic verò spiritali ac Sacramentali existit. Deinde differunt in forma: nã illa cœnæ spectat ad conuersionẽ panis & vini sine vllo Christi dolore externo, ea verò per Sacerdotem fit, cum dicit; *Hoc est corpus meum*; at illa Christi cruenti, ad suam, omniumque salutem spectabat, & nõ sine dolore, quia cum clamore valido, & lacrymis offerens seipsum, exauditus est pro sua reuerentia. Tertiò non differunt in instituente Deo; & summo Sacerdote, qui idem est in vtraque victima: quanquàm in Eucharistia interueniant etiam secundarij Sacerdotes. Quartò, quantum ad finem attinet, in illo passionis sacrificio adest peccati excusatio per viam spiritualis occupationis in cõtemplando tanto mysterio; at Eucharistia non tantùm spiritu occupat, sed etiam sensu; & passio per ipsam Eucharistiam, vt administram operatur. Deinde in passione est significatio præteriti, nempè innocẽtiæ Adæ, vt diximus, sed impropriè; at in Eucharistia propriè passio exacta repræsentatur. Quantum ad futurum autem propriè Eucharistia, impropriè passio significat; quia veritatem sine cæremonia continet Christus cruentus; at Eucharistia, veritatem continet cum cæremonijs, quarũ est significare.

In quib' differant duo illa sacrificia, in quibus secum pugnẽt, siue consentiant.

II. discrimen.

Matth. 26.

Hebr. 5.

III. discrimẽ.

Quartum discrimẽ, quòd quidẽ in tria alia subdiuiditur.

Tertiò cõfirmatio pacti noui maior inuenitur in Eucharistia, quia addit noua Fidei mysteria, & quia sensibiliter percipitur, & ex pacto nos certiores reddit, quàm passio per solam meditationem applicata; quanquàm omnia bona, quæ per Eucharistiam nobis deriuamus, à cruẽto passionis Christi sacrificio proficiscantur. Et ita de aliis omnibus, in quibus Eucharistia debet precedere, intelligendum est. Quintò commercium nobis magis tribuit Eucharistia, quia sensibile, quàm passio sola meditatione: maior quoque protestatio Fidei in sacrificio Eucharistiæ, quia pluriũ est, quàm in sola crucis contemplatione. Porrò intellige comparationẽ inter spirituale & sensibile Eucharistiæ, & solum spirituale passionis; quod tamen excellit solum sensibile Eucharistiæ; solum autem spirituale Eucharistiæ non est sine sensibili. Nam si Eucharistia est Sacramentum; ergo sensibile habet coniunctum: etsi est tantùm ex voto, quia in eo non est opus operatum, pendet collatio minoris, vel maioris gratiæ ex opere operãte: quod varium esse potest: solum autem sensibile passionis fuit tantùm præsens assistentibus cruci, eosq; maximè permouit, sed ex fide sua quemlibet, & ex opere operãte. Sextò accedit laus ex amore, quo se in holocaustum pro nobis obtulit: quæ, quantum ad habitum amoris, eadem est, quãtum ad difficultatem doloris, & ignominiæ, maior fuit in cruce; quod spectat ad applicationem, maior est in Eucharistia, quia omnes in Dei laudẽ, & memoriam passionis Christi excitat. Septimò, gratiarum actio eadem vtrobique est Christi: nisi quod in cruce breuior fuit afflicti & patientis, in Eucharistia longior, gloriosior, & immortalis: hinc illa semen extitit, hæc fructus: nos tamẽ vt plurimum ex cultu Eucharistiæ, & meditatione magis accendimur ad gratiarum actionem. Octauo, impetratio in cruce fuit immediatè omnium donorum, quæ ante baptismum, & in eo colliguntur, & omnium etiam sequentium media Eucharistia, quæ tantùm sequentia munera immediatè impetrare solent, præcedentia verò, ne mediatè quidem. Atque ita tota impetratio passiõis maior videtur, si sermo sit de proximè obtentis. Nam Passio impetrat, sed sine labore nostro, & semel tãtùm, Eucharistia verò, cum eo, sed sæpè, vt sæpe repetitur. Nonò est remissio peccati: sed quia hæc res integrum requirit tractatum, consultò in sequentem reijcimus. Interim enitamur ex his disputationibus magnitudinem sacrificij Eucharistiæ comprehẽdere,

Quintum discrimen.

Sextum discrimen.

Septimum.

Octauum.

Nonum.

eius

eius fructus decerpere, eius venerationi insistere, eius frequẽtationi incumbere; quò magis Deum exaltemus, ac laudibus celebremus, eiusq; Filium, & sacrificij huius autorẽ imitari, ac vita nostra exprimere possimus Dñm nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu sancto semper viuit & regnat in secula seculorum Amen.

TRACTATVS XXX.

In quo agitur de sacrificio Eucharistiæ, an videlicet sit propitiatorium, & peccata per illud expiari valeant, & quæ peccata, & quorum, & quo modo.

De duplici Christi oblatione cruẽta, & incruenta, disseritur.

CVM Duæ præcipuæ sint oblationes à Christo factæ, altera cruenta, altera verò incruenta: illud in primis de cruenta inquiritur, an remittat peccata, & quænam peccata, & quorum, & quomodo. Et quod attinet ad primum, in promptu est responsio, illum de quo scriptum est: *Posuit Dominus in eo iniquitatẽ omnium nostrûm*; &, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi:* peccata omnia expiasse. Dices; Quæ peccata? Non tantùm ea, quæ ante primam gratiam acceptam admissa sunt (quia vt Apostolus ait ad Romanos, *Eum proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. In sustentatione Dei*, & quæ sequuntur. Et ad Hebræos; *Et ideo Noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Idem ad Colossenses: *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo; donans nobis omnia delicta, Delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti.* Et Petrus, *Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redẽpti estis de vana conuersatione paternæ traditiõis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Iesu Christi*) Non tantùm, inquam, illa, sed etiam quæ post primam gratiam adeptam perpetrauimus. Quoniam qui dixit; *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm*; & alter, *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*, non tam ad prẹterita, quàm ad præsentia, & futura respexerunt peccata quemadmodum & ille, qui dixit, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris:* & qui inquit. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et rursus, *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quãtò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortis, ad seruiendum Deo viuenti?* Adhæc Sacramenta quædam instituta sunt ad remittenda peccata post baptismi gratiam perpetrata, vt Pœnitentia, Eucharistia, & postrema Vnctio; quæ non nisi virtute sanguinis Christi vim, & efficaciam habent, vt Ioannes dicat, *Si in luce ambulamus, sicut & ipse in luce; societatem habemus ad inuicem; & sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato.* Præterea delicta, quæ post gratiam semel amissam committuntur, grauiora existunt, quia in Deum magis cognitum, & à minus infirmis, & minus fauore DEI destitutis hominibus perpetrantur, igitur & hæc sanguine egent vt expientur. Nam si peccata nulla futura fuissent post semel gratiã adeptam, profectò nouo sacrificio, vel interpellatione Christi in cœlo opus minimè fuisset.

Vtrum per priorẽ oblationem peccata remittantur. Esai 53. Ioan. 1. 1 Ioan. 2. Quænã peccata remittantur. Rom. 3. Heb. 9. Coloss. 2. 1. Pet. 1. Zachar. 9. Hebr. 9. Ibidem. Leuit. 16. Num. 19. Post baptismum cõmissa peccata, Sacramenta quæ deleant. 1. Ioan. 1.

Quòd si rursus interroges, quorum in cruce Domin' peccata extinxerit? Respondeo ex his, quæ dixi, non tantùm ea, quæ ante passionem fuerunt, de quibus dicitur ab Apostolo: *Sicut per inobediẽtiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obedientiam, iusti constituuntur multi*, sed etiam vniuersa, quæ post passionem ad missa sunt; omnium denique actu, qui aut habuerũt, aut habent, aut habebũt Dei gratiam: quia omnia traxit ad se ipsum, rursus ex se, & in potentia omnium aliorum, qui suo vitio gratia sunt destituti: nam ipse nõ tantùm pro nostris est propitiatio, sed etiã pro peccatis totius mũdi; & pacificauit per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Vt meritò in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Quorum in cruce Dominus peccata deleuerit. Rom. 5. Ioan. 12. Ioan. 2. Coloss. 1. Philip. 2.

Quòd si postremò requiras, quomodo remittat omnia peccata? Dicendum est, ex parte Christi id factum ob summam charitatem, & obedientiam, qua se Patri obtulit vsque ad morem; mortem autem crucis. Et de charitate dixit Dominus; *Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mãdatũ dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc.* Ex parte verò Dei, quia illud sacrificiũ acceptauit vt suauissimum, & gratissimum munus ad omnia delicta abolenda: ex parte verò nostra, debet adesse fides, & obedientia cõiuncta cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, atque

Qua ratione omniũ Dominus peccata remittat. Ibidem. Ioan. 14.

adeò operibus bonis, quia ita est oblatum, atque acceptatum hoc sacrificium pro Dei sapientia.

II. disputatio de Eucharistiæ sacrificio.

Iam secunda disputatio instituenda est de Eucharistiæ sacrificio, an videlicet peccata per illud expientur, & quæ sint illa peccata, & quorum, & quomodo: quemadmodum de cruenta victima superiùs disseruimus. Primum igitur in genere exponemus Scripturas sacras, atq; adeò Patres, & Concilia hanc agnouisse veritatem, peccata nimirùm hoc sacrificio expianda, imò etiam rationes huic sententiæ mirificè fauere.

A Scripturis.

Explicatur ille locus Psalmi, qui habet: Irascimini, & nolite peccare, cum reliquis.

Ait namque Dauid Psal. 4. vbi loquitur de Christi ascēsione, qua Dn̄s mirificauit sanctum suum; *Irascimini* (nimirum cōtra peccata) *& nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris, compungimini*, per pœnitentiam præparati ad vnicum iustitię sacrificium, id est, Eucharistiam iustificantem, & iustam satisfactionem finētem, iustitiamque cruentæ hostiæ repræsentantem: de quo subdit; *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, (& quia est pignus gloriæ, subdit) *& sperate in domino, multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?* quæ scilicet sacrificemus, & Deo offeramus? *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* Id est, gratiæ lumen, quod super naturam nobis collatum est, id docet, nec tantum docet, sed etiam lætari facit, vnde subdit: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et addit explicans naturam sacrificij: *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt* Id est, non tantùm remissionem peccatorum, sed etiam incrementum gratiæ per hostiam Eucharistiæ accipimus. Hunc locum de sacrificio Eucharistię intelligendū docet Cyprian. lib. in Iudæos, & Arnobius in Commentariolis in Psalmis, & Paschasius lib. De corpore Christi, atque alij nonnulli; ne quis existimet, nos voluntariè hunc locum de sacrificio Eucharistiæ interpretatos.

Cypria. lib. 1. in Iudæos. Arnobius in 4 Psalm. Pascha. lib. de corp. Christi, cap. 20.

Adfertur & ille locus à quibusdam: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.* Id est, ædificata Ierosolymâ, & posito in Ecclesia Dei per eam figurata Christo fundamento, acceptabis sacrificium iustificans Eucharistiæ; quod quia virtutem includit omnium veterum sacrificiorum, imò vincit, propterea dicitur acceptare oblationes, holocausta, & vitulos. Idem etiam ex illo loco Malachiæ colligitur, nam loquens de Christi aduentu, & Sacerdotio nouo erigendo, ait: *Et purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurū, & quasi argentū; & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificiū Iuda, & Ierusalē, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.*

Psal. 50. Dauid quid sibi velit, cū dicit: Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes, &c.

Malach. 3.

Vult dicere, sicut olim illa legis naturę sacrificia, peccata expiabant, multò magis Eucharistia in eis figuarta expiabit. Et vt multa alia testimonia prætermittam, venio ad Nouum Testamentum: Vox Domini est hoc sacrificium instituentis: *Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur*; & Paulus, *quod pro vobis frāgitur.* Quod in cruce factum nō fuit: nam forma efficit id, quod significat. Adde, quod Liturgia B. Iacobi in forma consecrationis habet: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remißionem peccatorum.* Basilius verò & Chrysostomus habent in suis Liturgijs: *quod pro vobis frangitur*, vel *pro vobis tradetur in remissionem peccatorum.* Adde, quod Matthæus de consecratione vini ait; *Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum.* Etsi autem effusio vera sanguinis facta sit in cruce, quotidiè tamen fit in mysterio Eucharistiæ, vt docet Augustinus; & propterea ad vtramque effusionem verbum Christi est accommodandum. Aliàs satis fuisset dicere; *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, sine alijs adiūctis. Adhęc Apostolus; *Si enim*, inquit, *cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius; multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Quæro, quæ est hæc vita, quæ faciliùs saluos facit iustos, quàm mors reconciliet peccatores, nisi sacrificium Eucharistiæ, in quo viuus, & immortalis Dominus Patri pro salute fideliū, & iam semel reconciliatorum cum Patre offertur? De quo mihi dixisse videtur Ioannes: *Si in luce ambulamus, sicut & ipse in luce; societatē habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi Filij eius* (nimirū in Eucharistia Patri oblatus) *emundet nos ab omni peccato.*

Quid sit illud Malachiæ: Placebit Domino sacrificiū Iuda, & Ierusalē, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Luc. 22. 1. Cor. 11. Theologorū axioma. Liturgia B. Iacobi Apostoli. B. Basilij atq; Chrysostomi Liturgia. Matth. 26. Etsi vera sanguinis Christi effusio facta sit in cruce, quotidiè tamen fit in mysterio Eucharistiæ. Augustin in Psal 75. ro. 8. Rom 5.

Quæ sit illa vita, de qua ait Apostol[us]: Multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. 1. Ioan. 1.

His adiungimus traditionem. Etenim Cōcilium Ephesinum in epistola ad Nestorium scribit: *Incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij seruitutem Sic etiā ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrûm redemptoris, effecti.* Hæc illud, tribuens sanctificationem Sacramento, quæ aliud propriè non est, quàm emundatio à peccato. Chalcedonensis etiam Synodus Sacramentum altaris afferri asserit ad sanctificationem, & populi distributionem. Sexta quoq; Synod[us] decernit, vt nullus Sacerdos vuam cū incruento sacrificio ad altare coniunctam adferat; sed ad viuificationē, & peccatorum remissionem, solam oblationē populo impertiat. Adde quod Alexander, quintus à B. Petro, in 1. epistola sic decernit: *Crimina atq; peccata, oblatis his Domino sacrificijs delētur. Idcirco & paßio eius in*

Patrum traditione idem ostenditur. Concilia. Concil Ephesinum I.

Sacramenti Eucharistici sanctificatio quid sit propriè. Syno. Chalcedon act. 10. VI. Synod. can 28. De consecr. dist. 2. cap. Didicimus.

Pontifices. Alexander.

bis commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpius recitanda, atq; hæc Domino offerenda. Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus; & peccata dimittet ingentia. Accedit ad hanc sententiam Iulius Papa in epistola ad Episcopos per Ægyptum: *Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificijs deleatur; quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?* Et Gregor. in lib. Dialog. *Debemus*, inquit, *præsens seculum, vel quia iam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius, & sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab interno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat: qui licèt resurgens a mortuis, iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter, atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti Filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorũ choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus, atque inuisibilibus fieri?* Sic ille. Vides Gregorium asserere, hanc hostiam ab æterno interitu animam saluare, & pro absolutione nostra hoc sacrificium offerri? Rursus alibi de vita Cassij scribit: *Singulariter* (ait) *ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus.*

Sed consulamus veteres Patres, & primo loco Martialem in epistola ad Burdegalenses, vbi habet: *Sacrificium Deo creatori offertur in ara; non homini, neque Angelo. Nec solùm in ara sanctificata, sed vbique offertur Deo oblatio munda, sicut testatus est: cuius corpus & sanguinem in vitam æternam offerimus, dicentes, Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Ipse enim corpus habens, & immaculatum, & sine peccato, quia conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; in ara crucis ipsum permisit immolari. Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere; nos caussa salutis nostræ in ara sanctifica-ta proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem.* Hactenùs Martialis, qui tam magnificè de sacrificio Eucharistiæ sentit, vt asserat illo solo remedio vitam æternam præstari, & mortem effugari. Audiamus Cyprianum de hac re ita disserentem: *Ex quo à Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem: Hæc est caro mea? &; Hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam, salutemq; proficit, simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* His accedit Origenes scribens in Leuiticum, in illud: *Et sumetis similaginem, & facietis de ea duodecim panes, &c. Sed si referantur hæc*, inquit, *ad mysterij magnitudinem: inuenies commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas ad illum panem, qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitam: illum panem Propositionis, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius, & si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem: inuenies quòd ista est commemoratio sola, quæ propitium faciat hominibus Deum.* Vides Originem vocare Eucharistiam, sacrificiũ propitiatorium? Idem dixit Dionysius, quãdo (iuxta Græcam literam) Eucharistiam appellauit τελετὴ τελετῶν, quod perfectũ erat sacrificium, & non priuatum, sed publicum, non tantùm pro viuorum, sed etiam pro mortuorum delictis expiandis: vt etiam tradidit de vocis illius significatione Plato. Athanasius in quæstionib. ad Antiochum Principem, vt citatur à Damasceno (si tamen illi tribuendæ sunt eiusmodi quæstiones) scribit, ab exangui immolatione peccatorum animas participare aliqua beneficia. Basilius in Liturgia sua introducit Sacerdotem ita deprecantem: *Suscipe nos appropinquantes sancto altari tuo, secundum multitudinem misericordiæ tuæ; vt simus digni offerre tibi rationabile istud, & absque sanguine sacrificium pro nostris peccatis, & populi ignorantia: quod sacrificium accipiens in sanctum, & supercœleste, ac intelligibile tuum altare, in odorem suauitatis, emitte nobis gratiam sancti Spiritus.* Idem ferè habet Chrysostomus in Liturgia sua. Gregorius Nazianzenus Inuectiua in Iulianum Imperatorem: *Mox*, inquit, *incruenti sacrificij manus commaculat* (scilicet Iulianus) *per quod nos Christo vnimur, necnon passionis, ac diuinitatis eius participes reddimur.*

Hebr. vlt.
Iulius Pap.
Cap. 1. Cōcilij III. Bracarē.
Gregor. lib. 4. Dial. cap. 58. tom. 2.
Victimę Eucharisticæ virtus & efficacia
Rom. 6.
Eucharistiæ sacrificiũ passionis Domini nostri assidua imitatio est secũdùm Gregorium.
Idem ho. 37. in Euāg. to. 2.
Hostia altaris, ad absolutionē nostrã plurimũ confert.
Rom. 6.
Veteres Patres.
B. Martia. c. 3
Malach. 1.
Ioan. 4.
Matt. 51
Symbolũ Concil. Nic. ant.
Marc. 15.
Ierem. 11.
Luc. 22.
1. Cor. 11.
Cypria. ser. de cœna Domini
Ioan. 6.
Orig. hom. 13. in Leuit. to. 1.
Leuit. 24.
Ioan. 6.
Rom. 3.
Diony. p. 1. c. 3 de cœlesti hierar. Euchari. stiã appellat Τελετὴ τελετῶν, id est, sacrificiũ sacrificiorum.
Plato lib. 2. de repub. prope initium.
Athan. q. 34. ad Antiochũ Principem, tom. 4.
Basilius.
Chrysost. to. in fin.
Gregor. Naz. inuecti. 1. ante medium.
Incruenti sacrificij finis, est vnio cum Deo.

Cyrill. Ierosolym cateche. mystagog. 5.

Cyrillus Ierosolymitanus, qui Concilio Nicæno interfuit, sic inquit: *Deinde verò postquàm confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro socijs, pro ægrotis, & afflictis, & in summa pro his omnibus, qui egent auxilio. Indigemus autem omnes. Cum hoc sacrificium offerimus, posteà facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt.*

Quantū prosit hæc hostia salutaris.

Ambros. li. 1. Off. c. 48. to. 1. initio.

Ambrosius libro Officiorum: *Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur vt vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem prò nobis quasi aduocatus interuenit.*

Chrysost. homil. 26. in Matt. tom. 2. init.

Chrysostomus in Matthæum: *Idcirco enim*, inquit, *altari assistens Sacerdos, pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus, atq; præsentibus, pro his, qui ante nos fuerunt, pro his, qui posteà futuri sunt, sacrificio illo proposito, Deo nos gratias iubet offerre.*

Euseb. Emiss. homil. 5. de Pascha.

Eusebius Emissenus homilia De Pascha: *Et ideo*, inquit, *quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum corporis, & sanguinis sui consecraret; vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Verè vnica, & perfecta hostia, fide æstimanda, nō specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu.* Hactenùs ille, eleganter sanè, & doctè de huius virtutis hostia.

Cyrill. Alex. anathem. 11. in Nestorium tom. vlt.

Cyrillus Alexandrinus libro in duodecim Anathematismos Nestorij, vocat hanc hostiam siue carnem viuificatricem.

August. in Psal. 75 to 8.

Augustinus in Psalmos: *Semel pro nobis Christus immolatus est. Cùm credidimus, tunc nobis fuit cogitatio: modo autem reliquiæ cogitationis sunt, quæ meminimus quis ad nos venerit, & quid nobis donauerit: ex ipsis reliquijs cogitationis, id est, ex ipsa memoria quotidiè nobis sic immolatur, quasi quotidiè nos innouet, qui prima gratia sua nos innouauit.* In libris Confessionum; *Cùm offeratur*, inquit, *pro matre sacrificium pretij nostri.* In libro verò Enchiridion: *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleëmosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt.* Multas præterea præclaras habet sententias in libris de Trinitate, & libr. De ciuit. Dei, quas breuitatis caussa recensere non licuit.

Idem lib. 9. Confess. c. 12. tom. 1.

Sacrificium pretij nostri.

Damascen. ait; incruentam hostiam offerri in stabilimentum animæ nostræ.

Eucharistiā nuncupat Augustinus. *Idem lib. Enchir. ad Lauren. c. 110. Idem lib 4. de Trinit. c. 14 & lib 10. de ciuit. Dei, c. 6. & 20. Damasc. lib. 4. cap 14 de orthod. fide. Paschas. lib. de corpo. Christi c. 9. & 10.*

Paschas. lib. De Corpore Christi: *Non obstante*, inquit, *passione immolatur quotidiè in memoriam eius, vt homo videat Dei passi dilectionem; & conuersi ex Iudæis habeant hostiam, qua peccata post baptismum condonentur: vt renati in baptismo sint vnum per naturam corporis, & sanguinis cum Christo, vt Christus per diuinam vnum cum Patre.* Et infrà: *Caro & sanguis immolata in cruce, ad redemptionem participantium secum in natura, sunt panis & vinum in Eucharistia, vt redempti læti ambulent in vitam gloriæ.*

Paulin' epist. 5. paulo post medium.

Christus Dominus victima Sacerdotij sui, & Sacerdos suæ victimæ fuit.

Paulinus ad Seuerum Sulpitium: *Ipse enim Dominus hostia omnium Sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima Sacerdotij sui, & Sacerdos suæ victimæ fuit, cuiq; nunc vt vni omnium Domino omnis noua creatura sacrificium: ipsiq; sunt hostiæ Sacerdotes, si nunc ei nos concedendo in silentio humilitatis atque patientiæ, qua se ipse pro nobis præbuit, præbeamus.* Adde his Rupertum Tuitiensem libr. De diuinis officijs: *Aufer*, inquit ille, *à cœtu Ecclesiæ quotidianas Saluatoris nostri huiusmodi exequias; & vide quàm meritò dicat ipse Saluator: Quæ vtilitas in sanguine meo? Refrigescente enim ea, quæ hoc modo nunc vbique calet eius memoria, refrigescet vniuersa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis iusti Abel, qui per traditum tanti sacrificij ritum quotidiè reparat vocem, quotidiè laxat os bibentis, & vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, & maturam indignè fusi sanguinis vindictam reposcens.*

Ruper. Tuit. li. 2. Off. c. 10.

Eucharistiā lactā Rupertus quotidianas Saluatoris nostri appellat exequias.

Psal 29. Matth. 24. Gen. 14.

Algerius li. 1. de Eucha. Sacram c. 16.

Algerius ante quingentos annos, libr. de Eucharistiæ Sacramento: *Licèt enim*, inquit, *oblatio in cruce semel fuerit ad omnium salutem & redemptionem, quotidiè tamen est etiam necessaria ad muniendam, & medendam humanam fragilitatem, quæ quotidiè labitur, & tentatur vel criminibus, vel saltem venialibus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas duci non potest. Non solùm enim hac singulari victima tantummodò peccatorum absolutionem à Deo consequimur, sed & contra tentationes munimur: quia cum perceptione tanti mysterij viderit: aduersarius ostium nostrum occupatum cœlestis fulgore præsentiæ; intelligens locum illum includi per Christum, fugiet, ac recedet.*

Victimæ salutaris vtilitas simul, ac necessitas.

Petrus Cluniacen.

Petrus quoque Cluniacensis in tracta. De sacrificio Missæ; *Respondete ergo nobis*, ait, *ô hostes Dei:*

Pſal. 50. *Ibidem.* *Pſal. 49.* *Hebr. 9.* *Ioan. 1.*

Eccleſia Dei ſe neq; abſque ſacrificio eſſe, nec illa ſuo ſacrificio aliquid aliud, quam corpus, & ſanguinem ſui redemptoris offerre teſtatur. Offert quidem illa de ſuo ſacrificium ſpiritus cõtribulati, de quo Propheta; Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Offert ſacrificium iuſtitiæ, de quo idẽ: Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ. Offert & ſacrificium laudis, de quo qui ſuprà; Immola Deo ſacrificium laudis. Sed longè acceptabilius offert ſacrificium, eum videlicet, qui iuxta Apoſtolum per Spiritum ſanctum obtulit ſe immaculatum Deo, vt emundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti. Offert agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus moritur, nec diuiſus minuitur, nec comeſtus conſumitur. Offert ipſum pro ſe ipſa, qui ſe obtulit pro ipſa: & quod ille fecit ſemel moriendo, hoc illa facit ſemper offerendo. Hactenùs ille.

Rationes. Prima.

Atque his paucis Patrum teſtimonijs contentus, accedo ad rationes. Prima ſit In Nouo Teſtamento ſunt ſacerdotes ſemper offerentes, vt ſuperiùs probauimus: ergo eſt oblatio pro peccato, vt ad Hebræos docet Apoſtolus; nihil autem aliud proferre valẽt Sacerdotes Noui Teſtamẽti, quòd non laici quoq; offerre queant præter Miſſæ ſacrificiũ, ergo illud eſt propitiatorium pro peccato. *Hebr. 5 & 8.*

Secunda.

Secunda: Iſti Sacerdotes ſuccedunt Veteris Teſtamenti Sacerdotibus; atque illi in lege pro peccatis offerebant, atq; illa expiabant, quia ſæpè dicitur: *Rogabit pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei; Sacerdos rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei;* Ergo Sacerdotes Noui Teſtamenti verè offerunt pro peccato. *Leuit. 4. Infrà 5.*

Tertia.

Tertia: quia eadem res oblata eſt quæ in cruce, & idem Sacerdos Chriſtus qui offert modò in Euchariſtia per Sacerdotem adminiſtrũ, vt docet Ambroſius ſuperiùs productus: ſi ergo in cruce expiauit peccata, & in Euchariſtia expiat. *Ambroſ. li. 1. Offi. c. 48. to 1*

Quarta ratio

Quarta: Chriſtus non venit ſoluere legem, ſed adimplere: habemus igitur legem, Si legem habemus, igitur & illam præuaricari poſſumus. Nec dici poteſt, quòd præuaricatio nõ imputetur, cùm poſt gratiam adeptam velle peccare, imputabilius ſit, quàm anteà. Vnde Chriſtus dixit languido ad piſcinam; *Ecce ſanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* & Petrus, *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Si ergo eſt peccatum imputabile; non eſt dicendũ, illud remitti, aut expiari minimè poſſe, hoc enim repugnaret bonitati Dei, & gratiæ Noui Teſtamenti: ergo eget nouo ſacrificio quo expietur, ſine quo nec ipſa valent Sacramenta; & illo quidem repetito, quemadmodum ipſa quoque peccata iterantur. Eſt igitur Euchariſtia, ſacrificium pro peccato expiatorium. *Matt. 5.* *Ioan. 5.* *2. Pet. 2.*

Vltima ratio. Canõ Miſſæ.

Poſtrema ratio: Conſueuit Eccleſia offerre ſacrificium pro viuis, & mortuis, vnde & in Canone Miſſæ proteſtatur Sacerdos: *In primis quæ tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro ſe, ſuiſq; omnibus pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ.* Remanet igitur euictum, per Euchariſtiam, vt victimam propitiatoriam, expiari peccata.

III. diſputatio de Euchariſtia, quæna peccata de-

Iam tertia ſequitur diſputatio de Euchariſtia: quæ ſint illa peccata, quæ expiat? Dicendum eſt, non omnia peccata hoc ſacrificio aboleri. Nõ enim pro peccatis ante Baptiſmum, vel ante primam gratiam offerri cõſueuit hæc hoſtia: in primis, quia eſt myſterium fidei, ergo fidelibus tantùm prodeſt, quemadmodum antiqua ſolùm Iudæis proderant circumciſis, & maximè ſacrificiũ agni Paſchalis, vt dicitur in Exodo, ad munditiam quãdam externam conferẽdam. Deinde cùm per hoc ſacrificium vnum efficiamur corpus cum Chriſto, nulla ſit autem pars fidelis cum infideli; non debet pro infidelibus offerri, qui hoc Sacramentum nõ poſſunt attingere, ſed pro fidelibus, pro quibus datur, & frãgitur corpus, & pro quibus funditur ſanguis: vt teſtatur Euangelium. Hinc Dilectus ait; *Si in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce; ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato; & reconciliati in morte, hoſtia in vita quaſi victima quadam ſalui reddimur.* Tertiò hoc ipſum proteſtatur Eccleſia, quæ in Canone inducit Sacerdotem dicentem: *Quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Sicut igitur infideles non offerunt, nec participare poſſunt hoc Sacramentum, ita nec pro illis offerre. Quartò idem etiam facto confirmatur: nam conſueuit Eccleſia Paganos, Iudæos, & Infideles omnes, imò etiam Catechumenos nondum initiatos, à cõſpectu ſacrificij per oſtiarios arcere, admiſſis tantùm fidelibus; quia pro illis non offert. Quintò confirmatur traditione. Scribit enim Auguſtinus ad Renatum lib. de animæ origine: *Quis offerat Corpus Chriſti niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti?* (ſaltem fide, etſi nõ charitate) idem in libris ad Vincentium tradit Auguſtinus. Ad hæc Concilio Bracarenſi prohibetur ne quiſquam offerat pro Catechumenis: quia nondum ſunt per baptiſmum Chriſto initiati. Et Paſchaſius

I. ratio ad prõbãdum, peccata ante baptiſmum per Euchariſtiã minimè deleri. *Exod. 12. & ſeq.* II. ratio. Per Euchariſtiæ ſacrificium fideles vnũ efficiuntur corpus cũ Chriſto. *Matth. 26.* *1. Ioan. 1.* Pro quibus tantum hoc ſacrificium offeratur? III. ratio. IV. ratio. Quinta. *Auguſt. lib. 1. de anima, & eius origi. c. 9. & 10. tom 7.* *Idem lib. 3. c. 12 ad Vincentium.* *Conc. Bracaren. I. can. 35.*

Paschas. lib. de corpore Christ. c. 9. B. Thom. 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. tom 12. Concil Trid. sess 22. c. 1.

libro de Christi corpore asserit sacrificium esse pro redemptis, vt læti ambulent in viam gloriæ. Et B. Thomas in tertia parte: *Vnde & in Canone*, ait, *Missa non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam: illis tamen prodest plus, vel minus secundùm modum deuotionis horum.* Hinc Cōcilium Tridentinum sessione 22. in doctrina de sacrificio Missæ tradit, huius salutaris sacrificij virtutem in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè admittuntur peccatorum applicari. Ruit proptereà stulta querela transfugæ Bernardini Senensis, accusantis Ecclesiam, quòd nō offerat sacrificiū pro infidelibus; tribuentis hoc aut insipientiæ, aut paruæ charitati Ecclesiæ; cùm suam ea in re insignem prodiderit inscitiam. Nec enim hoc sacrificiū ad eos, qui membra Christi non sunt, spectare potest, cùm sit pro suis membris tantummodò à Christo institutum, & qui fide carent tanti mysterij, indigni sunt de fructu eius participare.

Bernardini Senensis Ecclesiæ desertoris querela stultissima.

Cur Missæ sacrificium minimè infidelibus applicetur.

Quonam sacrificio peccata ante Baptismū commissa expientur.

Dices igitur; Quo sacrificio expiabuntur peccata eorum, qui ante notum Christum deliquerunt? Respondeo, illo crucis cruento sacrificio per baptismum applicato & repræsentato eiusmodi omnia aboleri peccata: quod Sacramentum meritò nō iteratur, quemadmodum nec cruentum illud sacrificium iteratum est, & peccatum originale, quod caput est omniū aliorum consequentium, minimè etiam repetitur. At peccata, quæ post Christum agnitum, & indutum per baptismum admittuntur, quia iterantur, egebant sacrificio iterato Eucharistiæ, quia Eucharistia non est instituta ante Baptismum, sed post, & ante Sacramentum Pœnitentiæ: nam illa imminente morte instituta est, Sacramētum verò Pœnitētiæ in die Resurrectionis. Quòd si obijcias Tertullianum ad Scapulam prǽsidem Africæ scribere: *Itaq; sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, quomodo præcepit Deus pura prece.* Sed satis excludit proprium sacrificium, dicendo, pura prece, nam oratio, spirituale est sacrificium. Si rursus obiectes Chrysostomum: *Ideo*, inquit, *in mysterijs inuicem salutamus, vt multi vnum efficiamur, & communes pro nō initiatis preces effundamus, & pro infirmis, & terra, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.* Respondeo, Ecclesiam etsi non offerat pro infidelibus, posse tamen pro eis preces fundere: siue vt ad Christum conuertantur, & veritatem Euangelicam complectantur; siue vt fideles liberentur ab importunis illorum molestijs, & bellis, vt facit in die Sabbati sancti, vbi Ecclesia orat non tantùm pro Catechumenis, sed

Eucharistia ante Baptismum cur nō instituta, sed ante Sacramentum Pœnitentiæ. *Matt. 26. Ioan. 20. Tertull.*

Oratio, spirituale est sacrificium. *Chrysost. ho. 77. in Ioan. tom. 3.*

Ecclesia quomodo rogare possit pro infidelibus.

etiam pro Paganis, & Iudæis, & Hæreticis. Nec obstat quod Ecclesia precatur, cùm offert calicem nondū adhuc benedictum, & consecratum Deo: *Offerimus tibi*, inquit, *Domine, calicem salutaris; tuam deprecātes clementiam, vt in conspectu Diuinæ Maiestatis tuæ, pro nostra & totius mundi salute, cum odore suauitatis ascendat:* quia nondum Sacerdos, verè Christum Patri in sacrificium obtulit, & offert pro nostra, & totius mundi (id est, omnium fidelium, qui in toto mundo versantur) salute hoc sacrificium. Quanquàm orare soleat Ecclesia, & ministri Ecclesiæ pro omnibus mundi hominibus siue fidelibus, sine fidem nondum sint amplexi. Ita olim in lege dabatur locus in templo ad orandum Gentilibus; sed non ad sacrificandum. Nec obstat quod apud Baruch, & Esdram oratur per sacrificium pro vita Regis Nabuchodonosor, & Balthasar filij eius, & pro vita Darij Regis, & filiorum eius: quia non simpliciter dicitur, vt offerant pro eis, sed vt deprecētur Deū. Non igitur sacrificiū hoc offertur pro peccatis quæ ante Baptismum, sed quæ post illum admittuntur; nec tantùm pro venialibus, & leuioribus delictis, aut pœnis lethalium delictorum, sed etiam pro grauium criminum culpis, quæcunque illa sint, quæ post baptismum admittuntur, quanquàm varia ratione, vt dicemus: quod quia nouum quibusdam videtur, id rationibus comprobatur. Primò, quia omnis Sacerdos constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis; at peccata propriè sunt grauia, & mortifera, quæ homines à Deo separant, pro quibus reconciliandis offertur sacrificium. Deinde sacrificia vetera, quatenus ex fide offerebantur, expiabant non tātùm venialia, sed etiam mortifera delicta; ergo, ne vincatur à figuris veritas, statuendum est multò magis expiare Noui Testamēti sacrificiū in illis prǽsignatum. Tertiò, si proptereà extinguit peccata venialia, & pœnas grauiū delictorum, quia Christus est illis maior, vt ait Augustinus; ergo & expiabit lethale, quo maior est etiam Christus. Quartò, est idē sacrificium, & idem Christus, qui in cruce se obtulit, atque ille, qui modò in Eucharistia offerre per Sacerdotes non cessat: si ergo ibi pro culpis lethalibus, ergo & hîc illa expiare potest. Quintò accedunt Patres iam superiùs pro me producti, qui peccata ingentia, & crimina magna his sacrificijs aiūt expiari, vt Alexander Papa, & B. Martialis dixit, hoc solum remedium nobis relictum est ad effugandam mortem æternā, & consequendam vitā æternam. Et Orig. per

Quis ille mundus, pro quo Sacerdos in Missæ sacrificio Dominum orat.

3. Reg. 8. Baruch. 1. 1. Esdr. 6.

Si pro Infidelibus nequaquàm est sacrificādum, cur Baruch, & Esdras secùs fecisse videntur?

Eucharistiæ sacrificiū sola quæ post Baptismū nō ante sunt admissa peccata, delere, multis ostenditur. *Hebr. 5. & 8. Esai. 59.*

II. argum.

III. argum. *August.*

IV. argum.

V. argum à Patribus desumptum. *Alexan. 7. epist. 1. B. Martial. epist ad Burdegal. c. 3.*

hanc

Orig hom. 13. in Leuit. to. 1. hanc solam commemorationem reddi nobis propitium Deum. In Canone quoque dicitur offerre Sacerdos pro redemptione animarum, & pro spe salutis & incolumitatis. Ambrosius item lib. de Pœnitentia: *Amb. li. 2 de pœn. c. 3. to. 1.* *Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est* (scilicet Christus) *ita quotiescunq; peccata donātur, corporis eius Sacramentum sumimus; vt per sanguinem eius fiat peccatorum remissio.* *Idem li. 4. de Sacr. c. vlt. tom. 4.* Idem lib. de Sacramentis ait: *Si quotiescunq; effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur; debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco; semper debeo habere medicinam.* Has autem Patrum sententias interpretari de venialibus delictis, aut de peccatorum pęnis; durissimum videtur, dignitatique ac virtuti sacrificij nostri detrahere. Omnis ergo remissio intermedia fit Eucharistiæ victima: tum quia omnia Sacramenta consummat; tum etiam quia in voto omnem eorum effectum, præter illum Baptismi, præstat. Sed vario modo peccata tollit: nam venialia, & pœnas peccatorum, sine Pœnitentię Sacramento expiare solet; mortifera verò delicta, non nisi medio Sacramento Pœnitentiæ, pro quo impetrat auxiliantem gratiam; sed non remittit vniuersam pœnam, vt Baptismus facit; ideo locum relinquit satisfactioni nostræ hoc sacrificiū, vt docet Thom. in 3. par. & in 4. dicens: *Thom. in 3. p. q. 79. art. 1. et in 4. dist. 12. q. 2. ad 4.* *Dicēdum quod Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed etiam est sacrificium: in quantum autem est Sacramentum, habet effectum in viuente, in quo requirit vitam praexistere: sed in quātum est sacrificium, habet effectum etiam in alys, pro quibus offertur, in quibus non praexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantùm: & ideò si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit: & per consequens peccata mortalia in eis delet: non sicut caussa proxima, sed in quantum eis gratiam contritionis impetrat.* Hæc ille. Et rectè dixit, non sicut caussa proxima, proxima namque caussa remissionis peccatorum est Baptismus, & Pœnitentia, saltem desiderata, quomodo peccata mortifera delet etiam oblatio sacrificij crucis. Accedit & ratio hoc ipsum confirmans. Nam cùm fiant quotidiè peccata, & illa sint expianda, non aliquo præterito sacrificio, quia nullum tale pro peccatis futuris instituit, ergo quotidiano sacrificio Eucharistiæ expiantur. Vnde rectè Paschasius inquit, quòd instituit Christus hostiam, vt peccata post Baptismum condonentur. Rursus Eucharistia vt Sacramentum est, fructum non edit nisi in illam edentibus, iuxta illud: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; At hanc victimam Eucharistiæ non edunt nisi baptizati, quemadmodum nec olim alienigenæ, aut serui edebant de agno Paschæ, nisi prius circumcisi, ergo hoc sacrificium tantùm est ad expianda peccata baptismo initiatorum.

Cur omnis remissio intermedia fiat Eucharistiæ victima.

Proxima caussa remissionis peccatorum quæ sit.

Rationes.

Paschasius ibidem.

Ioan. 6.

Exod. 12.

Nec per hoc quicquam derogatur cruento crucis sacrificio: quia hanc dignitatem & virtutem expiandi, quam habet incruentum sacrificium, totam sibi mutuatur, vt diximus, à Christi passione. Promeruit enim Dominus ex obedientia passionem, & mortē sustinendo, vt corpus suum & sanguis immolata in mysterio Eucharistiæ, valerent ad expiationem peccatorum, quæ post baptismum admittuntur. Rectè ergo in Concilio Tridentino conditus est Canon, qui habet: *Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctißimo Christi sacrificio, in Cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.* *Concil. Trid. sess. 22. can. 4.* Itaque quicquid expiatur sacrificio incruento, dici potest quòd etiam illud expiat sacrificium cruentum, non tamen vice versa: nam peccata ante baptismum perpetrata, non expiantur per incruenti sacrificij oblationem, sed per cruentum crucis, baptismo tamen in re, vel voto suscepto applicatum. Atque hoc docuit Apostolus, cùm ad Hebræos scripsit: *Impoßibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerūt etiam donum cœleste, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam,* *Hebr. 6.* id est, iterū baptismo & cruenta crucis hostia reconciliari, ac renouari, quia tales ab integro crucifigunt sibimetipsis Filiū Dei, & ludibrio habent. Sed clariùs hoc, & apertiùs tradit infrà, cùm ait: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia*: *Infra 10.* Hoc est, non relinquitur hostia cruenta per baptismum applicanda, etiamsi hostia incruenta remaneat, quæ per Sacramentum Pœnitentiæ re, vel voto acceptum, operatur expiationem, non tamen talem, ac tantam, quantam baptismus: quia illa non relinquit locum satisfactioni quam relinquit ista. Ob quam caussam quidam interpretantur, tales post baptismum non peccantes, non renouari; eò quòd nouitatem Baptismi per Pœnitentiam nō assequimur sine nostro labore & satisfactione. In baptismo enim Dominus ac si esset peccator pro nobis soluit; & tanquam crucis hostia, ait enim Esaias: *Propter scelus populi mei percußi eum.* & infra: *Cum sceleratis reputatus est.* & Dauid: *Quæ non rapui, tunc exoluebam:* ac rursus: *Longe à salute mea verba delictorum meo-*

Incruentum sacrificium vim suā omnem vnde mutuetur.

Quare post baptismū nō peccantes nō renouentur secundùm aliquos.

Esai. 53. Psalm. 68. Suprà 21.

Infra 68. *2. Cor. 5.*

meorum. Et addit: *Deus tu scis insipientiam meam, &c.* Ex quibus accepit Paulus: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit; vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Obtulit enim se Christus vt hostiam piacularē pro nostris omnibus delictis expiandis, tam antiquis ante baptismum, quàm post baptismum admissis: quanquam priora illa delicta nō expiet nisi medio baptismo, de quibus ait Paulus ad Rom. *Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remißionem præcedentium delictorum.* Et ad Hebræos: *Et ideo Noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromißionem accipiant qui vocati sunt, internæ hæreditatis.* Et Petrus de redeunte ad vomitum, ait: *Obliuionem accipiens purgationis veterum suorū delictorum*, scilicet per baptismum expiatorū: at pro peccatis quæ à baptismo fiunt, vt ait Paulus, iam non relinquitur hostia, scilicet illa cruenta, quæ omnia soluit, sed illa incruenta, quę admittit satisfactiones, & passio non nisi hac media oblatione Ecclesiæ applicatur. Et ita habemus Christum aduocatum, iustum, agentem causam clientulorum. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato; & vt Petrus ait: *Qui passus est in carne, desijt à peccatis* (non suis, quibus caruit, sed nostris, quæ super seipsum punienda imposuit) *vt iam non desiderijs hominum, sed voluntate Dei quod reliquum est in carne viuat temporis*: id est, non vult ea vlterius in semetipso suscipere, vt iterum moriatur, cui satis fuit semel mori pro peccatis; sed vult nos, qui illum induimus, cessare à peccatis, vt Deo nouam vitam agamus.

Rom. 3. *Hebr. 9.* *2. Petr. 2.* *Rom. 6.* *1. Petr. 4.*

Disputatio de Eucharistia: Quorumnam peccata remittat.

Diximus hactenus quæ peccata per hāc hostiam expurgentur: Tertia disputatio est, quorumnam peccata remittat? Hoc ex dictis dilucidum redditur, sed non frustrà seriò tractabitur. Primò enim hac hostia expiantur omnium fidelium in Nouo Testamento viuentium delicta; non autem ea quæ ante primam gratiam ab infidelibus admittuntur. Deinde peccata etiam omnium fidelium olim viuentium, qui post Circumcisionem, aut primam gratiam acceptam deliquerunt: quod certè perquam gloriosum est, & perquam honorificum ipsi Eucharistiæ sacrificio. Quod his rationibus, & Patrū testimonijs euincitur. Prima, quia vt agnus est occisus ab origine mūdi; hoc est, fructū edebat mors Christi perinde ac si iam peracta esset ad expianda scelera eorū, qui fide hoc nouerunt mysteriū: ita etiam lignum vitę gustatū fide & apprehensum virtutem suam conferebat futuris delictis, quæ post primā gratiam admittuntur. Deinde non tantùm in lege Naturæ, vt Melchisedech in pane & vino, sed etiam in lege Moysis adumbrabant in manna, in agno Paschali, in panibus Propositionis, in simila, quæ offerebatur quotidie in monimentum odoris suauissimi Domino, hoc nostrum Sacrificium. Sicut ergo in sacrificijs cruentis, quibus repræsentabant Christi crucem, & mortem, fructum expiationis peccatorum, quæ præcedunt primam gratiam, assequebantur; ita hostijs incruentis Eucharistiam delineantes, fructum eius sibi deriuabant ad cōdonanda delicta, quæ post gratiam acceptam perpetrantur. Tertiò hoc idem Pauli testimonio cōprobari posse videtur, ait enim: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & oēs mare transierunt: & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt: & omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos petra: Petra autē erat Christus.)* Vbi primùm perpende, quòd eandem escam, & eundē potum māducasse & bibisse, referendū est ad Iudæos tam bonos, quàm malos, vt libro pręcedenti diximus, & non ad Iudæos, & ad nos: quia nec illi comederunt, & biberunt quod nos edimus, & bibimus in mensa Domini, nec nos edimus manna, aut bibimus aquā de petra. Deinde etiam perpēde, quòd esca spiritualis dicitur manna, nō quòd cibus esset spiritualis, cùm corpus nutriret, sed quia miraculo, & ministerio Angelorum datum fuit: potus etiam spiritualis, dicitur aqua de petra, quia signo, & non naturali modo edita fuit, & ad extinguendam sitim cōcessa; in illis tamen, quasi in symbolis nostri sacrificij, qui in fide manducabant, & bibebant, profectò de sacrificio Eucharistiæ fructum sibi deriuabant. Atque ita boni & fideles Veteris Testamenti perinde, ac Noui, eandem escam, & eundem potum manducârunt, & biberunt: sed illi in symbolis sine re, nos in symbolis, & re ipsa; & illi quidem fructum participabant pro fidei, & deuotionis suæ mensura ex opere operante tantùm; nos verò præter illam rationem etiam ex opere operato. Postremò hoc docet Chrysostomus in Matthæum: *Agamus verò gratias non de proprijs tantùm, verumetiam de alienis bonis. Ita enim & inuidiam poterimus extinguere, & alere charitatem, eámque nobis efficere pinguiorem. Neque enim iam illis poteris inuidere, de quorum bonis gratias Deo deferendo lætaris. Idcirco enim altari aßistens Sacerdos, pro vniuerso orbe terrarum, pro* absen-

Hac hostia omnium fidelium viuētium in Nouo Testamēto peccata expiari.

Apocal. 13.

II. Ratio. *Gen. 14.* *Exod. 16.* *Sup. 12. & se.* *Leuit. 24.* *Supra 6.*

III. Ratio. *1. Cor. 10.* *Num. 9.* *Exod 13.* *Exod. 14.* *Exod. 16.* *Exod. 17*

Id dictū Pauli perpenditur: Omnes eandē escam spiritalē manducauerunt, &c.

Lib. 8.

Manna, esca spiritualis ab Apostolo cur dicatur, & petra potus spiritalis.

Psalm. 77.

IV. Ratio. *Chrysost. ho. 26. in Matth. tom. 2.*

Contra inuidiam remedium præsentaneum.

abſentibus, atq; præſentibus, pro his, qui ante nos fuerunt, pro his, qui poſtea futuri ſunt, ſacrificio illo propoſito Deo nos iubet gratias offerre. Hoc quippè & à terra nos liberat, & tranſponit in cœlum, atque ex hominibus Angelos facit. Nam & illi ordinantes choros, pro his quæ nobis collata ſunt bonis, gratias agebant Deo, atque dicebant: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Idem in priorem ad Timot. interpretans illud: *Primum omnium, in obſequio ſcilicet quotidiano, perpetuoq; diuinæ religionis ritu. Atque id nouerunt fideles quomodo diebus ſingulis mane, & veſpere orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro omni mundo, & Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt poſiti, obſecrationes ab Eccleſia fiãt. Sed fortè quis dixerit pro omnibus quod ait, tantùm fideles intelligi voluiſſe. At id verum non eſſe, quæ ſequuntur, oſtendunt. Deniq; ait pro Regibus, neq; enim tunc Deum Reges colebant, verùm multis poſtea temporibus in infidelitate, quam per ſeriem ſucceſsionis acceperant, perſtiterunt.* Hæc ille. Tam latè ergo offerendi ſacrificij ratio non ſolùm pro his, qui nunc viuunt, ſed etiam pro his, qui olim fuerunt, oſtendit, Euchariſtiam etiam antiquis valuiſſe. Sed ne quid diſſimulem, non videtur hoc firmum, quia Eccleſia modo non retinet conſuetudinem offerendi pro fidelibus Veteris Teſtamenti, quia fruſtra offerret, cùm Chriſtus ſuo ad inferos deſcenſu illos omnes liberauerit: firmum tamen eſt ad oſtendendum, Chriſtum in cœna obtuliſſe ſe ipſum, vt hoſtiam propitiatoriam pro peccatis fidelium Veteris Teſtamenti, quæ admiſerunt poſt ſemel gratiam ſuſceptam, & mandaſſe offerri à nobis; ſicut etiam in cruce ſe obtulit pro præcedentibus delictis. Vnde huic piæ meditationi accommodari poſſent illa verba Prophetæ: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me:* &, *Calix meus inebriãs quàm præclarus eſt?* & per Salomonem dixit Spiritus ſanctus de Sapientia incarnanda: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum meum, quod miſcui vobis.* Et alio loco: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Accedit Rupertus, qui lib. de gloria, & honore Filij hominis ſcribit: *Igitur, vt dicere cœperam, non ante paſſionẽ, ſed ſub ipſo paſſionis, vel mortis articulo Sacramentum hoc fieri, vel dari debuit, quo ſimul omnes tam mortui, quàm viui, credentes, ab illa macula veteris cibi abluerentur, & ſimul omnes iſto Noui Teſtamenti Sacramento epularentur: mortui modo ſibi congruo, & viui modo ſibi congruo. Deniq; mortui, quoniam in vita ſua de ſacrificijs huius Sacramenti ſignificantius initiati fuerant, venturum, & moriturum Chriſtum licèt intelligerent, pauci ſignis illis annunciantes, idcircò recte refectionis perfectionem illam, quã diximus, aſſecuti ſunt, vt & mortui Chriſti anima, vel ſpiritus ad animas illorum deſcenderet: per quod factum eſt, vt ſtatim viderẽt & ſcirent, quàm ſuauis eſt Dominus Deus, qui Angelorum cibus eſt, quos paſcit immortaliter: & corpus in eiuſdem terræ ventrem deueniret, quo condita erant eorum corpora, per quod reſurrectio ad vitam daretur eis, ſicut ex multis, qui cum eo iam tunc reſurrexerũt, confirmatum eſt.* Hactenus Rupertus, egregiè de dignitate huius ſacrificij ſentiens. Valet igitur hęc hoſtia ad expianda peccata fidelium, tum Noui, tum Veteris Teſtamenti.

Luc. 2.

Idem hom. 6. in 1. ad Tim. tom. 2.

1. Tim. 2.

Cur Eccleſia modo pro fidelibus Veteris Teſtamẽti offerre nõ conſueuerit.

Pſalm. 22.

Ibidem.

Prou. 9.

Eccleſ. 24.

Rup. lib. 10. de glor. & hon. filij hominis, in Matt. 26. ſub fin.

Quomodo mortuis ante paſſionem Chriſti profuerit hoſtia ſalutaris Noui teſtamẽti.

Pſalm. 33.

Tertiò efficax eſt hæc hoſtia non tantùm pro viuentibus fidelibus, ſed etiã pro omnibus in fide defunctis: quod Scriptura, Apoſtolorumque traditione, ac Patrum teſtimonijs comprobatur. Nam in primis antiqua ſacrificia pro peccatis mortuorum offerebantur: vnde in libro Machabæorum vir fortiſſimus Iudas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religioſè de reſurrectione cogitans, multò igitur magis expiabit hoſtia noſtra. Accedit traditio Apoſtolorum, & inuicta Eccleſiæ conſuetudo, quæ tam in Liturgia Græcorum, quàm in Miſſa Latina peculiarem locum ſibi vendicat oblatio, precatioq; pro mortuis. Huius autem conſuetudinis mentionem faciunt Patres; quorum locos tantùm citabo, ſuppreſſis verbis, cùm non ſit operæpretium. Dionyſius vocat Euchariſtiam τελετὴν; & lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia id apertè tradit. Tertullianus hoc ipſum tradit lib. de Corona militis, & libro ad Scapulam præſidem, & libro damnato de Monogamia. Cyprianus in epiſtola ad Presbyteros, & Diaconos, & plebem Furnis: idem alibi Martyrum vniuerſaria diem celebrari docet. Athanaſius in libello quæſtionum ad Antiochum principem à Damaſceno citatus. Chryſoſtomus in libro de Sacerdotio, & homilia quadam ad populum Antiochenum. Damaſcenus ſermone de his, qui hinc in fide migrârunt. Auguſtinus in Enchiridio, & in libris Confeſſionum. Bernardus in vita Malachiæ Epiſcopi. Hoc idem ſentiunt Pontifices Romani, vt Alexander Primus, Gregorius in libris Dialogorum, Gregorius II. ad Bonifacium, Innocentius III. in c. cùm Marthæ, de celebr. Miſſarum. Accedunt & huic veritati Concilia, vt Concilium Florentinum in inſtructione Armenis exhibita, Tridentinũ ſeſſ. XXII. c. 2. Conſtantienſe ſeſſ. VIII. Lateranenſe ſub Innocentio

Euchariſtiæ ſacrificiũ fidelibus defunctis ſuffragari, multifariã oſtenditur.

2. Mach. 12.

Scriptura.

Apoſtolorũ traditione.

Eccleſiæ conſuetudine à Patribus aſſerta.

Dionyſ. de cæleſt. hier. p. 1. c. 3 & lib. de eccl. hierar. c. 7 par. 2.

Cyp. li. 4. ep. 5.

Tertull.

Athan. q. 34. tom. 4.

Chryſ. li. 6. de Sacerdotio, c. 5. & hom. 69. ad pop. Antiochen. tom. 5.

Damaſc.

Aug. in ench. c. 100. to. 3 & lib. 9 confeſſ. c. 13. tom. 1.

Bernard.

Pontifices.

Alexan. ep. 1.

Greg. lib. 4. dialog. c. 55. tom. 1.

Gregorius II.

Innoc. III.

Concilia.

tio III. Gangrense c. 20. Agathense. c. 21. Maguntinum, c. 26. Triburiense, c. 31. Carthaginense II L. c. 29. & IIII c. 79. Vasense. c. 4. Valentinum, c. 4. Aurelenianense, c. 14. Bracarense I. c. 34. 35. & II. c. 10. Martinus Bracarensis, c. 69. Vormatiense de suspensis, c. 80. Cabilonense.

Cabilonen de consec. dist. 2. c. visum est.

Vltima disputatio: Quomodo Eucharistia remittat peccata.

Postrema superest disputatio, quæ non minoris est momenti, quã reliquæ de modo quo Eucharistia remittat peccata; in qua quinque distinctè dicturi sumus. Primum est quod ad Eucharistiam attinet: remittit Eucharistia peccata, quia Deus hoc sacrificium ex pacto sibi oblatum acceptat ad expiationem, nam propterea Dominus dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, vel frangitur: &, *Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Secundum, spectans ad ipsam Eucharistiam, est: quòd quia sine sanguinis effusione non fit remissio peccati, hostia quatenus incruenta est, & non in ea moritur Christus, expiat, sed ea ratione, qua cruenta est quodammodò, & Christus quasi in mysterio moritur. Atque hoc Patres varijs rationibus indicãt. Nam quidam in primis hac hostia expiari peccata tradunt, quod cruentum commemoret sacrificium, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem:* &, *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Atq; hanc dicendi rationem sequitur Concilium Ephesinum in epistola ad Nestorium, Eusebius in libris de Demonstratione Euangelica. Augustinus in Psalmum 75. cuius hæc sunt verba, super illud: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Etenim fratres mei*, inquit, *ecce innouauit nos Christus, donauit nobis omnia peccata, & conuersi sumus. Si obliuiscamur quid nobis donatum est, & a quo donatum est, obliuiscimur munus Saluatoris. Cùm autem nõ obliuiscimur munus Saluatoris, nonne quotidie nobis immolatur? Et semel pro nobis Christus immolatus est. Cùm credidimus, tunc nobis fuit cogitatio: modò autem reliquiæ cogitationis sunt, quæ meminimus quis ad nos venerit, & quis nobis donauerit: ex ipsis reliquijs cogitatiõis, id est, ex ipsa memoria, quasi quotidie nos innouet, qui prima gratia sua nos innouauit.* Hactenus ille. Idem in libro contra aduersarium legis, & Prophetarum, & lib. de Fide ad Petrum. Alij secundo loco docent, in Eucharistia offerri ipsum cruentum sacrificium; vt sunt, Alexander Papa Primus. Cyprianus libro epistolarum ad Cęcilium, qui ait: *Passio est enim Domini sacrificium quod offerimus.* Origenes in Leuiticũ; Cyprianus libro de adoratione & cultu in spiritu & veritate: *Offertur autem*, inquit, *à nobis Christus mysticè sacrificatus in sanctis tabernaculis: ipse autem est nostra prima & eximia oblatio: seipsum enim obtulit Patri sacrificium pro nobis.* Chrysostomus in epistolam ad Hebræos, & Theophylactus ibidem; Gregorius Papa homilia super illud: *Si quis venit ad me.* Tertio loco alij Patres docent, quòd hæc oblatio vna & eadem sit cum illa cruenta passionis Christi, quod attinet ad rem ipsam, licèt varius sit modus: atque hoc docent Chrysost. & Theophylactus. Quarto loco alij tradunt, quòd hæc hostia illam crucis iterat, quod attinet ad vim eius, atq; hunc dicẽdi characterem, sequuntur Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos, dicens: *Hoc sacrificium quolibet die Dominico offerendum est, nec propterea Christum plūries passum confitemur.* Gregorius in libro 5. Dialogorum, & in illud: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, &c.* Necnon Paschasius lib. de corpore & sanguine Christi; & habetur de consecrat. distin. 2. c. iteratur. Quinto loco alij ferunt per hanc hostiam, illam crucis nobis applicari: atque hunc loquendi morem sequitur Gregorius Nazianzenus inuectiua in Iulianum, & Gregorius Romanus in Euangelia, & Rupertus libro de diui. offic. Noluit siquidem Deus suam passionem ad expurganda peccata post baptismum valere, nisi commemoratam, & applicatam per Eucharistiam, iuxta id: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis;* quemadmodum de his quę ante baptismũ delinquuntur, noluit valere sine baptismo actu, vel voto applicato.

Luc. 22. 1. Corint. 11. Matth. 26.

Hebr. 9.

Patrum testimonijs idem cõprobatur.

Luc. 22. 1. Cor. 11. Ibidem. Concil. Ephesinum I. Euseb. li. 1. de dem. Euang. c. 10. tom. 1. Aug tom 8.

Reliquię cogitationis apud Psalmistã, quæ sint.

Idē li. 1. contr. aduers. leg & Prophet. c 18. tom. 6. & lib. de fide ad Pet. c 19. tom. 3.

In Eucharistia offerri ipsum cruentũ sacrificium probatur.

Alex. I. ep. 1. Cypr li. 2. ep. 3. propè fin. Orig hom. 13. in Leuit. Cyril. li. de adora. et cultu in spiritu, to. 2

Chrys. homil. 17. in epist. ad Hebr. tom. 4. Theophyl. in c. 11. ad Heb. Greg. hom 37 in Euãg to. 2

Oblatio Christi cruenta & incruenta, vt differunt, nisi in modo.

Chrys. hom. 5. in 1 ad Tim. & hom. 17 ad Hebr. tom. 4. Theophyl in c. 10. ad Hebr.

Hostia hæc incruenta, illam crucis cruentam iterat, quod ad vim eius attinet.

Hieron to. 2. Greg. lib. 4. dialog c 58. et hom. 37. in Euang. tom. 2. Paschas.

Per hanc hostiam, illa crucis incruenta nobis applicatur.

Greg Nazia. orat 1 in Iul. Greg. Rõ ho. prædicta, to. 2 Rup. lib. 2. de diu offic. c. 10. Ioan. 6.

Tertium hoc loco dicendum, attinet ad eum, cui fit remissio peccatorum, siue ille viuat, siue vita sit functus. Nam viuus, vt applicetur sacrificium ad remissionem venialium, & ad gratiæ augmentum percipiendum, quæ sine aliquo actu, & bono adulti motu non expiantur; inprimis fide indiget, ac deuotione, quemadmodum ait Canon Missæ: *Quorum tibi cognita est fides, & nota deuotio.* & Augustinus in Psalmum 55. idem tradit. Quod si mortifero aliquo delicto inuoluatur; per fidem quidem huius hostiæ impetratur gratia iustificans non simpliciter, sed medio Sacramento Pœnitentiæ, vt actu, vel voto suscepto applicari valeat remissio peccatorum, quemadmodum passio, nisi medio baptismo non operatur criminum veterum ante baptismum expiationem: nam aliàs si Sacramentum hoc per se expiaret, non opus esset Sacramento Pœnitentiæ, quia Christus hic non patitur ampliùs. Proinde opus est, vt qui ingratus gratiæ Dei extitit, vim pa-

Cui fiat peccatorum remissio.

Pœnæ mortiferis debitæ delictis, sine aliquo actu, & bono adulti, minimè expiantur.

Canon Missæ. Aug. tom. 8.

tiatur,

tiatur: secùs est in cruce, vbi Christus patitur, & ille ingratus non fuit: virtute autem huius sacrificij etiam pœnitentia valet: at vita functus, fide & gratia indiget ad applicandum sibi fructum huius sacrificij, quẽadmodum etiam ad Ecclesiæ claues; indiget etiam operibus bonis viuentium contrarijs eis, quæ ipse olim egit loco pœnitentiæ, vt docet Diua quędam in canonem sanctorum relata. Atq; his adiumentis Eucharistiæ applicatur sacrificium, & per illud thesaurus indulgentiarum defunctis, pro eorum captu, sicut viuis dispensatur, quemadmodum docuit Dionysius, cuius hæc sunt verba: *Porrò pulchritudo diuina, vt simplex, vt bona, vt perfectionis autor, pura quidem est, nullamq; prorsus admixtionem dissimilitudinis suscipit, verùm singulos pro meritis, lucis suæ participes facit, & sacrosancto mysterio perficit, quantum quisq; initiatus, cõgruè illius in se immutabilem exprimere effigiem nititur.* Sic diuinus Dionysius.

Quæ purgantur animæ, operibus bonis viuentiũ egente, contrarijs ijs quę olim ipsæ gesserunt.

Dionyſ. c. 3. eccleſ. Hierar.

Quartum spectat ad applicantem Eucharistiam; qua in re primum locum habet Deus, vt fructuum eius dominus, Eucharistiam, prout vult, applicat; quod est statuere, vt ait Dionysius, pro captu suo quemq; perficere, licèt nihil vetet interdum priuilegia facere. Secundus applicans, est Ecclesia, seu caput eius Pontifex Romanus; qui dum iurisdictiones distribuit pastorũ, statuit, vt quisq; pro subditis peculiariter offerat, & vim sacrificij applicet, quemadmodum is qui fundat aut dotat Ecclesiam, vel altare. Tertius applicans, est Sacerdos, qui pro voluntate sua potest fructum sacrificij applicare, modò Ecclesiam Catholicã, aut seipsum, aut eos, ad quos ex iustitia spectat sacrificium, non excludat: ita enim Christus peculiariter Apostolis applicauit, cùm dixit: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur:* & Apostolus ad Hebræos definit Sacerdoté, qui offerat primò pro suis, deinde pro populi delictis. In veteri etiam lege sæpè dicitur: *Rogabit pro eo Sacerdos coram Domino, & dimittetur illi:* & in lege Naturæ, Iob quotidie offerebat pro filijs suis, vt sanctificaret eos, in vltimo eius libri capite ait Deus: *Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam.* Cumque in sacrificio Missæ sit lectio doctrinæ, consecratio, communio, oratio, & oblatio; tria priora alijs non applicantur: Nam lectionis fructu qui adest, tantùm fruitur, sicut qui communicat, fructum sibi tantùm deriuat soli; duo verò postrema possunt in alios effundi, quoniam Sacerdos debet pro se, & pro alijs, & offerre, & orare.

Per quos Eucharistia applicetur.

Matth. 26. Luc. 22. Hebr. 5. & 8. Leuit. 6. Iob 1. & 42.

Partes Missę.

Quintò dicendum est, in quo pugnet vel cõueniat sacrificium incruentum cum cruento. Cùm enim conueniant in materia, in institutore, in Summo sacerdote, & ferè in fine, & alia minuta, in quibus differre videntur, non pugnent; non ergo inter se repugnabunt secundum, & tertium sacrificium. Quod etsi non intelligeremus quomodo esse posset, cùm impingendum sit in Christi institutionem, & Ecclesiam, vel in nostrum sensum; satius esset istud, quàm illa deijcere, & per fidem captiuare intellectum in obsequium Christi. Nam reuera nõ pugnat tertium sacrificium cum secundo, neque ei derogat, sed arrogat: in primis, qui ab eo habet vim: non quod Christus gloriosus mendicet à se ipso in cruce, sed quod actus, quo se offert vel in cœlo, vel in altari, præmium sit meriti crucis, & in illo exaudiatur. Actus etiam sacerdotis in eo valet, & quicquid hìc est fructus, vel ex opere operante, vel ex opere operato: hinc in cœlo dicitur Filius ostendere Patri latus & vulnera, quod quidem summa gloria est Christi humiliati, quodque ita forte sit eius infirmum. Accedit deinde, quòd huius incruentæ hostiæ oblatio celebrat exequias sepulchro gloriosiores, & applicat per eas Christi sanguinem, vt ita non descendat in corruptionem: vt docuit Rupertus Tuitiensis lib. 2. de officijs. Tertiò iustitiæ, ac misericordiæ Christi satisfacit; dum Christo hic non patiente, fit nobis remissio per Eucharistiam, & ita consulitur nostræ vtilitati. Quartò, quia idem est qui remittit ibi dolens in cruce, & hìc gloriosus, atque ita omnia connectit, recõcilians in morte, & saluans in vita. Quintò honorificatur Christus in suo perpetuo sacerdotio, quod meruit in cruce, vt testatur Apostolus ad Hebræos, suscepit in resurrectione, vt dicitur in Psalmo citato ab Apostolo in Actis; & id iam habebat in ascensione, vt ostendit Psalmus 109. Sextò magis indicat Christi liberationem dandi se ipsum non solùm in crucem & communionem, sed etiam in sacrificium. Septimò, honore magno prosequitur Christi Martyres, & Sanctos, qui hìc commemorantur, vt docet Concilium Chalcedonẽse, & Cyprianus. Octauo, magna honoris fit accessio Sacerdotibus per hãc hostiam incruentam, in bonum tamen, & vtilitatem ipsius plebis, vt docet Irenæus. Postremò, ingens est plebis Christianę vtilitas ad effectus nouem prædictos, ex quo & gloria, & vnio ipsius cum Christo, imò ipsum esse plebis Dei proficiscitur.

In quo pugnent, vel conueniat incruentum sacrificium cum cruento.

Leuit. 10.

Incruentæ hostiæ oblationis ingentia bona.

1. Cor. 1.

Secundum beneficium.

Rupert. Tuit.

Tertium beneficium.

Quartum.

Quintum.

Hebr. 5. Act. 13. Psalm. 2.

Sextum hostiæ Christi incruẽtæ beneficium.

Septimum.

Concil. Chalced. Act. 10. Cypria lib. 4. epiſt. 5.

Octauum.

Irena. lib. 4. cap. 34.

Nonum & vltimum.

Quærenti

Cur in peccatis post primam gratiā admissis expiandis, hostia accesserit incruenta.

Quærenti igitur, cur in peccatis post primam gratiam admissis expiandis adiungetur hostia Eucharistiæ; dicendum primò à priori, id iure factum ob rationes iam assignatas; à posteriori verò occurri: primò, quòd cùm Eucharistia sit sacrificium remittens peccata, cùm priora non remittantur, ergo ad posteriora expurganda valet. Deinde dicendum, quòd cùm Scriptura dicat hinc passione Christi omnia delicta remitti, deinde cùm tradat, ea, quæ post baptismum patrata sunt, non ita remitti vt priora; docet Petrus in priori epistola, dum ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desijt à peccatis, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntate Dei quod reliquum est in carne viuat temporis.* Et dilectus Discipulus: *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis: sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nō pro nostris autem tantùm, sed & pro totius mundi.* Et Apostolus ad Roma. *Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidē esse peccato: viuentes autem Deo in Christo Iesu.* Et paulò antè dixerat: *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* Dicitur ergo Christus à peccatis desijsse, & à peccato iustificatus, & aduocatus iustus: quia iam baptizatis non applicatur vt hostia cruenta, & mortua pro peccato, quemadmodum applicatur per baptismum, & ita dicitur ab Apostolo maledictum, & peccatum factus, quia peccata nostra (vt ait Petrus) ipse pertulit in corpore suo super lignum: sed applicatur vt aduocatus iustus, & vt hostia incruenta, & semper viuens. Et ad illud tendunt illę sententiæ Apostoli ad Hebræos; *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Et alibi: *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Et infrà: *Neq; vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum, &c.* Rursus infrà: *Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptā notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccato.* Cum igitur in his locis Apostolus asserat non relinqui hostiam pro peccatis post cognitum, & indutum Christum expiandis; manifestum est eum loqui de hostia Christi cruenta, quę per baptismum semel applicita, peccatum antiquum originale cum consequentibus alijs, si quę inuenerit, deletum in re sicut hostia non repetitur, ita nec antiquum illud originale delictum, quod expiat, repetitur. Cùm igitur sint alia peccata in Nouo Testamento, quæ illa hostia non expientur, sequitur necessariò ponēdam aliam hostiam, per quam expurgari valeant, & quæ frequenter repeti possit, sicut frequenter peccata remittuntur. Atque hæc est noua Noui Testamenti hostia, hoc est, sacrosancta Eucharistia, quę aut immediatè, aut medio Sacramento pœnitentiæ cuncta, siue leuia, siue grandia delicta fidelium, siue viuētium, siue mortuorum delet, atque remittit: quę omnia, vt ex disputatis elucescit, in summam, & illustrē cedunt gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto vna est diuinitas, ęqualis gloria, summa potestas in secula seculorum, Amen.

II. Ratio.

1. Petr. 4.

1. Ioan.

Rom. 6.

Cur Christus desijsse à peccatis, à peccato iustificat' & aduocatus iustus dicatur.

Galat. 3.
2 Cor. 5.
1 Petr. 5.

Hebr. 6.

Infra 9.

Infra 10.

Qua de hostia loquatur cùm Apostolus ait: Volūtariè peccantibus nobis, &c. nō relinqui hostiam pro peccatis; qua de hostia loquatur.

TRACTATVS XXXI.

IN quo diluuntur argumenta Hæreticorum, quæ in veritatem sacrificij nostri fiunt, & peculiariter illa, quibus contendunt, Christum in cæna non obtulisse.

POSTQVAM tam latè de sacrificio Eucharistiæ, & quæ, & qua ratione, & quorum peccata remittat, disseruimus: restat postremus labor, vt Hæreticorum obiectiones, & fallacia argumenta dissoluamus. Primùm igitur argumentantur ex eo, quòd Eucharistia est memoria sacrificij, vt Dominus dixit: *Hoc facite in meam cōmemorationem*; vt etiam Chrysostomus & Ambrosius docent. Respondemus, non tantùm esse sacrificij memoriam, sed etiam verum sacrificium, quemadmodum agnus Paschalis, qui quotannis immolabatur, & azymi panes in recordationem fiebant eorum, quę in egressu de Ægypto Iudæi fecerant, nihilominus tamen vera erant sacrificia, imò omnia vetera sacrificia cruenta, symbola erant futuræ passionis Christi, & tamen vera sacrificia. Quòd si obijcias; Memoria, est rerum absentium: ergo abest sacrificium, quod repræsentat, quod est Christus. Dicendum, memoriam non esse absentium, sed propriè præteritorum, nam conspecto magistro, in eorum recordationem redeo, quæ olim in schola eius didici: Eucharistia igitur signum rei præteritæ, id est, Christi mortis olim peractæ, continet tamē pręsentia corpus & sanguinem Christi olim in cruce cruentè immolata, & nūc incruentè Deo oblata. Nec valet; si est sacrificium in memoriam passionis, ergo in memoriam natalis, vel baptismi essent ponenda

I. Argum.
Luc 22.
1. Corint. 11.
Chrys. hom. 17. ad Hebr. tom. 4.
Ambr. lib 4. de Sacram. c. 6 tom 4.
Exod. 12.
Ibidem.

Memoria, quæ propriè respiciat.

nenda alia. Sed Christi Natiuitas sacrificiũ non est, nec est baptismus, nec est præceptũ illam offerendi, vt hic.

II. argum. Secundò, Eucharistia (aiunt) in alimentum, & in cibum cedit, ergo non est sacrificium. Sed non obstat rationi sacrificij, quòd post oblationem edatur, vt Gentes vescentes idolothytis, de quibus Apostolus ad Corinth. & Iudæi agno sacrificato in die Paschæ vescebantur. Quod autem repugnat holocausto corporali, quod totum offerebatur Deo edenti per ignem, & postea edi non poterat, non repugnat nostro holocausto spirituali, quod totum Deo offertur, & totum editur: quod in nullo legis sacrificio euenire poterat, nã saltem sanguis, & adeps Deo reseruabantur. *1. Cor. 8.*

III argum. Donũ & sacrificiũ quid. Tertiò, Eucharistia est donum Dei, quia Dominus dixit: Accipite, & comedite; repugnat autem, esse donum, & sacrificium: nam donum est, quod Deus nobis dat; sacrificium, quod nos illi damus, & nostrum nõ est Deo donare, omnia habenti, & possidenti; Et, *Beatius est magis dare, quã accipere.* Sed si hæc ratio firma esset, nihil vnquam fuisset Deo sacrificatum, aut oblatum, q[ui]a omnia, quę possumus offerre, eius sunt, iuxta illud: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et Sacerdos in canone Missæ: *Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis, ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, &c.* Et Dauid: *Quid retribuã Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicẽ salutaris accipiam*, vel vt Hebraicè dicitur, Calicem redemptionis, id est, Christi passionem; aliàs non esset sacrificium aliquid contritum, vel fides, vel eleëmosyna, quia omnia sunt dona Dei. Sunt autem nobilissima quæque quæ à Deo accepimus, illi danda: vnde Abel primogenita, & pinguia offerebat, & in Malachia cæcum, vel claudum, vel panem pollutum reprobat. Cùm ergo Christus [da]tus sit nobis, qui præstantissimus est seruator, ac Deus; meritò illum Deo offerimus: nam qui largitur vineam, omnem etiam vtilitatem, vel fructum eius donat. Christus igitur datus est nobis in cibum, hospitem, & Sacerdotem. *Act. 20* *1. Paral. vlt.* *Psalm. 115.* Quid est: Calicem salutaris accipiam. Deo quæ à nobis offerenda. *Gen. 4.* *Malach. 1.*

IV. argum. Quartò obijcitur: Eucharistia est Testamentum, ergo non est sacrificium: quod verò sit Testamentum, probatur ex Luca, qui ait: *Hic est calix Nouum Testamentum*, idemq; tradit Paulus. Quod verò nõ possint idem esse, probant ex eo: quia Testamentum, est legare hæreditatem instituto hæredi; Sacrificium verò est, aliquid Deo dare. Sed argumentum falso innititur fundamẽto, quod aliquid nõ possit esse simul donatũ à Deo, & sacrificium: quod suprà expugnauimus. *Luc 22.* *1. Cor. 11.* Nequaquã repugnare aliquid esse donum Dei simul & sacrificium.

Adhæc, vt maximè daremus Christi sanguinem esse Testamentum, cùm hoc de sanguine tantùm dicatur, & non de corpore, saltem corpus non esset Nouum Testamẽtum, & illud posset offerri. Præterea, etsi omnia, quæ in Propheticis, Euangelicis, & Apostolicis scriptis continentur, ad nouas promissiones, & cœlestia præmia spectantia, Testamentum dici queant; propriè tamen Testamentum non sunt, nisi verba morituri, aut morti vicini, de bonis suis disponentis, & quos vult hæredes instituentis. Christus autem in cruce legauit nobis omnia bona sua, nempè remissionem peccatorum, cùm dixit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, cœlestem gloriam, cùm inquit: *Hodie mecum eris in Paradiso*: & Mariam in pientissimam Matrem, dicens Dilecto: *Ecce Mater tua*; vnionem cum Patre per gratiam, & sitim iustitiæ, & consummationem omnis pœnæ, culpæque in tribus sequentibus Christi verbis: deniq; ablationem obstaculorum ingressus in gloriam, cùm ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hæc ergo sunt Testamenta, non verba consecrationis sanguinis. Sanguis autem dicitur Testamentum, quia Testamenti in cruce sanciti, & peracti signum est, memoria, consecratio, dedicatio, & cõfirmatio. Vt enim olim sanguis animaliũ, Vetus Testamentum ratum reddidit; ita sanguis Christi, Nouum: & Testamentum sæpe rem legatam, vel rẽ Testamento relictam significat, vt multis testimonijs Patrũ superius comprobauimus. Et sicut sanguis in cruce fusus confirmauit remissionẽ peccatorum Veteris Testamenti, id est, eorum, quæ ante primam gratiam adeptam perpetrata sunt, ita sanguis, qui in mysterio funditur Eucharistiæ, stabilem ac firmam reddidit remissionem peccatorum Noui Testamenti, id est eorum, quæ post primã gratiam adeptam committuntur. Testamẽtum quid sit propriè. *Luc 23.* *Ibidem.* *Ioan. 19.* *Ibidem.* *Luc. 23.* Sanguis cur dicitur Testamentum. *Hebr. 9.*

Quintò obijciunt Hęretici: quia si Christus esset sacrificium, & reuera immolaretur; pręcederet mactatio, atque adeo mors, quia animal debebat occidi ad sacrificium: vnde Paulus arguit: *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*; & non dicebantur Iudæi immolare filios nisi comburendo eos, & mactando, secundùm illud: Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarũ, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Vnde Iephte filiam suã Deo sacrificauit per mortem: & Abraham, quãtum in se fuit, filium immolauit. Respõdetur: falsum assumi, ad rationem sacrificij ipsam V. argum. *Hebr. 9.* *Psalm. 105.* *Iudic. 11.* *Gen 22.* Gentilium sacrificandi ritus qualis.

psam mortem requiri. Nam ethnici farre, & salsa mola litabant, vt autor est Plinius. Hinc Ouidius in Fastis:

Plin.l.31.c.7. Ovi. l.1.Fast.

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Et infrà:

Hic, qui nunc aperit percussi viscera tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.

In lege etiam Naturæ Cain obtulit ex terrę fructibus sacrificium, & Melchisedec panē & vinum obtulit; In lege etiam Moysis erat sacrificium thuris, & panum Propositionis, & similæ oleo thureq; conspersæ, quod vocatur per excellentiam sacrificium in odorem suauissimum in lib. Leuit. Adhęc caper emissarius pmittebatur viuus abire in desertum; & tamē vocatur sacrificatus & oblatus, & portabat omnia peccata filiorū Israël. Abraham quoq; dicitur immolasse filium, qui tamen viuus remansit. *Quia fecisti*, inquit, *hanc rem, & nō pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Hinc Rupert. in huiusmodi verba scribens, ait: *Ita Christus et iterum immolatur, & tamen impassibilis permanet, & viuus: quemadmodum illic isaac immolatus, & tamen gladio non est attactus.* Pręterea si secundùm Lutherum vera Noui Testamēti sacrificia sunt, orationes, laudes, eleëmosynæ, ieiunia, de quibus Paulus: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem:* igitur mors non est necessaria ad sacrificij rationem. Christus item in cœlo reuera nunc se Patri offert, & in vita se obtulit pro nobis, & tamen citra mortem. Hinc Patres non vocarunt simpliciter hoc sacrificium, sed ἀναίμακτον, hoc est, incruentum sacrificium, vel exanguem immolationem. His adde, quòd Paulus ad Hebræos nō simpliciter dixit, omnia in sanguine mundari; sed omnia penè, vel ferè in sanguine mundari. Et quanquam communiter de necessitate immolationis animalis sit mactatio, non est tamen tribuendum generi ipsi, id est, substantię sacrificij, quod speciei eius tā tùm conuenit. Sed vt maximè demus non esse sacrificium sine mactatione, in sacrificio Missæ asserimus illam præcedere, eadē enim est hostia, & oblatio hæc, atq; illa quę in cruce: cumq; illa mactatio infiniti fuerit valoris, non eget noua mactatione vt repetatur, quia satis est illam semel factā repræsentari. Etsi igitur hostia nostra viua sit, & incruenta in seipsa: repræsentatione tamē, ac recordatione cruenta est, ac mortua: & quod ad vim & efficaciā spectat, offerimus illum eundem agnum, qui in cruce pependit, ac si ad pedes ipsius crucis mortuū Christum cū Maria matre eius offerremus. Pręterea quemadmodum quādo Christus obtulit se in cęna, corporalis vlla mactatio nō præcessit, sed spiritualis voluntas imminētem mortem pro mundi salute suscipiēdi: hinc apud Ioannē dixit Dominus: *Opus cōsummaui quod dedisti mihi vt faciam.* quia iam voluntate permactatus erat, etsi de opere ipso iam completo dixerit, *Cōsummatum est:* ita nūc in oblatione nostra mactatio noua non est necessaria, alia ab ea, qua Christus in cruce mactatus fuit, in cui⁹ mactationis futuræ virtute Christus hanc obtulit, sicut & nos in eius iam præteritæ efficacia, & recordatione sacrificamus. Nam quēadmodum Testamentum fit quidem à viuente, non tamen vim habet vt Apostolus ait, nisi interueniente morte testatoris: ita hoc sacrificium institutum quidem est ante mortem, tunc tamen & post mortem, & quod ad opus operatum attinet, à cruce vim habebat, ac morte. Et vt assistens, & voto suo subscribēs sentētię mortis, quę à iudice dictatur, incurrit quidem cēsuram irregularitatis dummodo mors sequatur: quia tūc censetur occidi, qui tamen eam non incurrit, si assistat morienti, vel quando morte plectitur: ita Christus sententiam mortis acceptans, quia iam venditus erat à Iuda, & emptus à Iudæis, potest dici quodammodo in cœna mortu⁹. Et si Gentes olim in spiritu offerentes agnum occisum origine mūdi nondum tamen actu mactatū, sed morte quorūdam animalium Christi mortem referentes, salutem cōsequebantur: quanto magis Sacerdotes ex Christi mandato, ipsum mactatum in mysterio offerētes verè sacrificabunt, virtutemq; eius ijs, pro quibus offerunt, applicabunt? Hinc Cypr. ser. de Baptism. Christi: *Nec Sacerdotij eius pœnituit Deum, quoniam sacrificium, quod in cruce obtulerit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit, vt non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quam ea die, qua de saucio latere sanguis & aqua exiuit, & semper reseruatæ in corpore plagæ, salutis humanæ exigant pretium & obedientiæ donatiuum requirant.* Hucusq; Cypr. egregiè. Hinc Nicolaus Cabas. in expos. Liturgiæ disputans, an panis sit qui sacrificatur, an verò corpus Christi: & si corpus Christi, quo modo id contingat; cùm iam ab interitu, & corruptione sit alienum, & mortis minimè capax, respondit: *Quid ad hæc dicendum est? Sacrificium neq; antequā panis sanctificetur, neq; postquam est sanctificatus, peragitur, sed eo ipso tempore quo sanctificatur. Sic enim necesse est omnia, quæ de eo creduntur conseruari, & nihil omninò excidere. Quænam autem ea sunt? sacrificium*

Gen. 4. Infrà 14. Hebr. 7. Leu. 2. & seq. Infrà 16. Gen. 22. Ruper. lib. 6. in Gen. c. 32. Verà sacrificia quæ Luthero. Rom. 12. Eucharistiā Patres quale sacrificium dixerunt. Hebr. 9.

Ioan. 17. Infra 19. Hebr. 9. Christus vt dici possit in cœna mortuus fuisse. Matth. 26. Apocal. 13. Qua ratione Gentes olim Deo sacrificātes salutem consequebantur. Cyprianus. Ioan. 19. Nic. Cabas. c. 32. expos. Lit. Panisne sacrificetur, an corpus Christi.

hoc non esse imaginem, & figuram sacrificij, sed verum sacrificium: non esse panem id quod sacrificatur, sed ipsum Christi corpus, & praeterea vnum esse agni sacrificium, & quod semel factum est. Et primum videamus, an non figura, sed reipsa sacrificium sit mysterij celebratio. Quod enim est ouis sacrificium, quae ab eo, quod non est omninò occisum, in occisum fit mutatio: hoc etiam hic fit: Panis enim qui est insacrificatus, mutatur tūc in id quod est sacrificatum. Mutatur enim à pane non mactato, in ipsum corpus Christi, quod verè mactatum est. Vnde quemadmodum in oue mutatio, verè sacrificium operatur: ita etiam hic propter hanc mutationem id quod peragitur, verum est sacrificium: mutatur enim non in figuram, sed in rem mactationis, in ipsum corpus Christi quod sacrificatum est. Sed si panis quidem manens fuisset sacrificatus, panis esset, qui mactationem suscepit: & fuisset mactatio tunc panis sacrificium. Quoniam autē vtraq; mutata sunt, & in sacrificium, & panis: & factus est pro insacrificato quidem sacrificatus, pro pane autem corpus Christi. Propterea mactatio illa non in pane, sed tanquam in subiecto considerata, corpore Christi non panis, sed agni Dei sacrificium, & est, & dicitur. Clarum est autem, quòd his positis, nihil necesse est multas fieri oblationes corporis Domini. Quia enim fit hoc sacrificium agno non tunc occiso, sed pane mutato in agnum occisum, clarum est quòd fit quidem mutatio, sed non tunc fit occisio: & sic id quod mutatur quidem, multa, & mutatio sæpè; id autem, in quod mutatur, nihil prohibet vnum & idem esse, sicut vnum corpus, ita etiam occisionē corporu vnā. Hactenus ille, eleganter dubio proposito satisfaciens. In cuius sententiæ prioribus verbis sacrificium tunc peragi docet, cùm fit sanctificatio, id est, consecratio: vt docet Diuus Thomas in tertia parte. & ita sanctificatio, siue consecratio præcedit oblationem: prius enim fit res sacra, quàm offeratur. Atque ita quando quis in Sacerdotem promouetur, non dicitur accipere potestatem consecrandi, sed tantùm offerendi sacrificium: quia offerre continet sub se, vt prius natura ipsam consecrationem, siue rei sacræ factionem, q̄ est sacrificium. Et Paulus ait: *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur*: vt intelligas prius fieri sacra, quàm offerantur. In primis itaque est substantia rei offerendæ, deinde fit sacra, siue sacrificium: tertiò Deo offertur: postremò est vsus eius, id est, manducatio. Sed vt ad rem redeamus, audiui quosdam hunc nodum ita conatos dissoluere, vt probarent Christum se in cœna mactasse: quia per consecrationem ex vi verborum separatur corpus à sanguine, & sanguis à corpore: ob quam separationem mors sequitur licèt ob concomitantiam naturalem non sequatur. Sed, vt diximus, neque mors semper est necessaria, neque consecratio, aut separat, aut diuidit coniuncta ex vi verborum. Potest tamen dubium propositum alia ratione dissolui, dicendo: quòd quando res est viua, & animata, & offertur Deo sub propria specie, opus est vt plurimum reali morte ad sacrificium, vt Christus in cruce, agnus in Pascha: secùs est, quā do res quæ immolatur, sub aliena specie, neque animata, neque viuente offertur, vt Christus sub specie panis: & maximè si quod offertur sub aliena specie, mactationis, & mortis minimè sit capax: constat autem, Christum sub hostia delitescentem, immortalem existere. Quare quod Gregorius Nyssenus in oratione prima de Domini Resurrectione, & Theophylactus in Matthæum, docent mactationem esse in hac oblatione: benignè est interpretandum, nimirùm mactationem antiquam, qua Christus in cruce sacrificatus est in huius hostiæ sanctificatione, inueniri non nouam, & realem aliam ab illa distinctam. Alioqui quomodo Christus post præcedentis diei consecrationem dicitur in cruce emisisse spiritum, & tunc tandem mortuum fuisse? & si in cœna mactatus erat per mortem veram, & realem quodammodo, ad nonam vsque sequentis diei vixit? Absurda sunt hæc, & à veritate longè aliena.

Sextò argumentantur: Quia baptismus passionem Christi referens, semel tantùm fit, nec repetitur; igitur nec Missæ sacrificium, quod repræsentatio est passionis Christi, repeti debet. Dicendum est, baptismum propriè non repeti, quia per illum applicatur passio ad regenerationem, quæ vna est, & semel tantùm fit, & ad extinguēdum præcipuè peccatum originale, quod non repetitur, sed Eucharistia, quæ in cibum & alimoniam instituta est, sæpè repetitur vt cibus; & quia ad expianda personalia crimina offertur, sicut illa iterantur, ita & sacrificium repetitur.

Septimò arguunt à Christi Sacerdotio. Nā quia vnus est sacerdos q obtulit in cruce, & qui modò interpellat in cęlo: ergo nō est opus alio Eucharistiæ sacrificio. Respondemus, quòd vt Christus sua precatione nostras non tulit preces, sed fecit eas validas, & exauditione dignas: ita & de oblatione dicendum. Et quia litās in cruce meruit æternum, & summum Sacerdotium: ipse ingressus est in Sancta sanctorum, vt dicitur ad Hebræos: interpellans vultum Dei, hoc est, iram Dei, ac indignationem in vultu

Marginalia (left): An non figura, sed reipsa sacrificium sit mysterij celebratio. — D. Thom. 3. p. q. 82. ar. 4 ad 1. & ar. 10. in corp. & in sol. ad 1 tom. 13. — Oblationem sanctificatio præcedit. — Hebr. 8. Suprà 5. — Quomodo Christus in cœna seipsū mactauit, secū dum quosdam.

Marginalia (right): Alia solutio. — Greg. Nyssen. — Theoph. c. 26 — Quo sensu verum sit, in Eucharistiæ oblatione mactationē intercedere, vti Greg. Nyssen. & Theophylactus affirmant. — Matth. 27. — VI. argumentum hæreticorū contra sacrificium Eucharistiæ. — Baptismus cur propriè non repetitur sicut Eucharistia. — VII argum. Hebr. 7. — Infrà 9. Suprà 7. — Christum interpellare vultum Dei pro nobis iuxta Apostolum quid sit.

vultu signatam, contra nos mitigans: & nos quoque in sancta, id est, Ecclesia militanti interpellamus. Quòd si vrgeas, tolli à Christo Sacerdotium, dando ei successores contra doctrinam Pauli ad Hebræos, vbi vnū Sacerdotem innocentem, & immortalem, ac æternum opponit multis legis veteris mortalibus, peccatoribus, ac infirmis: tales autem esse, & videri nostros Sacerdotes. Respondemus, Paulum componere Christum cum Sacerdotibus, qui diuersas offerebant hostias, & nullus alterius erat vicarius: & quia peccatores, & infirmi erant, impediebant quo minus litarent per hostias, quæ per se minus erant idoneæ. At Noui Testamenti Sacerdotes, etsi peccatores, Christo non succedunt, quia ille summus viuit Christus, & regnat, idemque Sacerdotium exercet, & eandem hostiam litat; alij verò ministri sunt eius, & vicarij, & in persona eius dicunt, *Hoc est corpus meum*, ministrantes externa, id est, verba, & actiones, Christus verò interna. Ideò malitia Sacerdotum non impedit fructum sacrificij, quia hostia per se accepta est etiam à malo oblata Sacerdote, vt hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Hinc Chrysostomus super posteriorem ad Timotheum: *Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusque meriti Sacerdos offerat, eadem est, &c.* Sic ille. Christi ergo Sacerdotium, in potestate, & fructu æternum est: quantum ad vsum, temporale tantùm extitit, quia tantùm in cœna, & in cruce obtulit. Quæ oblatio cùm in persona propria iam cessauerit, qui vsum frequentem tollunt sacrificij, faciunt Christi Sacerdotium temporale.

Suprà 7. Ad illud: Si vnus tantùm est Sacerdos Christus secundùm Apostolum; cur ei tot alij substituūtur Sacerdotes.

Qui fit, vt malitia Sacerdotis fructū sacrificij non impediat. *Matth 3. Ioan. 1. Chrys. hom. 2 in post. ad Timo. in fi. to. 4.*

Christi æternum Sacerdotiū qui faciāt tēporale. *Hebr 7.*

Nec valet quod deducitur: Christus dicitur Sacerdos in æternum, &c. ergo solus, & non alius: quia est argumentari à dicto secundùm quid, ad simpliciter: benè tamen infertur, Ergo non est alius Sacerdos æternus. Et Christus, Rex dicitur immortalis, Iudex vnus & supremus, solus Magister, & Pastor æternus; & tamen non repugnat esse alios Reges, vel Iudices, siue Pastores, siue Magistros, sub eo tamen, & propter eum: quemadmodum ipse est filius Dei natura, nos autem gratia, vel participatione. Differunt ergo veteres Sacerdotes à Christo, innocentia, immortalitate, vnitate hostiæ, vnitate oblationis cruentæ, & litatione, quia illi peccatores erant morti obnoxij, & plures hostias sæpè offerentes non litabant: nostri autem Sacerdotes etsi peccatores, & mortales, tamen vicarij Christi, & sub illo vno summo, & immortali offerente, & hostiam dante offerunt, & litant semper, non obstante eorum malitia.

Psalm. 109. Altera leuis obiectio diluitur. *1. Tim. 1. Matth. 23. Ioan. 10.*

VeteresSacerdotes à Christo quid differant.

Octauò, à Christi hostia ducunt argumentum, aiunt siquidem: Passio Christi ad omnia peccata priora, & posteriora extinguenda sufficere videtur. Respondeo: Sufficiens est ad omnia passio Christi: sed voluntas eius eam offerentis inspicienda est. Nam si spectes delicta Noui Testamenti, noluit suam passionem valere, nisi commemoratam per hoc Eucharisticum sacrificium: nā quidquid est in hoc virtutis, ab illa proficiscitur. Ac vt oratio Christi applicatur nobis per nostras orationes, ita Christi oblatio, siue in cœna, siue in cruce, per eam quam faciunt Sacerdotes oblationē in Eucharistia, nobis communicantur, quanquam illa Christi oblatio non abstulerit, quin nos in Spiritu eam Patri offeramus, & ipse Christus quotidie se offerat Patri ad interpellandum pro nobis.

VIII. argum.

Passio Christi quatenus iuuet.

Hebr. 7.

Nonò argumentantur ex verbo Apostoli ad Hebræos, vbi cùm dixisset veteres hostias repeti tanquam minus idoneas ad expiandum, subiunxit: *Vna enim oblatione cōsummauit* (scilicet Christus) *in sempiternum sanctificatos*, id est, actu vno offerendi, de quo pluries in eadem epistola, quod semel se obtulit. Hoc argumentum dupliciter dissolui potest: Primò, vt sit sermo de peccatis veteris Testamenti, id est, commissis ante primam gratiam: quę vnica hostia cruenta semel oblata, & per baptismum applicata, omnes expiat offensas. Deinde vt demus sermonem esse de antiquis, & nouis delictis, respondemus, quòd vna oblatione siue re oblata, vniuersa expiauit crimina tanquam causa vniuersalis, quæ particulares, quibus applicatur, non adimit: sicut dicimus, Solem vnica illuminatione cuncta illustrare, non quidem actu, sed virtute, & sufficientia, ita enim exponimus illud: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Non sunt plures oblationes: quoniam omnes illæ referuntur ad illam crucis, & in ea virtute cōtinentur. Et quanquam hic dicatur de præterito sanctificauit: Paulus tamen alio loco habet; *Perficientes sanctificationem in timore Dei*; & Dilectus: *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ille sanctus est.* Non ergo repetitur, quia illa vnica hostia, & semel oblata insufficiens sit, quæ modò in particularibus operatur, & efficax est. Quod si contendas, illa eadem oblatione sanctificatos omnes homines, tum veteris, tum Noui Testamenti: ac proinde hoc Apostoli dicto tolli quotidianum Ecclesiæ sacrificium: similiter tollenda essent, quæ ab initio mundi pro peccato oblata leguntur sacrificia. Quod quia absurdum est, debemus intelligere, Apostolum

IX. argum.

Infrà 10.

Quomodo Christus vna oblatione, cōsummauit in sempiternum sanctificatos, vt inquit Apostolus. Alter sensus.

Ioan. 1.

2. Cor. 7.

1. Ioan. 3.

Eo loco Apostolus quo de tantùm sacrificio loquatur.

ſtolum hoc loco non loqui de typicis ſacrificijs, quæ ad aliud quippiam ſignificandum offeruntur, & à quo vim ſanctificandi accipiunt, ſed de eo, quod per ſe ſine vlla ſignificatione, aut reuelatiõe Deo Patri tam eſt acceptum, vt propria virtute, ac merito ſanctificet, quotquot Deo Patri reconciliati ſunt, aut reconciliantur. Quare ſine dubio eſt vnicum illud crucis cruentum ſacrificium, cuius virtute ab initio mundi quotquot ſacrificijs prioribus, & quotquot modo quotidiano Eccleſiæ ſacrificio fuerunt expiati, ſacrificantur. Differit enim Apoſtolus contra Iudæos, qui veram crucis oblationem abnegantes, & ſine vlla Chriſti gratia veram ſibi iuſtitiam vendicantes, legis quidem obedientiam non adiutorio Chriſti, ſed ſuæ legis cognitione, remiſſionem verò peccatorum: non ſacrificio crucis, ſed ſuis brutorum animantium tribuebant ſacrificijs, quaſi illa per ſe, ſine vlla relatione ad Chriſti mortem, virtutem expiandi haberent peccata. Seruiebãt enim carnaliter, & ſigna pro rebus amplectebantur, vt docet Auguſt.

Iudæi vnde veram ſibi iuſtitiam vendicarent tantummodò. *Rom. 17.*

Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 5 & 6. tom. 3. Idem locus expenditur de vna oblatione, qua cõſummauit Chriſtus in ſempiternũ ſanctificatos.

Nec illud ibi agit Apoſtolus, vt per typica ſacrificia, vel alia quæcunq; Sacramenta ſanctificatio fieri negetur: nam alioqui nec Circũciſioni, nec Baptiſmo, nec alicui alteri Sacramẽto eſſet tribuenda expiatio; ſed, vt omnis ſanctificatio, virtute, & merito paſſionis fieri intelligatur, non autẽ virtute immolationis pecudis. Eſt autem ſacrificium Eccleſiæ quotidianum illius ſignificatiuum, & ad commemorandam Chriſti paſſionem ad hominum ſalutem inſtitutum, ſicut veteris legis vera erant ſacrificia, typica tamen, & Chriſti repręſentantia paſſionem, & ab ea vim ſanctificandi mutuantia. Hinc Bernardus (ſiue qui eius ſermonis autor extitit) ſermone in cęn. Domini, qui incipit: *Panem Angelorum manducauit homo,* rectè ſcripſit: *Panis iſte per excellẽtiam dicitur Euchariſtia, id eſt, Bona gratia. In hoc enim Sacramento nõ ſolum qualibet gratia; ſed ille, à quo eſt omnis gratia, ſumitur. Chriſtus enim pro ſalute mundi ſemel factus eſt hoſtia ſalutaris, reis reconciliatio generalis: omnibus Sacramentis tam præcedentibus, quam ſubſequentibus virtutem dedit, & efficaciam, vt tanta, & tali hoſtia ſacrificarentur, omnes liberandi per illam. Vnde legitur, quia agnus occiſus eſt ab initio ſeculi, ijs videlicet, qui fuerunt ab initio: ita vt per hoc quod dicitur, ab initio, determines nõ tempus occiſionis, ſed ſalutis, prius enim mors eius profuit, quã fuit. Prius promiſſio, ac deinde exhibitio.* Hactenus ille.

Bernard.

Pſalm. 77.

Euchariſtia quid ſonet, eadem quantum ſit Dei beneficium.

Apocal. 13. Chriſtus, Agnus vt occiſus ab origine mundi.

Profertur & alius locus ex eadem epiſtola Pauli: *Vbi autem,* inquit, *horum remiſſio: iam non eſt oblatio pro peccato.* Sed intellige, non eſſe oblationem Veteris hoſtiæ pro peccatis, nam veniente veritate ceſſarunt vmbræ. Vel melius, Non eſt hoſtia pro Veteris Teſtamenti peccatis, quæ vnica oblatione crucis ſunt oblata, de quibus Ieremias loquitur. Et cùm offertur pro his, quibus peccata ſunt remiſſa, iam pro illis eiſdẽ non offertur amplius, ſed aut pro pœnis, aut pro venialibus, quæ ſemper ſunt. Ergo vbi omnimoda eſt pœnarum, etiam venialium, remiſſio, non relinquitur hoſtia neceſſaria pro peccatis: ſupereſt tamen hoſtia ad gratiarum actionem. Verùm vbi eſt remiſſio reuera ſiue in cauſa ſufficiente, iam non eſt oblatio alia, cuius merito peccata remittantur: benè tamen poteſt eſſe oblatio, quę hanc crucis victimam ſpectet, eiuſque faciat recordationem, per quam quaſi per canalem quendam eius virtus in nos deriuetur.

Hebr. 10.

Quẽ ſenſum recipiat illa etiam Pauli ſententia, Vbi horum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato. *Ierem. 31.*

Supereſt alius locus Pauli eiuſdem epiſtolæ: *Voluntariè,* inquit, *peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccato hoſtia.* Sed vt ſuperius inſinuauimus, ſermo eſt de cruenta illa victima, quæ ad omnimodam remiſſionem per Baptiſmum applicatur. Vnde Patres de Baptiſmo locum hunc intelligunt; non autem tollitur incruenta hoſtia, quæ locum relinquit ſatisfactionibus. Vel ſecundò dicendum eſt, hæc per exaggerationem Apoſtolum locutum, & per hyperbolem: vnde ſubdit: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, &c.* Et poſtea conſolatur, dicens: *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum.* In eadem etiam epiſtola cùm dixiſſet Apoſtolus: *Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam,* confeſtim conſolatur eos: *Confidimus autem de vobis, dilectiſsimi, meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur,* vt interpretatur B. Hieronym. in Iouinianum. Quod verò ait Lutherus, hoſtias, quibus populus communicatur, non eleuari, vt illam, quam ipſe ſumit Sacerdos: ridiculum eſt, quia & impoſſibile eſſet omnes eleuare, ſi innumerus populus eſſet communicandus, & non omnes hoſtiæ in veteri Teſtamento eleuabantur. Et quanquam oblationis eleuatio ſit ſignum quoddam externum oblationis, nõ eſt tamen neceſſarium, vt omnibus applicetur, etſi neceſſarium ſit quod hoſtię omnes Deo offerantur.

Hebr. 10.

Explicatur & locus Pauli: Voluntariè peccantibus vobis, &c iã non relinquitur pro peccato hoſtia.

Deut. 19.

Hebr. 6.

B. Hiero. li. 2. in Iouin. prop. init. tom. 2.

Lutheri inſanum dictum refellitur.

An oblatiõis eleuatio cunctis neceſſario ſit applicanda.

Decimò arguunt, à Sacerdotibus. Primò, quia nos nõ habemus Sacerdotes, cùm eorum Nouum Teſtamentum non memi-

X. argumentum Hæreticorum à Sacerdotibus.

1. Cor. 4. 1. Tim. 5. Esai. 66. Luc. 22. 1. Cor. 11. Ioan. 20.

nerit. Sed falsum est: quia dicuntur ministri,& presbyteri,& prædicuntur futuri Sacerdotes in nouo Testaméto apud Esaiam, & illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, instituuntur ad sacrificium offerendum: & ad remittenda peccata dixit illis: *Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis*. Deinde sunt plures (aiunt) & mortales, & infirmitate circundati Sacerdotes,& sæpè offerentes eandem hostiam, vt veteres, ergo perinde,& illi sunt spernendi nobis. Respõdemus, sub vno Pontifice,& immortali, dãte hostiã, & per eos offerente, litare semper Sacerdotes, cũ offerunt, nec impedit malitia eorum, vnumq́; est Christi capitis,& Ecclesię corporis eius Sacerdotium: sed Christus reipsa passionem obtulit, quam fidelis quisq; per meditationẽ offert, solus Sacerdos per repræsentationem sensibilẽ in altari, sed Christus offert per Sacerdotem quidem eandẽ hostiam in altari, & præterea in propria specie apparens Patri, & pro nobis interpellans in cœlo. Tertiò cõsequi videretur, Sacerdotes esse conredemptores, ac salutis mediatores; quod repugnat vnitati mediatoris, ac redemptoris. Respõdemus, id non consequi: sed salutis tantum esse ministros, & vt Paulus ait; Dei adiutores, & maior Christi gloria est, alios, qui virtutem omnem à se mutuantur, administros redemptionis efficere, nec erubescit Paulus dicere: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*. & in alio loco: *Vobis dico Gentibus, quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis*. Et quanquã Deus saluet gratis, dedit tamen nobis Christum iustitiam, per quem Deo pro debitis nostris satisfaciamus. Quartò arguunt: Ex operibus nostris alteri salus contingeret, & promererentur Sacerdotes, gratiam,& salutem. Dicimus, hoc minimè effici, quia sacrificium est opus operatum, sicut Baptismus, absolutio,& reliqua Sacramenta: secùs si ex opere operantis Sacerdotis cõtingeret meritum salutis nostræ. Quintò obijciunt: Si Christus est infiniti meriti, & valoris, sequeretur, per vnam Sacerdotis oblationem tolli omnia peccata,& pœnas, nec opus esset hostiæ nostræ repetitione. Respondeo: Etsi Christus in se sit infinitæ virtutis, & satisfactionis, non tamen participatur nisi finitè, sed pro capacitate cuiusque, quemadmodum lux Solis pro oculi captu: & hoc vel iuxta Dei voluntatem, vt in pueris baptizatis, quibus dat gratiam pro mẽsura sibi placita, etiam applicetur illis passio infinita; deinde pro deuotione accipientium,

II obiectio de eisdem. Hebr. 7.

Infrà 9. III. obiectio.

1. Cor. 3. Christi munificentia redemptoris.

1. Cor. 9. Rom. 11.

Tametsi De⁹ gratis saluet, dedit tamen Christũ iustitiam, per quẽ Deo pro debitis nostris satisfaciamus.

IV. obiectio.

Quinta.

Christus licèt sit infinitæ virtutis, non tamen participatur, nisi finitè.

de quibus ait Sacerdos: *Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio*. Et ita quòd vnam Missam plures audiant, de fructuque eius participant, nihil propterea fructus mihi perit, qui facio sacrum celebrari, alioqui deberem fores claudere, ne alij adessent, & priuarent portione fructus mihi debita, etsi igitur vna Missa sufficeret: quia tamen deriuatur pro captu finito,& quotidiè peccamus, opus est sæpè sacrificare. Et hoc dictum sit de fructu sacrificij Missæ, qui percipitur ex opere operante. Nam si de fructu operis operati in hoc sacrificio loquamur, constat illum esse finitum, quemadmodum in baptismo, & in reliquis Sacramentis, ac proinde quo in plures diuiditur, eò minor portio in quemlibet deriuatur.

Cur necesse sit sæpè sacrificare.

Quidam verò volentes probare, Christum non obtulisse in cœna, argumentantur, an Christus in cœna propitiatoriè, an Eucharisticè obtulerit: si Eucharisticè, ergo non expiatoriè: si propitiatoriè, quomodo non pugnat cum cruẽto sacrificio? Respondeo, Christũ vtroque modo obtulisse, quanquã diuersa ratione ab illo crucis cruento. Obtulit enim, vt sæpè dixim⁹ pro peccatis noui Testaméti per Eucharistiam expiãdis, propterea dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, vel frangitur: Et, *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Matthęus addit: *In remissionem peccatorum*. vbi ait, datur, vel frangitur, in præsenti. Hinc Cyprianus ad Cæcilium ait, Dominum obtulisse sacrificium verum & plenum. Et Gregorius Nyssenus oratione de Pascha, & Resurrectione in tertiam diem collata, vbi de Christo ait quod obtulit pro peccato: & Euthym. in Matthæum: *Si enim, inquit, agni figuratiui immolatio ab interfectione liberationem, & à seruitute libertatem Iudæis præstitit: quanto maiora præstabit Christianis veri agni immolatio?* Adde Chrysostom. homilia de ieiunio primæ Paschæ: *Eadem est hæc oblatio quæ à nobis, & à Christo in illo festo facta est: nec in vllo illud sacrificium fuit sanctius, nec hoc vilius illo, quinimò vnum & idem est, eodem modo tremendum, & salutare*, & quæ sequuntur. Idem in posteriorem ad Timotheum scribens, ait: *Sacra ipsa oblatio siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiuscuis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamq́; Sacerdotes modò quoq; conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus ipse, qui illam ante sacrauerat*. Sic ille. Et intellige verba, quod ad opus operatum attinet: nam quãtum ad opus operãs, quis ignorat Christum infinitè meruisse in cœna offerentem.

Christus in cœna propitiatoriè, an Eucharisticè obtulerit, an verò vtroque modo.

Luc. 22. 1. Cor 11. Matth. 26. Cypr. l. 2. ep. 3. Greg. Nyss. de Pascha ho. 1. Euth. in c. 26. Matth. c. 64. Chrysost. Idem ho. 2. in post. ad Tim. in fin. tom. 4.

Christum in cœna non solùm propitiatione, sed etiā Eucharistice obtulisse, ostēditur multiplici ratiōe.

Ratione quoq; probatur idem. Primò, quia nos sacrificamus quod ipse, & nos offerimus pro peccatis nostris, pro redemptione animarum nostrarum, pro spe salutis, & incolumitatis: ergo etiam sic obtulit: quia nos debemus illud ipsum, quod ipse, in sacrificio facere, vt docet Cyprianus; alioqui nos aliter, quàm ipse offerremus. Secundò offerens, & hostia fuerunt Deo gratissima: ergo expiarunt, & ipse quæ placita sunt Patri (hoc est, expiationem criminū, & reconciliationem cum Patre) faciebat semper. Tertiò communicauit Apostolos, quo muniret contra instātem perturbationem ex morte Christi orituram: ergo gratiam dabat expiantem. Quartò, Christus in cœna cœpit sacrificium crucis, ibi ergo expiauit: quòd autē ibi cœperit sacrificium crucis, testantur Patres sequentes. Isidorus libro Etymologiarum, Photius in epistolā ad Hebræos. Beda in Marcum, citatus à B. Thoma in 3. part. Walfridus lib. de rebus Ecclesiasticis. Rupertus lib. de diuinis officijs. Si ergo ibi cœptum, in cruce fuit perfectum; & consummatum sacrificium: ergo nō potuit ibi non expiare. Quintò secundùm aliquos, ibi Christus obtulit Eucharisticè: quia vt dicitur in textu, *Accepto pane gratias egit, ac fregit, &c.* Laus autem, & gratiarum actio Christi viatoris expiat, & omnia eius opera, quia meriti, & satisfactionis erant infinitæ, igitur etsi esset tantū Eucharisticū, expiaret. Sextò continet hæc hostia & efficaciter repręsentat, & retro trahit passionem futurā, in qua data est remissio peccatorum: ergo viua eius imagǫ remittebat. Postremò frustrà sacrificasset Christus, si non litasset, essetq; Christus Sacerdos legalis, perinde easdem sæpè repetēs hostias, & non litans. Per hoc propitiatorium Eucharistiæ sacrificium, nihil fit iniurię illi crucis cruentæ hostiæ. Primò, quia quod dicitur mortem Christi reconciliare, sanguinem lauare, crucem pacificare: excludit quidem legalia omnia, & naturalia nostra opera excludit, necnon circuncisionem, quæ ante crucē Christi, & baptismum ex se non valebant, neq; valent nisi in Christi morte, sed non excludit alias Christi actiones, qa non pugnat secum ipse Christus, & omnes suas actiones Patri pro nobis obtulit; nobis ieiunauit, orauit, & prædicauit. Nec vna est grata virtute alterius præcedentis, queadmodum gutta cauat lapidē virtute alterius, sed quęlibet Christi actio per se seruat, proptereà quod ab hypostasi infinita Verbi, & habitu ingenti charitatis infusæ in illa humanitate, proficiscatur. Et quanquàm omnes actiones suas Christus Patri pro nobis obtulerit, & proptereà dici possint oblationes; non tamen omnia sunt sacrificia, sed duæ tantū, nempè oblatio sui ipsius in cœna, & oblatio sui ipsius in cruce: quia illis duabus tantùm accessit actio mystica. Quæ vt exemplo aliquo illustrentur, sit v.g. vitis viginti palmitibus prædita producentibus vuas albas, quorum nullus accipiat virtutem productiuam ab aliquo alio palmite, sed quiuis à vite ipsa immediatè. Ponamus deinde, duos palmites supremos vuas tam nigras, quàm albas proferre. Ad hunc modum, omnes Christi actiones à persona Verbi; & charitate humanitatis Christi in infinitū promerēdi vim habēt, & ob id expiandi peccata, & satisfaciēdi apud Deū; sola tū actio, qua se obtulit in cœna, & qua se obtulit in cruce, non tantū est oblatio, sed etiā sacrificium, cū reliquę omnes sint tantùm oblationes; & ita sacrificiū cœnæ, non accipit ab illo crucis. In primis, quia illud cœnæ infiniti valoris fuit, & vnum infinitum non est maius alio. Deinde vtraque oblatio in cœna, & in cruce, ex eadem radice, id est, charitate, & persona Verbi vim, atque efficaciam habent. Difficultas enim mortis, & passionis, cùm finita sint, vt ab homine prodeunt, pręter iam dictam radicem Verbi, & Charitatis, non habet vnde sit infiniti valoris. Postremò iniuria atque adeò iniustitia fieret à Deo Christi sanguini, & morti, si eius actiones infiniti meriti, satisfactionisq; nō acceptasset; cùm omnes sint oblatæ in honorem Dei, & salutem nostram. Quod autem cruenta hostia, id est, passio, sine mors Christi non excludat, imò includat alias præcedentes actiones, probatur efficaciter. In primis quia dicitur: *Christus factus obediens vsq; ad mortē; mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu,* (nempè Saluatoris) *&c.* tunc ergo non cœpit obedientia Christi, sed ab incarnatione, & per totam vitam vsq; ad mortē protensa est, & per eā meruit esse mundi Saluator. Quod pulchre docuit Leo Papa in epistola ad vniuersos Episcopos per Siciliā constitutos: *Semper quidem,* inquit, *in æterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio; sed ordo rerum, per Iesum Christum Dominum nostrum temporaliter gerendarū, in incarnatione Verbi sumpsit exordium.* Hæc ille, quia persequitur quomodo Christus per totā vitam operatus sit redemptionē vsq; ad mortem. Deinde prædixit Propheta: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis;* & Angelus, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator,*

Cypr. ibidem.

II. ratio.

Ioan. 8.

Tertia & IV.

Isido. lib. 6. Etymol c. 26. Beda in Mar. 4 in c. 43. secūdum Bedæ ordinem to. 2. B. Tho. 3. p. q. 46. ar. 9. ad 1. Walfridus lib. de reb. eccle. cap 16. Rupert. lib. 5. de diuin. offic. c. 11.

IV. ratio.

VI. ratio.

Septima, qua ostenditur per propitiatorium Eucharistiæ sacrificium, nullam fieri iniuriam crucis cruentæ hostiæ, vt hæretici deblaterant.

Esai. 9. Elegans exēplum quo ostenditur, ex omnib. Christi actionib. duas tantùm sacrificij & oblationis rationem habere, cœnæ nimirum & crucis.

Triplici ratione planū fit Christi oblationem in cœna nequaquā ab oblatione in cruce facta vim suam, & potestatem mutuari.

In oblatione Christi cruēta omnes eius præcedentes actiones necessariò contineri. Philip. 2.

Vnde initiū cœperit Christi obediētia.

Leo Papa epist. 4. c. 2.

II. ratio. Esa. 9. Ioan. 19.

III. ratio. *Ioan. 19.* Tertiò, dixit in cruce: *Consummatum est*, nō cœptum, sed finitum opus redemptionis; quod per vitæ exemplum, doctrinam, orationem, & passionem ministratum fuit. Quarta. *Rom 4.* *Infra 5.* Quartò, traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et, Si cùm inimici essemus, recōciliati sumus Deo per mortem Filij eius; multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Omnes igitur actiones suas Christus Patri obtulit, & valebant apud Deum perinde atque passio, & placabant Deum, & diluebant noxas, quia Pater ad id acceptabat eas: nisi quòd præcedentes omnes, fuerunt oblationes; postremæ verò duæ in cœna, & in cruce, etiam sacrificia.

Redemptio nostra, propitiatio, & similia, passioni, ac cruci tribuitur, quinque de causis. Tamen redemptio nostra, propitiatio, expiatio, ablutio, & remissio peccatorum, passioni, & cruci tribui solent: tum quia crux perfectio est complens omnes Christi actiones, & eas continens: tum quia opus fuit ostensionis maioris charitatis ad nos excitandos, & fortius ad se trahendos: quia *Ioan. 15.* maiorem hac dilectionem nemo habet (id est, maius argumentum, aut ostensionem amoris) quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Christi charitas viuentis qualis præ eiusdem illa morientis. *Suprà 14.* Erat enim Christi charitas dum viueret, eadem quæ in cruce, sed in vita tecta, in cruce maximè detecta: quemadmodum ignis sub cineribus, idem est qui posteà detectus, nisi quod detectus magis apparet, & magis vrit: hinc dixit; *Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus hinc*; ergo prius diligebat Patris gloriam, & nostram salutem, sed tunc operè præclaro detexit. Passio Christi quatuor modis valet ad remissionem peccatorum. Tum tertiò, quia Christus obtulit Patri in cruce moriendo vitam suam, qualiscunque illa erat: quisque enim vitam, quam habet, siue obscuram, & ignobilem, siue nobilem, & illustrem, siue heroicam, & planè diuinam, & multis victorijs decoratam, solet pro Principe suo, vel patriæ salute, periculo mortis exponere. Christus autem illustrissimam, & planè diuinam, & victorijs innumeris insignitam Patri obtulit vitam. *Hebr. 9.* *Ephes. 5.* *Hebr. 5.* Tum quartò, quia passio valet ad remissionem peccatorum non tantùm efficienter, meritoriè, & satisfactoriè, sed etiam per modum sacrificij: nam per Spiritum sanctū semetipsum obtulit immaculatum Deo; & alio loco, *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Et alibi: *Qui diebus carnis suæ, preces, supplicationesq́; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, &c.* Aliæ verò Christi actiones non expiabant per istum vltimum modum: & passio, sacrificium est immediatè recuperans, Eucharistia verò, in eius recuperatione seruans. Tum quintò, quia primo homini dictum erat, *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris*; *Gen. 2.* non dixit, flagellaberis, aut nudaberis: aut alia incōmoda patieris, sed morte morieris. Hinc opus fuit in morte Christi salutem constitui, vt qui solueret quod peccanti homini comminatus est Deus: non quòd aliæ actiones expiationem promereri non possent, sed quia morte tam sancta confirmanda erat veritas Euangelij ab eo prædicata, Deoq́; summus honor restituendus, & salus mundi vitæ propriæ præferenda. Christiq́; sacrificium in cœna dignius fuit ex parte offerentis, quàm modò sit: quia etsi Christus *Hebr. 6.* sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, & modò offerat per administros suos Sacerdotes; tamen tunc erat viator, & merebatur, & inchoata erat tunc passio; modò verò extra meritum est, & passionem: tamē quod ad opus operatum attinet, par est sacrificium tunc Christi in cœna, & Christi per nos modò sacrificantis: & peccatū quidem Adæ tantùm erat infinitum ex parte obiecti, quia contra Deum; ex parte verò peccantis, formaliter finitum. Attamen quodlibet Christi opus duplicem habebat infinitatē: & ex obiecto Deo, propter quē operabatur, & ratione personæ Verbi per se operantis, & sacrificantis. Qua ratione opus operatum sacrificij incruenti ab illo cruento pendeat. Non igitur deroget sacrificium Christi in cœna cruento crucis sacrificio, sicut nec fluuius irrigans terram, derogat ipsi mari, quia mare est, quod tacitè mittit aquas fluuio, vt possit irrigare, & in virtute eius irrigat: atq; in hunc modū opus operatū huius sacrificij à cruce pendet. Deinde dicitur primum expians passio, id est, summū, cuius virtute omnia alia Sacramenta, siue fides, siue bona opera, vim purificandi habent, vt Circumcisio, & Baptismus ante crucem, & fides purificans corda, & saluans, & remissionem peccatorum, atque adeò Spiritum sanctum impetrans: *Act. 10.* quamobrem non potest incruētum sacrificium quouis modo illi cruēto derogare, sed arrogare plurimum. Ratio enim peccati, & fiduciæ in Deo collocandæ exigebat, post Baptismum aliquod institui sacrificium. Præsens purgatorium electorū quodnam sit. Nam vbicunq; est expiatio peccati, ibi est hostia, & sacrificium, in quo omnia Sacramenta nostra valent, & contritio, & omnes boni motus nostri, atq; præparationes ad gratiam, atq; adeò purgatorium vitæ præsentis, quod in forti ac patiēti tolerantia passionum consistit, & futuræ. Si igitur talem ac tantam, expiandi peccata ac scelera, rationem in hoc sacrificio incruento suam videmus, meritò ingentes

Deo gratias agere debemus, qui nostrę fragilitati subleuandæ, atq; confirmandę tantum antidotum præparauit. Vtinã oculos cordis aperire nobis dignetur Dominus, quò tot thesauros in hac hostia delitescentes grato animo agnoscere possimus, vt proinde maiori studio ad frequentandam hãc mensam incendamur, & iugiter capiti nostro coniungi, & copulari valeamus Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto, tota sit laus, honor, & imperium in sempiternum, Amen.

TRACTATVS XXXII.

In Quo agitur de Missa, num instituta sit à Christo, & de cæteris ritibus, & ceremonijs quibus celebratur, & cur materna, & vulgari lingua nõ dicatur, atq; adeò de ipso Canone Missæ.

Missã à Christo institutã fuisse ostenditur contra Lutheranos.

NON minus impiè, quàm impudenter Hæretici blasphemant, asserentes Missam minimè esse à Christo institutam, sed ab hominibus quæstus gratia adinuentam: quod impium dogma vt cõmodè refellatur, statuendum est, Missam duo complecti, alterum, quod ad eius essentiam, ac substantiam in genere spectat; alterum est quod ad externa accidentia, & ornamenta pertinet. Principalia in Missæ sacrificio, & quasi substantialia à Christo instituta sunt, doctrina, oratio, consecratio, oblatio, & communio: hæc autem quinq; ex Euangelio manifestè colliguntur adfuisse cœnæ Christi Dominicæ. Nam in primis de Doctrina constat, Christum longum sermonem in cœna ad Apostolos habuisse, & in Actis de doctrina, & fractione panis, & orationibus simul fit mentio: *Erant*, inquit Lucas, *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Dicitur etiam ibidem gratias Patri egisse Christus in benedictione panis, & calicis, vnde & orauit; est autem gratiarum actio, pars orationis. Habuit etiam (teste Ioãne) post cœnam longam, & elegãtem Orationem; in qua tum pro se, tum pro Apostolis, & Ecclesia Patrem rogauit. Et tandem hymno dicto in fine exierunt in mõtem Oliuarum; at hymnus, pars quædam precationis est: hinc & nos ante consecrationem dicimus, Gratias agamus Domino Deo nostro, & oramus ante, & post oblationem. Consecrationem in illo verbo, *Benedixit*, habemus; Oblationem verò, in eo quod ostendit Deo & Patri panem, & calicem; Communionem porrò, in eo quòd corpus & sanguinem Apostolis sumenda dispensauit. Adhæc quod Apostolus docet in priori ad Timotheum: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*; tum Græci, tum Latini Patres, vt Chrysostomus, & Oecumenius, Ambrosius & Augustinus obseruari tradunt in diuino cultu Eucharistiæ, siue in sacrificio Missæ. Dixi autem in genere cõtineri hæc in Scriptura: non quòd hæc magis, quàm illa oratio dicatur, & doctrina magis veteris, quàm Noui Testamenti proponatur; sed vt Ecclesia statuerit. Si autem sit sermo de partibus accidentarijs Missæ, id est, de ritibus, & ceremonijs ad solennitatem, & decorum Sacramenti, præceptumq; ex lege, vel consuetudine pertinẽtibus: dicendum est in primis illa omnia ex Apostolorum & Ecclesiæ institutione profecta: hæreticosq; insanire affirmãtes, omnes eius ceremonias, luminaria, signa externa, vestes sacras, irritabula potiùs esse impietatis, quàm officia pietatis & damnandum esse Ecclesiæ morem Romanum, verba consecrationis secrete, & lingua Latina proferentis; cùm præstaret vulgari, & materna, vt omnes intelligerẽt, illa pronuntiari; Canonemq; Missæ intolerabiles errores continere, atq; ideo abrogatione dignum. Ad has voces impudẽtiæ, ac maledicentiæ plenas, quædam dicemus in genere, & quædam in specie. Generatim igitur statuimus, hos ritus per se malos nõ esse, sicut nec per se bonos; verùm sua natura medios & indifferentes, nec etiam esse expresè contra sacram Scripturam, sed potiùs virtute in illis cõtineri, quia deducuntur ex his, quæ in ea sunt, duplici ratione: vel dum Ecclesiæ suæ iubet obedire per omnia; vel eminenter, dum quæ ibi mandata, vel consulta sunt, ad vnionem seruandã cum Deo singulare pręstant adiumentum. Deinde perpendendum, hos ritus consultos esse, vel præceptos ab Ecclesia, quæ ius habet præcipiendi, teste Paulo, vt omnia honestè, & secundùm ordinem fiant; cui si quis temerè, aut sine caussa contradicere, aut repugnare audeat, meritò habendus sit Ethnicus, & Publicanus. Tertiò aduerte, non debuisse, neque decuisse in Scriptura huiusmodi ceremonias exprimi: quia aliud sunt dogmata, aliud edicta, vt docet Basilius libr. De Spiritu sancto. Hinc Paulus, & Barnabas in Actis tradebant eis custodire dogmata, quæ erãt decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Ierosolymis, id est, decreta, ad disciplinam & ritus spectantia; quæ propterea quòd talia essent, silentio supprimuntur. Et Augustinus epistola ad Ianuarium, tractans illud verbum Apostoli: Ce-

Missa duo continet.

Eius partes substantiales ac præcipuæ.

Act. 2.

Matth. 26.

Ioan. 17. & sequen.

Matth. 26.

1. Tim. 2.

Chrys. hom. 6. in priorem ad Tim. cap. 2. tom. 4. *Oecumen.* *Ambros.* *August.*

Substentialia Missæ quẽadmodum in Scriptura cõtineantur.

De ritibus Missæ secundũ se & simpliciter acceptis quid sentiendum sit, & enuntiandum.

1. Cor. 14.

Matt. 18.

Aliud sunt dogmata aliud edicta.

Basil. lib. De Spir. sanct. c. 27. tom. 1.

Act. 16.

Aug. epist. 118. tom. 2.

1. Cor. 11.

li: *Cætera autem, cùm venero, disponam*; asserit, Apostolum nihil præcepisse de ordine Eucharistiæ percipiendæ, sed traditioni illud reliquisse. Quartò statuẽdum, has cęremonias ad ornatum Eucharistiæ relatas; vniuersali Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, quæ instar legis est, roboratas esse; vt Apostolus ad imponendum silẽtium seditiosis dixerit: *Nos talem consuetudinem nõ habemus, neq; Ecclesia Dei.* Et profectò de his ritibus, quos Ecclesia Catholica inuiolabili religione obseruat, velle quouis modo dubitare, insolentissimæ est superbiæ: vt Augustinus docet loco prædicto, hisce verbis: *Si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerũ liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentiq; Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunq; fortè deuenerit. Quod enim neque contra Fidem, neque contra bonos mores iniungitur; indifferenter est habendum & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandũ est.* Hactenùs Augustinus.

Consuetudo vim habet legis.
Ibidem.

August. ibid. Aureus Augustini canõ.

Quintò inuenimus commendatos, atque illustratos à sanctis, & veteribus Doctoribus eiusmodi mores. Nam B. Iacobus Apostolus & Basilius Magnus, ac B. Chrysostomus ordinem Missæ celebrandæ in Ecclesia Græca instituerũt, & magna ex parte illustrauit Dionysius Areopagita, Germanus Constantinopolitanus Episcopus, Ioannes Damascenus, & Nicolaus Cabasila, atq; alij nonnulli; ritum verò Missæ Latinæ à B. Petro Apostolo, & Clemente Romano accepit Ecclesia, quanquàm Ambrosius peculiarem pro Mediolanẽsi Ecclesia Missæ Canonem præscripserit. Hunc verò ritum sacrificij celebrandi in Ecclesia Latina auxerunt, locupletaruntq; quàplurimi Pontifices, & magnæ autoritatis Patres; de quibus rectè scriptum intelligi potest illud Dauidis verbum: *Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Nam queadmodum olim cultum templi diuinum auxerunt, & ornarunt magna cũ sua laude, Dauid, & Salomon; ita in Nouo Testamento multi Patres, & autoritate, & doctrina, & pietate insignes, diuinos Sacramentorum ritus exornarunt, atq; illustrarunt. Sexto loco perpende, eiusmodi instituta rudibus hominibus, & naturæ nostræ erudiendæ, & ad bonum inducendæ, atque inflammandæ, quæ à minimis, & medijs, non à fine, & à maximis progredi solet, apposita atq; accõmodata: vt meritò Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iulianum, pædagogiã Christianæ religionis hos ritus appellet. Septimò illud perpendendũ, quòd simplices, æquè inter illos, atq; inter nostros,

Missa Græca condita à quibus, & illustrata.

Missa Latina à quibus instituta.

Psal. 49. Quinam ordinent testamentum Domini super sacrificia, iuxta Prophetam.

Rituum illorum instituta quàm sint naturæ nostræ consentanea.

ob cæremoniarum mutationem, putarunt Ecclesiam olim in Fide deceptam. Cõstat autem ob mutationem consuetudinis rebaptizantiũ natas fuisse hæreses tempore Cypriani. Hinc Aug. *Ipsa*, inquit, *mutatio cõsuetudinis etiã quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa frequenter noxia est.* Hæc ille. Octauò considerandũ, quòd q hæc vrgẽt, manifestè in alijs malo spiritu ducuntur, qui etiam in his eos impellit. Nam si vt debent, crederent, crederent etiã se in Fide, & ritibus bonis non errasse. Ideo non debent leges bonæ mutari propter eos: superbus namq; esset reus, cui postquàm clementia Principis donata essent, & vita, & ciuitas, is nollet donatam ciuitatẽ acceptare, nisi bonis legib⁹ eius mutatis. Quamobrem sicut nec in Fide, ita nec in ritibus, spiritui nequam cedendum est, aut illi sacrificãdum. Mos enim Ecclesiæ Dei fuit Hæreticis nõ cedere, sed semper resistere: quemadmodum Victor Papa in Tesseradecatitas, seu Quaterdeciman. fecit, delectus ciborum, ieiuniaq; prohibita in Manichæos, Cãtica in Donatistas, & Arrianos plebi data, in Aquarios, seu Hydroparastas, merum vinum instituens. Ita tamen tuemur has obseruationes, vt si qui abusus existant, qui pastorum incuria, & temporis decursu irrepserunt, libenter illos de medio tolli sentiamus. Atque hæc in genere nobis dicta sint. Iam ad singularia quædam huius sacrificij ornamenta accedamus.

Quid rudes olim atq; imperiti de cæremoniarũ mutatione putauerint. *B. August. epist. 118.*

Hæretici rituum & cæremoniarũ mutationẽ vrgentes, quales se prodãt.

Victor Papa.

In primis siquidem, q templa, oratoria, basilicæ, & altaria sint huic sancto sacrificio dedicata, cum ratione, & æquitate est coniunctum. Nam si olim in lege Naturę nonnisi in altari constructo, id est loco sacro, & in lege Moysi nonnisi in templo, siue loco sacro erat sacrificandum: quãto magis hoc in Eucharistiæ sacrificio religiosè est obseruandum? Hinc Paulus Eucharistiam in loco sacro, & communi, non profano, & priuato offerri voluit, ait enim: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* nam res sacra, & cõmunis offertur. Hæc autẽ templa olim ad Orientẽ spectabãt, vt testãtur Tertullianus lib. aduersus Valẽtinianos initio. Athanasius in qq. ad Antiochũ Principem, Damasc. in lib. De orth. Fide: nã ad Orientẽ paradisus plãtata à Domino, & Christus ascendit super cœlũ cœli ad Orientẽ, & inde venturus creditur ad iudiciũ. Tabernaculũ etiam ad Orientẽ habebat velũ, & propitiatorium, & portam Domini: & tribus Iuda tabernaculũ tẽdebat ad partẽ Oriẽtis. Mirabor si quis sit, qui hæc iure reprehen-

Quàm sit æquum, & rationi cõsentaneum, sancto altaris sacrificio omnem cultum internum, & externum exhiberi. *Leuit. 6.* *1. Cor. 11.* Olim tẽpla contra Orientem Solem spectarent. *Tertull.* *Athanas. q. 37. tom. 4.* *Damas. lib. 4. cap. 13.* *Gen. 2.* *Psalm. 67.* *Leuit. 16.* *Exod. 26.*

denda existimet; cùm sint pietati, & rationi maximè consentanea.

Campanæ, æramentaq; ad quid in templis deseruiant.
Num. 10.

Sunt prætereà campanæ, & æraméta ad accersendum populum nō minus ad sacrificium, quàm ad verbum Dei, & officia Diuina accommodata: vt olim tubæ argenteę in manibus Sacerdotum; vt excitent fideles ad bellum cōtra cacodæmones per hoc sacrificium, & orationes inferendum. Campanæ in edito loco affiguntur, durabilioresq; atque sonanciores multò quàm tubę: quia Euangelium altius est, atq; perpetuū; & ad plures se extendit nationes, quàm lex, quia de eo scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Tertiò, celebratur sacrificiū accensis funalibus, & luminaribus: vt olim in lege erat candelabrum cum lucernis accensis. Admonentq; lumina accensa, Christi, qui lux est mundi, & fidei in eum constanter retinendæ, fraternæq; charitatis in proximum: sunt etiam signum lætitiæ, & gaudij, vt notat Hierony. item futuræ gloriæ symbolum, secundum illud: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardētes in manibus vestris: & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptijs; vt cū venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Idē docent virgines, cum accensis lampadibus sponso occurrētes. Quartò Sacerdotes nōnisi vestibus sacris ornati hoc peragūt mysterium; si olim Aaron, & filij eius immolaturi boues, & agnos, sacras, ac benedictas gestabant vestes, vt præcipitur in Exodo: & Ezechiel prædicit in Nouo Testamento induendos Sacerdotes vestibus lineis. Seruiunt autem eiusmodi vestimenta ad refricandam, ac commemorandam opprobriorum quæ Christ^9 sustinuit in passione, memoriam, ad deuotionem populi excitandam; ad honorem sacrificio ab omnibus præstandum; ad designandum veste charitatis nuptiali ornandum eum, qui accedit ad sacrificium Eucharistiæ, siue sit Sacerdos, siue laicus. Deniq; ad eruditionem virtutum. Nam amictus, quo primùm tegitur caput, fidei memoriam refricare debet, & mentis rectè ad sacrificandum necessariæ. Qui tunicam albam induit, puritatis vitæ adferendæ meminerit: in cingulo meminerit castitatis; in stola ex vtroq; humero pendēte, patiētiæ; in manipulo, quo obligatur manus, obediētiæ recordetur; in casula, charitatē vniuersa operiētē delicta se induendum intelligat. Mentionē faciūt vestitū sacrarum Basil. & Chry. in suis Liturg. August. in Psal. 113. Synodus secunda Nicæna Actio 7. Steqh. Papa, æqualis Cypriani, vt habes distin 1. cap. vestimenta.

Psal. 18 & Hebr. 10.

Exod. 25.
Luminaria ad altare accensa quid denotent.
Ioan. 9.

B. Hieron. in Vigil. tom. 2.
Luc. 12.

Matt. 25.
Sacerdotes cur nonnisi sacris vestib. induti hoc peragant Sacramentum.
Exod. 28.
Ezech. 44.

Vestimenta hęc sacra Sacerdotū quid consignant.
Matt. 22.

Eadem quid sign[ificent].
1 Pet 4. & Prou. 12.
Vestitū eius sacrorum quàm sit antiquus, & celebris.

Aug. tom. 8.
Synod. II. Nicæna.
Steph. Papa epist. 1.
2. Paral. 25. & sequen.
Luc. 2.

Quintò aduerte, cantus, & hymnos adhiberi sacrificio nostro solitos, vt olim in Veteris Testamenti sacrificijs adhibebantur, vt liber Paralip. tradit. Si Angeli Christo nato carmen gloriæ cecinerunt, quid ni nos Christo quodammodo pro nobis denuò incarnato, & quasi nato canamus, & labiorū vitulos offeramus. Plinius epist. ad Traianū testatur, Christianos carmē antelucanū Christo quasi Deo cecinisse. Philo Iudæus, citatus ab Eusebio Cæsar. testatur Christianos primitiuos psalmodiæ, & cantui vacasse. Dion. Areop. meminit Cāticorū Ecclesiasticorū, & Psal. sanctæ modulationis, quæ summo mysterio deesse nō debuit: vnde & inter ordines sacros ponitur Psalmistatus, seu Cantoratus. Meminerunt præterea Hier. in Esai. & Aug. lib. de ciuit. Dei, & probat ex Esaiæ verbis postremis; Chrys. etiam in Mat. Habetq; in textu Euāgelico fundamentū hic cantus, nā dicitur: *Et hymno dicto* (scilicet quorundā Psalmorū) *exierunt in montē Oliuarum.* Seruiendum est Christo corpore, & spiritu, & vtroq; homine. Mirè alliciūt cantus, siue ad deuotionē, siue ad fletū, vt sensibiliter videātur à Deo in Ecclesiam illati, vt ait August. Imò etiā pœnitentiam, quam flendo facere deberemus, cantando Deo proponimus, quod diuinæ proculdubio fuit artis: pueri cantilenis citentur ad somnū; viri siue ad lasciua, siue ad honesta, siue ad bellica, pro ratione cantus incitantur. Quomodo ergo cantiones ad pia, & honesta excitātes, irritabula sunt impietatis? Sextò picturæ imaginis Christi, Virginis, & Sāctorū, adhibenē templis, & altarib. vbi hoc mysteriū peragitur: quæ nihil aliud sunt, quā rudiū, & imperitorū libri, gesta Christi & Sanctorū in memoriā reducētes, pietatēq;, & imitationis studiū eorū cordi instillantes: has verò quis sanus meritò reprehendere audeat, cū Ecclesiæ cōsuetudine & vsu approbatæ, & fructuū qui percipiuntur, experientia corroboratæ sint, vt nonnisi impius sit, & ingratus, qui eas de tēplis demoliēdas esse cēseat quemadmodum Iconoclastæ extiterunt.

Septimò, asserere, Missas celebrādas esse lingua vulgari, consiliū est schismaticum, ob consuetudinem, & præceptum Ecclesię aliter tradentis: dicere autem, nō licere Latinè sacrificare in Ecclesia Occidētali, planè est hæreticum, quia dat Ecclesiā errare posse. Non ergo eiusmodi consilium hæreticorum acceptandū est. Primò, ne fiat scissura in Ecclesia. Deinde ne hactenùs Ecclesia dormitasse, atq; adeò errasse videatur. Tertiò, quia olim sacra mysteria Hebræa tantū lingua tradebātur: posteà cōmuniter tribus,

Eucharistia noua quædā Christi incarnatio dici potest.
Plin. Nouoco.
Philo in lib. De his, qui theori vitam sectantur.
Euseb. Cæsariens. lib. 2. hist. Eccl. c. 17 tom. 1.
Diony. Areopag. lib. Eccl. hier. c. 3. par. 3 propè initiū.
Hierony. in c. Esai vlt. 10. 5.
Aug. lib. 20. De ciuit. Dei c. 21. 10. 5.
Chrys. ho. 83. in Mat. to. 2.
Matt. 26.
August. lib. 9. Confess. c. 6. tom. 1.

Picturæ Christi ac Diuorum, vsum quem præstent.

Iconoclastæ qui.

Cur Missa, lingua materna non recitetur, sed Latina tantummodò. Prima ratio, secunda, ac tertia.

Ioan.19. tribus linguis in Christi cruce sanctificatis, ex illis Hebræa lingua in totũ defecit, Græca ferè tota est schismatica, sola Latina superest. Quartò, vt ea ratione sanctum canibus non detur; & margaritæ in porcos non proijciantur. Quintò, ob Apostolum dicentem; *Hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere*: vbi nõ omnibus, sed quibusdam tantùm, atq; illis quidem idoneis, vult commendari mysteria Fidei. Et ne omnibus sint in promptu, mirificè seruit lingua Latina, quæ paucis admodũ nota est, atq; comperta. Quintò adde Christum in cruce cruentum sacrificium celebrantem, qui dicendo: *Eli, eli, Lamasabacthani*, nõ solum à Romanis, sed etiam à Iudæis fuit intellectus: & Hebraica lingua iam desierat inter Hebræos, qui post reditũ à Babylonia, Syriaca, vel Chaldæa vtebantur: etsi officia sacra in templo, & doctrina Hebraicè tradita in synagogis à Rabbinis explicata traderetur. Sextò, adhæc Apostoli cum Eucharistiæ celebrationẽ, & psalmor. in sacris officijs decantationem, & lectionem Prophetarum Gentibus ad Fidem cõuersis traderent, autore Iustino Mart. nunquam tamen res has vulgari lingua tradiderunt: nam Scripturæ non erant ab Apostolis in alias linguas transfusæ, sed tantum linguæ Græca fidelibus tradebantur. Cùm tamẽ innumerabiles essent linguæ, & Parthi, Medi, Elamytæ, & similes, diuersas vocum proprietates habuisse dicantur in Actis: nec tamen psalmi, vel lectiones ex Veteri, vel ex Nouo Testamento sumptæ in alia, quam Græca lingua, & non quidem vulgari, sed Attica, vel certè communi, ac docta, ex Apostolorum traditione proponebantur. Vnde Hieron. scribit, Galatas excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur propriam sibi linguam, eadẽ ferè quàm Treuiros habuisse. Septimò, Gregor. VII. scribens ad Vratislaum Ducẽ Bohemorũ, hoc à se suo, & nobilitatis nomine petentem, nullo modo concessit: agnoscebat enim prudentissimus ille Pontifex, magnam esse nouitatem, & periculo derisionis exponi sacra mysteria, si lingua vulgari exprimerentur. Innocentius quoq; III. narrat se Episcopo Metensi Scripturarum sacrarum trãslationem in linguã vulgarem minimè concessisse; ne vilesceret, & ne prauè intellecta, in discrimen hæreseos adduceret imperitos. Octauò infinitis Missalibus, & translationibus opus esset, ob innumeras linguas, in quas dispersa est Ecclesia Christiana: & adhuc in maternam versa linguam, possent quidem verba intelligi, sensus autem minimè, nisi à doctis, & peritis. Nonò, Euangelium, vel epistolam interpretari solet Sacerdos, vel prædicator; vt propterea fructu suo non careat: quòd si non interpretetur interdũ, potest fructuosiùs passionẽ Christi, aut Eucharistiæ mysterium meditari. Nec obstat verbum Apostoli, dicentis: *Qui loquitur lingua, oret vt interpretetur*; vbi Paul. non satis contentus est lingua, nisi adsit interpretatio. Verùm in eo loco de docente & hortante videtur esse sermo, vt explicat Rupert. in prœmio lib. Diuin. Offic. Et declarans se loqui de prædicante, subdit: *Sed in Ecclesia volo quinq; verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decem millia verborum in lingua.* Quod si de Missa est sermo, vt illa verba insinuant: *Quum conuenitis, vnusquisq; vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, &c.* & paulò antè, *Cæterũ si benedixeris spiritu; qui supplet locũ idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem?* Id est, in ritu Missæ, vbi panis & vinũ benedicuntur. Respondendum est, quod ob id dicitur quis supplere locum idiotæ, vel imperiti, quia minister Sacerdoti respõdet pro omnibus qui assistunt. Et multas voces Hebræas in officio retinemus, vt Alleluia, Osanna, Amen, Emmanuel, Rabbi, Abbas; sicut & Græcas quoque, vt Kyrie eleison, pro qua Græci dicunt Domine miserere, teste Remigio ad vnitatem Fidei ad ostendẽdam; habemus Psalmũ, Christum, Baptismum, Episcopum, diaconum, Eucharistiam, Euangelium, quæ omnes Græcæ sunt voces; & Papa Romano solenniter celebrante, prius legitur Euangelium, & epistola Græcè, quàm Latinè: contra Græci olim Constantinopolitani, Latinè primò, deinde Græcè; vt sic Latina decantata per Græca interpretarentur, quemadmodum nos per Latina posteriora interpretamur Græca; quo ita videas vsum linguarum in sacrificij Christiani ritu. Neq; rursus valet, si Græci Græca lingua conficiũt, hoc est, sua materna, & propria; ergo & nos Latini materna nostra, ac propria. Respondemus enim, Græcam linguam, qua vtuntur Sacerdotes sacrificantes, non esse illam, qua vulgus Græcorum promiscuè vtitur, sed longè ab illa dissitam; nec intelligi communiter à populo, sed à doctis tantùm, & callentibus priscam linguam: quemadmodum Latinum idioma longè differt à materna lingua Italica, nec ab alijs, quam idiomatis Latini gnaris, atque intelligentibus percipitur.

Octauo loco: Etsi olim verba consecrationis exclusis Catechumenis alta voce dicerentur, & populus responderet, Amen, vt testantur liturgiæ B. Iacobi, Basilij, &

Chry-

Marginalia (left): Quarta. Matth. 7. — 2. Tim. 2. — Quinta. Matth. 27. — Iudæi post reditum è Babylone qua lingua vti cœperint. — Sexta. — Iust. Mart. apolog. 2. ad Antoninum Pium tom. 1. — Act. 2. — Hieronym. in c. 3. ad Galat. tom 9. — VII. ratio. Grego. VII. lib. 6. epist. 21. — Innocen. III. epist. ad Arciepisc. Compostel. — VIII. ratio.

Marginalia (right): IX. ratio. — 1. Cor. 14. Quæ sit mens Apostoli dicentis: Qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. — Quid sit iuxta Apostolũ, supplere locum idiotæ. — B. Remig. lib. de offic. Missæ. — Græcæ & Latinæ vetus mos Ecclesiarum. Si Græci Græca, id est materna, Eucharistiam conficiunt: cur Latini propria, id est, vulgare id facere prohibentur. Verba consecrationis cur non, vt olim, expressè sed tacitè proferantur, & quatenus. Iust. Mart. Apolog. 2. tom. 1 sub initium.

Amb.l.4 De Sac.c.6 Iod.4 Id.l.de ys qui myst.initian- tur c 9 eod.to Aug to.10. Leo Papa ser. 4 de ieiunio 7.mensis.

Chrysostom. & Iustin. Martyr, Ambrosius, & Augustinus sermo, ad Neophytos, & Leo Papa: hoc erat, quia tunc exclusis indignis solum sancti remanebant, qui digni erant & videre, & audire, modò verò ob indignos qui adsunt, & se ingerunt, rectè celantur consecration verba, secretèque dicuntur; sed ita tamen secretè, vt expresse proferantur. Nam cùm sint forma Sacramenti, hoc est rei sensibilis, sub sensum etiam debent cadere: quòd si quis corde tantùm consecrationis verba proferret, profectò non conficeret. Deinde olim in lege omnia vasa tabernaculi tecta portabantur, ne aliorum oculis paterent: in quibus docet Origenes significari, mysteria sacrificij indignis, & populo celanda esse. Tertiò, accedunt Patres, Dionys. & Basilius. Ille quidem in lib. Eccles. hierar. dicens: Ipsi quoque sanctissimi Principes nostri, dum sacra publicè agenda instituerunt, non apertis ac patulis sensibus, sed signis augustioribus tradiderunt. Est enim non omnis sanctus, neque in omnibus est scientia: vt sacra testantur eloquia. Basilius verò lib. De Spir. sanct. Neq; enim inquit, omninò mysteriũ est, quod ad populares, ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum agnitio propter assuetudinem vulgò veniret in contemptum. Et paullò ante, de Mose loquens, qui non omnia quę erãt in templo, passus sit omnibus esse peruia, sed profanos extra sacros cancellos statuit: *Probè sciens*, inquit, *pro sua sapientia, res vsu tritas, & vndecunq; parabiles, expositas esse contemptui: cæterum ei, quod sepositum est, quodq; rarum est, huic naturà coniunctam esse summam admirationem, ac studium.*

Num.5.

Orig ho 13 & 15 in Leu. & 4 in librum. Num.10.1. Dion. l. Eccl. hier c.1 prope finem. 1.Cor. 8. Basil. l. De Spi.s. c.27. tom 1.

Cur quędam in Ecclesia sine scriptũ tradita fuerint teste Basil. *Idem ibid.*

Fauet etiam huic sentẽtię ipsa ratio. Nam secretissima Dei actio, quę in transmutatione Sacramenti accidit, secreta recitatione verborum consecrationis, & silentio Canonis fuit honoranda: vt Cassianus quodam in loco annotauit. Deinde Sacerdos orando cum Deo loquitur: at colloquia Sacerdotis cum Deo loquentis, vt ostio clauso orat Deum. & in abscondito, magis debent esse spiritualia, & ex corde profecta, quàm sensibilia, & vocalia. Tertiò, meminerimus, quid olim Bethsamitis vidẽtibus sacra, acciderit: quòd Ozæ arcam Domini tangenti, & sustentare volenti, supplicium aduenerit, quid Baltasari Regi in vasis sacris edenti, & bibenti diuinitus euenerit; vt discamus reprimere curiositatem, qua sacra velimus perscrutari. Vnde & Innocentius III. docet, sacrosancta consecrationis verba secretò in Ecclesia recitari, ne apud vulgus vilescerent: atque eadem olim pastores quosdam decantasse in agro, & diuinitu fuisse percussos.

Quib' rationibus idem dogma confirmetur ratio. *Cassian.* Secunda. *Matth.6.*

Tertia. *1.Reg 6. 2.Reg 6. 1.Par.13.*

Dan.5.

Innoc III. L.4. Myst. Miss. c.1.

Falsum est autem, & plane sophisticum, quod hæretici asserunt cõtra vniuersas has sacrificij ceremonias, Missam Christi omnium fuisse simplicissimã; & ideò Missam quæ illi primæ Christi vicinor est, & similior, religiosiorem, & magis Christianam existere. Nam in primis Christi non fuit tam simplex ac nuda, atque isti fingunt: fuit enim in ea ablutio pedum, fuit admnnitio excitans ad mysterium, cùm dixit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*: fuit & paratio Paschæ in cœnaculo: fuit longus sermo, benedictio, gratiarum actio, hymnus, interuenit & longa oratio: quòd si non fuêre aut sacræ vestes, aut signa crucis; nec tempus, nec locus id tunc exigebat. Deinde, latet in hoc dicto sophisma: putant enim, eò quòd in primitiua fuit maior Spiritus, fuisse ritus, & ceremonias conuenientiores. Quod falsum est: nam primò Ecclesia erat sub infidelibus, nec ita poterat ceremonias aut instituere, aut institutas seruare. Deinde primitiui magis essentialibus Fidei plantandis, quàm ceremonijs vacabant. Tertiò, non erant tot abusus necessitatem legum docentes, cùm pauci essent Christi professores. Quartò, cùm essent spirituales, magnaq; fide prædití, nõ indigebant tot incitamentis ad essentialia; & in alijs, quæ talia non sunt, non ita passi essent se colere. Quintò, quia in principio cuiusuis legis aut religionis solent esse omnia rudiora, vt constat in modo iudicandi Moysi, quem correxit Iethro; & in Apostolis eligentibus per sortem: Ambro. in epist. ad Ephes. ait, confusa fuisse olim omnia ab initio; & Beda in Lucam, prouidentiam paullatim ait se aperire, & primò Diaconos electos ad mensam, & postea ad ordinem. Et Basilius instituta à Greg. Neocæs. ob antiquitatem, scribit fuisse rudiora. Habent ergo se primitiua, & nostra Ecclesia, quòd illa excedit in substantialibus, nostra verò in ritibus, quia Spiritus manens docet eam: ita de Missa Christi, & nostra. Quæ igitur ex nostris est vicinior illi Christi, in internis est sublimior; sed quæ in externis ad illam non ita accedit, est Christianis conuenientior: vt experientia Lutheranorum ostendit, qui postquam in templo de calice Domini potauerant, quod supererat, fundebant ad altare, & Eucharistiam domum deferebant. Illis quoque externis nos egemus, vt tanquam lignum viridè flatu accendatur: quod melius est, etsi cùm aliquo onere, quam vtroq; carere.

Hęreticorũ contra missæ ceremonias vanum sophisma diluitur.

Ioan. 13. Luc.22. Ibidem. Ioan.13. vsq; ad cap.18.

Cur in Ecclesia primitiua fuerint ceremoniæ pauciores, quam in nostra. Tertia.

Quarta.

Quinta.

Exod.18. Act.1. Amb. in c.4. ad Eph. to.4. Beda in c.10. Luc to.5. Act.6. Basil. l. de Spi. S.c.18. to.2. Iod.14 & 16.

Quam leuis hęc ratio: Christi Missa est sublimior, & magis Christiana, ergo & conueniẽtor omnibus.

Qualis lex sit oportet.

Nec valet:est sublimior, & magis Christiana, ergo & cōuenientior omnibus: nam consilia etsi meliora, non omnibus tamen conueniunt: legisq; proprium est, vt sit accommodata, & attemperata illis, qui illam recipiunt: ac præstat pluribus motibus nobiliorem finem, quam paucioribus inferiorem adipisci.

Hæretici de Missæ sacro Canone impiè quid senserint.

Postremò vt ad Missæ Canonem veniamus, incredibile est bellum, quod hæretici nostræ tempestatis illi rei alioqui religiosissimæ, & sacrosanctæ, indixerunt. Quasi illius autor bonarum literarum fuerit ignarus, aut stultæ copiæ infelix affectator extiterit, impietatis, atque idololatriç amator: non solùm quòd de sacrificio loquitur, sed etiam quod diuorum ambit patrocinia, & interim fidelibus vita defunctis suffragari conatur. Lutherus à principio olim in Declamationibus suis super Decalogum mirificè Canonem commendauerat, vt hunc solùm propriè dici Missam existimet. Cæterùm postea in libro De abroganda Missa priuata, hæc horrēda protulit verba: *Quanquam habeam, quod de sacro sensu Canonis dicere possim, quod & alias feci, tamen nunc non dignabor eum tali honore. Cede Canon Euangelio, & da locum Spiritui sancto, cum sis verbum humanum. Domine Canon, vos estis inuitatus ad nuptias, & sedistis in primo loco: sed ecce, honoratior est inuitatus, imò Dominus ipse inuitator adest: date ergo huic locum, & sedeatis in nouissimo loco cum rubore. Cur non sedistis ab initio? Quia vos apertè contra Euangelium sonatis. Ideo vos damnamus autoritate diuina Euangelij.* Et alibi: *En tibi sacrum Canonem, vt scias quidnam sit, & obstupescas, & cruce te signes, fugiasq́; ab eo haud secus quam à diabolo, & abominatione pessima.* Et libro de formula Ecclesiæ pro Ecclesia Wittembergensi, vocat Canonem, altare æreum de Damasco petitum, quod impius Achaz reposuit: vocatq; illum lacerum, & abominabilem, ex multorum lacunis, seu sentina collectum, in cuius medio verba illa vitæ, & salutis iacent, ceu olim arca Domini iuxta Dagon. Hæc ibi apertus diaboli filius, aut potius malignus dæmon per eum. Nam vt ipse testatur in libro suo De abroganda Missa priuata, Germanicè, à se scripto: quem postea Ionas discipulus eius Latinum fecit, modium salis cum dęmone comedisse se iactat: atq; in his articulis de sacrificio Missæ rationibus eius conuictum, atque persuasum, quod verbo Dei secum ageret.

Lutheri in eundum blasphemiæ, & maledicta. *Luc. 14.* *Id. Lutherus.* *Idem.* *2. Paral. 28.* *1. Reg. 5.* *Idem.* *Modium salis comedisse se cum dęmone iactauit Lutherus.*

Missę Canon ab hæreticorum iniurijs vindicatur.

Sed iam expendamus quæ sint illa, quæ horū animos tantopere offenderunt. Nam vox ipsa Canonis, aut autorum eius multitudo, aut rei nouitas, aut ceremoniæ, aut Grammaticæ. Non certè nomē, cùm nihil falsi, aut impij contineat, sed omnia vera, religiosa, & de Scripturarum fontibus hausta; vt meritò à sapientissimis Patribus, & Spiritum Dei habentibus hanc nomenclaturam sit sortitus, & consuetudine tot seculorum in ea nominis dignitate confirmatus. Nam aptè significat formam, & modū peragendi hoc sacrificium. Nam Canon, regula est: quòd nimirum nulla Missa rectè & regulariter peragatur sine vsu & lectione huius Canonis. Non negauerim tamen, Patres diuersis vocibus appellasse. Dionysius enim Areopagita vocat illum, Actionem, respiciens ad benedictionem, oblationem, & sumptionem, quæ in eo fit. Cyprianus in Orationem Dominicam, appellat Canonem, Orationem, ait enim, *Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda.* Basil. lib. De Spiritu sancto vocat secretā. Ambrosius in priorem ad Timotheum re gulam dicit; Gregorius appellat precem, & sacrificiorum arcana. Ad hæc autorum multitudo non debet eos offendere, quòd videlicet ex diuersis centonibus consutus sit, & velut è varijs lacunis, vt deblaterat Oecolampadius. Nam si quicquam ponderis ea ratio haberet, deberent delicati isti librum Psalmorum reijcere, quòd secūdùm B. Hieronymi sententiam, à decem autoribus fuerit conditus. Deberent etiam Symbolū Apostolorum auersari, quòd à duodecim Christi discipulis fuerit editum: nec quotidie cessat Ecclesia propter hæreses insurgentes, nouas particulas, explicandi gratia, Symbolo adiungere; quemadmodum fecit in Concilio Niceno, & postmodum in Concilio Constantinopolitano. Neque Apostoli, aut Apostolici viri, qui aliquid successu temporis Canoni Missæ addiderunt, ad maiorem mysteriorum reuerentiam, centonum autores vocandi sunt, cùm fuerint viri magna vitæ sanctimonia, doctrinaq; sancti Spiritus, atq; miraculis illustres. Præterea minus offendet eos Canonis nouitas; nam etsi nouū esse aliquid, an antiquum, nihil referat; modò sit ab Ecclesia Catholica approbatum, & receptum; tamen dubitandum non est, Canonem rem esse antiquissimam, atque adeò antiquitate ipsa, & canitie venerandam, planèq; Apostolicam. Vt mirandum sit de Beato Rhenano nostri seculi hæretico, qui in Annotationibus suis super Tertullianum dixit, Canonem Missæ compositum à Scholastico quodam: & addit, alium habere Ambrosium, & alium Gregorium: quòd ille accepit à Melanchtone. Sed certè si certandum

Canon quid. Diuersæ Canonis appellationes. *Dion. c. 1. l. Eccle. hier. tom.* *B. Cyp.* *B. Basil. l. De Spir. S. c. 27. tom. 1.* *Amb. in c. 2. ad Tim. 4.* *Greg. l. 7. ep. 63. & l. 4. Dia. c. 36. 103.* *Oecolāpadi' de sacro Canone quid senserit infelix.* *B. Hieron.*

Canonē Missæ non cōpositum à Scolastico quodā vt Beatus & Melanchton mentiuntur, sed rē esse antiquissimā, ac receptissimam, ex Patribus ostenditur.

dum est Patrum veterum testimonijs, res est non obscurè euicta. Origenes in libro Numerorum ita ait: *Sed & Eucharistia siue percipienda, siue eo ritu, quo geritur, explicanda, vel eorum quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationū, ac responsionum, quis facile explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta, & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea, & exequimur, vt à magno Pontifice, atque eius filijs tradita, & commendata suscepimus.* Hæc ille, agnoscens ritum Missæ peragendæ ab Apostolis traditum. Hæc eadem Dionysius Areopag. lib. de Ecclesi. hierar. in initio tradit ab Apostolis, siue Scriptura nobis commendata. Accedit tertius testis Basilius libr. De Spiritu sancto. Inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Euangelium: verum alia quoque & ante, & post dicimus, tanquam multū habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Hanc sententiam Basilij confirmat Augustinus in libro, quem ex dictis beati Basilij compilauit; ex quo Gratianus hæc verba mutuatur, dicens: *Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdam verò Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus; quasdam verò consuetudine roboratas approbauit vsus: quibus par ritus, & idem vtriusque pietatis debetur affectus: vnde quis vel aliquantulum sacrarum expertus Scripturarum hæsitauerit? Si enim attenderimus consuetudines Ecclesiæ non per Scripturas à Patribus traditas nihil æstimare; quantum religio detrimenti sit latura, intentiuè inspicientibus liquidò constabit. Quæ enim (vt inde exordiamur) Scriptura salutiferæ Crucis signaculo docuit insigniri; vel quæ trifariam digesta super panem & calicem prolixa orationis, vel consecrationis verba commendauit? Nam non modò quod in Euangelio continetur; vel ab Apostolo quod est insertum secretis dicimus; sed & alia plura adijcimus magnam quasi vim commendantia mysterys.* Hæc ille. Canonem vocans, prolixam orationem, & secretam, & trifariam digesta vocat quod dicitur. *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*: Vel, *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.* Sexta Synodus docet, Iacobum fratrem Domini, & Basilium in scriptis suis tradidisse modum, & ritum sacrificandi. Isidorus libro De officijs, habet: *Ordo Missæ, & orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primò est à sancto Petro institutus: cuius celebrationem vno, eodemq; modo vniuersus peragit orbis.* B. Augustinus ad Paulinum, interpretatur verba prioris epistolæ ad Timotheum; vbi videtur Paulus designasse lineas nostri Canonis, & præsefert quòd aut ipse sit autor eius, aut Canon nostri Canonis Ecclesiastici. Similiter B. Ambrosius eadem verba Apostoli: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Eodem modo interpretatur Haymo etiam in eundem locum: B. Apostolus, inquit, dirigens hæc verba Timotheo, in illo tradidit omnibus Episcopis, & Presbyteris, omniq; Ecclesiæ formam, quomodo deberent Missarum solennia celebrare, & pro omnibus hominib. orare. Quam formam vel exemplum omnis Ecclesia modò retinet: & reliq. Eodem modo interpretantur illum locum Theophylactus, & Oecumenius. Adde verba Gregorij in epistola ad Ioannem Episcopum Syracusanum: *Orationem*, inquit, *Dominicam idcircò mox post precem dicimus: quia mox Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodò orationē oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconueniens visum est, vt precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius corpus, & sanguinem non diceremus.* Hæc ille; intelligens per illa verba; Ad ipsam solùmodò orationem Dominicam, finem Canonis. Et Concilium Aurelianum II. statuit: *Vt de Missis nullus laicorum, ante discedat, quam Dominica dicatur oratio, & si Episcopus præsens fuerit, eius benedictio expectetur.* Et videtur hic error, quem reprehendit Gregorius, priuatus fuisse quorundam. Nam & Chrysostomus, & Basilius ex Græcis, & Ambrosius, & Augustinus ex Latinis, mentionem faciunt de oratione Dominica dicenda ad sacram oblationem; etiamsi post eam diceretur, vt tradunt Augustinus & Gregorius, & Concilium Aurelianense. II. Quòd verò Gregorius in illa epistola asseruit, precem, id est, Canonem ab Scholastico compositum, B. Rhenano imposuit, & Melanchtoni: putarunt enim; Scholasticum priuatum aliquem fuisse, qui autor Canonis extiterit; cum tamen illud nomen insignem aliquem doctrina; & eruditione virum, & in rebus Ecclesiasticis exercitatum, præsertim si catechumenis erudiendis; & Scholis Christianis esset præfectus; significet: Ita enim Patres illam vocem vsurpare solent. Hinc Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum loquens de Serapione Episcopo; viro celebri atque insigni, asserit, quòd ob ingenij elegātiam; cognomen Scholastici meruit. Idem ad Nepotianum initio, vt quædam ornate,

Orig. ho. 5 in lib. Num. to. 1.
Dion. Areop. de Eccl. hier. c. 1.
Basil. superioribus loco.
B. Aug. to. 3. Gratian. dist. 11. c. Ecclesiast.
Consuetudo canonibus ac legib. cōsona est seruanda.
Quid Trifariam digesta Gratiano.
VI. Synod. c. 2.
Isid. l. 1. de off. c. 16.
Aug. ep. 59 to. 2.
1. Tim. 2.
Amb. in 2. c. ad Tim. to. 4.
Haymo ibid.
Theophyl. & Oecum. ibid.
Greg. l. 7. ep. 63. to. 2.
Mos Apostolorū fuit, vt ad ipsam solūmodò orationē oblationis hostiam cōsecrarent
Declaratur dictum Gregorij.
Conc. Aurel. II. c. 28.
Chrys. Basil. Ambr. Aug. ep. 59. Idem ibidem. Greg. ibidem. Conc. Aurel. II. ibidem.
Scolastici nomē quēadmodū ab Ecclesiasticis autoribus vsurpari consueuerit.
Hier. to. 1. Serapion, Ὁμούσιος.
Ægypti vrbis Episcopus, Schol. sticus est appellatur.

Id. to. 1. init. Aug. in Psal. 44. initio fere tom 8. Id. l. de catechizan. rudib c. 9. to. 4. à medio. Greg l 10 regist. ep. 2. to 2.

Rhetoricè dicta significaret: *In illo opere pro ætate tunc lusimus, & calentibus adhuc rhetorum studijs, atque doctrinis quadam Scholastico more depinximus.* Augustinus in Psalmos; *Solent dici à Scholasticis carmina quædam.* Idem libro De catechizandis rudibus: *Sedulò,* inquit, *monendi sunt* (qui scilicet ex Scholis Grammaticorum, oratorumque veniunt, vt Christiani fiant) *vt humilitate induti Christiana, discant, non contemnere, quos cognouerint morum vitia; quam verborum amplius deuitare.* Idem quoque Gregorius ad Anthemium Subdiaconum: *Ideò,* inquit, *experientiæ tuæ hac autoritate præcipimus, quatenus Matthæo viro clarißimo Scholastico duodecim solidos dare non differas.* Vbi apparet, scholastici vocem non esse propriè nomen, sed cognomen, vt videatur Gregorius seipsum exponere. Talium scholasticorum frequenter meminit Gennadius in catalogo illustrium virorum. Talis fuit Origenes, Panthenus, & Clemens Alexandrinus, qui scholas Christianas magna cum laude rexerunt: imò in nonnullis Ecclesijs collegiatis etiamnum & nomen, & officium perseuerat Scholastici. Et hactenus de antiquitate Canonis sit dictum.

Gennadius.

Quartò offendit eos, quòd canon videatur res ceremoniosa, & planè histrionica: constat enim genuflexione, oculorum eleuatione, manuum super hostiam positione, tunsione pectoris, extensione brachiorum, ostensione hostiæ, crucis signatione, coniunctione digitorum curiosa: quæ videntur spectare ad gesticulatores: neque ceremoniæ tam anxia superstitione seruatæ decere videntur statum Noui Testamenti, in quo Pater est adorandus in spiritu, & veritate. Verùm hæc, meræ sunt calumniæ, & blasphemiæ, & à morbo maledicentiæ profecta. Nam primò vt olim in lege agnus nonnisi cum maximis, & mysticis ceremonijs, & ritibus mactabatur, & edebatur, vt legitur in Exodo, qui typus, & vmbra nostri agni offerendi in mysterio erat: ita profectò decebat, vt verus agnus nonnisi cum admirandis, & abditis ceremonijs celebretur: non dico cum ceremonijs Iudaicis, aut olim obseruari solitis; sed cum Christianis, & nouis ritibus, ad decorem, & reuerentiam tanti sacrificij pertinentibus. Deinde si cætera Christi Sacramenta, vt Baptismus, & Confirmatio, nonnisi cum decentibus, & aptis ceremonijs conferuntur, vt reuerenter, & fructuose suscipiantur: par erat, vt omnium Sacramentorum maximũ, & augustissimum, quò maiori cum sanctitate, & reuerentia tractetur, & sumatur, vt nonnisi cum sacrosanctis, & maximis riti-

Ioan. 4. Quod Canõ non sit res ceremoniosa, vt hęretici dicũt

Exo. 12. & s.

Ratio prima.

Secunda.

bus celebraretur. Tertiò: Cùm hoc sacrificium peragatur ad Christi mortem, & passionem commemorandam, vt ipse dixit: hinc est vt tot obseruantijs opus fuerit plus quam in alijs Sacramentis, vt non solùm mors Christi auditui per verba, & ea quę dicuntur, sed etiam oculis per ceremonias, & facta repræsentetur. Huic rei deseruiunt templa, picturæ vestes sacræ, confectio hostiæ, & eleuatio, cruce signationes, extensiones brachiorum, eleuationes oculorum, & similia quæ veluti præsentem mortis Christi memoriam reddunt: quæ nõ solùm non reprehendenda, aut temere non scrutanda sunt, sed etiam veneranda, atque cũm omni cultu amplectẽda. Quartò, Christus Dominus in alijs suis operibus plurimas ceremonias adhibuit; vt in quinque panũ multiplicatione, & Lazari suscitatione oculos in cęlum sustulit; flexit genua instante morte, imò procidit in faciem suam; imponebat manus super pueros, complexabatur eos, & benedicebat illis; iubebat imponi manus super ægrotos, vt bene haberent; adhibuit lutum sputo factum oculis cæci nati sanandis; immisit digitos suos in auricolas surdi, & muti; bis inclinans se in terram, digito scripsit: non recusauit tactum hæmorrhoyssæ, nec vnguenta peccatricis, nec ornatum asinæ, nec ramos præcisos de arboribus, nec vestimentorũ in terra prostrationem, nec Canticum Hosanna filio Dauid, præcinxit se linteo, & misit aquam in peluim, vt ablueret pedes discipulorum; expandit brachia in cruce, vt olim Moses contra Amalec, non recusauit sindonem, & linteamina, libras Myrrhæ & aloes quasi centum, sepulchrum nouum de petra; insufflauit in faciem discipulorum, quando dedit Spiritum sanctum; ascendens in cœlum, eleuatis manibus suis benedicebat: qui igitur tot ac tantis ceremonijs vsus fuit in alijs operibus suis, & nonnullas ex eis etiam pręcepit; quales sunt baptizare, vngere oleo infirmos, imponere manus, & denique omnes, quæ Sacramentorum concernunt substantiam; quid mirum si in hoc instituendo Sacramento diuinissimo tot ritus adhibuit? Nam per se principalia instituit, vt accipere panem, eleuare oculos in cœlum, benedicere, fractum panem porrigere, docuit in cœna, & orauit; reliquas verò, ad ornamentum, & tanto sacrificio reuerentiam præstandam per Spiritum sanctum suggessit.

Tertia. Quare in Missæ sacrificio, quam in reliquis Sacramẽtis plures ceremonię adhibeantur. Luc. 22. & 1. Corint. 11.

Quarta. Christus in pluribus suis operibus ceremonias adhibuit. Matth. 4. Ioan. 11. Luc. 22. Matt. 726. Marc 16. Marc. 10. Ioan. 9. Marc 7. Ioan. 8. Matth. 9. Luc 7. Matth. 21. Ibidem. Ioan. 13. Exod 17. Matt. 27. & Ioan. 20. Suprà 9. Luc. 13. Ioan. 20. Luc vlt. Matt. vlt. Marc 6. Infra 16. Quæ nam Christus per seipsum, quæ vero per Apostolos instituit. Matt. 26. Marc. 14. Luc 22. 1. Cor. 11. & seq. Ioan. 17. & seq.

Neque valet quòd simus in Nouo Testamento: quia adhuc sumus sub vmbra æternorum, & Christus nondum apparuit nobis sine velamine: nam videmus nunc

In nouo licet simus Testamẽto, adhuc tamẽ sumus sub vmbra æternorum.

per

1.Cor.13. per speculum in ænigmate, ideò adhuc indigemus his sensibilibus, & externis ritibus, quò per illos de re contenta sub Sacramento, & honore illi præstando admoneamur, & ad significata spiritualia præstanda, (quæ sunt illorum fructus) incendamur, atque inflammemur; quo facilius cum Deo vniamur; qui fructus est omnium rituum, & ceremoniarum.

Omnium rituum & ceremoniarū fructus ac finis quisnam sit.

Neque obstat verbum Domini, quòd Pater est adorandus in spiritu, & veritate: nam cultus externus, pædagogia quædam est, de veritate Sacramenti, & cultu reuerenter adhibendo instruens. Neque Christus dixit, in solo Spiritu Patrem adorandum: quia etsi cultus internus potior sit; non tamen ei aduersatur externus; ideò perfectior est seruitus, quam interno & externo præstamus cultus vnde & Mariam vnctricem commendauit Dominus, & viduam duo æra minuta in Gazophylacium mittentem laudibus celebrauit, etiamsi vterque cultus fuisset externus, nunquamque à Christo præceptus.

Ioan. 4.

Quo sensu dixerit Christus, Patre in Spiritu, & veritate fore colendum.

Matt. 26.

Luc. 21.

Postremò, leuiora peccata in Grammaticam reprehendunt Zuinglius, & Oecolampadius, qui leuissima quadam, & fermè nullius ponderis mirabili maledicentia exaggerant, arguuntq; Canonem, quòd non Ciceronianè loquatur. Verùm hi bis stultos, & malignos se ostendunt, qui non habentes quicquam solidi quod redarguant, ad Grammaticulorum contentiones, & pugnas se conuertunt. Deinde peccant in Apostolum, cuius spiritum se possidere gloriatur, qui seruis Dei interdicit λογομαχίαι, id est, de vocibus altercationes; existimantes regnum Dei potius esse in sermone, quā in virtute. Plato de schola sua Demosthenem expulisse fertur, vt θηρολέξην, id est, morosum, siue scrupulosum, verborum venatorem. Verùm ad hæc singula respondere non est operæ pretium: habet certè Canon suum candorem, & puritatem simul cum sententiarum grauitate, & verborum dignitate coniunctum, vt meritò neq; compiorem, aut ornatiorem sermonem desideret.

Zuinglij, & Oecolampadij in Canonem Grāmaticalia videlicet, obiecta leuissima, atq; stultissima.

1 Tim 6.

1 Cor. 4.

Demosthenes è Platonis schola cur fuerit eiectus

Paucula quædam ad rem potiùs; quàm ad voces spectantia expediam breuiter. In primis obijciunt, quòd panis dicitur sancta hostia, & immaculata, quæ pro peccatis offertur: dicimus enim hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Sed panis sanctus dicitur, per modum dispositionis, ex eo quod accepit illum Sacerdos, & altare imposuit, quemadmodum panem manib' Christi in sacrificium paratum, sanctum dicere possumus per cuius figuratum petitur remissio: & Deus cor offerentis, non substantiam respicit. Quod verò in plurali dicat, *Hæc dona, hæc munera*: vel ad tropum figuris notum, & familiarem referendum est, vbi pluralis ponitur prò singulari, aut vice versa; vel etiam sine tropo rectè dicitur in plurali hæc munera, ob plures species: quā rationem secuta Ecclesia in precibus suis, vocat Sacramenta, vel sacrificia in plurali. Nec est battologia, aut superflua, & affectata repetitio, dicere. Hæc munera, hæc sacrificia, sed hoc meritò factum, quia hæc hostia omnium hostiarum successit loco, earūque virtutem continet: quasi tanti mysterij res vnico vocabulo nequeant explicari: trinaq; illa repetitio, Trinitatis, cui offertur, memoriam reuocat.

Hæreticorum aliæ obiectiones nōnullæ contra Canonē diluuntur. Prima obiectia.

Tropus Hebręis familiaris, & vsitatus.

Deinde arguunt obscuritatis illa verba: *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæso benedictam, ascriptam, ratam, rationabilemq; facere digneris.* Sed benedictam vocat, eò quòd benedictione transeat in corpus Christi: ascriptam, id est, notatam quasi per Scripturam digitò Dei, & adiunctam cum oratione illa: *Domine Iesu*: nam ascribi ciues dicuntur, qui alijs aggregantur. Et ideò petit ratam, id est, firmam, vt quidam nō deleantur de libro viuentium, & vt quidam dixit, Quod scripsi, scripsi; id est, Rata, & firma sit, nec deleatur tituli superscriptio. Rationabilem, & acceptabilem vocat, qua rationabiliter placatur Deus, & acceptat ad remittenda peccata, & gratiam conferendam.

Secunda obiectio. Canonis sacri nonnullæ particulæ explicantur.

Ioan. 19.

Tertiò, quòd Sacerdos orat, vt fiat corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi: nempe oratio instrumentum, & adiumentum est, vt etiam quæ sunt certa, petamus. Nam Patres aduentum Christi certissimum precibus postularunt, & Christus clarificationem nominis sui de Resurrectione, & Ascensione indubitatam ac certam precabatur: *Pater*, inquit, *clarifica nomen tuū.*

Tertia. Oratio duo præstat, & quænam.

Ioan. 12.

Infra 17.

Quartò obijciūt: quia cùm dicit Sacerdos: *Propitio, ac sereno vultu aspicere digneris, & accepta habere: sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, &c.* vbi videntur fundi preces pro Christo. Sed reuera pro Christo minimè oramus, verùm quatenus de manu nostra prodit sacrificium, vt ad Agnum Filij Dei pro nobis oblatum aspiciat, precamur. Et confessio est propriæ humilitatis, & indignitatis, vt etiam offerentes agnum Dei agnoscamus nos indignos qui exaudiamur: ac propterea magis digni efficiamur, quos Deus exaudiat.

Quarta obiectio.

Gen 4.

Infr. 14.

Ioan. 1.

Quintò, eos offendit, quòd dicimus: *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum:* vbi nobis imponunt Christum nos precari Angelorum ministerio ad astra euehi;

Quinta.

cum tamen ille ad dexteram maiestatis sedeat in excelsis. Respondetur: hæc eadem verba haberi in Liturgijs Græcorum, & Ambrosius libr. de Sacramentis, meminit, necnon August. serm. de corpore Christi. Sed Innocentius III. tripliciter hæc verba exponit: vel, iube, hæc, id est, vota fidelium, videlicet supplicationes & preces; vel, ea quæ per Sacramenta mysticè designantur, id est, Ecclesiam; vel, vt Sacramenta corporis, & sanguinis Christi non in se, quæ ibi per se acceptissima sunt, sed quatenus à nobis offeruntur, acceptentur à Deo: quemadmodum oratio Tobiæ perferri dicitur quasi thymiama in aram Trinitatis. Innumera sunt alia quæ reprehendunt, sed vix quæ digna sint responso, vt, quòd oratur prius pro Papa, quàm pro Imperatore, vel Principe, vt adulemur Papæ. Sed hæc censura orta est ex eo, quòd negāt Primatum Pontificis. Certè in Basilij, ac Chrysostomi Liturgijs prius oratur pro Ecclesiasticis viris; quam pro Principibus, & palatijs, & toto exercitu eorum. Et quid mirum, si præferimus Papam Cæsari: cùm B. Martinus Cæsari capellanum suum, & collegam prætulerit? Est igitur Canon retinēdus, & summa veneratione complectēdus: tum, quia Euangelicus est, & Euangelium spirat in sacris verbis, in oratione Dominica, in precibus illis: *Domine non sum dignus*, &, *Ecce Agnus dei, &c.* in epistola, & Euangelio, quod legitur; tùm ob antiquitatem eius, & canitiem venerandam, cùm ab Apostolis magna ex parte sit editus: tùm ob autoritatem Patrum, qui nonnulla magna prudentia, & spiritu illi addiderunt; tùm ob eius maiestatem in rebus, splendorem in verbis, dignitatem in sententijs; tùm ob confusionem Hæreticorum, qui incredibili furore impudentes, & blasphemas linguas suas in illum exeruerunt; tùm etiam ob eos præcipuè articulos, qui de sacrificio Missæ, & de Sanctorū inuocatione & patrocinio, ac defunctorum suffragijs controuertuntur, confirmandos, & stabiliendos, ad gloriam, & laudem Domini nostri Iesu Christi, cum quo est Patri, & Spiritui sancto gloria, imperium, & honor in secula seculorum, Amen.

Amb. l. 4. de Sac. c. vlt. to. 4. Aug. to. 10. Innoc. III. l. 5. myst. c. 6.

Tob. 5. & 12. Aliç corundē obiectiones vanissimæ.

Sacer Canon cur retinēdus

Matth. 6. Infr. 8. Ioan. 1.

TRACTATVS XXXIII.

In quo disseritur, num offerre sacrificium sit opus bonum ac meritorium: Num Missæ priuatæ sint abrogandæ: Num possit Sacerdos applicare Missas quibus velit, siue viuis, siue defunctis: Num denique Missæ sacrificium perinde valeat pro multis oblatum, atq; pro paucis.

AD perfectam sacrificij tractationem hi pauci articuli quos proposuimus, expediendi sunt, ob importunas Hæreticorum voces, etiamsi ex dictis aliquo modo constare possent. Scripsit Lutherus, in offerendo sacrificio, nullum opus bonum, aut meritorium esse, imò in eo multiplicem committi idololatriam. Sed quis non miretur, & dicti insolentiam, & hominis loquacitatem, ac procacitatem? Nam si opus operatum intelligunt, hæresim blasphemam proferunt: nam ipsemet Christus primus obtulit, & celebrauit Missam in cœna, qui tamen peccatum non fecit, & omnia opera eius sancta erant, quibus Patrem placabat, & vitam operabatur. Deinde prædictum est per Malachiam, quòd in Gentibus offerretur oblatio munda, apud quas glorificaretur nomen eius: ergo offerre Eucharistiam est opus sanctum, Deum glorificans. Et idem Propheta de nostro sacrificio, & Sacerdotibus verba faciens, ait: *Erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui*, sicut sacrificium Patrum, vt Abel, Noë, Heliæ: quæ Deus dicitur odoratus in odorem suauitatis, & cœlitus demisso igne conburebat in acceptationis signum. Tertiò, offerre Eucharistiam, est potius opus diuinum, quàm humanum. Nam vt superius ex Patribus tradidimus, Christus dicitur Sacerdos æternus, secundùm ordinem Melchisedech, quia ipse per Sacerdotem, administrum offert Patri sacrificium. Si igitur Christus nulli malo cooperatur; sequitur, Eucharistiæ oblationem sanctum opus esse, maximè virtutis, quæ dicitur religio, siue latria nulla autem virtus, habet actionem vitiosam. Quartò, opus sanctum est Deo, & mandatis eius parere, at sacrificare, mandatum est Scerdotibus à Christo, dicente: *Hoc facite in meam commemorationem*: & ab Ecclesia præceptum populis Christianis, vt ad sacrum audiendum diebus festiuis ac Dominicis accedant, vt ita diuinis officijs sanctificentur: nullus autem aut Christo obediendo, aut Ecclesiæ (quam qui non audit, habendus est sicut ethnicus & publicanus) male agit, neque quisquam opere minimè bono sanctificari potest. Preterea cuius partes singulæ bonæ sunt, & ipsum totum bonum est; sed partes Missæ sunt bonæ, nempè doctrina in Epistola, & Euangelio, oratio pro se, & pro populo Christiano, consecratio, oblatio, & communio; siue sumptio;

Lutherus de sacrificio Missę quid senserit, ac dixerit impius ille, atq; scelestus.

prima Ratio ad probandū Missæ sacrificium esse opꝰ bonum, & sanctum.

Esai. 53. 1. Petr. 2. & 1. Ioan. 3. Secunda ratio. *Malach. 1.*

Infra 1.

Gen. 4. Infr. 8. 3. Reg. 18. Tertia ratio. *Hebr. 7.*

Psalm. 109.

Quarta ratio

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Marc. 18.

Ratio V.

Quæ sancta Missa.

tota igitur Missa sacrosancta est: nam in illa excercemus actum credendi, sperandi, diligendi, gratias agendi, Christi mortem in memoriam redigendi. Dominum precandi, sanctorumque patrocinia flagitandi, quæ omnia sancta per se sunt, & religiosa, adeò vt sacrificium nostrum bonum sit Deo, Christo, Angelis, Sanctis, offerenti, fidelibus viuis, & defunctis. Quòd facilè ostendo: nam in eo colitur, glorificatur, & inuocatur à nobis Deus, ergo bonum ipsi Deo: Bonum Christo, cuius gloria tot miraculis, quæ hic fiunt, declaratur, & amoris eius erga nos argumentum manifestè sese prodit: Bonum Angelis, quia ad hoc sacrificium venerandum, vt testantur Chrysostomus, & Gregorius, accurrunt vndique, & homines ad manducandum panem Angelorum suis impulsibus, & suasionibus disponunt: Bonum Sanctis, in quorum memoriam, & gratiarum actionem hoc plerúque sacrificium offertur: Bonum offerenti Sacerdoti, quia debet primum pro seipso, deinde pro populi ignorantia offerre: Bonum denique toti Ecclesiæ, siue viuenti, siue in Domino dormienti, pro qua commune sacrificium datur, & communes funduntur preces. Cùmque omnibus sit fructuosum, & conducibile sacrificium; solis dæmonibus, & ministris suis, ac discipulis ingratum est, vt ea ratione eripiant nobis iuge sacrificium nostrum, & introducant in templum Dei abominationem desolationis. Est etiam non tantùm bonum opus offerre, sed etiamsi ex charitate fiat, pro eius ratione, mensurave meritorium. Quare furiosum est verbum, & plenum Satanæ spiritu, dicere, multiplicem committi idololatriam in sacrificij oblatione; cùm illud soli Deo offeratur, sicut & oratio; sanctique ibi commemorentur tantum, vt fiat communio illis pro nobis orantibus, & nobis eorum memoriam pie venerantibus.

Hoc sacrificium quibus bonum sit, & qua ratione.

Chrys. l. 6 de Sacerd. to. 5. Greg. l. 4. dial. c. 58. to. 11.

Hebr. 9.

De Missis priuatis disseritur, contra Lutherum, & similes.

Iam de Missis priuatis agamus. Scripsit Lutherus librum impium, De abrogandis Missis priuatis, quas scribit ante Gregorium Magnum in Ecclesia notas non fuisse, & proinde illicitas esse, atq; abrogandas, & cum Christi instituto pugnare, magisque repræsentare excommunicationem, quam communionem à Christo institutam; & vnam tantùm Missam celebrandam quotidiè. Sed propriè Missæ priuatæ, nec ante, nec post Gregorium in Ecclesia fuerunt, tùm quia omnis Missa nostra publica est, publicosque habet ministros, id est, Sacerdotes, publicam hostiam, publicum locum, id est, templum, in quo celebrant, & pro omnibus in illa offertur. Si autem priuatas Missas vocat, in quibus solus Sacerdos, & non alij communicant: profectò istæ fuerunt ante Gregorium, cùm non omnes, sed aliqui tantum communicarent. Quòd ostenditur primò ex Fabiano, Qui vt citatur à Gratiano, instituit, vt ter in anno omnes fideles communicarent, neque verisimile est, per totum annum non nisi tres Missas celebrari solitas. Idem probat Concil. Agath. & Pius Papa, qui non communicantibus dabant panem benedictum, vt Iuo scribit, & tempore Chrysost. vt ipse testatur in Epist. ad Hebr. & sermone de sacrorum participatione mysteriorum, semel in anno Constantinopoli communicabant. Idem in Epistolam ad Ephesios: *Frustra*, inquit, *habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare. Nemo est qui simul participet*. Tempore etiam Ambrosij, Ecclesia Mediolanensis rarò communicabat, vt ipse libro de Sacramentis testatur: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt?* Roma tamen, & Hispania quotidie communicabat, vt scribit Hieronymus ad Lucinum Bæticum. Ad hæc Ioannes Eleemosynarius, vt scribit Leontius in vita eius: *Poteram mihi ipsi*, inquit, *in Episcopio Missam celebrare*. Dominus præterea in cœna non omnes adstantes communicauit, sed duodecim Apostolos, nec legitur ob id post Gregorium altercatio vlla nata in Ecclesia, ergo ante Gregorium erant huiusmodi Missæ priuatæ. Non sunt ergo illicitæ tales Missæ, quia nihil illicitum continet: nam quod alius nolit communicare; per accidens est mihi offerenti, cùm paratus sim volentes communionis participes facere. Deinde nullus Scripturæ locus eiusmodi Missas reprobat aut damnat. Nec vrget Christi exemplum: quia nec ille omnes communicauit, vt diximus, nisi duodecim, nec in his Christi exemplum lex est cogens. Tertiò, nec iure positiuo non abrogato prohibentur. Nam quod Anacletus instituit, & Canon octauus Apostolorum, tantùm de Sacerdote offerente, & non de sumente loquuntur. Deinde Canones 9. & 10. Apostolorum; dicentes: *Nec sanctam communionem percipiunt*: melius ad Græcam veritatem vertuntur: *Nec apud sanctam Communionem permanent*. Concilium Antiochenum agit in non communicantes; hæresis, vel intemperantiæ gratia; Toletanum. Primùm agit in nunquam cõmunicantes. Non sunt igitur abrogandæ tales Missæ, in quibus nemo communicat, quia Ecclesia, & Sacerdotes, & mortui, & institutores altarium frau-

Missas priuatas propriè, nec ante, nec post Greg. in Ecclesia fuisse.

Earum antiquitas.

De cõs. dist. 2. c. Et si non frequentius.

Fabian' Papa instituit ter in anno communicandũ.

Cõc. Agath. c. 18.

Iuo l. 2. c. 137.

Chrys. ho. 17. in ep. ad Heb.

Id ho. 3. in ep. ad Eph to. 4.

Amb l. 5. de Sac. c. 4. to. 4

Hier. to. 1.

Leontius.

II. Argum.

III. argum.

Anac sup de cons. dist. 2. c. Peracta.

Conc. Tolet. Can. 13.

Cur non sint abrogandæ Missę priuatę

fi audarentur sine culpa, laici auditione, & fructu Missæ priuarentur, aut incitarentur ad non communicãdum. Atq; idem est iudicium de plurib' Missis, atq; de vna: quòd si vna bona est, & plures, etiam si Sacerdotes mali sint; tamen prouidendum est, quãtum possumus, ne mali sint; etiamsi boni multi esse non solemus.

Missa ad qd potissimum instituta.

Tales etiam Missæ excommunicationis speciem non habent. Nam per Sacerdotem Christi communio repræsentatur, & ad commemorandam Passionem, non communionem potissimum Missa est instituta.

Quod Missa priuata speciẽ excõmunicationis nõ habeat, vt latrat Lutherus.

De cons. dist. 2. c. Pacem.

Nec illa autem excommunicationis speciẽ habet, vbi adstantes non communicantur à Sacerdote, qui respondent, Amen; datur eis panis benedictus; pro eis oratur; pax offertur; deniq; benedictio in fine porrigitur: quę omnia longè posita sunt ab excommunicatione.

Quod impiũ non sit Missæ sacrificium applicare pro peccatis, vel viuorum, vel mortuorum.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Quod verò hæretici docent, Missam impium esse applicare pro peccatis, vel viuorum, vel mortuorum, vel pro satisfactionibus, & alijs necessitatibus, prolixiori non indiget confutatione. Nam Christus institutor Eucharistiæ ostendit se illam pro Apostolis obtulisse, cùm dixit: *Hic est Calix Nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Vbi docet, quòd etsi pro omnibus offeratur sacrificium, potest tamen quibusdam peculiariter applicari: quemadmodum etiam cruentum sacrificium crucis, etsi pro toto mundo obtulerit, pro crucifixoribus tamen peculiariter rogauit.

Luc. 23.

II ratio. Hebr. 5. Infr. 9.

Deinde Paulus definiens Sacerdotem, ait, illum esse Pontificem, qui ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis; qui debebat primum pro sua, deinde pro populi ignorantia sacrificare: ergo si potest sibi applicare sacrificium, ita etiam pro alijs, vel offerentibus hostias, vel porrigentibus eleemosynas.

III. ratio. Leuit. 4. & 5.

Adhæc in Lege, Sacerdos sacrificabat pro eo, qui offerabat hostias, & sacrificia, & dicitur: *Rogabit pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei*: vt habes in Leuitico; ergo multò magis nostrum sacrificium, quod illis omnibus successit: & à Iuda Machabæo mittitur magna summa pecuniæ ad offerenda sacrificia pro peccatis mortuorum quorundam: ergo licebat peculiariter applicare.

2. Mach 12.

IV. ratio. Iob. 1. Infr. 42.

Præterea Iob in Lege Naturæ positus, offerebat quotidie holocausta pro peccatis filiorum, & tandem mittit Dominus amicos qui secum disputauerant, ad Iobem; vt eo offerente pro peccatis illorum, acceptaret sacrificium. Ex quo habes, non esse nouam, aut ignotam legi Naturæ, aut legi Scripturæ, sacrificij pro quibusdam applicationem.

Vt naturali, & scriptæ nõ fuit ita nec legi Euangelicæ nouã, aut ignotam non fuisse sacrificij pro quibusdam applicationem.

Nec hoc ignorat lex Euangelica, vt probauimus ex exemplo Christi, & probare possumus à Canone Missæ Latinæ, & Græcæ, vbi peculiariter oratur pro Papa, Imperatore, Episcopis, & in qua præceptum est, vt offeratur pro defunctis fidelibus, etiam in specie.

Minus etiam nouũ, aut insolens videri pro peccatis, aut satisfactionibus eorũ Missam offerre.

Nam præter applicationem generalem, qua sacrificium offertur pro tota Ecclesia, siue in viuis agente, siue in Domino moriente, & præter peculiarem, quam pro se quisque Sacerdos lege charitatis facere iubetur: est præterea specialis quædam applicatio, quæ portionem fructus sacrificij quibus vult, siue viuentibus, siue defunctis, accommodare potest: nec est nouum Missam offerre aut pro peccatis, aut pro satisfactionibus quæ pro peccatis delentur: cùm Passio Christi sit, quæ offertur in ea: neq; etiam nouum est, pro alijs necessitab' vt pro pace, pro sanitate, pro arcenda vexatione dæmonum, pro impetrandis donis spiritualibus, aut bonis corporis & fortunæ, ad victoriam tentationum, ad tutamentum corporis, & animę, vt ait Ecclesia: vt meritò dixerit Chrysostomus in Ioannem: *Ideò in mysterijs inuicem salutamus, vt multi vnum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundamus, & pro non infirmis, & terra, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.*

Chrys. ho. 77. in Ioan. to. 3.

Idem alio loco hortatur Sacerdotes, quò preces fundant vt tollantur bella; perturbationes publicæ, & priuatæ, detur pax, & felix rerum status.

Id. l. 6. de Sac.

Non ergo valet argumentum Lutheri: *Sicut nemo pro alio communicat, vel pro alio absoluitur, ita nec in Missa Sacerdos pro alijs sacrificium offerre potest.*

Tom. 5.

Sacrificium à Sacramento quomodo distinguatur.

Nam longe diuersa est ratio Sacramenti à natura sacrificij: nam Sacramentum suscipientis est, ac priuatæ personæ; contra sacrificium, etiam non sumenti prodest, etiam defuncto, & absenti existenti, viuo, vel defuncto confert. Etsi ergo pro alio communicare, quantum ad opus operatum, non liceat; quia in potestate sua non est, vt gratia, quæ ei datur ex pacto sumptionis, detur alteri, quantum ad opus operans.

B. Tho. lect. 6. in Ioan. to. 14. Ioan. 6.

Sacramenti Eucharistiæ, & aliorũ Sacramẽtorum, quàm sit ratio diuersa.

Vnde beatus Thomas, scribens in illa verba Ioannis: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita,* scienter annotauit, dicens: *Notandum autem est, quod aliter est in isto Sacramento, & aliter in alijs. Nam aliæ Sacramenta habent singulares effectus, sicut in Baptismo solus baptizatus suscipit gratiam, sed in immolatione huius Sacramenti est vniuersalis effectus: quia non solùm Sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi, pro quibus orat, & Ecclesia tota, tam viuorum, quam mortuorum. Cuius ratio est; quia continetur*

in ipso ipsa caussa vniuersalis omnium Sacramentorum, scilicet Christus. Nec tamen si laicus sumat hoc Sacramentum, prodest alijs quantum ex opere operato, in quantum consideratur hæc perceptio, quamuis ex intentione operantis, & percipientis possit communicari omnibus; ad quos dirigit suam intentionem. Ex quo patet, quòd laici sumentes Eucharistiam pro his qui sunt in Purgatorio, errant. Hæc ille, doctè, & acutè, vt solet. Quare hæc omnia dogmata præsenti Tractatu discussa, Catholicè definita sunt in Concilio Tridentino Sessione vigesima secunda, & anathemate percussi, qui secus senserint.

Conc. Trid. sess. 22. c. 6. 7. & 8.

Quoniam verò hoc sacrificium, quo Christus, meritaque eius infinita continentur, Sacerdotis est applicare cui velit: meritò in dubium venit, ambigiturque, an perinde valeat, pluribus atque paucis applicatum, æquèque prosit ad fructum, & salutem Missa pluribus, atque vni. Hoc autem dubium etsi magis ad Scholasticos Doctores, quàm ad falsa hæreticorum dogmata expugnanda spectet: quia tamen egregiam, & speciosam veri speculationem continet, & ad Sacerdotum quorundam sordidam, & quæstuosam auaritiam profligendam valet plurimum; existimaui pretium operæ me facturum, si ad huius nodi dissolutionem attentius, ac diligentius incubuero. Existimant igitur nonnulli, tanti valoris ac pretij esse vnam Missam pro pluribus, atque pro vno, vel paucis oblatam: idque his rationibus se putant euincere. Prima: quia in hoc sacrificio nihil aliud continetur, quàm illud idem, quod Christus in cruce obtulit, nempe ipsum Christum Dei Filium propitiatorem, ac mediatorem, agnumque tollentem peccata mundi: at ille infinitæ satisfactionis, & propitiationis fuit. Deinde Patres vno ore tradunt, hoc vnice sacrificij incruenti remedio grauissima delicta, ingentiaque crimina expiari: constat autem nefarij delicti culpam infinitam esse quodammodo, quia ab infinito Deo auertit, & infinitum Christi sanguinem côculcat. Quod si sacrificium hoc culpas expiat, constat pretij esse infiniti, ac proinde non minus salutem in multis parere potest, atque in vno. Tertiò idem confirmatur ex Canone Missæ, in quo Sacerdos illud se Patri æterno offerre affirmat pro Papa, pro Regibus, & pro vniuersæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ cultoribus: nihil ergo fructus alicui deperit per hoc, qđ pro alijs etiam offeratur: imò maiorem hoc arguere videtur charitatem, cùm quis non minus alios, quàm seipsum diligere debeat. Quartò, idem probatur his exemplis. Bonum etenim spirituale proportionem habet cum spiritu: vt enim spiritus vbique est totus, & sine sui diuisione, & non per partes communicatur; ita etiam bonum spirituale integrum, ac indiuisum pluribus diffundi potest. Lumen enim candelæ simul plura loca luminis capacia, & æqualiter illuminat in æquali distantia, ac si vnumquodque illorum illuminaret. Doctoris etiam, & Præceptoris vox æquè bene multos instruit discipulos, atq; vnum. Cùm ergo sacrificium Eucharisticum summum bonum sit Ecclesiæ, & summè spirituale, poterit æquè bene sine vlla sui diminutione pluribus communicari. Quintò, non minoris est virtutis hostiæ incruentæ oblatio, atque ipsa oratio, quæ in Missa legitur; sed oratio potest pari bonitate pluribus impetrare veniam, illosque Deo reconciliare: ergo multò magis ipsa incruenti sacrificij oblatio. Et confirmatur sententia Hier. quæ habet: *Cùm igitur pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur; nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Sextò, idem probatur ex virtute baptismi. Si enim vna aspersione possunt multi simul baptizari, & quilibet eorum integram gratiam Sacramenti percipere, neque vnus alterum impedit, quò minus suam recipiat: ergo Eucharistia, quæ excellentius, & nobilius est Sacramentum, imò Sacramentorum omnium consummatio, vt tradit magnus Dionysius, poterit æquè multis, atque vni fructus gratiæ, ac satisfactionis impertiri; absq; eo quòd vnus alterius fructum impediat. Vltimò videtur hæc pia sententia, & Christi gloriam amplificare, & consolationem non exiguam fidelibus adferre: cùm intelligant, non impediri fructum Missæ ab aliquo procuratæ, & petitæ, per hoc q etiã pro alio, vel pro alijs offeratur. Tollit etiã scrupulos Sacerdotis, cũ enim illi ex debito officij toties in hebdomada celebrare habeãt, nouęq; indies occurrãt necessitates, tũ publicę, tũ priuatæ, vel viuorũ, vel defunctorũ, in quib' de more anniuersaria, & aliæ Missę suffragia exigũtur, poterũt pro illis bona conscientia celebrare. Cũ verò multi Sacerdotes in paupertate, & victus penuria degãt, atq; eleemosynæ, quæ pro Missis celebrandis erogãtur, interdum valdè sint tenues, & exiguæ, & quæ vix ad moderatam quandam, & honestam victus rationem sufficere queant; videtur per hanc opinionem illis esse consultum. Nam possunt tot stipendia, & eleemosynas capere, quæ valeant ad vitam vno die honestè traducendam sufficere, iuxta illud Apostolicum: *Qui altario deseruiunt, cum altari participant.* Hæ sunt potissimæ rationes, qui

Num Missæ sacrificium perinde valeat pluribus, atque paucis applicatum.

Prima opinio nonnullorum videlicet, atq; Caietani illud affirmantium.

Ioan. 1.

II. ratio.

Nefarij flagitij grauitas. Hebr. 10.

III. Ratio.

IV. ratio à bona natura.

Eucharistiæ sacrificiũ est Ecclesię summum bonũ. V. Ratio.

B. Hier. de cons. dist. 5. ca. Nõ mediocriter.

VI. ratio.

Eucharistia omnium Sacramentorũ cõsummatio. B. Dion. l. Eccles. Hier. VII. ratio.

1. Cor. 9.

nes, quibus illa pars persuaderi posse videtur.

Eucharistiæ soli cōpetit, simul esse & Sacramentū, & sacrificiū.

Pro ampliori, & apertiori dubij huius decisione præmittenda esse existimaui, atque illud in primis, mysterium hoc Eucharistiæ, hoc singulare sibi vendicare, vt & Sacramentum sit, & sacrificium: Sacramentum quidem est nouæ legis gratiam conferens sub sensibilibus panis, & vini signis: atq; hac ratione solùm prodest ad salutem dignè actu, vel voto sumentibus, id est, manducantibus, ac bibentibus. Est etiam Euangelicum, propriumque Noui Testamenti sacrificium, ea ratione, qua Patri æterno in Missa pro cunctis fidelibus offertur: quòd Christus omnibus legalibus subrogatum esse voluit, & quatenus tale est, prodest etiam non sumentibus, siue viuis, siue mortuis, modò pro illa offeratur. Quare eleganter annotauit B. Thomas: Cùm Christus dixit *Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, de Eucharistia dixisse, quatenus Sacramentum est, qui pro vobis, scilicet bibentibus effundetur; & de eadem vt est sacrificium, dixisse, qui pro multis, etiamsi absentes existant, aut præsentes, & non sumant, siue è viuis excesserint in Christo, modò pro illis Sacerdos offerat.

B. Thom. Matt. 26. Luc. 22.

Eucharistiæ fructus duplex.

Secundo loco præmittendum, duplicem esse Eucharistiæ fructum, & valorem: siue ea ratione, qua Sacramentum est, siue ea, qua sacrificium. Alter quidem est ex opere operante, qui respondet fidei, siue deuotioni, ac meritis sumentis Eucharistiam in ratione Sacramenti, vel offerentis, & eius pro quo offertur in ratione sacrificij: atque hæc gratia deuotioni respondet, siue meritò illorum, ita vt maior, aut minor, aut nulla sit pro ratione sumentis Sacramentum, aut eorum pro quibus offertur sacrificium. Alter verò fructus, dicitur gratia ex opere operato, quæ supra dispositionem, ac deuotionem participantis Sacramentum est, vel supra merita offerentis Sacerdotis, & eorum, pro quibus offertur: estque certus gradus gratiæ, qui etsi vitio eius, pro quo offertur, impediri queat, obice tamen, aut malitia Sacerdotis impedire nequit. Quòd quidem docet nomen ipsum oblationis mundæ, quod Eucharistiæ quatenus sacrificium est, Malachias tribuit. Si enim ministrorum sordibus posset inquinari, profectò non magis munda esset nostra hostia, quàm fuerunt illa legis antiquæ sacrificia, quæ, vt constat ex multis locis Scripturæ, vt impura à Deo reiecta, & repudiata fuerunt. Minister ergo etsi malitia sua sibi valeat nocere, alijs tamen, pro quibus offert, siue viuis, siue defunctis, nequaquam valet fructum expiationis delictorum, aut imminuere, aut tollere. Huius fructum ex opere operato, agnouit Concilium Tridentinum Sessione vigesima secunda, in doctrina de sacrificio Missæ. Atque hoc libenter annotamus, contra Scotum, qui in quolibeto vigesimo nullum posuit huius hostiæ opus operatum, quemadmodum nec Caietanus quæstione secunda de valore Missæ, at B. Thomas etsi in tertia parte nihil meminerit de fructu huius sacrificij ex opere operato, sed de eo, qui est ex opere operantis: in quarto tamen sententiarum, sic scripsit: *In suffragijs quæ fiunt per malos, duo possunt considerari. Primò ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris, & quia nostra Sacramenta ex se ipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam æqualiter explent per quoscunque fiant: quantum ad hoc suffragia per malos facta, defunctis prosunt.* Hæc ille, apertè tradens id quod diximus. Quæ vt pleniori luce illustrentur, & veluti manibus contrectentur, placuit quibusdam apertis exemplis hanc gratiam, quæ ex opere operato supra merita, & dispositiones hominis conceditur, & per ministrorum malitiam impediri non valet, magis explicare, atque elucidare. Primùm sit: Quia sacrificia veteris legis, elementa infirma, & egena ab Apostolo vocantur, & non poterant iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, & impossibile erat sanguine hircorum & taurorum auferri peccata; quæ omnia nihil aliud docent, quàm sacrificia illa non potuisse conferre gratiam ex opere operato. Nam pro fide, & religione offerentium, satis apertum est, multos illorum suis sacrificijs Deum placasse. Nam & Abel offerens de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, testimonium consecutus est esse iustum, vt ait Apostolus. Noe etiam post egressum de arca, sacrificans Deo, illi placuit: nam dicitur: *Odoratus est Dominus, odorem suauitatis.* Cùm ergo illis omnibus sacrificijs Christus Dominus substituerit, corpus & sanguinem suum per Sacerdotes offerri; proculdubio vim & efficaciam expiandi peccata illis contulit, & supra fidem, vel deuotionem offerentium, vel eorum, pro quibus offertur; aliàs namque nullum esset discrimen inter vetera illa, & nostrum sacrificium, si quemadmodum illa pro mensura fidei, & deuotionis, gratiam conferebant, eodem modo solum nostrum quoq; conferret,

Malach. 1. Eucharistia, oblationis mundæ nomine cur notetur à Propheta.

Cōc. Trid. ses. 22. c. 1. & 2.

Scotus. Caietanus. B. Th. q. 83. a. 6. in c. & c. 10. 11

Id. in 4. dist. 4. in resp. ad 2. q. 10. 7.

Aliquot exēplis dilucida, & aperta fit ratio, & natura sacrificij Noui Testamenti.

I. exemplum. Gal. 4.

Gen. 4.

Hebr. 10. Gen. 8.

Secundum

II. Exemplũ

Secundum exemplum sit, quia hoc sacrificium ex præcepto Apostolorum, & Ecclesiæ firmissima consuetudine pro mortuis offerri in Christo consueuit, quorum multi nullum actum fidei, aut deuotionis ad illud habent, vel quia non intelligunt pro se offerri, vel quia si intelligerent, extra statum meriti sunt: venit enim nox (scilicet mortis) quando nemo potest operari, nempe ad meritum sibi comparandum; vel quia ante mortem, vt pro ipsis offerretur hoc sacrificium, non procurârunt, & tamẽ in genere pro omnibus offertur defunctis, *Qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*: vt habet Missæ Canon. Cùm ergo fructuosum illis sit sacrificium, & aliam dispositionem non habeat quàm quòd præcesserunt nos cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, quæ valde remota est dispositio, & conuenire potest infantibus defunctis: sequitur, fructum sacrificij ex opere operato illis applicari. ¶ Tertium exemplum sit, de eo quod Doctores de suffragijs animarum disputare consueuerunt. Cùm enim doctrina sit Catholica, animas defunctorum prece, ieiunio, eleemosyna, & oblatione altaris iuuari posse; interrogant Doctores, quodnam sit potissimum suffragium inter illa quatuor, quo anima purgatorio igne citius expietur. Respondentque omnes concordi sensu, & vno ore, nullo magis salutari remedio animas iuuari, quã sacrificio altaris; at hoc quâ ratione dici posset, nisi quia in eo operatur gratiam ex opere operato supra merita, & dispositiones animarum? Si enim hoc sacrificium mediatoris tantùm valet ex opere operantis, quemadmodum valet ieiunium, oratio, & eleemosyna: non erat illi tribuendum inter suffragia principalis locus, sed apertè erat dicendum, illud suffragium magis esse salutare, & fructuosum, quod cum maiori charitate, & deuotione ad eos transfertur, quodcunque illud sit: cùm non rarò contingat, vt Sacerdos offerens pro defuncto, mortifero aliquo delicto sit contaminatus; at contra laicus orans, vel ieiunans pro defuncto, insigni deuotione, & ardenti charitate flagrat. Certè si rationem operis operantis consulamus, magis ille laicus iuuat animã defuncti, quam Sacerdos; cùm tamen præstet sacrificium altaris etiam per malum Sacerdotem oblatum, cuicunque alteri suffragio, secundùm communem Patrum doctrinam. Valet itaque sacrificium defunctis ex opere operato, ac proinde præstantius est, quam cætera suffragia. Idem etiam censendum est de suffragijs, quæ viuentes pro viuentibus absentibus, vt amicis, vel consanguineis impendere solent. Non enim est vllum efficacius, & magis præsentaneum suffragium pro amico qui nauigat, vel qui in bello versatur, vel longè peregrinatur, quam hostiæ incruentæ oblatio: at vnde hoc habet, nisi quia præter gratiam, quæ respondet fidei eius, & deuotioni, confertur etiam gratia ex vi ipsius sacrificij illi, pro quo offertur? Hinc Gregorius in Dialogis ita scribit: *Hoc quoque quod audiuimus, quendam apud hostes in captiuitate positum, & in vinculis religatum fuisse, pro quo sua coniux diebus certis sacrificium offerre consueuerat: qui longo post tempore ad coniugem reuersus, quibus diebus eius vincula soluerentur, innotuit: eiusque coniux illos fuisse dies, in quibus pro eo sacrificium offerebat, recognouit.* Hæc ille. Quæ ideò attuli, vt docerem vim sacrificij incruenti pro absentibus & præsentibus esse maximam. Quare Augustinus in libris de ciuitate Dei, domum cuiusdam Hesperij tribunitij à malis spiritibus vexatam, scribit per oblationem sacrificij liberatam fuisse. Quartum exemplum sit de illis, qui existentes in Dei gratia, in amentiam, vel phrænesim, vel furorem inciderunt. Si enim pro his sacrificium offeratur, dubitandum non est fructum suum in illis, pro quibus offertur, edere, & super omnem illorum deuotionem, aut dispositionem, quam non posse habere ob amissum vsum rationis ponimus: ergo fructus ille tantùm erit ex opere operato. Et ideò diligenter annotandum est, sacrificium hoc varijs modis gratiam operari in diuersis. Nam quibusdam gratiam impertitur tantùm pro dispositione, & fide sua, non autem ex opere operato, vt deuoto, pro quo tamen in specie non offert Sacerdos: rursus alijs ex opere operato, non ex opere operante ad remissionem pœnæ, vt pro amentibus in gratia existentibus, atq; pro fidelibus in Christo defunctis. Rursus quibusdam alijs vtroque modo fructum impertitur, vt sunt illi, qui sacrum pro se offerri postularunt; cui deuotè assistunt, aut de Sacramento participant. Postremum exemplum sit: quia sacrificium hoc non tantùm est Eucharisticum, sed etiam propitiatorium, vt nuper etiam definitum est in Concilio Tridentino: ex quo etiam peculiaris quædam Missa pro peccatore assignatur, aut pro remissione peccatorum: cùm igitur pro illo offeratur, & non frustra; fructus aliquis in peccatorem deriuabitur, nempe illuminationis, & gratiæ præuenientis, vel primæ conuersionis, & dispositionis, vt resipiscat, at ista illuminatio, & prima gratia ex vi hostiæ

incruentæ

Marginalia (left): *Ioan. 9.* — Verba Canonis. — III. exẽplum. — Quò maximè suffragio fideles defuncti iuuentur, Doctorum consensu. — Prosimne magis animæ defuncti vnius laici oratio, an mali Sacerdotis oblatio.

Marginalia (right): Nulla re magis viuentes possunt iuuari, quam oblatione hostiæ salutaris. — *Greg. l. 4. Dialog. c. 57. to. 2.* Per oblationẽ victimę salutaris captiuus liberatus est, teste Greg. — *Aug. l. 22. de Ciu. Dei. c. 8. tom. 5.* Aliud miraculũ Eucharistię. IV. exemplũ. — Eucharistiæ sacrificiũ variè in diuersis gratiam operatur. — Vlt. exempl. — *Conc. Trid. Ibidem.*

incruentæ pro illo oblatæ conceditur: & tamen super omnem eius dispositionem, si prima est; quia ponimus illum in tenebris & peccatis versari; & omni bono motu spoliatum. Si enim Christus fidem offerentium Paralyticum respexit, & propterea illum interiori illustratione, & externo illo verbo: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, ad remissionem peccatorum percipiendam præparauit, quidni Deus benedictus ad fidem offerentium quotidie hoc sacrificium pro peccatoribus, & maximè ad sacrificium ipsum sibi per se gratissimum aspiciat, vt eos gratia sua præuenire, & ad pœnitentiam conuertere, per quam gratiam iustificantem adipiscantur, dignetur? Exploratum igitur est, sacrificium hoc gratiam præstare ex opere operato, supra omnem eorum, quibus applicatur dispositionem per fidem: quòd vsque adeò compertum est, vt quidam doceant, si quando accideret, vt omnes in peccato essent, tam offerens, quam ij, pro quibus offertur, adhuc tamen sacrificium fructum suum ederet ex opere operato, etiamsi ob obicem positum à nullo recipi posset; reconderetur tamen fructus ille in thesaurum Ecclesiæ, vt aiût, quo suo tẽpore & loco Ecclesiã, & eius membra iuuare posset. Accedit Chrysostomus in posteriorem epistolam ad Timotheum, hæc omnia confirmans: *Sacra ipsa*, inquit, *oblatio, siue illã Petrus, siue illã Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadẽ est, quã dedit Christus ipse discipulis, quãq; Sacerdotes modo quoque conficiunt. Nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat.* Eadem ferè tradit in epistolam ad Hebræos, magnus ille Pater. Si ergo nihil minus habet ista, quam illa, atque ex opere operãte in infinitum distet nostra ab illa Christi, cum etiam nullius meriti possit esse noster Sacerdos: ergo si est eadem, & nihil minus habet, quam illa Christi, illud de fructu ex opere operato intelligendum venit.

Matth. 9.

An. si accideret, vt oẽs in peccato essẽt sacrificiũ fructum suum ederet, ex opere operato.

Chrys. ho. 2. in 2. ad Tim. in fin. to. 5.

Id ho. 17. in ep. ad Hebr.

His igitur prælibatis, & veluti fundamentis iactis, ad dubium propositum tribus veritatibus respondetur. Quarum prima sit: Res contentæ in hoc Sacramento, sunt infiniti meriti, & satisfactionis, & in infinitum Deo per se gratæ, nempe corpus & sanguis Iesu Christi, qui Deus, & homo est, qui propter Crucis obedientiam meritum sibi infinitum apud Patrem comparauit, vt possit pro omnium peccatis satisfacere, eosque Patri reconciliare. Hæc veritas quia ab omnibus constanter asseritur, non opus est, vt longiori sermone illam confirmemus. Vide quid in libro Sapientię de Sapientia Dei incarnata dicat Salomon: *Infinitus est, thesaurus est hominibus; quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati*: & apud Ioannẽ: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium; & omnia dedit in manu eius.* Et in Canonica epistola ait Dilectus: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*: Nam vt in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientię absconditi, ita etiam thesauri misericordiæ, & gratiæ. Cumq; in alijs omnibus sacrificijs plus, & prius respiciat ad offerentem, quam ad sacrificium; hoc tamen illud sibi peculiare vendicat, vt prius aspiciat ad infinitè gratam, & acceptam hostiam Filij sui innocentissimi, & obedientissimi, quam ad fidem vel Sacerdotis, vel Ecclesię per eum offerentis.

Solutio difficultatis propositæ triplici veritate consistit.

Christi meritorũ infinitas

Sap. 7.

Ioan. 3.

1. Ioan.

Coloss. 2.

Secunda sit veritas, seu propositio: Fructus sacrificij incruenti, qui ex opere operante elicitur, etsi finitus in se sit, propter fidem, & deuotionem Sacerdotis celebrantis, & aliorum, per eum offerentium, vel eorum pro quibus offertur, tantum cuique valet, quanta est eius fides, & deuotio, nec minuitur per hoc quòd plures ei assistant vel offerant, nec augetur ex hoc quòd pauciores adsint, vel offerant, imò eò maius atque gratius, ac proinde nobis fructuosius existit, quo pro pluribus offertur, seu quo plures astantes sacrificio Missæ, illud per Sacerdotes Deo offerre, per campanę sonitum admonentur. Hæc veritas non est tam obscura, aut dubia, vt prolixiori egeat confirmatione. Cùm enim gratia, quæ ex opere operante à Deo confertur non sit tam propria ipsius sacrificij, sed aduentitia, & cum alijs Sacramentis communis, & nunc maior, nunc minor, & sine qua omnino ipsum sacrificium offerri potest: hinc fit, vt in fructus perceptione vnus alterum non impediat, sed quisque pro fide, & reuerentia sua ad hoc sacrificium eius fructum sibi vendicet: non secus ac omnes, qui videndi vim habent, pro suo quisque captu lucem Solis participat, ita vt vnus alteri lucem non præripiat: non secus etiam ac omnes ciues, qui de aqua fluminis muros ciuitatis alluentis pro quantitate vasculi hauriunt, absque eo quòd vnus alteri aquæ beneficium adimat: ita in oblatione sacrificij incruenti, periculum non est, nec propterea minuatur fructus, vel Sacerdotis celebrantis, vel laici, qui postulauit pro se nominatim offerri, vel ipsius Ecclesiæ totius, pro qua generaliter offerri consueuit, de quo fructu ex opere operante, videtur loqui

II. veritas, seu propositio.

Quib. exemplis incruenti sacrifici sui fructus ex opere operãte videri possit infinitus quodãmodo.

Canon,

Canon, cùm ait: *Memento, Domine, famulorum, famularumq; tuarum, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis,* & reliqua. Quod cùm ita sit; fit, vt quo plures numero personæ ad sacrificium Missæ cōcurrerint, & quo cum maiori fide, & deuotione eius celebrationi interfuerint, eò sit virtus sacrificij amplior, & cumulatior; ac proinde Deo gratior, nobisq; fructuosior existat: nam & ad plures virtus sacrificij extenditur, & maior gratiæ portio pro maiori deuotione respondet cuique. Ita etiam ieiunium Quadragesimale eò solet maioris esse virtutis, & meriti apud Deum, quo à pluribus fidelibus obseruatur, & maiori cum religione, & deuotione celebratur.

Quadragesimæ ieiuniū quādo soleat maioris esse virtutis ac meriti apud Deum.

Et vt si populus ieiunans esset numero infinitus, infinitus quoque esset fructus extensè ipsius ieiunij, neq; vnus alterum impediret: ita quoq; si infiniti assisterent sacrificio Missæ, infinitus esset eius fructus ex opere operante: qua ratione dici posset sacrificij fructus quodammodò infinitus. Et hactenùs de secunda veritate sit dictum.

III. veritas.

Tertia veritas est. Fructus sacrificij incruenti, qui colligitur ex opere operato, seu, quod idem est, ex institutione Christi, vel vi sacrificij supra fidem, & merita, vel offerentis, vel eorum, pro quibus offertur, certus est & limitatus; ac idcirco minus prodest, si pluribus applicetur. Finitum enim quo in plures partes diuiditur, eò minor eius portio singulis obuenire dignoscitur. Et quia ex hac veritate benè intellecta totius propositæ quæstionis pendet resolutio; erit paullò altiùs explicanda, & pluribus rationibus confirmanda; hoc vno posito, quòd hæc est communis sententia B. Thomæ, Petri de Palude, & multorum aliorum Doctorum, quos infrà suo loco citabimus. Oppositam sententiam tuetur Caietanus in 3. part. D. Thomæ, & in quodlibetis suis. Siluester verò nescio quid medium meditatur: distinguit enim in hunc modum: quòd si generaliter fiat oblatio, non applicando intentionem ad hunc, vel illum; non tantùm prodest sibi: si autem sigillatim pro singulis offeratur, & singlis applicetur; tantum prodest cuique, quantum si pro vno solo offerretur. Sed nos priorem sententiam, vt magis Catholicam, & vsui Ecclesiæ magis consonam, & probabilioribus rationibus nixam in præsenti tuebimur. Quòd ergo certus, & finitus sit gratiæ fructus, qui ex vi sacrificij, & institutione Christi colligitur,

Altera opinio.
Caiet. in 3. p. D. Tho. q. 79. art. 1. & quod lib. 1. quæst. 18. Sylu. in verb. Missa §. 1.

Missam finiti meriti & fructus tantùm existere, multis rationib. euincitur.

probatur. Primò, quia minus est meritum oblationis Christi in sacrificio Missæ, quā fuerit sacrificij meritum in cruce peracti. Nam ibi oblata sunt Deo passio Filij eius, realis, & ignominiosa pariter, & afflictione plena mors, quam ex obediētia, & charitate sustinuit: quare meritum satisfactionis illius hostiæ suo iure debuit esse infinitum. At in Missæ sacrificio commemoratio, & repræsentatio illius passionis, & mortis, in vero tamen Christi corpore, & sanguine sub panis, & vini speciebus offertur, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem:* & rursus; *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Et Ambrosius in epistolam ad Hebræos: *Pontifex noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nos, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed ipsum semper offerimus; magis autem recordationem sacrificij operamur.* Hæc ille. At sicut nulla ratio persuadere potest, vt tantùm gloriæ & meriti sit situm in mortis pro Republica tolerata repræsentatione, & recordatione, atque in ipsa oppetenda morte pro Republica tuenda: ita Christus, qui summa Sapiētia est, & cum ratione cuncta operatur, non posuit tantum fructum in repræsentatione suæ mortis, quantum in sua hostia cruenta sibi comparauit: in cuius rei signum passionem suam, vtpote infiniti fructus, & propitiationis, non repetiuit: Hostiæ verò incruentæ oblationem quotidiè repeti voluit, quòd finitus esset, & in dies singulos colligendus. Habet prætereà aliud discrimen hęc hostia ab illa cruenta, quòd illam, cùm viator esset, & tempore quo mereri poterat, obtulit: at in Eucharistia Christus non habet vllum nouum meritum, cùm beatus, & comprehensor, extraque tempus omne merendi existat. Si quis ergo fructus est meriti, aut satisfactionis in hac hostia incruenta, ad antiquum meritum in cruce comparatum referendum est. Erit igitur Eucharistiæ fructus certus, ac finitus. Secundò idem probatur; nam etsi res, quæ hîc offeruntur, per se sint gratæ, atque in infinitum acceptæ Deo, vt summæ, tamē quia per offerentem personam finitam (id est Sacerdotem eius ministrum) offeruntur, fit vt taxatum, ac limitatum pariat fructum. Secùs autem est iudicandum de sacrificio in cruce peracto, & sacrificio incrueto, quod ipse Christus in cœna celebrauit: nam cùm in vtroque infinitus extiterit offerens, & infinita

I. ratio.
Philip. 2.
Hebr. 5.
Luc. 22. & 1. Cor. 11.
Ibidem.
Ambr. in c. 8. ep. ad Hebr. prope initiū. tom. 5.

Hostiæ incruentæ, nō autem cruentæ cur fiat repetitio.

Aliud discrimen oblationis cruentæ ab incruēta.

II. ratio.

Oblationis Christi cruētæ vnde sit meritum infinitum?

res oblata, mirum non est, si vtrunque fuerit infiniti meriti, & satisfactionis, quod attinet ad personam offerētem: modò verò Christus in Eucharistia personā induit rei oblatæ. Et quanquàm Christus offerat per Sacerdotes, vt administros, eius tamen virtus, & causa vniuersalis pro ratione causæ secundariæ operatur, Sacerdos ergo eius nomine induit personam proximè offerētis. Vnde in Canone Missæ habetur: *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica.* Ratio etiam Sacerdotis ab Apostolo tradita, omnem definiuit Sacerdotem pro hominibus constitui in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: non ergo fuit rationi consentaneum, vt tantundē meriti Christus constituerit in sacrificio hominis Sacerdotis celebrantis, & Ecclesiæ per eum offerentis, quantū decebat in persona ipsius Christi infinita constitui. Semper enim in quocunque sacrificio vera est illa sententia: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, quod in ipso etiam Christo offerente locum habet, & in nostra etiam oblatione quam facit Sacerdos (& in eo per eū Christus) priùs respicit ad Christum offerentem, cuius est sacrificium, quàm ad rem oblatam, etsi quantum ad hoc Christus offerens à re oblata nō distinguatur, sicut in vidua paupere offerente duo æta minuta, non nocuit parum obtulisse, quia magis attendit Deus ad animi eius deuotionem, & voluntatem, per quam laudatur quòd plus obtulerit in Gazophylacium, quàm permulti diuites: cùm ad Sacerdotem proximè offerentem, qui interdum in lethifero peccato offert, non respiciat: ita hîc nō prodest offerre Christum infinitū, & infinitè Deo acceptum ad hauriendum fructum infinitum, sed prodest fides, & charitas, aut offerentium, aut eorum pro quibus offertur, pro quorum limitatione constituitur, certus sacrificij fructus ex opere operato. Sacrificium enim in sua primaria significatione, mysticam actionem ipsius Sacerdotis dicit circa rem aliquam sensibilem, quam sacram facit, & Deo offert: deinde secundariò ipsam rem oblatam significat. Quod si si ex eo quod fructum taxatum, & præscriptum conferre dicimus, ex opere operato miraris infinitam CHRISTI virtutem limitari; intellige infinitatem illam abundè suppleri, & sapiēter per iugem sacrificij oblationē & repetitionem. Cumque numerus Sacerdotum offerentium quotidiè hanc hostiam incruentam, sit per vniuersam Ecclesiam quodammodò infinitus; erit etiam fructus huius sacrificij certo quodammodo infinitus: quemadmodū etiam de illo fructu, qui ex opere operante colligitur, superiùs asseruimus, posse etiam dici aliquo modo infinitum.

[Margin: II. ratio. Hebr. 5. — Gen. 4. — Luc. 21. — Sacrificium primò, & per se quid significet.]

Quòd si vrgeas plus valere debere apud Deum res contentas in hoc sacrificio, quæ summè Deo acceptæ sunt, & gratæ ad conferendum fructum infinitum, quàm operationem offerentium finitam, ad impetrandam limitationem gratiæ portionem: Respondemus, rem contentam in hoc Sacramento, non esse considerandam vt ens quoddam naturale operans secundùm summum gradum suæ potentiæ: nam ea ratione posset omnium infidelium conuersionem promereri, & omnes damnatos beare, & plura alia his similia facere, quæ sapienter non facit, quia infinita virtus eius per hæc non exhauriretur. Est igitur vt ens liberum, & voluntarium consideranda, tantùm valens ad fructum edendum, quantum ipse Christus voluit valere, & Pater eius acceptare. Et quia ex opere operato voluit valere ad finitum gradum gratiæ conferendum; ideo ex ea parte non plus valet nobis: quemadmodum enim Christi passio applicatur in baptismo infideli Sacramentum regenerationis petenti, & valet ex opere operato ad redimendas omnes culpas, & eximendas pœnas omnes peccatorum; eadem tamen passio in Sacramento absolutionis valet pœnitenti ad remittendas omnes noxas, non tamen vniuersas pœnas criminum; & ideo datur locus satisfactionibus. Atque hæc varietas applicandi non nascitur ex ipsa Christi passione, quæ ex se infiniti est valoris, sed ex Christi sapiētia, qui varijs modis illam applicari voluit, & ad varios gratiæ fructus.

[Margin: Quin De' ad res in hoc sacrificio cōtentas summè sibi acceptas gratasq; respiciat potiùs ad conferendum fructū infinitū, quā ad offerentes ad impetrandum finitam gratiæ portionem. — Vnde fruct' Christi passionis variè applicetur.]

Tertiò idem probatur: quia si fructus incruenti sacrificij esset infinitus, non opus esset vt toties repeteretur, & frequentaretur, quemadmodum neque cruenta hostia repetita est, sed vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Et vt Paulus in repetitione earundem hostiarum super ijsdem peccatis argumentatur, debilitatem, & defectum illarum, quæ nunquàm poterant Deum placare, neque Sacerdotes per illas Deo litare; ita nos, ex repetitione præcepta huius hostiæ à Christo, propter quam iuge sacrificium meritò appellatur, arguimus non iam debilitatem, vel defectum huius hostiæ, cùm sit illa eadem, quæ in cruce oblata fuit, sed limitationem pretij taxati ex opere operato. Nam valor infinitus satisfactionis hostiæ cruentæ, solùm æstimatur quantum ad suf-

[Margin: III. ratio. — Hebr. 10. — Suprà 9. — Cur hostia incruēta vocetur iuge sacrificium. — Meritum infinitum satisfactionis ho-]

stiæ cruentæ vnde æstimetur tantummodò.

ad sufficientiam: nam quod attinet ad efficaciam, non operatur per Sacramenta nisi finitè, & ad certum gradum gratiæ tribuit illis caussas existere ex opere operato, ita etiam sacrificio Missæ certam tribuit virtutem expiandi, nam frustrà illi inesset virtus infinita, cùm infinitè applicari non possit. Quòd si in hanc rationem insurgas: Christus in cœna obtulit hanc hostiam, & ratione offerentis arguit fructû infinitum: ergo vt illa crucis cruenta ob infinitum fructum non repetitur, nec ista igitur esset repetenda. Respondeo, rationem hanc rectè concludere, nisi Christus ipse aliter expressis, ac disertis verbis docuisset, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* Voluit enim Dominus suo facto & exemplo Apostolos instruere, & in illis vniuersos pastoores, & Sacerdotes Euangelicos de perpetuo more, & ritu sacrificandi sub panis, & vini elementis. Et vt ista consequentia est infirma: Christus orauit, Christus ieiunauit (in quibus omnibus Christi actionibus inuenitur meritum infinitum) ergo non est nobis vel orandum, vel ieiunandum, vel prædicandum: sed potiùs, ergo nos Christum imitantes, debemus ieiunio, orationi, & prædicationi incumbere; nam propterea ille huiusmodi præstitit, vt efficaces, & Deo gratas redderet nostras orationes, nostras abstinentias, nostras denique prædicationes: ita ista consequentia non valet, Christus obtulit in cœna cum infinito merito, ergo non est quòd nos offeramus incruentam hostiam Deo; imò ob id obtulit, vt id offerre nô tantùm verbis, sed etiam factis doceret, & vt sua illa infiniti pretij oblatione in cœna celebrata efficaciam & virtutem tribueret omnibus nostris incruenti sacrificij oblationibus, quas in Nouo Testamento propter Christi præceptum iteramus: imò vt validas, & efficaces redderet oblationes eorum, qui in lege Naturæ & Scripturæ hostias huius incruentæ hostiæ figuratiuas, & repræsentatiuas obtulerunt. Nam vt Christi passio, seu sacrificium cruentum in cruce peractum retrotrahebatur ad Patres antiquos, & ad omnes, quotquot per fidem Messiæ salui facti sunt; ita etiam virtus huius incruenti sacrificij, quod ipse Christus obtulit in cœna, retrotracta est ad eosdem Patres, & fideles, qui eius per reuelationem Spiritus sancti non fuerunt ignari, atque illud suis incruentis hostijs repræsentarunt: vt ex Patrum quorundam sententia superiùs annotauimus. Quare rectè ab Augustino censentur ad Nouum Testamentum spectare omnes, qui eiusmodi fi-

Cur potiùs hostia incruenta quã cruenta repetatur, cùm & illa ratione offerentis fructum arguat infinitum?

Luc 22.
1.Cor.11.

Hæreticorû argutationes vanissimæ, atque stultissimæ.

Incruentæ oblationis efficacia.

Augustinus.

de perfundebantur; atque ob eam caussam eleganter dictum est à dilecto Discipulo in sua Apocalypsi Christus, agnus occisus ab origine mundi, ob hostiam Christi cruentam atque incruentam; nam in vtraque offertur agnus ille, qui tollit peccata mundi.

Apoc.13.
Christus agnus occisus ab origine mundi cur dicatur.
Ioan.1.

Adhæc cùm hostia incruenta, quam Christus in cœna obtulit, fuerit eiusdem cum nostra meriti: vt nostra ex opere operato infinitum non confert fructum; ita nec illa Christi in cœna, licèt ex parte offerentis esset infiniti valoris, aliàs alterius speciei extitisset. Et vt baptismus collatus à Christi persona, non conferebat maiorem gratiam quam collatus per Sacerdotem, siue per laicum: ita idem dicendum est de Eucharistiæ sacrificio, licèt ex opere operantis Christi potuerit maiorem gratiæ fructum conferre illis, quos ipse per se baptizauit, vel pro quibus per se Eucharistiæ obtulit sacrificium. Vt ergo malitia Sacerdotis fructum sacrificij ex opere operato non impedit, nec sanctitas ministri illud auget, licet possit eius operans illi, pro quo offert, prodesse; ita nec infinita Christi gratia, & sanctitas in cœna sacrificantis, in infinitum auget fructum sacrificij ex opere operato, quæ vniformis est, & æqualis cum nostra, etsi ex opere operantis Christi potuerit Apostolis vberiorem gratiæ portionem conferre. Constat autem, Apostolos præsentes sacrificio cœnæ, & de hostia illa participantes, magnum quidem fructum, sed non infinitum percepisse: nam paullò pòst cùm comprehenderetur Dominus à Iudæis, certum est eos relicto eo fugisse, ac turpiter eum negasse. Et fortassis eiusmodi gratia fuit tanta, vt etsi à peccato fugæ, & vili timore mortis non liberauerit, seruauerit tamen eos viliori fuga, & turpiori negatione. Quamuis autem aliquid humanû in Christi morte passi sint, & in tanta Iudæorum persecutione; posteà tamen ad se redierunt, & simul congregati sunt, & minùs à fide, & dilectione Christi corruerunt, quàm si Eucharistiæ non communicassent, prolapsi fuissent. Iteratur ergo hæc hostia, vt Christi præcepto pareamus, & vt remissionem noui alicuius peccati indies admissi, quod anteà expiatum nô erat, impetremus; & vniuersas gratias, tum ad corporis, tum ad animi incolumitatem spectantes per eam consequamur; denique vt vnum, & idem donum hoc sacrificio pluries oblato eficaciùs à Deo obtinere valeamus. Nam sic etiã Christus, qui vel vno minimo opere suo cun-

Matth.26.

Quas ob caussas hostia iteretur incruenta.

cta nobis impetrauit, volunt tamen pluribus, ac diuersis operationibus, atque adeò morte ipsa, quæ iam nobis debita erant, alia ratione etiam promereri. Pulchrè enim dictum est per Prophetam: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud Deum redemptio.* Psal. 129.

IV. ratio. Quartò probatur à posteriori: Si infiniti valoris est sacrificij incruenti oblatio ex Christi institutione, & sacrificij virtute vna Missa celebrata pro redemptione omnium animarum, quæ in expiatorio carcere continētur, totum euacuaret Purgatorium. Quod non est asserendum: quia frustrà tot Sacerdotes initiarentur, frustrà tot Missæ pro vno defuncto celebrarentur; frustrà viuentibus apparuissent interdum animæ Purgatorij, vt docet Gregorius in libris Dialogorum, maximè libro quarto, vel Angeli in earum personis, vt alij volunt, exigentes tantùm numerum sacrificiorum, nempè septem, vel triginta, vt de illo carcere eruātur: frustrà etiam loco satisfactionis pœnitentibus Missarum numerus à Sacerdotibus iniūgeretur, si vna Missa reatum expiare posset. Hoc autē pro magno absurdo habet Doctor sanctus; qui in quarto sentētiarum ita scribit: *Ad secundum dicendum, quòd quamuis virtus Christi, quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ, sit infinita; tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Vnde non oportet quod per vnum altaris sacrificium tota pœna eorū, qui sunt in Purgatorio, expietur, sicut etiam nec per vnum sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis: vnde & quandoq; plures Missæ in satisfactione vnius peccati iniungūtur.* Hactenùs ille, apertè docens fructum sacrificij esse finitum, & vno Missæ sacrificio non expurgari totum reatum, vel viuentis, vel existentis in Purgatorio.

Gregor. lib. 4 dial. c. 55. to. 2

D. Tho. in 4. dist. 45. q. 2. in fin. tom. 7.

V. ratio, ab absurdis opinionis oppositæ. Quintò, tale texitur argumentum: Si infinita virtus satisfaciendi inest cuilibet Missæ sacrificio, dotationes Ecclesiarum, & monasteriorum institutiones, capellaniarum, vel altarium, ad certū Missarum numerum Sacerdotes ipsos obligantes, vanæ prorsus, & inanes existerent, & Ecclesia non prohibens eiusmodi fundationes, siue dotationes, errasset in Dei cultu, perniciosè, si vna Missa possunt omnia omnium viuentium, & defunctorum peccata expiari. Vanum ergo esset, tot Missas ob eam caussam procurare; & contra charitatem esset, Missas, quæ omnibus ex æquo prodesse possunt, debitaque omnia extinguere, sibi solis assignare atque applicare, quæ cùm absurda sint, & falsa, constat fructum sacrificij esse finitum.

VI ratio. Sextò, si vera esset sententia, quam impugnamus, posset Sacerdos vna Missa multis petentibus, & erogantibus eleēmosynas satisfacere, & bona conscientia oblata stipendia acceptare. Si enim fructus sacrificij infinitus existit, nihil primò, cui promissa est Missa, tollitur per hoc quod pro tribus alijs etiam offerat, vel pro trecentis, vel pro tribus millibus, quia infinitus valor nunquā exhaurietur: quæ si vera sunt, ingens fenestra cupiditatis, & auaritiæ aperiretur Sacerdotibus: innumeras enim pro vno sacrificio captarent eleēmosynas; daretur etiam occasio illis otiandi, postquàm vna Missa celebrata pro multis, fidem suam liberare possent. Adhæc vbi ista populo essent comperta, redderetur minùs pius ad Missæ sacrificia expetenda, & eleēmosynas erogandas, vt qui probè intelligerent vno sacrificio cuncta debita extingui. Et ita in caput ipsorum Sacerdotum auaritiæ studentium recederet hæc opinio, nam breui ad summam redigerentur paupertatem ac mendicitatem. Tenderet prætereà hæc opinio ad defraudandas pias mentes & voluntates eorum, qui sic instituerunt capellanias, vel altaria, in quibus quotidiè offerretur pro illis iuge sacrificium. Quæ cùm manifestam contineant impietatem: constat, illam opinionem, quam tuentur illi, falsam esse, & periculosam. Quare persanctè cautum est penes D. Dominici institutum in Hispania, vt refert Dominicus de Soto; ne religiosi sancti Dominici illius opinionis fiducia, plures pro eadem Missa eleēmosynas recipiant. Etiam si ab illa sententia amoueri non possint quia cùm illa nec fides sit, nec scientia, sed opinio ab vno, vel altero tantùm asserta, non debet quisquam periculo manifestæ iniustitiæ se exponere contra omnem omnium Doctorum sententiam, pro vna Missa plura stipendia accipiendo.

D. Dominici pia constitutio. Dominic' de Soto in 4. sen. dist. 13. q. 2.

VII. ratio. Septimò constat esse nonnullas Ecclesias, siue etiam domos hospitales innumeris Missarum celebrandarum pactis ita obligatas, vt cùm non sint soluendo, ad summum Pontificem accurrant, supplicantes, vt attenta paupertate locorum, & Missarum multitudine, ad quas dicendas, tot ministros alere non possunt, de benignitate Apostolica velint cum illis dispensare, vt saltem certo sacrificiorum numero, & alijs bonis operibus, quæ in illis templis, vel hospitalibus fiunt, statuat tantam Missarum obligationem compensari. Hæc ergo sedis Apostolicæ consultatio & dispensatio, quam interdum factam fuisse constat,

stat, ample ostendit, vnam Missam non perinde satisfacere pro pluribus, atque pro vno solo oblatam. Patet enim, si vera est hæc opinio de fructu infinito Missæ, quam impugnauimus, vno, vel altero sacrificio, omnibus institutoribus capellaniarum, & altarium iustè satisfieri, & vanum esse sedem Apostolicam adire, atque eius dispensationem postulare. Hinc prudentissimè sancta Synodus Tridentina constituit, vt quoniam tanto numero Missarum, ad quas dicendas obligatæ sunt Ecclesiæ, vel hospitales domus, vel monasteria, satisfieri non potest; curent Episcopi in Synodo diœcesana, & Abbates, vel Generales ordinum in suis Capitibus generalib' remedium aliquod salutare offerre, ne defunctorum piæ intentiones defraudentur. Quæ quidem constitutio primò docet, abusum esse tot Missas acceptare, quibus nequeant satisfacere: quod si hactenùs non licuit, nec in futurum licebit. Deinde apertè tradit, multis Missarum obligationibus vna non posse satisfieri: nam si id esset, abunde vno sacrificio factum esset satis. Postremò in eo, quòd vult remedium aliquod salutare excogitari, ne piæ fidelium intentiones defraudentur, docet; vt si non in integrum, saltem eo quo possunt modo, satisfaciant.

Synod. Trid. sess. 25. c. 4. reformationis.

Octauò, sunt quamplurimi Doctores, & vitæ sanctimonia præstantes, qui hanc vt sententiam Catholicam tuentur; vt B. Thomas, qui præter ea, quæ superiùs attulimus, adhuc in quarto sic scribit: *Facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper: si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* Hæc ille, tacitè innuens habenti aliunde sumptus, & obligationem dicendi Missam, non licere secundò accipere eleemosynam. Vbi aduerte, B. Thomam in quarto, de fructu Missæ ex opere operato multa dixisse: sicut etiam in tertia parte multa de fructu ex merito, & deuotione offerentis locutus est. Sed hæc sibi inuicem non pugnant, neq; prior fructus tollit posteriorem, neque posterior priorem, vt quidam videntur minùs sanè sanctum Doctorem intellexisse: vnde & tenebras B. Thomæ doctrinæ offudisse videntur. Sequuntur Thomam Petrus de Palude, & Cardinalis de Turrecremata super Decretum: & Viguerius Granaten. in Institutionibus suis, tractatu de Sacramento Eucharistiæ, versu 16. de Caietani sententia hæc scribit: *Cùm ergo hæc opinio sit cultus Diuini diminutiua, & prabeat materiam cupiditatis; non videtur in foro conscientiæ tuta. Si autem ille qui petit, & dat, scit de alijs qui petierunt, & dederunt: tunc cùm volenti nō fiat iniuria, censetur esse contentus, quòd in vno sacrificio eius commemoratio fiat, & sic satisfacit. Non tamen excusantur Sacerdotes à peccato, nec à restitutione, qui plures Missas admittentes, minori pretio per pauperes Sacerdotes supplent: non enim videtur quo titulo residuum pecuniarum retinere possint.* B. Antoninus in prima parte quærit, vtrùm promittens sigillatim diuersis vnam Missam, satisfaciat celebrando vnam pro omnibus. Et respondet ex sententia Petri de Palude in quarto, quòd non liberatur à toto, sed à tanto, quia soluit minus quàm debet. Sicut promittens Titio vnam Marcham, & Seio vnam, non totaliter liberatur offerendo duobus vnam: quia Missa celebrata pro multis, non tantùm valet singulis. Potest tamen celebrans talis excusari quinque modis. Primò propter impossibilitatem celebrandi pro quolibet specialiter: puta si collegium saluo officio, ad quod est institutum, non potest soluere plus quàm tres, aut duas, vel vnam Missam; aut religioso, si postquàm promisit, à superiore imponantur aliæ Missæ: quia difficultas patrocinationis etsi non liberat, tamen excusat. Vnde sicut quando bona defuncti non sufficiunt ad integrè soluendum creditoribus, soluitur simul pluribus, quod cuilibet erat per se soluendum: sic hic. Secundò propter consuetudinem, maximè apud eum, qui scit, vel scire tenetur, quia scienti dolus non infertur: sicut qui petunt Missas à Curatis, aut Canonicis, relinquentes anniuersarium Canonicis. Tertiò propter consuetudinem, si expresse hoc dicat promittens: quia contractus ex conuentione legem accipiunt. Quod etiam sufficit dicere executori: quia cui commisit testator distributionem pro Missa, videtur etiam commisisse ordinationem de Missa procuranda. Quartò, propter recompensationem, quia non refert quid ex æquipollentibus fiat: vt si in alijs Missis, vel suffragijs recompensetur, sicut apud nos Missa dicenda à conuentu imponitur vni fratri. Quintò, propter suppletionem Dei. Vbi est sciendum secundùm quosdam, Missam non valere tantùm pluribus, quantum vni soli. Si pro vno solo dicatur, prouenit ex actuali intentione Sacerdotis; non propter hoc quod eius attentio, vel cui valet, distribuatur diuersis secundùm diuersas proportiones; sed quia non potest aliquis ad plures simul affici tantùm, quantum ad vnum:

VIII ratio à sententijs Doctorum. B. Tho. in 4. dist. 21. q. 3. art. 2 ad 4. tom. 1.

Idē 3. part. q. 79. per totum tom. 10.

Pet. à Palude in 4. distin. 9. quæst. 2. Card. Turre. super Decret. in c. Non mediocriter, de consecr dist. 5. Viguerius Granaten.

B. Antonin' 1. part. tit. 10. c. 11. § 4. An qui promittit sigillatim diuersis vnā Missam, satisfaciat celebrādo vnā pro omnibus secundū Antoninum. *Petrus de Palude.* Talis celebrās excusatur quinque modis, eodē autore.

II. modus. Scientī dolus non infertur.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

vnum: ſicut non poteſt haberi tanta amicitia acquiſita à multis, ſicut ad vnum. Et ideo Miſſa dicta pro pluribus ſimul, non tantùm videlicet cuilibet illorum, quantum ſi pro illo ſolo diceretur, niſi ſummus Sacerdos ſuppleat. Tunc autem ſupplet, quando rationabile eſt, quòd Sacerdos tantum affectum habeat ad quemlibet, quantum deberet habere ad vnum ſolum, ſi pro illo ſolo celebraret. Hæc ille: quæ etiam fuſiùs in ſequentibus pertractat, quæ fortaſſis egerent maiori diſcuſſione. Adde iſtis fratrem Dominicum de Soto libr. de iuſtitia, & iure, & in quarto ſententiarum, prædictam Caietani ſententiam vt periculoſam, & falſam inſectatur. Et Petrus à Soto in tractu de Inſtitutione Sacerdotij. Cancellarius Pariſienſis libro de Solicitudine Eccleſiaſticorum, ita ſcribit: *Obligatur ad ſpecialiter Miſſam pro vno celebrandam: fraudat ſi ſimul iungit alium, vel alios, quibus Miſſam applicat in eodem gradu. Et notanter dico, in eodem gradu, quia ſi caſu Sacerdos adiungit in alio gradu, vel ſuperadditas orationes in memoriam viuorum, aut defunctorum, ſecundum generalem Eccleſiæ morem non fraudat eum, pro quo ſpecialiter ſe Miſſam dicere obligauit. Tum quia per hoc bonum illi debitum non minuitur, vt patet ex prædictis; tum quia hic ritus Eccleſiæ, cui in hoc ſe Sacerdos conformat ſicut debet, manifeſtus eſt, & non ignoratur, tum quia temporalia conferens pro Sacerdotis ſuſtentatione, & eum modo prædicto obligans, aliam intentionem in obligando Sacerdotem habere non præſumitur.* Hæc ille. Ad hæc Epiſcopus Abulenſis in libro de decem Quæſtionibus Hiſpanico idiomate compoſito, apertè negat, meritum Miſſæ eſſe infinitum; & quò in plures diſtribuitur, eò minorem portionem cuiq; contingere. Præter Doctores, ſunt multi viri Iuris Canonici periti, inter quos Archidiaconus, & Ioannes Theutonicus Gloſſator, proponunt dubium, An Sacerdos promittens triginta Miſſas ſancti Gregorij decem perſonis, & cuilibet per ſe, an ſatisfaciat dicendo triginta Miſſas pro omnibus? Et reſpondent, quod nequaquàm ſatisfacit, ſed adſtringi eum trigeſies dicere triginta Miſſas: quòd ſi non dixerit, ad reſtitutionem obligari pro omnibus illis, pro quibus non dixit. Ita etiam tenet Abbás; qui ſequitur Ioannem Andream in cap. fraternitatem, de ſepulturis; deinde Martinus Nauarrus in Manuali confeſſorum, aſſerit delictum eſſe mortiferum, valorem medium, ſeu ſpecialem alteri applicare, quàm illi, cuius eleemoſynam accipiens promiſit celebrare: ſiue in illo ponat alterum, excluſo eo, cui hoc promiſit; ſiue ſimul cum eo, cui promiſit, vnum, vel alterum ponat: niſi in caſu quo prior ille, qui eleemoſynam dedit, taciè, vel expreſſè conſentiat, vt alter ſibi in illo gradu applicationis coniungatur. Accedit D. Bernardus Diaz Epiſcopus Calagurritanus, qui in libro, quem pro inſtruendo Sacerdote curam animarum habente ſcripſit, contra contrariam opinionem, quam impugnamus, latè inuehitur: & Sacerdotem grauiter peccare in Deum, & proximum in re ſeria, & magni momenti defraudari. Scripſerunt etiam nuper duo Doctores Theologi Hiſpani, nimirùm Antonius Honcala prædicator Eccleſiæ Abulenſis, & Martinus de Frias, integros tractatus ad hanc noſtram ſententiam tuendam, & oppoſitam impugnandam. Quare non poteſt non eſſe valdè periculoſum, & iniuſtitiæ plenum, opinionem illam ſingularem ſequi, & in praxim deducere, propterque vnius Caietani dictum, à communi Eccleſiæ ſententia, & tot Doctorum, quos attulimus, declinare. Hucuſque de tertia veritate ſit dictum.

Dominic⁹ de Soto in lib. 9. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1 & in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1.
Petr. de Soto tract. de inſt. Sacerd. lect. 7
Ioan Gerſon lib. de ſolicit. Eccleſiaſt. partic. 32.
Epiſcop⁹ Abulenſ. lib. de deceo quæſt. c. 23.
Iuriſperiti. Archidiaco Io. Theuto. in c. nō mediocr. de conſcr. diſt. 5.
An Sacerdos promittēs triginta Miſſas S Gregorij decē perſonis, & cuilibet per ſe, ſatisfaciat dicē do triginta Miſſas pro omnibus.
Abbas.
D. Marti Nauar. in Manua. confeſſ. c. 25 num. 92.
D. Ber. Diaz. par. 2. ca. 21.
D. Antonius Honcala. D. Martinus de Frias.

His vtcunq; explicatis, argumenta primo loco propoſita diluenda ſunt, ac refellenda. Ad primum dicendum, verum eſſe in Euchariſtia contineri corpus & ſanguinem Chriſti, quæ in cruce immolata fuerunt: ſed in cruce infiniti pretij extiterunt ob perſonam infinitam proximè immolantem, & litantem; hic verò finitum fructum in ſacrificio operantem ex opere operato: tum quòd Chriſtus voluit ad finitum fructum valere, tum quòd perſona offerens ſit finita, nempè Sacerdos, & Eccleſia per illum offerens; ideo tam in Canone Miſſæ, quàm in ſecretis, quæ poſt offertorium in Miſſa celebrantur, Sanctorum patrocinium, & interceſſionum, & preces imploramus, quibus gratum, & acceptū Deo oblatum reddatur ſacrificium: quæ Sanctorum interceſſionis imploratio apertè indicat à nobis tanquàm offerentibus proficiſci ſacrificium, & non ab ipſo Chriſto, qui Sanctorum interceſſione non eget, vt grata Patri reddatur oblatio ſua. Similiter poſtquàm ſacrificium peractum eſt; rogamus, vt Deus illud reſpiciat, ſicut reſpexit munera pueri ſui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ Abrahæ, & hoſtiam quam obtulit Melchiſedech: hæc enim omnia indicant, ſacrificium vt ex nobis prodit, & non vt ab ipſo Chriſto, rogare nos, vt illud Deus ſuſcipiat.

Soluuntur argumēta propoſita.
Gen. 4. Gen. 22. Suprà 14.

Ad ſecundum reſpondetur, Sacrificium hoc Euchariſtiæ cum proprium ſit Noui

1 Argumenti ſolutio.

Testamenti, & ab Euangelicis Sacerdotibus oblatum, expiare omnia delicta Noui Testamenti, non tamen propterea tolluntur media Sacramenta, quibus eius virtus applicatur, & maximè absolutio, quæ ab ea virtute mutuatur suam. Vt ergo sacrificiũ Christi cruentum, quod est omnium seculorum salutaris hostia, in Veteri lege, peculiaria multa sacrificia, quibus repræsentaretur, & peccata dimitterentur, non sustulit, neque pœnitentiam, vel conuersionem ad Deum; ita in Nouo Testamento, incruentam hostiam, illam cruentam repræsentantem, & commemorantem non abstulit, neque contritionem, & confessionem peccatorum, aut Sacerdotis absolutionem, sed illis potiùs vim confert ipsa incruentæ hostiæ oblatio ad remissionem peccatorum. Neq; propterea quòd peccata lethalia expiet hęc hostia, dicenda est habere valorem infinitum. Nam baptismus, & absolutio, ex opere operato vim habent culpas expiandi; non tamen idcirco ęquiparantur passioni Christi, aut effectus infinitos producere dicuntur.

Solutio tertij.

Ad tertium dicimus, quòd etsi in Canone Missæ pro pluribus offerantur, & applicatio generalis omnia Christi membra complectatur, & priuatim Papam, Regem, Antistitem, non est dubium, quin maior fructus respondeat ex opere operato huic generali applicationi. Vt interim omittam fructum, qui respondet deuotioni & fidei Ecclesiæ, pro qua offertur: tamen applicatio media, q̃ certum, & limitatum gradum gratiæ habet communicare ex vsu ac præcepto Ecclesiæ illi, vel alteri, pro quo offertur, non est dubium, quin integer, & maior sit communicatus illi, quàm si in plures diuisus communicetur. Quòd verò gratia, quæ toti Ecclesiæ, vel assistentibus sacro, vel fidelibus defunctis, pro quibus in genere offert, per hoc sacrificium confertur, valeat ex opere operato præter illam, quam diximus, mediam, & specialem applicationem; videtur probari ex eo, quia res alioqui penderet ex sanctitate Sacerdotis, quæ potest abesse, & adesse: etsi ad gradum specialem fructus applicandum non pendet, ergo nec ad generalem, qui est maior. Deinde si valet sacrificium Missæ defunctis illis, pro quibus in specie non applicatur, & non ratione operis operantis, ergo ex opere operato. Tertiò, si tantùm ex opere operante fructus deriuaretur in totam Ecclesiam, vel in assistentes sacro, vel in defunctos illos, pro quibus in genere offertur, paucis profectò fructuosum esset Missæ sacrificium, & va-

Missæ sacrificium non solùm ex opere operato, sed etiam ex opere operato fidelibus prodesse.

rio modo pro dispositione, & fide illorum; & ita in genere frustra offeretur, vel pro viuis, vel pro mortuis; cùm tamẽ superiùs docuerimus, satis esse ad participandum fructum Eucharistiæ, obicem non ponere. Ideo pietati, & veritati magis consona videtur hęc sentẽtia, quòd sacrificium etiam ex opere operato valeat illis etiã, pro quibus in genere offertur, siue viui, siue mortui sint.

IV. argumenti solutio spiritualis boni natura.

Ad quartum dicimus, quòd bonum spirituale pluribus communicatur sine sui diuisione: pro arbitrio tamen, & voluntate Dei, qui in fructu, qui colligitur ex opere operato, constituit totum spectare ad eum pro quo speciatim offert Sacerdos; in fructu verò, qui colligitur ex opere operante, voluit quemque pro captu dispositionis suæ participare sacrificium. Et in ea re aptũ est exemplum candelæ æquè plura illuminantis, quæ tamen intra eandem sphœram propinquitatis continentur: quia illa censentur tanquam vnum illuminationis subiectum. Qui verò minori fide & deuotione ad hoc Sacramentum instructi sunt, lõgiùs esse cẽsentur à Deo, qui lux est, & ob id minus illuminantur.

Exemplum candelæ.

Solutio V. argumenti. *Exod. 32.* Illud ex Hieronymo diluitur: Cùm pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur nihil minùs, quàm si pro vno quolibet ipsorũ diceretur accipit. *De consecr. dist. 5. c. Non mediocriter.*

Ad quintum de oratione, dicendum: q̃ oratio Missæ etsi ex parte Dei possit pro pluribus, vt pro vno impetrare, sicut Deus illis parcere, quemadmodum oratio, quã Moyses pro populo effudit, omnium salutem obtinuit; tamen ex parte orantis non ita colligitur effectus ad plures, sicut ad vnũ, & ita minus satisfacit. Sine dubio enim plus satisfacit oratio pro peccatore ter effusa, quã semel tantùm. Ad sententiam Hieronymi, dicentis quòd cùm pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur; nihil minùs, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur: dicendum est, quòd sicut Psalmus non est infiniti valoris, ita etiã nec Missa. Et cùm dicitur, nihil minùs accipitur, explicatur à B. Bonauentura: id est, nõ minùs meretur, qui pro pluribus illam offert, quàm qui pro vno. Vel dici potest, quòd oblatio æstimata quatenùs ex radice charitatis Ecclesiam munientis prodit, nõ minùs prodest singulis, quã pluribus, hoc est, æqualiter singulos iuuat, quia extensè nõ minuitur: secùs in ratione satisfactiõis, quæ illis applicatur, quia tunc non tantùm prodest. Nec cùm Hieronymus negaret, quin si Psalmum pro vno recitares, & rursum pro secundo, ac iterum pro tertio, vel quarto, plus prodesses singulis, quã si pro vno tantùm diceres. Vel tertiò respondendũ, & referendum est dictũ Hieronymi ad articulum, in quo ipse loquitur, videlicet

B. Bonauent.

II. Solutio.

III. Solutio.

quòd non minus vna Missa dicta per cantum cũ cordis hilaritate valet, quàm si pro vno quolibet diceretur cum mentis anxietate: pmittitur enim ibi: Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, ac serenitate, ac spirituali hilaritate; quàm totius Psalterij modulatio cũ anxietate cordis, atq; tristitia. Et tunc subdit Hieronymus: Cùm igitur pro cunctis animab⁹ Psalmus, vel Missa dicitur; nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur: hoc enim de oratione, Hieronymus attulit, ad monachorum consolationem, quod etsi pro multis debeant orare, nõ oportet tamen tot Psalmos legere, vt lectio vergat in detrimentum capitis, & fastidium mentis: sed melius illis satisfit, si pauciores Psalmi cum hilaritate pro eis decantentur, & magis accedit in vtilitatem orantis, si aliunde non est aliter obligatus.

VI. argumenti solutio. *Siluest. verbo Missa. 1 §. 9.*

Ad sextum, de aspersione qua multi baptizantur, quod est argumentum Siluestri: Respondemus, quòd aspersio illa in pluribus recepta facit diuersa Sacramenta; ita vt tot sint ibi baptismi gratia consecuti, quot aspersi, & vnum Sacramentum non tollit gratiam alterius: in Missa verò per hoc qp pro multis offertur, non multiplicatur sacrificium, sed semper est vnum, & idem; ac ob id eius fructus per plures diuisus, minuitur in singulis. Præterea alia est ratio, quæ in susceptione quadam, quæ ad genus passionis reducitur, consistit: sacrificium verò in oblatione positum est, quæ ad actionem spectat. Et ita longè diuersa est ratio Sacramenti, & sacrificij.

Solutio VII. argumenti. *Iob 3.*

Ad vltimum dicitur, primò, quòd Deus non eget nostro mendacio, vt gloria eius amplificetur: & satis illustratur limitato fructu speciali, & fructu generalis applicationis infinito, & indeterminato ex se, & non tantùm ex opere operante. Deinde asserimus, neminẽ per fraudem, consolationem veram posse accipere; quare vtile est, vt nouis Missarum institutionibus, & fundationibus Ecclesiæ consuetudo, & priores obligationes nouis fundatoribus expresse, & citra dubitationem omnem declarentur; quodq; sic assumantur noua onera Missarum, vt veteribus debita non defraudẽtur: quia istis benè declaratis, nulli fit iniuria. Scienti enim, & volenti, vt habet Iuris regula, non fit iniuria. Intelligat igitur, quòd qui de integro instituit anniuersariũ vel capellaniam, non ideo tollit ius quæsitum prioribus, pro quibus in primo gradu est offerendum; quibus ipse adiungendus est in posteriori, vel in eodem, si priora ita sint instituta, vt etiam alij in eodem gradu possint admitti; sic enim repellitur nemo, neq; defraudatur; vel quod tutius est, nouum Sacerdotem; noua fundatione alijs oneribus non grauatum introducat. Tertiò dicendum, quòd hæc opinio non tollit scrupulos Sacerdotũ, sed nutrit, ac fouet, illas opiniones periculosas, & iniustitiæ proximas amplectendo. Ideo Sacerdos, si prudens esse velit, primò caueat, ne Missas quas acceperat, per alios dicere procuret, si dantis mens fuit, vt ipsemet per se ipsum diceret. Intelligat quod ex eleëmosynis sibi datis, vt per alios celebrare faciat, nõ potest partem aliquam bona conscientia retinere: vt Viguerius superiùs citatus dixit. Deinde curet, fideliter numerũ Missarum, ad quas dicendas se obligauit, vt integrè persoluat, ne fraudator sit animarũ & Missæ in speciem requisitæ vel de Spiritu sancto, vel pro defunctis, non debet per alias Missas de feria, vel de sanctis reddi; nisi fortè dies Natalitius Domini, vel Paschę aliud exigeret. Nam etsi preces, quæ pro defunctis recitantur, suam peculiarem expiandi peccata virtutem habeant: potest tamen illa virtus per magnam Sacerdotis deuotionem compensari, ita vt nihil illis pro quibus offertur, depereat. Tertiò, etsi laudabile sit tantũ stipendij Sacerdoti porrigi, quo possit honeste vno die vitam sustẽtare pro Missæ sacrificio: tamen, vt Dominicus de Soto, & quidam alij tradunt, non videtur pietati, & rationi consonum, vt caussa idonea sumendi plures eleëmosynas pro vna Missa, sit paupertas Sacerdotis. In primis, quia paupertas illa non tollit petenti suam iustitiam: & quia semel acceptauit, ex conuẽtione debet præstare quod promisit, aut à principio non acceptare: Vnde & B. Antoninus inter caussas, quas recenset, in quibus pro vna Missa liceat plures eleëmosynas recipere, paupertatem Sacerdotis non recensuit. Deinde Ecclesia sancta non instituit Missas ad sustẽtationem Sacerdotis, imò diligenter cauit oppositũ, strictè præcipiens Episcopis, ne quemquam in Sacerdotem promoueant, qui non sit aut beneficio Ecclesiastico, aut idoneo patrimonio fultus: vt habetur in cap. Non licet, & cap. Tuis, &c. Tum secundùm Apostolum, De præbend. Quòd si quis Sacerdos post promotionem suam in pauperiem deuenerit; constituit, vt is comparet sibi victum per aliquod honestũ artificium. Quòd si quis per negligẽtiam, vel cõtemptum Episcopi, ad ordines promoueretur sine vllo beneficio, aut patrimonio; mandat, vt Episcopus tunc ipsum Sacerdotem alere debeat: vt habetur in allegato cap. cùm secundùm Apostolum

Alter solutio.

Iuris regula.

Qui de integro instituit anniuersariũ vel capellaniam, vti satisfaciat prioribus eius institutoribus.

III. Solutio.

Sacerdoti quæ cauenda ac curanda sint in pluribus celebratione Missarum.

Viguerius ibidem. Secundum.

Tertium.

Dominicus à Soto. Nõ esse pietati, & rationi consonum, vt caussa idonea sumendi plures eleemosynas pro vna Missa, sit paupertas Sacerdotis, ex Soto. *B. Antoninus ibidem.* II. ratio.

A quo alendus Sacerdos is ac sustentãdus, quem sine vllo beneficio, aut patrimonio cõtigit promoueri.

stolum: quid autem opus fuisset tam strictè hoc exigere, si licitum, & sanctum esset Sacerdotem ex eleëmosynis pro Missa erogatis viuere? Ad hæc non videtur rationi consentaneum, vt quis Sacerdotem in vna Missa celebranda laborantem debeat per totum diem alere; aut quòd Sacerdos contra Ecclesiæ leges ordinatus, in otio debeat sustentari. Præterea non videtur Sacerdos legitimè excusari posse à labore aliquo manuum, allegando indecorum esse suo statui: tum quia Sacerdos non est liber ab illa Domini sententia: *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*; tum etiam, quia sacrosanctum Missæ sacrificium non est instar alicuius mechanici artificij æstimandum, vt putemus illud à Christo institutum, quo Sacerdotes haberent, vnde vitam suam sustinere possent. Quod enim ad vitam spiritualem & æternam alendam constitutum est; non debet nostro vitio ad vitam hanc nostram corpoream, & temporalem sustinendā detorqueri. Tum denique, quia Sacerdos fugiens otium, fugit omnem iniquitatem, & laborando præbet bonū exemplum laicis: imitatur Apostolum Paulum, qui cū posset ex Euangelio viuere, tamen proprijs manibus laborauit, ne quem grauaret, aut scādalizaret. Qui ergo contrà Ecclesiæ legem & ordinem suo vitio ordinatus est, non potest autoritate propria condemnare dantes sibi paruam eleëmosynam, & quæ in eo loco, vbi agit, pro sacrificio Missæ dari est cōsueta, nisi prius admoneant dantes se non posse pro tam parua eleëmosyna celebrare. Quòd si responderit fortassis, qui Missam dici procurat, adibit alium Sacerdotem, qui illa eleëmosyna cōtentus erit, vel quia est moderatior in victu, vel quia habet aliquid aliud vnde possit cum eleëmosyna illa sustentari.

III. Ratio.

IV. ratio.

Gen. 3.

Sacrosancti Missæ sacrificij finis.

Fugiēs otiū, fugit omnem iniquitatem.

1. Cor. 4. & 2. Thess. 3.

Postremò verba Apostoli allegata: *Qui altari deseruiunt, cum altario participāt*, Sacerdotibus non suffragantur, vt plura stipendia possint capere pro eodem Missæ sacrificio. Sic enim habet Apostolus: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur; quæ de sacrario sunt, edūt: & qui altario deseruiunt, cum altario participant?* id est, partem habent ex his, quę offeruntur altari, nō tamen cogere possunt offerentes, vt plura offerāt; & ita Sacerdos debet esse contentus illa eleëmosyna, quæ sibi porrigitur. Deinde Apostolus loquitur de Sacerdotibus qui legitimè ordinabantur, & non de his, qui contra leges Ecclesiæ, siue patrimonio, aut beneficio Ecclesiæ ad sacros promouētur ordines: eiusmodi enim Sacerdotes merentur ministerio altaris priuari, & ideo non possunt obtendere autoritate Apostolica sibi debitū etiam honestum stipēdium pro Missa, quo idoneè sustentari valeant. In hanc longiorem digressionem coactus sum diuertere, propter quorūdam Sacerdotum sordidam cupiditatem, & auaritiam. Nam cùm aliquando essem rogatus à quibusdā prudentibus, & magnis viris rectoribus, & gubernatoribus domus hospitalis, quæ multitudine grauata erat Missarum, vt sententiam meam dicerem, an Sacerdotes ad celebrandum quotidiè obligati honestam vitæ rationem habentes, possent noua Missarum onera suscipere; sententiamq́; meam scripto consignatam illis tradidissem: ingens, & plus quàm Vatinianum odium mihi cōcitaui, vnde agnoui quàm verè dictum sit à Comico:

V. ratio. 1. Cor. 9.

Quid sit illud Apostoli dicentis: Qui altario deseruiunt, cum altario participant.

Alter sensus.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Terent. in Andr. act. 1. scen. 1.

Quod in causa fuit, vt ego ad huius rei meditationem, discussionemque ingenij neruos magis intenderim, & coactus fuerim hæc fusiori oratione persequi. Quare prudentes lectores rogatos esse volo, vt boni consulant nostros conatus, quos pro elucidanda tāti ponderis veritate impendimus, ad gloriam Iesu Christi, qui in hoc Sacrificio continetur, cui cū Patre, & Spiritu sancto redditur honos, gloria, & imperium in sempiternum, Amen.

TRACTATVS XXXIV.

IN quo disseritur de vsu Sacramenti Eucharistiæ: & in primis refelluntur argumenta Hæreticorum ad firmandum communionem sub vtraq; specie iuris esse Diuini.

HACTENVS de Sacramento Eucharistiæ disputauimus quid contineat, & quos fructus in illud dignè percipientibus proferat, maximè verò de ratione sacrificij, qui maximus est fructus, & potissimus Eucharistiæ: nunc verò decreto, & fructuoso vsu Sacramenti vt tractemus, ratio ipsa ordinis postulat. Nam in ea re nobis non minus Hæretici bellum graue indixerunt, atque in alijs duobus, & in duo vitiosa extrema incidisse videntur: vt aptè illud Poëtæ in illos intorqueri possit:

Eucharistiæ maximus effectus.

Vnde hæreticos meritò stultos iudicare possis.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Horat. 1. serm. satyr. 2.

Nam quantum largi, ac liberales existunt, docentes nullam aliam præparationem ad fructuosam Sacramēti perceptionem exigi

præter ſolam fidẽ, vnde audaces, & temerarij fiunt homines, non ſecùs quàm porci ad margaritas irruentes ad hunc cibum; tãtùm ſunt in altero extremo parci, & anguſti exigentes etiam in laico, atq; id quidem diuino precepto, ſumptionem Sacramenti ſub vtraque ſpecie: qua in re laicos ad id, quod fieri nequit, arctant. Nã laici nõ poſſunt communicare ſub vtraque ſpecie, niſi porrigentibus Sacerdotibus: rurſus Sacerdotes tradere non poſſunt, niſi cõcedentibus Epiſcopis, quibus debent parêre: rurſus Epiſcopi etſi maximè vellent, non poſſunt cõcedere; quod aut Concilium generale, aut Catholicę Eccleſiæ moderator Romanus Pontifex grauiſſima lege interdixerunt: poſtremò Conciliũ, & ſuprema poteſtas Romani Pontificis, cuius autoritate illud coactum fuit, & in ea vt caput Eccleſiæ præfuit, non permittunt laicis vſum calicis ob Spiritum ſanctum Synodo aſſiſtentem, Patreſq; gubernantem, ac definientem nõ eſſe ad ſalutem neceſſarium laicis de calice bibere. Videtur igitur quod ad impoſſibile obligare velint laicos, qui illis prædicant neceſſariam iure diuino communionem ſub vtraque ſpecie. Nos igitur primò hæc duo extrema demoliemur; deinde quę ſint adiumenta, & quæ ſint adhibendæ præparationes ad fructuoſum vſum Sacramenti, adferemus. Et quoniam Hæretici vrgent, valdè hunc articulum de calice à laicis bibendo, eſtq; illorum cunei acies, qua ſe, & alios ab Eccleſia Catholica præſcindunt, vt catholicus, & ſapientiſſimus quidã illorum impugnator rectè dixit, iactareq; non ceſſant quaſi victores apertiſſima ſe habere Scripturæ teſtimonia, quibus hoc euincãt. Propterea nos primo loco producemus eorum argumenta, & quàm ſint inania, ac futilia, oſtendemus; deinde etiam Catholicas partes aſſerentes nullo diuino præcepto laicos aſtringi ad vſum vtriuſq; ſpeciei validè propugnabimus. In primis vrgent hæretici Chriſti inſtitutionem in cęna, qui hoc Sacramentum ſub vtraque ſpecie inſtituit: vrgent vſum Corinthiorum, atque adeo primitiuæ Eccleſiæ, quæ ſub vtraque communicabat laicos: vrgent pręterea verbum Chriſti, *Bibite ex hoc omnes*: ac rurſus illud: *Hoc facite in meam commemorationem*, inſuper verbum Domini apud Ioannem: *Niſi mãducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Poſtremò dictũ Apoſtoli eſt, Chriſtum mandaſſe; vt hoc facerent in ſui memoriam: quod ipſe interpretatur de annuntianda morte Domini: ſed mors non deſignatur, nec annuntiatur vnius ſpeciei ſumptione, maximè ſi ſolũ corpus ſumatur: nam ſi ſanguis ſeorſum à corpore ſumeretur, deſignaretur ſanguis à corpore per mortẽ ſeparatus. Hinc Apoſtolus de annuntianda Dñi morte agens: *Quotieſcunq;*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*: ergo vtrumq; & edere, & bibere, requiritur ad mortem Domini annuntiandam. Præterea ſubdit ibidem Apoſtolus: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi mãducat, & bibit*. Hęc ſunt arma illa, quibus hæretici nos aggrediuntur, & quibus putant victoriam à ſe ſtare. Sed nos, vt, quã ſint infirma, euincamus, in primis ad inſtitutionem Chriſti, qua Sacramentum in vtraque ſpecie ſanciuit, & Apoſtolus ſub vtraque ſpecie communicauit, reſpõdemus Chriſti exemplũ non habere vim obligãdi niſi in his, in quib⁹ voluit obligare. In multis autem, quæ in illa cœna geſſit, manifeſtè noluit nos arctare: alioqui exẽplo eius cogeremur ad communicãdum in cœnaculo grandi ſtrato, & poſt cœnam veſperi, & die tantùm Iouis, & in numero ſolùm duodenario: ſolis etiam viris communicare liceret Dominico corpori, quandoquidẽ Chriſtus non niſi viris porrexit: & poſt cœnam legalem, & manu factum panem ſuſcipere, vel porrigere. Deberemus etiam corpus ſumere, antequam benedictione cõſecretur calix, vt Dominus in cœna fecit; cùm tamẽ modò Eccleſia vtrumque vna gratiarum actione præmiſſa conficiat, & nulli ſumant corpus, antequã ſacratus ſit calix. Et Græci denique in azymo conficere obligarentur: ad quæ tamen omnia nulla lege tenemur. Vnde Auguſtinus ad Ianuarium eleganter ſcripſit: *Saluator quo vehementiùs cõmendaret myſterij illius altitudinem, vltimũ hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos Eccleſiam diſpoſiturus erat, ſeruaret hũc locum*. Hactenus ille. Quæ confirmari videntur ſententia Apoſtoli de ordine & ritu Euchariſtiæ percipiendæ, dicentis: *Cætera autem cùm venero, diſponam*. Sicut igitur Chriſti exemplo nõ cogimur ad imitandũ illum in prædictis, ita neque in danda, nec in ſumenda Euchariſtia ſub vtraq; ſpecie. Rectè docent Iuriſconſulti, non exemplis ſed legibus iudicandum: & quę ab exemplo ducuntur argumenta, per locum fiunt à ſimili, quæ nõ tam ad aliquid, de quo quæritur, docẽdum, vel ſtatuendum, quàm ad id quod iam eſt ſtatutũ, & firmum, illuſtrandũ à Dialecticis vtilia eſſe traduntur. Facilè

Matth. 7.

Laicos etſi maximè velint, nõ poſſe tamen ſub vtraque ſpecie communicare.

Series huius diſputationis & ordo.

Hæreticorũ argumenta pro vtraque ſpecie laicis danda, proponuntur.

I. argum. ab Scripturis.

Matth. 26. 1. Cor. 11.

Matth. 26. Luc. 22.

Ioan. 6. 1. Cor. 11.

Ibidem.

I. Argumenti ſolutio.

In quibus Chriſti exemplum vim habeat obligandi.

Luc. 22.

Euchariſtiæ ritus modo percipiendæ diuerſus ab Eccleſiæ permiſſus.

Aurea verba Auguſtini. Aug. ep. 118. c. 6. tom. 2.

1. Cor. 11.

Non exẽplis, ſed legib. iudicandum, vt docent Iuriſconſulti.

Matt.26.

autem est, vt ea quæ in multis sunt similia, in re quæ disceptatur, sint dissimilia. Ecce, in cœna Christus panem fregit sanctum,& cuilibet ante benedictionem calicis partẽ porrexit,& ex vno vasculo, imò ex eodem vino biberunt omnes:& tamẽ Ecclesia Catholica modò non frangit, sed vnum integrum Christi corpus sub forma parui panis post benedictũ etiam calicem cuiq; distribuit, & etiã apud eos, qui schismaticè sub vtraq; specie cõmunicant, non bibunt oẽs de eodem vasculo, imò nec de eodẽ vino. Neque verbum illud à Dño præmissum in cœna: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*; illud euincit: nam id Dominus nõ de ceremonia cõmunionis, quæ post aliquod temporis interuallum facta est, sed de ablutione tãtùm pedum iam facta dixit: & non tam de ipsa ablutionis ceremonia, quæ à multis nõ fit, & sine peccato omittitur, quàm de humilitate ergà fratrẽ, ex qua illa ceremonia proficisci debet. Sic enim solet Dominus non proponere seipsum in exemplum imitationis in his, quæ vel suprà naturam sunt, vt sunt miracula, vel media, & indifferentia existunt, velut ceremoniæ, quas moderandas Ecclesię reliquit: sed in his tantùm quæ per se bona sunt, & sanctificare hominem possunt. Hinc inquit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* &, *Hoc est præceptũ meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* &, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Nec obstat verbum Gregorij: *Omnis Christi actio nostra est instructio*: nam etsi de qualibet Christi actione doctrinam capiamus, non tamen omnia imitamur, quemadmodum nec Sanctos in omnibus. Quia igitur hoc, vel illo modo tradere Sacramẽtum Eucharistię, vel suscipere, ad meram ceremoniam spectat, noluit in eo alios omnes suo exemplo adstringere; quin potius omnibus omnia factus, atq; Ecclesiæ arbitrio hoc relinquens, voluit ipse Dominus aliquos sub altera tantùm specie cõmunicare, vt discipulos duos euntes in Emmaus; quòd videlicet indicaret, eundẽ Christi Spiritũ esse in Ecclesia dispensante nunc vnam speciem calicis, nunc duas: vel vno, & eodem tempore in hac regione tradente vtramq;, in alia verò alteram tantùm: & ita vtriq; eius exẽplo consolarentur: noluit tamen alterutros adstringere ad nõ parendum Ecclesiæ in hac re. Quòd si hoc Christi exemplum volumus aliquo modo vim habere obligandi: hoc tantùm ad Sacerdotes, quales erant Apostoli, quando sumpserunt sanguinẽ, spectare admittimus. Nã porrecto sacro pane

Schismatici etiam sub vtraque specie cõmunicantium ritus.

Ioan.13.

Quis sit sensus eius verbi Domini in cœna: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, &c.

Matth.11. Ioan.15. Luc.9.

Gregorius. Gregorij dictũ: Omnis Christi actio nostra est instructio, quo modo verum sit.

Luc.24.

dictum est eis: *Hoc facite in meam cõmemorationem*: quo verbo, secundùm cõcordem Patrum sentẽtiam, designati sunt Sacerdotes, atq; ita neq; erant laici, neq; agebant personam laicorum, quia illis non præcipitur vt rem sacram faciant, vt illis verbis præceptum fuit. Sacerdotes igitur exemplo Christi arctabuntur ad vtramq; speciem sumendam. Atq; hoc secundùm communẽ regulam, quia in hoc etiam multum valet arbitrium Ecclesię quæ Sacerdotes sub vna tantùm specie,& in pœnã peccati, qua illos ad communionem laicam adegit, communicare solet;& citra pœnã, vt cum Sacerdotes non conficiunt, sed infirmi, vt reliqui communicãt. Græci quoq; per Quadragesimã præconsecratis sine vsu calicis, & Latini in die Parasceues sola specie panis vtuntur. Magis autem Hæretici Christum imitarentur, si se humiliarẽt & subderẽt prudentissimæ matri Ecclesię,& præceptis eius, quẽadmodum Christus matri suæ, & Synagogæ, ac præceptis eius se subdidit. Hæc sunt quæ imitationem poscebant;& non ista, de quibus litigant, cùm ex illis salus non pendeat. Melancthon libro, De vsu integri Sacramenti, vrget, Eucharistiam sub vtraque specie simul,& inseparabiliter fuisse à Christo institutam, atque hoc ipso indicasse, vnamquamque speciem non esse integrum, & perfectũ Sacramentum, sed partem tantùm: ita cùm panis,& vini species exhibentur, tùm demũ & corpus,& sanguis pariter porrigantur, quasi sub vna specie sine altera, neque corpus, neq; sanguis Christi prębeantur,& illius testamentum, sine institutionem immutet,& dimidiatum Sacramẽtũ donet,& Sacramenti dimidiator existat. Sed profectò falsum est, Dominum eodem actu simul, & eodem momento panem, & vinum consecrasse. Sed primò cœnantibus dedit corpus sub specie panis, deinde posteaquàm cœnatũ est, testibus Luca,& Paulo, dedit calicem, & vniuscuiusque speciei confectioni adhibuit hanc clausulam: *Hoc facite in meam commemorationem*: vt ijdem testantur. Deinde illud est exploratum, Dominum duas distinctas materias accepisse, id est panem,& vinũ, & duabus distinctis verborũ formis consecrasse; ergo quælibet species ratione distinctæ materiæ, & distinctæ formæ distinctum est Sacramentum, & duobus distinctis tẽporibus, id est, cœnantibus,& post cœnã confectum. Corporis ergo consecratio, & distributio, quæ per aliquod tempus præcessit calicẽ, perfectum Dei opus fuit; Dei enim perfecta, nõ mutila vel dimidiata sunt opera. Adhæc cũ post cuiuslibet speciei confectionem, & distri-

Luc.22. & 1.Cor.11.

Sacerdotes quando sub vnica tãtùm specie communicent.

Luc.2.

Melancthon quid de hac re scripserit, mendax,& impius.

Christũ duas simul species panis scilicet, & vini nequaquam consecrasse.

Luc.22. 1.Cor.11.

Ibidem. II Ratio.

Deut.32. III. Ratio.

distributionem addiderit: *Hoc facite in meã commemorationem:* euidentem vtriusq; huius diuinæ actionis distinctionem ostẽdit: non enim illa verba post vtramq; speciem porrectam dixit, sed post quamlibet: ergo isti duo actus separati sunt, cũ quilibet eorum suam propriam habeat determinationem.

Iurisperitorũ regula.

Sapienter enim Iurisconsulti docent; In cunctis actibus & dispositionibus eos articulos, quorum quilibet habet suam propriam determinationẽ & clausulam cõcludentem, pro separatis esse habẽdos. Voluit ergo Dominus hac distincta institutione, & distributione nobis indicare, futuris deinceps temporibus in Ecclesiæ potestate situm esse, vel vtramque, vel alteram tantùm speciem, si res ita posceret, dispensare.

Patrum testimonia. *Iulius I ep. 1. de dec 7. & de consecrat. dist 2. c. cùm omne Concil. Bracaren. III. can. 1.*

Et confirmatur hoc Patrum autoritate. Iulius enim I. in epistola ad Episcopos per Ægyptum, scribit (quod postea à III. Bracarensi Concilio ad literam est repetitum) *Illud verò quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium receperunt, vbi Apostolis corpus suum commendauit, & sanguinem. Seorsum enim panis, & seorsum calicis cõmendatio memoratur.*

B. Bernard. Ioan 13.

Et Bernardus serm. de cœna Domini: *Cùm adhuc cœnaretur,* inquit, *à cœna surrexit, discipulorũ pedes Dominus vniuersorum lauit, dehinc ad mensam regressus ordinat sacrificium corporis, & sanguinis sui, seorsum panem, seorsum tradens & vinum.* Hæc ille. Hoc autẽ facto apertè significare voluit Dominus quamlibet speciem Sacramenti totum Christum, & tantundem sub altera, quantum sub vtrâque ad fructum participandum cõprehendi, integrumq; esse spirituale alimentũ.

Idem ep. 69.

Idem Bernardus ad Guidonem Abbatem de Tribus Fontibus, qui celebrando, negligentia Diaconorum, acceperat meram aliquam in calice sine vino: qui rursus super partem hostiæ consecratæ proiecit vinum commune, & ita compleuit Sacramentum, putans se benè facere, & defectum supplere: scripsit tamen ea de re ad Bernardũ: qui respondendo asserit eum benè fecisse, quia illud vinum etsi non ex propria cõsecratione, tamẽ ex tactu hostiæ sacrum fuit, non ita tamẽ vt intelligas verũ fuisse sanguinẽ, seu consecratum: vel quod ab illo loco: *Simili modo posteaquam cœnatum est,* repetenda erat illi Missa. Et adfert Bernardus hanc rationem: *Neque enim dubitauerim de corpore iam consecrato: qui vtiq; iuxta ritum Ecclesia didici ab ipsa, quod & ipsa accepit à Domino: panem scilicet, ac vinum, & simul apponere: non simul tamen ex his sacra conficere. Cum ergo prius de pane corpus, quam de vino sanguis more Ecclesiastico conficiatur: si per obliuionem tardius quod posterius sacrandum est apponatur: non video quid sacris præcedentibus tarditas possit præiugere consequentium. Puto enim quòd si Domino post factum de pane suum corpus vini consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certè penitus omittere, nihilominus corpus mansisset quod fecerat: nec facta facienda præscriberent. Nec nego, panem, & vinum aqua quidem mixtum simul debere apponi, quin potius assero haud aliter debere fieri. sed aliud est, culpare negligentiam: aliud, negare efficaciam. Aliud inquam est quod causamur non benè quippiam fieri: & aliud, quod mentimur nec fieri.*

Luc.

Hæc ille. Potest ergo vna species consecrari sine alia atque distingui: vt meritò Ecclesia in Collectis, quæ ad communionem dicuntur, consecrata illa diuina munera toties in plurali Sacramenta cœlestia, diuina subsidia, & sacra munera, ac mysteria vocet.

Eucharistiæ symbola nequaquam simul, & eodẽ tempore, sed successiuè olim tradita fuisse. *Exod. 16. Infra 17.*

In Veteri quoque Testamento, manna, typus Corporis Domini; & aqua de petra educta, typus sanguinis eius, vt Apostolus testatur; non simul fuerunt exhibita. Nam longè antè dedit manna, & postea intercedente tempore aquam de petra: & in qualibet specie venturum Christum integrum, & indistractum fide spirituali perceperũt. In manna enim erat omne delectamentum, & omnis saporis suauitas, vt ait Salomon: in aqua spiritali eos consequẽte, etiam Christum spiritu sumpserunt, & aqua consequebatur eos per viam, vt ait Rupertus, vel pro voluntate eorum satiabat. Impleuit autem Christus has figuras: & non simul, sed separatim vtramque speciem dedit, & in vtraque se ipsum integrum, & totum porrexit, & vtrumque fructum communicanti sub vna, atq; sub duabus contulit.

1. Cor. 10. Sapient. 16. Rupert. lib. 6. in Ioan.

I Argumenti solutio ab exemplo Ecclesiæ primitiuæ. *1. Cor. 11. Ibidem.*

Ad secundum argumentum, de vsu Ecclesiæ Corinthiorum, qui sub vtraq; communicabant, vt docet Paulus. Et fulcitur hoc exemplum; nã videtur quod mandatũ Pauli haberent; imò Domini ab Apostolo traditum, sic enim ait: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* Cùm ergo hoc Corinthij ex præcepto Apostoli facerent, videtur quod eodem alij ad id teneantur, quemadmodum ad alia præcepta Corinthijs tradita arctantur. Respondemus, eo admisso, quòd Corinthij sub vtraq; specie communicarent; negamus tamen eorũ morem alios obligare: quia hæc res cùm ad ritum & cæremonias spectet, & variæ Ecclesię varios, & peculiares ritus habere possint, certè vna alteram suo exemplo non valet obligare. Quod verò additur de præcepto, vel traditione Domini, falsum est quòd illa traditio de ritu communionis,

quem

quem debebant seruare Corinthij, à Domino fuerit profecta, sed de ijs tãtùm, quæ gessit vel dixit in cœna. Vt ergo ex verbis Matthæi, & aliorum Euangelistarum non euincitur vtriusq; speciei sumptionem de iure diuino laicis esse necessariam, ita neq; ex verbis Apostoli.

Ad illud obiectum: Christus Eucharistiam instituit sub vtraq; specie, illam igitur Ecclesia retinere debet.

Quòd si contendas saltem ex Euangelistis probari institutam à Christo Eucharistiam sub vtraque specie: Respondemus, nequaquam nos inficiari, institutam fuisse à Christo in vtraque specie Eucharistiam: sed multa sunt quæ Dominus instituit, vel verbo, vel facto suo, ad quæ tamen nos cogere non voluit. Nam Matrimonium, & Ordo sacer, & consilia Euangelica quis negare valeat esse instituta Christi? verùm ad illa non arctauit nos, sed liberos nos reliquit ad profitenda consilia Euangelica, vel non profitenda: In nobis situm est cõciliare matrimonium, aut promoueri ad Ordines sacros, si volumus. Institutum est à Deo vinum, vt potus sit hominum; nec tamen omnibus præceptum vt vinum bibant. Institutum fuit à Deo, vt offerrentur Dei Sacerdotibus primitiæ vini, vtique in potu eorum; nec tamen necesse erat vinum bibere. Cum omni etiam victima pręcipitur a Deo offerri certam similæ, & vini mensuram; non tamen præceptum, vt omnis qui de sacrificio ederet, etiam de vino gustaret.

Num. 18.

Infra 28.

Adhæc in vniuersum hoc videtur verum, quòd illa quæ Dominus per se instituit, inuariabilia in Ecclesia Dei existunt, vt sunt præcepta moralia, articuli Fidei, & spectantia ad substãtiam Sacramentorum: alia verò, quæ temporis decursu mutanda erant, vt sunt præcepta positiua, & ritus Sacramẽtorum minimè essentiales, Dominus per se nequaquàm instituit: nam aliàs talia ad ius Diuinum pertinerent, & immutari non possent, sed Spiritus sanctus hæc per Apostolos, & alios maiores Ecclesiæ constituit. Et in hoc genere est ritus ille communicandi sub vna, vel sub duabus speciebus: propterea ab Ecclesia variatus est, & variari potest, sicut alia humana præcepta; ideo à Christo non est institutus. Quamquam verò daremus ab Apostolo fuisse traditum illum ritum: cùm tamẽ merè positiuus sit, potuisset Ecclesia illum mutare: quia Ecclesia habet eundem spiritum, & eandem potestatem cum Paulo.

Inter præcepta, hæc instituta Christi, & illa Apostolorum, & Ecclesiæ, quę sit differentia.

Ecclesia non minorem potestatem habet, quàm Apostolus Paulus.

Ad tertiam obiectionem, de more primitiuæ Ecclesiæ porrigentis sub duabus speciebus, & in qua quia maior erat copia spiritus, magis propterea videtur imitanda quàm Ecclesia, quæ per trecentos annos proximè eam præcessit: Respõdemus, primitiuam illã Ecclesiam non ita Eucharistiam sub bina specie dispensasse, quin aliquando certis de causis, & opportunitatibus sub altera tantũ traderet: nec probabitur vnquã, veterem illam Ecclesiam, tanquàm præcepto Christi mandatam illam consuetudinẽ de duplici specie obseruasse. Vnde fit, vt & Ecclesia nostra primitiuam imitetur, etiam dum vnam tantùm laicis porrigit speciem. Quòd si illam non imitatur in publico, & communi ritu, minimè est inconueniens: tum quia illud exemplum, pſertim in huiusmodi, multo minùs habet vim obligandi quàm illud Christi: tum quia minimè est indecorum, variato statu Ecclesiæ, & variatis temporibus, variari leges positiuas, & ritus: qui licèt sint diuersi à prioribus, possunt esse tamen tam conuenientes suo tempori, quàm illi suo fuerunt.

III argumentum.

Ad illud: Ecclesia primitiua sub vtraq. communicabat.

Quibus de causis ea nostra Ecclesia nequaquam retinuerit.

Quod verò attinet ad tempora, triplicẽ in cœtu Christiano statum Nicolaus de Cussa Cardinalis perpendit: feruentis nimirùm, calidæ, & frigentis. Initio enim fuit Ecclesia ad effundendum pro Christo sanguinem feruens, & tunc data est illi vtraq; species, vt sanguinem Domini bibens, sanguinẽ suum pro illo alacriter funderet, vt docet Cyprian. in epist. ad Cornel. Papam: cuius Cypriani mens eo loco non erat probare, vt daretur denuò vtraq; species, quibus imminebat tyrãnorum persecutio: sed quia lapsi erant in Fidei confessione, asserit illos propter persecutionem imminentem citius esse ad communionem admittẽdos, quàm alioqui fuissent admissi. Hæc autem communio sub vtraq; specie iam antea in illis regionibus laicis dari solita erat, neque ad illam de integro dandam hortatur, sed vsitatum sanguinis potum ad sanguinis effusionem impendentem accommodat. In sequenti statu Ecclesia fuit calida, licèt non ita feruens, & tunc non dabatur bina species, sed panis sanguine infusas, vt ex quibusdam veterũ Patrum sententijs, concilijsque potest colligi. Tertius status est Ecclesiæ frigentis, ac tepidæ, & in ea tantùm altera species, panis scilicet, sine infusione sanguinis laicis dispensatur. Autoritas ergo Ecclesiæ non est in sapientia hominum posita, vt quæratur antiquitas, quę semper visa est sapientia præcellere; sed in interno afflatu, & eruditione Spiritus sancti, qui nunquam Ecclesiæ suæ deesse potest. Quòd si illi innituntur autoritati Ecclesiæ, cur non eandem aduertunt esse pręsentis, aut futuræ autoritatẽ atq; olim fuit? Et ideo his molestis hominibus rectè possemus obijcere cum Apostolo: *Nos talem cõsuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.*

Nic Cussan.

Triplex in Ecclesia Dei status, & quinam ille.

Cyprian. ep. 2 lib. 1. initio.

Alter status.

Tertius.

Ecclesiæ autoritas vnde pendeat.

1. Cor. 11.

IV. argumenti solutio ex illis verbis Domini: Bibite ex hoc omnes. *Matth. 26.*

Præter hæc tria exempla Christi, & Ecclesiæ primitiuæ, atq; Ecclesiæ Corinthiorum, obijciunt cõtra nos verba Christi. Ad quartum igitur, quo proponitur illud verbum: *Bibite ex hoc omnes*, respondemus, sermonem Christi ad discipulos præsentes tantùm, ad literam, fuisse directum: & ideo in eadem cœna, & nocte fuisse impletũ, sicut illud præceptum: *Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullũ cum ea: soluite, & adducite mihi*; & illud: *Colligite quæ superauerant fragmenta, ne pereant*: nam vtrumque, vt habet textus, fuit statim per Apostolos impletum: ita etiam præceptum bibendi. Iuxta pleniorem autem sensum, quo solet Dominus in vno aliquo cæteros alloqui successores: vt agens cum Petro, loquitur omnibus Põtificibus, quia officium perpetuũ, & non personale priuilegium instituebat: iuxta hunc, inquam sensum admitti potest in Apostolis, quos tunc creauit presbyteros, ad omnes eorum in officio successores verba fecisse, de quibus etiam illud quotidie impletur, & in iudicio tandem perfectè erit impletum: *Biberunt ex illo omnes*. Nec ad hoc præstandum adstringuntur omnes Sacerdotes, nisi tantùm qui celebrant. Vnde Paulus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Vbi, vt põderat Ioannes Roffensis, proptérea dixit: *Quotiescunq; biberitis*, quia præceptum de bibendo calice, non est absolutum, sicut præceptum manducandi corpus, cui non additur conditio. Est ergo præceptum sub conditione traditum; vt qui bibituri sunt de calice, bibant in Domini memoriam. Verba enim Imperatiui modi non semper continent præceptum, cuius omissione homo fiat peccati reus. Illis enim interdum precamur: vt, *Miserere mei Deus* &, *Patientiam habe in me*: aliquando consulimus, & cohortamur: vt, *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Sæpè etiam ordinationem Dei citra iussionem significamus, vt cùm dicitur: *Fiat lux. Crescite, & multiplicamini: Sinite paruulos venire ad me. Confirma fratres tuos.* &, *Pasce oues meas.* Sæpè designant voluntatem donandi, vel donationem ipsam potiùs, vt cùm dicitur: *Accipite Spiritum sanctum*; quæ porrigentis potius, quàm præcipientis sunt Imperatiua.

Matth. 21. — *Ioan. 6.* — Verba illa: Bibite ex hoc omnes, vti ad solos Sacerdotes pertineant. *Matt. 16. & Ioan. 21.* — *Marc. 14.* — *1. Cor. 11.* Roffensis martyris ponderatio huius dicti: Quotiescunque bibetis, &c. — Verba Imperatiui modi in Scripturis non semper continẽt præceptum, eorumq; varius vsus. *Matth. 18. Infra 19. Gen 1. & seq. Marc 10. Luc 22. Ioan. 22. Suprà 21.*

Cur Domin' corpus suum tradens Apostolis non dixit, Accipite, & comedite hoc omnes: sicut de sanguine dixit.

Quòd verò in distributione calicis Dominus dixerit: Bibite ex hoc omnes, in panis verò dispensatione in Euangelio nõ dixit, nisi: *Accipite, & comedite* (etsi Ecclesia adiungat: *Ex hoc omnes*) illud fuit in caussa, quòd panem in duodecim partes diuiserit, ac vt quisque suam partem acciperet, proposuerit: at poculum vnum porrexit, à se prius benedictum, & degustatum: voluitque vt modestè quisque hauriret, vt posset omnibus duodecim sufficere. Quod si quisquam pertinacius contendat, verbum, *bibite ex hoc omnes*, dictum esse ad omnes laicos fideles, præterquam quod absurdum est, præceptum ea nocte factum, ad omnes qui non erant præsentes, aut needum erant in rerum natura, cogetur ad eosdem esse dictum confiteri: *Hoc facite in meam commemorationem*: atque ita omnes laici essent verbo Christi Sacerdotes instituti: quòd esset longè ab omni prudentia, & ratione semotum. Vt meritò in eos Æneas Siluius scripserit in lib. de origine Bohemorum, visa infirmitate argumenti ex illo verbo Domini sumpti, omnino locũ illum deseruisse, & testimonio verborum Domini apud Ioannem: *Nisi manducaueritis, &c. & biberitis, &c.* nixos fuisse.

Æneas Siluius lib. de origine Bohemorum, c. 35. — *Ioan. 6.*

Quintæ obiectionis solutio. *Luc. 22. & 1. Cor. 11.*

Ad quintum, in quo vrgent verbum: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod vt Christus instituit, & porrexit sub duabus, ita & Sacerdotes debẽt sub duabus facere, & sub duabus porrigere, & alij sub duabus sumere. Dicẽdum est, quòd etsi Dñs Sacramenta nõ solùm in rem, & vtilitatem duodecim Apostolorũ, & eorum, qui illis erãt legitimè successuri, instituerit, sed generatim in omnium Christianorum sempiternam salutem: tñ solos Apostolos, & eorum successores voluit esse peculiares ministros & cõfectores Sacramentorum suorum, vt ipsius vice diuino, & omnipotenti verbo panem sanctificent, & offerant, & prudenter administrent: atq; vt nõ solùm rem illã diuinam, quæ ibi continetur, integrè obtineant, sed etiam fideles non nisi piè, & religiosè in salutem, ex ipsorum manibus Sacramenta percipiant. Atq; hæc est causa, cur tres priores Euãgelistæ Dominum solum cum duodecim Apostolis discubuisse referunt, & nõ cum alijs discipulis: & ideo nullus præter Apostolos hanc benedicendi Eucharistiam potestatem accepit, & illos, qui eis legitima ordinatione succedunt, vt tradit Clemens in lib. constit. Apostolicarum, & Chrysost. lib. de Sacerdot. Ambros. libro vnico de dignitate Sacerdotali, & Bernard. serm. in cœna Domini, qui incipit: *Panem Angelorum*. Quando etiam dedit potestatem remittendi peccata apud Ioannem, soli Apostoli erant congregati: sicut ergo non omnium est prædicare vel baptizare, vel pascere; ita nec peccata dimittere, aut conficere Eucharistiam, sed ad solos legitimos ministros, Sacerdotes scilicet, & Episcopos spectat: Cũ igitur illis verbis potiùs facultatẽ tradiderit consecrandi, offerẽdi, & di-

Ad cœnã agni Paschalis à Domino cum Apostolis tantũ admissi, non alij sunt. *Clem. Roma. lib. 8. c. vlti. co st. Apost. Chrys. lib. 6. de Sacerdot. tom. 1. Ambr. lib. de dignitate Sacerdotali, c. 1. tom 4. Bernard. Ioan. 20.*

& dispensandi Eucharistiam: nullum aliud ius laici ex his verbis, Hoc facite in meam commemorationē, habere possunt, quàm vt à Sacerdotibus sacrificantibus piè ac deuotè petāt, & accipiant Eucharistiam, quacunq; ratione illis placuerit porrigere, siue speciem vtramque, siue alterā. Nam in mādatis quę dātur, nil refert quid ex æquipollentibus fiat, nec interest num mandatum hoc modo, vel breuiori compendio fiat, dummodò idem sequatur effectus: nec tam anxiè de via, quàm de meta cogitandum est. Debet enim esse dispensator fidelis, & prudens. Ideo mandatum non tam ad externas tritici, & vini species porrigendas, quas huius Sacramenti corticem, & furfurem Bernardus super Cantica vocat; quam ad rem ipsam cōtentam sub speciebus, quæ integra est sub altera specie, referendum est. Et Dominus magis docet respiciendum ad finem, & scopum huius mandati, quàm ad ipsa verba: hinc inquit, Sabbatum propter hominem factum est, & nō homo propter Sabbatum: & tamen Dominus in eo præcepit Paralytico grabatum portare. Sunt igitur duo Domini pręcepta, alterum post consecratum, & porrectum panem, absolutum quidem, & nulli conditioni innitens: Hoc facite in meam commemorationem, hoc scilicet quod ego feci, facite etiam vos; aut hoc quod nunc fecistis, facite postea in mei memoriā: aut potiùs vtrumque demōstrat, quasi dicat, Hoc quod iam fecimus, facite & vos postea in meam commemorationem. Et ex ea parte qua pronomen demonstrat, quod fecerunt Apostoli qui ederant, & sumpserāt Dominicum corpus, præceptum pertinet ad omnes, & ita interpretatur Apostolus, dum ad Corinthios scribens, ait: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, quod dixit, explicando illa verba: *Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Idcirco vsus est coniunctione causali, *Enim*, & ita explicant Patres aliqui, vt Basilius in moralibus: *Quia ratio, quamobrem corpus Domini manducari, & sanguis bibi debeat, commemoratio sit obedientiæ Domini vsque ad mortem: vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus sit, & resurrexit.* Quod dictum probat ex verbis Domini: *Hoc facite in meam cōmemorationem.* Cyrillus quoque in Ioannem: *Quod mystica benedictionis communio, resurrectionis Christi quadam confessio est, verbis ipsius probatur. Fractum enim panem distribuebat, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Participati igitur mysterij vera quadam confessio, & commemoratio est, quod propter nos, & pro nobis Dominus & mortuus sit, & reuixerit, & diuina nos benedictione propter hoc replet.* Ecce quomodo Basilius, & Cyrillus sub verbo, *Facere*, sumptionem Sacramēti comprehendunt: quatenus verò pronomen, Hoc, demonstrat, quod Christus fecerat, id est, benedicere, & offerre, ad Apostolos, & eorum in sacerdotio successores tantùm illud præceptum spectat. Quare beatus Thomas tertia parte, ex eo verbo probat, iure diuino Christianis adultæ ætatis præceptam Eucharistiæ sumptionem. Et idem ex eodem verbo probat datam esse potestatem Apostolis cōsecrandi Eucharistiam. Alterum præceptum post sacratum, & exhibitū calicem fuit à beato Paulo indicatum, conditionatum tamen: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem:* quo verbo non absolutè iubetur bibitio de calice; sed præcipitur, vt dum bibitur, eius memoria recolatur. Et simile olim fuit de esu agni, qui simpliciter omnibus præceptus fuit: at bibere vinum in cœna agni, licebat quidem volenti, & quidam sumebant, sicut ex ipsa cœna Dn̄i nouissima colligi potest: præceptum tamen Domini nō erat. Alioqui Rechabitæ à vino penitùs abstinentes, & ob id à Domino laudati, grauiter peccassent, & non licuisset alicui esse Nararæum perpetuò, quia perpetuam vini abstinētiam promittebant: quod tamen ex historia Samsonis, & Iacobi fratris Domini falsum esse constat. Cur autem non perinde præcepit bibere de calice, atque edere de pane sanctificato, non caret ratione. Primò, quia nō conueniebat sub specie vini, sanguinis Domini sumptionē tanquam necessariam pręscribi ad vitam nostram spiritualē, & corporalem futuri seculi alendam. Ex vino enim non intelligitur, quòd, vt viuamus spiritualiter, egemus Domini sanguine, quia plurimi homines corporalem vitam, & sanam, & robustam absque vini esu ducunt: at omnes intelligunt, neminem absq; pane vitā corporis sustinere posse. Deinde quia Christus solet Sacramēta sua, quæ tanquam necessaria præcipit, in rebus obuijs, & quibus communiter homines vtuntur, commendare, vt baptismum in aqua: at vinum in plerisque locis non nisi cum difficultate magna, & à diuitibus habetur, & habitum cōseruatur, vt in omnibus Aquilonaribus populis, qui ferè sunt innumeri, & possent putare se curæ Deo non fuisse, aut sua nulla culpa tanto Sacramento priuatos fuisse. Tertiò accedit quòd defectu naturæ plurimi abstemij sunt, à vino omnino ab-

In mandatis quid solū requiritur vt fiat.

Eucharistiæ species, panis scilicet, & vini, quid Bernardo.

Bern. serm. 33 super Cant. ante med.

Marc. 2.

Ioan. 5.

1. Cor. 11.

Basil. in moralib. reg. 21. c. 3. tom. 2. Philip. 2.

2. Cor. 5. Cyril. lib. 12. in Ioan. c. 58 prope initiū, tom. 1.

Luc. 22. & 1. Cor. 11.

B. Thom. 3. p. q. 80. art. 11. tom. 12. Idem ibidem. q. 82. art. 1.

1. Cor. 11.

Exod. 12. & seq.

Rechabitarū abstinentia. *Ierem. 35.*

Cur laicis minimè pręscribi debuent sanguinis Christi communicatio.

II. ratio.

III. ratio.

horrentes: qui etiam à Christo viderentur neglecti. Vt omittam quod in tanta populorum, puerorum, muliercularum,& senũ turba ob inconsideratam sumptionẽ, periculum ingens esset effusionis. Ob quas rationes, quæ magni ponderis sunt, Christus Dei Sapientia nõ præscripsit bibere de calice absolutè, sed vt, dum biberent, præcepit, vt in eius memoriam biberent.

Quarta & vltima.

1. Cor. x.

In verbis ergo Domini, quæ dato calice dixisse Dominum docet Paulus: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis in meam cõmemorationem.* Hoc, refert tantùm bibitionem: & verbo, facite in mei memoriam, bibitioni modus præscribitur. Paulus namq; ex verbis Dñi decerpserat quod suo proposito seruiebat, ad detestandam indignam Corinthiorum communionem, qua in profana mensa saturi, vel ebrij neglecto pauperum pudore sine eleemosynis, & absque sui probatione tremendis mysterijs communicabant: de consecratione verò, vel oblatione, quia in eã abusus non irrepserant, nihil tradit. Etsi ergo in mẽsa Dominica exhiberetur calix: volentes tamen (qui abstemij essent) religiosè abstinebant. Non enim cùm inuitati sumus, oĩa fercula proposita degustamus, & à vino sæpè abstinemus. Tẽpore Cypriani, vt ipse docet, quidã baptismũ sola aspersione aquę collatum, non immersione, ceu mutilũ, & mãcum, quod ad ipsam speciem à Christo institutam attinet, impugnârunt: nec deerat ratio verbi gręci βαπτειν, siue βαπτίζειν, quod immergere, non aspergere, vel intingere significat, & verbum Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto:* & ratio ex Pauli verbis ad Romanos sumpta, ex qua per immersionem, Christi mortẽ, & passionem; per emersionem, resurrectionẽ significari docet: & tamen Cyprianus illos ita sentientes impugnat, & sufficientem ad salutem, docet esse baptismũ per aspersionem collatum; etiamsi externus baptismus à Domino institutus, nõ exactè, & integrè celebretur, eo quòd sic baptizati æquè à vexatione, ac impugnatione dęmonis liberẽtur, sicut baptizati per immersionem. Canon Apostolorum 49. mandat Episcopo, & Presbytero trina immersione baptizare; aliàs gradu deponantur. Tertullianus lib. aduersus Praxeam, post medium: *Nouissimè,* inquit, *mandans vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Et alibi: *Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quàm Dominus in Euangelio determinauit.* Idem docent Ambros. Aug. & Pelagius Papa ad Gaudẽtium Episcopum, vbi asserit hoc esse pręceptum Euangelicũ,

His verbis: Hoc facite, quotiescũq; biberis, in meam cõmemorationẽ: duo obseruãda sunt.
1. Cor. xi.

Mos cõuiuarum laudabilis.

Cypria. lib. 4. epist 7.

Baptismus sola potest aspersione conferri, secundũ Cypria. & alios.
Ioan. 3
Rom. 6.

Tertull.

Idem li. de corona milit is, propè init.
Ambr lib. de Sacram. c. 7. tom 4 à medio.
Aug hom 4.
Pelag. Papa de consec d 4 c. multi sunt.

atque hoc ad asserendam fidem Trinitatis contra Iudæos, & Sabellianos. Tamen satis esse vnam immersionem, docet Gregorius Magnus epistola ad Leandrum, & Concilium Toletanum IV. vt significetur vnitas Deitatis & substantię contra Arrianos. Vides igitur, quomodo Ecclesiæ praxis tradat veram intelligentiam, & obseruationem institutorum Christi.

Gregor. lib. 1. Registr. epist. 41. tom. 4.
Concil. Toletan. IV. c. 5.

Ad sextum, in quo vrgent verba Domini: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* fusissimè disputatum fuit præcedẽti libro, ad quem lectorem veri studiosum & cupidum mittimus. Hîc tamen ne nihil dicere videamur breuissimè, & clarissimè resoluitur hic locus, & nihil habent ex illo hæretici, quo vtramq; speciem stabilire valeant. Nam vsu sensu Lutherus, Oecolampadius, & cæteri hæreticorum nostri seculi antesignani asserunt, contentioseq; decertant, nullum extare in toto illo capite verbum, quod necessario ad Sacramentum Eucharistię referendum sit. Quare si hoc verũ est, nullius erit ponderis aut roboris argumentum ex verbis huius loci desumptum. Deinde validè respondetur, eo etiam dato, quòd in multis sententijs eius capitis manifestè Dominus loquatur de Sacramento Eucharistię, vt superiori libro, cũ in illud caput cõmentaremur, testatũ, & comprobatum ferè ad satietatẽ reliquimus; quod hic repetere, esset actum agere; adhuc illis verbis non præciperetur, vtramq; speciem esse necessario suscipiendam, sed vel alterã, vel vtramq;, prout Ecclesia ministrauerit. Quod vt apertiùs ostẽdam, præmitto, in prædictis Christi verbis, non fieri mentionem de mãducatione vel ferina, quã intelligebant Capharnaitæ, vel purè Sacramentali, quã facit peccator accedens ad hoc Sacramentum, & quã fecit Iudas, si participauit corpori & sanguini Domini, vt multi Patres Catholici tradunt, siue illam contingat sub vna specie, siue sub duabus celebrari, siue à laico, siue à Sacerdote. Neque loquitur de manducatione purè spirituali, vt necessariũ sit, his modis edendi exclusis, intelligi de esu spirituali in Sacramẽto, siue sub duabus, siue sub vna specie ab Ecclesia ministrato. Declaro breuiter, & sigillatim propter rudiores, & minùs capaces, singulas has mãducationes. Mãducatio ferina illa est, quam in carnibus arietinis, siue bouinis, seu ouinis facimus, & qualem sibi fingebant rudes Capharnaitæ: at illa fœda erat, & propria anthropophagorum, & impossibilis. Nam Christus à paucis hoc modo mãducatus vniuersis mundi hominibus nõ sufficeret: hanc ille reiecit,

Solutio VI. argumenti ex verbis Ioan. Nisi biberitis sanguinem Filij hominis, &c.
Lib. 8.

II Solutio.

Explicatur locus Ioan: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.
Ioan. 3.

Manducatio ferina quæ sit.
Ioan. 6.

Ibidem.

Quæ verò manducatio purè Sacramentalis.

cùm dixit: Spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quicquā. Manducatio purè Sacramentalis est illa, qua quis sine spiritu fidei ac dilectionis ad hoc Sacramentū accedit, indignè māducans, & bibens corpus, & sanguinem Dñi. Hæc autem perinde fieri potest in vna atq; in duabus speciebus. De hac autē non loquitur Dominus, quia purè Sacramentalis non confert vitam, quam tamen Dominus ponit facere sui māducationem, & vitā æternam, & in ipso mansionem, & corporum resurrectionem præstare. Igitur purus esus Sacramenti in vna, vel duabus, nō est ille esus, quem hîc Dominus commendat, atq; exigit. Tertiò, minus intelligi potest de purè Spirituali, id est, quæ nullā habeat relationem ad Sacramentum, siue actu, siue voto susceptum: quia tunc vniuersi Patres falsi essent, Ecclesiamq; suis expositionibus, & commentarijs seduxissent, qui has Domini sententias in illo capite contentas ad Eucharistiam referūt, & referendas esse necessariò docent, & ad hæreses expugnādas eius capitis verbis de Eucharistia intellectis vsi sunt.

Ibidem.

Manducatio purè spiritualis.

Verba proposita: Nisi manducaueritis, & biberitis, &c. quæ de sola manducatione, & bibitione spirituali accipienda sunt.

Exclusis igitur illis tribus manducandi modis, superest tantùm, vt de manducatione spirituali, quæ in fidei, & dilectionis spiritu cōsistit, & in hoc Sacramento actu, vel voto suscepto exerceri potest, & nō minùs in vna, quā in duabus specieb⁹ intelligatur. Est enim spiritualis manducatio huius Sacramenti, non sumere speciem panis; sicut nec bibitio spiritualis huius Sacramēti est, sumere speciem vini: quia vt hæc est bibitio Sacramentalis, ita illa māducatio Sacramētalis. Sacerdos etiā fructuosè bibens calicē Domini, sine dubio spiritualiter manducat, quia ipse manet in Christo, & Christus in eo. Laicus quoq; dignè manducans speciem panis, etiā spiritaliter bibit, ob delectationē, & recreationem spiritualem, quā percipit. Manducatio ergo, & bibitio spiritualis, non est referenda ad ipsas species Sacramenti, sed ad ipsum spiritū exercentem actū fidei, & dilectionis in qualibet specie Sacramenti, nam in qualibet manducat, & bibit spiritualiter. Etsi enim in qualibet specie nō sit cibus, & potus Sacramentalis, sicut nec corporeus: est tñ manducatio, & bibitio spiritualis, si rectè sumatur. Quare Dominus in hac sententia prudenter abstinuit à verbis Panis, & Calicis, quibus significatur Eucharistia in duplici specie iuxta tres Euangelistas, & B. Paulum, & tantùm dixit: *Nisi manducaueritis carnem, & biberitis sanguinem*: quòd videret per illa induci necessitatem vtriusque speciei sumendæ cum fide viua. Per hæc autem reliquit liber-

Laicus dignè manducans corpus Domini, idem etiam vt bibat sanguinem eius.

Quare Christus non dixit: Nisi manducaueritis panem Filij hominis, & biberitis eius calicem, &c. *Matth 26.*

tatem Ecclesiæ vtrouis modo faciendi prout Spiritus sanctus afflatu suo pastoribus Ecclesiæ pro locis & temporibus significaret, vt fecit: nā & alteram tantùm, & vtranque porrexit, & porrigendo siue vnam, siue duas, vtroque modo inuenitur manducatio, & bibitio spiritualis, quæ vitam confert, & salutem parit sempiternam. Cōsultò etiam non dixit: Nisi porrexeritis panem, & propinaueritis calicem, non habebitis vitam in vobis; ne Sacerdotes ad vtrāque speciem dispensandam obligaret. Nec his contradicit, quia ex prædicto sensu manifestè sequitur, quòd non possit quis seruari sine actuali cōmunione, quia dictum est manducare carnem, & bibere sanguinē, esse spiritu, & dilectione sumere ipsam Eucharistiam siue in vna, siue in duabus speciebus: dicimus enim id non sequi. Nā vt Dominus, cùm dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*, verum dixit, quia communis regula ita habet, quāuis contingat aliquē sine baptismo seruari, nō tamen sine voto, vel voluntate baptismi: ita necessarium est Sacramentum actu suscipere, quomodocunq; ab Ecclesia porrigitur, & hoc ferè fit. In necessitate tamen aliqua satis esset votum communionis, & tunc non derogatur veritati legum, & enuntiationum, q̄ vniuersales regulas tradunt, & vt plurimum loquuntur.

Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. et 11

Cur idē Dominus non dixit: nisi porrexeritis panem, & propinaueritis calicem: sed Si manducaueritis. &c.

Ioan. 3.

Neq; rursus mireris, manducationem, & bibitionem spiritualem posse contingere, vel in sola specie panis, vel in sola specie vini: quia Scriptura Leuitici sanguinem omnis animalis prohibet sumi in cibum: Omnis, inquit, anima, quæ ederit sanguinē peribit de populis suis: & tamen constat, sanguinem potiùs sumi in potum, quàm in escam. Et Cypria. serm. de cœna Domini in initio: *Manducauerant*, inquit (scilicet maiores nostri) *& biberant de eodem pane secundùm formam visibilem: at quomodo bibere poterant patres manna, cùm propriè non esset potus, sed esca. Intelligo autem, quòd spiritualiter in manna manducabant, & bibebant.* Augustinus in Psalmum 33. asserit, nos manducando crucifixum, & bibendo, illuminari: & Deus in cælesti visus patria, dicitur cibus, & potus, nimirùm spiritualis, pariēs spiritualiter effectus cibi, & potus, iuxta illud: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibūt me, adhuc sitient.* Et iterum Dominus: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meā in regno meo.* Sicut igitur Christus visus, & lumine gloriæ apprehensus, spiritualem nobis escam, & potionem præbet; ita idem sub qualibet specie contentus, spiritualem nobis pastum præstat, &

Manducationem, & bibitionem spiritualem in sola specie panis, vel in sola specie vini posse contingere, vnde manifestum fiat.

Leuit. 7.

Cyprian.

Aug. tom. 8.

Fideles manducando crucifixum, & bibendo, illuminantur, secundùm August.

Eccles. 24.

Tob. 12.

Luc. 22.

Euseb. Emiss. de Pascha. homil.5.propè initium.

potum. Hinc Eusebius Emissenus ad spiritum respiciens, ait: *Sacrum Dei tui corpus, & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiore assume.* Et Augustinus: *Illud*, inquit, *manducare refici est: sed sic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris. Illud bibere, quid est, nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita.* Hæc ille,

Aug. serm.1. de verb. Apostol. initio, tom.10.

Soluitur septimũ argumentum de morte Domini annuntianda. *1. Cor. 11.*

Ad septimum de verbis Pauli, & morte Domini annuntianda, respõdemus, Christum apertè docuisse contrarium, nempè esu corporis solius annuntiari mortẽ Domini, cùm dixit post exhibitũ corpus. *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo non minus per corpus, quàm per sanguinem, Christi recolitur memoria. Vnde Paulus, cùm dixit post illa verba: *Hoc facite quotiescunq; bibetis, in meam cõmemorationem*, subdit: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, coniunctio illa, *Et*, repetitionem dictionis *Quotiescunque*, indicat, ita vt coniungat propositiones, non terminos, vt sit sensus; Quotiescunq; mãducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis: & quotiescumque bibetis calicem hunc, mortem Domini annuntiabitis. Sic infra idem Paulus habet: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, scilicet probatus, & similiter probet seipsum homo: *& sic de calice bibat.* Vnde in opposita sententia vbi agitur de indignè communicantibus iuxta Græcam literam, per disiunctiuam loquitur; itaque quicumque manducauerit panem, vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Vbi disiũctione illa indicat potuisse separari cõmunionem, & aliquos indignè potuisse sumere corpus, & non indignè sanguinem, aut contra: quia aut vna species citra alterã sumebatur, aut tanta erat dilatio inter vtramq; sumptionem, vt in magno populo prius sumeretur corpus, quàm vllus communicaret de sanguine: sicut in cœna nouissima Christi cœnantes Apostoli prius sumpserũt corpus omnes, antequam esset sacratus sanguinis, qui post cœnam est confectus, & exhibitus. Satis igitur per cuiuslibet speciei sumptionem recolitur corpus Christi pro nobis morti, & cruci datum, & tanti amoris flamma inardescimus: & ita Sacerdos die Veneris sancti celebrãs, & sumens vnam tantùm speciem dignè, annuntiat Christi mortẽ. Et Innocentius VIII. Noruegijs concessit in sola panis specie sacrificare ob inopiam vini, & ita Dominicę mortis memoriam annuntiare.

Matth.26.

Sacerdos quãdo sub vna tãtùm specie conficit Eucharistiam. *Innoc. VIII.*

Ad octauum verò argumẽtum ex eiusdem epistolæ Pauli verbis productũ: *Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, quod non solis presbyteris, sed toti Ecclesiæ Corinthiorũ scripsit Paulus. Sed vt superiùs admonuimus, sicut exẽplum Ecclesiæ Corinthiorum nihil arctat Ecclesiam nostram præsentem; ita etiã neque verba quæ ibi Apostolus tradit declarando Domini institutionem in cœna factam, & abusus qui irrepserant corrigẽdo, quòd anticiparent cœnam Domini; quòd indignè manducando, iudicium sibi manducarent, & biberent. Et tamen illis verbis asserit, quòd pro illorum temporũ ratione accepturi erant corpus Dñi, & sanguinem, vt prius videlicet se probarent, atq; explorarent, ne in iudicium suum facerent, ideo dixit: *Hoc facite quotiescumq; biberitis, in meam commemorationem.* Et sequitur: *Quotiescumq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*, & reliqua. Non ergo iubet absolutè; sed quando manducandus est panis, & bibendus est calix, ostendit quo pacto salutariter edatur, & bibatur. Atq; ita accipienda est cõiunctio, *Et*, in illis verbis: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*: pro eo quod est, vel de calice bibat. Quod probat id quod inferius ait: *Itaq; quicunq; manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè*, vbi Apostolus disiunctiua vtitur, non copulatiua, loco cuius Ambros. legit, *Aut*, & Græcè dicitur ἢ, quæ particula apud Græcos disiungit: & hic locus posterior alterum priorem Pauli interpretatur. Nec dubium quin mens Apostoli sit, quòd licèt is, qui indignè edit & bibit corpus & sanguinem Domini, reus est vtriusque & corporis & sanguinis; ita ècõtrario, qui vel dignè edit corpus, vel bibit sanguinem, vitam sibi mãducare, & bibere. Et vt Labeo, Paulus, atq; alij Iurisconsulti docent, compertum est, coniuncta pro disiunctis accipi, & præsertim Et, capitur pro Vel, quãdo coniuncta re ipsa vnum sunt, aut si de re ipsa, vel argumento, de quo agitur, aliud indicare æquum sit. Porrò panis consecratus re ipsa tantundem continet, quãtum calix consecratus, & vice versa; eiusdemque est efficientiæ, ac fructus.

VIII. argum. diluitur ab exemplo Ecclesiæ Corinthicæ sumptum. *1. Cor. 10.*

Expeditur id dictum Apostoli: Quotiescumque enim mãducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, &c.

Ambr. tom. 5.

Labeo, Paul. Iurisconsulti.

Nonum argumentum ex Apostolo desumitur: *Omnes*, inquit, *eundem potum spiritalem biberũt de petra quæ erat Christus*: Ergo & nunc oẽs debent bibere de calice Domini per aquam illam profluentẽ designato. Respondemus, Apostolum ibi ex figura docere Sacramenta omnia, Christi baptismum, & corpus, & sanguinẽ Domini communia esse bonis, & malis, neque ex eo quòd omnes Christiani baptizati sunt, & fruuntur

IX. argum. dissolutus, *1. Cor. 10. Exod. 17.* Iudæi vt biberint de spiritali petra Christo, secundũ Apostolum.

corpo-

corpore, & sanguine Domini, consequi, omnes Deo placere, vel saluos fore. Ex quibus sequitur fuisse præceptum, vt omnes de Domini Calice bibant. Imò antequàm aquam de petra eductam gustarēt; & postquàm ea vti desierunt, māna constat edisse: manna enim aliti sunt vsq; ad Iordanis transitum. Iosue 5. & Exod.16. at cap.17. scribitur aqua de petra educta, cùm venissent in Raphidim: & iterum Numer.20. & Nume.21. Deus dedit aquam eis ex puteo, & in Regno Seon, & Og, & aquam de puteis haustam biberunt. Ad hæc manna iussit asseruari, & reponi coram Domino, & absque putredine conseruari, vt ostenderet quo cibo nutriuisset filios Israel, cùm aquam miraculo productam nec asseruari iusserit, fortè ad figurandum, fideles corpori Domini sub specie pastus, plusquàm sanguini sub specie vini communicaturos. Atque hæc sunt potiora Hæreticorum argumenta: quæ quàm sint parui ponderis, & firmitatis, acutus, & prudens Lector diiudicabit: minutiora, leuioraque prætermitto, quæ quisque per seipsum absque opera nostra facili negotio dissoluere potest. Habemus igitur Catholicum horum locorum Scripturæ intellectū, & amplam manducandi, & bibendi carnem, & sanguinem Domini ad vitam, & salutem expositionem, per quam fit, vt præcepto Domini satisfaciamus, siue quis sumat aut vtranque speciem, siue vnam tantùm, siue nullam, sed necessitate, aut infirmitate aliqua oppressus, votum tantùm habeat Sacramenti, aut oblatum Sacramentum adoret, & ob periculum vomitus, actu non suscipiat: nam his omnibus contingit māducare, & bibere spiritualiter carnem, & sanguinem Domini, quomodocunq; contingat Eucharistiam ab Ecclesia laicis administrari, quæ regitur Spiritu Iesu Christi Domini nostri, cui cum Patre & Spiritu sancto sempiterni tribuantur honores, laudes, & gratiarum actiones ab vniuersa creatura, Amen.

Quibus mòdis manducare quis & bibere spiritaliter possit corpus & sanguinem Domini.

TRACTATVS XXXV.

In quo Communio sub altera tantùm specie, quam Ecclesia laicis dispensare consueuit, sancta, atque idonea, salutarisq; euincitur, atque confirmatur.

AD firmandam consuetudinem Ecclesiæ, qua laicos sub specie panis tantùm communicare solita est, multę suppetunt, atque illæ quidem magni ponderis rationes. Nam inprimis vt à firmissimo & ineluctabili argumento initium dicendi sumamus, constat fuisse tria Generalia Concilia in medijs ipsius Germaniæ visceribus celebrata, in quibus magno Patrum cōsensu hic articulus definitus; & anathema in contrarium asserentes pronuntiatum: Sancta est igitur, licita, & ad salutem idonea Sacramenti perceptio sub vno tantùm panis symbolo. Constat autem inuictam esse Conciliorum Generalium in Ecclesia autoritatem: & iniuriam facere Spiritui sancto, non solùm qui eius decreta spernit, aut abrogare contendit, sed etiam illum, qui eius monitis, atque institutis parēre recusat. Concilia hæc sunt; Constantiense, Basileense, & Tridentinum. Primum Sessione 13. initio ferè, in huncmodum statuit: *Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub vtraque panis, & vini specie suscipere, & non solùm sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum paßim communicent, etiam post cœnam, vel alias non ieiuni, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquàm sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est, quòd hoc præsens Cōcilium sacrum Generale Constantiense, in Spiritu sancto legitimè congregatum, aduersus hunc errorem saluti fidelium prouideri satagens, matura plurium Doctorum tam Diuini, quàm humani iuris deliberatione prahabita; declarat, decernit, & diffinit, quòd licèt Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub vtraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; tamen, hoc non obstante, sacrorum Canonum autoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat; quòd huiusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesia concesso, vel admisso. Et sicut hæc cōsuetudo ad euitandum aliqua pericula, & scandala est rationabiliter introducta, quòd licèt in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specii, posteà à conficientibus sub vtraque, & à laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur; cùm firmißimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter cōtineri. Vnde cùm huiusmodi consuetudo, ab Ecclesia, & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutißimè obseruata sit; habenda est pro lege, quā non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ autoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hāc cōsuetudinem*

I. ratio.

Conciliorū Generalium autoritas quanta sit. Hæretici iniuriam Spiritui sancto faciunt dupli ci nomine.

Concil. Constantiense.

tudinem, aut legem obseruare, sit sacrilegum, aut illicitum, censeri debet erroneum: & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & grauiter puniendi per diœcesanos locorum, seu officiales eorum. Hæc sanctum Concilium Constantiēse, in quo, vt testatur Dominus Ioan. Groppeius, fuerunt quinque Patriarchę, triginta tres Cardinales, quadraginta septem Archiepiscopi, centum viginti octo Episcopi, ducenti decem & septem Theologi, trecenti sexaginta vnus Iurisperiti. Quæ propterea à me fusiùs citata sunt; vt intelligas quātum pugnet sancta Synodus pro consuetudine Ecclesiæ, & illam reprehendentes, táquàm hæreticos puniendos esse censeat. Accedit Concilum Basileense Sessio. 30. *Decernit, & declarat eadem sancta Synodus, quòd fideles laici, siue clerici communicantes, & non conficientes, non adstringuntur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub vtraque specie, panis, scilicet. & vini, sacrum Eucharistiæ Sacramentum.* Hæc ibi. Cumque Bohemi se huiusmodi Conciliorum decretis rebelles ac refractarios præstitissent, vsurpantes communionem sub duabus speciebus: bis Principes Germaniæ ad illos debellandos arma sumpsēre, hortatore Cardinali Iuliano sancti Angeli, Apostolicæ Sedis Legato, doctissimo pariter, & gerendarum rerum prudentia ornatissimo viro: quanquàm bellum satis feliciter non successeris. Quod ob id est à me hoc loco adductum; vt intelligant Germani, qui pro vtraque specie assequenda, bellum nostris seculis Ecclesiæ Catholicæ, & Imperatori Christianissimo Carolo Quinto indixerunt; quod sanè illis accidit infeliciter, quàm sint longè à sincera, & antiqua suorum progenitorum fide & religione. Ad hæc Synodus Tridentina sessio. 21. in hunc modum statuit: *Si quis dixerit, ex præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, sumere debere; anathema sit. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt laicos, atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.* Hæc ibi. Aurea porrò, & notatu digna est sententia Marciani Imperatoris, quam post definitionē Concilij Chalcedonensis pronuntiauit. *Verè impius, & sacrilegus est, qui post Ecclesiæ, & tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum rèliquit:* Sic sanè Augustinus Cyprianum docet non esse hæreticum in eo quod censebat rebaptizandum, quia necdum fuerat vniuersalis Ecclesiæ, & plenarij Concilij consensu dogma rebaptizationis reiectum. At Donatistæ quia consensui Ecclesiæ repugnabât, inter hæreticos meritò sunt annumerati: *Quia hoc manifestißimum schisma est* (ait Augustinus) *quod Donatistarum nomine nuncupatur, restat vt hoc de baptismo piè credamus, quod vniuersa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit. In qua tamen si aliud alij; & aliud alij de ista quæstione salua pace sentirent, donec vniuersali Concilio vnum aliquid eliquatum, sincerumq́, placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis.* Sic ille doctissimus Pater. Et similia de communione sub vtraque specie poterant dici de his quę scripserunt ante Concilium Constantiense: nunc verò non est licitum tale quid sentire citra apertam hæreseos notam.

Margin: *Ban. Grop. pesus.* — *Concil. Basileen.* — *Synod. Trid. sess. 21. Can. 1. & 2.* — Marciani Imp. Christianissimi aurea planè sententia. — *Aug. lib. 2. de baptis. contra Donatist. c. 4 tom. 7.* — *Idem lib. 1. de baptis. contra Donatist. c. 18. initio.*

Deinde alia ratione possumus hoc idem argumentum constabilire: & posito quod rationi, & prudentiæ maximè est consentaneum, nimirùm certa pro incertis non esse relinquenda: ita enim olim scripsit doctissimus Pater, & prudentissimus Innocentius III. ad Patriarcham Constantnopolitanum, dicens: *Ecclesia Romana non tam cōstitutione Synodica, quàm diuina caput & mater omnium Ecclesiarum existit: ideo nec pro disparitate rituum, nec dogmatum diuersitate differre debueras, quin nobis sicut capiti; secundùm antiquum & Canonicum statum benignius, & deuotius obedires; cùm certa pro incertis non sint relinquenda.* Hæc ille. Igitur, vt hac regula in proposito vtamur articulo, quædā certa sunt in in illo, & quædam probabilia: & quicquid esset de probabilibus, certa non essent pro illis reliquenda, licèt in contrarium videretur facere: quod si rursus probabilia nihil contradicerent, sed potiùs certis fauerent; maiori iure certa essent amplectenda. Duo igitur certa sunt, ex quibus falsitas huius articuli euincitur. Primum certum est, atque adeò ex fide ipsa exploratum, Ecclesiam nempè Catholicā in his, quæ fidei sunt ac morum, errare nō posse, cùm sit columna & firmamentum veritatis, secundùm Apostolum, & illi tanquàm Sponsæ Christi legitimè Spiritus sanctus assistat, omnem suggerens, ac docens veritatem. Hoc autem ex certis Scripturis, & traditione tot Conciliorum, & Patrum, tanquàm constitutissimum, ac notissimum ponitur.

Secundum certum est; Ecclesiā præsentem, & quæ illam præcessit per trecentos aut ducētos annos, laicos sub altera specie in multis Ecclesijs communicare consueuisse, vt docet sanctus Thomas in Ioannē, his verbis: *Secundùm antiqua Ecclesiæ consuetudinem, omnes sicut communicabant corpori,*

Margin: II. ratio. — *Innoc. III.* — Certa pro incertis haud sunt relinquenda. — Ecclesia Catholica in his quæ fidei sunt, ac morum errare non potest. *1. Tim. 3. Ioan. 14. & 16.* — Quando altera tantùm specie Ecclesia vti cœperit. *D. Thom. lect. 6. c. Ioā. lect. 7 sub init. tom. 14.*

ita communicabant & sanguini, quod etiam adhuc in quibusdam Ecclesiis seruatur, vbi etiam ministri altaris continuè & corpore, sanguine cômunicant. Sed propter periculum effusionis in aliquibus Ecclesiis seruatur, vt solus Sacerdos communicetur sanguine, reliqui verò corpore: nec tamen est contra sententiam Domini: quia qui communicat corpori, cõmunicat etiam sanguini, cùm sub vtraque specie totus Christus contineatur, etiam quantum ad corpus & sanguinem. Hęc ille.

Quomodo constet Ecclesiam, quæ fuit ante præsentem, per annos 300. sub vna tantum specie communicasse.

Hoc autem partim certum est ex fide, partim ex euidentia, ac traditione, quam neque hæretici negant. Fide enim apprehendimus eorum hominum cõgregationem, qui credunt, & parent decretis Romanorum Pontificum, Ecclesiam Dei esse: vt ex Scripturis, & traditione confirmari potest. Certum auté est ex traditione, Ecclesiam, quæ fuit ante præsentem per trecentos annos, communicasse laicos sub altera specie tantum: quæ quidem traditio partim ex historicis horum temporum, partim ex ipsis scholasticis Doctoribus, qui per hæc secula floruerunt, & scripserunt, atq; hanc quæstionem in propria forma tractârunt, hunc vsum in Ecclesia sui temporis extitisse ponentes. Ex his igitur quæ certissima sunt, talis conflatur constans argumentatio: Ecclesia Catholica in his quæ fidei & morum sunt, falli, aut fallere nequaquàm potest; sed si iuris diuini esset dispensare laicis Eucharistiam sub vtraq; specie, proculdubiò in fide & moribus aberrasset sub altera tantùm dispensando; non est ergo iuris diuini populum communicare sub vtraque specie. Minorem illam propositionem in hunc modum probamus, corroboramusq;. In primis enim esset ibi error in fide, quia si sub altera specie nõ est Christus integer, cùm illud Ecclesia perpetuò tradiderit, ac definierit: si ibi totus Christus non adesset, in perniciosum fidei errorem incidisset. Si etiã esset iuris diuini exhibere populo species duas, manifestè vnâ tantùm porrigendo, præcepisset Deum colere contra eius præceptum. Quæ cùm sint absurdissima, & ab omni Christiana religione remotissima, statuẽdum est, omni cordato, & prudẽti Christiano, vsum geminæ speciei in communicãdis laicis nunquàm fuisse à Christo præceptum. Habes igitur ex duabus ratiocinationibus, ab autoritate generaliũ Conciliorum; & Ecclesiæ Catholicæ consuetudine firmissimum, fortissimumque propugnaculum, in quod te tutò recipias, etiam si alia omnia illis aduersari, ac reluctari in speciem viderentur. Vt tamen intelligas illud quod dici solet, verum vero consonare, expendamus iam

Quod iuris diuini non sit laicos sub vtraq; specie communicare, apertè ostenditur.

Verum vero consonat semper.

quæ in hac causa probabilia vidẽtur; & nõ solùm dictis non pugnare, sed etiã mirificè fauere & consentire deprehendes.

Duo probabilia sunt, ex quibus fidei veritas non pendet.

Duo igitur probabilia sunt, ex quibus fidei veritas nõ pendet. Alterum est, commoda testimoniorum Scripturæ, quæ hæretici in cõtrarium adducunt, solutio. Hoc autem à nobis superiori tractatu abundè præstitum est, atque illis locis nihil prorsus euinci demonstratum. Veritati enim, & rationi consentaneas explicationes attulimus, in quibus meritò prudens lector, & Scripturarum studiosus acquiescere debeat. Alterum verò valdè probabile illud est, Ecclesiam antiquã etiam ab initio nascentis Primitiuæ, & ab ipso Christo, & Apostolis ita fuisse vsitatam speciem cõmunionis laicorum sub vtraq; specie, vt etiam illis temporibus vsus communicandi sub altera specie semper extiterit. Hoc autem ex Scripturis, veterumq; Patrum, ac Conciliorum traditione, atque rationum momentis non est difficile ostendere, etiam si demonstrationibus destitutæ sint mathematicis, quas in huiusmodi rebus exigere, tam sit stultũ, quàm in Mathematicis exigere topicam, ac probabilem argumentationem.

Sextum argum. ex Scripturis & figuris Veteris Testamenti.

Vt igitur ab Scripturis exordiamur, nõ magnoperè cõtendunt ex figuris huius Sacramenti in Veteri Testamento hoc deducere. Nam libamina omnia ad solos Sacerdotes spectasse colligimus ex libro Leuitici. Manna etiam sine potu miraculo datum est populo. Agnus quoque Paschalis, & Azymi panes edebantur in Pascha, nullo præcepto de potione tradito. Quòd si vrgeas, Melchisedech obtulisse panem, & vinum in typum huius Sacramenti: non reluctatur. Sed vide quid sequitur: Erat enim Sacerdos Dei altissimi: & in vtroque symbolo sacrificiũ est celebranũd, quanquàm nõ in vtroq; semper porrigendum, nisi cùm Ecclesia statuerit. In prece etiam Dominica Panem quotidianum, siue super substantialem sine vino petimus: quam petitionẽ multi Patres de Eucharistia interpretãtur, vt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus. Et quanquàm nomine Panis omnia ad refectionem, & alimoniam necessaria intelliguntur: nõ est tamen à ratione alienum, ob id tantummodò panis factam mẽtionem, sicut de agno solo, apud Ioannem, & Apostolum, & de vitulo saginato apud Lucam, non de vino; quod in Ecclesia aliquando cõsuetudo alterius tantùm speciei amplectenda esset. Adhæc Dominus cùm apud Ioannem tot millia hominum satis-

Leuit. 2. & seq.
Exod 16.
Suprà 12. & seq.
Gen. 14.

Panis quotidianus quis à Deo quem petimus, secundùm Patres.

Matt. 6.
Tertull. in orat Domin.
Cypr. serm. 6. de ora. Dom.
Ambr. lib. 5. de Sacr. ca. 4. tom. 4.
Hiero. in c. 6. Matt. tom. 9.
Aug li. 10 Homil. hom. 42. tom. 10.

fet,

Ioan.1. 1. Cor. 5. Luc.15. Ioan 6. Ioã.6. & seq.

set, nulla facta est vel aquæ, vel vini mẽtio: cùm tamen illa saturatio symbolum esset panis sancti altaris, quo fideles omnes implentur. Ibidem etiam dum de Eucharistia disserit, nullum verbum de Calice, vel vino extat, & crebrò, vtpote quindecies, de solo pane fit mentio, de manducatione sola vndecies meminit, de manducatione verò carnis, & bibitione sanguinis tantùm ter, ex quibus conijcere licet, ita esse vsum vtriusq; speciei in Ecclesiam euehendum, vt quandoque sola species panis esset sumenda, tanquàm ad salutem necessaria: solique panis manducationi in calce illius disputationis præmium vitæ æternæ pollicetur, cùm ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; quod tamen præmium mãducationi carnis, & bibitioni sanguinis superiùs promiserat, cùm dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Idem etiã promiserat mãducanti solam carnẽ, vel manducãti Christum, cùm inquit: Et panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mundi vita; ac rursus. Et qui mãducat me, & ipse viuet propter me. Idẽ ergo sunt in illa Christi disputatione, vel manducare panem, vel manducare carnem, vel manducare Christum, atq; manducare carnem, & bibere sanguinem, cùm perinde idem præmium polliceatur tribus illis prioribus, atq; manducationi carnis, & bibitioni sanguinis còiunctim. Ingenuè fateor hęc nõ esse demonstrationes, vt diximus; sunt tamen pijs, ac verè religiosis, vehementer probabilia.

Ibidem.

Luc.vlt.

Quænam sit illa fractio panis, cui⁹ in suo Euãgelij sui meminit Lucas.

Sed age, excutiamus locum Lucæ, vbi Christus euntes in Emmausmenſę accumbens solo pane pauit, & in fractione panis agnitus euanuit: per quã fractionem multi doctissimi, & veteres Patres Eucharistiæ communicationẽ intelligunt, quales sunt, Autor oper. imperfect. in Matthęũ, Theophylact. in eadẽ verba Lucæ scribens, Augustinus lib. de consen. Euangelist. & tractatu in Canonicam Ioannis, nec nõ serm. de feria secunda in festo illius diei. Beda libro commen. in Lucam, & Petrus Damianus Cardin. lib. de diuin. offic. Ex hoc igitur loco colligimus, cõmunionem sub altera tantùm specie à Christo institutam, & porrectam, & in die Paschæ laicis exhibitam, nempè Lleophæ, & Lucæ, vt quidam volunt: nam illi etsi Christi discipuli, non erant tamen Sacerdotes, quia in cœna non nisi duodecim discipulis dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt ita Christus inueniatur autor, & institutor cõmunionis Sacerdotalis sub vtraq; specie in cœna, & cõmunicationis laicorũ sub altera in die

Autor ope imperfecti, hom. 17. in Matth. tom. 2. operũ D Chrysost. Theophyl. in c. vlt. Lucæ Aug. li 3 de consen Euãg. c. 25. tom. 4. & tract. 2. in Can. Ioan. to. 9. & ser. 144. de temp. to. 10 Beda lib. 6. in Lucam, to 5. Pet. Damia. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Paschę. Quòd autem ibi tantùm panẽ porrexerit sine vini specie, ex eo euincitur, quòd cùm benedixisset panem, ac fregisset, illisq; porrigeret, aperti sunt eorum oculi, & ipse euanuit ex oculis eorum: vbi non potest fingi modus quidam frangendi panem singularis, quem nullus alius habuit præter Dominum: perinde enim, teste Lyrano, frangebat panem, ac si cultello illum scideret. Sed certè hic peculiaris modus benedicendi, & frangẽdi communem panem, ex Scripturis nõ probatur, & Dominus nullum alium frangendi modũ habuit, quàm illum, quem in multiplicatione panum bis, & consecratione Eucharistiæ semel ostendit. Nec decebat sapientiam Christi, communiter, & frequenter sine causa edere signa: & hic modus frangendi, miraculo non careret. Deinde affingi non potest his verbis figura synecdoches, vt vult Melanchthon: quia dum porrigeret panem, antequàm vlla de calice fiat mẽtio, iam se Christus subduxerat.

Quod discipuli duo proficiscentes in Emmaus solã panis speciem de manibus Christi susceperint ostenditur.

Lyran.

Quomodo Christus frãgeret panem secundùm aliquos.

Matth.14.

Cõmuniter & frequẽter sine causa Christus signa minimè edebat.

Obiectiones hęreticorum in contrariũ nonnullæ soluuntur.

Prima obiectio.

Neque valet in contrarium, vt quidam dicunt, quod Christus in principio cœnæ hoc fecerit; cùm tamen die Iouis cœnantibus illis panem porrexerit, & postquã cœnatum est, calicem: quia sicut in die Iouis post cœnã instituit Sacramẽtum, & porrexit non ieiunis, ita hîc voluit instituere cõmunionem porrigendam, nondum cœnatis, siue ieiunis. Deinde non obstat quod Christus dixit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei:* quia iã Christus immortalis, & suscitatus erat in regno, & poterat edere & bibere salua & incolumi fide suorũ verborũ. Neq; rursus quicquam valet quod aiunt, Christũ non dixisse illa verba: *Hoc est corpus meũ:* quia eiusmodi verba suppleda sunt in eo ꝙ dicitur benedixisse: non enim quis propriè censetur benedicere sine verbis. Nisi velis asserere, Christum potestate diuina, siue potestate excellẽtiæ vsum fuisse, & posuisse effectum Sacramẽti sine Sacramẽto, & nullibi Christus in Euangelio legitur benedixisse panibus, ad quam benedictionẽ nõ sit secutum miraculum: vel multiplicationis, vt apud Matthęum bis: vel consecrationis, vt apud eundem. Cùm igitur hîc nullus Patrum asseruerit fuisse signum multiplicationis; dicemus fuisse signum sacræ actionis. Legimus quidem sæpè aliàs cõuiuia frequentasse, vt illud nuptiarũ Ioan. 2. illud Matthæi Luc. 5. illud Marthæ, Luc. 10. & aliud Ioan. 12. & illud Simonis leprosi Luc. 7. vel apud Zachæum Luc. 19. vel inter inimicos suos Luc. 11. & 14. nunquàm tamen

Secunda.

Matt. 26.

Tertia obiectio.

Verbis propriè fit benedictio.

Nullibi ferè Christus in Euãgelio benedixisse panes, quin ad eam benedictionem signum sit subsecutum.

Matth. 14. & 15.

in his legitur accepisse panem, benedixisse & fregisse, vel coram septem Discipulis, Ioan. 21. vel omnibus Apostolis Marc. vlt. nisi in nouissima cœna, & Luc vlti. vbi etiã Cleophas & Lucas dicuntur agnouisse Dominum in fractione panis. Quod multis de caussis Dominus fecisse credendus est.

Cur Christus duos discipulos in Emmaus proficiscentes sub vna tantũ specie cõmunicauerit.

Primò, vt se contrarium antiquo serpenti ostenderet. Vt enim ille duobus primis hominibus fructum arboris scientiæ boni, & mali contra Deum edendum sua suasione porrexit, vt oculi eorum aperirentur ad agnoscendam mortifera experientia suam concupiscentiam; ita Dominus carnem suam duobus Discipulis edendam tradidit, quò aperirentur eorum oculi, vt se Messiam agnoscerent. Secundò, vt doceret (vt testatur Augustinus, & Beda) neminem benè nosse Christum, qui corporis eius, quod est Ecclesia, nõ fuerit particeps.

Gen 3.

August. Beda. Coloss 1 & alibi.

Nemo nouit bene Christum, aiunt Aug. & Beda, qui corporis eius quod est Ecclesia, non fuerit particeps.

Ephes 1 & Coloss 1.

Tertiò, ne quis putaret non licere vni soli, vel duobus, priuatim communicare: quia Dominus duodecim Discipulis dispensauit suũ corpus in cœna. Quartò, quia sciebat futuros, qui vtramque speciẽ tanquàm ex Christi institutione ad salutem necessariam, vt saltem tanquàm meliorem & maiorem fructum spiritualem porrigentem exigerent. Postremò, vt ostendat interdum licere consecrationem sub sola specie panis. Et meritò voluit Spiritus sanctus in Scriptura hæc per Lucam referri, qui præcipuè describit Christum Sacerdotem: consecrare autem, & porrigere, vel sub vna, vel sub duabus speciebus, proprium est Sacerdotis munus.

Aliorũ præterea quorũdam proponuntur argumenta, atq; soluuntur.

Primum.

Objiciunt prætereà alij quædã quę parui momenti sunt & facilè resoluuntur. Primum est, quòd isti essent in peccato mortifero, vtpote increduli. Sed hoc infirmum est, quia etiam Iudæ in peccato mortifero existenti, & qui cœna Dominicæ astitit, vt multi Patres docent, Eucharistia à Domino est dispensata. Hi etiã Discipuli verbo, & virtute Christi per viam conuersi erant, vnde dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*

Luc 24.

II. argum.

Secundũ est, quia aiunt illos ignorasse illam Eucharistię cõmunionem, atq; ad eam percipiendam imparatos extitisse. Sed vt dictum est, iam ipsi in via erant cõuersi, & in ipsa fractione illuminati sunt oculi eorum, vt religiosè, & reuerenter sacrum panem susciperent, quem prius Dñs susceperat, etiamsi nõ scribatur, sicut fecit in cœna nouissima.

Tertium.

Tertiò est, quòd si porrigendo panẽ sacrum Christus euanuit, ipsi suis manibus se communicassent. Sed hoc absurdum nõ est: nam & Apostoli in cœna suis manibus communicarunt, & per multa secula in Ecclesia Dei retentus fuit ille mos, vt quisq; de manu Sacerdotis acciperet Eucharistiã, quam domũ quisq; suam deferebat, & cùm volebat, cõmunicabat.

Priscus in Ecclesia Dei ritus communicandi.

Quartum.

Quartũ, quia dicitur in illa eâdem hora reuersos fuisse Discipulos in Ierusalem; vt intelligamus illos omni mora postposita in iter se dedisse, & ita incommunicatos abijsse. Sed profectò in eâdem hora & communicârunt, & regressi sunt, quia non multum temporis ad vtrumq; requirebatur: & eâdem hora hoc, vel illud facere in Scripturis nõ in tam stricta significatione accipitur.

Quintum.

Ioan. 6.

Addunt quidam, Dñm benedixisse panibus apud Ioan. nec tamen consecrasse. Sed mirũ non est, cùm nondum esset institutum hoc Sacramentũ: & contextus ipse, atq; Doctores cogũt, illud nequaquàm esse intelligendũ de Eucharistia: quę tamẽ omnia de Eucharistia intelligendam illam apud Lucam benedictionẽ suadent.

VI. argum.

1. Reg. 14.

Postremò dicunt quidam, non fuisse collatam Eucharistiã, sed figuram seu typum eius: quemadmodũ melle gustato oculi Ionathæ aperti sunt. Certè illuminatio, quã hic acceperũt discipuli Domini, vt Doctores tradunt, nõ solùm fuit ad Christum de corpore, sed spiritualiter agnoscendũ: hinc cum gaudio reuersos fuisse in Ierusalem, tradit Lucas. Hæc aũt interna illuminatio, effectus est proprius Eucharistiæ: non decet autem effectum rei figuratæ ipsi figuræ tribuere: nec hãc virtutẽ habuit mel in Ionatha, sed caput eius inedia debilitatũ corroborauit, ita vt multiplicatis spiritibus visũ recuperauerit, qui alioqui languebat.

Luc. 24.

Eucharistiæ effectus proprius est mẽtem illuminare.

Adhęc eadem sub vna specie cõmunicatio cõfirmari videtur ex Actis Apostolorum, vbi dicitur: *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quod verbũ, in primis de cõmuni pane nequit intelligi: quia præcedentia, & sequentia exercitia, id est, doctrinæ, & orationum, spiritualia erãt, & per se bona; perseuerare autẽ in cibo corporeo; nec est per se bonum, nec dignum, quod admisceretur spiritualibus.

Act. 2.

Fideles primitiuos Act. 2. perseuerasse in fractione panis, nõ communis, sed Eucharistici, vnde constet.

Alij verò per fractionem panis intelligunt eleẽmosynam, iuxta illud: Frange esurienti panem tuum. Sed cùm illi primitiui Christiani omnibus se bonis spoliassent, nõ poterant in tali fractione panis perseuerare.

Esa 58.

Duplex interpretatio refellitur.

Alij rursus de ieiunio, & victus parcitate, ac frugalitate hanc fractionem intelligunt, vt Chrysost. & Oecumenius: & ponderant, quod pane solo, & illo quidem fracto vescerentur in suo ieiunio. Quod mihi non admodum probabile videtur: non solùm, quia in Scri-

Chrys. ho. 7. in Actus, to. 3. Oecumen. Ibidem.

ptura

IV. argumenti solutio ex illis verbis Domini: Bibite ex hoc omnes. *Matth. 26.*

Præter hæc tria exempla Christi, & Ecclesiæ primitiuæ, atq; Ecclesiæ Corinthiorum, obijciunt cõtra nos verba Christi. Ad quartum igitur, quo proponitur illud verbum: *Bibite ex hoc omnes*, respondemus, sermonem Christi ad discipulos pręsentes tantùm, ad literam, fuisse directum: & ideo in eadem cœna, & nocte fuisse impletũ, sicut illud pręceptum: *Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullũ cum ea: soluite, & adducite mihi*; & illud: *Colligite quæ superauerant fragmenta, ne pereant*: nam vtrumque, vt habet textus, fuit statim per Apostolos impletum: ita etiam præceptum bibendi. Iuxta pleniorem autem sensum, quo solet Dominus in vno aliquo cæteros alloqui successores: vt agens cum Petro, loquitur omnibus Põtificibus, quia officium perpetuũ, & non personale priuilegium instituebat: iuxta hunc, inquam sensum admitti potest in Apostolis, quos tunc creauit presbyteros, ad omnes eorum in officio successores verba fecisse, de quibus etiam illud quotidie impletur, & in iudicio tandem perfectè erit impletum: *Biberunt ex illo omnes*. Nec ad hoc præstandum adstringuntur omnes Sacerdotes, nisi tantùm qui celebrant. Vnde Paulus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Vbi, vt põderat Ioannes Roffensis, proptèrea dixit: *Quotiescunq; biberitis*, quia pręceptum de bibendo calice, non est absolutum, sicut pręceptum manducandi corpus, cui non additur conditio. Est ergo præceptum sub conditione traditum; vt qui bibituri sunt de calice, bibant in Domini memoriam.

Matth. 21. — *Ioan. 6.* — Verba illa: Bibite ex hoc omnes, vti ad solos Sacerdotes pertineant. — *Matt 16 & Ioan. 21.* — *Marc. 14.* — *1. Cor. 11.* — Roffens. martyris ponderatio huius dicti: Quotiescunque bibebitis, &c.

Verba Imperatiui modi in Scripturis non semper continẽt pręceptum, eorumq; varius vsus. *Matth. 18. Infra 19. Gen 1. & seq. Marc 10. Luc 22. Ioan. 22. Suprà 21.*

Verba enim Imperatiui modi non semper continent præceptum, cuius omissione homo fiat peccati reus. Illis enim interdum precamur: vt, *Miserere mei Deus*. &, *Patientiam habe in me*: aliquando consulimus, & cohortamur: vt, *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Sæpè etiam ordinationem Dei citra iussionem significamus, vt cùm dicitur: *Fiat lux. Crescite, & multiplicamini: Sinite paruulos venire ad me. Confirma fratres tuos*. &, *Pasce oues meas*. Sæpè designant voluntatem donandi, vel donationem ipsam potiùs, vt cùm dicitur: *Accipite Spiritum sanctum*; quæ porrigentis potius, quàm præcipientis sunt Imperatiua.

Cur Domin' corpus suum tradens Apostolis non dixit, Accipite, & comedite hoc omnes: sicut de sanguine dixit.

Quòd verò in distributione calicis Dominus dixerit: Bibite ex hoc omnes, in panis verò dispensatione in Euangelio nõ dixit, nisi: *Accipite, & comedite* (etsi Ecclesia adiungat: *Ex hoc omnes*) illud fuit in caussa, quòd panem in duodecim partes diuiserit, ac vt quisque suam partem acciperet, proposuerit: at poculum vnum porrexit, à se prius benedictum, & degustatum: voluitque vt modestè quisque hauriret, vt posset omnibus duodecim sufficere. Quod si quisquam pertinacius contendat, verbum, *Bibite ex hoc omnes*, dictum esse ad omnes laicos fideles, præterquam quod absurdum est, præceptum ea nocte factum, ad omnes qui non erant pręsentes, aut needum erant in rerum natura, cogetur ad eosdem esse dictum confiteri: *Hoc facite in meam commemorationem*: atque ita omnes laici essent verbo Christi Sacerdotes instituti: quòd esset longè ab omni prudentia, & ratione semotum. Vt meritò in eos Æneas Siluius scripserit in lib. de origine Bohemorum, visa infirmitate argumenti ex illo verbo Domini sumpti, omnino locũ illum deseruisse, & testimonio verborum Domini apud Ioannem: *Nisi manducaueritis, &c. & biberitis, &c.* nixos fuisse.

Æneas Siluius lib. de origine Bohemorum, c. 35. — *Ioan. 6.*

Quintæ obiectionis solutio. *Luc. 22. & 1. Cor. 11.*

Ad quintum, in quo vrgent verbum: *Hoc facite in meam commemorationem*: quòd vt Christus instituit, & porrexit sub duabus, ita & Sacerdotes debẽt sub duabus facere, & sub duabus porrigere, & alij sub duabus sumere. Dicẽdum est, quod etsi Dñs Sacramenta nõ solùm in rem, & vtilitatem duodecim Apostolorũ, & eorum, qui illis erãt legitimè successuri, instituerit, sed generatim in omnium Christianorum sempiternam salutem: tñ solos Apostolos, & eorum successores voluit esse peculiares ministros & cõfectores Sacramentorum suorum, vt ipsius vice diuino, & omnipotenti verbo panem sanctificent, & offerant, & prudenter administrent: atq; vt nõ solùm rem illã diuinam, quæ ibi continetur, integrè obtineant, sed etiam fideles non nisi piè, & religiosè in salutem, ex ipsorum manibus Sacramẽta percipiant. Atq; hæc est causa, cur tres priores Euãgelistæ Dominum solum cum duodecim Apostolis discubuisse referunt, & nõ cum alijs discipulis: & ideo nullus pręter Apostolos hanc benedicendi Eucharistiam potestatem accepit, & illos, qui eis legitima ordinatione succedunt, vt tradit Clemens in lib. constit. Apostolicarum, & Chrysost. lib. de Sacerdot. Ambros. libro vnico de dignitate Sacerdotali, & Bernard. serm. in cœna Domini, qui incipit: *Panem Angelorum*. Quando etiam dedit potestatem remittendi peccata apud Ioannem, soli Apostoli erant congregati: sicut ergo non omnium est prædicare vel baptizare, vel pascere; ita nec peccata dimittere, aut conficere Eucharistiam, sed ad solos legitimos ministros, Sacerdotes scilicet, & Episcopos spectat: Cũ igitur illis verbis potius facultatẽ tradiderit consecrandi, offerẽdi,

Ad cœnã agni Paschalis à Domino cum Apostoli tantũ admissi, non alij sunt. *Clem. Roma. lib. 8. c. vlt. co. st. Apost. Chrys. lib 6. de Sacerdot. tom. 1. Ambr. lib. de dignitate Sacerdotali, c. 1. tom. 4. Bernard. Ioan. 20.*

& di-

In mandatis quid solũ requiritur vt fiat.

& dispensandi Eucharistiam: nullum aliud ius laici ex his verbis, Hoc facite in meam commemorationẽ, habere possunt, quàm vt à Sacerdotibus sacrificantibus piè ac deuotè petãt, & accipiant Eucharistiam, quacunq; ratione illis placuerit porrigere, siue speciem vtramque, siue alterã. Nam in mãdatis quę dãtur, nil refert quid ex æquipollentibus fiat, nec interest num mandatum hoc modo, vel breuiori compendio fiat, dummodò idem sequatur effectus: nec tam anxiè de via, quàm de meta cogitandum est. Debet enim esse dispensator fidelis, & prudens. Ideo mandatum non tam ad externas tritici, & vini species porrigendas, quas huius Sacramenti corticem, & furfurem Bernardus super Cantica vocat; quam ad rem ipsam cõtentam sub speciebus, quæ integra est sub altera specie, referendum est. Et Dominus magis docet respiciendum ad finem, & scopum huius mandati, quàm ad ipsa verba: hinc inquit, Sabbatum propter hominem factum est, & nõ homo propter Sabbatum: & tamen Dominus in eo præcepit Paralytico grabatum portare. Sunt igitur duo Domini pręcepta, alterum post consecratum, & porrectum panem, absolutum quidem, & nulli conditioni innitens: Hoc facite in meam commemorationem, hoc scilicet quod ego feci, facite etiam vos; aut hoc quod nunc fecistis, facite postea in mei memoriã: aut potiùs vtrumque demõstrat, quasi dicat, Hoc quod iam fecimus, facite & vos postea in meam commemorationem. Et ex ea parte qua pronomen demonstrat, quod fecerunt Apostoli qui ederant, & sumpserãt Dominicum corpus, præceptum pertinet ad omnes, & ita interpretatur Apostolus, dum ad Corinthios scribens, ait: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, quod dixit, explicando illa verba: *Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*. Idcirco vsus est coniunctione causali, *Enim*, & ita explicant Patres aliqui, vt Basilius in moralibus: *Quia ratio, quàmobrem corpus Domini manducari, & sanguis bibi debeat, commemoratio sit obedientiæ Domini vsque ad mortem: vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus sit, & resurrexit*. Quod dictum probat ex verbis Domini: *Hoc facite in meam cõmemorationem*. Cyrillus quoquè in Ioannem: *Quod mysticæ benedictionis communio, resurrectionis Christi quædam confessio est, verbis ipsius probatur. Fractum enim panem distribuebat, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Participati igitur mysterij vera quædam confessio, & commemoratio est, quod propter nos, & pro nobis Dominus & mortuus sit, & reuixerit, & diuina nos benedictione propter hoc replet*. Ecce quomodo Basilius, & Cyrillus sub verbo, *Facere*, sumptionem Sacramẽti comprehendunt: quatenus verò pronomen, Hoc, demonstrat, quod Christus fecerat, id est, benedicere, & offerre, ad Apostolos, & eorum in sacerdotio successores tantùm illud præceptum spectat. Quare beatus Thomas tertia parte, ex eo verbo probat, iure diuino Christianis adultæ ætatis præceptam Eucharistiæ sumptionem. Et idem ex eodem verbo probat datam esse potestatem Apostolis cõsecrandi Eucharistiam. Alterum præceptum post sacratum, & exhibitũ calicem fuit à beato Paulo indicatum, conditionatum tamen: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem*: quo verbo non absolutè iubetur bibitio de calice; sed præcipitur, vt dum bibitur, eius memoria recolatur. Et simile olim fuit de esu agni, qui simpliciter omnibus præceptus fuit: at bibere vinum in cœna agni, licebat quidem volenti, & quidam sumebant, sicut ex ipsa cœna Dñi nouissima colligi potest: præceptum tamen Domini nõ erat. Alioqui Rechabitæ à vino penitùs abstinentes, & ob id à Domino laudati, grauiter peccassent, & non licuisset alicui esse Nazaræum perpetuò, quia perpetuam vini abstinẽtiam promittebant: quod tamen ex historia Samsonis, & Iacobi fratris Domini falsum esse constat. Cur autem non perinde præcepit bibere de calice, atque edere de pane sanctificato, non caret ratione. Primò, quia nõ conueniebat sub specie vini, sanguinis Domini sumptionẽ tanquam necessariam pręscribi ad vitam nostram spirituale, & corporalem futuri seculi alendam. Ex vino enim non intelligitur, quòd, vt viuamus spiritualiter, egemus Domini sanguine, quia plurimi homines corporalem vitam, & sanam, & robustam absque vini esu ducunt: at omnes intelligunt, neminem absq; pane vitã corporis sustinere posse. Deinde quia Christus solet Sacramẽta sua, quæ tanquam necessaria præcipit, in rebus obuijs, & quibus communiter homines vtuntur, commendare, vt baptismum in aqua: at vinum in plerisque locis non nisi cum difficultate magna, & à diuitibus habetur, & habitum cõseruatur, vt in omnibus Aquilonaribus populis, qui ferè sunt innumeri, & possent putare se curæ Deo non fuisse, aut sua nulla culpa tanto Sacramento priuatos fuisse. Tertiò accedit quòd defectu naturæ plurimi abstemij sunt, à vino omnino abhorren-

Marginalia (left): Eucharistiæ species, panis scilicet, & vini, quid Bernardo. *Bern. serm. 33 super Cant. ante med.* — *Marc. 2.* — *Ioan. 5.* — *1. Cor. 11.* — *Basil. in moralib. reg. 21. c. 5. tom. 2. Philip. 2.* — *2. Cor. 5. Cyril. lib. 12. in Ioan. c. 58 prope initiũ, tom. 1.* — *Luc. 22. & 1. Cor. 11.*

Marginalia (right): *B. Thom. 3. p. q. 80. art. 11. tom. 12. Idem ibidem, q. 82. art. 1.* — *1. Cor. 11.* — *Exod. 12. & seq.* — Rechabitarũ abstinentia. *Ierem. 35.* — Cur laicis minimè pręscribi debuerit sanguinis Christi communicatio. — II. ratio. — III. ratio.

horrentes: qui etiam à Christo viderentur neglecti. Vt omittam quod in tanta populorum, puerorum, muliercularum,& senũ turba ob inconsideratam sumptionẽ, periculum ingens esset effusionis. Ob quas rationes, quæ magni ponderis sunt, Christus Dei Sapientia nõ præscripsit bibere de calice absolutè, sed vt, dum biberent, præcepit, vt in eius memoriam biberent.

Quarta & vltima.

1. Cor. 1.

In verbis ergo Domini, quæ dato calice dixisse Dominum docet Paulus: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis in meam cõmemorationem.* Hoc, refert tantùm bibitionem: & verbo, facite in mei memoriam, bibitioni modus præscribitur. Paulus namq; ex verbis Dñi decerpserat quod suo proposito seruiebat, ad detestandam indignam Corinthiorum communionem, qua in profana mensa saturi, vel ebrij neglecto pauperum pudore sine eleemosynis, & absque sui probatione tremendis mysterijs communicabant: de consecratione verò, vel oblatione, quia in eã abusus non irrepserant, nihil tradit. Etsi ergo in mẽsa Dominica exhiberetur calix: volentes tamen (qui abstemij essent) religiosè abstinebant. Non enim cùm inuitati sumus, oĩa fercula proposita degustamus, & à vino sæpè abstinemus. Tẽpore Cypriani, vt ipse docet, quidã baptismũ sola aspersione aquę collatum, non immersione, ceu mutilũ, & mãcum, quod ad ipsam speciem à Christo institutam attinet, impugnârunt: nec deerat ratio verbi grǽci βαπτίζειν, siue βαπτίζειν, quod immergere, non aspergere, vel intingere significat, & verbum Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto:* & ratio ex Pauli verbis ad Romanos sumpta, ex qua per immersionem, Christi mortẽ, & passionem; per emersionem, resurrectionẽ significari docet: & tamen Cyprianus illos ita sentientes impugnat, & sufficientem ad salutem, docet esse baptismũ per aspersionem collatum; etiamsi externus baptismus à Domino institutus, nõ exactè, & integrè celebretur, eo quòd sic baptizati æquè à vexatione, ac impugnatione dęmonis liberẽtur, sicut baptizati per immersionem. Canon Apostolorum 49. mandat Episcopo, & Presbytero trina immersione baptizare; aliàs gradu deponantur. Tertullianus lib. aduersus Praxeam, post medium: *Nouissimè,* inquit, *mandans vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Et alibi: *Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quàm Dominus in Euangelio determinauit.* Idem docent Ambros. Aug. & Pelagius Papa ad Gaudẽtium Episcopum, vbi asserit hoc esse pręceptum Euangelicũ,

His verbis: Hoc facite, quotiescũq; bibetis, in meam cõmemorationẽ: duo obseruãda sunt.

1. Cor. 11.

Mos cõuiuarum laudabilis.

Cypria. lib. 4. epist. 7.

Baptismus sola perfecit aspersione conferri, secundùm Cypria. & alios.

Ioan. 3

Rom. 6.

Tertull.

Idem li. de corona militis, propè init.

Ambr. lib. de Sacram. c. 7. tom. 4 à medio.

Aug. hom. 4.

Pelag. Papa de consec. d. 4 c. multi sunt

atque hoc ad asserendam fidem Trinitatis contra Iudæos, & Sabellianos. Tamen satis esse vnam immersionem, docet Gregorius Magnus epistola ad Leandrum, & Concilium Toletanum IV. vt significetur vnitas Deitatis & substantię contra Arrianos. Vides igitur, quomodo Ecclesiæ praxis tradat veram intelligentiam, & obseruationem institutorum Christi.

Gregor. lib. 1 Regist. epist. 41. tom. 4.

Concil. Tolesan. IV. c. 5.

Ad sextum, in quo vrgent verba Domini: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* fusissimè disputatum fuit præcedẽti libro, ad quem lectorem veri studiosum & cupidum mittimus. Hîc tamen ne nihil dicere videamur breuissimè, & clarissimè resoluitur hic locus, & nihil habent ex illo hæretici, quo vtramq; speciem stabilire valeant. Nam vsu sensu Lutherus, Oecolampadius, & cæteri hæreticorum nostri seculi antesignani asserunt, contentioseq; decertant, nullum extare in toto illo capite verbum, quod necessario ad Sacramentum Eucharistię referendum sit. Quare si hoc verũ est, nullius erit ponderis aut roboris argumentum ex verbis huius loci desumptum. Deinde validè respondetur, eo etiam dato, quòd in multis sententijs eius capitis manifestè Dominus loquatur de Sacramento Eucharistię, vt superiori libro, cũ in illud caput cõmentaremur, testatũ, & comprobatum ferè ad satietatẽ reliquimus; quod hic repetere, esset actum agere; adhuc illis verbis non præciperetur, vtramq; speciem esse necessario suscipiendam, sed vel alterã, vel vtramq;, prout Ecclesia ministrauerit. Quod vt apertiùs ostẽdam, præmitto, in prædictis Christi verbis non fieri mentionem de mãducatione vel ferina, quã intelligebant Capharnaitæ, vel purè Sacramentali, quã facit peccator accedens ad hoc Sacramentum, & quã fecit Iudas, si participauit corpori & sanguini Domini, vt multi Patres Catholici tradunt, siue illam contingat sub vna specie, siue sub duabus celebrari, siue à laico, siue à Sacerdote. Neque loquitur de manducatione purè spirituali, vt necessariũ sit, his modis edendi exclusis, intelligi de esu spirituali in Sacramẽto, siue sub duabus, siue sub vna specie ab Ecclesia ministrato. Declaro breuiter, & sigillatim propter rudiores, & minùs capaces, singulas has mãducationes. Mãducatio ferina illa est, quam in carnibus arietinis, siue bouinis, seu ouinis facimus, & qualem sibi fingebant rudes Capharnaitæ: at illa fœda erat, & propria anthropophagorum, & impossibilis. Nam Christus à paucis hoc modo mãducatus vniuersis mundi hominibus nõ sufficeret: hanc ille reiecit,

Solutio VI. argumenti ex verbis Ioannis: Nisi biberitis sanguinem Filij hominis, &c.

Lib. 8.

II. Solutio.

Explicatur locus Ioanis: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.

Ioan. 3.

Manducatio ferina quæ sit.

Ioan. 6.

cùm

Ibidem.

cùm dixit: Spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quicquā. Manducatio purè Sacramentalis est illa, qua quis sine spiritu fidei ac dilectionis ad hoc Sacramentū accedit, indignè māducans, & bibens corpus, & sanguinem Dñi. Hæc autem perinde fieri potest in vna atq; in duabus speciebus. De hac autē non loquitur Dominus, quia purè Sacramentalis non confert vitam, quam tamen Dominus ponit facere sui māducationem, & vitā æternam, & in ipso mansionem, & corporum resurrectionem præstare. Igitur purus esus Sacramenti in vna, vel duabus, nō est ille esus, quem hîc Dominus commendat, atq; exigit. Tertiò, minus intelligi potest de purè Spirituali, id est, quæ nullā habeat relationem ad Sacramentum, siue actu, siue voto susceptum: quia tunc vniuersi Patres falsi essent, Ecclesiamq; suis expositionibus, & commentarijs seduxissent, qui has Domini sententias in illo capite contentas ad Eucharistiam referūt, & referendas esse necessariò docent, & ad hęreses expugnādas eius capitis verbis de Eucharistia intellectis vsi sunt.

Quæ verò manducatio purè Sacramentalis.

Ibidem.

Manducatio purè spiritualis.

Exclusis igitur illis tribus manducandi modis, superest tantùm, vt de manducatione spirituali, quæ in fidei, & dilectionis spiritu cōsistit, & in hoc Sacramento actu, vel voto suscepto exerceri potest, & nō minùs in vna, quā in duabus specieb⁹ intelligatur. Est enim spiritualis manducatio huius Sacramenti, non sumere speciem panis; sicut nec bibitio spiritualis huius Sacramēti est, sumere speciem vini: quia vt hęc est bibitio Sacramentalis, ita illa māducatio Sacramētalis. Sacerdos etiā fructuosè bibens calicē Domini, sine dubio spiritualiter manducat, quia ipse manet in Christo, & Christus in eo. Laicus quoq; dignè manducans speciem panis, etiā spiritaliter bibit, ob delectationē, & recreationem spiritualem, quā percipit. Manducatio ergo, & bibitio spiritualis, non est referenda ad ipsas species Sacramenti, sed ad ipsum spiritū exercentem actū fidei, & dilectionis in qualibet specie Sacramenti, nam in qualibet manducat, & bibit spiritualiter. Etsi enim in qualibet specie nō sit cibus, & potus Sacramentalis, sicut nec corporeus: est tñ manducatio, & bibitio spiritualis, si rectè sumatur. Quare Dominus in hac sententia prudenter abstinuit à verbis Panis, & Calicis, quibus significatur Eucharistia in duplici specie iuxta tres Euangelistas, & B. Paulum, & tantùm dixit: *Nisi manducaueritis carnem, & biberitis sanguinem:* quòd videret per illa induci necessitatem vtriusque speciei sumendæ cum fide viua. Per hæc autem reliquit libertatem Ecclesię vtrouis modo faciendi prout Spiritus sanctus afflatu suo pastoribus Ecclesiæ pro locis & temporibus significaret, vt fecit: nā & alteram tantùm, & vtranque porrexit, & porrigendo siue vnam, siue duas, vtroque modo inuenitur manducatio, & bibitio spiritualis, quæ vitam confert, & salutem parit sempiternam. Cōsultò etiam non dixit: Nisi porrexeritis panem, & propinaueritis calicem, non habebitis vitam in vobis; ne Sacerdotes ad vtrāque speciem dispensandam obligaret. Nec his contradicit, quia ex prędicto sensu manifestè sequitur, quòd non possit quis seruari sine actuali cōmunione, quia dictum est manducare carnem, & bibere sanguinē, esse spiritu, & dilectione sumere ipsam Eucharistiam siue in vna, siue in duabus speciebus: dicimus enim id non sequi. Nā vt Dominus, cùm dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei,* verum dixit, quia communis regula ita habet, quāuis contingat aliquē sine baptismo seruari, nō tamen sine voto, vel voluntate baptismi: ita necessarium est Sacramentum actū suscipere, quomodocunq; ab Ecclesia porrigitur, & hoc ferè fit. In necessitate tamen aliqua satis esset votum communionis, & tunc non derogatur veritati legum, & enuntiationum, q̄ vniuersales regulas tradunt, & vt plurimum loquuntur.

Verba proposita: Nisi manducaueritis, & biberitis, &c. quâ de sola manducatione, & bibitione spirituali accipienda sint.

Laicus dignè manducans corpus Domini, idem etiam vt bibat sanguinem eius.

Quare Christus non dixit: Nisi manducaueritis panem Filij hominis, & biberitis eius calicem, &c. *Matth. 26.*

Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. et 11

Cur idē Dominus non dixit: nisi porrexeritis panem, & propinaueritis calicem: sed Si manducaueritis. &c.

Ioan. 3.

Neq; rursus mireris, manducationem, & bibitionem spiritualem posse contingere, vel in sola specie panis, vel in sola specie vini: quia Scriptura Leuitici sanguinem omnis animalis prohibet sumi in cibum: Omnis, inquit, anima, quæ ederit sanguinē peribit de populis suis: & tamen constat, sanguinem potiùs sumi in potum, quàm in escam. Et Cypria. serm. de cœna Domini in initio: *Manducauerant,* inquit (scilicet maiores nostri) *& biberant de eodem pane secundùm formam visibilem: at quomodo bibere poterant patres manna, cùm propriè non esset potus, sed esca. Intelligo autem, quòd spiritualiter in manna manducabant, & bibebant.* Augustinus in Psalmum 33. asserit, nos manducando crucifixum, & bibendo, illuminari: & Deus in cęlesti visus patria, dicitur cibus, & potus, nimirùm spiritualis, pariēs spiritualiter effectus cibi, & potus, iuxta illud: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibūt me, adhuc sitient.* Et iterum Dominus: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meā in regno meo.* Sicut igitur Christus visus, & lumine gloriæ apprehensus, spiritualem nobis escam, & potionem præbet; ita idem sub qualibet specie contentus, spiritualem nobis pastum pręstat, & potum.

Manducationem, & bibitionem spiritualem in sola specie panis, vel in sola specie vini posse contingere, vnde manifestum fiat.

Leuit. 7.

Cyprian.

Aug. tom. 8.

Fideles manducando crucifixum, & bibendo, illuminantur, secundùm August.

Eccles. 24. Tob. 12. Luc. 22.

Euseb. Emiss. de Pascha. homil. 5. propè initium.

potum. Hinc Eusebius Emissenus ad spiritum respiciens, ait: *Sacrum Dei tui corpus, & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiore assume.* Et Augustinus: *Illud*, inquit, *manducare refici est: sed sic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris. Illud bibere, quid est, nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita.* Hæc ille,

Aug. serm. 1. de verb. Apostol. initio, tom. 10.

Soluitur septimũ argumentum de morte Domini annuntianda. *1. Cor. 11.*

Ad septimum de verbis Pauli, & morte Domini annuntianda, respõdemus, Christum apertè docuisse contrarium, nempè esu corporis solius annuntiari mortẽ Domini, cùm dixit post exhibitũ corpus. *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo non minus per corpus, quàm per sanguinem, Christi recolitur memoria. Vnde Paulus, cùm dixit post illa verba: *Hoc facite quotiescunq; bibetis, in meam cõmemorationem*, subdit: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, coniunctio illa, *Et*, repetitionem dictionis *Quotiescunque*, indicat, ita vt coniungat propositiones, non terminos, vt sit sensus; Quotiescunq; mãducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis: & quotiescumque bibetis calicem hunc, mortem Domini annuntiabitis. Sic infra idem Paulus habet: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, scilicet probatus, & similiter probet seipsum homo: *& sic de calice bibat.* Vnde in opposita sententia vbi agitur de indignè communicantibus iuxta Græcam literam, per disiunctiuam loquitur; itaque quicumque manducauerit panem, vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Vbi disiũctione illa indicat potuisse separari cõmunionem, & aliquos indignè potuisse sumere corpus, & non indignè sanguinem, aut contra: quia aut vna species citra alterã sumebatur, aut tanta erat dilatio inter vtramq; sumptionem, vt in magno populo prius sumeretur corpus, quàm vllus communicaret de sanguine: sicut in cœna nouissima Christi cœnantes Apostoli prius sumpserũt corpus omnes, antequam esset sacratus sanguinis, qui post cœnam est confectus, & exhibitus. Satis igitur per cuiuslibet speciei sumptionem recolitur corpus Christi pro nobis morti, & cruci datum, & tanti amoris flamma inardescimus: & ita Sacerdos die Veneris sancti celebrãs, & sumens vnam tantùm speciem dignè, annuntiat Christi mortẽ. Et Innocentius VIII. Noruegijs concessit in sola panis specie sacrificare ob inopiam vini, & ita Dominicę mortis memoriam annuntiare.

Matth. 26.

Sacerdos quãdo sub vna tãtùm specie conficit Eucharistiam. *Innoc. VIII.*

Ad octauum verò argumẽtum ex eiusdem epistolæ Pauli verbis productũ: *Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, quod non solis presbyteris, sed toti Ecclesiæ Corinthiorũ scripsit Paulus. Sed vt superiùs admonuimus, sicut exẽplum Ecclesiæ Corinthiorum nihil arctat Ecclesiam nostram præsentem; ita etiã neque verba quæ ibi Apostolus tradit declarando Domini institutionem in cœna factam, & abusus qui irrepserant corrigẽdo, quòd anticiparent cœnam Domini: quòd indignè manducando, iudicium sibi manducarent, & biberent. Et tamen illis verbis asserit, quòd pro illorum temporũ ratione accepturi erant corpus Dñi, & sanguinem, vt prius videlicet se probarent, atq; explorarent, ne in iudicium suum facerent, ideo dixit: *Hoc facite quotiescumq; biberitis, in meam commemorationem.* Et sequitur: *Quotiescumq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*, & reliqua. Non ergo iubet absolutè; sed quando manducandus est panis, & bibendus est calix, ostendit quo pacto salutariter edatur, & bibatur. Atq; ita accipienda est cõiunctio, *Et*, in illis verbis: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*: pro eo quod est, vel de calice bibat. Quod probat id quod inferius ait: *Itaq; quicunq; manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè*, vbi Apostolus disiunctiua vtitur, non copulatiua, loco cuius Ambros. legit, *Aut*, & Græcè dicitur ἤ, quæ particula apud Græcos disiungit: & hic locus posterior alterum priorem Pauli interpretatur. Nec dubium quin mens Apostoli sit, quòd licèt is, qui indignè edit & bibit corpus & sanguinem Domini, reus est vtriusque & corporis & sanguinis; ita ẽcõtrario, qui vel dignè edit corpus, vel bibit sanguinem, vitam sibi mãducare, & bibere. Et vt Labeo, Paulus, atq; alij Iurisconsulti docent, compertum est, coniuncta pro disiunctis accipi, & præsertim Et, capitur pro Vel, quãdo coniuncta re ipsa vnum sunt, aut si de re ipsa, vel argumento, de quo agitur, aliud indicare æquum sit. Porrò panis consecratus re ipsa tantundem continet, quãtum calix consecratus, & vice versa; eiusdemque est efficientiæ, ac fructus.

VIII. argum. diluitur ab exemplo Ecclesiæ Corinthicæ sumptum. *1. Cor. 10.*

Expeditur id dictum Apostoli: Quotiescumque enim mãducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, &c.

Ambr. tom. 5.

Labeo, Paul. Iurisconsulti.

Nonum argumentum ex Apostolo desumitur: *Omnes*, inquit, *eundem potum spiritalem biberũt de petra quæ erat Christus*: Ergo & nunc oẽs debent bibere de calice Domini per aquam illam profluentẽ designato. Respondemus, Apostolum ibi ex figura docere Sacramenta omnia, Christi baptismum, & corpus, & sanguinẽ Domini communia esse bonis, & malis, neque ex eo quòd omnes Christiani baptizati sunt, & fruuntur

IX. argum. dissoluitur. *1. Cor. 10. Exod. 17.* Iudæi vt biberint de spiritali petra Christo, secundũ Apostolum.

corpo-

corpore,& ſanguine Domini,conſequi, omnes Deo placere, vel ſaluos fore. Ex quibus ſequitur fuiſſe præceptum, vt omnes de Domini Calice bibant. Imò antequàm aquam de petra eductam guſtarēt; & poſtquàm ea vti deſierunt, māna conſtat ediſſe: manna enim aliti ſunt vſq; ad Iordanis tranſitum. Ioſue 5. & Exod. 16. at cap. 17. ſcribitur aqua de petra educta, cùm veniſſent in Raphidim: & iterum Numer. 20. & Nume. 21. Deus dedit aquam eis ex puteo, & in Regno Seon, & Og, & aquam de puteis hauſtam biberunt. Ad hæc manna iuſſit aſſeruari, & reponi coram Domino, & abſque putredine conſeruari, vt oſtenderet quo cibo nutriuiſſet filios Iſrael, cùm aquam miraculo productam nec aſſeruari iuſſerit, fortè ad figurandum, fideles corpori Domini ſub ſpecie paſtus, pluſquàm ſanguini ſub ſpecie vini communicaturos. Atque hæc ſunt potiora Hæreticorum argumenta: quæ quàm ſint parui ponderis, & firmitatis, acutus, & prudens Lector diiudicabit: minutiora, leuioraque prætermitto, quæ quiſque per ſeipſum abſque opera noſtra facili negotio diſſoluere poteſt. Habemus igitur Catholicum horum locorum Scripturæ intellectū, & amplam manducandi, & bibendi carnem, & ſanguinem Domini ad vitam, & ſalutem expoſitionem, per quam fit, vt præcepto Domini ſatisfaciamus, ſiue quis ſumat aut vtranque ſpeciem, ſiue vnam tantùm, ſiue nullam, ſed neceſſitate, aut infirmitate aliqua oppreſſus, votum tantùm habeat Sacramenti, aut oblatum Sacramentum adoret, & ob periculum vomitus, actu non ſuſcipiat: nam his omnibus contingit māducare, & bibere ſpiritualiter carnem, & ſanguinem Domini, quomodocunq; contingat Euchariſtiam ab Eccleſia laicis adminiſtrari, quæ regitur Spiritu Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſempiterni tribuantur honores, laudes, & gratiarum actiones ab vniuerſa creatura, Amen.

Quibus modis manducare quis & bibere ſpiritaliter poſſit corpus & ſanguinem Domini.

TRACTATVS XXXV.

In quo Communio ſub altera tantùm ſpecie, quam Eccleſia laicis diſpenſare conſueuit, ſancta, atque idonea, ſalutarisq; euincitur, atque confirmatur.

AD firmandam conſuetudinem Eccleſiæ, qua laicos ſub ſpecie panis tantùm communicare ſolita eſt, multę ſuppetunt, atque illæ quidem magni ponderis rationes. Nam inprimis vt à firmiſſimo & ineluctabili argumento initium dicendi ſumamus, conſtat fuiſſe tria Generalia Concilia in medijs ipſius Germaniæ viſceribus celebrata, in quibus magno Patrum cōſenſu hic articulus definitus; & anathema in contrarium aſſerentes pronuntiatum: Sancta eſt igitur, licita, & ad ſalutem idonea Sacramenti perceptio ſub vno tantùm panis ſymbolo. Conſtat autem inuictam eſſe Conciliorum Generalium in Eccleſia autoritatem: & iniuriam facere Spiritui ſancto, non ſolùm qui eius decreta ſpernit, aut abrogare contendit, ſed etiam illum, qui eius monitis, atque inſtitutis parēre recuſat. Concilia hæc ſunt; Conſtantienſe, Baſileenſe, & Tridentinum. Primum Seſſione 13. initio ferè, in huncmodum ſtatuit: *Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere Sacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque panis, & vini ſpecie ſuſcipere, & non ſolùm ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini populum laicum paßim communicent, etiam poſt cœnam, vel aliàs non ieiuni, & communicandum eſſe pertinaciter aſſerant, contra laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquàm ſacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc eſt, quòd hoc præſens Cocilium ſacrum Generale Conſtantienſe, in Spiritu ſancto legitimè congregatum, aduerſus hunc errorem ſaluti fidelium prouideri ſatagens, matura plurium Doctorum tam Diuini, quàm humani iuris deliberatione prahabita; declarat, decernit, & diffinit, quòd licèt Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraque ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; tamen, hoc non obſtante, ſacrorum Canonum autoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit, & ſeruat; quòd huiuſmodi Sacramentum non debet confici poſt cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceßitatis à iure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo. Et ſicut hæc cōſuetudo ad euitandum aliqua pericula, & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quòd licèt in primitiua Eccleſia huiuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub vtraque ſpecii, poſteà à conficientibus ſub vtraque, & à laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cùm firmißimè credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter cōtineri. Vnde cùm huiuſmodi conſuetudo, ab Eccleſia, & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſimè obſeruata ſit, habenda eſt pro lege, quā non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ autoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hāc cōſuetudinem*

I. ratio.

Conciliorū Generalium autoritas quanta ſit. Hæretici iniuriam Spiritui ſancto faciunt dupli ci nomine.

Concil. Conſtantienſe.

tudinem, aut legem obseruare, sit sacrilegum, aut illicitum, censeri debet erroneum: & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & grauiter puniendi per diœcesanos locorum, seu officiales eorum. Hæc sanctum Concilium Constantiēse, in quo, vt testatur Dominus Ioan. Groppeius, fuerunt quinque Patriarchę, triginta tres Cardinales, quadraginta septem Archiepiscopi, centum viginti octo Episcopi, ducenti decem & septem Theologi, trecenti sexaginta vnus Iurisperiti. Quæ propterea à me fusiùs citata sunt; vt intelligas quātum pugnet sancta Synodus pro consuetudine Ecclesiæ, & illam reprehendentes, tāquàm hæreticos puniendos esse censeat. Accedit Concilum Basileense Sessio. 30. *Decernit, & declarat eadem sancta Synodus, quòd fideles laici, siue clerici communicantes, & non conficientes, non adstringuntut ex præcepto Domini ad suscipiendum sub vtraque specie, panis, scilicet, & vini, sacrum Eucharistiæ Sacramentum.* Hæc ibi. Cumque Bohemi se huiusmodi Conciliorum decretis rebelles ac refractarios præstitissent, vsurpantes communionem sub duabus speciebus: bis Principes Germaniæ ad illos debellandos arma sumpsēre, hortatore Cardinali Iuliano sancti Angeli, Apostolicæ Sedis Legato, doctissimo pariter, & gerendarum rerum prudentia ornatissimo viro: quanquàm bellum satis feliciter non successeris. Quod ob id est à me hoc loco adductum; vt intelligant Germani, qui pro vtraque specie assequenda, bellum nostris seculis Ecclesiæ Catholicæ, & Imperatori Christianissimo Carolo Quinto indixerunt; quod sanè illis accidit infeliciter, quàm sint longè à sincera, & antiqua suorum progenitorum fide & religione. Ad hæc Synodus Tridentina sessio. 21. in hunc modum statuit: *Si quis dixerit, ex præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, sumere debere; anathema sit. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt laicos, atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.* Hæc ibi. Aurea porrò, & notatu digna est sententia Marciani Imperatoris, quam post definitionē Concilij Chalcedonensis pronuntiauit. *Verè impius, & sacrilegus est, qui post Ecclesiæ, & tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit:* Sic sanè Augustinus Cyprianum docet non esse hæreticum in eo quod censebat rebaptizandum, quia necdum fuerat vniuersalis Ecclesiæ, & plenarij Concilij consensu dogma rebaptizationis reiectum. At Donatistæ quia consensui Ecclesiæ repugnabāt, inter hæreticos meritò sunt annumerati: *Quia hoc manifestissimum schisma est* (ait Augustinus) *quod Donatistarum nomine nuncupatur, restat vt hoc de baptismo piè credamus, quod vniuersa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit. In qua tamen si aliud alij; & aliud alij de ista quæstione salua pace sentirent, donec vniuersali Concilio vnum aliquid eliquatum, sincerumq́; placuisset, humana infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis.* Sic ille doctissimus Pater. Et similia de communione sub vtraque specie poterant dici de his quę scripserunt ante Concilium Constantiense: nunc verò non est licitum tale quid sentire citra apertam hæreseos notam.

Ioan. Groppeius.

Concil. Basileen.

Synod. Trid. sess. 21. Can. 1. & 2.

Marciani Imp. Christianissimi aurea planè sententia.

Aug. lib. 2. de baptis. contra Donatist. c. 4 tom. 7.

Idem lib. 2. de baptis. contra Donatist. c. 12 initio.

II. ratio.

Deinde alia ratione possumus hoc idem argumentum constabilire: & posito quod rationi, & prudentiæ maximè est consentaneum, nimirùm certa pro incertis non esse relinquenda: ita enim olim scripsit doctissimus Pater, & prudentissimus Innocentius III. ad Patriarcham Constantinopolitanum, dicens: *Ecclesia Romana non tam cōstitutione Synodica, quàm diuina caput & mater omnium Ecclesiarum existit: ideo nec pro disparitate rituum, nec dogmatum diuersitate differre debueras, quin nobis sicut capiti, secundùm antiquum & Canonicum statum benignius, & deuotus obedires; cùm certa pro incertis non sint relinquenda.* Hæc ille. Igitur, vt hac regula in proposito vtamur articulo, quædā certa sunt in in illo, & quædam probabilia: & quicquid esset de probabilibus, certa non essent pro illis reliquenda, licèt in contrarium viderētur facere: quod si rursus probabilia nihil contradicerent, sed potiùs certis fauerent; maiori iure certa essent amplectenda. Duo igitur certa sunt, ex quibus falsitas huius articuli euincitur, Primum certum est, atque adeò ex fide ipsa exploratum, Ecclesiam nempè Catholicā in his, quæ fidei sunt ac morum, errare nō posse, cùm sit columna & firmamentum veritatis, secundùm Apostolum, & illi tam quàm Sponsæ Christi legitimè Spiritus sanctus assistat, omnem suggerens, ac docens veritatem. Hoc autem ex certis Scripturis, & traditione tot Conciliorum, & Patrum, tanquàm constitutissimum, ac notissimum ponitur.

Innoc. III.

Certa pro incertis haud sunt relinquenda.

Ecclesia Catholica in his quæ fidei sunt, ac morum errare non potest. *1. Tim. 3. Ioan. 14. & 16.*

Secundum certum est; Ecclesiā præsentem, & quæ illam præcessit per trecentos aut ducētos annos, laicos sub altera specie in multis Ecclesijs communicare consueuisse, vt docet sanctus Thomas in Ioannē, his verbis: *Secundùm antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, omnes sicut communicabant corpori,*

Quando altera tantùm specie Ecclesia vti cœperit. *D. Thom. in c. Ioā. lect. 7 sub init. tom. 14.*

ita

ita communicabant & sanguini, quod etiam adhuc in quibusdam Ecclesiis seruatur, vbi etiam ministri altaris continuè & corpore, sanguine cõmunicant. Sed propter periculum effusionis in aliquibus Ecclesiis seruatur, vt solus Sacerdos communicetur sanguine, reliqui verò corpore: nec tamen est contra sententiam Domini: quia qui communicat corpori, cõmunicat etiam sanguini, cùm sub vtraque specie totus Christus contineatur, etiam quantum ad corpus & sanguinem. Hęc ille.

Quomodo constet Ecclesiam, quæ fuit ante pręsentem, per annos 300. sub vna tantum specie communicasse.

Hoc autem partim certum est ex fide, partim ex euidentia, ac traditione, quam neque hæretici negant. Fide enim apprehendimus eorum hominum cõgregationem, qui credunt, & parent decretis Romanorum Pontificum, Ecclesiam Dei esse: vt ex Scripturis, & traditione confirmari potest. Certum autẽ est ex traditione, Ecclesiam, quæ fuit ante præsentem per trecentos annos, communicasse laicos sub altera specie tantum: quæ quidem traditio partim ex historicis horum temporum, partim ex ipsis scholasticis Doctoribus, qui per hæc secula floruerunt, & scripserunt, atq; hanc quæstionem in propria forma tractârunt, hunc vsum in Ecclesia sui temporis extitisse ponentes. Ex his igitur quæ certissima sunt, talis conflatur constans argumentatio: Ecclesia Catholica in his quæ fidei & morum sunt, falli, aut fallere nequaquàm potest; sed si iuris diuini esset dispensare laicis Eucharistiam sub vtraq; specie, proculdubiò in fide & moribus aberrasset sub altera tantùm dispensando; non est ergo iuris diuini populum communicare sub vtraque specie. Minorem illam propositionem in hunc modum probamus, corroboramusq;. In primis enim esset ibi error in fide, quia si sub altera specie nõ est Christus integer, cùm illud Ecclesia perpetuò tradiderit, ac definierit: si ibi totus Christus non adesset, in perniciosum fidei errorem incidisset. Si etiã esset iuris diuini exhibere populo species duas, manifestè vnã tantùm porrigendo, præcepisset Deum colere contra eius præceptum. Quæ cùm sint absurdissima, & ab omni Christiana religione remotissima, statuẽdum est, omni cordato, & prudẽti Christiano, vsum geminæ speciei in communicãdis laicis nunquàm fuisse à Christo præceptum. Habes igitur ex duabus ratiocinationibus, ab autoritate generaliũ Conciliorum; & Ecclesiæ Catholicæ consuetudine firmissimum, fortissimumq́ue propugnaculum, in quod tutò recipias, etiam si alia omnia illis aduersari, ac reluctari in speciem viderentur.

Quod iuris diuini non sit laicos sub vtraq; specie communicare, apertè ostenditur.

Verum vero consonat semper.

Vt tamen intelligas illud quod dici solet, verum vero consonare, expendamus iam quæ in hac causa probabilia videtur; & nõ solùm dictis non pugnare, sed etiã mirificè fauere & consentire deprehendes.

Duo probabilia sunt, ex quibus fidei veritas non pendet.

Duo igitur probabilia sunt, ex quibus fidei veritas nõ pendet. Alterum est, commoda testimoniorum Scripturæ, quæ hæretici in cõtrarium adducunt, solutio. Hoc autem à nobis superiori tractatu abundè præstitum est, atque illis locis nihil prorsus euinci demonstratum. Veritati enim, & rationi consentaneas explicationes attulimus, in quibus meritò prudens lector, & Scripturarum studiosus acquiescere desieat. Alterum verò valdè probabile illud est, Ecclesiam antiquã etiam ab initio nascentis Primitiuæ, & ab ipso Christo, & Apostolis ita fuisse vsitatam speciem cõmunionis laicorum sub vtraq; specie, vt etiam illis temporibus vsus communicandi sub altera specie semper extiterit. Hoc autem ex Scripturis, veterumq; Patrum, ac Conciliorum traditione, atque rationum momentis non est difficile ostendere, etiam si demonstrationibus destitutæ sint mathematicis, quas in huiusmodi rebus exigere, tam sit stultũ, quàm in Mathematicis exigere topicam, ac probabilem argumentationem.

Sextum argum. ex Scripturis & figuris Veteris Testamenti.

Vt igitur ab Scripturis exordiamur, nõ magnoperè cõtendunt ex figuris huius Sacramenti in Veteri Testamento hoc deducere. Nam libamina omnia ad solos Sacerdotes spectasse colligimus ex libro Leuitici. Manna etiam sine potu miraculo datum est populo. Agnus quoque Paschalis, & Azymi panes edebantur in Pascha, nullo præcepto de potione tradito. Quòd si vrgeas, Melchisedech obtulisse panem, & vinum in typum huius Sacramenti: non reluctatur. Sed vide quid sequitur: Erat enim Sacerdos Dei altissimi: & in vtroque symbolo sacrificiũ est celebranũd, quanquàm nõ in vtroq; semper porrigendum, nisi cùm Ecclesia statuerit. In prece etiam Dominica Panem quotidianum, siue super substantialem sine vino petimus: quam petitionẽ multi Patres de Eucharistia interpretãtur, vt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus. Et quanquàm nomine Panis omnia ad refectionem, & alimoniam necessaria intelligantur: nõ est tamen à ratione alienum, ob id tantummodò panis factam mẽtionem, sicut de agno solo, apud Ioannem, & Apostolum, & de vitulo saginato apud Lucam, non de vino; quod in Ecclesia aliquando cõsuetudo alterius tantùm speciei amplectenda esset. Adhæc Dominus cùm apud Ioannem tot millia hominum satiasset,

Leuit. 2. & seq.
Exod 16.
Suprà 12. & seq.
Gen. 14.

Panis quotidianus quis à Deo quem petimus, secundum Patres.

Matt. 6.
Tertull. in orat Domin.
Cypr. serm. 6. de ora. Dom.
Ambr. lib. 5. de Sacr. ca. 4. tom. 4.
Hiero. in c. 6. Matt. tom. 9.
Aug li. 10 Homil. hom. 42. tom 10.

in his legitur accepisse panem, benedixisse & fregisse, vel coram septem Discipulis, Ioan. 21. vel omnibus Apostolis Marc. vlt. nisi in nouissima cœna, & Luc vlti. vbi etiã Cleophas & Lucas dicuntur agnouisse Dominum in fractione panis. Quod multis de caussis Dominus fecisse credendus est.

Cur Christus duos discipulos in Emmaus proficiscẽtes sub vna tantũ specie cõmunicauerit.

Primò, vt se contrarium antiquo serpenti ostenderet. Vt enim ille duobus primis hominibus fructum arboris scientiæ boni, & mali contra Deum edendum sua suasione porrexit, vt oculi eorum aperirentur ad agnoscendam mortifera experientia suam concupiscentiam; ita Dominus carnem suam duobus Discipulis edendam tradidit, quò aperirentur eorum oculi, vt se Messiam agnoscerent. Secundò, vt doceret (vt testatur Augustinus, & Beda) neminem benè nosse Christum, qui corporis eius, quod est Ecclesia, nõ fuerit particeps. Tertiò, ne quis putaret non licere vni soli, vel duobus, priuatim communicare: quia Dominus duodecim Discipulis dispensauit suũ corpus in cœna. Quartò, quia sciebat futuros, qui vtramque speciẽ tanquàm ex Christi institutione ad salutem necessariam, vt saltem tanquàm meliorem & maiorem fructum spiritualem porrigentem exigerent. Postremò, vt ostendat interdum licere consecrationem sub sola specie panis. Et meritò voluit Spiritus sanctus in Scriptura hæc per Lucam referri, qui præcipuè describit Christum Sacerdotem: consecrare autem, & porrigere, vel sub vna, vel sub duabus speciebus, proprium est Sacerdotis munus.

Gen 3.

August. *Beda.* *Coloss 1. & alibi.* Nemo nouit benè Christum, aiunt Aug. & Beda, qui corporis eius quod est Ecclesia, non fuerit particeps. *Ephes 1 & Coloss 1.*

Alia præterea quædam proponuntur argumenta, atq; soluuntur. Primum.

Obijciunt prætereà alij quędã quę parui momenti sunt & facile resoluuntur. Primum est, quòd illi essent in peccato mortifero, vtpote increduli. Sed hoc infirmum est, quia etiam Iudæ in peccato mortifero existenti, & qui cœna Dominicæ astitit, vt multi Patres docent, Eucharistia à Domino est dispensata. Hi etiã Discipuli verbo, & virtute Christi per viam conuersi erant, vnde dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Secundũ est, quia aiunt illos ignorasse illam Eucharistię cõmunionem, atq; ad eam percipiendam imparatos extitisse. Sed vt dictum est, iam ipsi in via erant cõuersi, & in ipsa fractione illuminati sunt oculi eorum, vt religiosè, & reuerenter sacrum panem susciperent, quem prius Dñs susceperat, etiamsi nõ scribatur, sicut fecit in cœna nouissima. Tertiò est, quòd si porrigendo panẽ sacrum Christus euanuit, ipsi suis manibus se communicassent. Sed hoc absurdum nõ est: nam & Apostoli

Luc 24.

II. argum.

Tertium.

in cœna suis manibus communicarunt, & per multa secula in Ecclesia Dei retentus fuit ille mos, vt quisq; de manu Sacerdotis acciperet Eucharistiã, quam domũ quisq; suam deferebat, & cùm volebat, cõmunicabat. Quartũ, quia dicitur in illa eâdem hora reuersos fuisse Discipulos in Ierusalem; vt intelligamus illos omni mora postposita in iter se dedisse, & ita incommunicatos abijsse. Sed profectò iu eâdem hora & communicârunt, & regressi sunt, quia non multum temporis ad vtrumq; requirebatur: & eâdem hora hoc, vel illud facere in Scripturis nõ in tam stricta significatione accipitur. Addunt quidam, Dñm benedixisse panibus apud Ioan. nec tamen consecrasse. Sed mirũ non est, cùm nondum esset institutum hoc Sacramentũ: & contextus ipse, atq; Doctores cogũt, illud nequaquàm esse intelligendũ de Eucharistia: quę tamẽ omnia de Eucharistia intelligendam illam apud Lucam benedictionẽ suadent. Postremò dicunt quidam, non fuisse collatam Eucharistiã, sed figuram seu typum eius: quemadmodũ melle gustato oculi Ionathæ aperti sunt. Certè illuminatio, quã hic acceperũt discipuli Domini, vt Doctores tradunt, nõ solùm fuit ad Christum de corpore, sed spiritualiter agnoscendũ: hinc cum gaudio reuersos fuisse in Ierusalem, tradit Lucas. Hæc aũt interna illuminatio, effectus est proprius Eucharistiæ: non decet autem effectum rei figuratæ ipsi figuræ tribuere: nec hãc virtutẽ habuit mel in Ionatha, sed caput eius inedia debilitatũ corroborauit, ita vt multiplicatis spiritibus visũ recuperauerit, qui alioqui languebat. Adhęc eadem sub vna specie cõmunicatio cõfirmari videtur ex Actis Apostolorum, vbi dicitur: *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quod verbũ, in primis de cõmuni pane nequit intelligi: quia præcedentia, & sequentia exercitia, id est, doctrinæ, & orationum, spiritualia erãt, & per se bona; perseuerare autẽ in cibo corporeo; nec est per se bonum, nec dignum, quod admisceretur spiritualibus. Alij verò per fractionem panis intelligunt eleëmosynam, iuxta illud: Frange esurienti panem tuum. Sed cùm illi primitiui Christiani omnibus se bonis spoliassent, nõ poterant in tali fractione panis perseuerare. Alij rursus de ieiunio, & victus parcitate, ac frugalitate hanc fractionem intelligunt, vt Chrysost. & Oecumenius: & ponderant, quod pane solo, & illo quidem fracto vescerentur in suo ieiunio. Quod mihi non admodum probabile videtur: non solùm, quia in Scriptura

Priscus in Ecclesia Dei ritus communicandi.

Quartum.

Quintum. *Ioan. 6.*

VI. argum.

1. Reg. 14.

Luc. 24. Eucharistiæ effectus proprius est mentem illuminare.

Act. 2. Fideles primitiuos Act. 2. perseuerasse in fractione panis, nõ communis, sed Eucharistici, vnde constet.

Esa 58. Duplex interpretatio refellitur.

Chrys. ho. 7. in Actus, to. 3. *Oecumen. Ibidem.*

ptura non ostenditur illud significare, sed quia non omnes poterant se in ieiunio exercere; nec est verisimile, quod pueri, puellæq; teneræ, grauidæ etiam, & infirmi pane solitario, vescerentur.

Fractionē panis Eucharistiam cur vocet Euangelista.

Vocat igitur fractionem panis Eucharistiam, ob ceremoniam frangendi panem in tot partes, quot sunt communicandi, vt Christus fecit in cœna, & quē morem longo tempore retinuit Ecclesia, & de qua Apostolus: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est.* In qua fractione pulchrè repræsentatur passio corporis Christi: vt ita Lucas in Actis consonus sibi sit cum his quæ dixit in Euangelio de duobus Discipulis Emmauntem profectis, & cum his quæ ipsemet paullò post scribit: *Frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* Actuum 20. quoque fideles vnà Sabbatum conuenerant ad frangendum panem: qui locus profectò de Eucharistia venit intelligendus, quia ad communē cibum non tantùm vna Sabbati, sed etiā quotidiè percipiendum conueniebant. Cùm igitur nihil dicitur de benedictione calicis, & ad figuram synecdoches sine necessitate confugiendum non sit, habemus, Ierosolymitanam Ecclesiam in sola specie panis communicasse.

1. Cor. 10.
Quid fractio panis Eucharistici repræsentabat.
Act. 2.

Hęc obiectio panis nomine, potus etiā venit, more Scripturæ: multiplici ratione diluitur.
Luc 14.

Quòd si objiciant, quemadmodum in naturali & communi cibo subintelligitur potus, quia nec solo cibo, nec solo potu, sed vtroque nutrimur. Vnde cùm ait Lucas: *Cum introisset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem*, potus quoque intelligitur. Sed hoc firmum non est, & maximè apud hæreticos, qui contendunt Scripturā intelligendam, prout verba sonant: nec necessarium est in vna specie alteram intelligi, quia sub qualibet totum Christi corpus, & totus eius sanguis continetur: vt propterea ad synecdochen non sit confugiendū. Deinde cùm ille ritus communicandi vsui, & consuetudini Ecclesiæ sit consonus, non est ad figuram aliquam confugiendum, vt reprobetur. Adhæc si id voluisset intelligi, apertè expressisset Scriptura, vt fecit in Epist. ad Corint. Præterea eadem refectio spiritualis est perinde in vna specie, atq; in vtraq;: propterea qui fractioni panis adiungunt & calicem, de suo aliquid verbo Dei adiungunt: vt timendum sit illis ne incurrāt pœnas ijs, qui verbo Dei aliquid addunt, aut minuunt, intentatas. Præterea certum non est, fractionem illam panis, de qua Act. 2. statim post consecrationem factam esse in Missa: quia potuit esse communio sub sola panis specie ex præsanctificatis, qualis est hodie in die Parasceues in Ecclesia Romana, & per multos dies Quadragesimæ apud Græcos; & quotidiè nunc apud infirmos. Nā cùm ab exordio Ecclesiæ pauci essent Sacerdotes, & quotidiè communicarent fideles per singulas domos, probabile est hanc corporis Domini distributionem etiam ex præsanctificatis fuisse celebratam.

Hæretici Scripturā verbotenus intelligunt, & interpretantur.
III. ratio.
Tertia.
1 Cor. 10. & 11. & seq.
Quarta.
Deut. 4. & 12. Apoc. vlt.
Quinta.

Confirmatur hæc sentētia alijs argumentis.

Est autem tutus hic sensus, & cæteris præstantior, quia consonus est alijs Scripturæ locis: imò ipsius Lucæ. Deinde illum voces propriè significant, & Patres veteres non ignorârunt. Et pulchrè Augustinus scripsit: *Per Scripturas diuinas multò tutius ambulatur, quas verbis translatis opacatas, cùm scrutari volumus, aut hoc inde exeat quod non habeat controuersiam, aut si habet, ex eadem Scriptura vbicunq; inuentis, & adhibitis eius testibus terminetur.* Sic ille. Adde his quæ Leo IX. de more Ecclesiæ Ierosolymitanæ scribit: ait enim, quòd Hierosolymitani Episcopus & Clerus si quid ex sancta, & venerabili Eucharistia in Ierosolymitanis ecclesijs superfuerit, nec incendunt, nec in foueam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt; & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidiè communicatur ibi, eò quòd cōueniunt ibi ex diuersis prouincijs Christiani, qui propter fidem & maximum amorem Filij Dei communicari ibi desiderant. Sic ille. Non est autem probabile, asseruasse sanguinem, vel in pixide condidisse. Beatus Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum; ex Euangelio, quod appellatur secundùm Hebræos refert, beatum Iacobum fratrem Domini iurasse se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Cumque Dominus ei apparuisset: *Afferte*, ait Dominus, *mensam, & panem.* Statimq; additur: *Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo iusto, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus.* Hæc ille. Vbi vides communionem sub specie panis tantùm, quia beatus Iacobus domi vinum non habebat: nam, teste Egesippo, nūquam vinum biberat, nisi tantùm in cœna Domini. Huius apparitionis Christi ad beatum Iacobum meminit quidem Paulus in priori ad Corinthios: at Hieronymus ex Hebræorum Euangelio addidit, quod cōmunicauerit cum Dominus in sola panis specie: bis igitur in eadem die communionem sub altera tātùm specie panis porrexit Dominus, & Iacobo Apostolo, & Discipulis in Emmaus castellum proficiscentibus.

Aug. lib. 3. de doct. Christ. c. 28. tom. 3.
Leo IX ep. ad Michael. Imp. contr. erro. Græcor.
Quid Ecclesia Ierosolymitana de reliquiis Eucharistiæ facere consueuerat.
B. Hieron. tom. circa finem.
Egesippus.
1. Cor. 15. Hieron.

Hæc de Scripturis dicta ſufficiant.

II. Argumentum à tradi tione Patrum, & Conciliorum. Tertull. l. 2. ad uxor.

Idem poteſt ex traditione Patrum, & Conciliorum oſtendi. In primis enim Tertullianus libro ad vxorem refert, Euchariſtiam domum deferri ab vxore ſolitam: & ante omnes cibos, vel non vidente, vel vidente quidem, ſed non intelligente marito, ſumi ſolitam: non ferebat autem, nec ſumebat vini ſpeciem: quòd neque commodè poſſet deferri citra periculum effuſionis: neq; aſſeruari ſine periculo acrimoniæ. Vſitata ergò, & licita erat ſpecies altera Sacramenti. Idem etiam libro de Monogamia loquens de presbyteris, ait: *Illi planè ſic dabunt viros, & vxores, quomodo buccellas.* Vocat buccellas Sacramētum Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, quam prò ſe, & pro abſentib⁹, vt docet Iuſtinus in Apologia ad Antoninum pro Chriſtianis, domum deferebant. Ante Tertullianum Diuus Ignatius in Epiſtola ad Epheſios ſolius vnius ſpeciei mentionem facit: *Eruditi, inquit, à Paracleto, obedientes Epiſcopo, & presbytero impræuaricabili ſenſu frangentes panem, qui eſt medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, ſed viuendi per Ieſum Chriſtum.* Sic ille ſanctus Pater, nihil præcipiens de Calice. Adhæc Cyprianus refert mulierculam domi habentem ſanctum Domini in arca: ad quod cùm irreuerenter accederet, ignis prodijt ex arca, quæ illam perterrefecit, & ad cor redire fecit. Idem etiam refert de quodam ſacrificijs idolorum maculato, occultè cum alijs Euchariſtiam percepiſſe: quàm cùm domum detuliſſet, cinerem tantùm in manibus inuenit. Vinum aūt conſumptum non relinquit cineres. Adde Euſebium Cæſarienſem, qui quidem in hiſtoria Eccleſiaſtica producit Epiſtolam Irenæi Martyris ad Victorem Papam, ex qua conſtare poteſt, Romanòs Pontifices, quibus ſucceſſit Victor, mittere ſolitos Euchariſtiam in ſymbolum communionis ad Epiſcopos Aſſiaticos Romam ventitantes: nec eſt probabile, quòd vinum tunc mitterent, quia neque commodè fertur, nec ſolet vocari Euchariſtia. Pontifex etiam Romanus cùm peregrinatur, ſolam ſpeciem panis, pro Viatico ante ſe geſtari facit. Idem quoque Euſebius Serapionem quendam virum celebratum refert periculosè laborantem poſtulaſſe Euchariſtiam. Cùm autem Sacerdos ægrotaret, nec poſſet deferre, puero tradidit qui portaret: illique iuſſit, vt infuſam ægroto præberet. Et quia in domo Serapionis non erat ſanguis Domini, liquet quòd ſimplici aliquo, vel communi liquore, vel vini, vel aquæ infuſam dedit. Hier. in apolog. pro libris cont. Iouin. fideles Romæ corpus Domini domi accipere ſolitos tradit, cùm Eccleſias ingredi non auderent ob coitū coniugalem. *Scio, inquit, Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: vnuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat: ſed ipſorum conſcientiam conuenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta Perſium, noctem flumine purgant, Quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet.* Hæc ille. Qui ergo domi communicabant, tantùm de corpore participabant, nec moris erat vnquam ſanguinis partem domum deferendam porrigere. Beatus Ambroſius in oratione funebri de obitu fratris ſui Satyri, prope initium refert, eum, cùm catechumenus eſſet, in oratio ex collo pendenti geſtaſſe Euchariſtiam, cuius virtute à naufragio fuerit liberatus, non portabat autem ſanguinem minimè ad ferendum aptum, ex collo maximè. Chriſtiani enim olim pelagus ingreſſuri, Euchariſtiam ſecum deportabant, ne mortis impendente periculo ſalutari illo Viatico fraudarentur. Ita enim Ioannes Diaconus in vita B. Gregorij ſcribit: *Fideles qui cum Maximiano Syracuſano Epiſcopo, iam iamque naufragium facturi videbantur, ſibi ipſis pacem dederunt, & corpus & ſanguinem Redemptoris acceperunt.* Hæc ille ferè. Idem Ambroſius ſub hora mortis communicatus eſt ab Honorato Epiſcopo Vercellenſi ſub ſola panis ſpecie, nulla mētione facta de ſpecie vini, vt narrat Paulinus in vita eius, ſicut etiam legitur de ſancta Petronilla, Beato Hieronymo, ſancto Martino, Beato Benedicto, Diua Lucia, beatoque Franciſco, de quibus omnibus teſtantur hiſtoriæ, quòd in fine vitæ alteram tātum ſpeciem panis ſuſceperint. Hæc etiam ſimplicis perceptio ſpeciei miraculis confirmata eſt. Nam Beatus Gregorius in Dialogis de S. Pontifice Agapito in Græciam proficiſcenti, ſcribit oblatum fuiſſe ei mutum, & claudum: quem corporis Dominici communione poſt peractum ſacrificium à mutitate liberauit. Sozomen. ſcribit virum quendam à Macedoniana hæreſi, & Chryſoſtomi doctrina reuocatum, habuiſſe vxorem, quæ dogma Macedonianum ſequebatur, nec à viro conuerti poterat: vnde vir ad illam dixit: Niſi mihi in diuinis conſors fueris, neque in vitæ communione poſthac eris. Quo audito conſenſum pollicita eſt. Reque prius cum famula, quā ſibi fidam eſſe putabat, cōmunicata, illius opera ad fallendùm virum vtitur. Nam tēpore myſteriorum illa quod accepit conti-

Marginal notes: Idem. — Iuſt. Mart. to. 1 init. — B. Igna. ep. 14 in fin. — Panis Euchariſticus eſt medicamentum immortalitatis, & antidotum non moriendi, ſed viuendi per Ieſum Chriſtum: B. Ignat. — Cyp. ſer. 5. de lapſis. — Idem ibidem. — Euſ. l. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24. — Corpus Chriſti, no ſanguis propriè vocari ſolet Euchariſtia. — Pontifex cum peregrinatur, Euchariſtiā in ſola panis ſpecie ante ſe geſtari in viaticū de more facit. — Idem Euſ. l. 7. Eccl. Hiſt. ca. 14. — Hiero tom. 2. — Rom. 14. — Perſius. — B. Hier. to. 2. — Chriſtiani olim nauigaturi, Euchariſtiā ſecum deferre ſolebant. — Ioa. Diac. l. 2. vit. B. Georg. c. 33. — B. Paulin. — Simplex Sacramenti perceptio quibus fuerit confirmata miraculis. — B. Gregor. l. 3. Dial. cap. 3. — Sozo. l. Hiſto. Tripar. 5.

nens, quaſi oratura procumbit: famula verò aſtanti clanculum dedit quod ſecum in manu attulerat. Quod cùm dentibus admouiſſet, in lapidem congelaſcit: quo mulier perterrefacta, metuẽs ne quid ſibi mali propterea diuinitus accideret, ad Epiſcopũ curſu concito pertexit, remque totam vti geſta erat, cùm lacrymis enarrauit: oſtenditque lapidem adhuc morſus veſtigia habentem: quem lapidem adhuc ſeruari inter Clynodia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ aſſerit Sozomenus. Ex qua hiſtoria liquet etiam tunc temporis Chriſtianos Euchariſtiam ſub altera ſpecie percepiſſe:

Amphiloch. Iudæi cuiuſdã conuerſio.

Amphilochius in vita Beat. Baſilij refert, Iudæum quendam ſe populo admiſcuiſſe, dum miniſtraret Baſilius in altari, & hoc, vt officij miniſterium exploraret: vidiſſeque eum infantem in partes diuidi, in manibus ſancti Baſilij, & communicantibus omnibus veniſſe & ipſum Hebræum, datamque hoſtiam veram carnem factam: quo miraculo permotus, credidit cum vxore, & omni domo ſua.

Alterius vltio diuina. *Ioan. Diac. li. 2. vit. B. Greg. cap. 41.*

In vita B. Syri ſcribitur, Iudæum quendã eo conſilio ad communionem ſimulata religione acceſſiſſe, vt Euchariſtiam in lutum deijceret: q̃ cum ille accepiſſet, cępit clamare ſe ignem in ore habere: & grauiſſimos cruciatus perpeti. Teſtatur Ioannes Diaconus in vita B. Gregorij, quòd cùm ille per ſtationes publicas Miſſarum ſolennia celebraret, matrona quædam illi ſolitas oblationes (panis ſcilicet, & vini) obtulerat. Cui pòſt myſteria traditurus, cùm diceret: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruet animam tuam: laſciua ſubriſit. Ille verò continuò dexteram ab eius ore conuertens, partem illam Dominici corporis ſuper altare depoſuit: expletis verò Miſſarum ſolẽnijs, matronam coram populo inquiſiuit, quamobrem corpus Dominicum ſumptura ridere præſumpſerit. At illa diu muſſitans, tandem reſpondit: *Quia panem*, inquiens, *quem proprijs manibus me feciſſe cognoueram, tu corpus Dominicum perhibebas.* Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe ſe in orationem proſtrauit: & poſt paullulum ſurgens, particulam panis, quam ſuper altare poſuerat, carnem factam reperit, quam coram cunctis incredulæ matronæ demõſtrans, ad credulitatis gratiam tam illam reuocare potuit, quam totum populum confirmare curauit. Rurſus itaq; in orationem cum eiſdẽ proſtratus, carnis fruſtum in panis primordia reformauit. Hactenus ille.

Mulieris per ſacram Euchariſtiam ab incredulitate liberatio.

Eua. l. 4. c. 34. Nic. l. 17. c. 25. Eccleſiæ Cõſtantinopolitanæ vetus conſuetudo circa reliquias Euchariſtiæ ſacroſanctæ.

Euagrius hiſtoricus Græcus, & Nicephorus tradunt veterum cõſuetudinem fuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana; vbi multæ particulæ corporis Chriſti ſuper eſſent ex communione, pueri impuberes ex his qui ſcholas frequentant acceiſantur, illiſque abſumendæ dentur: vbi aduerte ſpeciei vini reliquias non potuiſſe pueris tradi, ne inebriarẽtur.

Sanctiſſ. Dei genitricis inſigne miraculum liberationis pueri Iudæi ab incendio.

Cùm huiuſmodi autem pueris adiunctus fuit Vitriarij cuiuſdam Hebræi filius, qui parentibus de cauſſa moræ interrogantibus, quid cum alijs pueris egiſſet, ſignificauit. Pater ergo illius ira, & furore commotus, in furnum eum ardentem, in quo vitrum formare ſolebat, incluſit. Cùm verò mater filium quæreret nec paſſim per ciuitatem quærens inuenire poſſet; tandem tertio die ad oſtium officinæ mariti puerum ex nomine cum lamentis inclamabat. Ille verò matris voce agnita, è furno reſpondit: quem cum in medio carbonum ſtantem, & ab igne intactum vidiſſet, interrogauit, quemadmodum illæſus permanſiſſet: Mulier, inquit, purpura veſtita crebrò ad me veniens, aquam porrexit, illaque vicinos carbones extinxit, cibumque mihi dedit, quoties eſuriui. Quod cum Iuſtiniano Imperatori narratum eſſet, filium quidem, ac matrem lauacro regenerationis illuminatos ſeruauit, patrem verò, quoniam Chriſtianis accenſeri non ſuſtinebat, tanquam homicidam filij ſui, cruci affixit. Eandem hiſtoriam enarrat inter Latinos Gregorius Turonenſis in opere ad gloriam plurimorum Martyrum, edito de miraculis ſanctiſſimæ Dei genitricis.

Greg. Turon. cap. 9.

Simile quid ſtatuitur in Concilio Matiſconenſi II. in Gallijs celebrato, vbi de Euchariſtiæ reliquijs ita decernitur: *Sacramenta altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur. Quæcunque reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta feria innocentes ab illo, cuius intereſt ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.* Hæc illud.

Conc. Matiſc. 2. Can. 6.

Guil. Abb. l. de vit. B. Bernar.

Teſtatur Guillielmus Abbas in vita B. Bernardi, fratrem quendam minus obedientem de manu B. Bernardi communicaſſe, qui tamẽ eum propter vitium contumaciæ à communione ſuſpẽderat. Ille igitur vbi corpus accepiſſet, nunquam potuit traijcere; donec ipſe procumbens in genua B. Bernardi, rem totam illi aperuit; & vbi eum à peccatis abſoluiſſet, facilè traijcere potuit.

Alex. Hal. 4. par. ſum. q. 53. memb. 1.

Alexander Halenſis in quarta parte ſummæ, quam iubente Innocentio Quarto conſcripſit; recenſet quoſdam Religioſos extitiſſe, qui exigerent ſibi dari vtramque ſpeciem: Sacerdote autem quodam pio cantante, cùm faceret fractionem hoſtiæ, conca

uum

uum patenæ totum visum est repleri sanguine: ad quod obstupuerunt ipsi, & circunstantes. Sed cùm coniungeret partes hostiæ, totum visum est reintrare: & petitioni, & tẽtationi illorum fuit satisfactum. Non supprimam silentio, quod à magnis viris Religiosis, & fide dignis accepi: Religiosum quendam virum periculosè laborãtem postulasse sanctum Viaticum: quod cùm allatum fuisset, & ob frequentem vomitum nõ posset assumere, sed tantùm adorare: rogauit Sacerdotem, vt corpus Christi inuolutum sacro linteolo cordi eius admoueret: quod cùm fecisset Sacerdos, corpus Domini penetrauit in cor eius: & ita compos desiderij sui ex fide magna profecti, non minus quàm Hæmorrhoyssa tangens Domini fimbriam, factus est. Non dubito, hæreticorum ingenium esse, hæc Domini signa cachinis, & risu excipere: sed id consultò faciunt, quòd cum alijs armis nequeant, putant satis risu à se expugnata.

Luc. 8. Ingenium hæreticorum.

Sed cùm hæc à magnis, & grauissimis viris scribantur, & in Ecclesia Dei celebre nomen obtineant; non nisi impiorum, & impudentium est hæc temerè, atque sine caussa inficiari. Sed audi quid Paschasius libro de corpore & sanguine Domini ante 600. annos scripserit: *Nemo*, inquit, *qui sanctorum vitas, & exempla nouerit, ignorare potest, quòd sæpè hæc mystico corporis, & sanguinis Sacramenta, aut propter dubios, aut certè propter ardentius amantes Christum, visibili specie in agni, vel pueri forma, aut in carnis, & sanguinis colore monstrata sunt: vt qui latebat in mysterio, patesceret in miraculo.* Hactenus Paschasius, cuius testimonium confundit impios, & deridendos, aut potius lacrymis prosequendos, quàm risu hæreticos.

Paschas. li. de corp. & sang. Dom. c. 31.

Cur Christus non tatù in Eucharistia in specie agni, vel veri forma visus fuerit.

Iam verò idem ex Concilijs antiquis nitamur ostendere. Sexta Synodus describit morem communicandi laicorum, qui manu solebant recipere Eucharistiam à Sacerdote: quanquam postea tempore Balsamonis Antiocheni Archiepiscopi, qui in illos Canones commentatus est, id iam esset prohibitum. Ex illo igitur more communicandi constare potest, quòd tunc daretur sola panis species, nam vinum non commodè susciperetur, neque à prudenti Sacerdote porrigeretur, nisi cum magno, & manifesto periculo effusionis. Sic ergò habet ille Canon: *Si quis voluerit synaxis tempore communicare purissimo Christi corpore, & manus in formam Crucis figurans, sic adeat, & suscipiat gratiæ communionem. Eos enim, qui pro manu vascula quadam aurea, vel ex alia materia construunt ad susceptionem diuini doni, & per illa immaculatam communionem volunt, nullo modo admittimus, vt præferentes materiam inanimem, hominique obnoxiam Dei imagini.* Et pœnæ excommunicationis assignatur aliter facientibus. Augustinus sermone de anniuersario dedicationis templi, simile quid suo seculo factitari insinuat, his verbis: *Omnes viri quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Corpus Christi accipiant, non est graue quod dico, fratres, quomodo viri lauant aqua manus suas, sic eleemosynis lauent conscientias suas. Similiter & mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi corpus Christi accipiant: sic corpus castum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conscientia Christi Sacramenta suscipiant.* Hæc ille. Vides igitur tempore Augustini morem fuisse, vt mulieres linteolo susciperent corpus Christi? Rursus Sexta Synodus instituit, vt Sacerdotes in Quadragesimo tantùm conficiant in die Sabbati, & Dominica, & die Annunciationis B. Mariæ; alijs autem diebus vtãtur præconsecratis hostijs (quemadmodum in Ecclesia Latina fit in die Parasceues, quod ante septingentos annos fieri solitum, docet Rabanus) hoc autem institutum Balsamon interpres Græcorum Canonum commendat: rationemque reddens, ait, quòd sacrificare, & consecrare, magis tempori lætitiæ, conueniunt, quàm diebus luctus, quales sunt Quadragesimales. Cùm ergo præconsecratis hostijs vterentur, & vinum commodè non possit seruari per plures dies citra periculum acedinis; constat etiam Græcos Sacerdotes altera tantùm specie tunc vti solitos, sicut etiam hodie vtuntur nostri Sacerdotes in die Parasceues, sine reprehensione quod peccent in ius Diuinum, aliàs Synodus in præceptum CHRISTI peccasset.

III. Argum. ab antiquis Concilijs. *VI Synod. Canon. 101. Balsamon Antioch.*

Quo gestu corporis olim Eucharistia sumi consueuerat.

Aug. ser. 42. de temp. to. 10

Eadem VI. Synod. can. 52.

Raba. l. de instit. Cler. cap. 67. Balsamõ.

Nec obstat quod quidam Berno de officio Missæ scribens dicit, per orationem Dominicam, & immissionem corporis Domini vinum consecrari, vt populus possit plenè communicare: hoc enim est contrarium veterum omnium Doctorum, & recentiorum sententijs, qui asserunt verbis CHRISTI, non contactu corporis consecrari CHRISTI sanguinem. Aduersatur etiam hoc Innocentio I. qui in epistola ad Decentium ait: *Traditio Ecclesiæ habet, isto biduo, hoc est, Parasceue, & Sabbato Sancto, quo Apostoli in mœrore constituti ieiunarunt, Sacramenta penitus non celebrari.* Ergo vinum per illam immissionem corporis CHRISTI non sacratur. Quòd verò in Sabbato sancto nos Missam celebramus, dicimus illam magis ad noctem Dominicæ Resurrectionis, quàm ad Sabbatum spectare, &

Obiectio diluitur. *Berno.*

Innoc. I. ad Decentium cap. 4.

Missa in Sabbato sancto quare celebretur.

tempore Innocentij noctu celebrari solebat. Præterea Canones existunt præcipientes, vt cum reuerentia reliquiæ Eucharistiæ absumantur. Vnde Clemens ad Iacobum scribens, ait: *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & Ministro, qui cum timore, & tremore Clericorum, reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne putredo in sacrario inueniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini nostri Iesu Christi si negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admonere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint: in crastinum non reseruentur, sed cum timore, & tremore, Clericorum diligentia consumantur. Qui autem residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conueniant.* Hæc Clemens: vbi per holocausta, & fragmenta corporis Dominici intelligit: quicquid populi accipiebant: & horum holocaustorum reliquiæ, vocantur residua corporis Domini. Ex quibus colligitur, quòd populi tantum corpori Domini communicarent; cùm nihil de asseruando vino statuat, cui speciei liquidæ magis erat prospiciendum. Concilium etiam Matisconense II. decreuit, vt reliquiæ corporis Domini quarta, vel sexta feria ab innocentibus, & ieiunis absumantur: vt superius annotauimus. Loca præterea, in quibus seruabant corpus Domini. Græci ἀρτοφόρια vocabant, sicut Latini Ciboria; eò quod panis tantummodò asseruaretur, qui cibus est animarum. Vnde Canones extant, qui præcipiunt asseruari Eucharistiam pro infirmis; vt extra de custodia Eucharistiæ, cap. statuimus, & de consecratione dist. 2. cap. Presbyter. Vbi nomine Eucharistiæ tantùm species panis venit; quia cauetur vt diligenter custodiatur, ne comedatur à mure, aut rodatur: quod cum speciei vini non possit conuenire, reliquum est, vt infirmi in sola specie panis communicarentur. De asseruanda verò vini specie, aut nulla, aut exigua extat memoria: tantùm apud Chrysostomum in epistola ad Innocentium Papam legi, milites ingressos in sanctuarium, & vidisse quæ non licebat videre nondum initiatos, & CHRISTI pretiosissimum sanguinem effusum super vestes militum: ex quo videtur quod tunc asseruaretur sanguis. Id etiam, quòd paullò ante narrauimus ex libro vitæ Beati Gregorij dilucidum fit. Nam Siculus Maximianus Episcopus Syracusanus nauigans cum Clericis, corpus & sanguinem secum deportasse dicitur, ex eo quod corpori, & sanguini CHRISTI ante naufragium communicauit. Sed hic ritus fortassis propter periculum paullò post obsoleuit. Idem præterea vsus communicandi laicos sub altera tantùm specie, colligi videtur ex decreto Pij Pontificis Romani, qui in locum Eucharistiæ his qui non erant parati communicare, instituit vt panis benedictus præberetur: qui quidem ritus etiamnum in multis regionibus retentus est. Ex quo habetur vehemens coniectura, quòd Eucharistia, cui panis benedictus successit, sine sanguine communicaretur populis. Decretum autem Pij Pontificis citatur à Brocardo in compilatione suorum decretorum, & adiungitur decretis Pij in primo volumine Conciliorum: vbi citatur extractum ex Codice quinque librorum. Eundem quoque ritum Græca Ecclesia videtur retinuisse. Nam cùm pro more illius Gentis particula quædam ex magno quodam pane ad sacrificium conficiendum præscindatur, totus panis reliquus in fragmenta, siue frustula secatur, & sacrificio adsistentibus porrigitur: quod videtur arguere: olim totum panem fuisse consuetum consecrari, & fractum fidelibus porrigi. In vtroque autem ritu siue Ecclesiæ Latinæ, siue Græcæ, videmus nihil de calice, aut vini specie præceptum esse, quòd satis esse putarent ad salutem sub specie panis communicare. Præterea Canones extant multorum Conciliorum, in quibus fit mentio de communione laica: vtpote Sardicense Canone 1. & 2. Elibertinum capite 76. Agathense cap. 50. & de cons. dist. 50. c. Si Episcopus, Concil. etiam Martini Papæ, vt habetur dist. 55. c. si Euangelica, eiusdem communionis laicæ meminit. In his locis licet ex vi vocis non habeatur, an de vtraque, vel altera specie tantũ sit sermo: quia si laici in vna regione vtebãtur altera specie, illa esset laica communio: sicut vbi esset mos vtriusque, vt apud Græcos, illa etiam fuisset laica: ex cõtextu tamen coniectare licet, & præsertim ex Decreto Martini, quod esset altera species: in quo Decreto Martini Clerico in extremis laboranti iubetur dari laica communio. Per quam quoniam non possumus intelligere pœnam communicandi inter laicos, nec abstinendum à celebratione, & accessu ad altare, cùm hoc Presbyter, vel Episcopus in extremis laborans non possit facere: superest vt alteram tantùm speciem intelligamus. Cardinalis Turrecremata in distinctione 55.

Clem. Rom. ep. 2. inst.

De cons. dist. 2. c. tribus grad.

Conc. Matisc. can. II. c. 6.

Ἀρτοφόρια Græcis quid, & Latinis Ciboria.

Chrys. to. 5. Quando asseruaretur sanguis Dominici speciei, teste Chrysostomo.

Ioa. Diac. l. 1. vita B. Greg. ca. 33.

Panis benedictus quis olim præberetur de more.

Brocard.

Lib. 2. ca. ... Ecclesiæ ... in ... Eucharistiæ, eademque ... ritus.

Conc. Sardic. Conc. Eliber. Conc. Agath. Idē Conc. c. 1. Con. Martini Papæ.

Car. Turrecr.

Decreti

Decreti, variè communionem laicam interpretatur, ait enim: *Communionem laicam, id est, conuersationem cum laicis tantùm habeat, quasi non clericus, vt negatiuè intelligatur. Laica tamen communio dicitur multis modis: scilicet, acceptio Eucharistiæ post clericos cum laicis, vel acceptio Eucharistiæ ter in anno, sicut faciunt Laici, scilicet in Natiuitate Domini, Pascha, & Pentecoste: vel panis benedictus, qui solet dari laicis diebus Dominicis: item cessatio ab officio, & choro, & dormitorio, & refectorio Clericorum. Communicatio tamen cum laicis hoc quarto modo competentius accipitur hic, licet quolibet & aliorum modorum possit intelligi.* Hactenus ille. Sed certè quicquid sit laica communio, videtur clericis in pœnam fuisse irrogata, & ministerio altaris priuasse illos, qui sic puniuntur. Hinc Canon decimus quintus Apostolorum mandat, vt Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum in aliena Ecclesia præter voluntatem Episcopi sui manens priuetur officio, & communicet tantùm, vt laicus. Et Cyprianus ad Antonianum: *Sic laicus communicet, non secundùm quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum & Sacerdotis vsurpet.* Hæc Cyprianus, sese explicans quid esset communio laica.

Laica communio quot modis dicatur.

Laica communio quid nam sit.

Canon Apostolorum.

Cyp. l. 4. ep. 2. aliq. post med.

Facit etiam ad hoc ipsum comprobandum sententia illa, quòd Sacerdos potest in altera tantùm specie, vel panis, vel vini, Sacramentum conficere: Si v. g. adsit panis, & non vinum, vel suppetat vinum, & non panis. Ita Christus Luc. vlt. confecit in sola panis specie, vt multi tradunt. Quod in primis docet Innocentius III. Innocentius quoque VIII. Norvegiæ id suo tempore concessisse testatur Raphael Volaterranus in Geographia sua, dicens: *Norvegia Innocentij VIII. Pont. concessione permissum sine vino panem sacrificare: quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat: cuius rei gratia legatio missa.* Hanc sententiam vt magis probabilem sequitur Gabriel Biel, docens quòd celebrans iure Diuino non tenetur vtramque speciem consecrare. Et ante eum Albertus Magnus in Quarto, & Hadrianus ibidem, nec non Alexander de Hales asserunt nulla lege teneri Sacerdotem vtraque specie vti: quos sequitur Turrecremata in Decretum, sicut Summa Pisana, atque Angelica. Verba Hadriani in Quartum sententiarum, quæst. *An cibus, aut potus præstet impedimentum communioni: Dico quòd vbicunque verum scandalum imminet pusillorum, vtique licet in casu dicto non procedere ad sanguinis consecrationem: quia maius longè est præceptum euitandi scandalum proximi, quàm integrè celebrandi, vel sumendi corpus, & sanguinem Domini, quod est merè positiui iuris humani. Imò voluit Alexander de Hales sexto libro compendij Theologiæ, quòd si aquam sumpserit Sacerdos priusquam aduertat non esse vinum consecratum, debet pœnitere de negligentia commissa, sed non vinum de nouo ponere, aut consecrare, quia ieiunus non est, vt scilicet præceptum Ecclesiæ intelligatur cum superadditione ieiunij: & ita ieiunus excusetur propter impotentiam quam ignoranter incurrit. Maximè ergo in casu scandali licet vinum non consecrare.* Hæc Hadrianus. Non ignoro quosdam magnos viros aliter tenuisse, vt B. Thomam in tertia parte, qui ex Gratiani duobus locis illud confirmare nititur. Sed certè prior sententia Innocentij, maximè si accedat concessio Apostolica, magis videtur cum ratione, & pietate coniuncta; ne ob defectum alterius speciei, quæ facilè in quibusdam regionibus contingere potest, totus populus priuetur fructu sacrificij, perceptioneque Sacramenti, si totus Christus sub vna tantum specie B. Iacobum, & discipulos, qui proficiscebatur in Emmaus, communicauit; ac proinde in vna solùm confecit.

Quod Sacerdos possit sub altera tantum specie Sacramentum conficere.

Ex Patribus. Innoc. III l. 4. myst. Missæ c. 29. Raph. Vola l. 7. c. Saxones. Cymbri, &c.

Gabr. Biel in Can. Miss. lect. 39.

Alb. Magn. Had. in 4. q. 1 de Euch p. 2. Alex. de Hal. in 4. p. sum q. 8 memb 1. Turrecr. in c. Ieiunius, de conf. dist 2. Summa, Pisana, & Angelica.

Alex. Hal. Sacerdos si aquam sumpserit priusquam aduertat non esse vinum consecratum, quid facere debet secundùm Halensem.

B. Th. 3 p. q. 8 t. 12. Grat. de cons. dist. 2. c. relatum, &c. comperimus. Vtra sit opinio probabilior.

Luc. vlt.

Matth. 18.

Nec valet argumentum Caietani, qui dicit, sacrilegium esse, consecrare panem, & non vinum: quia ex eo adhuc non sequeretur diuini esse mandati, vt non consecretur panis absq; vino, quia multa sacrilegia fiunt, quæ solum sunt contra humana præcepta, non diuina: vt sacrilegium est violare Festum sancti Ioannis Baptistæ, & tamen illum diem obseruare, & in eo ab opere seruili abstinere, non præcipit ius Diuinum, sed Ecclesia Dei. Adhæc cùm de Sacramentis nihil aliud sit tenendum, quàm quod tradit Romana Ecclesia: si semel in hoc à Pontifice dispēsatum est, elicimus iuris Diuini non esse in vtraq; semper conficere. Adde illud, quod etiam quidā viri doctissimi in hæreticos scribentes liberè asseruerunt, non solùm consuetam fuisse communicationem sub specie panis, sed etiam sub sola specie vini; vt liberum esset sumenti, aut vtramque, aut alteram quàm vellet, accipere. Scribit enim Cyprianus ad Cornelium, quòd martyres futuros, & pro religione decertaturos, solitus esset sanguine Christi munire, vt libentius pro Christi sanguine suum funderent. Vbi nihil de panis specie dicitur. Rursus in sermone de lapsis: *Infantulæ cuidam, quæ à nutrice sua inscijs parentibus ad idolorum templum perducta, de dæmonum sacrificijs acceperat, cùm diaconus calicem ad bibendum porrigere vellet, & ita reluctaretur, tamen de Sacramento calicis ali-*

Sacerdos Eucharistiam sine sanguine conficiens, quale sacrilegium incurrit tantummodo. Caiet. Duplex sacrilegium.

De Sacramentis quid tenendum.

Ioan. Gropp l. de veris corp. Chr in Euch. 4. c. 2. & seq.

Cypr. ad Cor. li. 1 epist 2. in princ. Martyres futuros Cyprianus, potu sanguinis Christi prius munire solebat. *Idem.*

cis aliquid infudit; quod illa per singultus,& vomitus eiecit. Ex quo constare potest, quod si huic puellæ Eucharistia sub specie panis prius oblata fuisset, non minus illam, quàm calicem recusasset, vt diaconus postea illi calicem non fuerit præbiturus. Cui consonum est quod Ioánes Theutonicus Gratiani Sholiastes in c. si qui ad illos, de Consec. dist. 4. scribit. Testatur enim sua ætate eam apud quosdam fuisse consuetudinem, vt paruulis non daretur corpus Christi, sed sanguis per eorum ora infunderetur. Et ad hanc rationem volunt quidam antiquam consuetudinem in Ecclesia communicandi paruulos referendam esse: cuius B. Augustinus frequenter meminit. Nam paruulis, dum sub nutrice agunt, & apti non sunt ad mandendum, qua ratione posset porrigi species panis, quæ mandi ab eis, vel deglutiri non posset? Confirmatur hoc etiam: quia illis, qui eiusmodi erant morbis correpti, vt Eucharistia sub panis specie tutò illis porrigi non posset, profectò sub specie tantùm liquida illis porrigebatur. Vnde Concilium Carthaginense quartum ita statuit: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit* (loquitur de lapsis, vel apostatis, qui publicam pœnitentiam petebant) *si casu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia*: quod de vini tantum specie intelligendum videtur; nam illa propriè infunditur. Quod verò Presbyter Alexandrinus ęgrotanti ad mortem Serapioni, per puerum miserit Eucharistiam, infusamque iusserit præberi seni: veritati propius esse videtur, quòd fuerit panis species, quam præ oris ariditate glutire non valens, aqua, vinoque intingi opus fuit, quò posset ab ægroto sumi, quanquam Ioan. Gropp. dicat probabilius sibi videri fuisse vini speciem. Quod mihi non probatur: nam si vinum erat, ad quid domi intingeretur? Est tamen Can. XI. Concil. Tolet. XI. vbi sic decernitur: *Solet enim humana natura infirmitas, in ipso mortis exitu prægrauata, tanto siccitatis pondere deprimi, vt nullis ciborum illationibus refici, sed vix tantundem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, oblatam sibi à Sacerdote Eucharistiam reiecerunt, non quod infidelitate hæc agerent: sed quòd præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire.* Hæc ibi. Ex cuius Canonis verbis, in primis elicimus, quòd Eucharistia vocatur sola species panis: nam cùm infirmus possit deglutire alia liquida, Eucharistiam non poterat traijcere. Deinde habemus caussam quare id non poterat: nimirum quia dabatur sibi præter Domini cum sanguinem, qui iuuisset ad deglutiendum. Et hoc argumentum vim habet secundum hanc literam, in qua dicitur: *Secundum Dominici calicis haustum*: quæ tamen patitur difficultatem. Primò, quia præmissum erat, eiusmodi ægrotos solùm liquida posse sumere, ideò neque cum calice traiecissent Eucharistiam. Præterea si sanguis sufficeret ad traijciendum Eucharistiam, potuisset illi vinum, vel aqua adhiberi, vt modò fit. Ideò dicendum, quòd in hoc facto, vel daretur solùm vini species eiusmodi ægrotis, quòd rationi est valde consentaneũ, cùm sanis & valentibus traijcere sola species panis daretur, vel aliter legendum est, quod alij codices habent: Propter Dominici calicis haustum: & tamen esset sensus, quòd adiuti calicis Dominici haustu, non possent Eucharistiam deglutire. Sed quia hic sensus durus est, prior videtur amplectendus. Hactenus igitur ex traditione egimus confirmauimusque vsum vnius speciei pro inculto, & salutari habitum.

Ingenuè tamen, & apertè confitemur, morem generalem extitisse communicandi etiam laicos sub vtraque specie, sicut hodie fit apud Græcos, & olim erat in more positum apud Corinthios, & in Africa: de quo more Cyprianus loquitur sermone de lapsis; Athanasius in Apologia secunda secundi tomi, de calice fracto, in quo communicabant laici, facit mentionem; Dionysius in libro Ecclesiast. Hierarchiæ: *Sanè opertum, ait, panem, & indiuiduum aperit in frusta concidens, & singularem calicem omnibus impertiens; vnit atem signanter multiplicat, atque distribuit: inque his consummat cœleste mysterium.* Ex libello etiam contra Ibam Episcopum Orientalem, correcto à Concilio Chalcedonensi, idem patere potest. Accusatur enim, quod paullulum vini lutosi, & musti pro sacrificio dederit, ita vt ad communicandum populum opus fuerit aliquot sextarios emere: & cùm non sufficeret, reuocati sunt ministri, qui populum communicabant: qui dicebant, quia non erat sanguis. Ex quo constat, populum tunc percepisse speciem sanguinis. Idem etiam probatur ex Ecclesia Latina, in qua B. Laurentius ad Sixtum Papam dixit: *Experire certò, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Atque in hunc vsum erant olim calicis ministeriales,

Marginalia (left): *Ioa. Teutho.* — Paruulis olim non corpus, sed sanguis Christi de more dabatur. — *B. Aug ep. 23. & 107. tom. 2 Li. 3. de Trin. cap. 10. tom 3 Libr. 1. de pec. mer & rem. c. 20. tom 7. Idē cont duas ep. Pelag li. 1. c. 22. & li. 4. c. 4. & cont. Iul ca. 2. tom. 7. à med. Con Cartha. IV. Can 76. XXVI. q. 6. c. Itē qui in infirmitate* — *Euf. li. 7. Eccl. hist. c. 34. t. 1.* — *Ioan. Gropp. ca 28.* — *Conc. Tol. XI.* — Expenduntur verba Cõcilij, solam panis

Marginalia (right): speciem Eucharistiam appellantis. — Eiusdem verba illa Concilij ponderantur: secundum Dominici sanguinis haustum. — Altera solut. — Olim etiam laicos vt i[...] speciem percipere consueuisse, vt modo apud Græcos. 1 Cor. 10. et [...] — *Cyprian. Athan. Dio c. 3. Eccl. Hier. p. 3. sub fin.* — *Con. Chalc. Actio. 10.* — Ibæ Episcopi Orientalis & collegium. — Ecclesiæ Latinæ consuetudo.

les, & paternæ; ad differentiam calicum, & patenarum, in quibus Sacerdotes offerebant: eratque vsus fistularum, quibus citra sacrilegium possent Christi sanguinē haurire: quem morem adhuc Romanus Pontifex, cùm solenniter celebrat, obseruare solet, nam fistula ex eodem calice hauriūt cum eo Diaconus, Hypodiaconusque. Ambrosius quoque ad Theodosium Imperatorem, vt testis est Theodoritus in Tripartita historia, dixit: *Quomodò huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, quando furore verborum tuorum tantus iniustè est sanguis effusus?* Hieronymus super Sophoniam: *Sacerdotes*, inquit, *qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populo eius diuidunt*, & quæ sequuntur. Et Augustinus libro sententiarum Prosperi: *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fideliū funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur.* Leo Papa de ieiunio Quadragesimæ Manichæos accusat sui temporis, quòd se subducerent à calicis vsu, quo Christum opus phantasticum, & exangue habere testarentur. Eius hæc sunt verba: *Abdicant enim sese Sacramento salutis humanæ, & Christum Dominum nostrum sicut in veritate carnis nostræ denegant natum, ita mortuum verè, & resurrexisse non credunt. Et ob hoc diem salutis, & lætitiæ nostræ, sui ieiunij mœrore condemnant. Cumq; ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysterijs, ita in Sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutius lateant: ore indigno Christi corpus accipiunt; sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, vt vobis eiuscemodi homines & his manifestentur indicijs, vt quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati, & proditi à Sanctorum societate, Sacerdotali autoritate pellantur.* Hæc ille, egregiè notans hæreticos, & qua ratione sint detegendi apud superiores. In eosdem videtur tendere Gelasij decretum, qui in cap. comperimus, de consecr. distinct. 2. ita habet: *Comperimus, quòd quidā sumpta tantummodò corporis sacri potione, à calice sacrati cruoris abstineant: Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest peruenire.* Hæc ille de Manichæa superstitione: & grande sacrilegium esse asserit diuidere vnum, & idem mysterium, non quidem ex obedientia Ecclesiæ sumendo vnam speciem, sed propria autoritate sub specie panis comedere, & recipere, sub vini autem specie fastidire, & reijcere: quia hoc posset abstemios, & infirmos, & alios præconsecratis vtentes simili exemplo crimine sacrilegij damnare, ita vt simile quid adferam. In Concilio Syrmiensi Patres condiderunt Canonem 14. *Si quis filium non dicat Abrahæ visum, sed Deum innascibilem, vel Patrem eius anathema sit:* qui Canon videtur in August. tendere, qui lib. 2. de Trinit. cap. 11. & 12. etiam Patrem Abrahæ per subiectam creaturam apparuisse sentit. Sed reuera in illum non militat, si caussam consideres: vt enim testatur Hilarius libr. de Synodis, hunc Canonem, & similes aduersus Photinum, & similes condiderunt, qui negabant Christum Filium Dei non esse ante Mariam; & ideò interpretabantur nusquam filium, sed solum Patrem Abrahæ apparuisse. Non tam ergo verba Patrum, quàm sensus inspicienda sunt, etiam in verbis Gelasij. Adhæc habet Concil. III. Bracarense in proœmio: *Quidam in sacrificijs Domini relati sunt lac pro vino offerre, Eucharistiam quoque vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam:* & latius idem prosequitur cap. 1. Sed his non prohibuit simul sumere corpus cum sanguine, vt prima facie apparet: sicut antiquo ritu sumit Sacerdos sanguinem cum particula parua hostiæ. Nec madidam Eucharistiam porrigere, vel cum sanguine, aut vino in os transfundere, Concilium prohibet: quia repugnaret Canon. 76. Carthaginensis Synodi, vbi præcipitur morituris, vt ori eorum infundatur Eucharistia: sicut Eusebius tradit datam Eucharistiam Serapioni infusam: sed Concilium prohibet idem, quod Gelasius ex superstitione fieri vetuit; non autem præcipit omnibus Eucharistiam sub vtraq; specie, licet non negemus illam in vsu olim fuisse. Ita vt scribat Concilium Turonicum, vt ab Iuone citatur: *Sacra oblatio, quæ ad viaticum recedentibus de seculo reseruatur, intincta debet esse in sanguine Christi, vt veraciter Presbyter dicere posit: Corpus, & sanguis Iesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum, & in vitā æternam, Amen.* Sic illud habet. Sed tunc moris erat intinctam Eucharistiam porrigendi, vel sub duplici communicandi symbolo laicos. B. Gregorius hom. in octaua Paschæ: *Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis.* Sexcenta huiusmodi proferri possent loca in quibus vtraque species populo communicata asseritur. Nam & in vita S. Donati Episcopi, & martyris legitur; Cum die quadam Missām celebrasset populo, & de corpore Christi recrearetur; Diaconus sacrum sanguinē populo tradēs

Theod. lib. 9. Tripar. hist. cap. 30.

Hiero. tom. 6

Augu tom. 3 in fine.

Leo Papa ser 4 de ieiunio Quadragesimæ; post medium.

Mores Manichæorum.

Eorum hypocrisis & simulatio.

Hæretici qua ratione detegendi sint apud superiores.

Gelas. Papa.

Concil Syrm.

Canon quidā Concilij Syrmiensis de apparitione Filij Dei, in speciē contrarius Augustino, non vere.

Aug. to. 3. Hilarius.

Concil. Bracaren. III.

Antiquus quidam ritus sacrificij.

Euseb lib 6. histo. Eccl. c. 34. to 1.

Concil Turo. Iuo Episc. Carnoten.

B. Greg hom. 22 in Euangelia, circa medium tom. 2.

cecidit, & sacrũ calicem comminuit. Hæc ibi: sed in re manifesta, & tã à nobis, quam ab hæreticis confessa, non est opus verba profundere. His adiungimus quod Ioannes EKius annotauit, vsum vtriusq; speciei solum vsurpatum fuisse in solennibus cõuentibus, qui celebrati sunt imitatione cœnæ Dominicę, id est, in die Natalis, Paschę, & Pentecostes; aliter verò obseruatum in priuata communione, & apud infirmos. Quæ si vera sunt, vt rationi videntur consona; habemus exemplo veteris Ecclesiæ confirmatum, laicos cõmunicãdi morem tam sub vna, quàm sub duabus speciebus. Nos enim ita fatemur, consuetudinẽ fuisse communicãdi laicos sub gemina specie, vt semper tamen in aliquibus caussis vsurpatus sit vsus alterius speciei.

Ioan. EKius hom. 33. de Sacramentis. Quibus locis & temporibus vtraque species tantũ adhibita.

His adiungendæ sunt nonnullæ rationes, quibus eadem veritas alterius speciei stabiliri possit. Inter quas sit prima: Quia cùm homines tenaces sint religionis, & in mutatione rerum ad eas pertinentium facillè turbentur; si per ducentos & mille annos fuisset communio sub vtraq; specie in Ecclesiam inuecta, nec fuisset declaratum licere sub altera communicare, subitò hoc ritu mutato, maximę tempestates fuissent, & lites in Ecclesiam ob eam rem obortæ. De quibus cùm in nulla historia fiat mentio, indubitatam coniecturam accipimus, nunquam rem fuisse nouam, sed ab initio semper consuetam, animisq; fidelium infixam tanquam licitam, etiã in illis regionibus, vbi sub vtraq; specie vt plurimũ laicos communicabant. Secũda ratio sit: Vbi sunt prudentes legislatores, cùm viget ratio rem aliquam licitam cõcedendi, illam tacito, aut expresso consensu firmãt, & approbant: sed rationes ostendẽtes commoditatem vsus alterius speciei tantùm, semper viguerunt, vt sunt, periculum effusionis in administratione, maximè in tãta hominum copia, puerorum, mulierum, senũ, portationis maximè ad loca longinqua, & conseruationis ne acescat, & horroris stomachi propter multos qui sunt natura abstemij: semper etiam aliqua loca penuria vini maximè laborarunt, & aliunde importatum, facile erat obnoxium corruptioni. Cùm ergo nunquam fuerit lex in contrarium, semper ergo, aliquibus saltem, & in aliqua caussa licuit dare alteram speciẽ. De quibus caussis ante 430. & 40. amplius annos sub Imperatore Henrico IIII. floruit Rodulphus abbas sancti Trudonis, doct[9], & religiosus pater, & vt Tritthemius lib. De scriptoribus Ecclesiasticis testatur, fuit secularibus literis haud infimè doctus, carmine, & prosa valẽs, nec opere minus, quã sciẽtia clarus. Is rationem reddit communionis sub altera specie his verbis:

Rationibus idem euincitur. Ratio I. pro vsu vnius videlicet speciei. Homines natura tenaces religionis sunt.

II. Ratio.

Rodulphus Abbas. Tritthem.

Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter egris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi:
Nam fundi posset leuiter, simplexq; putaret,
Quòd non sub specie sit Iesus totus vtraq;.

Tertia ratio sit, quoniam huiusmodi ritus nullum inuenitur principium, nec constitutio vlla eum primum instituens. Nã constitutio Constantiensis Concilij, quæ sola cum illa Basiliensi damnauit dicentes hũc morem fuisse illicitum, & illum pro libito mutãtes, statuit illum morem iam dudum fuisse in Ecclesia receptum, neq; illum de integro introduci. Cùm ergo non inueniatur initium eius ritus, & vndiq; ex historijs comperta sint eius vestigia: signũ est haud obscurum ex regula B. Augustini, quòd à Christo, & Apostolis fuerit approbatus, Christo instituente vtrumq; ritum, & relinquente Ecclesiæ potestati hoc, vel illo modo vti, prout secundùm diuersitatem temporum, & regionum magis nouerit expedire. Quarta ratio: Si ab initio Ecclesiæ non licuisset sub altera specie communicare, plurimi vel cõmunione priuati fuissent; vel ad id quod præstare non possent, adigerentur: vt patet de ijs, qui vini copiam non haberent, vt sunt multi Septemtrionales populi, & de his etiam qui abstemij sunt, & quibus vinum vomitum, & nauseam parit, & de his etiam, qui morbis correpti nihil solidi deglutire possunt, nisi tantùm liquida. Cùm igitur iugum Domini sit suaue, & onus leue; non est credendũ quòd hos voluerit ad impossibile, hoc est ad cõmunionem sub vtraque specie obligare. Quinta ratio: Totus Christus perinde est sub altera, atque sub duabus speciebus: cum igitur Christus fons sit gratiæ, & non illa externa species; profectò digne sumenti alteram, fructum suæ gratiæ impertiet. Cumq; hæc ratio semper vera fuerit, semper licuit alteram speciem percipere. Certè pręter Christum Dominum, qui integer est, ac totus sub vna specie, non est aliquid amplius in alterutra specie, quàm accidens sine subiecto: vt constat ex Concilio Later. sub Innocentio III. & Constant. & Basileensi. Sexta: quia in caussa semper licuit Sacerdoti alteram speciem sumere; vt patet de Sacerdotibus Græcis tempore Quadragesimæ, qui præconsecratis vtuntur, vt tradit 52. Canõ VI. Synodi superius allegatus. De nostris etiam Sacerdotibus constat in die Parasceues, quin etiam in die cœnæ Domini: quãquam sacrificans communicet sub vtraque, reliqui tamẽ omnes siue laici sint, siue Sacer-

III. Ratio.

Concil Constantiens. Actor. 13.

Aug. epist. 118 c. 6. tom. 2.

IV. Ratio.

Matth. 11.

V. Ratio.

Conci. Later. sub Innoc. III. Conci. Const. Concil Basil.

VI. Ratio. *VI. Synod.*

Sacerdotes qui accedunt, in altera tantùm percipiunt: ſicut etiam infirmi Sacerdotes panis tantùm forma communicãtur: à fortiori igitur idem licebit laicis. Septima ratio: quia vt teſtatur Ioannes Roffenſis; nulla cauſa ad auaritiam permouens extitit ex parte Sacerdotum hoc inſtituẽtium: quod enim lucrum reportãt inde, cum in multis regionibus poſt diſpenſatã ſpeciem panis, nonnihil vini præbeãt non conſecrati, quò cõmodius deglutire poſſint Euchariſtiam? tam facilè autem illis fuiſſet præbere conſecratum, atque non conſecratum vinum. Poſtrema ratio: Magna fuit Eccleſiæ collata poteſtas in his quæ ad diſpenſationẽ Sacramentorum ſpectant. Habet enim autoritatem variandi ea, quæ accidentaria ſunt in illis, vt tempus, ritum, & perſonas ſuſcipientes: nam & baptiſmum cõtulit ſub immerſione, & ſub intinctione, & ſub vna, & ſub tribus immerſionibus. Durauit etiam vſq; ad tempora Auguſtini conſuetudo, vt Euchariſtia pueris recens etiam baptizatis daretur, vt eſt apud Tertullianum, Cyprianum, & alios Patres; quod tamẽ ſublatum eſt. Olim mortuis fidelium corporibus imponebatur Euchariſtia; vt patet ex Concilio Carthaginenſi III. quod piaculum eſſet modò facere. Syluester Papa in epiſtola ad Ægyptios interdicit communionem per intinctam Euchariſtiam: qui mos vt deriuatus à Græcis, non retinetur modò, vt referunt. Fuit olim conſuetudo, vt in die cœnæ Dominicæ pranſi fideles communicarent; quam VI. Synodus reuocauit. Conſueuit primitiua Eccleſia in fermẽtato pane conficere Euchariſtiam, ad deprimendum ſupercilium Iudæorum, poſteà tamẽ in Eccleſia Latina retentus eſt mos conficiendi in azymo: quid nimirum igitur, ſi olim cõmunicauerit ſub duabus, modò ſub altera tantùm? Quare rogandi ſunt, qui ita vrgẽt communionem iſtam, quamobrem tantopere decertent pro vtraque ſpecie? Si dicant, Quia Chriſtus non eſt integer ſub altera; hoc hæreticum eſt, & ab Eccleſia damnatum. Si reſpondeant, maiorem eſſe fructum percipientis binam, quàm ſimplicem ſpeciem; oſtendemus paullò pòſt falſum eſſe, & nulla ratione nixum. Si aſſerant ſe vrgeri conſcientia ad vtramque ſpeciem ſumendam; deponant conſcientiam ſuam errantem, & iudicium ſuum ſubdant maturiori, & grauiori Eccleſiæ iudicio, vt boni filij parentum ſuorum conſilijs, & moni tis acquieſcant. Quòd ſi rurſus contendãt diuinum eſſe præceptum, vt omnes bibant de calice; at hoc duobus tractatibus à nobis firmis, & idoneis rationibus eſt exploſum. Poſteà ſi vrgeant Patres veteres, reſpondemus illos agnouiſſe, vtramque ſpeciem in vſu fuiſſe, ſed non ſemper; nec vt mãdatum, & præceptum diuinum. Quare quod vrgent ex Theophylacto in 11. capit. prioris ad Corinth. *Tremendus hic calix cunctis pari ratione eſt traditus.* Sed ille refert quod in cœna Chriſtus fecit: & quod attinet ad hoc ex inſtitutione diuina omnibus dari poteſt; ſed interim non prohibuit ijs, quibus poteſtatem regendi Eccleſiam dedit, & iuſtis de cauſſis calicem quibuſdam denegare. Sicut Gen. 9. dicit Dominus omnia pecora; & beſtias dediſſe homini, nec tamen ea donatione prohibuit ſuperiorib. diſciplinæ cauſſa certis temporibus ſubditis ſuis quorundam eſum interdicere, vt etiam Deus in lege præcepto ſuo quædam animalia. Quòd verò Cyprian. dixit: *In calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrãdo, non hoc faciunt quod Ieſus Chriſtus Deus, & Dominus noſter huius ſacrificij autor, & doctor fecit & docuit.* Sic ille. Sed reprehendit eos, qui loco vini aquam conſecrabant; non tamen ſequitur, Chriſtum præcepiſſe calicem miniſtrari populo, ſed vt dixit, Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis ita rectè dictum fuit Iudæis, qui contra legem Leuit. 18. contrahebant matrimonia, In contrahendis matrimonijs, non ſeruatis Dei præceptũ atque doctrinam; non propterea inde colligeretur omnibus perceptum eſſe, vt matrimonium inirent. Reprehendit igitur Cyprianus Aquarios ponentes in calice aquam pro vino: quia indubiè Chriſti mandatum eſt, vt ſeruetur ſubſtantia Sacramẽtorum. Materia autem, vnde conſecranda eſt Euchariſtia, ex Chriſti inſtitutione definita eſt, & ad ſubſtantiam Sacramenti pertinet; ſicut ad ſubſtantiam baptiſmi ſpectat naturalis aqua. Nullus igitur ex Patribus veteribus hanc communicandi rationẽ agnouit vt Chriſti præceptum. Quare iſti ſi ſapiunt, nullũ habent perfugiũ, aut rimam, per quam elabantur, niſi velint proteruire, & in ſua perſiſtere pertinacia, & Eccleſiam non audiendo, damnationem ſibi accerſere: quam qui recuſant audire, habendos eſſe cenſuit ſicut Ethnicos, & Publicanos Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto benedicunt omnes creaturæ, illum laudant, & venerantur in ſecula ſeculorum,

Amen.

Marginal notes:

VII. Ratio. *Ioan Roffen. art 10 in Lutherum.*

Vltima ratio.

Quanta ſit Eccleſiæ à Chriſto collata poteſtas.

Varij Eccleſiæ ritus, paulatim ſublati.

Tertul. Cypr. ſermo. 5. De lapſis

Concil. Carthagin. III. cap 6

Syluester Papa.

VI Synod. can. 29.

Qui vrgent vtramque ſpeciem breuiter perſtringũtur, eorumque obiectionibus reſpondetur.

Theophyl. Id dictum. Theophylacti; Tremendus hic calix cunctis pari ratione eſt traditus, quomodo accipiendũ ſit.

Leuit 11. & Deut. 14.

Cyprian. lib. 2. epiſt. 2.

Obiectio ex Cypriano diluitur pro vtraque ſpecie comprobãda.

Matth. 26.

Exemplum ex lege Moyſi, de matrimonijs contrahendis. Senſus B. Cypriani.

Aqua baptiſmi neceſſaria quæ.

Hæreticorum proteruia.

Matth. 18

TRACTATVS XXXVI.

In quo ample disputatur, an tantundem contineatur sub altera, atq; sub duabus; siue rem ipsam contentam spectes, siue fructum, qui e sumptione percipitur.

HÆRETICORVM nostri seculi sententia fuit, non tantum sumere communicantem sub altera, quantum sub vtraq;. Quæ quidem duplicē sensum efficere potest: alterū, vt non totus atq; integer Christus perinde cōtineatur in vna, atq; in duabus; alter sensus est, vt non talem fructum percipiat qui simplicem speciem accipit, atque ille qui geminam. Atq; hic posterior sensus magis est inter Scholasticos Doctores controuersus, quam inter Catholicos, & Hæreticos: quemadmodùm prior mera est Hæreticorum assertio, & multorū Conciliorum Decretis, & sanctorum Patrum testimonijs confutatur.

I. argum. ab Scriptura.

Vt igitur in priori sensu illā iugulemus, illa omnia possent in hunc locum adduci, quæ in superioribus tractatibus de concomitātia naturali, qua animam Christi, atq; adeò Diuinitatem in qualibet specie adesse demonstrauimus. Dominus enim apud Ioannem inquit: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Rursus: *Et qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Cùm ergo pronomen Ego, & Me, non tantùm solitarium corpus, & solitarium sanguinem, sed etiam totum Christum significet: euincitur, totum Christum delitescere sub specie panis. Et par est ratio de specie vini, maximè cùm sanguis non sit extra vas suum, nec expers animæ, aut à diuinitate seiunctus, & de eo dicatur; *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; remittere autem peccata, solius Dei sit: Erit ergo totus Christus sub specie vini.

Ioan. 6. — *Ibidem.* — *Matth. 26.* *Supr. 9.*

II. argum. ab Conciliorum traditione Generalium. *Concil. Trid.*

Præter Scripturas idem euincitur traditione, præsertim trium Conciliorum Generalium. Et vt incipiam à postremo Tridentino, sess. 21. inter Canones hunc tertium collocauit: *Si quis negauerit, totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & autorem sub vna panis specie sumi, quia vt quidam falsò asserunt, non secundùm ipsius Christi constitutionem sub vtraq; specie sumatur; anathema sit.* Concilium etiam Florentinum in vnione Armenorum ita statuit: *Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur: ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoq; parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta totus est Christus.* Hęc ibi. Hoc idem Concilium Constantiense statuit, dicens: *Cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus, & sanguinem totum sub specie vini veraciter contineri.* Vides igitur ex his tribus Concilijs rem apertè definitam.

Conc. Floren. Ex Decretis Eugenij PP. IIII. — *Concil. Constant. ass. 1[...]*

III. argum. ab testimonijs Doctorum. *B. Cyprian.*

Tertiò idē deducimus ex sententijs Doctorum, ait enim Cyprianus sermo. In cœna Domini, propè initium: *Panis iste communis in carnem, & sanguinem mutatus* (pondera verba, per quæ significatur quod caro non est sine sanguine) *procurat vitam, & incremētum corporibus.* Et infrà: *Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.* Hieronymus sermone quodam post Epiphaniam: *Singuli autem,* inquit, *totum accipiunt Christum Dominum; & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur; sed integrum se in singulis præbet.* Item Hilarius Papa: *Vbi pars est corporis, est & totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præcessit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius; neq; qui minus parauerat, habuit minus.* Gręcus quidem interpres, quem citat B. Thom. super Lucam in Catena Aurea, super illis verbis: *Et accepto pane gratias egit:* sic habet: *Totum autem corpus, & sanguinē Domini suscipit, etiamsi mysteriorum partem accipiat. Sicut enim sigillum diuersis totam suam figuram impartitur, & integrum manet post distributionem, & sicut vna vox penetrat ad multorū auditus; sic nulli dubium sit corpus; & sanguinē Domini in omnibus reperiri. Fractio autem panis venerandi passionem significat.* Philo lib. Allegoriarum legis: *Propterea enim, ait, manna erat simile semini coriandri, quod huius seminis ea natura sit, vt etiamsi concidatur minutissime, singulæ portiuncula, & mica sata germinent, non secus quā coriandrum solidum.* Sic ille ad sensum. Eusebius Emissenus homilia de Pascha, allegata figura mannæ, de qua: *Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus:* subdit, *Eo quòd Eucharistia sacra perceptio nō in quātitate, sed in virtute cōsistat. Quod corpus Sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto: quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in vniuersis, ita integrum esse probatur in singulis.* August. in Psal. 33. in illud: *Dauid ferebatur manibus suis*, ait, Christum seipsum tulisse in die cœnæ: non tulisset autē seipsum, si tantùm pars, & non totus esset in Eucharistia.

Hieron. serm. Dominica 1. post Epiphan. tom. 4. — *De consecrat. dist. 2. ca. singuli.* — *Ibid. cap. vbi pars.* — *Exod. 16.* — *Græcus interpres* — *B. Tho. to. 15. Luc. 22.* — Quid significet fractio panis — *Philo lib. 2. Allegor. leg aliquanto p[...] med. tom. 1.* — Manna cui simile dicitur [...] teste Philone. — *Euseb. Emiss. De Pascha [...] prope med.* — *Exod. 16.* — *Aug. in Psal. 33.* — *Concil. I in [...] & Concil. [...] tom. 8.* — *Matth. 26.* — Christus seipsum tulit manibus suis cō corpus suum in cœna Apostolis dedit.

IV. argum. à rationibus.

Quartò, idem comprobatur rationibus, inter quas prima sit. Quia vt euidenter ex Scriptura constat, sub specie panis est, caro, & sub specie vini est sanguis, & non aliud corpus, nec alius sanguis, quàm illud

ipsum

ipsum & idemmet sanguis, qui est in cœlo; sed in cœlo est corpus viuum, & sanguis animatus, & coniunctus Deitati; ergo etiam in Eucharistia per concomitantiam quandam naturalem erit. Atq; hæc ratio cōcludit reipsa ita esse, licet de potētia Dei absoluta, an possit aliter esse, disputent Doctores Scholastici. Secunda ratio: Habet vsus Ecclesię, quę sub qualibet specie proponit populis Christum adorandum: credit igitur firma fide totū Christum esse integrū sub qualibet specie: vnde & nō tam Sacerdos, quā totus populus alloquitur Christū, dicens: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Et rursus, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*; quibus testatur sub qualibet specie integrum esse Christum. Tertia ratio: Quod semel assumpsit, nunquam Dominus dimisit, vt testatur Ioannes Damascenus; at Deitas sumpsit corpus animatū (præterquā in triduo mortis suæ,) alias enim perfectè mortē non vicisset, quę illi in Sacramento dominaretur, si corpus eius non esset viuum, & sanguis animatus.

I. Ratio.

III. Ratio.

Ioā. Dam. li. 3. c. 24 vt citatur à Scholasticis Doctoribus.

Ex his colligimus, meritò damnandos esse hæreticos, qui dicūt in particulis post communionem remanentibus non manere corpus Domini; quia non est sermo de particulis insensibilibus, quæ fugiunt visum, vel tactum. Quia cum Christus sit in Eucharistia, vt in Sacramento, Sacramentum autē sit signum sensibile, seu inuisibilis gratiæ visibilis forma; cū ergo illæ particulæ in visum, & sensum minimè cadant, nequeunt esse Sacramentum. Ad hæc cum Christus sit in Eucharistia ad hoc, vt actu sumatur, vel percipi possit sub externa specie cibi internam alimoniam significante; cum ergo illæ tam minutæ particulæ sumi nequeant, nec possit Christus in illis adorari, nec sacrificari, Christus qui sine causa nihil facit, ibi non erit. Postremò in tā paucis particulis separatis nō videtur quod remaneat alia substantia panis, quia eius forma substantialis exigit certā quantitatē, vt maneat in materia; quę quidē mensura nō videtur quòd sit in tam paruis particulis. Videtur ergo, quod Christus in illis non existat. Sed hęretici non de his loquūtur particulis, sed de illis fragmentis, quæ communicato supersunt populo: in talibus autem Christum esse, in dubium vocari nō debet, vt Clemens docet epist. ad Iacobum Apostolum, & Concilium II. Matisconense, & historia illa Euagrij de pueris innocētibus, quibus Dominici corporis tribuebantur fragmenta, & Tertul. *Calicis,* inquit, *aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terrā anxiè patimur:* & Orig. hom. 13. in Exodi verba 25.

Contra Hæreticos, in particulis post communionem remanentibus Christum non esse negantes.

Sacramentum quid.

II. Ratio contra istos dogmatistas.

III. Ratio.

Clem. epist. 2. Concil. Matiscon. II can. 6. Historia Euagrij.

Innocentibus olim pueris Eucharistiæ cibus dari solebant fragmenta.

Tertul. li. De coro. milit. pro e initium.

Nostis qui diuinis rebus interesse consueuistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cū omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur; reos enim vos creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Sic ille. Cyril. quoque Ierosol. ad eum qui cōmunicauit, loquens, ait: *Caue autem ne quid excidat tibi: quod enim amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne magna cū diligentia illa teneres, cauens ne quid ex illis periret; damnumq; sustineres? Et non multo magis, & diligentius de hoc, quod auro, gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis.* Hæc ille.

Orig. ho. 13. Cyril. Ierosol. catechs. mystago. 5 in fine

Si quis verò dicat in particulis sumptis à communicante, non esse amplius Christū; falsum videtur: etsi difficile sit definire, quādiu maneat. Quidā enim sentiūt, tādiu Christū Dominū esse in Eucharistia; quādiu sub speciebus, si nō fuissent cōsecratæ, mansisset substātia panis. Alia sententia est, non tādiu esse Christum, quādiu mansisset substantia panis, sed quādiu species ab stomacho mediocri, & tēperato possunt assumi; atq; cibi rationē habent: iuxta quā positionē minori tēpore Christus in Eucharistia existeret. Quòd si misceretur quid venenosum, vel omninò immūdū, vel si vomitu expelleretur, quia hęc bene dispositū stomachū permouendi vim habent, & nō seruatur apta ratio significandi interiorem spiritus alimoniā: remanet nō esse sub speciebus Eucharistię. Sed hęc in opinionibus Doctorū Scholasticorū tantū sunt posita. Nā Alex. Hal. in 4. parte quatuor de hac re recēset opiniones. Quarū prima est, quòd Christus remanet in Eucharistia, quamdiu mansisset substantia panis. Secunda, quod maneat quādiu est apta ad cibū. Tertia, ꝙ manet, quādiu manducatur: & hanc valde cōfirmare videntur verba S. Augustini, & Hugonis de Sancto Victore, quę ipse citat. Quarta, quòd manet, quādiu species sunt signum sensibile; & hāc ipse veriorē putat. Idem etiā recitat opinionē Theologorum tenentiū, quòd post vomitum nō sit in eo quod quis vomit, Eucharistia: talesq; asserunt, cęremonias quæ fiūt erga illud ob reuerentiam Eucharistiæ, quæ sub illis speciebus delituit, fieri. Ipse tamen magis accedit ad oppositam sententiā. Sed hæc qualiacunq; sint, in opinionibus magis, quam in certa fide versantur. Et hæc de priori sensu verborum propositorum.

In particulis sumptis a communicante, Christum permanere, & quādiu maneat.

Alex. Hal. 4. par sum q. 35. membr. 2.

Quadruplex hac de re opinio.

Opinio Theologorum.

Iam ad secundū sensum accedendū est, num vberior gratiæ portio respondeat laico sumenti vtramque speciem, minor verò sumenti alteram. Difficilis sanè quæstio

Num vberior gratiæ portio ei qui vtrāque speciē minor vero qui vnā sumit, respondeat.

propterea

propterea quòd ex antiquis quicquam vix habemus, vnde possimus eam decidere: vt propterea Doctores, qui de hac re locuti sunt, in varias sententias iuerint. Quidam extiterunt, qui huius nodi solutionem ex præsentia Christi in Eucharistiæ Sacramẽto definire voluerunt, asserentes eundem esse gratiæ fructum percipientis Eucharistiam sub altera, atque sub vtraque specie; alij verò potius rem, ex significatione petendam existimarunt, dicentes maiorem gratiam conferri in vtraq;, quam in altera specie; eo quòd in illa sit expressior repræsentatio passionis Christi, maiorq; significatio cibi, potusq; spiritualis. Sed si rem exactius expendamus, ex horum neutro absolutè pendere videtur huius controuersię decisio; sed potius ex Dei pacto, vt dicturi sumus.

Variæ opiniones.

Quòd igitur ex Christi præsentia hæc lis non possit expediri, probatur in primis: Quia si ex hoc pẽderet, cum vnus, & idem Christus sit in diuersis hostijs sumptis distinctis diebus, ac diuersis, iteratisq; perceptionibus, atque in vna sola; eadem planè gratia conferenda esset semel cõmunicanti, atq; pluries Eucharistiam religiose percipienti. Deinde in baptismate, & alijs Sacramentis etsi Christus præsens non adsit secundùm Humanitatem, nihilominus gratia confertur: nam hãc Dominus Deus impartitur, qui vbiq; præsens est, & Sacramentis suis virtute sua ob pactum initum adest. Tertiò qui indignè communicat, nullum prorsus gratiæ fructum percipit, imò exitium sibi manducat, & bibit; & tamen in hostia quam percipit, re ipsa præsens est Dominus. Ex nuda igitur eius præsentia, non necessariò colligitur gratiæ deriuatio. Quartò, quia potuit esse aliquid minus de Christi Humanitate sub altera, quàm sub vtraque specie; & tamen fructus idem fuisset, sicut nunc est, vbi Christus est integer. Assumptum probo de triduo mortis Christi, quo anima fuit separata à corpore, & sanguis à corpore disiunctus: tunc enim, secundùm Doctores, si facta fuisset consecratio, sub specie panis tantum sanguis, & diuinitas, & sub neutra specie totus Christus fuisset; & nihilominus integrum fuisset Sacramentũ, & eundem gratiæ fructum operatum fuisset, atq; nunc. Ergo etsi vbi idem sit agens, & idem patiens æqualiter vtrobiq; dispositum, eundem oporteat esse effectum, tamen in hoc Sacramento, per concomitantiam, non ex virtute consecrationis, tot⁹ est Christus. Quintò, quãquam Christus Dominus præsens Sacramento suo adsit; non est tamen, vt agens

Quod maior minorve gratiæ portio ex præsentia Christi non pendeat.

II. Ratio.

III. Ratio.

1. Cor. 11.

IV. Ratio.

V. Ratio.

naturale, vt necessariò vel gratiã, vel hunc gradum gratiæ conferre cogatur: quemadmodùm secundùm diuinitatẽ in omnibus animabus est, & in omnibus rebus; & tamẽ non vbiq;, & semper gratiam, sed quando, & vbi vult, & prout vult, operatur: ergo ita erit de Christi Humanitate. Et ita non valet ista consequẽtia: est eadem Christi præsentia, ergo eadem gratia: nec vice versa; diuerso modo Christus est præsens, ergo diuersa est gratia. Igitur ex Christi Domini præsentia non videtur hæc controuersia posse terminari.

Deinde aggrediamur & aliud membrũ. Minus enim potest ex significatione maiori hæc res expediri. Primò, quia contingit eandem rem per diuersa variè significari, ergo diuersa significatio rem non variat. Assumptum probatur de Christo per omnia Sacramenta, & sacrificia antiqua adumbrato: & diuerso quidem modo. Nam vt crucifixus, repræsentatus est in serpente æneo, vt nutriens, & reficiens in manna, & petra; vt resurgens, in Leone, & Samsone, vt ascendens, in Helia curru subuecto in cœlum; & tamen idem erat Christus, & eadem est sua gratia. Secundò, nudę cęremoniæ in Sacramẽtis magis possunt significationem perficere sine maiori gratia, quàm vbi deest illa significatio. Nam trina immersio in baptismo, expressius significat Trinitatem, & triduũ Christi mortis, quàm simplex immersio, vel aspersio; & tamen secundùm omnes eadem gratia vtrobique confertur. Tertiò, quia sunt quædam Sacramenta, vt Confirmatio, & Pœnitentia, ac Extrema vnctio; q̃ in cęremonijs non significant passionem Christi, vnde emanat efficacia, & virtus Sacramentorũ; & nihilominus gratiam conferre creduntur. Quartò, significatio quatenus significatio est, si non habet pactũ Dei, siue in Nouo, siue in Veteri Testamento, nihil efficit secundùm suam naturã. Quod ex eo probatur, quòd tam in antiquis cęremonijs, quã in nostris sunt multæ significationes, atque illæ quidem sublimes mysteriorum Christi, & gratiæ eius, & tamen vi sua nihil gratiæ conferunt. Ex significatione igitur nõ possumus in hac quæstione venari veritatem. Neque valet ista consequẽtia: Maior est significatio passionis Christi, & cibi, & potus spiritualis in duabus speciebus, quàm in altera: ergo maior gratia confertur percipienti sub vtraque. Quemadmodum enim secluso Dei pacto nullum cõferet fructum Humanitatis Christi realis præsentia, ita etiam nec expressior significatus.

Res igitur hæc venanda est à Dei pacto.

Maiorem gratiã non conferri in vtraque, quàm in altera specie, ob maiorem significationẽ, vt alij opinantur.

1. argum.

Num. 21.

Exod. 16.

Apocal. 5.

Iud 14.

4. Reg. 2.

II. argum.

Tertium.

Quartum.

Obiectio diluitur.

Nam

Nam cùm omnia Sacramenta pacta quædam, ac fœdera Dei sint, quibus promissione sua se deuinxit gratiam suam impertiri illis, qui has, vel illas ceremonias celebrauerint, & exercuerint; si Dei beneplacitum fuit pactum facere maioris gratiæ cum percipiente Eucharistiam sub vtraque specie, quàm sub altera, accipiens, tanquam quandam decentiam pacti, maiorem significationem suæ passionis, vel aliquid aliud, vel puram suam voluntatem, nemo est qui possit manus ei ligare, aut illi dicere, cur ita facis? Et hoc posito tanquam vero fundamēto, in promptu esset omnia argumenta resoluere, quæ fiunt ad probandum quod eadem gratia confertur sub specie vna sumēti, atq; sub duabus. Rursus si voluntas Dei fuit ineundi pactum de impartienda pari gratia sua cuicunq; dignè sumenti Eucharistiā, prout ab Ecclesia porrigitur, siue sub vna, siue sub duabus, tunc etiam clarum est iustè id posse facere, firmando hoc suū pactum tanquam super decoro quodam in reali sub Humanitatis præsentia, vel in aliqua alia decenti causa. Hoc autem tāquam vero admisso, facilè est expedire rationes, quæ adferuntur ad probandum plus gratiæ conferri sub vtraque, quàm sub vna.

An Christus parē gratiam conferre decreuerit vtrāque speciem percipienti, atq; vnā tantū sumenti.

Tota igitur quæstio est ex eo pendere videtur, an institutor Sacramētorum Christus Dominus hoc, vel illo modo pacisci voluerit. Nos profectò multò magis propendemus in hanc posteriorē sententiam; vt dicamus, Dominū per se hoc Sacramentum instituisse, & gratiam illi eandem apposuisse quod attinet ad opus operatum ritè ac dignè sumenti, prout Ecclesia illi dispensauerit, siue sub simplici, siue sub gemina specie, siue hoc ritu, siue illo quis vtatur: nam hæc omnia directioni Spiritus sancti, qui pro varijs locis, & temporibus per Pastores, & Doctores erat Ecclesiam gubernaturus, reliquit, prout magis cederet in ædificationem fideliū. Quòd ex Scripturis, Patribus, & rationibus deducere conabimur; soluemusq; ea, quæ pro opposita sententia afferuntur. Ex Scripturis ergo primus locus sit ex illo Ioannis ca. 6. vbi cùm amplè Dominus locutus fuisset de Incarnationis mysterio, postea ex illo loco: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, manifestè de Eucharistia incipit habere hunc sermonem. Vt enim egregiè docet Beatus Thomas in quarto sententiarum: quemadmodum capo vt edatur à conuiuis in pastillo vel artocrea, prius est in seipso esilis, & cibo aptus; ita prius est Christo esse cibum spiritualem, quam esse cibum in Eucharistia. Ideo prius se incarnatum vocauit panem vitæ, qui de cœlo descendit, quàm panem promittat, in quo delitescat eius caro. Ab eo ergo loco vsque ad finem capitis videtur sermonem texere de Eucharistia: & quater facit mentionem de solo pane manducando, ait enim: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Et rursus, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est, &c.* Et infra: *Et qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Et *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et semper intellige, Christum in specie panis manducandum per fidem. Ter autem meminit manducationis carnis, & bibitionis sanguinis simul sine vlla mentione panis, aut vini. Ex quibus cernere licet, Christum Dominum eosdem fructus, & effectus soli manducationi panis tribuere, qui manducationi carnis, & bibitioni sanguinis adscribuntur. Primus enim effectus panis manducati est præseruatio à morte animæ, id est, peccato, de quo dixit: *Vt si quis ex ipso manducauerit nō moriatur.* Sed certè hic idem tribuitur manducationi, & bibitioni, de quo ait: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; hoc est, mortem animæ spiritualem incurretis. Secundus fructus panis esi est vita æterna, de quo dixit: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*: at hic effectus vtriusque speciei sumptioni datur, cùm ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Tertius effectus est, viuere propter Christum, & in Christo, de quo ait: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Idem autem est hic fructus atque ille: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: manemus autem in Christo, vt palmites in vite, nobis ab eo vitam deriuantes. Cùm igitur in hoc capite, vbi perfectum sermonem de fructu Eucharistiæ tradidit, ijdem prorsus effectus tribuantur manducationi panis, atq; esui carnis, & bibitioni sanguinis, sequitur quòd pactum instituerit de pari gratiā danda, siue in altera, siue in duabus quis communicet.

Larg à Scripturis.

I. locus.

Ioan. 6.

B. Thomas.

Exēplū beati Doctoris.

Panis vitæ manducationis effectus qui sint.

II. effectus.

Ioan. 6.

III. effectus.

Infrà 15.

Nec obstat quòd in alio loco diximus, illa verba: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* intelligi non de Sacramentali manducatione, & bibitione, quæ sub qualibet, & solitaria specie etiam contingit; & ideò non videtur comparari nisi fructus vnius speciei ad fructum etiam alterius. Respondemus enim, nos non dicere, illam manducationem; & bibitio-

Lib. 8.

Conciliatur locus.

bibitionem spiritualem, sub vna tãtùm specie fieri, sed etiam sub vtraq; : & ideò ratione huius membri fit prędicta comparatio; non solũ conferendo hunc textum cum superiori de panis manducatione, sed etiam respiciendo solum sensum huius loci, Nisi manducaueritis carnem, & reliqua: quia eadem manducatio spiritualis, seu idẽ fructus tribuitur in hoc textu sumenti cum fide vnam speciem, atq; percipienti vtramque.

II. locus. 1. Cor 10. Secundus locus sumitur ab Apostolo ad Corinthios, dicente: *Calix benedictionis cui benedicimus; nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus*: vbi in Græca litera abundat illud verbum, *de vno calice.* Videtur ergo hic narrari effectus qui est communicatio sanguinis, & panis, qui est participatio corporis. Liquet autem, quòd participatio corporis, & sanguinis Domini, idem est effectus; cùm nihil aliud vtrũq; sit, quam Christo incorporari. Cum ergo nihil aliud postea dicat de effectu vtriusque speciei iuxta nostram literam, nisi quòd vnum corpus omnes sumus, qui de vno pane, & eodem calice participamus; consequitur, vnum, & eundem effectum tribuere sumptioni vtriusq; speciei, quem soli pani assignauerat, nempe Christo incorporari: vel si sequimur lectionem Græcam, eundem effectum tribuit participationi solius panis, quem ante tribuerat pani, & calici, & quem alio loco soli calici tribuit. Ait enim 1. Corint. 12. *Omnes in vno spiritu*, vel vt Græce habetur, in vnum spiritum potati sum', hoc est, Omnes potu sacro vnus spiritus effecti sumus, & vno pane sacro omnes vnum corpus effecti. Quòd si vnus spiritus, ergo vnum corpus: & si vnum corpus, ergo vnus spiritus.

III. locus. 1. Cor. 11. Tertius locus ex eodem Paulo: *Itaq;*, inquit, *quicunq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Vbi parpende, quòd iniuria quæ fit corpori Domini, illud ab alijs cibis non discernendo, iniuria censetur corporis, & sanguinis: ergo à contrario sensu digna, ac religiosa totius corporis perceptio ęquè erit Deo grata, & consequenter æqè homini fructuosa, atque sumptio corporis, & calicis.

IV. locus. Exod. 16. Quartus locus colligitur ex figura mãnæ, de quo qui plus, aut minus collegit, non plus, aut minus altero accipiebat: & qui multum, nõ abundauit; & qui modicum, non minorauit. 1. Cor. 8. Quod non solùm de re contenta est accipiendum, sed etiam de fructu eius: & qui partem sumit sacrificij; æqualiter significatur totius sacrificij particeps. Sic enim absolutè docet Apostolus 1. Corinth. 10. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris.

III. Argum. à Patribus veteribus. Quod ad Patres attinet, si antiquos consulimus, non occurrit quispiam, qui hanc quæstionem ex professo tractauerit: ex eo fortassis, quòd cùm probabile sit, communionem sub altera specie ab initio fuisse vsitatam, saltem in quibusdam euentib' sine vlla controuersia, aut contentione, putabant etiam eundem habere fructum. Et ita Patres solent commendare solùm panem viuificum, & omnes laudes, virtutesque adscribere ei, quæ vtriq; speciei conueniunt: vt constat de B. Ignatio, qui in epistola ad Romanos dicebat: *Non comedam escam corruptionis, neque voluptates huius mundi desidero: panem Dei volo, panem cælestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi Filij Dei viui (qui natus est in nouissimo ex semine David, & Abrahæ) & potum volo sanguinem eius, qui est dilectio incorruptibilis, & vita æterna.* Hæc ille. Idem etiam in Chrysostomo, & alijs Patribus videre licet. (B. Ignat. ep. 11. prope fin. Ioan. 6. Rom. 1. Chrysost.) Solent etiam Patres, quæ ad dispensationem Sacramentorum, & ritus colendi Deum spectant, asserere, in libertate ministrorum Ecclesiæ, & Episcoporum posita esse, & licere in his quæ eiusmodi sunt, vnumquemq; in suo sensu abundare: nec horum varietatem Ecclesiæ præiudicare, modo vnitas fidei, & ea, quæ ad essentiam Diuini cultus spectãt, seruentur in lege. Concilium Basileense nonnihil de hac re insinuauit; ait enim: (Concil. Basileen. sess. 30.) *Siue autem sub vna specie, siue sub duplici quis communicet secundum ordinationem, seu obseruantiam Ecclesiæ, proficit dignè communicantibus ad salutem.* Hæc ibi. Ergo idem videtur esse fructus: nam alias Concilium distinxisset inter fructum vnius, & duarum specierum. Adde Ioannẽ Slectam Bohemum scripsisse ad Erasmum epistolam, quæ habetur lib. 14. epistolarum Erasmi, nonnihil de hac re habentem. (Ioan. Slecta Bohemus.) *Concilium* (ait) *Basileense concessit vsum & consuetudinem communionis sub vtraq; specie: his tamen conditionibus, vt Sacerdotes illorum præsentes, & futuri Eucharistiam populo communi ad hoc disposito sub vna, vel sub vtraq; specie, prout quisque ex fide cuperet, exhiberent, hac protestatione vtrisque facta. Vos, qui sub vna communicaturi estis, non minus vos accipere credatis, quam sub vtraq; specie & qui sub vtraque specie communicaturi estis, non magis vos accipere, quam eos qui sub vna specie.* Et postea: *Reprehendunt hodierni Hussitæ in*

hoc ve-

hoc vehementer maiores suos, qui ad illud Concilium missi fuerant, quod tam stulti, & temerarij fuissent, vt tam falsis, & iniquis conditionibus à Concilio oblatis assentire voluerint; cùm apud Doctores veteres, Græcos, & Latinos, apertissimè inueniatur, aliam gratiam dari accipientibus corpus Christi, & aliam sumentibus sanguinẽ ipsius. Et cùm ibi donentur differentes gratiæ, quomodo hæc vera esse possunt? Hæc ille: quibus non absimilia narrat Æneas Siluius lib. de origene Bohemorum. Concil. Florẽtinum in vnione Armenorum, cùm de hoc Sacramento verba facit, prout est commune alteri, & vtrique speciei, effectum ei tribuit: distingueret autem, & suum cuique tribueret, si distinctos putasset fructus. Concil. quoque Tridentinum sess. 21. in hunc modum statuit: *Insuper declarat, quamuis Redemptor noster, vt antea dictum est, in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiã sub altera tantum specie totum atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum, sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt.* Hæc ibi. Cùm autem omnis gratia, quam Christus per hoc Sacramẽtum dare constituit, ad salutem faciat, & ad illam sit necessaria (non enim sola gratia præueniens satis est, nisi adsit & subsequens siue concomitãs; nec hæc satis est, nisi adsit gratia perseuerantiæ) si ergo aliqua portione gratiæ per sumptionem alterius tãtùm speciei defraudaretur quisquam: sane necessaria gratia ad salutem frustraretur. Proinde Concilium pro hac nostra sententia apertè decidisse videtur. Vnde in dicto Concilio canon 3. Dicunt Patres anathema ei, qui negat totum, & integrum Christum omnium gratiarum fontem & autorem sub vna specie sumi: quo indicatur, quod Christus sub vna specie sumptus tanquam fons, & plenitudo gratiarum implet capacitatem communicantis. Adde Dionysium Areopagitam lib. de Ecclesi. hierar. dicentem: *Sane opertum panem, & indiuiduum aperit in frustra concidens. & singularem calicem omnibus impartiens, vnitatem significãter* (antiqua editio habet *signatiuè*) *multiplicat atq; distribuit; inq; his consummat cæleste mysterium.* Hæc ille. In cuius verbis annotauit Thomas Waldensis, Dionysium asserere, calicem signantem, siue signatiuè multiplicari: quia fructus Eucharistiæ, qui vnitas est corporis Ecclesiæ; quantum ad significationem tantùm multiplicatur, vbi vtraq; species percipitur, quia cibus, & pot⁹ spiritualis significatur: ex quo inferri potest, quòd quantum ad rem idem sit fructus.

Æneas Syl. c. 12. Cõc. Flor. — Conc. Trid. sess 21. c. 3. Doctrina. Matth. 26. — Id Conciliũ. — Dion. Areop. l. Eccl. hier. c. 3 p 3 sub finẽ. — Th. Wal. l. de Sacr. c. 94. Eucharistiæ fructus vnitas est corporis Ecclesiæ.

Recentiores porro Doctores, qui dissensionibus hæreticorum de hac re decertantium adfuerunt, vel eis vicini extiterũt; apertius locuti sunt, vt omnes Doctores Scholastici, dempto Alexandro Halensi, & omnes qui egregie in Wicleffistas, Hussitas, Bohemos, Lutheranos, & Zuinglianos scripserunt. B. Thomas in 3. par. *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quòd repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius Sacramẽti: in quas non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentũ: quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, & sub vtraq; specie totus Christus continetur, vt supra habitum est.* Hucusq; Thomas. Cuius sententiam Caietanus latissimè, in Lutheranos agens, confirmat B. Bonauentura in quarto in hunc modum scripsit: *Etsi totum in vtraq; specie contineatur; non tamen per alterum perfectè significatur. Et ideò fideles recipiunt perfectum Sacramentũ sub vna specie, quia ad efficaciam recipiunt. Sed quantum ad significantiam sufficit quod Ecclesia facit in eorum præsentia.* Idem Richardus de media villa testatur, & Inocentius V. qui & Petrus de Tarantasia dictus est. *In Sacramentis*, inquit, *est ratio signi, & ratio signi. & ratio caussæ. Significatio pertinet ad sapientiam; caussalitas ad gratiam. Quia igitur gratia omnibus communiter necessaria est, sed non sic sapientia; efficacia autem æqualis est sub altera specie sed non significantia: ideò omnibus traditur sub altera specie, in qua potest tradi cum reuerentia & cautela maiori. A maioribus ergo tantùm, id est, presbyteris, & ministris, sumitur sub vtraq; specie.* In eadem sentẽtia est Nicolaus de Cusa in epistola ad Bohemos, & Thomas Waldensis libro de Sacramentis; adhæc Roffensis in libro contra captiuitatem Babylonicam Lutheri, cap. de communione sub vtraq; specie; Gaspar Sagerus l. de Sacramento Eucharistiæ; Clicthoueus in libro quem inscripsit, Anailutherus; Ekius in locis communibus; Ambrosius Catharinus, Hosius Cardinalis, Alfonsus de Castro, Albertus Pighius, Ioan. Cochleus, Ruardus Taper, & reliqui, qui nostro seculo gloriosè contra hæreticos decertarunt atq; cum laude scripserunt.

Tertio loco pugnandum est rationibus pro hac sententia: quarum prima à discipulis, qui Emmauntem proficiscebantur, desumitur; quos Dominus sub altera specie communicauit. Cùm ergo illi essent candidati ad presbyteratũ; sequitur, Dominum in prima communione, quam post resurrectionem fecit, non fraudasse illos maiori fructu vtriusque speciei, vnicam tantùm porrigendo: ergo tantundem est fructus in

Recentiores Doctores. — Alex. Hal. 4. par. summa. q. 53. memb. 1. D. Th. 3. p. q. 80. art. 12. ad 3. tom. 12. — Quæ. 76. ar. 2 Caietan. B. Bonauen. in 4. dist. 11. q. 2. — Richar. de Media villa. Innoc. V. alias Petrus de Tarantasia. — Nicol. de Cusa ep. 2. Thom. Wal. vbi supra. Roffensis Clicthoueus. Ekius in locis communi lo. Amb. Catha. Osius Cardi Alf. de Castro Alb. Pighius Ioã. Cochleus Ruardus. Taper. — III. arg. à rationibus. Prima. Luc. 24.

alterius, atq; in vtriusq; sumptione: nec habet locum figura Synecdoches, quia dum porrigeret pané, euanuit ex oculis eorum. Secunda sit: quia in alijs Sacramẽtis Dominus ęqualem gratiæ portionem omnib' ritè suscipientibus porrigere solet: idẽ ergo in Sacramento Eucharistiæ obseruauit, quia nõ est minoris gratię, imò copiosioris, vt siue hoc, siue illo modo administretur, paré omnibus gratiam ex vi Sacramenti cõferat. Baptismi enim aspersio, siue intinctio, vel immersio, siue vnica sit, siue trina, eandem gratiam confert.

II. ratio.

III. ratio.

Tertia ratio: Ecclesia, Sacramentorum non est domina, sed ministra, secundùm illud: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, à quibus iuxta Pauli doctrinam exigitur, vt fideles in suis functionibus inueniantur. Si ergo valent conferre integrum Sacramentum, & cum illo vberiorem gratiæ fructum, neque id conferrent, omnino errarent, & in iniuriam, fraudemq; Christiani populi id facerent, præsertim morituroru, qui summè indigent viatico, nec possunt abundè damnum resarcire: & qui priuaret alterum aliqua portione gratiæ, consequenter & aliquo gradu gloriæ, quæ illi gratiæ respondet, spoliaret quæ absurdissima sunt.

1. Cor. 4.

Soluuntur obiectiones nonnullæ.

Qua ratione pastores sint subditis debitores.

Nec firmum est dicere, ibi non esse iniuriam, vbi non est debitum. Nam etsi pastores non essent debitores subditis, quatenus subditi sunt; sunt tamen Domino debitores vt sunt fideles positaq; Domini institutione, qua illis gratiam liberaliter præparauit, etiam illis debitores existunt, quia ministri eorum sunt, iuxta illud; *Omnia vestra sunt; siue Paulus, siue Cephas, siue Apollo.* Sicut dispensator Regis, qui ei præcepit vt donet mihi centum, iniurius est mihi, nisi mihi centum à Domino assignata enumeret.

II. obiectio.

Firmum item non est, quod etiam dici solet, gratiam hanc quæ datur ex vi Sacramenti paruam esse, eo quod paruuli post baptismum mortui à Doctoribus dicantur minimum habere gradum gloriæ: quanquam isti afferunt non esse inconueniens priuari eos hac gloria, quæ pensatur alijs vtilitatibus, atq; adeò humilitate, & obedientia ipsius suscipientis. Non valet inquam hoc: quia illud, quod dicitur de gratia huius Sacramenti, quod sit parua, verùm non est: etsi enim gratia baptismi esset parua, hęc tamen non est nisi magna, quia hæc nõ tantùm semel suscipitur, vt illud, sed sæpius repetitur, & replicatur.

Tertia.

Quod etiam aiunt, alijs vtilitatibus communionem sub altera specie pensari: non valet. Nam si Christus maiorem gratiam dare instituit sub vtraq; specie, ad minus debuit conferri omnibus, in quibus cessant illæ causæ effusionis, ob quas communio sub altera retenta est. Multò enim plures sunt alijs, qui citra periculũ effusionis communicare sub vtraque possunt; pueri enim minimè communicant, mediocriter senibus, imò etiam valde senibus fistula posset eis porrigi sanguis, etiam vinum frequenter consecrari, & tutò deferri, vt olim fiebat. Si qui ergo essẽt, qui nõ possent vtraq; specie potiri, potius essent arcendi à communione, quam dandum eis dimidiatum Sacramentum, quia humilitate, & voto pensarent fructum Sacramentalis communionis. Quarta.

Quod dicitur de obediẽtia, & humilitate: non conuincit, quia non debemus alijs inferre iniuriam prætextu eorum humilitatis, & obedientiæ. Quinta.

Rursus nõ valet solutio quorundam dicentium, quod Ecclesia potest hoc facere, sicut Sacerdotes priuare Sacramento matrimonij, in quo confertur gratia, & coniugatos rursus Sacerdotij gratia spoliare, & eundem Sacerdotem pluries in die vel celebrare, vel communicare prohibent? Non valent, inquam, hęc quia Sacerdotem redire ad matrimonium, quamuis ex parte gratiæ non habeat repugnantiam, quia gratię gratia non repugnat; ex parte tamen voti, quo se adstrinxit Sacerdos ad cœlibatum, & ex parte curę secularis annexæ matrimonio, non conuenit vt Sacerdos coniugatus fiat, vel qui coniugatus est, vt presbyter ordinetur. Sexta.

Cur Sacerdoti pluries in die celebrare vel cõmunicare nõ liceat.

Quòd autem Sacerdos pluries celebrare, vel communicare in die prohibeatur: iuste id fit: quia seruata integritate Sacramentorum, & eorum effectuum, præscriptio illorum quantum ad tempus, locum, & modum, sub potestate Ecclesiæ relicta est. Nam & Scriptura tantùm dicit: *Hoc facite in mei commemorationem*: &, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* & non descendit ad tempora, vel loca, vel modos. Ecclesia ergo videns communiter imbecillitatem nostram, & sat esse si vel semel in die dignè communicemus, potuit hoc prohibere; non autem vbi quis dignè accedit, & potest illi æqualiter offerri maior gratia, minimè valet eum eo gradu gratiæ priuare.

Luc. 22. & 1. Cor. 11. Ioan. 6.

Walfridus scriptor antiquus, qui floruit circa annum Domini septingentesimum in libro de rebus Ecclesiasticis, testatur vt rem certam, & testimonio plurium comprobatam, Leonem Pontificem septies in die sacrificasse, vel etiam nouies, & Bonifacium martyrem tantùm semel; vt videas varietatem illius præcepti Ecclesiastici.

Walfridus autor vetust. de reb. Ecclesiast. c. 41. Pontifex Leo septies vel etiam nouies in die sacrificabat.

IV. ratio.

Quarta ratio: Pastores, & sapientes idoneas causas habuerunt ad instituenda sumptionem

ptionem sub altera specie in vsum laicorũ; cui videbant suffragari antiquam Ecclesiæ consuetudinem, & Scripturam rectè intellectam non refragari. Plebs etiam acceptãs instituta maiorum suorum, obedientiæ, & humilitatis exercet officia. Si ergo tam ex parte maiorum, quam ex parte inferiorum qui legem acceptarunt, rectè hæc res se habet: Dominus ergo quia amicus est prudẽtiæ, quam exercuerunt prælati; & obediẽtiæ, quam adhibuerunt populi; & charitatis, & reuerentię ad Sacramentum, quam illi habendam vtriq; rectè existimarunt, profecto pactum suum non mutauit, vt imminueret gratiam. Quinta ratio: quantum ex historijs accipi potest, fere ab initio Ecclesię nascentis fuit vsus communionis sub altera specie, saltem in quibusdam euentis; & cum quibusdam personis; & antequam Bohemi ante centum annos reclamarent, iam multi populi fideles sub altera specie communicabant, vt ante 200. annos testatur B. Thom. super Ioannem, & ante 300. Innoc. III. vt ipse testatur in c. omnis vtriusq; sexus, De pœnit. & remissionib. & ante 500. Petrus quoq; Damianus Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, qui in libr. De officijs Ecclesiæ Romanæ ita habet: *Communicatio populi typum illius conuiuij gerit, quod nonnisi semel Dominus post resurrectionem suam iniisse legitur cum discipulis. Hos etiam post vltimum conuiuium ab eis discessurus in cœlum benedixit.* Hæc ille: qui videtur innuere, conuium factũ à Christo in castello Emmaus, quando fregit panem, fuisse communionem sub altera specie, & ad illius typum ait esse populi communicationem. Cùm igitur nunquam de hac re fuerit reclamatum, ita vt sit orta seditio historia aliqua digna; sequitur; infixum fuisse animis fidelium, tam communicantium, quam administrantium Sacramentum, eundem Christum, & fructum conferre; alias enim profectò reclamatum fuisset, quoniam ob minores mutationes, vt de Paschate, azymo pane, trina immersione graues, & turbulentæ seditiones ortæ fuere, & consulta Sedes Apostolica, quorum neutrum in hac communione accidit. Sexta ratio: Videmus circa hoc Sacramentum Eucharistiæ varietates multas accidisse; & tamen idem gratiæ pactũ semper permansisse. Nam aliquando cõfectum est Sacramentum sub fermentato, & aliquando sub azymo: adiuncta est vino aqua aliquando, & rursus ablata: precantur Græci in Liturgia post verba consecrationis, vt Dominus dignetur venire in hostiam; quod nos ante consecrationem facimus: Missa B. Iacobi varia erat ab illa B. Petri, & illa, quæ nunc est, à multis multas suscepit adiũctiones, diuersaq; est & ab Ambrosiana, & à Romana olim, & ab ea Isidori, & ab illa Basilij, & Chrysostomi, & à Chaldæa, siue Æthiopica. Fuit olim Eucharistia in domum delata accepta manibus laicorum, & porrecta in ore, vel in vasculis; dispẽsata est aliquando post cœnam, modo nonnisi ieiunis porrigitur; frequentata aliquando, & item rarò suscepta semel & sæpius in eodem die; data, & negata paruulis; admistum illi mel, & lac, & ablatum; confecta aliquando sub specie vnica panis (vt Noruegiæ concessit Innocentius VIII.) & sub vtraque, tradita aliquando sub duabus, aliquando intincta & aliquando sub sola specie panis, & aliquãdo sub singulari specie vini, vt superius ex sententia quorundã admonuimus. Cùm igitur in alijs omnibus mutationibus, quas Deus in manu Ecclesię reliquit, eiusdem gratiæ pactum agnitum fuerit, & creditum eadem ergo gratiæ efficacia ex vi Sacramenti in hac præsenti variatione colligenda est. Atque eadem ratio formari potest de alijs Sacramentis, in quibus, licet variatis, eadem gratia est semper collata. Septima ratio: Cùm hoc Sacramentum sit ad animum cibo, & potu spirituali reficiendum, ac cibus, & potus spirituales sint indiuisibiles, quia vtrumq; fit per viuam fidem: quę in quantũ credit, firmat vt cibus; quatenus diligit, vt potio recreat: cùm æquè iste cibus, & potus contineantur sub singulari specie panis, ac sub duabus, sedabit proculdubio sitim spiritualem, & idem erit pactum de vna, ac de duabus. Octaua: Praxis Ecclesiæ comes esse solet sensus Scripturæ indiuiduus, eamque nobis interpretari: igitur cùm præsentis Ecclesiæ sensus sit, & semper fuerit ante Bohemorum, & Lutheranorũ aduentum, quod nihil fructus deperit laico communicanti sub altera specie; hoc enim tam populi, quàm pastores communiter fatentur; hic ergo sensus verus est, & non ille, qui arridet, vel hæreticis, vel pauculis etiam Catholicis. Imò Bohemi & Lutherani data sententia opposita vera, difficilius reducerentur ad vnionem Ecclesiæ, imò putarent Ecclesiam grauiter errasse hactenus, si hactenus filios suos portione aliqua gratię defraudasset.

Nona ratio: Communicantes sub vtraque specie, vt hæretici, nobis sub altera percipientibus non videntur meliores, sed potius ex hac vna hæresi prolapsi sunt ad alios turpissimos errores, atque adeò ad realem, & substantialem Christi præsentiam in Eucharistia denegandam; imò inter nos quoque Sacerdotes, qui sub vtraq;

V. ratio. Vsus alterius tantum speciei quando cœperit.

B. Tho. in c. 6. Ioa. lect. 7. to. 14.

Innoc. III.

Petrus Dam.

Luc. vlt.

Ibidem.

VI. ratio Eucharistiæ Sacramẽti quot & quantę extiterint mutationes atque varietates.

Volaterr. l. 7. c. Saxones &c.

VII. ratio à fine Eucharistiæ.

VIII. ratio Ecclesiæ praxis comes esse solet sensus Scripturæ indiuiduus.

IX. ratio. Hæretici ex vtriusq; perceptione speciei quid sint consecuti.

percipiunt,non videntur sanctiorem vitam traducere,quam laici percipientes sub vna tantùm, si tam frequenter atque ipsi Sacramento participarent. Inconuenientia verò omnia quę adferuntur ad arcendum populum à sumptione sanguinis, quia dū percipiebatur,licitè,& religiosè sumebatur: ex se causa alicuius peccati,etiam venialis,non erant,sed casu,& per accidens contingebāt, vt,quod effunderetur,quod acesceret. Quēadmodum incommoda, quæ in modo accidunt in specie panis conseruanda, præter mentem ministrorum eueniunt;& ob id animi eorum ex hoc non lædebantur: quòd si fructu maiori priuarentur, verè ex hoc læderentur, & dum priuarentur fructu loco eius rei, ex quā nullum damnum incurrebant, damnosa vtiq; fuisset compensatio.

X.ratio. Decima ratio: Sancti Patres veteres videbaut,& alterius, & vtriusque speciei vsum esse in Ecclesia:ergo si minor fuisset in vna specie fructus,id profectò declarassent, quo facto,populi non sine strepitu admisissent alteram tantùm speciem:sed Patres nihil declararunt:ergo eundem fructum esse censueruut. Et cùm vicini fuerint Apostolis,mirum est quòd recentes Doctores plus quàm illi videant in hac re, quæ pendet ex sola traditione diuini pacti, præsertim cùm Episcopi, vel Sacerdotes nullùm lucrum, vel commodum temporale ex danda vna specie reportent:quia sicut donant vinum non consecratum,tam facile esset illis dare sacrum.

Soluuntur in contrarium rationes. Hæc sunt potiores & fortiores rationes pro hac sententia: nam aliæ videntur facili negotio posse solui: vt illa, quòd Christus continetur integer & totus in altera,sicut iam in vtraque. Sed hæc iam soluta est:non enim ex vi verborum, sed ex reali concomitantia integer est. Illa etiam, quòd essent octo Sacramenta, si vtraque species conferret gratiam per se, & non sola panis:solui facile potest, dicendo septem esse Sacramenta in genere, sed vnum ex illis duabus partibus constare, & integrari. Ita Eucharistia, vnum est Sacramentum ratione rei contentæ, & ratione alimenti spiritualis; respectu verò diuersorum signorum,seu alimentorum, & diuersarum formarum Sacramentalium,& effectuum,duo sunt perfecta Sacramenti vnius membra, & partes; & ideò ab Ecclesia, Sacramenta interdum dicuntur in plurali. Quanquam nostri seculi Hæretici, vrgentes communionem sub vtraque specie, non satis sibi constant: nunc enim mutilam, & mutili sacramenti communionem vocant illam quæ sit sub vna specie, nunc verò volentes fructuosiorem esse sub duobus symbolis communionem illam quę fit sub vno,aiunt esse duo Sacramenta, quorum vtrunque peculiarem habet effectum, vt Baptismus, & Confirmatio. Quod tertiò dicitur sequi,quod plures,vel maiores edens hostias, vel in plura fragmenta diuisas, maiorē proinde fructum gratiæ perciperet: firmum non est: quia vna est ibi formalis sumptio,& vna forma consecrationis, & vnum pactum: quod non concedunt de vtraque specie.

Opposita sententiæ argumenta diluuntur. Primum. Postremò soluendæ sunt rationes, quæ pro opposita sententia fiunt, quarum antesignana est:quia in vtraque specie est maior significatio, ergo potior effectus. Sed responsio est, gratiam non sequi significationem, sicut videmus in trina immersione baptismi, sed pactum Dei. Secunda:Si par est fructus sumenti vnam speciem, atque duas,ergo frustra instituit sub duabus, Respondeo,nihil Dominum frustra instituisse,etiamsi eandem gratiam duplici symbolo nobis communicare voluerit. Deinde duplex species aptius repræsentat passionem,& significat integrum alimentum spirituale, tametsi sub qualibet specie integer sit Christus, & integra refectio spiritualis. Tertia: Si æqualis datur gratia in vna,atque in duabus, sequitur necessariò, aut quòd nihil detur in sumptoine calicis, aut quòd non detur tantum gratiæ Sacerdoti sub specie panis, quantum datur laico. Nam si aliquid datur in calice, ergo cùm æqualiter ex vi Sacramenti detur Sacerdoti celebranti,& laico percipienti, minus datum est Sacerdoti in pane, quia deest id, quod datur in calice. Respondetur, quòd vt in Extremæ vnctionis Sacramento, in qua vis vnctionum quæ fiunt, videtur dari aliquid gratiæ, quia in singulis earum dicitur: *Per istam sanctam vnctionem indulgeat tibi Deus quicquid oculorum vitio deliquisti, &c*, ita etiam aliquid gratiæ datur in pane, & aliquid gratiæ præbetur in calice, quia vtrobique est materia, & forma sua, & ibidem à Scriptura caro dicitur verè cibus,& sanguis verè potus:& Sacerdos orat, vt corpus Christi conseruet animam percipientis, & idem dicit de sanguine. Quare absurdum nō est quod minus gratiæ detur sub specie panis Sacerdoti celebrāti,quàm laico: quia in Sacerdote duplex species habet rationē vnius Sacramenti,& consequenter pactum vnius,& eiusdem gratiæ: ita & quæuis species per se non est integrum Sacramentum, vel alimentum; in laico autem habet integrum pactū,& integrum est Sacramentum,

Secundum.

Tertium argumentum.

Ioan. 6.

quan-

IV. argum. Cypr. l. 1. ep. 1.

quantum ad illam attinet. Quarta ratio producitur ex facto Cyp. qui vt ſcribit ad Cornelium Papam, ſuos potu ſanguinis ad martyrium muniebat ſuſtinendum; ergo calix ipſe Domini peculiarem aliquam gratiam, & robur præſtabat, quod non præſtabat ſolus corporis eſus. Reſpondemus, nullam aliam diſtinctam gratiam ex opere operato tribuiſſe calicem Domini plus quàm corpus, etſi ex opere operantis plurimum præſtaret adiumenti ad patiendum libenter pro Chriſto; ſicut elephantes viſo mori ſanguine, ad certandum, & pugnandum incitantur. Quinta ratio: Sacerdos quia Domini miniſter eſt, ac proinde Deo vicinior, præſeſq; populi, ac mediator inter Deum, & illum; proinde plus gratiæ debet ſuſcipere à diuino Sacramento, quam cæteri: ſicut Duces maius ſtipendium à Rege habent quam milites, & nobiliores ad menſam inuitati lautius tractari ſolent, quàm alij infimę ſortis cōuiuæ. Reſp. quod cum æqualitate gratiæ Sacramentorum poteſt Deus quos vult alijs præhonorare, & ad vberiorem gratiæ gradum euehere; alioqui his ratiunculis in Sacramentis omnib⁹ oporteret ſtatuere inæqualem gratiæ fructum; ac conſequenter in Baptiſmo, & Pœnitentia, & reliquis ex vi Sacramenti non par daretur gratia: quod eſt contra ſacram Scripturam, quę nullo diſcrimine vniuerſos alloquitur, & eundem effectum gratię Sacramentorum proponit: cum qua paritate habet Deus modos honeſtandi ſibi peculiariter dilectos, quia poteſt ex liberalitate ſua, & non ex vi Sacramenti maiorem gratiam infundere eis, applicando etiam vberius eius meritum paſſionis Chriſti. Valet etiam mouere illos ad hoc, vt maiori cum deuotione ſuſcipiant Sacramentum: poſſunt & poſt ſuſceptum Domini corpus magis peculiarem ad ſanguinem Chriſti deuotionem gerere, & ita ex opere operante maiorem fructum ſuſcipient Sacerdotes. Deniq; in huiuſmodi Sacerdote celebrante, de quo eſt ſermo, ſi per eum non ſtat, vt plurimum magis dono Dei gratiæ iuuatur: non ſolùm quia plus indiget, & non tantùm ſumit, & communicat, vt populus, ſed etiam conficit, & recitat preces, & lectiones Miſſæ, etiam ſecretas, quæ omnes illum ad vberiorem gratiam aſſequendam, & plus hauriendum de illo diuino conuiuio magis inuitant. Quod ergo dicitur nobiliores melius tractari: verum eſt, ſed apud Deum omnes ſumus æquè nobiles, quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri; & in Chriſto Ieſu non eſt ſeruus, neque liber, & apud Deum non eſt acceptio perſonarum. Quod vero aiunt, Solem eundem magis vnum, quàm alterum calefacere: hoc eſt, ex diſpoſitione maiori ſubiecti, quod calefit, qua ratione ad hoc Sacramentum qui maiori cum apparatu accedit, maiorem gratiam conſequitur ex opere operante. Et ne prolixior ſim in hoc tractatu, vni Alexandro Halenſi in quarta parte omnes Patres allegatos, & traditiones cum Scripturis traductas opponimus. Et ita habent laici fideles fortiſſima rationum pondera, quibus in communione ſub altera ſpecie acquieſcant, & conſolationem non mediocrem percipiant: non ignorantes bonum Dominum Ieſum, quo magis omnium ſaluti proſpiceret, de eadem gratia conferenda ſumentibus, ſub vno, quæ ſub duobus ſymbolis pactum inijſſe: pro quo immenſas, & immortales grates rependimus tanto largitori, & bonorum noſtrorum autori Ieſu Chriſto Domino noſtro cum Patre, & Spiritu ſancto in ſempiterna ſecula, Amen.

Elephantes conſpecto ſanguine mori ad bellum animantur.

V. argum.

Sacerdos cur maiorē gratiam accipiat ex Eucharistię ſacrificio quam laicus.

II. ratio.

III. ratio.

Duplex obiectio diluitur.

Ioan. 1. Gal 3. Act. 10. Rom. 2.

Alex. Hal. 4. p. q. 53. mib. 1.

TRACTATVS XXXVII.

In quo agitur, num expediat vſum calicis aliquibus Prouincijs, vel Regnis poſtulantibus ſub certis conditionibus ob aliquas honeſtas cauſas concedere?

Occaſio hui⁹ diſputationis

QVONIAM multi noſtro ſeculo pro vtraque ſpecie obtinenda in vſum laicorum, tùm apud OEcumenicam Synodum Tridentinam, tùm apud ſanctam Sedem Apoſtolicam magnopere laborauerunt, nullumque non lapidem mouerunt, quo eam extorquerent: operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi in re tam graui, ac tanti momenti, ſententiam meam propoſuero: quam & in Concilio tunc dixi, auditiſque aliorum conſilijs magis comprobaui, in primis verò eruditiſſimi, ac religioſiſſimi Patris Iacobi Laynez (bonæ memoriæ) & Præpoſiti noſtri eo tempore Generalis, qui doctiſſimam de hac quæſtione ſententiam ab omnibus ſummopere commendatam ea in Synodo habuit. In primis verò præfandum mihi eſt, nullum me velle præiudicium, aut Pontifici Romano, aut vlli alteri ex maioribus ſanius ac maturius conſilium proferenti facere, neque temerè eorum dicta, aut facta quouis modo perſcrutari, aut damnare: quoniam id non poſſet niſi ex ſumma impudentia; & temeritate proficiſci, non eſt enim pedis ſententiam ferre de capite, aut ouiculæ paſtorem paſcere, aut rei

Admonitio lectoris.

de supremo iudice pronuntiare: sed illud, quod per sanctam Synodum Tridentinam definitum fuit, præsenti tractatu corroborare, easq; rationes, & exépla, quę in similibus euentis acciderunt, in mediũ adducere, quibus confirmatiorem, magisq; munitam ac sartam tectam prędictæ Synodi deliberationem ostendam.

Vsus vnius, siue vtriusq; speciei, quod ex se sanctus licitus atque laudabilis sit.

Deinde præmittendum est, quod vterque ritus, siue alterius, siue vtriusque speciei, seclusa lege Ecclesiastica, si tantum spectemus ius naturale, aut diuinum, inculpatus est, religiosus, ac sanctus; atq; ita, siue negetur, siue concedatur vsus calicis, non nisi quod licitum est, concedetur: & populus hoc vel illo ritu syncere vtens, post concessionem factam minimè peccabit. Pontifex etiam Romanus, siue iudicet esse concedendum, siue denegandum, modo prudenter ac legitimè censeat, nunquam peccat. Huius rei ratio in promptu est. Nam vsus vtriusque speciei à Christo, & ab Apostolis, & à primitiua Ecclesia qui illum vsurparunt, comprobatus fuit: in posteriori etiam Ecclesia multi Latini, & Occidentales illum retinuerunt; Græci quoque hodie, atque Orientales licitè, & sanctè, quod attinet ad ritum ipsum, eum obseruant. Quare falsum est, quod vsui calicis sit annexum peccatum, vel sacrilegium propter periculum effusionis: nam si haberet coniunctum peccatum, neque Christus Dominus, nec Apostoli in primitiua Ecclesia, nec Orientales modo, nec Occidentales ante Concilium Constantiense, neque denique Sacerdotes celebrantes eo vterentur ritu. Quod si adhibita conuenienti cautela, ac diligentia, adhuc sanguis funderetur, tunc non esset peccatum: quia Christus in Eucharistia existens neque fœdari, neque pati potest in seipso, cùm modo quodam substantiali, & qui tangi, ac diuidi minimè potest, ibi sit: & vt Angelus, nec luto fœdari, nec igne comburi nequit, nec tangi, ita nec corpus, nec sanguis Christi in Eucharistia: sed hæc omnia ipsis speciebus accidunt, ideo ex parte Christi periculum nullum potest esse; ex parte vero nostra vlla nequit esse, vel irreuerentia, vel sacrilegium, vel denique vllum absque nostra voluntate peccatum. Qui autem non vult peccare, diligentiamque conuenientem adhibet (quam profectò nec infinitam, nec impossibilem exigit Deus) proculdubio quicquid accidat, siue ei qui ministrat, siue illi, qui percipit calicem, non peccat, siue sit Sacerdos, siue laicus. Neque verum est, quod si calix populo dispensaretur, necessariò foret tempus communionis prorogandum: tùm quia Græci totam plebem vna die sub vtraque specie communicant, sicut & nostri Sacerdotes omnibus hostiam, & ablutionem porrigunt; tùm quia Fabianus Papa ter in anno populum communicare iussit sub vtraque specie, quod est longè probabilius. Adhęc alter ritus communicandi laicos sub specie panis, vt licitus, sanctus, & inculpatus, est amplectendus, atque adeo fide tenendus: tùm quia Christus Dominus illo more vsus creditur communicans Discipulos euntes in Emmaus: tùm, quia vt ex historia Ecclesiastica constare potest, multi sancti viri eum vsurparunt: hodierna quoq; die Græci ægros, & abstemios ita communicant, & Ecclesia Occidentalis adeo istum ritum dispensandi Eucharistiam obseruauit, vt sensim, & sola consuetudine absq; vllo tumultu, vel violentia, quæ ex fide dignis historicis patere possit, in vniuersum sit amplexa: quam postea consuetudinem vniuersale Concilium Constantiense lege firmauit sua, Conciliumq; Tridentinum confirmauit.

1. Cor. 11. Luc. 22.

Refellitur opinio dicentium, vsum vtriusq; speciei illicitum esse, atq; sacrilegum.

Infirmatur hæc ratio: si calix populo dispensaretur, necessario fore tẽpus communionis prorogandũ.

Quib' de causis ritus communicãdi laicos tantũ sub specie panis sit amplectendus. Luc. 24.

Cõc. Constan. Act. 13. Cõc. Trid. ses. 21 c. 3. Doctr.

Fide igitur apprehendendum est, vtrumque ritum, cessante iure positiuo, licitum esse, cùm Ecclesia in his, quæ Fidei, & morum sunt, definiendis; & in discernendo vero, & legitimo cultu à falso, & superstitioso, ob diuinam assistentiam, & Spiritus sancti promissionem, errare nequeat: in his verò quæ facti sunt, & an sit expediens, Occidentali Ecclesiæ ritum communicandi sub altera specie longa consuetudine, & lege in ea infirmata, vel in vniuersum abrogare, vel cum aliquibus dispensare vt calice vtantur, plane errare potest, cùm hoc ad Fidem non spectet, & experientia constet multa statuta in huiusmodi, quæ in generalibus Concilijs bono animo sancita sunt, & magis experientia bona fide iudicata, experientia postea docuit non expedire, & ideò abrogata sunt. Hinc Augustinus dicebat, Concilia vniuersalia priora per posteriora corrigi. Quod de huiusmodi decretis intelligendum est; Non autem in his, quæ Fidei, & morum sunt, decernendis: nam in his propterea Deus assistit, ne Ecclesia pronuntiando erret, ne perpetuo in errore permaneat, Deum in mendacio colendo. Nam si vel semel definitum est, in Deo non esse tres hypostases; vel ieiunium, vel eleemosynam colere, esse per se malum: ita semper crederemus, nec semel credita retractari possent, quia Deum, qui mentiri nequit, id dixisse apprehenderemus: Quod autem semel verum fuit, perpetuò est verum; at in statutisque

Qu b' in rebus errare nullo modo Ecclesia possit, & quare.

In quibus possit.

Aug. l. 2. cõt. Don. c. 3. to. 7 Cùm Augustinus inquit Cõcilia vniuersalia priora per posteriora corrigi quo sensu dixerit. Hebr. 6.

tis quæ sunt facti, non ita se res habet: quia si quid reipsa minus expediens, vt expediens, & salutiferum censetur esse, ipsa profectò experientia atque tempus indicare potest non expedire; & propterea statutum esse mutandum. Interim autem dum Ecclesia aliter non statuit, sine periculo sumus, quia non adstringimur facere quod sit magis expediens, sed sufficit ad salutem vt faciamus quod liceat, quamuis minus expediens sit. Quamobrem cùm superiores bona fide, ac diligenti opera sua posita, aliquod statutum tanquam conueniens condunt, quod reuera non expediat, aut minus expediat, nec illi peccabunt, cùm id, quod in ipsis situm erat, fecerint: neque subditi seruando peccant, quia illi parent, cui debent, & rem licitam, licet minus expedientem, ex obedientia faciunt.

In probabilib' qui melius deliberent.

His igitur præmissis in argumento tam vario, ac topico, quòd demonstrationes Mathematicas nequaquam patitur, neque fidem, quia non habet assistentem Spiritum sanctum, aut diuinam reuelationem: argumentis tantùm probabilibus agam, & quid mihi expedientius, rationique ac prudentiæ magis consonum esse videatur, declarabo. In ijs autem, quæ probabilia tantùm sunt, ille melius deliberat; qui adhibita diligentia conuenienti probabiliorem, & rationi magis consonam elicit sententiam, qualiscunque euentus ex illa electione sequatur. Verè enim, & eleganter dixit Poëta quidam:

Minus ferè succedunt, quæ facta ab euentibus notantur.

Careat successibus opto.
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Ouid ep. 2.

Nam Deus in his, quæ huiusmodi sunt, ad maiorem euidentiam hominem non obligat, neq; exigit pro sua sapientia, vt futuros, & contingentes effectus diuinét homines. Duo igitur præstabo, alterum, non expedire, legem de communione laicorum sub altera specie in Concilio Constantiensi latã, per aliam nouam legem Pontificis, vel Synodi generalis abrogari; alterum non esse cum illa in eis, de quibus dubium proponitur, dispensandum.

Conc. Constã. Act. 13.

Quòd igitur in primis non expediat abrogare illam legem, & cuicunque voluerit tribuere facultatem vtendi calice, multis rationibus euincitur. Primò, quia cùm hic ritus communicandi sub altera specie, religiosus sit, ac licitus, consuetudineque, ac lege firmatus, nec alia causa legem illam abrogandi adferatur, quam quod multi in Septentrione in illam legem peccantes pereunt: dum, vel nolunt communicare sub altera specie; vel malè communicant, quia contra conscientiam id agunt, putantes illum ritum illicitum, & vsum vtriusque speciei iure diuino necessarium; at Deus leges suas propter peccata quorundam eas violantium abrogare non consueuerit: Ergo nec Ecclesia hanc legem antiquare debet, Deum imitando. Quod verò Deus propter scelera minimè sibi obsequentium leges suas non abroget, adeò liquidum est, vt probatione non egeat: constat enim, multos esse idololatras, multos blasphemos, multos homicidas, multos adulteros, & fornicatores, multos deniq; cõtra præcepta moralia delinquentes, & tamen Deus præcepta sua propterea non abrogat, sed vult vt fixa, stabiliaque permaneant, licet quamplurimi illa transgrediantur. In lege etiam gratiæ decreuit, vt diuina præcepta positiua, qualia sunt de baptismo, communione, & confessione, custodiantur; cùm tamen multi non desint, qui violent ea. Et meritò quidem id statuit Deus, cuius gloria est, atque honor; se vt optimum legislatorem ostendat, necessaria, & conuenientia præcepta tradendo hominibus; eiusq; honor præferendus est saluti eorum, qui eam respuunt, & sponte perire volunt, parere ei, cui debent, recusantes. Salus quoque eorum, qui libenter obedientiam præstant, ob spontaneam impiorum transgressiones, nequaquã est prætermittenda: quoniam, vt Scriptura ait: *Melior est vnus timens Deum, quam mille filij impij.* Et Salomon: *Multigena impiorum multitudo non erit vtilis: sed cõplacet sibi in filijs gratia sua sibi obtemperãtibus:* quibus Dominus per Esaiam ait: *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, & gubernans te in via, qua ambulas.*

Quod minimè expediat legem sub altera cõmunicandi per Ecclesiam abrogari. I. ratio.

Vnde constet Deũ propter inobedientes leges suas minimè abrogare.

Eccles. 16.

Sap. 4.

Esai. 48.

II. ratio.

Galat. 2.

Deinde Ecclesia, quæ Deum in hoc imitatur, propter transgressionem suarum legum, integra, atque immota ratione legis non solet illas abrogare. Nam lata lege per Apostolum, ne conuersi ad fidem ex Gentibus, legales ceremonias obseruare cogerentur, Paulus nec ad horam quidem voluit credere iudaizantibus, aut permittere vt Gentiles sua libertate priuarentur: sed ad Galatas scribebat, *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis.* Elapso quoque tempore, quo legales ceremoniæ mortuæ fuerunt, nondum tamen mortiferæ fidelibus ex Iudaismo conuersis, vsum legalium non permittit. Non cessit etiam Ecclesia Tesseradecaditis, seu Quaterdecimanis volentibus eodem die Pascha celebrare, quo obseruant Iudæi, nec Donatistis acquieuit, qui contra Ecclesiæ consuetudinem baptizatos ab hæreticis, rebaptizandos esse censebant: cùm tamẽ tam

Gal. 5.

Tesseradecadita hæretici.

illa

illa leglia, quam iteratio baptiſmo tolerari aliquo modo poſſent, dummodo in eis non collocaretur fiducia, nec ad iuſtificationem, ſalutem neceſſaria, vel vtilia crederentur, ſed tanquam patrij quidam ritus obſeruarentur: quemadmodum Æthiopes quædam ex legalibus hodie obſeruant, & vt baptiſmum Chriſti repræſentent, quotannis baptizantur, nec ob iſta tamen damnantur, quia non putant ſe per illa iuſtificari. Paulus tamen, vt diximus, nec ſic voluit iſta obſeruari, ſed omnino aboleri. Meritò autem Eccleſia tanta ſeueritate ſuas leges poſitiuas obſeruati voluit, quã diu earum viget ratio: quia ſi propter peccantes abrogaret ius poſitiuum, conſequenter diuinum ius veniret in deſuetudinem: præcepta namque poſitiua nihil ſunt aliud, quam quædam diuini iuris præſcriptiones, & eius quod in communi traditur, determinationes. Deus enim in genere orare, pœnitentiam agere, Euchariſtiam participare indicit; Eccleſia vero tempus ac rationem precandi præſcribit: iubet quo tempore ſit pœnitendum, & quæ exercitia ad placandam diuinam iram ſint accommoda: quando ſit ieiunandum, & quomodo à carnibus certis diebus abſtinendum: & quo tempore, aut qua ſalutari præparatione ad Euchariſtiam ſit accedendum. In moribus enim ſermones peculiares vtiliores exiſtunt, quia circa ſingularia verſatur praxis: hinc vulgus, rudeſque homines, atque adeò ingenioſi quique (niſi magna ſint charitate præditi) ſine iſtis particularibus Eccleſiæ mandatis, communia Dei præcepta minimè ſeruarent: quemadmodum nec ægrotus ſalutem aſſequeretur, ſi medicus in vniuerſum tantùm diceret; Vtere calidis lenientibus, ac laxantibus; & tamen ad particularia calida, vel laxantia non deſcenderet, nec rationem ea applicandi præſcriberet. Si ergo Eccleſia præcepta ſua relaxaret, non ſolùm non obſeruarentur ea, ſed neque diuina quidem, vt plurimum loquendo, quod ſummum eſſet detrimentum, quare nec hanc legem antiquare debet. Tertia ratio ſit: Principes ſeculares propter delinquentes, qui ferè ſunt innumeri, leges ciuiles ſuas non ſolent remittere, niſi plurimum ſint perniocioſæ, quia ex facili legum relaxatione populi ſuſiditi diſcunt non obedire, & licentia fiunt deteriores. Cùm ergo in Eccleſia idem per omnia ſequatur inconueniens, non debet ipſa propter peccantes leges ſuas abolere. Quarta ratio: lex hæc de altera ſpecie laicis danda; ob eam rationem lata fui, quia modus adminiſtrandi illam ſpeciem ſecurior eſt & cõmunior, cũ in ea nõ ſit aut periculũ effuſionis ſanguinis, aut acedinis ſpecierũ vini, nec illã ſpeciẽ quiſquã abhorreat, quẽadmodũ vinum multi abſtemij, ac multi ægroti perhorreſcũt, & in omnibꝰ regionibus eius copia exiſtat, cũ in nonnullis puincijs minimè reperiatur vinũ. Lata etiã fuit cõtra hęreſim dicẽtiũ hũc ritũ nõ fuiſſe licitum, vel in vna ſpecie integrũ Chriſtum non contineri: hanc enim hæreſim Eccleſia non ſolùm verbis, ſed etiam facto ipſo cõfutandum eſſe ſtatuit, quoniam fidem non tantùm verbis, ſed etiam factis confiteri, atque hæreſim confutare debemus. Cùm igitur eædem cauſæ hodie quoq; ſubſiſtant, & maiores fortaſſis, & hęreſis, atq; irreuerẽtiæ periculum pateat latius, cùm minus Deum, quam maiores noſtri timeamus, amemuſque: ſequitur, quod adhuc vigeat ratio legis, & idcirco lex durare debet; vel confitendum eſt, Eccleſiam imprudenter, & abſque cauſa legem tuliſſe; aut vice verſã dicendum eſt, quod ſi lex tunc ex cauſa lata eſt, cum eædem quoque rationes modo valeant, non niſi temerè, & abſq; cauſa lex hęc hodie aboleretur. Quinta: Si lex hæc abrogaretur, eo quod ritus communicandi ſub altera ſpecie non eſt damnabilis, neceſſum eſt vt optio populo relinquatur eligendi hunc ritum, vel illum pro eorum arbitrio, & voluntate: ex quo maxima in Eccleſia Dei confuſio conſequeretur. Nam cùm vbique ſint factiones contrariæ, eo ipſo quòd vna factio vnam ſpeciem amplecteretur, reliqua contrariam eligeret. Imò in eadem domo ſicut diuerſæ ſunt mentes, ita & diuerſæ eſſent electiones, ac proinde in eodem altari cogeretur Sacerdos his dare vtramque ſpeciem, alijs verò alteram: quare abutentur Sacramento communionis ad fouenda diſſidia, & illud efficient ſymbolum factionum, & diuiſionum, contra eius inſtitutionem. Nam vt teſtatur Paulus: *Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Sexta: Principibus ſecularibus, atq; alijs Epiſcopis, ſiue Catholicis Eccleſiæ paſtoribus, non leuis fieret iniuria, ſi ſine eorum conſenſu abrogaretur hæc lex: qui cùm populos habeant quietos, & alterius ſpeciei ritu contentos, ſanc ſublata hac lege meritò cõmouerentur, & aut inclinarẽt in partes hæreticorum, putantes illos in hoc, & in alijs veritatem conſectari, Eccleſiam verò, atq; eius Paſtores pernicioſè aberraſſe; aut, ſi odio haberent hæreticos, atq; eis eſſent finitimi, tumultuarẽtur, alterius ſpeciei ritũ zelantes; atque ita mutata religione, periculum eſſet, ne ſtatus temporales mutarentur.

Æthiopum ritus.

Præcepta poſitiua quid ſint.

Circa quæ verſetur praxis.

III. ratio.

Quarta ratio à fine legis latæ ſub altera tantùm

ſpecie communicandi.

Altera cauſa eius legis.

Rom. 10.

V. ratio.

1. Cor. 10.

VI. ratio.

tur: vnde ob incertam spem paucos lucrifaciēdi, plurimorum iacturam faceremus. Septima: Plures etiamnum Catholici sunt, qui ritum antiquum Ecclesiæ cōsuetudine firmatū cōmunicandi sub altera specie retinent; at pauci sunt, qui ab isto eodem ritu sua culpa defecerunt: atque ex huius legis mutatione Catholicis, qui etiā imperfecti sunt, iam dicta, & alia grauiora pericula, quæ probabiliter consequentur, impendent: ergò Ecclesia debet magis plurium, & meliorum saluti seruandæ prospicere, quàm incerto salutis paucorum lucro, & vt Scipio Africanus dicebat: *Præstat salutem vel paucorum ciuium tueri, quàm plures hostes cum manifesto suorum periculo perdere.* Atque his rationibus euictū, & comprobatum relinquo, non expedire, vt omnibus in vniuersum vsus calicis concedatur per abrogationem legis Eucharisticæ.

VII. Ratio.

Scipionis Africani pulchre dictum.

Examinandum est iam, an salutem aliquibus nationibus illud instanter postulātibus sit per dispensationem concedēdum, vt potiri calice valeant. Ad cuius dubij clariorem resolutionem præmittenda sunt quædam omni acceptione digna. Deinde probandum est, nequaquam hanc dispensationem hoc seculo expedire permitti, rationesque in contrarium sunt diluēdæ. Primum igitur præmittimus, quòd cùm ius in facto aliquo nitatur, ac proinde eo variato, ius varietur: idcirco ad hoc dubium rectè responderi non potest, nisi saltem statuatur, quinam sint illi, pro quibus hæc fit petitio. Efflagitata enim est hęc calicis concessio pro tota Germania, & pro omnibus Cæsareæ Maiestatis subiectis Imperio, pro Regno Bohemiæ, & Hungariæ. Et quia in horum prouincijs quidam sunt manifestè hæretici, qui nec altera, nec duplici ratione digni existunt; quidam verò apertè Catholici, qui antiquo vnius speciei ritu sunt contenti; quidam verò medij, nec planè hæretici, nec planè Catholici, sed vacillantes sunt, & imperfecti: explicandum esset qui sint illi, pro quibus dispensatio postulatur. Et dicent hi postremo loco dicti, quia aliter non acquiescunt, & parati sunt abiurare omnem hæresim, & fidem integram profiteri, si concedatur. Isti autem pro quibus hæc fit postulatio, olim à Romana Ecclesia catechismum; & doctrinam fieri, ac proinde communionem sub altera, ex consuetudine saltem acceperunt. Quod non est de Græcis, qui semper sub vtraque specie ab initio communicarunt, atque eum ritum à maioribus suis legitimè susceptum retinuerunt; at Germani ritum sub altera communicandi consuetudine firmatum, non nisi

Nū sit expediens alicui priuatim prouinciæ id obnixè contendenti, calicis vsum cōcedi.

Pro quib⁹ petitur calicis concessio.

Horum varii tituli, & prætextus.

Vnde vsum vtriusq; speciei accepe- runt Gręci, nō item Germani.

schismate, aut rebellione, crassaue ignorantia deseruerunt. Hinc Augustinus ab eiusmodi consuetudine non esse recedendum, affirmat. Respondens enim ad suffragium cuiusdam Episcopi Donatistæ, qui vt probaret rebaptizandos esse eos, qui ab hęreticis essent baptizati, in obijcientes Ecclesiæ consuetudinem neminem semel baptizatū rebaptizandum, respondebat Christum dixisse: *Ego sum veritas.* non autem. Egò sum consuetudo: ita inquit: *Veritatem non ostendis, consuetudinem confiteris.* Rectè ergo tenemus consuetudinem, præsertim posteriori plenario consilio firmatam, licet eam non intelligeremus; quam tamen iam putamus esse manifestam. Idem etiam August. errasse ait Donatistas ob neglectum non intellectæ consuetudinis Ecclesiæ: *Quia maluerunt,* inquit, *nouum aliquid moliri, quàm tenere consuetudinem, cuius defensionem non intelligebant: & occurrerunt animo verisimiles quædam rationes, & praecluserunt iter intelligendæ veritati.*

Aug. l. 3. de bapt. cont. Donat. c. 7. to. 7.

Donatistæ cuiusdam pro hæreticis rebaptizandis contra Ecclesię consuetudinem argue tis, subtilis Augustini confutatio.

Ioan. 14.

August.

His positis, primùm argumenta ducimus ab illis pro quibus petitur, vt probemus illis non expediri huiusmodi calicis dispensationem. Sit igitur prima ratio ab eorum numero qui petunt. Nam cùm dispensatio vulnus sit iuris, si omnibus, qui nō sunt perfectè Catholici, vel perfectè hæretici, concedendus est calix: cùm paucissimi sint, qui summa sint, vel improbitate, vel bonitate præditi, omnibus fere concedetur vsus calicis; quod erit lethale iuris vulnus: perinde ac si lex ipsa abrogaretur; maximè cum nulla videatur ratio, cur magis medijs illis hæreticis, & non etiam pessimis inter eos, si velint resipiscere, vel optimis quibusque, si ex deuotione, & vt maiorem partem fratrum ex charitate sequerentur, vti calice vellent. Quòd si quis obijciat paucos, & fortasse nullos hac dispensatione vsuros, propter difficiles illi annexas cōditiones, quas Concilium, aut Pontifex ab illis exiget: facile hæc responsio reijcitur: quia ob paucos, atque illos quidem singulares ac superbos, non sunt multi perturbādi, aut offendendi. Si autem nulli extiterint, qui ea lege potiri voluerint, incommodum illud nō mediocre accidet, nimirum, quod propter nullos Synodus sancta, siue Romanus Pontifex laborauerit, frustraque obtulerint illis parum gratam dispēsationem, præsertim cùm semel tempore Concilij Basileensis: atque iterum tempore inuictissimi Imperatoris Caroli V. frustra illis hæc dispensatio sit oblata; ex quo illi non solùm non sunt conuersi, sed & ansa illis data est, vt alios deciperent, & vt in suo

Nequaquā illis hominibus petitur vsum calicis esse concedendum.

I. ratio.

Dispensatio vuln⁹ est iuris

Obiectionis dissolutio.

II. ratio.

errore ipsi confirmarentur. Secunda ratio sit ab eorum praua dispositione. Nam cùm iure diuino communio, siue vnius, siue vtriusque speciei illi tantùm sit porrigenda, quem probabiliter existimamus habere gratiam Dei, aut ad illam habendam sese honestè preparasse, iuxta Domini sententiam: *Nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos*; & Apostol. ait: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit, indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus* Domini. Ob quam caussam Primitiua Ecclesia cùm dispensanda esset populo sacra Eucharistia, clamabat Diaconus: *Sancta sanctis*: vt admoneret omnes, vt non nisi non sanctificati ad illam accederent. Cùm, inquam, hoc verum sit, & iure diuino sancitum si istos, pro quibus tantopere postulatur, ostendamus sanctos non esse, demonstratum erit, quod eis non conueniat concedere calicem. Nam quod attinet ad intellectus sanctitatem, non sunt mundi quæ hæresi laborāt, vel puerili quodam sensu afficiuntur ad communionem inepto. & ad dijudicandum corpus Domini; cùm ritus communicandi sub altera specie re ipsa in Ecclesia nostra Occidentali multa commoda habeat, quibus destitutus est vsus vtriusque speciei. Nam præterquam quod eundem Christum, & eundem gratiæ fructum cum illa contineat, habet absque dubio commodiorem, & generaliorem vsum, cohærentiamque cum maioribus nostris Occidentalibus, & cum fratribus, qui modo Catholici existunt: habet obedientiam superiorem sibi adiunctam, ob legem de communione sub altera datam, cui se morigerum præstat: habet denique fidei confessionem: nam ita sub vna specie communicans, fatetur se esse filium Ecclesię Catholicę, & se ab hęreticis & schismaticis dissentire, qui soli hodie inter laicos communicant sub duabus. Quicunque ergo Occidentales laici volunt omnino sub gemina specie communicare: vel id faciunt ob hæresim, qua sunt imbuti, credentes, aut non esse Christum integrum sub altera, aut per eam gratiam ad salutem idoneam non exhiberi, aut credunt vsum vtriusque sibi ad salutem necessarium; vel si hæresi non habent, & omnia credunt quæ Catholica Ecclesia, certè habent sensum puerilem, quo nudam ceremoniam, nec in vllo magis vtilem multis rebus grauissimis, ad quæ ius diuinum, & naturale adstringere videntur; præferunt non secus atque pueri, qui exigue quædam, & ludicra, ac parui momenti, magnis, ac pretiosis antepon unt: quòd

Quibus præbenda cōmunio sit vnius, siue vtriusq; specie.

Matt. 7.

1. Cor. 11.

Vetus Ecclesię rit⁹ in Missę sacrificio.

Eos qui vsum calicis postulant, non esse sanctos intellectu.

1. Cor. 11.

Altera tātum partic. pātes, tria inprimis commoda cōsequuntur.

Vsum calicis vrgentes, aut hęreticos esse aut certè sensum habere puerilem.

si fortè illa, quæ sibi non placent, denegentur, lacrymis, ac clamore extorquere contendunt, altèque ingemiscunt, tanquam qui secantur, aut vruntur. Porrò magna illa iuris naturæ, aut diuini esse dixi, sunt in his, quæ indifferentia sunt, sectari suos maiores; obedire suis præpositis; conformare se Catholicis fratribus symbolo se ab hæreticis discernere; facto confiteri fidem, & hæresim detestari; amare concordiam, ac vnitatem; denique reddere vnicuique quod suum est. Hi autem vel hęretici, vel pueri sensibus, omnia volunt confundere, & quæ Dei sunt, Deo; & quæ Cæsaris, Cæsari denegari, modo desideratam ceremoniam obtineant: quamobrem communione prorsus indigni sunt, cum sanctitate & munditia intellectùs destituantur.

Quòd sanctimoniam voluntatis excutiamus, inueniemus proculdubio non minus esse affectu male dispositos, quam fuerant intelligentia. Nam tales aperta superbia laborant, qua Ecclesiam sibi potius volunt humiliari tollendo, vel relaxando legem, quam vt ipsi Ecclesiæ humilientur; contra Angeli consilium, quod dedit Agar ancillæ. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius*: quod allegoriam gerere Ecclesiæ significatæ per Saram, & congregationis hæreticorum repræsentatæ per Agar, docuit B. Augustinus. Regnat etiam in horum affectu iniustitia, cùm iuris diuini, & naturalis sit apud omnes gentes, vt qui sacris præsunt, de ritu sacra dandi sentiant, & qui non præsunt, lege cogantur ea suscipere, quomodo traduntur eis à Sacerdotibus, modo intolerabilis non esset error: debent igitur isti vel sub altera, vel sub vtraqre specie communicare, quomodocumque eis ab Ecclesia porrigatur. Iniustitiam igitur admittunt, & in Deum, & in eius ministros, quando eis debitam substrahunt obedientiam. Adiungunt prætere a iniustitiam in Cæsarem, cui aut sua tributa soluere, aut eius bellis difficultatibus, quemadmodum æquum est, & iustum, subuenire nolunt: nisi prius eis vsum calicis concedat; cuius concessio minimè ad Cæsaream Maiestatem, sed ad Sacerdotes spectat. Est præterea in illis charitatis erga Catholicos defectus, & mala amoris propensio aduersus hæreticos. Nam quemadmodum si quisquam ex Christianis postularet sibi concedi, vt symbolum, aut insigne aliquod, quo solùm Turcæ, vel Iudæi designantur, vti posset, meritò præsumeretur, aut male de Christiana sentire fide, maleque ad Christi cultores affici; & vice

Iuris diuini propria quæ sint.

Matth. 22.

Neq; verò etiā sanctos esse voluntate vsum calicis postulantes.

Gen. 16.

Aug. ep. 50. ad te mod. to. 2. Quid Sara vxor Abrahæ, quid Agar ancilla præsignauerint.

Eorundē hominum iniustitia, & immisericordia.

Defectus charitatis eorundem. Exemplum.

versa de infidelium secta benè sentire, vel immoderato amore ad illă affici: ita cùm hodiè soli hæretici, aut schismatici laici calice vtantur, illique cœperint vsum calicis vrgere, quotquot illi pro se ipsis postulant, se benè propensos ad hæreticos, maleque à suis patribus, superioribusque ac fratribus abhorrere hac ipsa postulatione testātur. Ad hæc produnt se veram pœnitentiam non agere: nam vera pœnitentia non solùm peccatum, sed etiam occasiones fugit peccati, & non modò mente, verùm etiam facto se peccatum odisse. Cùm igitur hi occasione vtriusque speciei, errauerint à veritate, Deumque, Ecclesiamque offenderint, deberent hanc ansam effugere, & re ipsa communicandi sub altera specie, se errorem odio habere ostendere: quemadmodum qui cōcubina turpiter abusus est, non tantùm à peccato, sed ab statu peccati, extra domum illam pellendo, abstinere debet. Eum enim non verè pœnitet, qui id non facit: non secùs atque is, qui à Rege ad eius inimicum defecisset & signum militiæ eius profiteretur, si hic verè resipisceret, extremum, & contrarium symbolum à se abijceret. Igitur si hæretici ex animo resipiscerent, vsum vtriusque speciei desererent, quòd hæreticorum in Occidente sit simbolum; vt non tam intellectu, quàm affectu malè dispositi ad communionem inueniantur.

Illorum quoque falsā pœnitentia.

Quem verè non pœniteat.

Neque benè excusantur à quibusdam qui aiunt, istos calicem petere, nō quidem ex vllo errore, au mala voluntate, sed ex deuotione, & pietate, ob maiorem fructum, qui ex perceptione vtriusque speciei, secundùm Alexandrum de Hales, habetur. Sed sanè falsò illis attribuitur hæc excusatio, qua ipsi minimè vtuntur: nec si maximè ita se excusarent, esset idonea. Quoniam illi, si hæretici sunt, qui Lutheri aut Caluini sectam amplectuntur, nullum fructum ex opere operato in Sacramentis agnoscunt. Si autem Catholici existant, cùm ab omnibus Doctoribus & concionatoribus de eodem fructu concordi sententia persuadeantur: non potuerunt tot gentes ac populi, aut videre, aut diuinare illam Alexandri Halensis sententiolam de maiori fructu sub vtraque specie percipiendo. Falsò præterea affingitur illis tam vniuersalis deuotio, totque populis, ac gentibus communis; cùm vix in monasterijs vnus, aut alter inueniatur ad huiusmodi singularia propensus: quòd si maximè reperiretur, meritò ista deuotio in suspicionem veniret, potiusque à diabolo, quàm à Deo profecta foret iudicanda, quia in ritu singulari, & ab vniuersis Catholicis semoto gauderet; vitanda proinde esset eiusmodi deuotio, quę charitatem non conciliat, sed deprimit.

Vana quorūdam & inutilis excusatio illorum hominum.

Alex. Halē. 4 par sum. q. 53. memb. 2.

Lutheri Caluiniq; de Sacramentis blasphemia.

Nec deinde excusantur isti ab his qui confitentur quòd peccauerint quidem, & etiamnum peccent: sed quoniam peccata ex hac lege de communione sub altera specie proficiscuntur, sublata de medio, aut dispensata eiusmodi lege eos pœnitebit, & sanctè sub vtraq; specie communicabunt. Non valet, inquam, hæc illorum defensio. Primùm, quoniam si cùm quis delinquit in aliquam legem positiuam, remedium esset abrogare, siue relaxare legem, omnes leges ecclesiasticæ essent abrogandæ, ac dispensandæ: & ita tolleretur omnis disciplina, & periret obedientia, etiam diuinis præceptis debita. Et quanquàm relaxaretur hæc lex, adhuc ex animo non pœniteret istos, quia mente contumaci ad communionem accederent: nam si Pontifex in posterum ob aliquam iustam causam subtraheret illis dispensationem animo non parendi in communicando sub altera specie, Eucharistiam susciperent; nam si tunc essent parêre parati, parêrent nunc quoque, quod tamen non faciunt. Tertia ratio: Hominibus ita affectis remedium non est vsus calicis, qui magis obesse poterit, quàm prodesse, quod apertè intelliget, qui penitius considerauerit caussas huius tanti desiderij, quod in petendo calice ostendunt. Nam primaria causa, cur calicis vsus peteretur ab Occidentalibus, dæmon Lutheri præceptor extitit: hic est enim, qui illi hanc petitionem suggessit. Quia enim ex fructib' arbor cognoscitur, sanè errores, atq; scandala, quæ paullatim ex hac petitione orta sunt, satis indicāt nō nisi à dæmone profectam videri. Primùm enim Lutherus pulchrum fore dixit, si omnes laici vsu calicis gauderent. Deinde inquit, non solùm pulchrum esse, sed necessarium, atque adeò vsum vnius speciei esse illicitum. Addidit præterea, in alia specie non totū Christum contineri, sed sub specie panis solùm corpus, specie vini solùm Christi sanguinem: vt testatur Ioan. Eckius homil. 32. de sacris, ex epistola quadam Lutheri missa aduersus quoddam Episcopi Misnensis mandaum: atq; ita viam præmuniuit Sacramētarijs, vt posteà Christum negarent re ipsa esse in Eucharistia. Addidit postremò Lutherus huic doctrinæ colophonem, dogmatizando, si præcipiat Concilium, vt plebs Christiana sub vtraq; specie communicet; eo casu sub altera tantùm communicandum esse: vt videas

Altera excusatio talis: cō cesso calice, de peccato inobedientię pœnitētiam agentes, deinceps sanctiùs viuent, infirmatur triplici ratione.

I. ratio.

Secunda.

III. ratio.

Quæ caussa potissimùm hæreticos ad vsum vtriusque speciei postulandū impulerit.

Matth. 7.

De vsu vtriusq; speciei impius Lutherus quid senserit, scripseritque.

Ioan. Eckius.

deas hominis amentiam & superbiam. Ex his autem erroribus innumera penè orta sunt scandala per Germaniam, Galliam, & Angliam, vt omnis hæsitandi ratio omninò adimatur, quominùs noscatur ab omnium zizaniorum satore diabolo hanc petitionem fuisse profectam.

Vnde caussæ illæ petitionis calicis ortum habere videantur.

Sed quoniam dæmon nostra ipsa rationis experte concupiscentia, ad nos ipsos se ducendos vti solet, hinc secundò ortum habuit, ab ea nēpè, vel ab errore, quo quis non credit vsum vtriusque speciei non esse necessarium ad salutem, & vsum alterius speciei esse superstitiosum, vel fructum non esse parem, & eundem: vel prodit à superbia iniusta, quæ suis superioribus parêre recusat, sed solet esse singularis & curiosa, vel à carnali quodam stultæ & fictæ deuotionis appetitu contra fratrum charitatem, & maiorum obedientiam; vel ab amore nouitatum, vel deniq; ab alia quauis irrationabili concupiscentia. Nullo enim pacto poterit iustus, & cum honestate, rationeque coniunctus appetitus ille haberi, qui ob nudam tantùm cæremoniam, & ritum minùs commodum, qui iuris positiui est, condemnat tam multa, quæ iure naturæ, ac diuino constant: nempè iustitiam, obedientiam, humilitatem, charitatem, Fidei confessionem, scandalorum vitationem. Quia ego à dæmone ortus est hic morbus, & à veteri homine nostro, eiusque concupiscentia, concessio rei quæ petitur, non erit remedium, sed fomentum potiùs ipsius morbi. Dæmon namque non vincitur ei cedendo, vel ab eo se superari sinendo, cùm ab eo superatus eius seruus efficiatur; sed resistendo potiùs, & contranitendo, secundùm illud: *Nolite locum dare diabolo*; & rursus: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*. Cupiditas quoque, quia infinita est quodammodò iuxta doctrinam Philosophorum, detractione potiùs, aut diminutione, quàm additione seu concessione superatur. Vt enim sitis vehemens potu aquæ salsæ magis accenditur, & laborans febri cholerica, quo plus aquæ bibit, eò magis sitit, & sitis non additione aquæ, sed detractione ipsius bilis per pharmacum pellenda est: ad eum modum cupiditas restrictione, non concessione vincenda est. Non erit igitur remedium concessio calicis, sed potiùs fomentum ipsius morbi; errorque proinde in istis confirmabitur. Videbuntur enim rectiùs sensisse quàm Ecclesia, quę eis acquieuit concedendo calicem: superbia etiam crescet; videndo Ecclesiam sibi humiliari, & ipsos noluisse ceruicem flectere. Crescet propterea in eis curiositas, & appetitus rerum nouarum, cùm viderint pro voto successisse, quod circa calicem attentabant: confestimque petent aboleri imagines, ritumque baptizandi: instabunt pro coniugio Sacerdotum, pro abolitione ieiunij, ac delectu ciborum, ac denique omnia, & diuina, & humana confundent. Neque si istud concedatur, facilè erit illa denegare, quia eisdem rationibus, quibus hoc extorserint, extorquebunt & alia: imò longè fortioribus, quia caro non ita horret vsum alterius speciei, sicut horret ieiunia, & cōtinentiam. Quanto autem caro magis propensa est aliquid, eò fortiores habet vires tentandi. Quare si vsus calicis concessus fuerit, maiora proculdubiò Ecclesiæ imminebunt bella: ideo præstaret prudenter principijs obstare. Nam vt ille dixit,

Quæ cōstent iure naturæ, ac diuino.

Dæmon qua ratione vincatur.

2. Petr. 2. Ephes. 5. Iacob. 4.

Infinita cupiditatis sitis quomodo possit extingui.

Concesso calicis vsu eum postulantibus, cui iam consecuta sunt, quæ mala cōsequentur.

Carnis ingenium.

Serò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuere moras.

Ouid. lib. 1. de remedio amoris.

Quæ quò magis confirmentur, audi quid in Appendice Concilij Basileensis, in tertio tomo, fol. 243. habeatur. Cùm enim sancta Synodus sub certis conditionibus & pactis vsum vtriusque speciei Bohemis, & Morauis indulsisset, volentibus sic communicare, subdit. Sed nunc nouissimè in dieta Brunnę habita Bohemi etiam ab Imperiali Serenitate petierunt, quòd sua Serenitas personaliter cum eis in perceptione communionis sub vtraque specie conueniret, ac capellanos haberet, qui sic populo ministrarent, & quòd nullus esset in Consilio eiusdem, & negotijs dicti Regni, qui non sic communicaret; & sic indulgentum communionis sub vtraque specie in coactionem conuertunt. Hæc in illa appendice legimus, quibus ostenditur quàm difficilè hæreticis sit aliquid concedendum. Sacerdos etiā quidam Bohemus inter prædicandum dixisse recensetur: Christus dixit: *Hoc est corpus meum*; isti dicunt, Hoc est corpus, & sanguis meus, ostensa scilicet specie panis: rursus ostensa vini specie Christus dixit: *Hic est sanguis meus*: isti dicunt, Hic est sanguis meus, & corpus meum. Cui ergo magis credendum, Christo, an Concilio? Cùm enim hæretici attendant doctrinis dæmoniorum, & ex Deo non sint, sed ex mundo, atque diabolo, qui mendaces sunt, & seductores, quomodo confidendum est eorum promissis, & speciosis verbis. Satis docuit Ariminense Concilium, quanta fides hæreticis sit præstanda, vt refert Hieronymus Dialogo in Luciferianos. Docet etiam Pelagius, qui teste Augustino, ad Sixtum, in Ecclesiastico iudicio Palęstino anathematizauit

Bohemi Sacerdotis cuiusdā in Bohemos etiam que speciem affectantes falsè dictum. Matt. 26.

Quale sit ingenium hæreticorum.

Ioan. 8.

Concil. Ariminense. Hiero. tom. 3.

August. epist. 105. tom. 2.

eos qui dicūt, gratiam Dei ſecundùm merita dari, ſed rogatus quam gratiam putaret ante merita dari: ipſam humanam eſſe naturam reſpondit, in qua conditi ſumus, quàm, antequàm eſſemus, nullus promereri poterat. Ita ille illudebat gratiam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum factam. Dicebat etiam paruulos per ora geſtantium credere in remiſſionem peccatorum, nō tantùm quia ſibi remittuntur, ſed quia credunt, quòd in Eccleſia, vel in Baptiſmo remittuntur peccata, in quibus inueniuntur, nō in quibus nulla ſunt. Sic eodem loco teſtatur Auguſtinus. Multa promiſit Rochezana de abiuranda hæreſi, & retinenda communione ſub altera ſpecie: ſed poſtquàm à cenſuris fuit abſolutus, ſtatim cum ſuis ſectatoribus redijt ad vomitum, vt teſtis eſt Æneas Syluius, lib. de origine Bohemorum.

Pelagii dogmata falſiſſima.
Ioan.1.
Idem ibidem.
Æneas Sylu. lib. de orig. Bohemorū c. 32.

Secundo loco argumenta firma ab eis à quibus petitur calix, deducere licet. Primum ſit: quia cum illis qui vſum calicis petunt, penè omnes hæretici ſint, errantes circa autoritatem Papæ & Concilij, Papam Romanum Antichriſtum vocantes, & Epiſcopos membra, & mācipia eius; Concilia verò hominum, & Sophiſtarum conciliabula, quibus nō Spiritus ſanctus, ſed Satanas præfuerit, vt Beza auſus eſt dicere: manifeſtum eſt, quòd vſum calicis non vrgent ſibi concedi ab eis, quaſi exiſtiment illos habere poteſtatem, vel ſe illorum autoritate indigere, in re præſertim non ſolùm iure diuino conceſſa, ſed etiam ſecundùm eorum ſententiam pręcepta, atq; mādata. Qui ergo nunc iudicat iure diuino pręceptam eſſe communionem ſub vtraq; ſpecie, non poteſt admitti, vel tolerari vt fidelis, vt in gratia Dei exiſtēs, quia indicat totam Eccleſiam Catholicam à tempore Concilij Conſtantienſis erraſſe in Fide, & præcepiſſe hominibus errorem cōtrarium diuinæ Scripturæ, & ei quod peculiariter Chriſtus præcepit verbo ſuo in Euangelio. Quin potiùs talis Eccleſiam non audiens, habendus eſſet vt ethnicus, & publicanus; nō vt fidelis Catholicus. Cuius ſignum nō obſcurum eſt, quod ipſimet qui volunt vſum calicis, antequàm peterēt, iam vtebantur eo: neq; hoc quidem per ſeipſos à Pontifice, vel Concilio petunt, ſed à ſuis ſecularibus Principibus, quibus omniū ſacrorū tribuunt poteſtatem. Si ergo dant operam, aut permittunt, vt à Romano Pōtifice, vel generali Concilio calix per ſuos Principes petatur; id ſanè propterea faciunt; aut quia Principes, vtpotè Catholici, ſcientes id ad ſe nequaquàm ſpectare, calicem illis non concederent; aut quia metuunt ne vel modò, vel in poſterum ob hanc, & alias inſolentias, & contumacias à ſuis Principibus puniātur; aut quia vident quòd etſi eorum Principes illis vſum calicis concederent, illi qui vere Catholici ſunt, eo non vterentur, quòd intelligerent Principes ſeculares ad hoc concedendum facultatem non habere: ſi veò Pontifex concederet, facilè Catholicos ad hunc ritum ſuſcipiendum induci poſſe; qua in re ſi conuenirent cum hæreticis, difficile nō fuerit hæreticos ſubintrare, & omnes pernicioſos errores ſuos perſuaderent Catholicis. Quæ incommoda ne ſequantur, ne nunc quidem calix eſt concedendus. Cùm igitur, vt dixi, omnes qui calicis vſum vrgent, hæretici ſint: illorum petitioni annuere non eſt aliud, quàm hæreſim in Eccleſia velle fouere, imò quaſi ſanctam ad altare introducere, ac opere ipſo in altari eam profiteri. Vt enim obedire aliqui nobis imperanti, quod fortè aliquo caſu licitum ſit, ſed dum hoc imperatur, ab eo tanquàm opus infidelitatis, & eius proteſtatio, eſt verè Fidem abnegare: vt conſtat in Machabæis Martyribus, qui licèt neceſſitate famis cogēte carnem ſuillam edere potuiſſent: abnegaſſent tamē Fidem, ſi ea veſcendo, Antiocho paruiſſent. Ita etiam concedere aliquid vt licitū, quòd etſi aliqua iuſta cauſa concedi poſſet, dum hoc ex infidelitate petitur, ſiue vt hæreſis opere oſtendatur, manifeſtè eſt approbare hæreſim, & fouere. Non enim differunt imperium, & petitio, niſi quòd hæc ſit inferioris ad ſuperiorem, illud ſuperioris ad inferiorem.

Quòd ratione eorum qui petunt, minimè calix ſit concedēdus.
Hæreticorū de Romano Pontifice Chriſti vicario, deq; Epiſcopis, tùm de Oecumenicis Concilijs maledicta, perquā horrenda.
Matth.18.
Hæretici ſæcularibus Principibus omnium ſacrorum tribuunt poteſtatem.
Quo conſilio hæretici, veteratores illi, vſum calicis, à ſuis Principibus expetantà Pontifice vel à Concilio efflagitari.
Verè Fidem qui abnegēt.
2.Macha.7.

Deinde cùm Synodus generalis coacta ſit ad vniuerſales res tractandas, & errores abolendos, Eccleſiamque reformandam: ſed errores circa Sacramentū Euchariſtiæ, & præſertim circa vſum vtriuſque ſpeciei, conceſſione calicis magis confirmantur, quàm deſtruuntur. Deformatio quoque Eccleſiæ ex relaxatione diſciplinæ, & ordinis confuſione procedit; quæ potiùs augetur, ſi lex de cōmunione ſub altera ſpecie relaxetur; & per id eueniret hæc magna confuſio, vt ſuperiores pareant potiùs inferioribus, quàm è contrario. Non debet igitur Conciliumhanc diſpenſationē concedere, præſertim ſi res particularis ſit, ob quam non fuit coactū. Ad hæc Concilium præſens ſi errare non vult, imitari debet maiorum veſtigia, qui ad alia Concilia celebranda ſunt congregati, cum non minori ſcientiā, vitæque ſanctitate, ac charitate ad proximos pollerent; & ardentiori deſiderio conſeruandi Catholicos, & conuer-

Secūda ratio ab inſtitutione Synodorū generalium.
De formatio Eccleſiæ vndè.
III.ratio

tendi hæreticos inflammati essent. At illi cum hæreticis agentes, semper eis restiterunt, & in aliud ferè extremum perducere conabantur, vt ad medium eos reuocarent, vt faciunt qui ligna distorta dirigere solent, iuxta Aristotelis in Ethicis sententiam. Ideo Patres nõ acquiueuerunt volentibus Iudaizare, aut volentibus Pascha more Iudaico celebrare. Hinc Romani Episcopi Scotos tanquàm de hæresi Iudaizantium suspectos admonuerunt, eo quòd quidam eorũ decimaquarta luna cum Iudæis Pascha celelebrare docerent: vt in Anglorum historia nõ semel Venerabilis Beda testatur, nempè libr.2.cap.19. lib.3.cap. 25.& 29.lib.5.cap.22. Hinc rursus in Manichæos præceptus est vsus vtriusque speciei, quia vsu alterius significari corpus phantasticum, & exangue volebant, vt testatur Leo Pontifex. In Nestorianos verò, qui Christum persona distinctum à Verbo esse asserebant, in Oecumenica tertia, & Ephesina Synodo præceptum est ne B. Virgo tantùm Christi Mater, hoc est, χριστοτόκος, sed potiùs Dei Mater, hoc est, Θεοτόκος diceretur. In Arrianos ponentes gradus in diuinis personis; ad indicandum vnam, & eandem esse trium substantiam, & naturam, ritus trinæ immersionis in Ecclesia vsitatus, & pręceptus, in vnicam tantùm est commutatus: vt docet Gregorius ad Leandrum. In Ebionitas Iudaizantes vetitum est ab Ecclesia, ne in Azymis conficeretur, sed in fermentato: qua tamen hęresi abolita, redijt Ecclesia ad Azymum. B. Augustinus ad Casulanum propter Manichæos ieiunia Dominica die celebrantes interdicit eiusmodi ieiunia Catholicis. Et Germanus Episcopus Constantinopolitanus in septima Synodo, propter hæreticos auferentes de templis imagines: *Ante omnia, inquit, prouidendum est, ne à sententia permuteris, ne ex hoc inimici nostri, & hostes crucis Christi, supercilium eleuent contra fidem nostram; dicantquè, Hucusque Christiani errárunt. Nisi enim institutum suum idololatriam cognouissent, non sanè nunc manu factæ abijcerent.* Et Apostolus de falsis fratribus ait: *Quibus neque ad horam cessimus subiectioni: vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* Concilium igitur quodcunque hodiè celebretur, atque adeò Romanus Pontifex, si imitari volũt, vt debent veteres Patres, deberent in ritu alterius speciei persistere: qui si hodiè in vsu non esset, propter hæresim præsentem demoliendam deberet statui, & in vsum reuocari.

Aristot. lib. Ethic.

Exod. 12.

Beda tom.3. initio.

Quos ritus Ecclesia propter hæreses ad tempus tantùm variauit.

Leo Pont ser. 4. de Quadragesima.

Secundus ritus.

Synod. Ephes. Oecumen. Tertius.

Greg. lib. 1. Registr. c. 41. tom. 2.

Quartus.

Aug epist. 86. tom. 2.

Galat. 2.

Tertio loco à re ipsa petita argumenta nonnulla suppetunt. Nam primùm vsus calicis malè succedit omnibus qui illum obseruant: nam in Oriente varijs erroribus laborant, & sub infidelibus infeliciter degunt, omni sapientiæ, lumine, veraque vitæ sanctitate, atque temporali potestate destituuntur. In Occidente quoque qui illum ritum retinent, non modò perniciosis erroribus in Fide, sed etiam odijs suorum fratrum, ac dissidijs, rebellione quoque ad suos maiores, bellicis quoque tumultibus, atque omni impudicitia, & iniustitia conflictantur: ita vt penè eorum innumeri existant, qui ad impietatem declinarunt, ac velut athei, & prorsus exleges viuant. Potiùs igitur Christiani eorum exemplum fugere deberent, quàm velle eos imitari. & Concilium, siue Pontifex id eis concedere non deberet, etiamsi maximè vellent. Denique vbicunque vigent hodiè hæreses in Occidente, ibi præcesserunt factiones, & pars minùs contenta hæresim est amplexata; vt ea ratione suam vel cupiditatem, vel ambitionem satiaret. Quia, vt ait Sapiens, anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat. Cùm igitur Principes qui fauent sectarijs, honores indies maiores, & reditus ampliores ambiant, ob quos extorquendos, vel retinendos religionem prætexunt, minimè satiabuntur, neque quiescent, licèt multi calices eis porrigantur. Imò ex concessione inualescet secta, & factio, pluresque turbæ, & tragœdiæ excitabuntur.

Quod ex parte rei ipsius vsus calicis concedi non debeat.

Quales abusus cernere licet in his qui gemina specie vtuntur.

Secundum argumentum.

Eccles. 23.

Tertiò concessus fuit olim calix Basileensibus, sub certis tamen conditionibus, pro Regno Bohemiæ, & iterum à Paulo Tertio per tres Legatos suos in Germaniam missos, oblatus vsus calicis, & interim à Cæsare Carolo Quinto promissus: & tamen nihil profuit eiusmodi concessio, imò obfuit plurimùm Bohemis: quoniam breui tempore ortæ sunt quatuor sectæ, Thaboritarum, Adamitarum, Horebitarum, & Orphanorum, ex abusu calicis, ita vt coactus fuerit Pius Secundus dispensationem per Concilium factam reuocare. Ergo quam spem fructus si denuò concedatur, sperare possumus? cùm neque Ecclesiastici, meliores, aut sapientiores sint quàm tunc erant; nec bonitate, aut potentia magis præditi Principes seculares, nec hæretici ad excusationem curandam aptiores: etiamsi aliqui dicant, illos alias omnes hæreses reliquisse præterquàm de vtraque specie: quia si illas deseruissent, proculdubiò & hanc facilè abiecissent.

Tertium argumentum.

Vsus calicis Bohemis quantum obfuerit.

Quartò, concessio calicis vt petitur, res est merè facti, in qua vel concedenda, vel neganda, non minùs Pontifex, quàm Conci-

Quartum argumentum.

Concilium errare poteſt, vt dictum eſt: vſque adeò, vt Pontifex in ea definienda, fortaſſis non deberet ſequi plura ſuffragia, ſed meliora. Cæteris autem paribus, quia in Concilio quæritur, an hi homines, pro quibus diſpenſatio quæritur, ſint idoneè diſpoſiti ad ſuſcipiendam Euchariſtiam. Et hæc diſpenſatio ſi per Scripturas ſacras eſt inueſtiganda, Epiſcoporum Theologorum ſuffragia alijs non Theologis ſint præferenda: voto etiam iuris Canonici peritorum alijs qui neſciunt Canones. Quēadmodum voces Occidentalium præponendæ ſunt ſuffragijs Græcorum, quia ad ſuum ritum propenſiores ſunt. Item ſententiæ ſeniorum expertorum atque ſpiritualium, ſuffragijs ſeniorum minùs experientia, & ſpiritu valentium. Quæ omnia ſi rectè inſpiciantur, proculdubiò inueniri poterit, quæ ſit melior vel maior pars, quæ alteri præponderare, & præferre debeat.

In ſententijs ferēdis quid obſeruandū.

Quartò habemus, & argumenta ab his, pro quibus non petitur. Nam Catholici mixti cum hæreticis, quibus conceditur, quia leues, & curioſi erunt, à nobis diſcedēt, & ad hæreticos declinabunt, benè quidem de illis, at ſiniſtrè de nobis ſentiendo, quòd ſcilicet ex ignorantia, vel negligentia vſum calicis eis denegauerimus: & ſimile quid cogitabunt de alijs dogmatibus, in quibus hæretici à nobis diſſident.

Ab his quoque pro quibus non petitur, oſtenditur, calicis vſum minimè expedientem videri.

Nec valet, dicere Hæreticis nihil concedatur, niſi ſeruauerint conditionem à Synodo, vel Pontifice præſcriptas: quas ſi ſeruent, iam non ampliùs erunt hæretici. Non valet hoc, inquam: quia mos hæreticorum eſt, vt Gallia, & Germania experimentum dederunt, quicquid ſibi conceditur, libenter arripere: & eorum quæ ab eis exiguntur, vel quæ ipſi pollicentur, nihil præſtare. Et nimis ſimplicis animi eſt credere, quòd hæretici ſyncero, & ſimplici animo procedant: nam dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? Oſtentabunt igitur calicem noſtris Catholicis, vt eos ſeducant: de pactis verò cōditionibus verbum nullum. Deinde multis, qui ſunt inter hæreticos, vel illius vicini, Catholici, qui non fide modò, ſed vt plerunque etiam accidit, factione ſunt contrarij, nouus ritus vtriuſque ſpeciei proculdubiò diſplicebit, non tam propter religionem, quam quia vſurpatus eſt à contraria factione: vnde irritabuntur in ſumentes calicem; & tumultuabuntur; maximè ſi non ſeruent conditiones, vt hæreticis mos eſt nihil obſeruare; & ita vtraque factio accipiet diuerſum communicandi ritum; atque ea ratione conuertent vnitatis Sacramentum in ſymbolum & teſſeram ſuæ factionis alendæ: maximè, quia vbi altera pars credet, volet templum ſeparatum, ſicut & ritum, & ita incrementum ſumet diuiſio.

Leuis obiectio quorundā diluitur.

Mos hæreticorum.

II. ratio.

Euchariſtia vnitatis Sacramentum.

Nec ſoluitur hoc argumentum, dicendo, non fuiſſe diuiſionem inter conuerſos ex Iudæis, & conuerſos ex Gentibus, licèt iſti iudaizarent, & nō illi: neque eſſe diuiſionem modò inter Græcos, qui ſub illuſtriſſimo dominio Venetorum degunt, & vtrâque ſpecie potiuntur, & inter Italos altera tantùm vtentes. Primum enim falſum eſt: nam fuit inter Iudæos & Gentes magna concertatio: vt ex Actis Apoſtolorum, & Epiſtolis ad Romanos, & ad Galatas cōnſtat. Deinde ſi fuerunt concordes, id fuit, quia Iudæi ſeruabant ſuum ritum antiquum, quem Gentes non acceptabant; & ita vtrique erant ſuo ritu contenti, quēadmodum hodie ſunt Græci, & Latini, ſeu Veneti, ſub quibus degunt: nequaquàm autē fuiſſent conformes; ſi vtrique in vno ritu antiquo conueniſſent, & ab eo altera pars defeciſſet, vt nunc iſti faciunt. His accedit, quòd multi Principes ſeculares, & Epiſcopi animabus regendis præfecti, ſuos populos in ſumma pace & quiete gubernant, & illos, vt par eſt, ritu communicandi ſub altera ſpecie habent contentos: hi tamen populi vt ſunt proni ad nouitates, audita diſpenſatione, veriſimile eſt quòd ſint perturbandi: qui vel in errores incident, vel in curioſa deſideria ſimiliter communicandi: ex quo non ſolùm ipſi populi læderentur, ſed & eorum Principibus, & paſtoribus grauis fieret iniuria, ſi ſine eorum conſenſu fieret hæc diſpenſatio. Neque rectè hoc ſoluitur, dicendo, quòd etiam illis poterit concedi hoc donum, & Epiſcopi gaudebunt de ampliata ſibi poteſtate calicem diſpenſandi. Tum quia hæc generalis diſpenſatio abrogatio quædam legis eſſet, quæ haberet inconuenientia ſuperiùs adducta: tum etiam, quia Principes qui habent populos pacatos, & altera ſpecie contentos, cùm cognouerint mutationem in religione, mutationem in politia parere, bellum quærere non deſiderabunt, vbi pax eſt, nec ſine aliqua ſpe lucri (quod nullum eſt in inuentione nouæ cæremoniæ) ſtatus ſuos iacturæ exponere; probi etiam Epiſcopi non amabunt ampliationem eius poteſtatis, qua vti non poſſunt ſine damno ſuorum populorum. Huiuſmodi autem eſt poteſtas diſpenſandi in ritu alterius ſpeciei cum po-

Huius rationis quorundam infirmà ſolutio. Galat. 2.

Act. 15. & ſeq.

III. ratio.

Minus commoda ſolutio quorundam.

pulis, qui illo contenti sunt: tales enim ex huiusmodi concessione perdere possunt, lucrari minimè.

His igitur rationibus euicimus, Ecclesiæ Dei fore minimè consultum, aut expediens, siue calicis legem in Concilio Constantiensi olim prohibiti abrogare, siue cũ aliqua gente, aut natione peculiariter dispensare: quia, vt experientia hactenùs docuit, & rationes productæ validè confirmant, nullos bonos fructus ex tali dispensatione ortos videre potuimus: & sicut Sacerdoti celebranti fas non est à calice abstinere ob Domini præceptum, ita ob Ecclesiæ præceptum laico de calice non licet bibere, vt & Apostolus dixit: Circuncisio nihil est, præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei; ita bibere, vel non bibere nihil est, modò pareamus Ecclesiæ præcipienti.

Galat. 5.

Perstandum igitur videtur in antiqua, & auita, & tanto seculorum, atque populorum cõsensu firmata consuetudine, donec Deus aliter Ecclesiæ suæ expedire iudicauerit, ad illustrandam gloriam Filij sui Iesu Christi Domini nostri, cui cum Patre & Spiritu sancto deferẽdum est omnegenus laudis, honoris, & gloriæ in sempiternum, Amen.

TRACTATVS XXXVIII.

In quo rationes diluuntur eorum, qui vsum vtriusque speciei Ecclesiæ salutarem, & expedientem esse contendunt.

CVM tot argumentis sententiam nostram hactenùs fulcierimus, vnus tantùm labor nobis reliquus est, vt quæ pro proposita sententia adducuntur, nihil euincere, planèque refelli posse ostendamus. Primum igitur ad calicem concedendum, à Dei ineffabili clementia, ac misericordia argumentantur. Ille enim in benedictionibus dulcedinis peccatorem præuenire consueuit, & vt pientissimus Pater in filij prodigi à longinqua regione redeuntis collum accurrit, eumque osculatus est, annulo, & stola prima donauit, atque vitulum saginatum ad epulandum præbuit. Ipse etiam Christus, vt bonus pastor, vt ouis perdita ad se redeat, nequaquàm expectat: sed nonaginta in deserto relictis, quærit eam, & inuentam super humeros reponit gaudens, & deducit ad ouile. Expandit quoque manus suas tota die ad populum non credentem, sed contradicentem sibi. Ergo & nos quibus dictum est: *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione*: imitari diuinam debemus clementiam, & ipso calice hos populos errantes præuenire, vt ita inuitati resipiscant. Verùm hoc facilè soluitur, si expendamus, negando calicem, magis nos imitari diuinam clementiam, quàm concedendo. Dei etenim misericordia peccatorem quibusdam donis præuenire solet: quædam verò munera non nisi sanctis concedit, quæ, si illa peccantibus largiretur, potiùs obessent, quàm prodessent. Nam exempli gratia, peccatorem præuenit tangẽdo eius cor, vt conuertatur, & deducendo eum ad Sacramentum Baptismi, siue Pœnitentiæ, per illaque primam gratiam impertiendo; cæterùm gratiam illam, quam per Sacramenta Confirmationis, vel Eucharistiæ, vel Matrimonij, vel Ordinis, conferre consueuit, peccatoribus impœnitentibus, atque obicem ponentibus minimè concedit: imò noluit eos adire illa Sacramenta, ne ita malè affecti, dispositique in iudicium suum illa perciperent. Non dissimili sane ratione Ecclesia Deum clementem imitans, hæreticos quidem blandè ad se vocat, precibusque ac gemitibus suis illos præuenit, non tantùm eos docendo, & hortando, sed etiam eos, vbi opus est, increpando, & puniendo, vt resipiscant. Cæterùm ex eâdem misericordia eis vsum calicis negat, quia, vt vidimus, æquè sunt inepti ad vtramque speciem, vt ad alteram cum fructu suscipiendam, & potiùs eius exitium, quàm salutem accerseret. Quanquàm etiam Dominus clamet ad populum sibi contradicentem; interim tamen dum contradicit, & incredulitate sua illi obicem ponit, gratiam suã illi non infundit, quemadmodum nec Paulo eam impertitus est, donec à contradictione destitit, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Nec pater ille clementissimus filio redeunti vitulum saginatum dedisset, si oblitus paterni osculi, atque adeò amplexus, annuli, & stolæ primæ, ex vitulo oblato, præ superbia edere noluisset, quòd vitulo nescio quid condimenti deesset, quòd ipse prodigus sibi finxisset necessarium: nam si ita faceret, meritus proculdubiò fuisset, vt paterna gratia, atque alijs pretiosis ornamentis expoliatus denuò ad porcos pascendos, & ad eorum siliquas edendas relegaretur. Ita hi dum despiciunt CHRISTVM sub altera specie, eo quòd non detur eis vini poculum, merentur profectò vtraque,

Primum argumentum.
Psalm. 20.
Luc. 15.
Galat. 5.
Ibidem.
Esai. 65.
Rom. 10.
Ephes. 5.

Qua Dei prouidentia sanctis concessa, peccatoribus quædam beneficia denegentur: & quænam illa.

1 Cor. 11.

Quemadmodum Ecclesia Deũ imitetur in hæreticis conuertendis.

Act. 9.

vel altera specie priuari. Ouis quoque illa si non sineret se manibus, & pedibus capi, & reponi super humeros, sed obstinatè niteretur, vt non nisi per caudam apprehendi posset, meretur derelinqui. Simile quid isti promerentur, qui nolunt à Deo nutriri, & per panem viuum trahi, sed volunt suo modo, hoc est, hæretico, & puerili, sibi Eucharistiam dispensari.

II argumentum aduersariorum ab Ecclesię pietate, & misericordia.

Deinde argumentantur ab Ecclesiæ pietate, & insita misericordia: illa enim tanquam pientissima mater Græcis, quoties coniuncti sunt cum Latinis, reliquit ritum communicandi sub vtraque specie cum alijs suis ritibus: tempore etiam Theodosij dedit Nouatianis templa intra vrbem Constantinopoleos: ætate quoque Augustini offerebat prædia Donatistis, vt ad Ecclesiam redirent: tempore quoque Leonis Primi Pontificis ob hæresim Manicheorum extinguendam calicem concessit: Victor quoque Papa reprehensus est, quòd non assenserit Tesseradecaditis, vt ritu Iudaico Pascha celebrarent: Chrysostomus cantu Catholico, cantum superauit hæreticum; qua ratione nos possemus errorem circa calicem curare: Basileensis Concilij Patres, calicem concedendum esse, vno consensu asseruerunt, & conclusum concesserunt, quando nulla alia concordiæ spes affulgeret: sicut nec modò vlla affulget. Denique Paulus Tertius amplam facultatem Legatis suis sub certis conditionibus concedendi calicem dedit, ad consolandos Germanos. Hæc autem omnia ex Ecclesiæ misericordia, qua laicos reducere cupiebat, profecta sunt; ne sibi dici posset, quod per Ezechielem ait Dominus: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abctum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.*

Eius varia priuilegia memorantur.

Ezech. 34.

Respondetur, longè diuersam esse nostri negotij rationem à propositis exemplis, vt propterea concessiones illæ non euincant, calicem modò bibendum esse. Nam si Græcis ille ritus fuit concessus, in caussa erat, quòd ritum illum ritè à maioribus suis traditum acceperunt, & perpetuò absque vlla prohibitione seruarunt: his autem, & eorum maioribus abolitus erat vsus calicis, ipsa primùm consuetudine, deinde etiam lege prohibitus, & pro eo bis arma sumpserunt eorum progenitores contra Bohemos: ideo non licet illis vel absque licentia vti calice, vel illum proteruè petere; at verò in Græcis nulla in hoc extitit proteruia, qui simpliciter ritu suorum maiorum vtebantur. Et sicut Græci peccarent hodie, si proteruè, & seditiosè vsum calicis relinquerent, vt in specie tantùm panis communicarent; ita peccant isti Occidentales recedendo à ritu vnius speciei suis maioribus consueto.

Cōcessi Gręcæ Ecclesiæ calicis caussa iustissima.

Concessiones etiam prædiorum Donatistis oblatæ, vel templorum Nouatianis, ad rem minimè faciunt: quia aliud est peccatoribus temporalia largiri, & permittere hæreticis templa: aliud, dare Eucharistiam indignis. Templa quoque, & prædia offerebantur illis sponte, non autem quasi per vim exigebant, vt isti communionem vtriusque speciei exigunt, non communicaturi aliàs. Præceptum etiam vtendi calice à Leone Primo traditum, in argumentantes potiùs militat ac retorquetur. Nam, quia Manichæi communione sub altera specie vtebantur ad suum errorem stabiliendum, quo asserebant corpus Christi phantasticum esse, atque exangue: interdixit communionem, quam libenter amplectebantur Hæretici, & præcepit vsum calicis. Cùm igitur isti simili ratione circa vsum calicis in magno versentur errore, vetari posset, etiam si in vsu esset; & vsus alterius speciei præcepto Ecclesiastico mandari.

Cur olim prędia Donatistis, vel templa Nouatianis fuerint cōcessa, vsusque calicis à Leone I. Pontifice.

Exemplum quoque cantus Catholicorum, per quem cantiones Arrianorum de Ecclesia sunt expulsæ, ad calicis negotium haud spectant: nam cantus ille Catholicorum omnino erat cantui Arrianorum contrarius. Nam illi canebant similem Patri Filium, & nō consubstantialem: at Catholici contrà, etiam Patri consubstantialem: atque hac ratione contraria contrarijs curabant. Ex quo non conuincitur, errores calicis eodem, & non contrario calice curari debere, hoc est, simile simili, contra medicinæ regulas, & artem. Victor quoque Romanus Pontifex ex zelo quorundam fuit reprehensus, sed non secundùm scientiam: & idcirco eius sententia obtinuit contra illos Iudaizantes, & postea per magnam Synodum Nicænam fuit confirmata.

Contraria cōtrarijs curantur.

Ad exemplum autem Basileensis Concilij, & Pauli Tertij, calicem concedentium, respondendum est per illud Prouerbium, quod nostrates in ore habent. Dicunt enim, quòd vbi quis primò seducitur, culpa est solius seducentis; at verò si secundò decipiatur, vtriusque est culpa tam decipientis, quàm decepti, demùm vbi tertiò quis seducitur,

Prouerbium Hispanicum.

Errare in quibus Ecclesia possit tantummodò.

culpa est solius decepti. Cùm ergo Ecclesia in his quæ facti sunt, & tempus ipsum indicauerit, quòd semel & bis non profuerit ista concessio; non esset tertiò tenenda hæc via, ne nobis solis hæc deceptio imputetur; præsertim cùm neque concedentes, nec illi, quibus conceditur, nouas caussas adferant, aut meliores quàm olim, ob quas concesso calice veniat fructus sperandus. Quod verò Paulus scripsit: *Et factus sum Iudæus tanquam Iudæus: vt Iudæos lucrarer, ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, &c.* infrà: *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos:* vellent hæretici à nostris perpendi, quo faciliùs illis impertiant vsum calicis. Sed respondemus non dixisse Apostolum se Iudęis Iudæum factum, aut ethnicis ethnicum, sed tanquam Iudæum Iudæis factum. Et vt Augustinus Epistola ad Hieronymum scribit: *Iudæis tamquam Iudæus dicitur factus compaßione misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Fit enim tamquàm ægrotus, qui ministrat ægroto: non cum se febres habere mentitur.* Idem ad eundem: *Omnibus*, inquit, *omnia factus est, vt omnes lucrifaceret, non mentientis astu, sed compatientis affectu.*

Apostolus vt Iudæis tamquam Iudęus sit factus.

Aug. ep. 9. sub init. tom. 2.

Idem vt fact' infirmus tanquam infirmus.

Idem ep. 19.

Quomodo etiā omnia omnibus factus sit.

III. argum. ab Ecclesiæ sapientia, & similibus.

Tertio loco obijciunt Ecclesiæ sapientiam, antiquitatem, atque potestatem. Aiunt enim, Ecclesiam primitiuam, quæ antiquior & scientia, atque vitæ sanctitate præstantior erat, vtraque specie vsam fuisse: nostra igitur illam imitari deberet, præsertim cùm eandem, atque illa, habeat potestatem in eiusmodi legibus positiuis, siue abrogandis, siue dispensandis. Respondemus, non esse dubium quin Ecclesia primitiua nostræ maiori charitate, ac proinde vberiori sapientia cœlesti præcelluerit: nihilominùs tamen interdum contingit, minus sapientem in aliquo melius sapere, quàm alium absolutè sapientiorem. Sæpè etiam accidit, minus perfectum hominem vitare aliquem errorem, quem melior non vitat. Ita etiam Ecclesia nostra in nonnullis statutis non est quòd inuideat primitiuæ, nam Deus media experientia quædam obseruare, & ordinare illam docet, quæ nec obseruauit, nec ordinauit primitiua. In illa enim, vt Ambrosius testatur, passim, & vbique poterant omnes docere, & baptizare; postea autem distinctæ sunt functionū iurisdictiones, & prohibitū fuit ne quis mitteret falcem in messem alienam. Quod certè rationi & sapientiæ (cuius est omnibus ordinem præscribere) magis fuit consentaneum. Similiter etiam Basilius Magnus testatur de ritibus Gregorij Neocæsariensis, quòd erāt in illis quædam minus congrua propter temporum ruditatem: qua ratione potuit esse vsus vtriusque speciei frequentior in primitiua Ecclesia; at quia temporis decursu incommoda nonnulla circa illam detecta sunt, meritò illum vitare debet, præsens Ecclesia, & pro illo ritu commodiorem substituere, præsertim quòd in illa DEI Ecclesia, in qua charitas, Dei metus, ac reuerentia regnabant, & quotidiè ad sanguinem vsq; pro fide Christi decertabant, vsus sanguinis conueniebat, quæ cum maiori reuerentia tractabant, & ad sanguinis pro Christo effusionem commodè fiebant. Nunc verò cùm martyrio indigni simus, nec apti simus ad sanguinem Christi reuerenter, & cautè tractandum; ob defectum amoris, & timoris Dei, magis conuenit nobis vsus alterius speciei. Non valet igitur ista consequentia: Hic est ritus antiquior, ergo nobis cōmodior: imò hoc ipso quòd antiquior est, si ex consuetudine aliqua per legem probata alius ritus ei substituatur, hoc ipso planè indicatur, quòd ille prior sit antiquatus, vt tempori minimè conueniens.

Ambr. in ep. ad Ephes. c. 4. tom. 5.

Sapiētię quid proprium.

Basil. lib. de Spiritusancto, c. 29. tom. 1.

Cur magis expediens, & conueniens fuerit in Ecclesia primitiua quàm in nostra vsus vtriusque speciei.

Quartò, argumenta petunt à Patrum gestis, quos si Ecclesia imitari velit, facilè calicem petentibus non denegabit. Inter Patres igitur, Moyses dedit Iudęis libellum repudij; concessit quoque vsuram, Apostoli etiam legalia Iudæis, & Gentibus permiserunt, eosque, vt aiunt, communicabant, licèt putarent se ceremonijs iustificari legalibus, vt Galatæ, & alij, de quibus in Actis fit mentio. Ioannes quoque Euangelista intelligens iuuenem quendam à se conuersum Episcopi curæ commissum, à via retrocessisse iustitiæ, & maximum prædonem factum, equum conscendit, & cursu insecutus est eum, veniaq; omnium criminum suorum promissa, eum ad meliorem frugem, & Ecclesiæ gremium reuocauit. Adhæc Prælati ab excommunicatione absoluere possunt, & debent, etiam iniustos, ne pereant: hac ergo ratione Ecclesia relaxare debet calicem, & accommodare se ad illorum iudicium, & illis vel inuitis succurrere: prudentes medicos imitata, qui perituris, de quibus nulla est reliqua spes, omnia concedunt: pręsertim cùm hactenùs denegationem calicis eis minimè profuisse experta fuerit. Respondemus, hæc argumenta Patrum euincere illorum propositum. Nam Moyses inprimis cùm legislator esset, & lex debeat esse apta suscipienti; Iudæis verò ob cordis duritiam, legi prohibenti repudium, vel omne repudiū,

IV. argum. ab exemplis sanctorum.

Deut. 24. & Matt. 5. & 19.

Deut. 23.

Act. 15. & 19.

Idem.

Gal. 1.

B. Ioannis Euangelistæ factum pręclarè memorabile.

Niceph. lib. 2. Eccles. hist. cap. 42.

Matth. 19.

Lex qualis esse debeat.

Deut. 24. *Suprà 23.*

non paruissent; vel ob id maximè quod assueti essent moribus Gentium, quæ etiam sine vllo libello repudiabant, & vsuram à suis etiam accipiebant: restrinxit hos abusus inter Iudæos, mandans, vt si quam quis repudiaret, daret libellum repudij: si vsuram exerceret, eam non à fratre, sed ab alieno acciperet. Repudium autem, vel vsuram non omnino prohibuit, quia cùm infirmi essent, eiusmodi legem minimè tulissent. Causa autem nostra longè est diuersa: nam Germanis non fertur lex noua, aut eis intolerabilis de vsu alterius speciei; sed tantùm iubetur, ne ab antiqua sibique accommodata, & quam olim cum pace seruârunt, absque causa recedere velint. Valdè autem differunt inter se, initio ferre legem populo commodam, ac tolerabilem; quod Moyses fecit: & semel susceptam, & accommodam sine caussa relaxare, quod isti nunc petunt.

Cur Moses repudium, vsuramque Iudæis permisent.

Apostoli præterea non remiserunt Iudæis legem, cuius obseruantia tenerentur; sed ne subita mutatione commouerentur, permiserunt eis, vt legibus sibi antiquis vterentur ad tempus: sed ita tamen, vt non putarent se per illas, sed per fidem Iesu Christi iustificari, hoc enim Apostoli Iudæos, qui baptizandi erant, in ipso limine catechismi docebant: vt ex Actis Apostolorum cōstat. Quamobrem cùm quidam ex Pharisæis docuissent fratres: *Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari:* confestim huic doctrinę tanquam hęreticæ per Apostolos itum est obuiam, vt tradit caput 15. Actorum, & Paulus ad Galatas scripsit: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Hinc falsum est, quòd Apostoli Eucharistiam impertierint manentibus in hac hæresi: sicut etiam illud falsum est huiusmodi hominibus dandum esse calicem, licèt errent, vel dubitent circa vsum alterius speciei: talibus enim deneganda est communio, quia non debet porrigi mysterium fidei his, qui fide carent, vel de ea dubitant. Et licèt Apostoli prędicto in loco videantur Gentiles grauasse, præcipiendo, vt abstinerent ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, ne Iudæi scandalum paterentur: non tamen ob id rectè infertur, nos debere calicem concedere illis, vel propter eos illo vti, ne hi videlicet, qui volunt vti calice, offendantur. Tum quia in illo exemplo nō grauati sunt qui ab initio credebant, id est, Iudæi, sed illi, qui nuper cœperunt credere, id est, Gentes; & ita in caussa sua non deberent grauari Catholici, qui maiorum suorum

Cur Apostoli Iudæis ad tēpus obseruantiam Mosaicæ legis permiserunt.

Act. 15.

Gal. 5.

Quibus deneganda sit Eucharistia.

Qua lege Christianos ex Gentibus grauasse videantur Apostoli.

morem seruant, sed ij, qui nouum nostro tempore ritum quærunt, ad antiquum potiùs essent trahendi, sicut Gentiles ad antiquum ritum Iudaicum de suffocato, & sanguine tracti sunt; tum deinde, quia Gentiles non sunt grauati, sed onere leuati potiùs, si res attentiùs inspiciatur. Nam tempore quo Iudæi erant infirmi, & ob id licitæ erant eis legales ceremoniæ, etsi iam essent mortuæ, Gentiles vt Iudæorum scandalum vitarent, non solùm cogebantur vitare coram eis suffocatum, & sanguinem, sed etiam porcinas carnes, & alia innumera in lege prohibita, ne suo videlicet cibo eos perderent, pro quibus Christus mortuus erat: sed hac lege Apostolorum factum est, vt Gentes ad cætera legalia seruāda ob Iudæorum offensam vitandam non adstringerentur. Qua lege lata si Iudæi fuissent scandalum perpessi, ob id quòd Gentiles legalia non obseruassent; scandalum fuisset Pharisęorum, & idcircò minimè curandum. Cùm igitur Spiritus sanctus per hanc legem Gentes releuasset ab alijs oneribus legis: onus legis abstinendi à suffocato, & sanguine, ad tempus voluit relinquere. Quia si etiam hoc sustulisset, grauiter offensi fuissent adhuc infirmi Iudæi, qui hāc escam magis horrebant, tanquam id à natura ipsa, etiam ante Moysi legem latam prohibitum, dicente Domino ad Noë: *Carnem cum sanguine non comedetis.*

Vnde illi onere leuati potiùs quā grauati merितò [dic]antur per le[gem] eiusmod.

Leuit. 11. & seq.

Rom. 14.

Scandalum quod minimè curandum.

Gen. 9.

Exemplum quoque Ioannis Euangelistæ insequentis iuuenem prædonem, ac reducentis; non cogit nos, vt cum calice curramus, ne fortè nimis properanter festinātes effundamus sanguinē in ora sacrilega. Currere igitur debemus; sed exemplo, oratione, & doctrina, additis etiam suppliciorum minis, & alijs beneficijs; donec isti ita sint affecti, & animati, vt errores omnes verè deponant: quòd vbi præstiterint, confestim ab hac importuna petitione cessabūt, & erunt perinde altera specie contenti, atque duabus.

Niceph. lib. Eccles. hist. cap. 42.

Vsum calicis postulātibus hæreticis videlicet quā[ta] nùs succur[r]endum.

Præterea exemplum absoluentis ab excommunicatione etiam inuitum, haud cogit ad dandum calicem: quia inuitum malè quis absoluet, si ex absolutione probabiliter non crederetur sanandus, sed peiorem infirmitatem incursurus: benè autem absolueret, si ex ligamine nihil, nisi maius malum illius, & boni publici timeretur euenturum. In caussa autem nostra multò probabilius est, quòd non reducentur ex calicis concessione, sed quòd peiores euadent. Nec sumus nunc in exemplo desperati ægroti, vt etiam illi nocitura concedamus. Tum quasi, vt dicitur (quod ego profectò

Indignè qu[i] absoluitur [ab] excommun[i]catione.

fecto vix credo, omnes alias hæreses deposuerunt, deponét & hanc nouissimam absque eo quòd Ecclesia remittat suæ disciplinę leges; tum quia non est prefigendus terminus misericordiæ Dei, quæ non solùm post annos centum, sed post multa secula solet homines ab hæresi reuocare, vt constat in secta Manichæorum, quæ per mille & eo ampliùs annos durauit: in Oriente etiam vigent Nestorij, & Eutychetis hæreses, quæ ante mille annos cœperunt. Vt igitur aliæ hæreses, quando Deo placuit, sunt extinctæ, absq; eo quòd Ecclesia suas leges abrogauit; ad eum modum cùm Dei beneplacitum fuerit, hæc hæresis extinguetur. Nostrum enim est, quæ ad nos, sicut Dei, quæ ad ipsum spectant, præstare. Nam & iustus iudex, cui reus dignus morte præsentatur, etsi ille dicat omnino se velle in peccato diem suum claudere, si à iudice condemnetur; debet nihilominùs illum ad mortem damnare: quia si ipse quod sui muneris est, fecerit, Deus absque dubio quod suum est, præstabit: vel iustitia eum deserendo; vel misericordia cor eius tangendo, & faciendo vt resipiscat, quicquid antea ipse dixerit. Ita etiam Ecclesiæ munus est illæsam disciplinam suam conseruare, Dei autem est, vel sibi, & Ecclesiæ rebelles iustè damnare, vel clementer ante mortem eos ad pœnitentiam, & salutem reuocare: quæ iudicia Deo sunt relinquenda, & quæ ad nos tantùm spectant, curanda. Quod dixerim propter eos, qui asserunt, cur sinemus animas perire, negando eis calicem? quod etiam de his qui pereunt, dicere possunt, qui alia Ecclesiæ præcepta violant, vel contemnunt, & sua tantùm, non Ecclesiæ culpa perire volunt.

Manichæorum, Nestorij, & Eutychetis hæreses quamdiu steterint.

Exemplum de Iudice.

Ecclesiæ munus quodnam sit.

Quintum argumentum desumunt à lege ipsa calicis vsum prohibente: nam cùm lex positiua inutilis inuenitur, proculdubiò est abroganda; at lex calicis vsum his populis interdicens, non solùm non est vtilis, verùm etiam perniciosa; igitur ex charitate, vel abroganda est, vel dispensanda. Respondemus, hanc legem abrogari, aut dispensari minimè expedire: quia caussæ, ob quas stabilita est, adhuc vigent, & permanent, vt superiùs indicatum est. Lex quoque ipsa conducibilis est, & salutaris, quia prẹter fructum vtriusq; speciei, quem altera tantùm specie vtentes percipiunt, habet hæc sub specie cōmunio obedientiam, & confessionem fidei, & conuenientiam cum Catholicis, & discrimen ab Hẹreticis, vt suprà ostensum fuit. Neque verum est, quòd vbi aliquibus lex non congruit, si pluribus est vtilis, sit abroganda: bonum enim commune priuato præferēdum esse, ipsa ratio præscribit.

V. argum. vrgentiū vsum calicis, ab eius lege.

Eius legis ab Ecclesia traditę commoditates.

Bonum commune est pręferendum priuato.

Sextò argumentantur ab ipso calice: cuius vsus, quia olim bonus erat, & Ecclesia potest eius hodie copiam facere; nunc præsertim debet illam potestatem exercere, cùm hoc sit vnicum, & præsentaneum ad hæreticos reducendos remedium; cùm reliqua omnia remedia sine fructu sint tentata, & Ecclesia à tempore Concilij Basileensis eò inclinauit, vt cùm nulla esset spes reuocandi Bohemos, illis vsum calicis permisit. Respondemus, vsum quidem calicis per se licitum esse; non tamen ob consuetudinem, & Ecclesiæ legem licitus est, imò nec expediens, vt multis rationibus euicimus: plurima enim licent, quæ minimè expediunt, vt de omnibus lege merè positiua prohibitis constat. Quanquàm autem Ecclesia possit vsum calicis concedere; non tamen debet vti potestate hac nisi ad ædificationem: quæ cùm nulla ex hoc speretur, frustra calicis concessio fieret. Falsum quoque est, vnicum esse hoc remedium, & de populis Septentrionalibus nulam esse prorsus reliquam spem. Imò, vt suprà comprobatum reliquimus, hoc potiùs esset morbi huius fomentum, quàm remedium. Vera autem remedia essent, reformatio, & bona vita Catholicorum, præsertim verò Ecclesiasticorum exemplum, preces, prædicatio, doctrina, & bona iuuentutis educatio, & multorum operariorum institutio, qui ad eos conuertendos mitterentur: seuera etiam puniendi disciplina per Principes vehementer iuuaret, sicut conniuentia hactenùs valdè nocuit. Vt enim in immensum latrones, homicidæ, ac facinorosi crescerent, nisi subinde, quasi vngues, & capilli prominentes, abscinderentur; ita eorum impunitas præbet eis fomentum ad improbitatem, & maiora delicta, & ad latius propagandum lethale suæ sectæ virus; contra verò disciplina, & grauis delinquentium censura, quæ improborum numerum imminuit, vt experientia docet.

VI. argum. ab vsu calicis.

Vsus calicis qua ratione sit illicitus.

1. Cor. 10.

Hæreticos ad Ecclesiam reducendi rationes aptissimæ.

Septimò argumentū ducunt ex fructu, quem ex hac concessione futurū deprædicant. Calice namque concesso, vitabunt illi populi peccatū quod admittunt, vel contra obedientiam vtramque, vel cōtra conscientiam alteram speciem sumendo: conciliabitur etiam hoc ritu admisso pax ciuilis, & hoc illis concesso, remittent ipsi aliquid de suo, & vtrinque euitabuntur extrema vitia, in quæ vergunt. Respōdemus, hos fructus propositos nequaquam subsistere:

VII. argum à fructibus vsus calicis.

Cōcessio calicis quales

sistere: non enim calicis concessione ipsi redderet homines. reddentur Ecclesiæ obsequentes, immò rebelles magis, alia vlteriùs petendo, & nolendo sub altera specie communicare, si Ecclesia subtraheret dispensationem: nec ob quemuis proteruum ipsi parere recusantem, leges suas Ecclesia relaxare debet. Qui item contra conscientiam communicat sub altera specie, errantem illam conscientiam deponere debet: ritus etiam diuersus diuisionem magis pariet, & nutriet, vt suprà vidimus: calicis quoque concessio reddet hos magis petaces, & pertinaces in suis erroribus. Nec Ecclesia Catholica vlla sectatur extrema, sed hæretici, qui extra eam sunt.

VIII. Argumentũ ab ijs, qui petunt calicem.

Octauò argumẽtantur ab his, per quos immediatè calix petitur, vt sunt Principes Germaniæ Catholici, atque eorum oratores legitimi: qui cùm sapientes sint, & optimi viri, nec ipsi decipiantur aut vllos velint decipere, sanè iniuriam adferret eis, aut Papa, aut Synodus generalis, nisi eorum postulatis annueret. Respondemus, nihil nos dubitare de spectata probitate, & sapientia prædictorum principum, & oratorum, nihilq; contra sapientiam suam dicunt, cùm asserunt magnum fructum ex calicis concessione colligendum fore: an verò hoc futurum sit, meritò in dubium venit: quia futurum est contingens, & quia ex Scripturis & historijs non ignoramus ingenia hæreticorum talia esse, vt hæc remedia illis prodesse non soleant. Putamus igitur hos Catholicos Principes more pientissimi parentis se gerere cum his populis, qui calicem petunt. Vt enim pater si filios ardenti febre laborãtes habeat, aquam frigidam expetentes, illos commiserans cum medico contendit vt illis hoc refrigerationis concedat; ita tamen contendit, vt nolit contra medicinæ regulas medicum quippiam eis noxium concedere: ad hunc modum illi religiosi Principes, qui populorum sibi subiectorum salutem sitiunt, ea ratione calicem pro illis à Synodo, aut Pontifice petunt, vt tamen nolint quicquam contra Dei gloriam, & Ecclesiæ publicum bonum concedi. Et propterea hac in re magis credendum esset Romano Pontifici, aut Patribus Concilij, ad quos de rebus sacris iudicium spectat, quàm sibi ipsis, qui ad alia munera vocati sunt. Idcircò re benè perspecta, nihil minimè suorum populorum petunt, nisi sub conditione, si scilicet fuerit è re Ecclesiæ. Summus etiam Pontifex, aut Patres sancti in Concilio coacti nihil religiosissimis illis Principibus, sed curiositati, & cœcæ cupiditati calicem ab

Quatenùs ab eis petitur.

Quales illi meritò videantur.

ipsis extorquentium, & denique dæmoni hanc importunitatem illis suggerenti denegare videntur. Vnde & Dominus non matri filiorum Zebedæi, sed filijs eius, quorum caussa petitionem faciebat, respondit. Adhæc ipse Saluator, si beato Hilario credimus, nequaquàm Petro, sed dæmoni suggerenti obiecit: *Vade post me Satana:* ille enim erat increpandus, & non Petrus. Quod etiam quidam aiunt, denegantes calicem, non esse versatos in illis Prouincijs, nec expertos mala illorum populorum, & propterea illos minus quàm par esset, miserari: planè hallucinantur. Quanto minùs enim hi Patres viderunt tumultus illorum populorum, in quibus calix petitur, eo ipso minus animo perturbato, magisque sedato de re ipsa secundùm Deum iudicium ferre poterant: quemadmodum Troiani rectius consultabant Helena absente, quàm præsente: quia præsentia perturbabat affectum, & à recto declinare inuitabat. Quare verum non est, ijs magis esse fidem habendam, qui certum futurum fructum promittunt, quàm illis, qui damnum exinde metuunt affuturum. Potiùs enim Medico creditur, qui metu mortis iuxta regulas medicinæ vinum negat ægroto, quàm matri, quæ ex vehementi affectu affirmat illi profuturum.

Matth. 20.

Hila. can. 16. in Matth.

Quorundam hallucinatio.

Argumentantur nono loco à more, & ritu Ecclesiæ Æthiopicæ, Græcæ, & Bohemicæ, quæ hoc gaudent priuilegio vtramque percipiendi speciem. Sed meminerint qui talia obijciunt, se non in illis Ecclesijs semihæreticis, & schismaticis natos, sed in Christo renatos, sed in Romana Ecclesia Christum didicisse, & ei vt viti palmitem, insertos fuisse. Est autem exploratissimum, si palmes ab ea parte vitis præcidatur, cui primùm est insitus, necessariò euanescere, etiamsi videatur loco magis propinquare cæteris vitis partibus. Et lapis si excidat ex ea muri parte, in qua primùm à cæmentario calce firmatus est, penitùs extra murum erit, etiamsi videatur inferioribus lapidibus propinquior. Et iuxta Ezechielis capite 37. visionem, vnumquodque os ad iuncturam suam accedebat, hoc est, digiti manus ad manum, ossa colli ad caput, non ossa pedum ad caput. Ita in corpore Ecclesiæ non viuificabitur quispiam, nisi illo membro congruat, & adhæreat, cui primùm à Deo coniunctus est. Ideo Augustinus libro in Iulianum Pelagian. rectè ait: *Iterum te admoneo, iterum rogo, aspice tot, ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores, atque rectores, vide quibus tam grauem, tamq; nefariam irrogaris iniuriam. An ideo contemnendos putas,*

IX. argum à quarundam Ecclesiarum more, rituq;.

Ioan. 15.

Quales hæretici videãtur esse ab Ecclesia separati.

In Ecclesia viuificetur tãtùm quis.

Aug lib. 1. in Iulianum Pelag. c. 2. tom. 7 à medio.

putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus in eis est commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primos Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præcedentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Cōcilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia? Non est ergo cur prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtiq; Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, quia & fides ista Christiana est: & te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non inuenisti? Imò quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepisti? Sic ille diuinus Pater.

Iulianus Pelagian' quomodo iuuentutem suam Pelagianis laqueis exuisset.

Postremò, ab his, pro quibus petitur calix, ducitur argumentum tale. Aiunt enim, eos iam fessos esse, & à cæteris hæresibus destitisse, & in hoc vno hærere, vt porrigatur ipsis calix: quo concesso, omnis hęresis Sacramentariorum protinus confundetur, & exulabit; nam credent hi Christum esse reuera sub vtraque specie. Responsio est in promptu: falsum enim est, hos omnes alias hæreses abiurasse. Et certè si omnes alias tam citò reliquissent, sine calicis concessione sperandum esset fore, vt absque illa hanc quoque postremam hęresim desererent. Calicis quoque concessio non solùm hæresim non extinguet in his quos iam fessos dicunt; verùm confirmabit eorum vires, vt nunquam similia petendo delassentur. Dispensatio etiam illius nullo modo militat contra Sacramentarios; cùm nōn minùs illi, quàm isti vtraque specie, atque illa quidem inconcessa fruantur. Et hactenùs quidem argumenta eorum, qui oppositam tuentur sentētiam, confutauimus.

Vltimum argum. ab ijs, pro quibus petitur vsus calicis.

Illud tantùm addendum superest, quòd si calix in vniuersum omnibus laicis esset concedendus, concessio esset per Synodum generalem, si fortè illa existeret, facienda: quemadmodum si lex cum quibusdam populis, aut nationibus peculiariter dispensanda, conuenientiùs fieret per Pontificem Romanum, quàm per Concilium. Primam partem huius nostræ sententiæ ita possumus confirmare. Nam in primis si in vniuersum calix omnibus laicis concedatur, lex Concilij Constantiensis abroganda veniret, qua Occidentalibus minimè sacrificantibus vsus calicis interdicitur. Porrò Generalis Synodi lex conuenientius abrogatur per decretum Concilij, quàm per solum Pontificem: tum quia, quod attinet ad consultationem, & discussionem præuiam, an sit abroganda, Pontifex magis præstat quod in se est, suadens Concilio actu congregato, quàm tantùm Cardinales, vel sapientes, quos penes se in Curia habere solet, cùm sint sapientiores, & copiosiori Spiritu Dei præditi, qui ad Concilium vniuersale ex diuersis nationibus confluunt: tum quia populi fideles gratius, & facilius abrogationem legis admittunt per Papam in Concilio factam, quàm quæ per solum Papam fit. Nam etsi tota autoritas Episcoporum Concilij ab illa Pontificis pendeat, & ipse Pontifex per eos decernat: maiorem tamē autoritatem, & gratiā habere solet apud populos, quod Summus Pontifex tot sapientum virorum consilio adiutus decernit, maximè cùm illi mādare executioni debeant, quod per ipsum statutum fuerit.

Si fideles vniuersi calice vti deberent, per quē talis esset cōcessio facienda.

Conc. Const. ēsen. Act. 30.

Quod lex Cōcilij Generalis conueniētius per decretū ipsius Cōcilij abrogetur, quam per solum Pontificem.

II. argum.

III. argum.

Quod vero congruentius sit, vt si qua danda sit dispensatio, per solum Pontificem, & non per Synodum fiat, suam habet rationem. Nam inprimis illius tribunal fixum & perpetuum est, & ad id, tanquam ad viuam legem curare legum executionem, vel earum remissionem, vel dispensationem, & non ad Concilium generale spectat: quod non solet congregari, vt particulares dispensationes faciat, sed vt de pertinentibus ad vniuersalem Ecclesiam pertractet. Deinde Summus Pontifex commodiùs destinare poterit legatos ad eos populos, quibus concedendus est calix, vt ad suam Sanctitatem de dispensatione illorum referant; perspiciantque an idonei sint ad suscipiendum talem communionem, & an verè sint ab erroribus, contumaciaque conuersi sua; an denique pertinaces sint & ficti, vt sæpè solent esse Hæretici. Tertiò, quia si Summus Pontifex hanc calicis copiam fecerit, cùm viderit eos non stare conditionibus pactis, & ab vniuersis erroribus suis ad cor redijsse; poterit dispensationem reuocare. Si autem eam concesserit generale Concilium, etsi hæretici nihil autoritatis tribuant, aut Papæ, aut Concilio, fingent tamen se Concilio credere, & nequaquam permittent sibi calicem auferri nisi per aliud Concilium: quod quia cogi facilè non potest, non seruatis conditionibus calicem retinebunt, & ita in perpetuo sacrilegio permanebunt. Denique experientia docuit, difficillimum esse, vt tot viri, quot in Concilio congregantur, in re tam varia, & quæ ex tot circumstantijs, & euentibus pendet, in vnum

Quod, si in aliquo dispēsandum sit, congruētius quid per solū Pontificem, quàm per Synodum fiat.

II. ratio.

III. ratio.

IV. ratio.

possit

Quot capita, tot sententiæ.

possit conuenire sensum, quia quot capita, tot sensus, imò vnus & idem subinde sententiam suam mutat. Commodiùs igitur poterit sua Sanctitas cum paucis ea de re statuere, intellectis prius hinc inde potissimis rationibus, & sententijs. Cùm enim res hæc prorsus facti sit, & non iuris, vel Fidei, potest in ea definienda errare Concilium: nec Papa lege vlla cogitur sequi plura suffragia, sed meliora, sanioraque.

Vt igitur finem huic tractatui imponamus, euictum, vt arbitror, reliquimus, non expedire calicis vsum concedere: quemadmodum ante nos docuerunt Cardinalis de Turrecremata, Caietanus in tertiam partem, S. Thomas, Gabriel Biel in Canonem Missæ, illustrissimus Cardinalis Osius libro de confessione Fidei Catholicæ, Ioannes Cochleus in tractatu quodam de vtraque specie: vbi ait, Lutheranos conuenisse in quodam loco, & affirmasse, malle se absque communione vtriusque speciei permanere, quàm sub tot conditionibus, quibus conceditur, illa potiri. Maximè cùm multi illorum simplices sint, & conditiones non intelligant, proterui verò, & maligni illas conculcent, & asserant satis esse, quòd Verbum Dei illis calicem concedat. Orandus igitur Dominus est, atque inuocandus, vt pro sua bonitate, & sapientia Ecclesiam suam in tot sectas discissam, tanquam tunicam Domini inconsutilem, clemẽtibus oculis aspicere dignetur, eamque ad vnitatis, & pacis consilia ineunda, reuocare velit: qua, abiurata omni hæresi, quæ dissidiorum omnium est seminarium; vnanimis, sibique consentiens hoc tantum Sacramentum reuerenter veneretur, colat, atque amplectatur, eiusque institutorem Iesum Christum Dominum nostrum, cui cum Patre, & Spiritu sancto detur sempiterna laus, honor, & imperium, Amen.

Turrecr. in c. comperimus, de consecr. dist. 2. Caietanus. Gabriel Biel. Osius. I. Cochleus.

TRACTATVS XXXIX.

IN quo agitur, num sola fides sit idonea præparatio ad participandum Eucharistiæ Sacramentum: & an necessario sit præmittenda delinquẽtis peccatorum suorum apud Sacerdotem confessio.

QVEMADMODVM in alijs perniciosè prolapsus est Lutherus, ita in hoc articulo, non exigens aliud ab Eucharistiam accedentibus, quàm solam fidem. Quod tacitè, vel ex ipsis Scripturis falsum esse dicere potuisset; ait enim Apostolus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Vbi vides, exigi ante communionem probationem: per quam non intelligit solam fidem, vt Doctores aliter exponentes comprobant, & contextus ratio satis indicat. Cùm enim Corinthij fideles essent, de infidelitate eos minimè reprehendit, sed de voracitate, & fratrum pauperum confusione, atque contemptu. Aliud igitur præter fidem ad fructuosam communionem præmittendum est. Idem etiam error traditione confutatur. Nam in Concilio Lateranensi statuitur, vt ante communionem in Paschate præceptam confessio criminum apud Sacerdotem præmittatur. Synodus quoque Tridentina in hunc modum decernit: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit.* Clemens quoque epistola ad Iacobum fratrem Domini, & Concilium II. Matisconense, cum timore, & innocentia statuunt reliquias corporis Christi ab Innocentibus, & sanctis sumendas esse. Idem docent Fabianus Papa cap. Etsi non frequentius, & Sother Papa cap. A quibusdam. De consecrat. distinct. 2. quemadmodum & Leo ad Theodorum Episcopum Foroliuiens. ita dicens: *Mediator Dei & hominum homo Dominus Iesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem: vt confitentibus, satisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Hæc ille vniformiter ad infinitos penè Canones, qui lapsos ad communionem non nisi post multam humiliationem, ac longam pœnitentiam non admittunt. Adhæc impugnatur ab omnibus ferè Doctoribus. Nam Cyprianus sermone De lapsis, etiam miracula edita enarrat erga eos, qui etsi fideles essent, indignè tamen ad hoc Sacramentum accedebant. Augustinus libro De salutaribus documentis eleganter scribit: *Quando enim eum (scilicet Christum) in Eucharistia accipere debemus, ante ad confessionem, & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata noxia si in nobis senserimus, citò festinemus per sinceram confessionem, & veram pœnitentiam abluere, ne cum Iuda proditore diabolum intra nos celantes pereamus.* Idem sermone De anniuersario dedicationis Ecclesiæ: *Ideo ab altari Domini debet se vnusquisque mundare, vel odij veneno percus-*

1. Cor 11. Locum Apostoli: Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c non de fide sola, sed de charitate esse accipiẽdum vnde constet. A traditione Patrum. Concil. Lateranense. Synod. Trid. sess. 13. can 11. Clem. Rom. epist 2. Concil II. Matiscon can. 6. Fabia. Papa. Sother Papa. Leo V. ep 89. De Pœniten. dist. 1 c. multiplex. 1. Tim. 3. À Doctorũ consensu. B Cyprian. B. Aug. lib. de salut Docum. tom. 4. Ioan. 13. Idem ser 252. tom. 10.

percussus, iracundiæ furore repletus, cum reuerentia, & humilitate subtrahere, propter illud quod scriptum est: Vade prius reconciliare fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Et iterum: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id est ad altare Domini aut ebrius, aut adulter, aut odium in corde retinens præsumit accedere. Idem libro De Ecclesiasticis dogmatibus, siue ille Gennadij sit, quod probabilius existimant viri docti, siue ipsius Augustini, omnibus diebus Dominicis communicandum esse suadet, & hortatur, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Idem libro De salutaribus document. multa exigit à communicaturo: quemadmodum Hieronymus in epistolâ ad Titum, & Chrysostomus super Matth. quorum sententias, vt & aliorum multorum, consultò prolixitatis vitandæ gratia omittimus, cùm res, qua de agitur, perspicua sit, & in aperto.

Matth. 5. *Infra 22.* *Idem lib. de Ecclesiasticis dogmat. c. 53. tom. 3.* *Idem li. de salut. doc. c. 33.* *B. Hieron. in c. 1. epist. ad Tit. tom 9.* *B. Chrysost. homil. 60. in Matt. tom 2.*

Rationes huius sententiæ.

Pauculas tantùm rationes subiungam, quarum prima sit ex fine ipsius Sacramenti, quod ad nutriendum vitam spiritualem sit institutũ: sed nihil nutritur nisi viuum, ergo opus est, vt quis spiritualiter viuat, vt cum fructu accedat ad Sacramentũ, quod certè per solam fidem non fit.

II. ratio à figuris Eucharistiæ.

Secunda sumitur à figuris huius Sacramenti. Si enim ad edendum panes Propositionis, mũditia legalis antè requirebatur, vt Leuit. 22. traditur, imò etiam abstinentia à propriis vxoribus, vt habes 1. lib. Regum: quanto ergo magis requiretur munditia in eo, qui ad hanc mensam accedit? Manducaturi etiam agnum, comedebant lactucas siluestres in signum pœnitentiæ: accessuri quoque ad sacrificium, confitebantur prius Domino peccatum: Quidni ergo etiam hic? In cuius rei typum Dominus communicaturus Apostolos, eorum pedes abluit. Hinc Hieronymus in Apologia contra Iouinianum, prope finem: *Scio*, inquit, *Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper Christi corpus accipiant: Quod neque reprehendo, neque probo. Vnusquisque enim in suo sensu abundet. Sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant.*

Leuit. 22. & seq. *Cap. 21.* *Exod. 12.* *Num. 5.* *Ioan. 13.* *Hieron. to. 2.* *Rom. 14.*

III. ratio.

Tertia ratio sit: Quia minor præparatio exigitur ad Baptismum, quàm ad Eucharistiam suscipiendam: sed ad baptismum, adultis non satis est solam fidem adferre, vt decreuit Concilium Tridẽtinum; ergo nec ad Eucharistiam, ad quam tanquam ad conuiuium intrans sine veste nuptiali, punitur.

Trid. Synod. sess 6. c. 3 de iustificatione. *Matth. 22.*

IV. ratio.

Quarta: Si exigitur fides, & non informis, vel mortua, quæ etsi idonea sit ad conficiendum; nam aliàs plerunq; populus idololatriam cõmitteret pro Christo merum panem adorans; non tamen sufficit ad dignam sumptionem, nisi viuat sibi: at fides viua omnium virtutum chorum in se complectitur. Atque de hoc articulo impugnãdo satis dictum sit.

Viua fides omnium virtutum chorum in se complectitur.

Superest vt & alteram dubitationem huic præparationi annexam discutiamus: An videlicet is, qui conscius sibi est peccati mortiferi, & cùm se contritum credat, & copiam idonei confessoris habeat, ante sacram communionem necessariò præmittere debeat confessionem Sacramentalem. Nam quia hoc periculosè fuit à quibusdã Catholicis assertum, & salubriter à sancta Synodo Tridentina damnatum, & tamen quidam post illam damnationem non desint, qui illud ad Fidem non spectare asserant: meritò in discussionem venit, & cum hoc articulo Luterico, quem impugnauimus, maximè est coniunctum.

An qui sibi conscius est delicti mortiferi, data idonei confessoris copia, necessariò ante communionem præmittere habeat confessionẽ Sacramentalem. *Synod. Trid.*

Vt igitur hanc assertionem attentiùs discutiamus, præmitto, per copiam Sacerdotis intelligi confessorem idoneum, ad confessionem audiendam expositum: qualis non est, si vel nolit audire, vel non possit, siue ob infirmitatem, siue ob defectum linguæ, vel carentiam potestatis. Præmitto deinde, quod loquimur extra caussam necessitatis: vtpotè si immitteret scandalum, vel infamia, ad quæ gratis suscipienda, Diuina, vel Humana non cogit lex. Velut cùm pastor curatus, qui lege tenetur celebrare, vel etiam quiuis alius Sacerdos iam sacris vestibus indutus ad altare procederet, & infamiam incurreret, si relictis vestibus adiret confessarium: in his enim & similibus articulis manifestum est contritionem sufficere cum voto confessionis postea sine scandalo, & infamiæ faciendæ.

Quid per copiam idonei confessarij hoc loco intelligatur.

Quibus caussis ad Eucharistiæ susceptionem sufficit sola contritio.

Extra hanc ergo necessitatem statuendum est, cuicunque adsit idonei confessoris copia; & commodè sine scandalo, & infamia valeat confiteri, peccatum mortiferum, de quo sibi est conscius, seu videatur sibi contritus, iure Diuino, & Humano illum teneri sanctæ communioni præmittere confessionem: quod Scripturis, rationibus, ac Patribus comprobatur. In Scriptura igitur Veteris Testamenti quædam Dominus statuit non tam ob id ætatis homines, quàm ob typos quarundam rerum in Nouo Testamento futurarum: vt in proposito erat immunditia lepræ, & fluxus seminis, & sanguinis: quibus infecti non ante ad atrium ad sancta contrectanda, & comedenda accedebant, quidam Sacerdotum iudicio mundi censerẽtur: ante quod

Quod quilibet talis communis sibi est conscius, necessariò ante communionem ei sit facienda confessio.

I. locus à Scripturis ex Veteri Testamento. *Leuit. 13. & 14. per tot. Supra 12. & seq. & Infr. 15 et seq.*

Legis immũ- ... peccata ... legis ... delineabant.

immundus accedens plectebatur morte: vt habes Leuit. 7. 13. 14. 15. 22. Cùm igitur illæ ægritudines sint typus peccatorum lethalium, quatenùs graues erant, excludebant à castris, sicut communes legis irregularitates, quæ ablutione vestium mundabantur ad vesperam, figura erãt venialium, & minutorum delictorum; at sancta illa sacrificia adumbrabant Sacrosanctam Eucharistiam, sicut veteres illi Sacerdotes nostros nouos delineabãt, & eorum iudicium imaginem gerebat iudicij nostri in foro pœnitentiæ, & pœna immundi, gehennæ pœnã repræsentabat. Sequitur ergo, quòd habens peccati lethiferi conscientiã, quantumuis suo iudicio sit mundus, sub interminatione æternę pœnę, tribunal fori pœnitentiæ adire compellitur, ac proinde Sacerdoti ante communionem peccata sua confiteri.

Pœna immũ- di hominis in lege quid portendebat.

Quòd si quisquam debile, aut leue esse existimet hoc genus argumenti, quod à figuris desumitur: intelligat Pauli esse hanc dialecticam, qui asserit, omnia in figura illis cõtigisse, & vmbram habuisse legem futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: & plerumque ea, quæ fidei sunt, argumentis à figuris illius testamenti desumptis confirmat. Dominus etiam ad hanc rationem argumentandi alludens, præcepit apud Matthæum: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Vult ergo, vt antequam sacrificio participemus, parti per peccatum nostrum læsæ, per confessionem reconciliemur.

A figuris argumentum haudum nequaquã as- ... 1. Cor. 10. Hebr. 10. Ab eo neque Dominum abhorrere. Matth. 5.

Deinde in Nouo Testamento audiamus Paulum ad Corinthios dicentem: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit:* Cùm ergo hæc probatio duplicem possit habere sensum, alterũ, vt quis se per se ipsum probet, alterum, vt probet seipsum non solùm per se, sed etiam adhibito Sacerdote; sequitur, quòd qui plenior, & verior sit horum sensuum, ille meritò alteri sit præferendus. Sed indubitatum est, pleniorem esse probationem, quæ etiam adhibet Sacerdotem, qui includit priorem, & addit adhuc certiorem explorationem: quia nemo in propria caussa securus est iudex. Et, *Non omnis qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus* (per se, vel per suum Sacerdotem) *commendat.* Vnde Ambros. libr. de Apologia Dauid, tractãs illud: *Et peccatum meum contra me est semper*, eleganter sic ait:

In Nouo Testamento. 1. Cor. 11.

Duplex propatio sui ipsius ad Eucharistiã, imperfecta vna, altera perfecta.

Nemo in propria caussa securus est iudex. 2. Cor. 10.

Ambr. in Apolog. David c. 9. Psalm. 50. tom. 4.

Iustus facere sibi nescit, rigorem iudicij etiam circa se non nouit inflectere, recordationem lapsus proprij perhorrescit, & commissum erubescit errorem, omnem eius memoriam pauet, metuit, reformidat, grauem sibi se iudicat, seipsum arbitrũ refugit, nec sese sibi audet committere. Hactenùs Ambrosius.

Iusti iudiciũ de se ipso secũdùm Ambrosium.

Ex quibus constat pleniorem esse istum sensum: nec tantùm plenior est, sed etiam verior. Nam in primis verius est iudicium illud Sacerdotis nostro cõiunctum, quàm nostrum solum. Deinde Doctores, vt Cyprianus, Augustinus, Anselmus, atque alij, vt videbimus, hanc etiam veram probationem intellexerunt, quæ confessarij Sacerdotis iudicium adhibet. Tertiò sensus omnium fidelium, praxis atque consuetudo Ecclesiæ optima est, atque certissima Scripturarum interpres: ita interpretatur maior pars, ita sentit, & ita vtitur: & vbi id non facit, indicat se malè facere. Quartò, illum verè pœnitet, qui iuxta regulas Ecclesiæ pœnitentiam agit, vt scribit Cyprianus: ita etiam verè se probat, qui iuxta regulas Ecclesiæ se probat. Sed regulæ Ecclesiæ non tantùm in libris, sed etiam in moribus scriptæ iubent, vt omnes conscij lethalis delicti prius confiteantur, quàm sacro corpori Christi communicent: ergo non est vera pœnitentia, aut probatio, quæ iudicium cùm potest, negligit Sacerdotis.

De perfecta illa, & plena, quę cõfessionẽ includit, Apostolũ loqui, multis ostenditur. II. argum. Vera probatio, de qua Paulus: Probet autem se ipsum homo &c. quænam sit. III. argum. & quartum. Quem verè pœniteat. Cypr. ser. 5. de lapsis, in fin.

Quintò, ille verè seipsum probare dignoscitur, qui quod in se est præstat, vt se probet: sed non præstat quantum in se positum est, qui habens alium à se, & à Deo loco sui iudicem deputatum, expositum, & accessibilem, suo iudicio plus fidit: vera ergo probatio cõfessionem Sacerdotis adhibere debet. Sextò, Prælatorum consuetudo est, vt imminente communione, casus sibi ipsis seruatos relaxent, quò pœnitentes ad Sacramentum accedentes absolui possint: hoc autem superfluum esset, si se ipsos per se probare possent, & ad communionem accedere. Septimò, Paulus non hortatur ad probationem aliquam vanam, & periculosam, qualis est illa, qua quis se per se ipsum probat, cùm possit esse fallax, negligit autem certam, & securam, adde paratam & expositam. Octauò, si necessaria est contritio, vt omnes tradunt: deberet ergo aliquis qui accedit ad communionem, certò statuere se esse contritum: & ob id in gratia Dei, quod vel plerunque, vel semper falsum esset. Addit præterea Caietanus in summula: quòd si ille, qui sit lethalis peccati conscius, sine confessione accederet ad Sacramentum, valdè grauiter peccaret, etsi non mortiferè. At ita

V. argum. Verè quis se ipsum probare dignoscitur. VI. argum. VII. VIII. Refellitur hoc dictũ Caietani: Accedẽs ad Sacramẽtum sine confessione, grauiter peccaret quidẽ, sed non mortiferè.

Paulus illis verbis exigens probationem, quæ solam habet contritionem sine cõfessione, hortaretur ad valdè grauiter peccandum. Nec obstat Caietani euasio, quòd Paulus dicens: Probet seipsum homo, videatur cuiusuis iudicio id relinquere, & iudicium Sacerdotis non exigere; aliàs de illo mentionem fecisset. Respondemus, Paulum illis verbis non exclusisse, imò potiùs inclusisse probationem, quæ alterius, id est, Sacerdotis iudicio fit, cùm plenior, & vberior, atque securior existat, vt dictum est. Sic enim probat aurum, qui adhibet lapidem Lydium & ignem: sic rursus curat seipsum, suamque valetudinem, qui adhibet medicum: sic canonicè purgat seipsum, qui adhibet iudicem, & legitimos testes. Quod autem non fecit mentionem cõfessionis apud Sacerdotes faciendæ, id fuit in caussa, quòd licèt in casu, de quo est sermo, requiratur Sacerdos, non tamen semper in omnibus: nam habenti venialia, & leuia delicta, sat est de illis dolere; habenti autem graue crimen, vel sine copia confessoris, vel sine eius conscientia, satis est conteri. Et idcirco Paulus generali vsus est verbo, vt generalem traderet doctrinam omnes probationes continentem, & ipsum qui communicaturus est, admonẽtem, vt prius per se ipsum exploret conscientiam, & inquirat an ea peccata habeat, quæ requirant confessionem, an non.

[margin: Inepta eius solutio.]

[margin: Cur Paulus hominē ante cõmunionē ad se probandum sit adhortatus; cur de confessione apud Sacerdotem facienda nihil meminerit.]

[margin: Obiectiones nõnullæ solnuntur.]

Quod autem quidam dixerunt, Patres debuisse confessionem ex hoc loco Pauli euincere, si de illa intelligeretur probatio ab eo exacta: nihil mouere debet. Quia vt efficaciter comprobaretur hæreticis inde confessio, opus fuisset vt de illa sola Paulus sermonem haberet: modò verò vidimus alias esse præterea probationes citra confessionem in quibusdam euentibus, licèt non in illo, de quo est quæstio; cum quibus alijs probationibus includi illam confessionis, Doctores apertè tradunt.

[margin: II. Obiectio.]

Nec etiam, vt aiunt quidam, dormitauerunt hactenùs Romani Pontifices, confessionem communioni necessariò præmittendam non declarantes. Nam si dicunt illos simpliciter non declarasse; falsum est: quia consuetudine ipsa, atq; decreto Leonis Primi, & Innocentij Tertij amplè est declaratum: Si verò asserunt, ex hoc loco non declarasse; ineptum est argumentum. Non est enim officium Pontificum omnes Scripturæ locos explicare; sed Ecclesiã Dei regere; & vbi accidet controuersia aliqua de Fide aut intellectu Scripturæ, illam definire: hæc autem controuersia ad tempora vsque Caietani non fuit excitata. Neque rursus validum est quod quidam dicunt, loqui Paulum de probatione, sine qua simpliciter nõ licet communicare, qualis contritio est, & non confessio. Respondemus enim Paulũ loqui de probatione, sine qua non licet communicare: sed hoc cõcludit, non tantùm loqui de confessione, non autem illam excludere, quod nobis est satis.

[margin: Leo I. Innoc. III.]

[margin: Romanorũ Pontificum officium.]

[margin: III. obiectio.]

[margin: III. locus à rationibus.]

Eadem etiam sententia rationibus est confirmanda. Inter quas prima sumitur ab Eucharistiæ excellentia: cùm enim summum, ac maximum sit Euchristiæ sacrificium, tum ratione contenti in eo Christi Domini nostri; tum summæ efficientiæ, quòd ratione rei contentę, & gratię, quam impertitur, vnitatem & pacem Ecclesiæ efficiat; ad illud igitur suscipiendum, exactam quandam, ac diligentem requirit dispositionem. Porrò summa, & exacta præparatio non est, si quis suo iudicio fidat, sed illa potius, qua quis se committit Dei iudicio, & secundùm illud per manus ministrorum id proferentium admittitur: ergo illa dispositio, & non alia prior est adhibenda. Deinde eadem Sacramenti, & conuiuij excellentia exposcit, vt nemo se ad illud ingerat, nisi vocatus à Deo, & per manus ministrorum admissus: illorum ergo est admittere ad hoc Sacramentum, vel ab eo repellere: qui autem peccati sibi conscius, sine confessione, & absolutione accedit; & ipsi Sacramento, & ministris facit iniuriam. Nam etsi ipse quatenus alios probat, & sibi dispensat Eucharistiam, minister sit: in quantum tamen peccator est, ab alijs probari debet, nec esse sui iudex; vt sic ab alijs probatus, ad mensam tutè possit accedere.

[margin: I. ratio ab excellentia Sacramenti, scilicet Eucharistiæ.]

[margin: Sũma, & exacta ad communionem præparatio quæ sit.]

[margin: II. ratio.]

Tertia ratio à Sacramento Pœnitentiæ deducitur: nam iuxta Scripturas, & Patrum testimonia, ijs, qui post Baptismum lapsi sunt, non minus est necessarium Sacramentum Pœnitentiæ, quàm nondum baptizatis ipse Baptismus: vt igitur ante Baptismũ ferè non fit peccati remissio: ita etiam sine Sacramento Pœnitentiæ ferè nõ fit remissio peccati post Baptismum. Cùm ergo talis non habeat Sacramentum Pœnitentiæ, & habere possit; meritò infertur nõ esse ei remissum peccatum; & ita cum illo ad Sacramentum accedens, iudicium sibi manducat, & bibit. Atque ita fortassis fieri nequit, vt quiuis verè sit contritus, & oblata commoditate confitendi, nolit ea vti ante communionem.

[margin: III. ratio à Sacramēto pœnitentiæ.]

[margin: 1. Cor. 11.]

Quarta ratio: Qui Christiano more in Domino moriturus est, vt sibi possit Dei gratiam conciliare, confessionis Sacramentalis necessitas illi incumbit, si tamen adsit

[margin: IV. ratio]

copia

copia Sacerdotis, qui eum adire, & absoluere valeat: nec illi satis est illa, quam vocant, contritio, nisi actu cõscientiam suam exoneraret. Cùm igitur ad Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum Deo viuentium, necessariò requiratur gratia, sequitur vt & necessaria sit confessio. Quamobrem Thomas rectè tradit, confessionem in habente conscientiam peccati mortalis necessariò præmittendam ad quodcunque opus exercendum, quod Dei gratiam exigat: vt ad Eucharistiam percipiendam, vel ad ordinem sacrum suscipiendum, vel rectè, & Christianè moriendum.

Quorum sit Sacramentũ Eucharistiæ.

B. Thom.

Sit quinta ratio: Dominus Iesus dispensaturus discipulis suis Eucharistiam, prius eorum pedes lauit, eisque dixit: Et vos debetis alter alterius lauare pedes; per quam lotionem Bernardus, atque alij Patres confessionem intelligunt. Debet ergo communionem sacram præcedere, vt non nisi loti accipiant Eucharistiam.

V. Ratio. Ioan. 13.

Bern. serm in cœna Domini.

Sexta ratio sit: Sacerdos celebraturus, & laicus communicaturus de more Ecclesiæ vniuersalis confessionem generalẽ præmittunt ad remissionem venialium adipiscendam; ergo multò magis qui grauis peccati conscientia premitur, adire debet Sacerdotem, & peccatum cõfiteri. Quemadmodum enim non est inter peccatũ veniale, & mortiferum aliquod medium, ita nihil medium intercedit inter confessionem illam generalem, & Sacramentalem.

VI. Ratio.

Septima: Consuetudo præmittendi confessionem ante communionem, vniuersalis est in Ecclesia Catholica: eius autem, quando sit instituta, vel præcepta, non extat initium: ergo iuxta auream, & certissimam B. Augustini regulam in libris de Baptismo contra Donatistas assignatam, vel institutio diuina est, vel certè traditio Apostolica.

VII. Ratio.

Aug. lib. 2. de Baptism. cõt. Donatist. c. 7. & lib. 4 c. 23. & lib. 5. c. 23. tom 7.

Aurea, & certissima B. Augustini regula.

Octaua: Consuetudo, maximè vniuersalis, vim habet legis: cùm igitur in more omnium rectè sentientium positum sit, vt conscius mortiferi delicti, cui non deest cõfitendi facultas, illa vtatur, sequitur ad id nos lege teneri: sicut si Ecclesia de integro præciperet, teneremur.

VIII. Ratio.

Nona: Quia poneretur accessus medius ad Sacramentum, vt agam ad hominẽ Caietanum, qui in Paulum scribens inter dignè accedere, & indignè, ponit accessum medium eorum, qui nec dignè accedunt, nec indignè, (id est, in quo nulla esset ratio aut meriti, aut demeriti) contra sententiam Patrum. Nam Augustinus in Psalm. 42. super illud: *Introibo ad altare Dei*, ait, *Ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit. Illic inueniet vitam suam, qui in isto discernit caussam suam.* Idem in Ioannem: *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubiò nec manducat spiritaliter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licèt carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis, & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Similia ferè docet Chrysostomus homil. in Encœnijs.

IX. Ratio.

Non dari (vt Caietanus cõcedit) mediũ accessum ad Eucharistiã

Aug. tom. 8.

Idē tract. 26. in Ioan. prope fin. tom. 9. Ioan. 6.

Nõ manducet quis spiritaliter carnẽ Christi, nec bibat sanguinem eius, teste Augustino.

Matth. 5.

B. Chrysost. tom 5.

Decima ratio: Ex nostris Catholicis scriptoribus vnus tantùm Caietanus autor est huius opinionis: qui tamẽ in summula sua grauiter peccare fatetur, qui communicaturus, copia Sacerdotis oblata, non confitetur. Hanc etiã sententiam libẽter amplectuntur Lutherani, quod signum est apertũ mali spiritus, & falsitatis eius, cuius fructus sunt scãdala multa, quæ occurrunt indies, & irreuerentia, quæ tanto exhibetur Sacramento; & consequenter damna temporalia, & spiritualia, quæ irreuerenter, & immundè ad hoc Sacramentum accedẽtes comitari solent, de quibus Paulus disseruit in priori ad Corinthios.

X. ratio à fructibus indignæ sumptionis.

Caietanus.

1. Cor. 11.

Vndecima ac postrema ratio sit, ex cap. illo, Omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus, ex quo elicitur, confessionem ibi præcipi, non tanquam aliàs non necessario, vel tunc tantùm in tempore Paschali præmittendam communioni, sed potiùs semper: semper igitur præcedere debet confessio communionem. Quòd autem id ex eo colligatur, multa comprobant. Primum, eo quod illud decretum fuit factum, quia Christiani negligebant ter in anno communicare: non quidem ob communionem, quæ & facilis est, & honorifica, nec ob contritionem etiam homini facilem, qua se ipsum per se probat, & occulta est, & coram Deo; sed ob confessionem grauem, & molestam. Vt ergo confessionem per se necessariam præmitterent, de ea meritò meminit ille Canon. Secundò, quia si non necessario foret præmittenda confessio communioni, posset fieri post Pascha, & textus non diceret quasi vnicum præceptum tradens: Confiteatur reuerenter suscipiens Eucharistiam; sed confiteatur, & reuerenter suscipiat Eucharistiam. Tertiò, quia dicitur in textu, quòd de proprij Sacerdotis consilio abstineat quis à communione; ergo iuxta eius iudicium, & non tantùm iuxta proprium est communicandum. Quartò, si non

XI. ac postrema ratio.

Quod ex eo cap. Omnis vtriusque sexus, &c. confessionis antè communionem necessitas colligatur multis ostenditur.

Innoc. III. in Concil Lateranen. can. 2.

Cur temporè Innocentij III. fideles negligerent ter in anno cõmunicare.

II. argum.

Tertium.

Quartum.

non esset necessarium ante Eucharistiam confiteri, nunquam Pontifex ad illam præmittendam in Pascha obligaret, sed in libertate sua quemque fidelem relinqueret.

Quintum & vltimum.

Quintò, præceptum traditur illo Canone singulis annis communionem faciendi: quod si tantùm propter se præciperetur, & non propter communionem, quæ fit in Pascha, sequeretur, quòd vbi duo Paschata à se inuicem plus quàm per annum distarent, vt quandoque accidit; & sic confessionem faciens in vigilia vtriusque Paschatis, non satisfaceret præcepto confessionis, quia excessisset annum: quod tamen falsum est. Nam sufficit intra octauas Paschæ confiteri secundùm extrauagantem Eugenij IV. quæ incipit: Fide digna.

Aduersariorum argumẽta proponuntur, ac diluuntur.

I. Argum.

Sed qui oppositam partem tuentur, conantur suam sententiam quibusdam rationibus comprobare, quæ breuibus sunt diluendæ. Primò ergo aiunt: Contritum ad communionem accedere sine confessione, per se non est peccatum, alioqui nullo euentu id liceret, cùm tamen liceat, vbi nõ habetur copia cõfessoris: si ergo per se peccatum non est, certè adueniente Sacerdotis copia, quod est contingens, non reddit accessum sine confessione illicitum. Respondemus, infirmam esse consequentiam: nam aliàs sequeretur, nihil, quod per se non est peccatum, accedente aliqua circumstantia, peccatum fieri: vt verbi gratia, non existente paupere, diues non peccat, si eleëmosynam non largiatur; eo igitur existente, & postulante eleëmosynam, non peccaret, si nihil porrigeret. Ergo quamuis in talibus, physicè loquendo, tales circumstantiæ cõtingentes sint, ac proinde in physica ratione non considerandæ: cùm tamen de moribus est sermo, circumstantia illa, quæ moris genus variat, non est per accidens, sed per se consideranda: talisque est hoc loco copia confessoris. Circumstantia autem per accidens in moribus est, vt illa: Si quis videlicet sagitta ludens ad scopum, casu prætereuntem vulneret: illa enim vulneratio actum sagittandi malum nõ reddit; & ideo in genere moris est per accidens.

Circumstantia in morib' contingens quænam sit.

II. Argum.

Secundò obijciunt: Ad alia Sacramenta dignè suscipienda, contritio sine confessione sufficit: ergo & ad percipiendam Eucharistiam erit idonea. Respondemus, in primis negari posse assumptum, si vera est regula beati Thomæ, scilicet, ad omne illud agendum, vel suscipiendum, quod in suscipiente exigit gratiam, si quis est sibi conscius criminis alicuius, opus est non minùs confessionem, quàm cõtritionem præmittere. Vnde quia Confirmatio requirit, vt accedens existat in gratia (est enim ad roborandum, & consolidandum renatus) ideo in habente cõscientiam mortalis, præuia indiget confessione. Et idem est de Ordine sacro, vt ait Thomas: sed quia hæc regula incerta est, etsi concedatur assumptum, negatur tamen consequentia: nam cùm hoc Sacramentum dignitate, & excellentia præstet cæteris, maiorem proculdubiò exigit præparationem, vt probatum est. Ideo, si alia Sacramenta contritionem exigunt, hoc quoque confessionem postulabit; sine qua accedens non accedit dignè, vt docet Caietanus, sed valdè grauiter peccat, & gratiam Dei non conciliabit sibi. Vel profectò etiam indignè accedit; vel Apostolus docens probationem, quæ stat cum tali accessu, viam traderet, qua quis valdè grauiter peccaret, & non reciperet gratiam; & talis non se probaret, vel reprobaret potius, & reprobum ostenderet.

B. Thomæ regula.

Tho. in quodlib. 1. art. 11.

Caietan in Summa. verbo. Confessio.

III. Argum.

Tertiò argumentantur: Ad confessionem in dicto euentu ex iure naturæ non tenemur; aliàs dispensationem quam suscipit, quando non suppetit Sacerdos, non susciperet: tum quia id maximè esset, quòd opus sit iudicio ministrorum probantium: hoc autem non, quia sufficit quòd probet Dominus per contritionem; nec ex iure diuino, quia tale ius alicubi esset expressum, & dispensari minimè posset; nec ex iure positiuo, quia non extat: ergo confessionis omissio non est lethale delictum. Respondemus propriè iure naturæ non esse confessionis obligationem, quia gratia Dei naturalis ad illa DEI pacta non se extendit: posita tamen Fide, iuris diuini est, vt ad tantum Sacramentum per manus ministrorum non nisi probati accedant. Nec licet, quando adest Sacerdos, dispensare; quando verò abest, tunc etiam non est dispensatio, quia nec lex est præcipiens: si enim esset, obligaret ad id, quod fieri nequit. Adhæc iuris diuini est expressi quantum sat est à beato Paulo iuxta Patrum expositionem intellecto, nec in eum euentum, in quo est iuris diuini, cadit vlla dispensatio: non est autem iuris diuini, quando vel esset impossibile, vel quid oriretur contra maius bonum, vt infamia, & scandalum, & ministerij eius omissio. Sed hæc omnia extra causam nostram sunt. Est quoq; postremò iuris humani; vt deductũ est ex Pontificibus, & rationibus, quæ mouerunt Innocentium III. ad condendum illum Canonem, & ex consuetudine ipsa, quæ vim habet legis positiuæ.

Qua ratione confessionis obligatio ante communionem sit ex iure naturæ, & etiam expresso.

Quando nõ esset iuris diuini.

IV. argum. Quartò obijciunt: Contritio in sacris litteris promissionem habet remissionis peccatorum, iuxta illud: *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos*: &, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, &c. vita viuet, & non morietur: Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Contritus ergo gratiam habet: sed gratiam habere sufficit ad accessum Eucharistiæ. Ergo non est opus confessione. Respondemus, nos facilè dare, contritum habere Dei gratiam: sed adiũgimus, quòd hoc ipso quòd habet gratiam, vult obedire diuinæ voluntati, & ita quando constat sibi quod Deus vult, vt assumat aliquod Sacramentum, eius votum statim in animo cõcipit, & illud vult, vt catechumenus baptismum, & lapsus post baptismum contritus Sacrmentum Pœnitentiæ. Vt ergo catechumenus etsi per contritionem in gratia Dei existat, si tamen eo quo debet tempore nollet baptizari, eam amitteret: ita etiam fidelis cõtritus etsi gratiam Dei anteà sit assequutus, tamen si opportunitate Sacerdotis oblata, confessionem communioni non præmittit, iacturam profectò pristinæ gratiæ faciet, & desinet esse contrius; ac proinde etsi contritio pactum gratiæ Dei habeat, non est tamen ita pacta, quin per nouum non susceptum Sacramentum possit amitti. Dixi autẽ, Si ante fuit contritus: quia nõ est verisimile, siue possibile, vt in ipsa conuersione; qua quis conscius sibi criminis relicta confessione parata atque obuia, volens communicare sit contritus.

Zachar. 1.

Ezech. 18.

Vltimum argum. Vltimò argumentantur: Ex nostra sententia colligi; duplex peccatum in eo, qui accedit sine confessione, admitti: alterum quidem ex indigno accessu ad Eucharistiã; alterum verò, ex omissa confessione, quod absurdum videtur. Respondemus, hîc tantùm vnicum esse peccatum accessus indigni: ob id enim tãtùm præcipitur confessio; & vbi vnum propter aliud, ibi tantùm est vnum. Ad hæc licet id daremus in aliquẽ etiam euentu, non esset inconueniẽs. Nam in Pascha, verbi gratia, qui sine confessione præuia corpori Christi cõmunicaret, primùm in præceptum confitendi delinqueret, deinde citra illud indigno suo accessu sacrilegij crimen incurreret: quod apertè demonstrat, præceptam confessionem fuisse, & ad dignum accessum necessariam. Quamobrẽ si in Pascha præcipitur confessio, quia per se necessaria est ad fructuosum accessum, erit etiam & quocunque alio tempore necessaria, vel infirma erit, atque inualida ratio legis. Vt igitur in Pascha, vt iam dictum est, participans Christi corpus sine præuia confessione, non solùm peccaret in præceptum Ecclesiæ de confessione, sed in ipsummet Sacramentum: ita communicans extra illud tempus neglecta cõfessione, etsi in præceptum Ecclesię nõ delinquat, quę tunc non præcipit confiteri, crimen tamen sacrilegij in ipsum Sacramentum admittit.

Cõmunicãs quis quando duplex peccatum committeret.

Hactenùs Scripturis, & rationibus pro præsentia nostra corroboranda laborauimus, & quę illi vel ex Scripturis, vel rationum momentis adducunt, confutauimus: superest, vt pro hac eâdem veritate Patrum traditione certemus. Et in primis B. Cyprianus multas protulit sententias, quæ nostro proposito deseruiunt. Scribens enim ad presbyteros, & diaconos, loquens de his qui negauerant Christum in confessione, & citò à Sacerdotibus ad communionem recipiebantur, sic habet: *Nam cum in minoribus delictis agant peccatores pœnitentiam, iusto tempore, & secũdùm disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi, & cleri, ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia facta, nondum exomologesi finita, nõdum manu eius ab Episcopo, aut clero imposita, Eucharistia illis datur, cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Sed nunc illi rei non sunt, qui minus Scripturæ legem nouerunt. Erunt autem rei, qui præsunt, & hæc fratribus nõ suggerunt; vt instructi à præpositis, faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo & præscripta obseruatione.* Et infrà de eisdem presbyteris ita subiungit: *Hi sublato honore, quem nobis beati Martyres cum confessoribus seruant, contempta Domini lege, & obseruatione quã ijdem martyres, & confessores tenendam mandant, ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum penè Martyrum excessum, communicent cum lapsis, & offerant, & Eucharistiam tradant; quando etiamsi martyres per calorem gloriæ minus Scripturam contemplantes, contra legem Domini plus aliquid cuperent, à presbyteris, & diaconis suggerentibus admoneri deberent, sicut semper in præteritis factum est.* Idem rursus epistola ad Martyres & Confessores, simile pertractãs argumentũ, scribit: *Sed nunc cũ maximo animi dolore cognosco, non tantùm illic non suggeri diuina præcepta, sed adhuc potiùs impediri, vt & ea, quæ à vobis ipsis, & circa Deum cautè, & circa Sacerdotem Dei honorificè fiunt, à quibusdam presbyteris resoluantur; qui nec timorẽ Dei, nec Episcopi honorem*

Traditio Patrum.

Cypria. lib. 3. epist. 14.

1. Cor. 11.

Idem ibid. epist. 15.

cogitantes, cùm vos ad me literas direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibusdam lapsis pacem dari postulastis, cum persecutione finita conuenire in vnũ cum clero, & recolligi cœperimus: illi cõtra Euangelij legem, vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesin grauißimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo, & clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis, & Eucharistiam dare, id est, sanctũ Domini corpus profanare audeãt, cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis, & sanguinis Domini. Idem epistola ad fratres in plebe consistentes: *Audio*, inquit, *quosdam de presbyteris nec Euangelij memores, nec quid ad nos martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotij sui, & cathedræ seruantes, iam cum lapsis communicare cœpisse, offerre pro illis, & Eucharistiam dare; cùm oporteat ad hæc per ordinem peruenire. Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Deum cõmittuntur, pœnitentia agatur iniusto tempore, & exomologesis fiat inspecta vita eius, qui agit pœnitentiam; nec ad communicationem venire quis poßit, nisi prius illi ab Episcopo, & clero manus fuerit imposita: quanto magis in his grauißimis, & extremis delictis, cautè omnia, & moderatè secundum disciplinam Domini obseruari oportet?* Idem rursus in epistola ad Presbyteros, & diaconos, concedit, vt se absente presbyter, vel in absentia presbyteri diaconus morti proximi lapsi exomologesin recipiat, & eum absoluat, vt veniat ad Dominum cum pace. Idem sermone de lapsis ante medium inquit: *Contra Euangelij vigorem, contra Deum ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio. Irrita, & falsa pax, periculosa dantibus; & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis pœnitentiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus exclusa est, grauißimi, extremiq; delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, & plaga letalis, altis, & profundis visceribus infixa, dißimulato dolore contegitur. A diaboli aris reuertentes, ad sanctam Domini sordidis & infectis nitore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè eructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt; quando occurrat Scriptura diuina, & clamet, & dicat: Omnis immundus, manducans carnem: &, Anima quæcunque manducauerit ex carne salutaris sacrificij, quod est Domini, & immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo: Apostolus item testetur, & dicat: Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ dæmoniorum. Item contumacibus, & peruicacibus denuntiet, dicens: Quicunq; ederit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Spretis his omnibus, atque contemptis, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini, & minantis, vis infertur corpori eius, & sanguini eius: & plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominũ negauerunt: pacem putãt esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum: nec Ecclesia iungitur, qui ab Euangelio separatur.* Hactenùs Cyprianus, qui perpetuò asserit, sine exomologesi, id est, cõfessione, & sine manuum impositione, id est, absolutione, aut idonea satisfactione, ad Eucharistiam accedere, esse contra Euangelicam Scripturam, atque aduersus Ecclesiæ disciplinam, & talem sibi iudicium manducare, & bibere: vt probatio à Paulo inducta includat etiam confessionem, & hoc etiam in minoribus delictis, quæ nõ in Deum cõmittuntur, sed in proximũ. Frustrà autem quidam nituntur euadere autoritatem Cypriani, dicẽtes, illum de peccatis publicis loqui, quæ satisfactionem publicam merentur: quia adhuc non plene euadunt. Etsi enim Cyprianus de illis peccatis loquatur; non tamẽ eatenus tantùm, quatenùs proximum offendunt. Nam si solùm propium scandalum consideraret, nõ diceret Sacerdotum absolutionem necessariam, & cõfessionem illis factam, nec etiam ita expenderet puritatem conscientiæ. Cùm igitur peccata secreta conscientiam commaculent, vt etiam Cyprian. eodem sermone de lapsis exhortetur ad peccata secreta, & occulta confitendum: mens Cypriani erat, vt sanctæ communioni præmitteretur cõfessio: præsertim cùm contingat, peccata secreta in Deum esse commissa, quæ magis exaggerat Cyprianus, & grauiora, quàm publica sæpè existant. Neq; dici potest, Cyprianum extra propositum nostrum loqui, hoc est, de non contritis; cùm etiam post peractam pœnitentiam, & exomologesin factam, dicat necessariam esse manuũ impositionem vt quis communicet. Chrysostomus prætereà in Liturgia sua: *Oportet*, inquit, *Sacerdotem, qui diuinum mysterium est peracturus, primùm, & ante omnia esse confessum, & omnibus reconciliatum: & cor ab alijs cogitationibus pro virili custodisse, & à vespera se continuisse, & vsque ad sacrifica tempus vigilasse:* Idem in Matthæum ita scribit: *Tempus quidem confeßionis æquè, & lotis baptismate, & illotis profanisq; incumbit: His quidem, vt post patentia criminũ vulnera pœnitẽtia interueniente curẽtur, & ad sacra myste-*

Marginalia (left): *Idem ep. 16. eiusdem libri.* — Oblatio pro alijs. — *Idem ibidem epist. 17.* — *Idem.* — *Leuit 17.* — *1. Cor. 10.*

Marginalia (right): *Infrà 22.* — Exomologesis quid. — Ad communionem sine confessione & absolutione accedere, contra Scripturam esse, iussetit Cyprianus. — Refellitur solutio quorũdam in verba Cypriani. — Peccatis occultis conscientia maculatur. — Publicis sæpè peccans punata sunt grauiora. — *Chrysost. in ... in fine.* A Sacerdote sacrificaturo quæ requirat Chrysost. — *Idem hom 10. in Matt post med. tom 2.*

myſteria redire mereantur; illi vero, vt eã, quam poſt lauacrum cœleſte conceperant maculam diluentes, ad Dominicam menſam munda iam conſcientia, ſecuraq; conueniant. Idem rurſus in homilia de Lazaro: *Muniamus nos ipſos, aliorumq; ſupplicijs facti caſtigatores, per pœnitentiam, & compunctionem, continuamq; confeſſionem & Euchariſtiam, & ſi quid deliquimus in hac vita depoſito, ſummoq; ſtudio maculis animarum noſtrarum abſterſis, obſecremus Deum, &c.*

Idem hom. 2. de Lazaro, in fi. tom. 2. prope fin.

Item Ambroſius ſermone de Domini aduentu ita nos adhortatur: *Quapropter adhortamur, vt in his diebus Aduentus abundantiùs eleëmoſynas faciatis, ad Eccleſiam frequentiùs conueniatis, confeſſionem veſtrorum peccatorum puriſſimè faciatis; & non ſolum ab immunditia, ſed etiam ab vxoribus proprijs ſtudioſiſſimè côtineatis: vt cùm dies Natalis aduenerit, ſalubriter ipſum celebrare poſſitis.* Sic Ambroſius, innuẽs, communionem, quæ ſolebat fieri in Natiuitate Domini, non poſſe ſalubriter ſuſcipi, niſi præuia confeſſione. Nec obſtat verbum, Hortamur: quia etiam ad præcepta ſolent Apoſtoli & concionatores adhortari.

Ambroſ.

Beatus Auguſtinus libro de Eccleſiaſticis dogmatibus: *Quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis, & orationibus: & confidens de Domini miſeratione, qui peccata pia confeſſioni donare conſueuit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere; & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad iudicium; & condẽnationem ſui Euchariſtiam percipere.* Quòd ſi quis contendat, hunc librum non eſſe Auguſtini, ſed Gennadij, quemadmodum etiam liber de Fide ad Petrum, non eſt Auguſtini, ſed Fulgerij Ruſpenſis, vt autor eſt Beltramus in libro de Sacramento altaris; nihil moror; idem Auguſtinus tibi occurrit in lib. de Salutaribus documentis, dicens: *Ab his venenis pietas Domini noſtri Ieſu Chriſti nos liberet, & ſeipſum nobis edendum tribuat, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam in ſemetipſo. Sed vnuſquiſque antequàm corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti accipiat, ſeipſum probet; & ſecundùm Apoſtoli præceptum, ſic de pane illo edat, & de calice bibat: quia qui indignè manducat, & bibit; iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quando enim illud accipere debemus, anteà ad confeſſionem, & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus noſtros curioſiùs diſcutere: & peccata obnoxia ſi in nobis ſenſerimus, citò feſtinemus per confeſſionem, & veram pœnitentiam abluere; ne cum Iuda proditore diabolum intra nos celantes, pereamus, protrahentes & celantes peccatum noſtrum de die in diem.*

B. Aug lib. de Eccleſ. dogm. c. 33. tom. 3.

Gennadius.

Beltramus.

Aug li. de Salut. docum. c. 33. tom. 4. circa finem.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

Quomodo ſe præparare debeat ad cõmunionem accedens.

Idem Auguſtinus epiſtola ad Ianuarium, ita ſtatuit: *Autoritate antiſtitis debet quiſque ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eâdem autoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, qui eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, nõ vt arbitrio ſuo cũ libet, vel auferat ſe cõmunioni, vel reddat.*

Idẽ epiſt. 118. cap. 3. tom. 2.

Quid accipere corpus Domini indignè.

Euſebius Cæſarienſis in hiſtoria Eccleſiaſtica de Imperatore Philippo ſcribens, ait: *De hoc traditum nobis eſt, quòd Chriſtianus fuerit, & in die Paſchæ, id eſt, in ipſis vigilijs, cùm intereſſe voluiſſet, & communicare myſterijs, ab Epiſcopo loci non prius eſſe permiſſum, niſi confiteretur peccata ſua, & inter pœnitentes ſtaret: nec vllo modo copiam ſibi myſteriorum futuram, niſi prius per pœnitentiam culpas, quæ de eo ferebantur plurimæ, diluiſſet.* Hęc ille. Quanquàm ad hoc reſponderi valeat ab aduerſarijs, quod loquitur de publicis peccatis Imperatoris: quemadmodum B. Ambroſius interdixit templo Theodoſium Imperatorẽ ob publicum delictum ab eo admiſſum, vt ſcribit hiſtor. Tripar. Sed peccatum eo quòd peccatum eſt, maioris eſt grauitatis, quia Deũ offendit, quã ob id, quòd ſit publicũ, quo offenditur proximus: peius autem, ac pernicioſius eſt, vel in minimo Deũ offendere, quàm proximum: & ideo non minùs eget confeſſione ſecretũ, vt remittatur, quã publicũ.

Euſeb. lib. 6. Eccl. hiſt. c. 25. tom. 1.

Hiſto. tripar. lib. 9. cap. 30.

Hiſtoria Tripart. de S. monacho Dioſcoro ita tradit: *Dioſcorus verò nõ amplius centum monachis præſidebat. Qui cùm presbyter eſſet, ſacrificia faciens, omnem perfectionem examinando, & diligenter dijudicando accedentes ad ſacra myſteria, ita vt expiarent mentem, & mali cuiuſpiam conſcientiam non haberent.*

Tripar. hiſto. li. 8. c. 1. prope medium.

Socrates ſcribit, Nectarium ſuſtuliſſe presbyterum confeſſionibus audiendis, & ſatisfactionibus imponẽdis deputatum: & permiſiſſe cuiq; prout dictaret conſcientia, communicare myſterijs.

Socrat. lib. 5. cap. 19.

B. Anſelmus in locum Pauli: *Probet autem ſeipſum homo,* ſic ſcribit: *Probet anteà,* inquit, *ſeipſum, id eſt, vitam ſuam inſpiciat, & conſideret, an dignè poſſit accedere, vel non. Rarò enim poteſt inueniri quiſquam ita magnus, & iuſtus, vt in eo per diſcuſſionem nõ inueniatur aliquid, quòd debeat eum à corpore, & ſanguine Domini retardare, niſi confeſſus fuerit illud, & per pœnitentiam diluerit. Probet ſe,* & ſic, *id eſt, poſtquam ſe probauerit,* edat de pane illo, & bibat de calice, *quia tunc ei proderit. Ideo prius ſe diſcutiat, & purget, quia* qui manducat, & bibit indignè, *id eſt, ſine ſui examinatione,* iudicium ſibi manducat, & bibit. *Indignè manducat, & bibit, qui vel aliquod*

B. Anſelm. in 11. cap. prioris ad Cor. to. 2.

Quid probare ſe ipſum, Anſelmo.

Indignè manducare corp' Domini quis censeatur.

graue peccatum, vel multa leuia commisit, & nō confitetur ea, priusquam ad communionem accedat. Hæc Anselmus. Istis adiungam sententias duorum Pontificum: Alter est Innocentius I. epistola ad Decentium: De pœnitentibus verò, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Et infrà: Siue si quis in ægritudinē inciderit, atque vsque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschale relaxādum, ne de seculo absque communione discedat. Alter est Leo Primus, qui in epistola ad Theodorum Episcopum Foroliuiensem eleganter & Catholicè scribit: *Multiplex Dei misericordia ita lapsibus humanis subuenit, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: vt qui dona regenerationis violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent; sic diuinæ voluntatis præsidijs ordinatis, vt indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeant obtinere. Mediator enim Dei & hominum homo Dominus Iesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem; vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent; & eādem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Hæc Leo, duo manifestè asserens: & pœnitentiam lapsis post baptismum esse necessariam, sicut baptismus necessarius est nondum baptizatis; & Sacerdotum reconciliationem necessariò communioni præmittēda: loquiturque generatim de quouis peccatore, ac de quouis crimine. Huic sententiæ subscribunt omnes Doctores Scholastici: sed paucorum, & qui inter illos celebriores habentur, testimonia pauca producemus. Ricar. de sancto Victore libr. de potestate ligandi, & soluendi: *Audacter*, inquit, *dico, si ante Sacerdotis absolutionem* (scilicet criminosus) *ad communionem corporis & sanguinis Christi accesserit, iudicium sibi profectò manducat, & bibit: etsi eum peccasse iam multum pœniteat, & vehementer doleat, & ingemiscat.* Hæc ille, criminosum appellans, qui mortifero aliquo delicto Deum offenderit. B. Thomas in prædicta Pauli verba: *Iudicium sibi manducat, & bibit*, scribit: *Et ideò in necessitate quidē, puto quando aliquis copiam confessoris habere nō potest, sufficit contritio ad sumptionem huius Sacramenti.* Idem apertiùs in Quarto, ita statuit: *Cùm propositum confitendi sit annexū contritioni; tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt, cùm præcipuè in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere: sicut cùm teneatur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi. Sed ad confessionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter. Vno modo per accidens, scilicet quando ad aliquid tenetur, quod non potest sine peccato facere, nisi confessus, tunc enim confiteri tenetur: sicut si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale nisi confessus accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & necessitate nō vrgente: & inde venit obligatio, qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum, quia instituit, vt semel in anno, scilicet in Pascha omnes sacram communionem accipiant; & ideo ante tempus illud confiteri tenentur*, & reliqua. Eadem omninò docet quodlibeto primo: illud addens, quod ad suscipiendum ordinem opus sit prius esse confessum, & peccare eum qui in articulo mortis, vel Eucharistiæ percipiendæ, vel ordinis suscipiendi, cùm possit, negligit confiteri. B. Bonauentura in Quarto, in expositione literæ, quæstionem mouet de presbytero celebraturo, & iam sacris vestibus induto, si mortalis peccati admissi recordetur, quid agere debeat. Et respondet: Quòd si tenetur celebrare, & habet idonei Sacerdotis copiam, confiteri tenetur: sin verò non habet, conteri tenetur cum proposito confitendi, & sufficiet: nec peccabit, si cum verecundia accedit. Si verò non tenetur celebrare, nō debet celebrare, nisi prius contritus, & confessus fuerit. Ricardus de Media villa in Quarto in propria quæstione ait: *Secundo modo distinguendum est: quia aut habet copiam confessoris idonei, & tempus sufficiens ad confitendum, & loquelam liberam, aut non. Primo modo dico, quod suscipiendo hoc Sacramentum, mortaliter peccat: quia ad hoc quòd homo sit dignus hoc Sacramentum suscipere, requiritur quòd recōcilietur Deo, & Ecclesiæ: quæ reconciliatio est per confessionem, & absolutionem. Secundo modo subdistinguendum est: quia aut imminet scandalū personæ suæ, nisi communicet, aut populi; aut quia iam incepit Sacramenti mysterium, si Sacerdos est. Et in quolibet istorum trium casuum licitum est sibi communicare cum proposito confitendi. Si tamen non adest aliquis trium prædictorum casuum, tenetur expectare quousq; habeat copiam confessoris.* Petrus de Palude in Quarto: *Regulariter*, inquit, *tenetur homo nisi semel confiteri in anno, quoniam semel in anno, puta in Pascha communicare tenetur. In quatuor tamen casibus tenetur etiam ante. Primus est, ratione Sacramenti sumendi, aut administrandi. Secundus est, ratione periculi, vt in articulo mortis. Tertius, ratione con-*

Innoc. I. ep. 1. c. 7. de consec. dist. 3. c. de pœnit.

Leo I. ep. 89. de pœnit. dist. 1. c. multiplex

1. Tim. 2.

Doctores Scholastici.

Richar. lib. de potest. ligan. & soluendi, c. 21.

Criminosus quis ille.

B. Tho. in c. 11. prio ad Corint. tom. 16.

Idem in 4. distin. 17. q. 3. respon. ad 3. q.

Obligatur ad confessionē quis dupliciter, secūdum B. Thomam.

Idem quodlibet. 1. art. 11.

B. Bonauen. in 4. dist. 12.

Ricar. de Media villa in 4. dist. 9. q. 2.

Vt quis fit dignus Eucharistiæ Sacramentum suscipere, quid ab eo requiratur.

Petrus de Palud. in 4. distinct. 17.

Quibus in causis etiam ante Pascha cōfiteri quis debeat.

scientia,

scientiæ, vt si conscientia sibi dictet quòd statim teneatur. *Quartus, ratione dubij, vt si putet sibi intra annum non affuturam copiam confessoris, à quo possit absolui.* His Doctoribus Scholasticis adiungo duos Iuris Canonici peritos: quorum alter est Abbas in c.de homine, tit.de celebrat, Missarum, vbi ait: *Nota singulariter hanc vltimam quæstionem, & ex illa collige, quòd Sacerdos non debeat celebrare, si sciat se esse in peccato mortali, nisi prius confiteatur: nec sufficit sola contritio, vel propositum confitendi, ex quo de præsenti potest confiteri; quod multi Sacerdotes malè obseruant. Et per hoc dicit dominus Antonius de Butrio, falsam esse opinionem eorum, qui dicunt sufficere solam contritionem cum proposito confitendi semel in anno.* Alter est beatus Antoninus tertia parte: quærens enim quis dignè sumat Eucharistiam, respondet: *Bonus filius non negligit obseruare quod Apostolus ait 1.Corinth.11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat: id est, examinet conscientiam, si est contritus, & confessus de omnibus peccatis, præcipuè mortalibus: quia, vt ibi dicitur: Qui manducat, & bibit indignè; id est, cum non pura conscientia, sed maculata peccatis, iudicium sibi manducat, & bibit, id est, sui ad iudicium, & augmentum damnationis accipit.* Idem secunda parte ita docet: *Qui etiam post confessionem factam incidunt in aliquod mortale, vel etiam recordantur de aliquo mortali, quod ex obliuione dimiserunt, & multò magis si ex verecundia illud tacuerunt; si accedunt sine confessione illorum ad communionem, etiam si essent contriti, peccant mortaliter: quia requiritur nō solùm contritio, sed etiam reconciliatio Ecclesiæ per confessionem de mortalibus ad communionem.*

Iuris Canon. periti. Abbas Pan. Domin9 Anton.de Butr. B.Anton. 3.p tit 14.c.4.§. 8.initio. Idem 2.p.tit. 9.c.9.§.2.

Concilia verò vetusta etiam si nihil de hac re definierint, tamen Concilium Basileense in responsione ad quatuor articulos propositos nomine Regni Bohemorum, quæ missa est per legatos Concilij ad eos, ita habet: Talis communio (scilicet sub vtraque specie) sine autoritate Ecclesiæ attentata esset illicita: cùm de autoritate, & licentia sanctę matris Ecclesiæ fiet, erit licita, si alia non impediant. Diximus propterea, si alia non impediant: quoniam, vt ait Apostolus: *Qui indignè manducat, & bibit; iudicium sibi manducat, & bibit.* Debet enim prius diligenter ipsam animam mundare, & ornare: mundare per Sacramentum pœnitentię, cum amaritudine, & contritione cordis peccata sua humiliter, purè, integrè, & veraciter confitendo, & satisfactionem debitam ad pœnitentiam salutarem suscipiendo. Et infrà: Admonet igitur, exhortatur, & præcipit sancta Synodus, vt omnes Sacerdotes exhortētur diligenter, & moneant populum, vt omne studium, & solicitudinem adhibeant, vt omnis ad tam sacratissimum Sacramentum nisi dignè præparatus accedat, cum magna reuerentia, & deuotione: ne quod pro animæ salute suscipitur, in iudicium condemnationis abundet, dum indignè suscipitur. Hæc habentur in libro, qui inscribitur Fasciculus rerum expetendarum, tractatu, De vocatione Bohemorum.

Concilia. Concil. Basileense. 1.Cor.11.

Ex quibus habemus Synodum Basileensem in verbis Pauli de probatione sui ipsius, Sacramentalem confessionem agnouisse. In Concilio Florentino post vltimam sessionem scribitur, Græcos venisse ad Pontificem Eugenium Quartum, qui interrogauit illos cur Pontifices, & Sacerdotes Græci celebraturi non præmitterēt confessionem, cùm tamen olim moris esset cōfiteri, vt ex Chrysostomo attulimus. At in Concilio Tridentino hæc res abundè definita est atque declarata. Nam 13.sessione in hunc modum statuit: *Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius (Pauli scilicet) præceptum: Probet seipsum hom. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit, modò non desit illis copia confessoris. Quòd si necessitate vrgente Sacerdos absque prævia confessione celebrauerit, quàm primùm confiteatur.* Et infrà: *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Hæc ibi, quæ verba intelligo à quodam recentiore authore ita esse interpretata, vt non putet hunc articulum ad Fidem spectare; eò quod non vt in alijs Canonibus, anathema pronuntiauit, sed tantùm latæ sententiæ excommunicationem in aliter docentes, sancta Synodus fuerit iaculata. Sed profectò meo iudicio plurimum fallitur; nam distinctio inter excommunicationem & anathema nulla fuit apud veteres Patres, & Paulus hæreticos homines tanquàm excommu-

Concil. Flor. Chrysost.ho. 10. in Matth prope fi. to 2. Concil. Trid. sess 13.c.7. Can.11. Anathema inter & excō municationem nihil differre, vt quidam somniarunt.

Tit 3. communicatos ab alijs praecepit vitari, dicens: *Haereticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*, id est, per sententiam, & censuram Ecclesiasticam da operam, vt ab alijs vitetur. Et ita dilectus Discipulus dixit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis.* Hoc est, tanquàm excommunicatos ne salutatione quidem communi eos dignos habetote. Ad haec, quomodo, si non spectat ad Fidem hic articulus, inter alios, qui ad Fidem spectans, recensetur? Et cur non potiùs sancta Synodus non fuit contenta his, quae dixit in doctrina, sed addidit eum Canonem? aut cur potiùs hoc non retulit ad Canones de Reformatione, vt agnosceretur, quòd non esset inter haereses talis articulus com putandus, sed abusus quidam tantùm? Quòd verò anathematis vocabulū, quod acrius est suppresserit sancta Synodus, & contenta fuerit excommunicationis latae sententiae; id propterea factum est, quia nullam haereticorum iugulabat sententiam, vt in reliquis, sed opinionem quandam Catholici cuiusdam autoris periculosam mitiori vocabulo condemnare voluit.

2. Ioan. 1.

Obiectiones nonnullae soluuntur.

Prima.

Arguunt praetereà quidam ex quorundam Patrum sententia. Nam Chrysostomus eadem explicans Apostoli verba allata superiùs, ita scribit: *Non iubet, vt alter alteri probetur, sed ipse sibi non publicum faciens indicium, & sine teste argumentum:* Et Theophylactus ibidem: *Non alium tibi iudicem attribuo, verùm te ipsum tibi ipsi commendo. Iudica igitur, & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quando fuerint feriae, sed quando purum te ipsum ac dignum inueneris.* Respondemus, hos Patres excludere tantùm alienum iudicium, id est, publicum, & quod coram hominibus fit, vt in solo externo solet fieri: Sacerdotis enim iudicium per haec verba non debet excludi, sicut nec diuinum, quia minister Dei est; ita vt solus possit quis dici agere, quae coram Sacerdote tantùm agit. Potest & referri haec probatio ad examinationem, qua quis apud se inquirit, an peccauerit, nec ne: sed comperto graui peccato: non est mens horum Patrum, vt ex alijs locis constat, quod peccator non confiteatur. Ita enim intelligēdo, immineret etiam Caietano onus soluendi has autoritates, quia nō minus contra confessionem in suo casu, quàm omninò in genere contra confessionem dicerent.

Chrysost. hom. 28. in c. 11 prioris ad Cor. ... tom. 4. Theophylact. ibidem.

Caietanus.

II. obiectio.

Deinde producitur Augustinus epistola ad Ianuarium: *Dixerit aliquis, non quotidiè accipiendam Eucharistiam. Quaeseris, quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo, continentiusque viuit, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Alius contrà, imò, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sint, autoritate antistitis debet quisque ab altario remoueri ad agendam poenitentiam, & eadem autoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam. non vt arbitrio suo cùm libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Caeterùm si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Rectiùs inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet vt praecipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus: & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum se alteri praeposuit, Zachaeus, & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum: alter dicit: Non sum dignus vt intres sub tectum meum: Ambo Saluatorem honorificantes diuerso, & quasi contrario modo, ambo peccantes miseri, ambo misericordiam consecuti.* Hucusque Augustinus. Ex cuius verbis elici videtur, proposita quaestione, an quis debeat ante communionem confiteri, necne, non ausum fuisse illam decidere, quam tamen, si res esset tam perspicua, ac asseritur, omninò decidisset. Respondemus, mirum esse, quod dicunt Augustinum hanc quaestionem tractasse, seu ad illam respondisse; cùm manifestè constet, controuersiam, & quaestionem non fuisse nisi de frequentanda communione, circa quam aliqui dicebant frequentandam non esse, sed deligendos dies, quibus homo puriùs, continentiusque viuit: alij verò dicebant, tunc raro esse communicandum, & non nisi de licentia Sacerdotis, quando quis ea delicta admiserit, quae excommunicationem merentur, & ob quae excommunicetur: ita enim ab altario remotus indignè acciperet, si suo arbitrio accederet, & non potiùs autoritate Sacerdotis. Quando verò quis non ea peccata commisit, ob quae excommunicatione dignus existat, aiebant illi frequentandam Eucharistiam; sed non negabant praemittendam esse confessionem, etiam illorum peccatorum lethalium. Et haec quantum spectat ad opinantes. Quod ad Augustinum verò attinet, nullam de confessione

Epist. 118 c. 3. tom. 2.

De consecr. dist. 2. c. quotidiè. Quart. sent. dist. 12. c. vlt. 1. Cor. 11.

De consecr. dist. 2. c. Quotid.

Luc. 19. Matth. 8.

Solutio.

Scopus Augustini in praecitata epistola ad Ianuarium

sione præmittenda mentionem fecit, quia nec de illa quæstio erat, sed tantùm dirimit litem de communione frequentanda, vel rarius percipienda: & illud relinquit cuiusque conscientiæ dictanti imitari vel Zachæum, vel Centurionem. Postremò Richardus in quarto, qui asserit licere contrito suscipere communionem sine confessione, modò expectet, vt deuotius, & securius confiteatur: cuius sententiam aiunt sequi Hadrianum in quarto, & Petrum de Palude: Respondemus, Ricardum ferè extra casum, de quo est quæstio nostra, loqui, vbi est copia idonei confessoris: & ille, quem iste dicit posse omitti, non videtur talis. Nam quod dicit securius, & deuotius cum aliquo fieri confessionem, videtur quòd cum oblato Sacerdote securè non fiat. Potest etiam dici, in hoc illum excessisse, nec tantam eius esse autoritatem, vt alijs opponi valeat. Petrus verò, & Adrianus non approbant eius sententiam, sed eam potius recitant non probantes. Hæc à me pressius, & solidius edisserta sunt, quo Sacerdotibus, qui periculosam sententiam libenter amplectebantur, opitularer, & dignitatem, ac reuerentiam tanti Sacramenti vendicarem, denique vt lectores commonefacerem, ne propter vnius Caietani opinationem, aut propter eius autoritatem à Catholicæ Ecclesiæ sententia perniciosè declinent, sed omnes potius diligentem operam nauemus, vt Ecclesiæ sensum moribus ipsis præstemus, & cultum, ac reuerentiam afferamus debitam sacrosancto Eucharistiæ Sacramento ad salutem nostram instituto à Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit laus, honor, & imperium sempiternum, Amen.

Ric in 4. dist. 17. III. obiectio. *Adr. in 4. Petr. de Pal.* Altera solutio.

TRACTATVS XL.

In quo de digna, & fructuosa ad Eucharistiam percipiendam præparatione agitur.

QVONIAM ad perfectum virtutis officium non satis est iustum quippiam, aut fortè operari, nisi etiam iustè, & fortiter opereris, vt Philosophi, qui de moribus formandis scripserunt, nos docens: vnde & Dominus in lege ait: *Iustè quod iustum est, persequeris*: ita ad rem sacrosanctam percipiendam, qualis est Eucharistia, opus est, modum aliquem, & rationem ex nobis adferre, quo tanti cibi esum salutarem nobis efficiamus. Nam & Apostolus quemque sine sui probatione, ac discussione, ad hanc mensam accedere noluit. Cùm igitur præcedenti tractatu modum ab hæreticis præscriptum labefactauerimus, & ea, quæ à quibusdam Catholicis non satis solidè, aut Catholicè dicta fuerant, reprobauerimus: illud nobis relinquitur, vt veram, dignam, ac salubrem viam muniamus, quia fructum per hoc Sacramentum dari à Domino institutum adipisci valeamus. Non enim sine caussâ in Sancto ante Sanctum sanctorum posito erat ad Aquilonem mensa panes Propositionis continens; ad Meridiem autem erat cădelabrum septem lucernis illuminatum, nisi vt nos illuminatos redderet de Eucharistia cum fructu suscipienda, & cautius ac ac sanctius quàm fecerunt primi parentes in pomo vetito edendo. At verò cùm varij sint hominum gustus, diuersaque palata, & acerbis, & austeris hi, alij verò dulcibus ac suauibus delectentur, propterea varios modos in medium proferemus, vt quisque pro suo arbitrio, & gustu quem magis probauerit, seligere, & ad praxim conferre valeat.

Ad perfectũ virtutis officium quid requiratur. *Deut. 16.*

Quid mensæ panum Propositionis ad Aquilonem, quid verò cădelabri septẽ lucernis illuminati ad Meridiem collatio præsignauit. *Exod. 26. Gen. 3.* Variæ formulæ præparandi se ad sacram cõmunionẽ satis idoneæ.

Debemus igitur in hac præparatione præstanda, aut Virginem matrem, quæ verbis Gabrielis Archangeli excitata ad incarnandi Filij Dei mysterium seipsam disposuit, vt boni filij imitare, aut Apostolos illos duos, qui missi sunt ad præparandum Pascha Domino Ierosolymam, aut sanctos illos, & beatos viros, qui Dominum in sepulchro mortuum condiderunt; aut hostiam ipsam, quæ Domino offertur, proprietatesque eius exprimere; aut denique eum, qui ad conuiuium splendidum ante multos dies inuitatus est, & ad illud præparatus accedit, imitatione complecti. In primis itaq; in virgine sacrosancta fidem viuam, quàm ad illud ineffabile Sacramentum attulit, cõsectemur: quæ prius Verbum æternum fide in mente, quàm ventre, quando verbum caro factum est, concepit. Ita enim ad illam dixit Elizabetha: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*: beatam illam fides reddidit, quam confestim subsecutum est mysterium illud sacrosanctum, & incomprehẽsum. Nos igitur in visceribus cordis suscepturi Dominũ in Eucharistia contentum, fidem puram, & ardẽtem adferamus, qua de tanto Sacramento eiusque fructu participando erudiamur, & hæsitationes omnes, scrupulosque abijciamus, cibumq; hunc, qui Filium Dei, & hominem, eiusque passionis, & mortis merita omnia complectitur, ab alijs cibis, qui nutriendo corpori in ventrem vadunt, & in

Luc. 1. *Infr. 21.* *Ioan. 18.* Prima ab exẽplo B. Virg. *Ioan. 1.* *Luc. 1.*

Christo humiliato, & in formam serui exinanitio insigne humilitatis argumentum.

V. conditio. Luc. 1. Quintò contemplamur in Virgine heroicam quandam magnanimitatem, quam verbo suo testata est, cùm dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, hæc autem humilitati eius prædictæ non aduersatur: sed vt verum vero, ita virtus virtuti non repugnat quin potius & humilitatem, & magnanimitatem pusillanimitati quam vocant, opponi asserimus. Debemus enim alta sentire, ac posse in Domino, secundum illud: Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Et vt incarnationis honorem propter humilitatem, & tenuitatem nostram respuere non debemus, permittendo nos honorificè affici à Deo, quemadmodum ille pro sua bonitate honorificare nos voluit: eadem prorsus ratione Sacramenti honorem, quo omnes benè edentes excellenter honestare voluit, efficiendo, vt Deus ipse in nobis, & nos in Deo maneamus, tali ac tanta dignando nos mensa, ex qua ad cœlestem nos peruenturos certissimè nobis polliceri possimus. Quamobrem debemus excelsum gerere animum, & omnia terrena, mundana, & carnalia præ hoc cibo quasi siliquas porcorum contemnere. Tandem postquam Christus in vtero Virginis opera Spiritus S. fuit incarnatus, confestim Maria in montana cum festinatione cônscendit, inq; domum Zachariæ ingressa, Elizabetham salutauit, & Præcursorem sanctificauit, domumque totam sua illustrauit, & lætificauit pręsentia: atque in hûc modum qui bene communicauit, hospitioque pectoris sui suauiter Filium Dei excepit, mox debet in præcultos montes contemplationis, precationis, & gratiarum actionis ascendere, côsiterique Dominum, & cum optimis quibusque, & sanctis Dei seruulis conuersari. Quod si Deus tantùm festinauit vt animæ tuæ subueniret: debes tu quoque tanto exemplo permotus ad succurrendum proximo festinare, & quantum in te est, totam domum sanctificare, & præsentia tua consolari, sensus corrigere, frenare linguam, vitiorum omnium reprimere licentiam, & ad omnium virtutum officia amplectenda cohortari.

(Margin: Quales oēs cibi meritò videri debeāt pę Eucharistia. VI. vltimaq; conditio. Luc. 1.)

II. pręparatio ab imitatione Apostolorū. Secundo loco in præparatione ad Eucharistiam imitari debemus Apostolos, qui in cœna corpori Christi communicarunt: Ij igitur ante communionem postularunt: Matt. 26. *Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha?* Quo verbo docemur communionem meritò anteire debere orationem pręparatoriam, ac dicere, Domine, doce me præparare tibi domum conscientiæ meæ, & illam sordibus vitiorum expurgare, virtutumque officijs, quasi aulæis quibusdam exornare: doce quomodo ostium cordis mei tibi pulsanti aperiam, vt cœnes mecum, & manduces Pascha, id est, nostra corda hac ratione tibi præparata. Nam proculdubio vbi nos cum fructu edimus Christum, eò nos magis ab illo manducamur: nam vt stomachus viuus edere solet cibum mortuum, vt illo sustineri valeat: ita cùm hic cibus viuus sit, & verè panis vitæ, qui de cœlo descendit, animi verò stomachus præ illo mortuus dici possit; propterea dum dignè communicamus, magis edimur, quàm edimus. Nam agnus iste postquam semel manducatus est, integer, & nobis, & alijs perseuerat, quo de integro edi possit, alioqui inter hunc & alios cibos nullum esset discrimen.

(Margin: Quando nos Christus mâducet. Ioan. 6. Andreę Apostoli verba de pane vitæ.)

II. conditio. Luc. 22. Secundò, euntibus illis Ierosolymam, occurrit homo amphoram aquæ portans. Hic est Spiritus sanctus missus à Deo, & qui adest omnibus bene precantibus: *Os meum*, inquit Propheta, *aperui, & attraxi spiritum*. Diciturque homo Spiritus sanctus, ob suam singularem bonitatem, & humanitatem: portatque aquæ lagenam, hoc est, virtutem contritionis mensuratam à Deo, cuius beneficio glacies pectoris nostri resoluitur, & fluunt aquæ lacrymarum ad animam abluendam: post peccatum enim, antequam edamus, sudare, & suspirare oportet, secundùm illud, *In sudore vultus tui vesceris pane tuô*, &, *Antequam comedam, suspiro*. Ideò lacrymæ panes dicuntur apud Dauidem, quia eum præstant: est enim purus cibus mundo palato tantùm edendus, vt gustus eius percipi possit. Hoc est enim quod Paulus ait: *Probet autem seipsum homo & sic de pane isto edat*; id est, iudicet, & discutiat, inque iudicij examen adueniat: Intellectus, iudicis munere fungatur; Voluntas sit reus; Memoria, notarij vices expleat; Conscientia accusatoris; Timor, carnificis: aduocentur in primis testes idonei, & omni acceptione maiores, vt superbia, auaritia, luxuria, iracundia, & similes animi morbi, exigaturque à singulis eorum testimonium. Et primùm superbia consulatur, nunquid quicquam habeat commune cum voluntate: & mox conscientia respondebit exaggerando voluntatis superbos & elatos motus, ipsique testes verissimam esse dicent accusationem; imò superbia agnoscet se voluntatis proximam, illique arctissimo consanguinitatis vinculo coniunctam: testabiturque il-

(Margin: Quis sit homo ille amphorā aquæ portās, quid rursus amphora, de quibus meminerunt Euangelistæ. Psal. 118. Gen. 3. Iob. 3. Psal. 41. 1. Cor. 11. Moralis intelligentia.)

lam iactantia, ambitione, hypocrisi, & cæteris superbiæ partibus inquinatam. Auaritia verò, furta, periuria, stipendia mercenariorum retenta, & cōtractus vsurarios proferet. Luxuria prodet eius turpes cogitatus, immunda desideria, obscœnos, & execrabiles actus. Denique arctissimum amicitiæ, & sanguinis vinculum cum voluntate illa inijsse. Nec est quod quisque obijciat, si hæc vitia cum voluntate cognationum contraxerunt, non possunt igitur iure testimonium perhibere. Facilis, & in prompu est responsio. Dicent enim, testimonium cognatorum, quando in fauorem est rei: inualidum esse, & infirmum; at si contra cognatos feratur, validissimum est, ac solidum. Hæc est ratio seipsum probandi, aquaque illa amphoræ seipsum lauandi, & per timorem, qui carnificem agit, damnationem, & supplicium sibi inferendi: vt ita à seipsa rea voluntas damnata, digna fiat, quæ à Deo absoluatur, atque eius munere iustificetur.

Testimoniū cognatorum quando firmū sit, quando infirmum in iudicio.

III conditio. *Luc. 22.* Ostensio cœnaculi Petro & Ioanni, de qua Lucas, quid sibi velit Petrus & Ioannes quid sonent.

Tertiò ostenditur cœnaculum ministris Petro, & Ioanni, vt ait Lucas, in quo significatur præmittenda confessio, quàm nos facere debemus eundo ad Sacerdotem, qui sit Petrus, id est, fortis, & habens absoluendi potestatem, vt ille: rursus qui sit Ioannes: id est, qui gratiam, & scientiam possideat. Nam per contritionem potio accipitur, humoresque inficientes palatum permouentur; per confessionem verò euomuntur ac penitus expelluntur. His ergo ostendendum est cœnaculum grande conscientiæ, vt ab illis exploratum quale fuerit, possint iudicium ferre, an talis conscientia idonea sit, quæ ad mensam Domini accedat. Grande autem cœnaculum sit conscientiæ, postquam abiecit peccata, & amorem temporalium bonorum, quę angusta sunt, atque exigua, exuit. Fit etiam grande ex desiderio faciendi Dei voluntatem, & siti salutis propriæ, & ad cibum hunc Eucharistiæ, non ex contentione aliqua, aut secta, sed ex obedientia, & charitate accedendo. Denique magna est conscientia, quæ dicere potest: *Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea: & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Et rursus: *Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt: proiecisti omnes qui fornicantur, abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.*

Quod sit illud cœnaculum grande stratum.

Psalm 72.

Ibidem.

IV. conditio.

Quartò debet esse cœnaculum stratum, id est, virtutum tapetibus ornatum, quæ ex pacto Dei partim, & ex exercitio passionis Christi ruminandæ hic dantur. Maximéque opus est fide, quam malè habuit Eua de ligni vetiti pomo; ideo ad eā Christus in cœna hortatus est. Debet adesse spes firma obtinendæ gloriæ à Deo, qui talem arrham nobis præparauit. Debet adesse dilectio, vt tanquam calore quodam spirituali tantum cibum possimus conficere. Debet & adesse humilitas, vt inuitati ad conuiuiū sedeamus in vltimo loco, quo nobis dicatur. Amice, ascende superius. Debet & comes esse patientia, quæ ex ruminata Christi passione, ad commemorandam instituta est hæc mensa, in nobis concipitur, ac fouetur. Denique reliquus virtutum chorus hanc tanquam pedisseque, & ancillæ comitari debent, vt ita cœnaculum conscientiæ nostræ honorificè valeat Dominum suscipere, cum eo Pascha suum celebrando.

Luc. 14.

Postremò perfecta communione oportet cum Apostolis hymnum dicere, atque de tanto beneficio accepto gratias agere, suauiaque cum hospite suscepto miscere colloquia. Et vt illi hymno dicto exierunt in montem Oliuarum: ita nos hoc cibo corroborati, ad crucem, id est, labores pergere debemus, vt ambulemus in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, hoc est, per totum vitæ nostræ tempus, vsque ad montem Dei Horeb.

V. conditio.

Matt. 26.

3. Reg. 19.

Tertio loco imitandi nobis sunt Nicodemus, & Ioseph Arimathiensis, qui domini corpus honorificè sepelierunt. Nam primùm Ioseph audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu: ita nos magna de domini bonitate confidentia concepta, ad Sacerdotem, cuius est Eucharistiam conficere, ac dispensare, debemus accedere, vt tanto dono afficiamur. Ac vt ingens donum fuit, Pilatum Iosepho tradere corpus Iesu emortuum: quantò magis accipere corpus Christi viuum, & immortale, singularis, ac planè diuini beneficij loco est habendum? deinde sepulchrum nouum fuit; vt intelligas, cor tuum, & corpus ab omni spurcitia peccati renouandum, magnaque castitate exornandum. Indignum namque est, vt carnem virgineam, ac purissimam in corpore, aut corde stabulo ipso Augei sordidiore reponere. Infelix illud os, quod post oscula lasciua, & obscœna suscipere Christum non veretur. Lingua ter misera, quæ post turpia, & otiosa verba contingere vult Christi corpus. Oculi miserrimi, qui post vanos, & lasciuos aspectus iudicem, & iustitiæ Solem splendidissimum intueri volunt; nisi prius per confessionem omnia ista membra purificentur, ne fiant arma iniquitatis ac peccati. Tertiò, repositum est Christi corpus in sepul-

III. præparatio.

Marc. 15.

II. conditio. *Luc. 23.*

Rom. 6.

III. conditio. *Luc. 23.* *Matth. 27.*

Sepulchrum nouũ in quo repoſitũ eſt Domini corpus cum ſindone mũda, myſterium. IV. conditio. *Ioan 19.* Myrrha, & aloes quid denotent. *Pſal 140.* *Ioan 19.* V. conditio. *Matth. 27.*

Sepulchro cum ſindone munda; quo erudiamur de puritate conſcientiæ ab omni ſorde peccati adferẽda, vt ſimus ſancti corpore, & ſpiritu, & ſit mens ſana in corpore ſano. Quartò, adhibita ſunt vnguenta aromatica myrrhæ, & aloes, quæ nobis precationem, & animæ in ſeipſum recollectionẽ repræſentant, ſecundùm illud: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Debentque adeſſe quaſi centum libræ myrrhæ, & aloes, id eſt, perfecta ab omni putredine peccati incorruptio, & firma voluntas vitandorum delictorum in futurum. Quintò, debet eſſe ſepulchrum clauſum; vt intelligas, cor ipſum apertum non præſtandũ vanitatibus, aut occaſionibus peccati, ne dæmones Chriſtũ ex corde furentur; ſicut milites dixerunt, ipſis dormientibus ſublatum eſſe Chriſti corpus de monumento. Qui enim dormit, & vigilanter nõ cuſtodit Chriſtum, cito illum amittit, & filius mortis efficitur. In veteri etiam Teſtamento vas quodcunque ſine operculo reprobatur à ſacrificio: in quem modum animus, qui non habet diligentis cuſtodiæ operculum ſupra ſe, & ſenſus ſuos, reprob⁹ eſt. Hæc igitur ſi præſtiteris, ſuauius multo ſepelietur Chriſtus, quàm olim in monumento à ſanctis illis viris fuit conditus.

Amittat cito quis Chriſtũ. *Num. 19.*

IV. præparatio ab hoſtia benedicta.

Quarto loco, conciſum, & compendioſum communicandi modum ipſa hoſtia, quæ adoranda offertur, nobis exhibet. Eſt enim illa ex frumento confecta, atque ex pluribus granis cocta ſine vllo fermento, decoquiturque igni, & interiori parte depicta, denique rotunda, ac circularis figuræ. Primò igitur oportet eſſe frumentum, quod eſt præſtantiſſimum tritici granum: in quo inſtruimur, eum, qui Chriſtianus non eſt, non poſſe dignè communicare: quia hic cibus tantùm filiorum eſt: quare meritò ab eo edendo excommunicatus, hæreticus ſuſpenſus, ac interdictus excluditur. Vt autem ſimus frumentum, opus eſt, nos ex illo grano frumenti, quod cadens in terram, mortuum fuit, ac proinde multum fructum attulit, & tanquam in ſpica ab eo productum per baptiſmum renaſci. Deinde vt hoſtia ex pluribus granis coaleſcit, ita nos, qui ad hunc cibum accedimus, charitate cũ reliquis fratribus coniungi debemus, alioqui non ad ſalutem, ſed ad exitium percipimus. Tertiò, carere debet fermento, vt & nos ſine fermento malitiæ, & nequitiæ, vt ait Paulus, epulemur. Nec tantùm debebat panis fermentatus, ſi quis eſſet, non edi, ſed etiam extra domum abijci. Quia non ſolùm peccatum eſt fugiendum, verùm etiam quæcunque peccati ſpeciem habent,

I. conditio. I. documentum. *Ioan. 12.* II. conditio. III. conditio. *1 Cor. 5.* *Exod. 12.* Non ſolum peccatum fugiendum eſt, ſed etiam quæcunque peccati ſpeciẽ habent. IV. conditio.

& anſam te, vel alium offendendi præbere poſſunt. Quartò, hoſtia vt caleſcat, aqua, & igni indiget: quo videlicet intelligamus nos debere adferre ad hanc menſam lacrymas deuotionis, aut ſaltem commiſerationis ad propriam animam, & ignem amoris, quem venit Ieſus mittere in terram, quo holocauſtum, quod Deo offerimus, pingue, & in odorem ſuauitatis Deo fiat. Quintò, hoſtia anteriorem partem depictam habet, quæ vt plurimum ſigno Crucis Chriſti inſignita eſt; poſteriorem partem nudam habet: in quo erudimur geminæ in Chriſto naturæ, quarum altera morti, & Cruci expoſita fuit, & ſub aſpectum noſtrum venire poteſt, altera verò, hoc eſt, diuina, nobis prorſus eſt ignota, & incomperta, fide tamen incompertiſſima, & explorata: quæ etiamſi ſub aſpectũ non cadat noſtrum, veneranda tamen, & omni cultu eſt adoranda. Poſtremò circularis eſt, & rotundæ figuræ hoſtia: quoniam qui ſub illa continetur, Deus eſt, principio, & fine carens, illeque debet eſſe principium, & finis tuæ communionis, vt ab ipſo incipiens, in ipſum regrediaris, & ſic pulchrum circulum facias. Atq; hic eſt modus, quam quiſq; ex hoſtia, quam oculis cernit, facile apprehendere, & meminiſſe valebit.

Luc. 12. V. conditio. Quid hoſtia ex altera tantũ parte depicta ſignificet. VI. conditio. Forma hoſtiæ rotũdæ quid denotet.

Vltimo loco imitandi ſunt nobis in hac præparatione, quam præſtare contendimus, illi, qui inuitati ad aliquod lautum conuiuium, quædam de more præmittere ſolent. Nam in primis lauant manus, deinde ordine ſuo ſedent, poſtea ſpectant fercula propoſita, ex quo appetitus edendi conſurgit; tùm edunt, poſtremò à prandio nonnihil ab ambulatione, vel labore quieſcunt. Quis eſt, qui hæc aut ignorare valeat, aut præſtare recuſet, cùm & cognitu, & factu ſint facilia? In eo igitur quòd primùm manus lauant, nos monent de ſordibus cõſcientię per contritionem, & confeſſionem abluendis: hinc Sacerdotes vel extremas partes digitorum lauant in ſacrificio peragendo: quo intelligamus, etiam à minimis quibuſque, & leuioribus delictis purificandum eſſe eum, qui ad percipiendam Euchariſtiam accedat: & quia fructus communionis eſt peccatorum remiſſio venialium; ad quod ſignificandum, lotionem pedum dominus præmiſit: nam lethale crimen; ſi ſit ignotum, per accidens Euchariſtia condonat: quemadmodum Ionathæ mel manducatum aperuit eius oculos, vt agnoſceret ſe in ignotum ſibi præceptum Regis Saulis patris ſui deliquiſſe. Secundò ſedendum eſt per humilitatis virtutem, & quantum in nobis eſt ſitum in vltimo loco conuiuij:

Poſtrema præparatio ad Euchariſtiã. I. conditio. Quid quod Sacerdotes ſacrificaturi, extrema digitorũ lauant. *Ioan. 13.* Euchariſtia quatenus remittat mortiferũ peccatũ. *1. Reg. 14.* Eius rei figura in Ionatha II. conditio. *Luc. 14.*

quod facilè à nobis impetrabimus, si nos ipsos, quàm viles, & contempti simus, agnoscamus, & quàm se Christus in hoc Sacramento deiecerit, consideremus. Tertiò inspiciendus est cibus: vt quemadmodum lignum vetitum concupiscentiam excitauit primorum parentum in ruinam; ita lignum hoc vitæ præceptum voluntatem nostram ad edendum incendat ad salutem. Quòd si quis forè eo viso, nondum desiderio eius afficitur; poterit eos imitari, qui cum appetitione ciborum destituantur, aut huc illucque deambulant, aut salsamenta cibis adhibent, vt faciunt infirmi; aut cum alijs, qui vehementi edendi cupiditate tenentur, conuiuantur, vt illorum exemplo ad edendum & ipsi excitentur; nam hunc morem seruare solent Principes. Ita nobis faciendum est: aut enim in montes Caluariæ, Olicueti, Thabor, & Sion deambulare debemus, vt ex illorum mysteriorum, quæ in illis montibus peracta sunt, contemplatione, fames nostra spiritualis acuatur; aut condimenta orationum adhibenda, quò paullatim deuotione incalescat homo, & suauius quod percipit, degustet: qua cùm Sacerdotes carent, similes fiunt Virginibus fatuis, quæ tardè oleũ quærebant. Denique cum bonis, ac deuotis viris, qui frequenter, & cum magna animi alacritate communicant, versari debemus, vt nos, qui tanquam carbones mortui sumus, illorum exemplo, & calore accendamur. De inspiciendo autem cibo pulchrè dixit Salomon: *Cùm sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam*: quæ verba Augustinus tractat. 47. & 48. de Eucharistia interpretatur: at hic commensales sumus, ac sodales Christi Principis, nos suo conuiuio dignantis. Vide igitur diligenter, & quid tibi detur, nempe Filius Dei sub specie panis contentus; & quanta charitate detur, vt tantæ charitati amore respondeas tuo: & quanta sapientia conditus hic cibus administretur, quò & horrorem caueas, & fidem, quæ est substantia non apparentium, non amittas, sed alas potius, & foueas: vt ea ratione intelligas quantum de te debeas præparare, vt cibus gratus fias Christo, qui se tibi tanto artis magisterio in tuum se vsum præparauit. Perpende etiam, in quem finem tibi tantus cibus donetur, vt des operam fructu sperato non fraudari. Quartò edendum est, non tam corporis, quàm animi dentibus, & magna suauitate complectendus Dei Filius, qui in viscera nostra ingredi dignatur, vt tu in illius viscera te totum securè effundas.

III. conditio. Prou. 23. Gen. 3. Ioan. 6. Matth. 25. Prou. 23. Aug. tr. 9. Hebr. 10. IV. conditio.

Non est autem ignorandum, Sacramentum non conferre gratiam quando conficitur; sed quando sumitur, & manducatur: nec quandiu est in ore, & nondum traiecimus, neque toto tempore, quo species in stomacho esiles permanent, vt Caietanus in tertiam partem B. Thomæ, & Ioannes Maioris in Quarto sententiarum asseruerunt: quod verum esse non videtur. Nã vel intelligũt, quòd Sacramentalis gratia in instanti producitur, & consequenter non est opus, toto illo tempore, quo est in stomacho, continenter gratiam augeat: quia ex eo sequeretur, auctiorem gratiam percipi ex hostia grandiori, vel ab eis, qui ob stomachi imbecillitatem tardius digerũt, quia prolixius esset temp᷑ impertiendi gratiam: vel intelligunt quod cuique Sacramento nonnisi certus respondeat gratiæ grad᷑, quo percepto nihil amplius virtute Sacramenti datur: ac proinde fatentur, quod si quis dum Sacramentum degunt, obicem peccati lethalis ponat, cuius ilico, antequam species degerantur, pœniteat, illud aiunt remitti: si, inquam, fatentur gratiam Sacramentalem, quam propter obicem prius non receperat, postea recipi, maximum hoc videtur esse absurdum. Durum enim est in primis, vt perceptio, quæ culpa lethalis fuit, eius tamen virtute gratiam vitalem accipiat. Deinde cuique Sacramento assignandum est temporis punctum, quo suum sortitur effectum: hoc autem tempus, illud est momentum, quo illius perficitur applicatio: illorũ vero sententia nullum tempus, vel latum tempus assignat. Tertiò Sacramnetum hoc gratiam confert per comestionem, & potionem: illo igitur completo momento, quo perficitur manducatio, vel potio, gratia confertur, sicut in Baptismo post prolationem verborum: ex quo sequitur, quod dum Eucharistia adhuc in ore versatur, etiam si sit sumpta animo degluttiendi, effectum tamen gratiæ non præstat: nam si expueretur, falsum esset gratiam contulisse: & comedere, non tantum est mandere dentibus, sed deglutire quod manditur: ergo vbi deglutitum est, adest momentum illud collationis gratiæ, si non ponitur culpæ obex: quem si fortè ponat, non obtinebit gratiam, etiamsi antea, vel postea fuerit bene affectus: Quia ex tali bona dispositione poterit ex virtute operit operantis: non autem ex vi Sacramenti gratiam Dei promereri. Quartò specierum Sacramenti digestio, quæ fit in stomacho, nec est sumptio, nec vsus Sacramenti, nec actus ex eo tempore spontaneus, sed mere naturalis: nec

Eucharistia quando gratiam confert. Caiet. Ioan. Maioris in 4. Caietani, & Maioris refellitur opinio dicentiũ Eucharistiã tamdiu in manducante operari, quandiu species in stomacho esiles permanent. II. arg. Tertium. Concedere quid propriè quartum argumentum. IV. arg.

virtute illius putandum est vllam gratiam conferri, cùm ob naturalia, nec laude, nec vituperatione digni sumùs. Ideò quod allegat Caietanus ex Euangelio, vbi Dominus ait: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, intelligendum est de luce doctrinæ ac vitæ, non de existentia Christi in stomacho; nisi tantum ex opere operante, vt diximus. Deinde etsi cibus, & potus, quandiu est in stomacho, adiumentum adferat: non tamen propterea sequitur quòd cùm hoc Sacramentum per modum cibi & potus assumatur, dum est in stomacho, spiritualiter iuuare possit: quia cibus, & potus corporeus non prodest, dum sumitur, sed dum digeritur, quia tunc in substantiam aliter cōuertitur; at effectus Sacramenti spiritualis est, & fit in momento, nec digeritur, sed dùm tantum sumitur, fructum habet: & fructus non nisi sumenti siue manducanti promittitur, non autem digerenti; aliàs si digerendo, fructum maiorem assequeremur, expediret paruo calore naturali vigere, aut grandem hostiam assumere.

Caietanus. *Ioan 9.* Quid significet: Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Cibus qui prosit manducanti.

Ad extremum, quiescendum est aliquantulum, & non statim ad labores, & negotia secularia prodeundum, sed in gratiarum actionem tanto de beneficio prorumpendum; vt ita gratum reddamus, & iocundum Christo, nobis verò salutare quo eum excepimus, hospitium. Tunc ergo dulciter recolendum, Christus, vbicunque intrauit, ingressu suo hospites suos ingentibus, ac pretiosis beneficijs exornasse, atque ditasse. Ingressus est enim in pudicissimum Mariæ pectus, & ventrem, cui super omnem puram creaturam primatum contulit cum priuilegijs singularibus, quæ magis veneraри, quàm imitari possumus. Intrauit in domum Zachariæ, & Præcursorem sanctificauit, impleuit Patrem, & matrem spiritu Prophetiæ; stabulum, in quod primus editus in lucem fuit, commutauit in Paradisum, & præsepium consecrauit in altare, ac regalem mensam, cuius visione possint & Angeli, & homines cœlesti gaudio perfundi. Adit templum, & gloriosiorem fecit domum secundam, quam primam, vt ante fuerat prophetatum. Descendit in Ægyptum, & corruerunt idola eius: mansitq́; in desertis Christi tanta benedictio, vt à multitudine sanctorum monachorum habitarentur; quorum in vitæ puritate, & pœnitentiæ austeritate exempla hodie quoque mundum suspensum tenent. Accessit ad Iordanem, & aquis vim sanctificandi, & regenerandi, contulit. Venit ad nuptias in Cana Galileæ & mutauit aquas in vinum dulce: in domumque ingressus Petri, eius socrum à febribus liberauit; in domum Matthæi ad conuiuium venit, & traxit ad se publicanos & peccatores, vt medicus vitæ: in domum Pharisæi, & misit peccatricem iustificatam: in domum Iairi Archisynagogi, & à morte eius filiam reuocauit: & dum iret per viam, tactu fimbriæ sanitati restituit hæmorrhoyssam: in domum Marthæ, & illustrauit duas illas sorores cum Lazaro, quos in exemplum omnium statuum Ecclesiæ proposuit; domum Zachæi, atque illo die in salutis eum reuocauit statum: in domū Principis Pharisæorum insidiantium sibi, & curauit hydropisim corporis in infirmo qui aderat, & hydropisin superbiæ, qua turgebant Pharisæi, prædicando humilitatis doctrinam. Intrauit in cœnaculum montis Sion, & reliquit nobis cibum totum, & mensam integram: tanta sapientia, & potentia, vt nequeant Angeli, ne dum homines comprehendere. Attigit Crucem, flagella, spinas, clauos, & lanceam, & reddidit nobis hæc omnia tormenta sacra, & veneranda. Ingressus est sepulchrum, & fecit illud gloriosum iuxta prophetiam Esaiæ, & perpetua fidelium ad illud adorationis gratia peregrinantium memoria ac reuerentia recolendum. Descendit in Infernum; quem reddidit paradisum, ibiq́; electos suos per triduum beauit. Redijt per Resurrectionem in terram, & suscitauit mortuam, ac iacentem Discipulorum fidem. Denique ascendit in cœlum, & sedes vacuas, sanctorum præda, quam secum adduxit, impleuit noua. In ijs igitur pijs & sanctis meditationibus, & vbi corpus Domini in pectore nostro condiderimus, quiescendum est nobis quo per Eucharistiam in spiritibus nostris fiat, quod olim præsentia sua facere dignatus fuit Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto immortales laudes, & honores perpetuò reddantur. Amen.

Quinta conditio, & vltima ea continet, quæ post cōmunionē agenda sunt. Omnes Christi hospites quot & quantis eius beneficijs & donis replerentur. *Luc 1.* *Infra 2.* *Nahum 1. & Hebr. 3.* *Ibidem.* *Matt. 2.* *Infra 3.* *Ioan. 2.* *Luc. 4.* *Matth. 9.* *Luc. 7.* *Infr. 8.* *Ibidem.* *Infra 10.* *Infr 19.* *Supra 14.* *Matt. 26.* *Esai. 53.* *Psalm. 76.* *Ephes. 4.*

TRACTATVS XLI.

In quo disseritur, num sit fructuosius frequenter, aut rarò accedere ad Sacramentum Eucharistiæ participandum.

FREQVENTER inter viros spirituales, carnisque ac curis huius mundi vacantes in disceptationem venire solet, num sit laudabilius vtiliusq́; rarò, aut frequenter ad sacram corporis Christi mensam participandam accedere: & vt fieri assolet quisque pro arbitrio suo, & gustu, sententia op-

osculatur, sed intus morsu lethali afficit: vt Propheta dicat: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens:* atque quod ad se attinet, renouat Filij Dei mortem. Quòd si grauiter delinqueret; qui sacram Eucharistiam, aut in sordidissimum lutũ, aut in fœtentem cloacam proijceret: multo est deterior, qui in impuram ac peccatricem animã suam, spurcoque quouis loco fœtidiorem Christum acciperet. Deinde notam perfidiae, crudelitatis non euaderet, qui Regem domi suæ exceptum, Regis hostibus conculcandum traderet: at quid aliud facit peccator, qui atrocissimis Christi hostibus, quæ sunt peccata, conculcandum præbet? Vehementer etiam sibi nocet malè communicans. Nam perinde ac si putridum dolium optimum vinum in se recipiẽs statim amittat, fæcesque solùm sibi retineat: pari ratione facere videtur, qui nullo cum fructu cõmunicat, & peccata, quæ malè communicando admisit, sibi solùm retinet. Præter hoc, Deum insipientiæ videntur velle notare indignè communicantes. Deum enim putant delicta quæ habent in sua conscientia, nequaquam cernere. Profectò insignis temeritatis notam latro incurreret, si postquam vasa aurea, & argentea clã furto sublata, domique reposita, iudicem, ac satellites in domum suam accerseret: non secus ille videtur facere, qui cum vitijs madeat, grauiaque peccata admiserit, audet, tamen per participationem Eucharistiæ iustum iudicem in domum suam introducere. Grauiter igitur delinquunt, qui malè affecti, communicant tamen, atque eo quidem peius, quò frequentius.

Psalm. 21.

Quibus grauius atq; deterius illi peccent.

II. ratio.

III. ratio à pernicie, & damno.

IV. ratio.

Deinde sunt, qui etsi rarò, male tamen communicant: atque isti etiam grauiter videntur peccare: & tales sunt in primis, concubinarij, simoniaci, & huiusmodi alij: qui ne delicta deserere cogantur, rarius ad Domini mensam accedunt: tales fingunt se propter reuerentiam rarius accedere; cùm tamen vera sit reuerentia, præcepta Christi obseruare, & peccata omnia vitare. Deinde alij rarò communicant, ob pigritiam quandam, & teporem spiritus; de quibus Solomon: *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Statuunt enim apud seipsos; Si mihi esset mensa Domini frequentanda, opus esset sæpius conscientiam excutere, puram peccatorum exomologesin facere, ludos, iocosque obscœnos, ac sodalitates, & vana ornamenta, ac denique omnia quæ quouis modo proximos offendunt, dimittere: hæc autem omnia obseruatu sunt difficillima, & vita iocũdiore, ac molliore, meipsum priuarem. Sed qui ita cogitant, miserè seducuntur, ignorant enim illud Salomonis: *Melior est finis orationis, quàm principium:* & indies magis ac magis Dei famulatus, atque obsequiũ dulcescit, & quæ aspera erant, complanantur, ac demum quæ factu impossibilia credebãtur, possibilia sunt apud Deum. Hinc rectè Augustinus dixit: *Vt displiceat quod placebat, & suaue fiat quod non delectabat, hoc facit gratia Dei, quæ hominis præparat voluntatem.* Si ergo frequenter hanc vitam communionis teras, non erit difficilis, & minus in peccata incides, & promptius te præparare ad illam poteris. Quidam tamen Christum non secus fugiunt, atque lasciuæ fœminæ præsentiam suorum virorum, quæ si ad viros reuertentur, non possent pro libidine sua lasciuire, & sui quibus volunt, copiam facere. Amplius quidam timore quodam vano ducti, à mensa Christi fugiunt: cogitant enim ac metuunt qualis de ipsis sermo in aures populi spargendus sit, & quòd vulgi fabula fient, si ad mensam Domini frequentius accedant. Sed hos, qui ex linguis aliorum existimationem pendere falsò putant, admonitos velim, vt cùm aliquod turpe vitium patrare designant, aut alteri mortem inferre cogitant, aut denique crapulæ, & ebrietati, atque intemperantiæ cum meretricibus seipsos dedunt, in mentem reuocent, quid alij de se & sentire, & loqui possit; vt ita frænum sit vitiorum, & calcar ad virtutem popularis sermo. Sed mirum est, tantummodò hanc cogitationem nobis aduenire, cùm quicquam boni agere proponimus: seruus Dei intelligat se non posse duobus dominis seruire, nec in via Dei esse claudicandum, & quòd olim in Baptismo promiserit diabolo, mundo, ac pompis eius abrenuntiare. Non ergo debet instar puerorum ob confictos terrores, humanasque rationes à recta Domini via declinare, aut Christum, eiusque præcepta erubescere. Nam si qui seruiunt Regi, aut Pontifici Summo, adeò de ministerio impenso non erubescunt, vt etiam seipsos ea ratione efferant, ac iactent; quanto magis qui Christum Regem Regum, ac Summum Sacerdotem profitentur, in eius lege, & præceptis obseruandis debent gloriari.

II gradus communicantium.

Vera erga Eucharistiam reuerentia quæ sit.

Prou. 19.

Eorũ hominũ vanissimæ excusationes

Eccles. 7.

Suauitas diuini famulat'

Aug. l. de nat. & grat. to. 7.

Quid sit diuinæ gratiæ effectus.

Duo genera hominũ perperam ab Eucharistia abstinentium.

Salubre cõsiliũ eorũdem.

Matt. 6.

Iam de bene communicantibus agendum est: quidnam magis expediat, & laudabilius sit, an frequentius commùnicare, an rarius: eo posito, quod qui rarius accedit, nullum propterea peccatum admittat. Et breuiter statuendum est, laudabilius, ac fructuosius facere qui bono affectu frequenter ad Eucharistiam accedunt, quã qui

Expediat ne ne frequẽter, an rarò communicare.

Dignè Eucharistiam quis suscipiat. *1.Cor.11.*

rarò bene communicant, iuxta doctrinam beati Augustini, & aliorum Patrum. Dicitur autem dignè cõmunicare, qui seipsum, antequam accedat, probauit. Quod de Eucharistia dictum esse intelligitur, non de cibo corporeo: de quo si esset Pauli sermo, cibus esset probandus, non homo: at qui se aptum, ac dignum parat ad Eucharistiam, ipse profectò cibus est Christo in hostia delitescente edendus. Est autem sui ipsius

Probatio sui ipsius idonea ac perfecta quæ sit.

probatio, idonea quædam ac diligens, sui ipsius exploratio, quæ abiectis scrupulis, præuiaque conscientiæ discussione, atque omnium delictorum, quæ meminisse potuit confessione, confidentiaque in Domino, quod clementer sit peccata nobis condonaturus, & auiditate se arctius cum Christo coniungendi præparat se quis ad accedẽdum.

Quod qui frequentius ad mensam Domini accedunt, melius faciant ab Scripturis. *Ioan 6.*

Qui igitur sic probatus ad mensam Domini frequentius, venerit, melius facit, quàm qui rarò. Quod Scripturis sacris, rationibus, ac Patrum sententijs difficile non est euincere, Nam primũm Scriptura sacra vocat Eucharistiam cibum, cùm ait: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus, verè est potus.* *Ibidem.* Rursus: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sicut ergo corpus in animali vita sine suo corporali cibo, atque illo quidem frequenter eso; non sustinetur, ergo nec anima vt viuat in Christo, vel Christus in ea, sine cibo suo sæpè sumpto nequaquam viuet.

Eucharistia cibus cur dicatur, & non aliquid aliud.

Estque prudenter annotandum, Eucharistiam, dici cibum: non quemlibet fructum singularem, qui certo anni tempore venire solet, non pharmacum aliquod, aut medicamentum, vel quid simile, quod rarò sumi solet: sed communem cibum, & familiarem, nempè panem, & vinum, quæ sunt vsitata, & familiaria: vt nos erudiat, vsitatam, & familiarem nobis esse debere sacram Eucharistiam, quemadmodum panis, caro, & vinum frequenter ad tuendam vitam vsurpantur: quare Dominus magna sapientia sub speciebus panis, & vini, magis quàm sub alijs, quæ in cibum

II. arg.

veniunt, hoc Sacramentum instituere voluit. Deinde in oratione Dominica Christus docuit nos dicere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: quem locum de Eucharistia esse intelligendum, multi, atque illi quidem veteres & sancti Patres tradunt. *Matth. 6.* Ait enim Chromatius scribens in Matthæum: *Hoc autem spiritualiter nobis præceptum esse debemus aduertere: vt panem quotidianum petamus, id est, panem illum cælestem, & spiritualem, quem quotidie ad medelam animæ, & spem æternæ salutis accipimus: de quo ait Dominus in Euangelio: Panis cælestis, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*

Chromatius in c.7.Matt. *Ioan.6.*

Et Ambrosius libro de Sacramentis: *Accipere (ait) quotidie, quod quotidie tibi profit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere; non meretur post annum accipere.* *Amb.li.5 de Sac.c. 4.10 4.*

Ad hæc Cyprianus sermone de oratione Dominica: *Panem nostrum vocamus, quia Christus noster (qui corpus eius contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti, & non communicantes, à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum.* Hoc modo Cyprianus. Si igitur panis est quotidianus, frequenter voluit Dominus hunc panem à nobis edi: qui nos docuit, vt eum quotidie postulemus.

Cypr.ser.6 de orat. Domin. *Ioan.6.*

III. arg à figuris Eucharistiæ. *Exod.16.*

Tertiò idem colligitur à figuris. Constat enim, manna, quod quotidie DEVS pluebat, typum extitisse Eucharistiæ: quod cùm saporem haberet similæ cum melle, & omne delectamentum in se haberet, & in quod quisque optaret, conuerteretur, & per quadraginta annos vsque ad ingressum terræ promissæ illos sustentaret: constare ex his potest, figuram sacrosanctæ Eucharistiæ gessisse, quæ continet illum, qui de cœlo descendit, qui omne delectamentum spiritualis suauitatis præbet dignè sumentibus, omniaque vota nostra, ac desideria explet: atque hic dùm peregrinamur, & hanc vitam ducimus, præsto nobis adest.

Manna enim esset saporis. *Sap.6.* *Exod.16.* *Ioan. 6.* *Ibidem.*

Denique quemadmodum qui ex eo plus colligebat, nihil plus, quam qui minus, edebat; neque qui minus, minus manducabat, sed omnes vna, & eadem mensura, dicta ab Scriptura, Gomor: simili ratione nihil minus sumunt, qui vel modicam Eucharistiæ particulam sumpserint, quàm qui maximam; nec ille, qui maximam accipit, magis aliquid propterea de Eucharistia participat quàm qui minorem acceperit, cùm Christus in maxima, & in minima integer contineatur. Sicut igitur manna cibus erat quotidianus Iudæorum peregrinantium; ita Eucharistiæ tremendum mysterium, quotidianum esse debet alimentum fidelium omnium, qui non secus hanc vitam degunt, quàm viatores in patriam more peregrinorum festinantes.

Quam vtilis sit sacræ mensæ frequens participatio. *Act.2.*

Quartò, Scriptura sacra nobis suppediat, quantæ sit vtilitatis huius mensæ frequentatio. Ait enim Lucas: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Constat autem

primi-

primitiuam Ecclesiam spiritu feruentiorem, martyrijs ferendis constantiorem, fidei quoque signa præclara edentis virtute excellentiorem extitisse: nosque ab illis primitiuis Christianis tantum distare, quantum picti homines à viuentibus discernuntur. Quod non possumus alteri rei magis tribuere, quàm quotidianæ mensæ ab illis frequentatæ: vsque adeò, vt qui tunc communicare nollent, Ecclesiasticis liminibus priuarentur, vt per Anacletum Papam, quartum à beato Petro, fuit statutum. Quotidiana etiam experimenta, & non tantùm primitiuæ Ecclesiæ idem docent. Nam si expendas quàm religiosè tempus Quadragesimæ à fidelibus transigatur, & quàm diuersa ratione viuatur ab alijs anni temporibus, in quibus liberius homines genio indulgent, & peccatis vacant, nulloque timore in vitia quæque prolabuntur: nam in Quadragesima fideles per ieiunia, preces, eleemosynas, atque auditum verbi Dei ad Eucharistiam percipiendam disponuntur: vt iam virtus Eucharistiæ participandæ retrotrahatur, ac fructum edere incipiat, quemadmodũ olim virtus passionis Christi à fidelibus retrotrahebatur. Tempus igitur Eucharistiæ, si cum reliquo tempore conferatur, docet quantæ sit virtutis eius frequentatio. Præterea constat, Religiosos qui aut Obseruantes, aut Reformati vocantur, vt plurimum sanctiores esse secularibus, atque adeò Religiosis, qui rarius diuinam mensam frequentant; cùm priores crebrius Sacramentum adeant. Deniq; si quisquam seipsum diligentius exploret, experientia deprehendet, quòd eo tempore, quo syncere, sineque fictione frequentius ad mensam Christi accedebat, magis horrebat vitia, magisque ad virtutem colendam incendebatur: vbi verò cœpit à religioso illo, assiduoque accessu declinare, cœpit in spiritu, ac deuotione tepescere, & à consectandis virtutum officijs refrigescere, & ad vitia motus persentiscere acriores: vt hæc omnia clarum testimonium reddant, ingentia bona ex hoc vno fonte frequentatæ Eucharistiæ, proficisci. ¶ Idem etiam confirmare possumus rationibus: inter quas prima sit: Quia cùm per Eucharistiæ dignam perceptionem Dei charitas ex opere operato in nobis augeatur; quis non videat, eo maiores in nobis radices agere gratiam Dei ex pluries iterata, quàm ex rara communione? Nam si, verbi gratia, quispiam ita pacisceretur cum altero, ac diceret: Quoties ad tabernam meam argentariam quotidie accesseris, tanta tibi erit pecuniæ quantitas numeranda; quis non intelligat, vtilius sibi prospicere qui frequentius eò accesserit, quàm qui rarius? Deinde qui crebrius sacrum panem accipit, occasionem habet ex opere (vt Theologi loquuntur) operantis diuinam gratiam, ac virtutes Theologicas amplificandi: nam ibi ansa magna porrigitur vitam Christi meditandi, passionem, charitatemque eius erga nos ineffabilem ruminandi. Ex his porrò sanctis meditationibus sæpius inculcatis, ac repetitis, magis potest anima proficere, & ampliores progressus in via Dei facere, quàm si rarò communicaret. Habet præterea ansam frequentius conscientiam excutiendi, peccataq; sua deflendi, confitendi quoque cum humilitate, ac erubescentia apud Sacerdotem, satisfaciendiq; operibus pœnitentiæ impositis, crebroque peccandi, atque ante diuinam Maiestatem se sistendi: hęc autem exercitia cum religiosa sint, & sancta, quo magis repetuntur, eo sunt meliora plusque adferunt adiumenti, quàm si rarò fierent. Tertiò, ille perfectior, ac laudabilior est habitus, qui à nobiliori, & perfectiori virtute proficiscitur: charitas autem ad frequentiam communicandi impellens, præstantior est timore, qui abstinentiam suadet. Accedens item ad mensam Christi, plures, ac nobiliores virtutes exercet, vt amorem erga tantum largitorem, confidentiam diuinæ bonitatis, reuerentiam ad tale Sacramentum, humilitatem, qua se tanto medicamento indigere ipso facto profitetur, nec per se posse consistere. Nam nulla re magis nos Deo gratos ostendere possumus, diuinamq; Maiestatẽ honorificare, quàm hoc ipsum crebrò præstando, & cum Propheta dicẽdo: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo*: at qui abstinet, timore reuerentię ducitur, & suę cogitatõie indignitatis. Quartò qui à Sacramenti sumptione se abstinẽt, illud spectare videntur, vt religiosius, ac reuerentius deinceps possint accedere, & maiori cum fructu cõmunicare. Sed maior deuotio, ac reuerentia comparatur sępe accedendo, quàm abstinendo: vnde quidem non obscurus autor dixit:

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Item excellentius bonum, quod frequentius certiusque contingit, pro eo, quod incertum est, & rarò euenire solet, non debet relinqui: quare etsi aliquãdo accidat rarius accedentem deuotius & reuerentius communicare; oppositum tamen sæpè accidere consueuit, vt frigidius, ac minus deuotè tales accedant. Nam habitus sunt qui faciunt promptè, & cum delectatione

operari

Ex Ecclesiæ primitiuæ quantum profuerit.

Rationibus idem ostenditur.

Exemplum.

II. ratio.

III. ratio.

Qua in re Deo magis gratificari possimus. Psalm. 115.

IV. ratio.

Ouid. l. 1. de remedio amor.

Habit⁹ quid efficiant.

illa hora ſanctos vocans, & per hanc vocem veluti maculas inſpiciens. Multa his ſimilia tradit Chryſoſtomus in homilia de ſacrorum participatione myſteriorum, ait enim: *Multam video rerum inæqualitatem: in alijs quidem temporibus cùm puri frequenter ſitis, non acceditis; in Paſcha verò, licèt ſit aliquid à vobis patratum, acceditis. O conſuetudinem ô præſumptionem. ſacrificium fruſtrà quotidianum. Incaſſum aſſiſtimus altari, nullus qui communicetur. Hæc, non vt temerè communicemini, dico: ſed vt vos dignos reddatis. Non es hoſtia dignus, vel communione, igitur nec oratione.* Adiungam Chryſoſtomo Cyrillum: hic enim in Ioannem Commẽtarijs in hunc modum ſcribit: *Nos verò, ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caueamusq́; ne loco laquei damnoſam religionem diabolus nobis prætendat. Rectè, inquit, dicis, ſcriptum tamen eſſe non ignoramus, iudicium ſibi comedere atq; bibere, illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probo meipſum & indignum inuenio: quando igitur quicunque tu es qui iſta dicis, dignus eris? quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis. Quis enim delicta intelligit? (ſecundùm Pſalmiſtam) expers omninò eris viuificæ huius ſanctificationis. Quare pias quæſo cogitationes ſuſcipias, ſtudioſe, ſancteq; viuas, & benedictionis particeps, quæ mihi crede, non mortem ſolùm, verùm etiam, morbos omnes depellit.* Gregor. Nazianzenus oratione in ſanctum lauacrum, docet die Dominico communicandum. Palladius Epiſcopus Cappadociæ in hiſtoria ſanctorum Patrum, Monachos ait oportere quotidiè, ſi fieri poſſit, communicare Sacramentis. Qui enim ſe ab eis procul amouet, Deus quoque procul ab eo recedit: qui autem hoc facit aſſiduè, aſſiduè ſuſcipit Seruatorem. Eſt enim vox ſalutaris: *Qui comedit carnẽ meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Cyprianus ſermone in orationem Dominicam, in illud: *Panem noſtrum quotidianum:* Euchariſtiam quotidiè ad cibum ſalutis accipimus. Ambroſius libro de Sacramentis, explicans illud. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, increpat ſui ſeculi homines, quòd more Græcorum ſemel tantùm in anno communicarent: *Si quotidianus,* inquit, *eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidiè quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidiè accipere, non meretur poſt annum accipere.* Ruſſus: *Si quotieſcunque effunditur ſanguis; in remiſſionem peccatorum funditur; debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* B. Hieronymus in Apologia pro libris aduerſus Iouinianum, prope finem: *Scio,* inquit, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo. Vnuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat: ſed ipſorum conſcientiam conuenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta Perſium, noctem flumine purgant.* Idem in epiſtolam ad Galatas: *Itaq; ſicut nobis licet, vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus: non ita & Iudæis fas eſt omni tempore immolare agnum, Pentecoſten agere, tabernacula figere, ieiunare quotidiè.* Idem ad Lucinum: *De Sabbato quod quæris, vtrum ieiunandum ſit, & de Euchariſtia, an accipienda quotidiè, quod Romana Eccleſia, & Hiſpaniæ obſeruare perhibentur, ſcripſit quidem Hippolytus vir diſertiſſimus, & carptim diuerſi ſcriptores è diuerſis autoribus edidère. Sed ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ Fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt: nec aliorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubuerti.* Auguſtinus, ſiue quicunque autor fuit libri de Eccleſiaſticis dogmatibus: *Quotidiè,* inquit, *Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quamuis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ confeſſioni donare conſueuit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus.* Idem libro de ſermone Domini in Monte, teſtatur Orientales non quotidiè cœnæ Dominicæ communicaſſe: & ſer. de verbis Domini, & epiſtola ad Ianuarium, an quotidiè ſit communicandum, an non, exemplo Zachæi, & Centurionis, quorum vterque Dominum honorificauit, varia tamen ratione, arbitrio cuiuſcunq; relinquit: cuius verba paulò antè in alio tractatu citauimus. Gregorius VII. vir magna prudentia, & ſanctitate præditus, ad Mathildem: *Inter cætera,* inquit, *quæ tibi inter principem mundi arma, Deo fauente contuli, quod potiſſimum eſt, vt frequenter corpus Dominicum acciperes indicaui, & vt certa fiducia matris Domini te Deo committeres, præcepi.* Hæc ille Pontifex, qui frequenter communicandi cõſilium exhibebat. Multi quoque ex Scholaſticis Doctoribus hanc ſententiam probant: vt B. Thomas in tertia parte,

Idem ho. 61. tom 3.

Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 17. tom. 1.

1. Cor. 11.

Pſal. 18.

Euchariſtia mortem nõ ſolùm, ſed etiam morbos omes depellit.

Greg. Naz. in oratio. 3.

Pallad. in hiſt. ſancto Patr. cap. 53.

A Sacramentis ſe procul amouens, quid aſſequatur ille.

Ioan. 6.

Cyprian. ſer. 6. de orat. Dominica.

Ambroſ. lib. 5. de Sacr. c. 4. tom. 4

Matt. 6.

Idem lib. 4. c. 6. de Sacr.

Rom. 14.

Perſius.

Hieronym. in c. 4. epiſt. ad Galat. ante medium.

Idem.

Hippolytus vir diſertiſſimus.

Traditiones Eccleſiaſticæ (præſertim quæ fidei nõ officiant) ita ſunt obſeruandæ, vt à maioribus traditæ ſunt, teſte Hieron.

Aug. lib. de Eccl. dogmatibus cap. 53. tom. 3.

Idem lib. 2. de ſer. Domini in mont. c. 12. to. 4. circa fin.

Idem ſer. 28. de verb. Domini, to. 10. et ep. 118 c. 2. & 3. tom. 2.

Luc. 19.

Matth. 8.

Grego. VII. lib. 1 Reg. ep. 32. tom. 2.

Doctores ſcholaſtici. B. Tho. in 3. p. q. 80. art. 10.

B. Bonauen. in 4. dist. 12. Dionys. Carthus. ibid.

Quemadmodum hæc sit frequens cõmunio intelligenda.

parte, vbi simpliciter loquendo meliùs esse asserit sumere, quàm abstinere: & B. Bonauẽtura, ac Dionysius Carthusianus in quarto, cæteris paribus, præstantiùs esse definiunt ex charitate, & zelo boni communis ad Eucharistiam accedere, quàm ex humilitate, & timore abstinere. Et hactenùs quidem in genere sit dictum.

Iam quomodo sit hæc frequentia intelligenda, peculiari sermone debemus absoluere. Nam aut sermo est de communione præcepta, aut de cõsulta, & quæ in arbitrio cuiusque sita est. Si igitur sermo instituatur de ea, quæ in præcepto est communione, certè vtiliora, aut nobis aptiora mandata, atque ipsa Ecclesia præstare potest nemo. Inter legis enim conditiones illa est æquissima, vt sit accommoda, & omnibus suscipiẽtibus attemperata. Nam si, verbi gratia, Carthusianorum in se optimam, atque excellentem omnibus Religionem quisquam Christianis proponeret, planè hallucinaretur, quia non omnibus conueniret. Primitiua igitur Ecclesia agnoscens ipsius feruorem, & fidei magnitudinẽ, optimamque eius ad Eucharistiam præparationem, quotidianam cõmunionem præcepto suo indixit: vt constitutum fuit per Anacletum Põtificem. Deinde cœperunt singulo quoque die Dominico percipere: posteà imminuto feruore, à Fabiano Papa constitutum est, vt saltẽ ter in anno, in Natali videlicet, Pascha, & Pentecoste, ad sacram Synaxim, accederent: qui verò secùs faceret, fidelium nomine, & numero esset indignus. Tandem refrigescente magis charitate, & abundante malitia, Ecclesia omnibus se attemperans, legem tulit per Innocentium III. vt saltem semel in anno corpori Christi communicarent, sub festum Paschæ; atq; hoc sub excommunicationis latæ sentẽtiæ pœna; non tamẽ frequentiorem accessum excludere voluit Innocentius, nec illam vetuit, sed potiùs verbis suis indicauit, dicendo, saltem semel in anno, quasi dicat; vellem quidem, vt frequentiùs ad mensam Christi accederes: sed si non vis, tuo vitio, saltem semel in anno. Videtur autẽ Ecclesia perinde se habuisse, atque aliquis cum amico infirmante, & cibi nauseam patiẽte, nec quicquam edere valente se gerere solet, ait enim: Obsecro vt saltem nunc bolum edas, aut vt saltem semel in die aliquid sumas, nisi de re actum esse velis. Obligantur præterea ad cõmunionem, omnes, qui in extremo vitæ periculo versantur, vel qui aliquod opus aggrediuntur, quod vt plurimum mors consequi valet, vt hi, qui militiam profitentur, & iam se ad manus conferendas cum hostibus accingunt, qui mare procellosum nauigare volunt; quæ proximæ sunt partui, his enim omnibus cùm certum vitæ periculum imminet, vt interdum solent obligari non est dubium.

Legis optima conditio, quæ sit.

Anacl. Papa in epist. ad Episc. Italiæ. de conse. dist. Fabia. Papa de cõsecr. dist. 2. c. etsi non frequentius. Innoc III. in Conci. Later. Can 21.

Ecclesia præcipiẽs semel saltem in anno communicandum, qualis videri possit.

Lege cõmunicandi qui teneantur.

Si autem sermo instituatur de frequentia communionis per viam consilij, non potuit certa quædã regula omnibus assignatis sed vt in cibo corporeo sumendo, ita & in spirituali contigit. Nam vni imponitur certa cibi portio, alteri maior, alteri verò minor, pro cuiusque captu. Sed si quotidiè se quisquam præparare valeat, communicando benefaceret; quãdo ex tali frequentia se in vitiorum odio, & virtutum amore, deuotione quoque, etsi non semper sensibili, quæ non semper requiritur, sicut nec magnus gustus in cibo corporeo, se crescere persentisceret. Qui itaque per assiduitatem Sacramẽti peccatorum detestationem conciperet, mundi contemptum, æternæ patriæ desiderium, cupiditatis defectum, & spiritus in carnem corroborationem, vtile ei esset communicare quotidiè. At verò talem ita probatum, tantosq; fructus ex Eucharistia percipiẽtem qui malè facere quotidie communicando iudicaret, profectò in non leue, aut paruum delictum incideret. Quòd si in genere assereret, malum esse quotidiè, & deuotè communicare corpori Domini, iam nõ tantum peccatum admitteret, sed hæreseos etiam esset nomine notandus, quia non solùm contradiceretur Ecclesiæ primitiuæ, quotidiè hoc Sacramentum frequentanti, sed & veritati Catholicæ agnitæ à Patribus, qui ad frequentandam Eucharistiam cohortantur fideles: & ita Ambrosius libro de Sacramentis, vt superiùs attulimus, suadet. Tamen liber ille de Ecclesiasticis dogmatibus cõmunionem, quæ singulis diebus Dominicis fit, magnoperè commendat; quotidianam verò nec laudat, nec reprehendit, quia dispositionem communicantis nõ nouit: quemadmodum Augustinus de illo, qui tardè in fine vitę conuertitur, an seruetur, nec ne, planè dubitat. Nõ quidem, vt acutè annotauit B. Thomas, quòd illi salus etiam tunc contingere nõ possit, cùm Deus natura sua sit misericors, & veram de peccato contritionem præstare possit; sed quia dubium est, an peccator in illo agone conuertatur, & an Deus hanc gratiam sit illi impertiturus. Ita dicendum de hac sententia, quam nec laudat, nec reprehendit quotidiè communicandi: quia ignota, sibi est communicantis dispositio: nullibi tamẽ damnat laicorum quotidianam communionem, quia arbitrio cuiusque illam relinquit in epistola da

Cui magis sit expediens quotidiana communio.

Ambr. lib 4. de Sacr c. 6. & lib 5. c. 4. tom. 4.

Quo sensu dicat Augustinus: Quotidiè Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo.

B. Thomas.

Aug. epiſt. 118. c. 3. to. 2.

Scitum atq; elegans B. Catherinæ Senenſis dictũ.

la ad Ianuarium, quam ſuperiùs allegauimus. Scita fuit, & acuta B. Catherinę Senenſis ad quemdam Epiſcopum reſpõſio. Nam cùm ille eam quotidiè communicantem reprehenderet, & allegaret verba Auguſtini: *Quotidiè communicare, nec laudo, nec reprehendo:* illa protinus ſubiunxit: *Ex quo, reuerende pater, Auguſtinus me non reprehendit, quid eſt quod tu me reprehendendam exiſtimas?* Sacerdotes autem omnes ſuum ſtudium ac diligentiam ponere deberent in quotidiana oblatione huius ſacrificij, atq; eius perceptione. Nam Patres ferè quotidiè celebrabant: vt patet ex B. Andrea, qui dicebat aduerſarijs: *Ego quotidie offero agnum immaculatum Deo: qui cùm comeſtus fuerit, integer perſeuerat.* Adde Cyprianum epiſtola ad Florentium: *Deo & Chriſto eius, quibus ſeruio, & quibus puro, & immaculato ore ſacrificia, & in perſecutione pariter, & in pace indeſinenter offero.* Ambroſius in illud Apoſtoli ad Timotheum: *Diaconi ſint vnius vxoris viri: Omni, inquit, hebdomada offerendum eſt, etiamſi non quotidie peregrinis, incolis tamen, vel bis in hebdomada; & non deſunt qui prope quotidiè baptizentur ægri.* Et oratione ad Miſſam præparante: *Rogo te Domine, ait, per ipſum ſacroſanctum myſterium corporis, & ſanguinis tui, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur, & potamur.* Chryſoſtomus in epiſtolam ad Hebræos: *Nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius.* Idem in epiſtolam ad Epheſios: *Fruſtrà habetur quotidiana oblatio, fruſtrà ſtamus ad altare: nemo eſt qui ſimul participet.* Auguſtinus epiſtola ad Bonifacium teſtatur quotidianam oblationem. Idem in Ioannem: *Huius, inquit, rei Sacramentum, id eſt, vnitatis corporis, & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidiè, alicubi certis interuallis dierum, in Dominica menſa præparatur, & de menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium.* Idem quoque in Pſalmum 75. poſt medium, & libro de Fide ad Petrum docet. Gregorius in dialogis ſuis: *Debemus itaq; præſens ſeculum, vel quia iam conſpicimus defluxiſſe, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum ſacrificia, quotidianas carnis eius, & ſanguinis hoſtias immolare: Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſaluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat: qui licet reſurgẽs à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, tamen in ſemetipſo immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur.* Adde exemplum Leonis Primi, quem ſepties, aut nouies in die celebraſſe, autor eſt Walfridus in libro de rebus Eccleſiaſticis: quemadmodum ſuperiùs attulimus.

Priſci Patres ferè quotidiè communicabant

B. Andr. Cyp. lib. 4. epiſt. 9. ſub finem.

Ambr. in c 3. prio. ad Tim. tom 5.

Idem orat. 1. præparato. ad Miſſam, in fi. tom. 4

Chryſ ho 17. in ep. ad Hebræos ſub initium tom 4.

Luc. 22.

Idem ho. 3. in epiſt. ad Eph. prope finem.

Aug. epiſt 23. ante mediũ tom. 2. Idem tract. 26 in Ioan. aliquanto poſt mediũ tom 9.

Idem lib. de fide ad Petrũ c 19. tom 3

Greg. lib. 4. Dialog. c 8. tom. 2.

Rom. 6.

Leo I pluries in die ſacrificabat

Vualfridus.

Horum igitur ſanctorum Patrum exemplo, debẽt qui Sacerdotes ſunt, quotidiè celebrare; niſi, aut ægritudo, aut obedientia, aut charitas aliud dictarent. Nam & ſemel cuidam Abbati reuelatum eſt, cæteris monialibus corporis Chriſti communicantibus, vnam, cui iniunctum coquæ erat officium, plus fructus accepiſſe in obedientia, & cõmunione ſua ſpirituali, quàm reliquas in Sacramentali: nam virtus Dei Sacramentis nõ eſt alligata. Quare audiendus nõ eſt nouus quidam ſcriptor, qui conatus eſt defendere, Sacerdotes nullo diuino præcepto adſtringi ad ſacrificandum. Sed hoc quid aliud eſſet, quàm verbum Chriſti fruſtrari in Apoſtolis omnibus Sacerdotibus dictum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et vanum eſt atq; ineptum, quod ipſe reſpondet: Præceptum nõ cadat ſuper id, quod ait, *Facite*, ſed ſuper id, quod ſequitur, *in meam commemorationem*: cùm manifeſtè ſuper vtramq; cadit præceptum. Eſt præterea contra rationem, & in iniuriam donãtis, non vti tanto bono Dei congruo loco, & tempore, vt B. Thom. docet. Et ideo ſeruus ille nequam arguitur, quod non vſus fuerat, vt oportebat, accepto talento. Diſcat igitur quiſque verbum Petri Apoſtolicum: *Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiã, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Audi (quæſo) verba B. Bonauen. in tractatu de præparatione ad Miſſam: *Cùm Sacerdos eſt, inquit, abſque peccato mortali, & in propoſito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reuerentia, ſed ex negligentia celebrare omittit, tunc, quantum in ſe eſt, priuat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, & ſeipſum medicina & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates.* Item priuat ſe talibus omnibus prouenientibus ex ſacra communione, quæ ſunt, peccatorum remiſſio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Chriſti & corporis eius myſtici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, ſpei, eleuatio, charitatis excitatio, deuotionis, augmentatio, & Angelorum conuiuatio. Item non complet ſibi iniunctum magnę dignitatis obſequium, nec officium exercet debitæ ſeruitutis Dei. Hactenùs vir ille planè ſanctus, & doctus. Ex quibus facilè iudicare poteris, quanto periculo peccandi ſe exponãt Sacerdotes, qui ſi non quotidiè, ſaltem vel diebus Dominicis, vel feſtiuis celebrant.

Vt autem ad laicos veniamus, quibuſdam

Reuelatio de quadam pia moniali.

Virtus Dei Sacramentis non eſt alligata.

Caiet. in 3. p. D. Thomæ.

Contra Caietanum Sacerdotem negãtes vllo celebrandi præcepto teneri.

Luc 22.

1. Cor. 11.

B. Thom.

Matth. 25.

1. Petr. 3.

B. Bonauen. lib de præparatio ad Miſſam. cap. 5.

Sacerdotes cùm poſſunt nõ celebrantes quot quãtiſque Eccleſiam beneficijs priuent.

Laici vt frequenter communicare debeant.

dam quotidiana cõmunio cõuenit, quibusdam octauo quoq; die, quibusdã vel semel in mense, & sic de alijs, pro cuiusq; dispositione, & arbitrio Sacerdotis, modò sit prudens, ac probus; ita vt non possit certa aliqua regula assignari. In particularib. enim iubet Plato quiescere. Duo tamen Canones certi sunt, alter est: vt vbi adest puritas, & probatio consciẽtiæ; per quam simile in simili collocetur, laudabilius est, atq; fructuosiùs cõmunicare; alter est: vt nemo suo iudicio nitatur, sed consiliũ cũ docto, religiosoq; Sacerdote cõmunicato, frequẽtiùs rariusve cõmunicet. Solet tamẽ interdum rarior communio laudabilis esse; cùm quis videlicet sentit se agi spiritu timoris, & reuerentiæ quo Centurio verebatur Dominum in domum suam suscipere, & quo ductus B. Franciscus Sacerdotium recusabat, beatus verò Marcus Euangelista etiam sibi præcidi digitum voluit. Qui etiam à communione abstinẽt eo tempore quo quis ad illam non obligatur propter aliquod charitatis opus præstandum, ad quod Dei spiritu impellitur, rectè abstinet: quemadmodum ille, qui vt morem gerat patri suo spirituali, à communione desistit. Intelligat tamen, qui patris spiritualis munus exercet non debere cõmunione interdicere, quenquam, nisi ob peccatum, vel scandalum, vel aliquid aliud, quòd illi magis expediat, & salutarius existat. In genere autem loquendo, præstantiùs est sæpè, quã rarò cõmunicare, quantũ prçstat amor timori: in singulari tamen non est ita decernẽdum, sed pro cuiusq; dispositione. Nam etsi gallina præstantior sit quã lactuca; infirmo tñ vtilior est lactuca, quàm gallina. Debent autẽ frequenter cõmunicantes eos, qui rariùs communicant, nõ contẽnere: & qui parciùs accedunt, nõ debent frequẽtiùs cõmunicantes iudicare, quemadmodum neq; ille, qui valentiori stomacho præstat, edacioriq́ue, debet eos, qui debilioris sunt temperaturç, ac ibi parcioris, despicere, aut cõtra: sed in omnib. obseruare præceptũ Apostolicum: quod etiãsi ille ad aliũ scopũ spectãs dixit, mirificè tamen nostro conuenire videtur. dum ad Romanos ait: *Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui nõ manducat, mãducantẽ nõ iudicet.* Quòd si seruauerimus pacem & vnitatẽ, exclusa omni amaritudine & temerè iudicandi vanitate, persanctè colemus, dæmonumq; fraudes, & insidias ad factiones impellentes à nobis propulsabimus, & cũ primis gloriosam charitatem illustrabimus Iesu Christi Domini nostri, cui cum Patre, & Spiritu sancto, detur omnis laus, gloria, & imperium, Amen.

Plato.

In particularibus quiescendũ, teste Platone.

Canones duo circa communionem. obseruandi.

Matth. 8.

Cornelij Cẽturionis, Frãcisci de Assisi, & Marci Euangelistæ spiritus humilitatis, & timoris.

Quid cauendum animarum patri, pastorive.

Communicantium salubre documentum.

Rom. 14.

TRACTATVS XLII.

In quo argumenta refelluntur, quæ ab his fiunt, qui à frequenti communionis accessu laicos solent adhortari.

QVIDAM sunt eo nasi ingenio, vt tantùm quæ in se ipsis experiuntur, probent, reprehendant verò, quæ nullo experimento didicerũt, quorumq; gustum, aut fructum non perceperunt. Tales sunt plerumq;, siue laici, siue, quod peius est, Sacerdotes, vel Religiosi quidã, canibus eorum, qui custodiæ hortorum deportantur; haud absimiles: nam cũ brassicis, aut lactucis nõ vescantur ipsi, ita nec alios vesci permittũt: tale est illorum, quos diximus, ingenium, cùm nec ad sacrã Christi mensam accedant ipsi, nec alios ad eam venire permittant: varias rationes, & argumenta cõtexentes, quo homines, per se satis propensos ad contemptũ, & fugam rerũ diuinarum, & qui se satis per seipsos nouerũt excusare, nõ secùs atq; illi, qui ad nuptias, cœnamq; inuitati fuerunt, à sacra communione, ac regia Christi mensa arcere queant. Quare præsenti tractatu nobis enitendum est, vt eorũ rationes fideliter proponamus, illasque quanti sint ponderis, & momẽti, excutiamus. Nam etsi interdum contingat, nõnulla falsa probabiliora esse multis veris, neq; propterea veritas sit inficianda, aut minùs propugnanda: quæ tamẽ ab istis proferuntur, neq; neruosã sunt, neq; speciem veritatis magnam præseferunt. Vnde mirari satis nõ possum, & illos, quòd tã leuibus, ac futilibus argumentis in re tam seria nitantur, aut nostros qui per tam infirmas ac debiles rationes se ab eis in contrariam sententiam adduci, & à sacra mensa abduci sinunt.

Primò igitur argumentantur: Christus non nisi semel communicauit Apostolos in cœna: eius igitur exemplo commẽdata est nobis communicandi raritas. Sed sanè hoc leuissimum est argumentum; quis enim nesciat, expediens fuisse Christum morti vicinum Eucharistiã instituisse, post illam verò institutionem Christum paruo tempore cum Apostolis versatum fuisse? Nam statim ac illam celebrauit cœnam, comprehensus est ab hostibus, & in manus peccatorum tráditus. Quàm primũ verò resurrexit, ipso die Paschatis, communicauit discipulos proficiscentes in Emmaus. Adhęc Dominus potestate excellentiæ præditus erat, qua effectum Sacramenti sine Sacramento præstabat: quod minister Sacerdos non potest, quem excellit Christus, vt dominus, institutorq; Sacramentorum. Nam sicut agens naturale, ac finitũ, nõnisi certis modis

A frequenti laicos cõmunione dehortantes, quales merito videantur.

Matth. 22.

De argumentis aduersariorum iudicium.

I. argum.

Matth. 26.

Ibidem.

Luc. vlt.

Christus singulares effectus Sacramenti, sine Sacramento conferre valebat. Exemplum.

modis à natura præscriptis effectus suos producit; ita agens liberum, & infinitum naturæ legibus minimè est alligatũ, etiamsi communiter secundùm illas multa faciat; interdum tamen supra omnem naturæ facultatẽ: hinc hominem ab initio ex nihilo (Gen. 2.) cõdidit, & ex homine solo Heuam formauit, & postremò ex Virgine sola humanitatem Christi fabricauit, cum cõmuni naturæ ordine, hominem per homines generare soleat. Hinc etiam effectum pœnitentiæ peccatrici, & adulteræ nulla præuia confessione, aut absolutione contulit: (Luc. 7. Ioan. 8.) atque ex hac eadem ratione poterat Christus fructũ Eucharistiæ Apostolis, sine eius perceptione porrigere. Deniq; omninò vanum est, à Christi facto, qui vix per paucas horas post cœnam fuit cum Apostolis, argumentum ducere. Etsi sapimus, magis est petendum argumentum à magisterio Spiritus sancti, qui vbi primùm cœlitùs in Apostolos, & fideles descendit, quamprimùm instituta est quotidiana communio, de qua Lucas Euangelista in Actis mẽtionem facit: nam cui alteri illa est ascribenda, quàm Apostolis ipsis, atque adeò Christi Spiritui eos gubernanti.

(A quibus primùm instituta fuerit sacra communio. Act. 2. & 4.)

(II. argum.) Secundò argumentantur, ab Ecclesiæ, quæ spiritui Dei regitur, consuetudine, in qua nõnisi semel in anno præceptum communicandi traditum est: suo ergo præcepto rariorem magis, quàm frequentiorem cõmendat communionem. Respõdemus, (Ecclesiæ prudentia.) prudentissimã, ac sapientissimam matrem tot fidelium populo, quem frigidum esse sciebat ac tepidum, voluisse se accommodare: meliorem autẽ atq; vtiliorem aliam, quæ frequẽtiùs fit, innuisse, cùm dicat, saltem semel in anno: quemadmodum in extremis laboranti, ac cibum detrectanti, vt paulò antè monuimus, dicere solemus: nisi saltem semel in die ederis, de te erit actum. Adhæc Paulus frequentẽ cum præuia probatione communicationem factam verbis suis perspicuè probat, Ecclesiéq; quæ nunc est, ab ea, quæ olim fuit, & quæ in finem vsque seculi est permansura, minimè est diuersa; & tamen prior illa maximè laudauit frequentiam hanc, & facto suo probauit; ergo & præsens eam laudare debet, atque consulere: quemadmodum etsi virginitatis aut religionis statum omnibus proponat; non tamen omnibus præcipit. Sic quoque nonnisi semel in anno pręcipitur confessio peccatorum, vellet tamen à nobis celebrari frequentiùs: & si vel tantillum salis in nobis esset, profectò ad Sacramentum Pœnitentiæ accurreremus: quis enim audiens in se mortis prolatam sententiam, nisi offenso Domino suo reconcilietur, in annum differat reconciliationem? Si igitur graui aliquo peccato premeris, noli procrastinare, vade citò, & reconciliare fratri tuo à Domino ostenso. (Matt.)

(III. argum.) Tertiò obijciunt sanctorũ exempla Patrum: qui in eremo degentes rariùs cõmunicabant, vt Maria Æegyptiaca, quæ tanto tẽpore expers Eucharistiæ, extitit, & B. Benedictus, qui p plures annos in specu quadam Sublaci delitescens, ignorabat diẽ esse Paschę. (Quinam diu à communione abstinuerint.) Respondemus: Fratres, & Monachi in eremo statutis ab Ecclesia temporibus communicabant, & teste Cassiano, (Cassianus.) Sacerdotem habebãt, ad quem Eucharistiæ gratia participãdæ confluebant: & quod attinet ad obligationem præcepti, illi satisfaciebãt. De Maria verò Ægyptiaca: & B. Benedicto alijsq; huiusmodi, dicendum est, habuisse illos priuilegia singularia, ac Deũ ipsum per se illos nutriuisse, & spiritualiter suppleuisse fructũ Sacramentalis communionis, ideo ad cõmunia mandata legis minimè tenebantur, & à singulari ad vniuersale ductum argumentum inualidum est. (Infirmum quod argumentum.) Neque damnandi sunt, qui spiritu amoris ducti frequenter communicãt: etiamsi spiritu reuerentię, ac timoris quidam affecti laudabiliter abstineant. Nam vt varij sunt Solis radij, ita diuersa sunt Spiritus sancti dona: & donum dono non repugnat, neq; vita vnius, alterius vitæ contradicit. Potest etiam dici, sanctos illos, qui Spiritu reuerentię acti abstinuerunt, in exemplum (Sancti diu abstinentes à cõmunione quos doceãt.) illis esse propositos, qui malè præparati accedunt, quo discãt Deum timere, & sanctè abstinere ab Eucharistia, vel saltem dare operam, vt nonnisi benè probati accedant.

(IV. argum.) Quarto loco obijciunt, in hunc modũ: Meliùs se probare videtur, qui verò accedit: quia ieiunare, precari, impertiriq; eleemosynas, vel alia sancta, piaq; officia præmittere potest, vt digniùs cõmunicet: quod qui frequentiùs facit temporis opportunitate ad illa præstanda destituitur. Respondemus falsum esse, quod in hac ratione prę mittunt. Nã sæpiùs accedens, commodiùs (Ratio præparationis ad communionem, in quo potissimùm consistat.) ac meliùs se valet præparare, quàm qui rarò, vel semel tãtùm in anno communicat, si quidem pręparationis substantia in conscientiæ puritate sita sit, quia teste Dionys. (Dion Areop.) simile debet in simili collocari. (Simile debet in simili collocari:) Et Chrys. (Chrysost. Act 11.) docet: Opportunum tempus accedendi, puritas conscientiæ facit; modus autẽ optimus purgandi conscientiã, enumeratio est peccatorum suorum apud Sacerdotem, atq; pœnitentiæ Sacramentũ, quod in se fidem includit cor purificantem, atq; diuinæ misericordiæ spem de diuina bonitate conce-

ptam, preteritorum lapsuum dolorem, desiderium emẽdationis in posterum: igitur maiorem puritatem sicut & crebriorẽ confessionem adfert assidua communio, quàm rara. Adhæc purioris conscientiæ esse constat eos, qui per singulas hebdomadas rationem conscientiæ suæ Sacerdoti confessario reddunt, quàm illi ipsi, si semel tantùm in anno exomologesin facerent, vt experientia ipsa testatur, quia meliùs peccata possunt in memoriam reuocari, magisque illa detestari: qui verò tardiùs confitentur, vix mediam partem criminum suorũ valent meminisse, minusq; de illis conteruntur: & deniq; multi illorum apertè testantur, se quidem peccare nouisse, at artẽ peccata confitendi non tenere; quare à Sacerdotibus interrogari volũt, vt illi varijs percunctationibus peccata sua diuinent, aut excusent. Qui verò hac confessione crebrò vti solent, breui erudiuntur de ratione illam cum fructu præstandi, & peccata sua aggrauandi: nam vna confessio ad alteram præparat: & vt lignum viride si semel igni admoueatur, incipit quidem desiccari, sed non ita incenditur, vt siccum; si tamen viride pluries igni admoueas, paullatim disponitur, & tandẽ exuritur: tales sunt profectò qui semel in anno ad confessionẽ, & cõmunionem accedunt. Nam rarò charitatis igne accenduntur: secùs qui assidui sunt in percipiendis Sacramentis, quia tales deuotiùs, feruentiusq; communicant, & vberiorem fructum sui accessus percipiunt.

[margin: Qui rarò cõfitentur atq; cõmunicant, cui rei aptè comparẽtur.]

[margin: V. argum.]

Quintò argumẽtantur: Quoniã ex frequentatione ad contemptum veniretur Eucharistiæ: nimia enim familiaritas parit contemptum: vt ostendit experientia clericorum, atq; Sacerdotum: qui cũ quotidiè sacra spectent, & contrectent, minori deuotione, ac reuerentia erga illa afficiuntur, atque laici, quibus illa nonnisi quandoq; cernere licet. Respondetur, prouerbium illud inter vulgares, & plebeios homines, qui abiecta quæq; & contempta cõtrectare solent; at nõ inter optimos, & sapientes locum habere. Nam quò magis sapientes alicuius virtutem, & præstantiam agnoscunt, eò maiori cum admiratione, & reuerentia prosequuntur: sed quia nemo, etiam ex sapiẽtibus, & virtutis cultoribus, sine crimine viuit, & per familiaritatẽ defectus suos prodit alijs, hinc verum efficitur, familiaritatem contemptum parere. Secùs se res habet, si cũ Deo, aut Christo redemptore, quem infinitæ esse constat perfectionis, sapientiæ, ac bonitatis, quam ob nostrę intelligentiæ imbecillitatẽ capere non valemus, aliquis agat. Nam per assiduum Sacramentorũ vsum & diuinę charitatis contemplationem meliùs indies Deum agnoscit, in illiusq; vehementer rapitur amorem: hinc Angeli, qui Deo familiarissimi sunt, diuinã Maiestatem laudibus celebrant, tremuntq; corã eo Potestates, Cherubin quoq; ac Seraphin, de quib. dicitur, quod oculos suos alis tegerẽt; ob reuerentiã nimirum, quam Deo exhibent, teste Dionysio, significandã. Assiduus ergo accessus ad Eucharistiam, materiam nõ præbet nisi humilitatis, obedientiæ, & proprię confusionis: cùm agnoscimus nos omne bonũ nostrum à Deo accipere, ac sine eius gratia nihil nos posse. Nam etsi Deus amorem sui ipsius, qui est huius Sacramenti effectus, multis sine Sacramento contulerit, vt in ægrotorũ multorum curatione fecisse constat: voluit tamen Dominus hominem sub visibili symbolo huius Sacramenti humiliari, vt magis agnoscat Deum autorẽ suę virtutis & charitatis per hoc Sacramentum. Adhæc sæpiùs accedens, pluribus donis ornatur, quę suapte natura vim habent accedentem humiliandi: nam quo quisq; sanctior est, eò magis timere debet. Quemadmodũ diues pretiosa vasa secum vehens, magis sibi metuit à latronib. in via, quàm pauper: ita qui pietate, & sanctitate cæteris præstant, magis habent metuere, ne tãtis donis spolientur. Perpende itaque duplicem esse timorem: alterum, qui à Deo auertit, eiusq; conspectum fugere facit, qualis fuit ill Adæ in paradiso terrestri, dixit enim; *Vocem tuam Domine, audiui in paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me*: atq; hic profectò vitiosus est, adulteræ timori similis sponsum suum ob stuprum fugientis: alius verò timor est, quo quis affectus nõ quidẽ Deum fugit, sed ad Deum ipsum confugit, atque ampliùs illi coniungitur: quod propterea facit, quòd agnoscat se diuino auxilio destitutum in multa peccata necessariò prolapsurum: atq; hic studiosus est, & sanctus timor, quẽ præ se ferre videtur, qui reuerenter per continuam cõmunionem ad Deum confugiunt, ac Deo se hærere liberè profitentur; ac illud Propheticum canere: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meã. Cæterùm etsi ex parte nostra, quod fortè minus digni, aut minus pręparati accedamus, habeamus vnde nobis timendum sit: debet tamen hic timor coercẽri, ne Deum ipsum, & in cœlũ per spem erigẽdo mentem. Nam si semper suum quisq; nihil respexerit, frãgetur animo, atque submergetur. Ideo debet instar peregrini amnem transeuntis, non in ipsam aquam rapidam, & vertiginem in spe-

[margin: Prouerbium Terentianũ.]

[margin: In quibus locum habeat illud: Nimia familiaritas parit contemptum.]

[margin: Cherubin ac Seraphin cur oculos suos alis tegant ante Deum. Esai. 6. Diony. Areop. lib de cæl. hierar cap. 7. circa med.]

[margin: Sæpiùs communicãtium bona.]

[margin: Timor duplex.]

[margin: Gen. 3.]

[margin: Quo timore ducti esse videantur, qui sacram Domini mẽsam frequentant.]

[margin: Psal. 72.]

ctatore

ctatore efficientem, sed in littus, siue in cœlum ipsum oculos desigere, vt periculū submersionis euadat: ita nos non tam ipsos, qui mali sumus, & peccatores, quàm in ipsum Deum totius bonitatis fontem, mētem attollere debemus, atque de illo maiorem concipere spem; quam de nobis turbationem ac metum.

Psal. 41.
Infrà 67.
Matth. 8.

Hinc Dauid, qui dicebat: *Ad me ipsum anima mea conturbata est:* ideo subiungit: *Propterea memor erò tui de terra Iordanis, & Hermonijm, à monte modico.* &, *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Time ergo tu, si sapis, à te ipso; verum diuinæ bonitatis fiducia vince timorem, atque ita communica Christi corpori. Sic enim Ecclesia primò timet, dicens, *Domine non sum dignus*; posteà tamen reuerentet accedit, & confidenter suscipit Sacramentum.

Alg. l. de Sac. Euch. c. 22.
Aug. ep. 118. c. 3. 10. 2.

Audi iam quid Algerius, qui ante quadringentos annos floruit, & librum contra Berengarium edidit de Sacramento Eucharistiæ, de hoc timore scribat: *Sed si tantã,* inquit, *medicinam sumere, vel non sumere, periculum est: quo euademus? Sed ne his angustiis circumuenta humana desperet infirmitas, Augustinus vnicuique sumendi, & non sumendi, propria discretionis relinquit arbitrium: quamuis pro certo à tanta medicina, vel peccati pertinacia, vel ipsius sacramenti negligentia, magnum salutis sit detrimentum. Non est enim sine magno gratiæ priuilegio, quod Deus etiam corporaliter humani corporis, & cordis vti dignatur diuersorio: nec tantum ad hospitandum, vt in templo suo, sed ad incorporandum sibi vt membrum capiti suo. Quid enim ad salutem nobis deerit, cùm ille, qui salus est omnium, nobis vnitus fuerit? Non est ergo desperanda inuicta Dei gratia, quantumcunque hostis fraudem, quantumcunque nostram facultatem attenderimus: quia vel hostis fraude, vel nostro vitio angustiorem Christi gratiam constituimus, si hostem potentiorem ad nocendum, quàm Deum ad liberandum: nos autem habiliores ad labendum, quam ipsum ad stabiliendum crediderimus. Non est ergo metuenda benè operandi necessitas: quibus in Deo tanta ipsius necessitatis est facultas: vt quicquid benè voluerimus, per eum, qui omnia potest, possimus. Vnde beatus Hilarius inchoantibus, & imperfectis condescendens, ne quis de gratia Dei diffidat, consilium dedit, vt qui peccare quieuit, communicare non desinat.* Hæc Algerius: quę profectò mirificè omnes timoris scrupulos adimere videntur, si quis illa attentè inspiciat.

B. Hilar.
VI. arg.

Sextò obijciunt, se in crebra communione actu deuotionem, aut gustum spiritualem, quem aliàs degustauerant, nequaquam persentiscere: infirmosq; se iactant, quod peccatis leuioribus infestentur, ac proinde iure se crebram communionem deserere. Respondemus: Si infirmitas est ad mortem, omnino esse abstinendum; si verò venialis sit culpa, nequaquam. Nam similis esset tunc abstinens, atque infirmus recusans accipere medicinam, nisi prius sanitatem adipiscatur, aut vt frigidus, qui nisi calefactus nollet ad ignem accedere; at sacra communio, medicina est contra venialia, & ignis spiritualis frigus pigritiæ expellens. Quod si fortè tua culpa vehementer mente distraheris; consultum est tunc abstinere: secùs vbi non est nimia distractio, quia sæpè eiusmodi defectum supplet gratia, quæ per Eucharistiam confertur ex opere operato. Quòd verò deuotionē non sentias; non debes legitimum impedimentum existimare. Quia quemadmodum vel ieiunamus, vel precamur, vel eleëmosynas elargimur, vel conscientiam per confessionem exoneramus, vel alia quæcunque bona opera præstamus carne pugnante, & spiritu sępè arido, vt pareamus diuinæ voluntati; ita etiam ad mensam sacram est accedendum, siue frigidi simus, siue calidi, siue sensum deuotionis habeamus, siue nō, modò mortiferi alicuius delicti conscientia nō mordeat: aliàs enim esset Deo nolle seruire, nisi pro mercede priùs enumerata. Quòd si dicas Christum promisisse Spiritum sanctum paracletum omnibus se petētibus, quem te habere non existimas, non propterea tamen debes à sacra mensa abstinere[illegible]per illam mensam fortasse participabis consolationem Paracleti, quam exoptas: satis tibi est quòd ex eo quod priuaris eiusmodi gustu, non rectè colligas, te alienum esse à Dei gratia; vel puritate conscientiæ, quæ necessaria est ad idoneam cōmunionem.

Qualis sacra communio, ab eaq; quādo abstinendum, & non abstinendum

Ad illud: Nescio me habere Spiritum S. tuti? igitur abstineo ab cœlesti pane. Luc. 11.

Septimò ita nos adoriuntur: Per frequētem, inquiunt, ad diuinam mensam accessum nullam sentio vitæ meæ emendationem, aut vitiorum extirpationem, aut virtutum incrementum: inane ergo est, & infructuosum toties accedere. Respondet B. Thomas huic argumento: quòd qui verè in vitæ suæ emendatione non proficit, consultiùs est abstinere, quia signum est, Eucharistiam in huiusmodi nō edere fructus suos, indicatq; illum non satis paratum accessisse. Sed quisq; videat ne seipsum seducat: metiendo ex gustu, & sensibili quadam deuotione, quæ minimè est spectanda; cùm in ea non constat perfectio Christiana, sed in charitatis Dei, & proximi augmento, & in odio peccati, & extirpatione vitiorum: & in huiusmodi soli- VII. arg.

B. Tho.

Christia. perfectio in quo sita sit.

dis virtutibus fructus Eucharistiæ cōsistit, multumq́ue proficit qui hæc in seipso sentit: quemadmodum etiam cibus corporeus etsi insipidus, multum tamen nutrimenti sumentibus præstare dignoscitur.

VIII. argum.

Octauò argumētum ducunt ab his, qui cùm frequenter communicent vt Sacerdotes, nihilominus meliores non sunt laicis rarius cōmunicantibus; imò interdum deteriores existunt; frustrà igitur quis vrgeat ad frequentandam diuinam mensam. Respondemus, hunc abusum tribuendum esse, non ipsi Sacramento, sed culpæ, & malitiæ Sacerdotum, qui re bona malè vtuntur. Nec valet argumentum: quia confert benè abstinentes cum malè communicantibus: sed, vt superiùs admonuimus, benè accedētes rarius, cum benè accedentibus assiduè collatio facienda est, quemadmodum, etiā malè crebrò communicantes, cum his, qui rarò imparati accedunt. Plerique etiam Sacerdotes non intrant per ostium; aut si intrarunt, nō tamen proponunt sibi scopum quem deberent in sacrificando, sed emolumenta temporaria spectant, & quæstum ex pietate faciunt: vt mirum non sit progressus nullos in via Dei facere, qui mysterij celebrationem tanquā artificium aliquod mechanicum ad vitam corporis tuendam referunt.

Sacerdotes sępius communicantes cur interdum laicis non sint meliores.

Ioan. 10.

1. Tim. 6.

IX. argum.

Nonò argumentantur alij, satius esse, ac tutius sine Sacramenti sumptione spiritualiter communicare, quia sine periculo, quod ex propria nostra indignitate plerumque nascitur, communicaret, minus quoque obnoxium est, aut vanæ nostræ gloriæ, aut aliorum calumnijs: & quod ad fructum attinet, eundem effectum parit hæc communio, atque illa Sacramentalis. Respondemus non esse verum, tantundem consequi fructus puram spiritualem communicationem, atque illam, quæ cum Sacramentali est coniuncta: nam ex hac non tantùm gratiam ex opere operantis, sed etiam illam quæ dicitur ex opere operato, siue ex vi Sacramenti, & institutionis Christi, assequimur. Et certè negare non possumus, plus nos permoueri sensibili præsentia Domini intrantis domum cōscientiæ nostræ, quàm pura spirituali communione excitaremur; ac proinde vberior gratiæ portio etiam ex merito, & dispositione operantis nobis respondet. Neque obstat, si obijcias: *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam.* Et, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Hæc enim omnia Sacramentum non excludunt; sed potiùs docent cum spiritu fidei, & dilectionis ad eum accedendum. Nam propterea Verbum ipsum quod spiritus erat, caro factum est, & sub specie panis voluit se nobis edendum exhibere; vt dum visibiliter Deum cognoscimus, & attrectamus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur, & ex carnalibus spirituales efficiamur. Quod etiam exemplis illustrari potest. Nam sicut Christum ipsum, aut vestem eius tangentes, sanitatis gratiam quam exoptabant, accipiebant, & tangentes semicinctia, & sudaria Pauli, noua gratiarum dona impetrabant, quam tamen alij fideles ac deuoti, non tamen tangentes, minimè assequebantur; ita profectò qui corpus CHRISTI in Sacramento positum attingunt, peculiaria gratiarum munera assequuntur, quæ qui ad Sacramentum non accedit, non obtinet.

Spiritualis Christi manducatio cur magis fructuosa quam Sacramentalis sit.

Ioan. 6.

Ibidem.

Ioan. 1. Verbum cur caro factum sit, idemque sub specie panis edendum nobis exhibere voluerit.

Marc. 10.

Act. 19.

Vlt. argum.

Vltimo loco, à propria indignitate, & impræparatione argumentantur, dicentes, seipsos prorsus agnoscere indignos tanto munere, nec in se agnoscere vestem illam nuptialem, quæ necessariò induenda est omnibus, qui ad hoc conuiuium inuitātur. Ad hoc argumentum, tametsi superiùs solutum sit, adhuc tamen respondemus, dignitatem hanc triplici ratione nos posse intelligere. Primò, vt sit naturalis quidam valor, ac pretium sumentis, quomodo nulla creatura, etiam eminentissima, vel ipsa sanctissima Virgo digna hoc Sacramento extitit: quia nulla est finiti ad infinitum proportio. Secundò capitur dignitas pro perfectione virtutum, & donorum, præcipuè verò deuotionis, ac reuerentiæ, vt ille sit in hoc sensu dignus, qui cum quadam virtutum eminentia, magnaque reuerentia, atque feruenti deuotione accedit ad Sacramentum. Hæc autem dignitas ad dignam huius Sacramenti perceptionem non exigitur, nam sæpè in ipsius Sacramenti vsu donatur: & si esset illa omnino necessaria, rarissimi essent qui auderent communicare vel semel in anno, nedum quotidie, vt fiebat in primitiua Ecclesia. Tertiò igitur dignitas accipitur pro dispositione sine vlla diuinę maiestatis offensione: quæ includit præcedentem conscientiæ examinationem, & confessionē, rursus adfert fidem, & desiderium adhærendi Deo, ac reficiendi spiritum suum: hoc qui præstat, satis dignè accedit. Nam Apostolus nihil plus exegit, quàm vt quisq; homo probet seipsum; & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Ex quibus inferimus, neque peccata venialia, neque distractionē mentis, modo insignis illa non existat, nec teporem virtutum, nec imminutionem deuotionis, id est, feruores charitatis, reddere homi-

Matth. 22.

Dignitas quæ ad salutarem Eucharistiæ sumptionem exigitur, triplex est.

1. Cor. 11.

hominem indignum Eucharistiæ accessu: quia plerumque hi omnes defectus supplentur in ipsa Eucharistiæ perceptione, cùm ad illos amouendos sit instituta. Præstat igitur frequenter communicare, quàm rarò, quicquid sit de quibusdam qui in contrarium latrant, & scrupulis ac terroribus homines à ligno vitæ auocant. Nam hæc ab eis, vt suam ignauiam tueantur, confinguntur, ac vt se excusatos reddant. Audi quid Cyrillus Commentarijs in Ioannem dicat: *Sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporum spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ab æterna vita se procul depellere: quippè recusatio huiusmodi, quamuis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit: quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi tactu fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Sed variæ sunt diaboli, multiplicesq; ad decipiendum insidiæ. Nam primum ad viuendum turpiter inducit: deinde, cùm malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Christi gloria persuadet, quæ possent à turpitudine voluptatum, quasi ab ebrietate reuocari. Quare demus operam, oro, vt vinculis eius abruptis, & iugo seruitutis peccatorum excusso, in timore Domino seruiamus. Et vt carnis voluptate per continentiam superata, ad cœlestem gratiam accedamus, corporisque Christi participes efficiamur. Sic enim, sic inquam, diabolum fugabimus, & diuinæ naturæ participes, ad vitam & incorruptibilitatem ascendemus.* Sic Cyrillus.

Cyril. lib. 3. in Ioan. c. 37. tomo 1. initio.

Psalm. 2.

Ad Eucharistiam adhortatio.

Nos igitur ad hanc mensam prompti, & assidui, tanquam ad asylum confugiamus in omnibus tribulationibus nostris. Est enim Eucharistia quasi nauicula quædam, qua mare hoc tētationum tranamus: figurata in pallio Heliæ relicto in testamēto discipulo suo Helisæo, & quo Iordanis vadum tranauit. Hoc enim Sacramento, velut testamento vtimur, quo aduersa omnia, & labores huius vitæ vincamus. De hac dixit Dauid Propheta: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me:* hæc enim mensa magnis expensis à Domino parata est, vt ad eam omnes qui paupertate, & fame premuntur, accurrant. Diciturque in conspectu parata nostro: non solùm quia Christus præsentibus Apostolis illam instituit; sed etiam quia Dominus præsens sub speciebus panis, & vini delitescit, nos ad se inuitans atque alliciens. Diciturque hæc mensa parata aduersus eos qui tribulant nos: in quo hæc mensa est ab illa Principum, Regumque discernitur.

4. Reg. 2. Ioviem. Hel. æ pallium quid denotet.

Psalm. 22. Explicatur sententia Dauidis illa: Parasti in conspectu meo mensam, &c.

Nam illa plerunq; non pro nobis, sed contra nos est, nam eorum splendor, & exposita ferculorum copia, ministrorumq; multitudo, vasorumque ac supellectilis magnificentia nostris fiunt expensis, ac tributis, sæpè etiam inuitati ad Regiam mensam, adeo se ingurgitant, mutuisq; propinationibus certantes inebriant, vt corpori animæque eiusmodi mensa vehementer noceat; at hæc Christi opulentissima ac diuina mensa, soliusque Domini expensis instructa, contra hostes nostros vires, atque arma suppeditat. Valet enim contra carnem nostram rebellem, cùm carnem Christi virgineam contineat. Valet cōtra mundi terrores atque blanditias, vt nec illis cedamus, nec istis submergamur. Valet contra cacodæmones, quibus post communionem, vt testantur B. Ignatius, & Chrysostomus, terribiles, atque formidabiles sumus. Postquam igitur tribulationes assiduè nos premunt, periculaque ab hostibus nostris penè innumera indies nobis imminēt, consultissimum est, vt tanto antidoto muniamur, & panem vitæ degustemus, Iesum Christum Dominum nostrum, qui cū Patre & Spiritu sancto immortali, ac beata vita fruitur in secula seculorum, Amen.

Regum, ac Principum cum Regia, planeque diuina Christi mensa comparatio.

B. Ignat. ep. 14. Chrys. homil. 61 ad populū Ant. tom. 1. et homil 45. in Ioan. tom. 3.

TRACTATVS XLIII.

In quo agitur de fructibus, ac beneficijs, quæ ex auditu Missæ capiuntur: ac de modo fructuosè tanto sacrificio assistendi.

AD absoluendam diuinæ Eucharistiæ doctrinam, finemque illi, quod ad hunc locum attinet, imponendum, quoniam tantum Sacramentum nonnisi in sacro Missæ mysterio peragitur: arbitratus sum non inutile futurum, si pauca quędam de fructibus, quos assistentes Missæ sacrificio percipiunt, ac de ratione salubri illi assistendi, disseruero. Sua igitur præsentia, quam nobis in Eucharistia exhibet Christus, in primis familiares nos reddit sibi, ac illis similis, qui cubiculo regio, aut mensæ eius præficiuntur; nam hæc ministeria honorifica sunt, & magno habentur in pretio; quòd eorum fidei vitam suam Principes committere soleant. Simile profectò beneficium consequuntur, qui vel audiunt, vel vident Missam: nam vtrumque frequenter dici solet, & suam veritatem habet. Auditur enim doctrina, & precationes, quæ in sacrificio celebrando adiunguntur; videtur

I. Vtilitas.

assistere non erubescis; dignabitur & ille, cùm morieris, adesse tuis.

V. vtilitas ab ijs quæ in ea continentur.

Quintò præstat & aliam vtilitatem non vulgarem; ob doctrinam, quam inde possumus haurire. Nam constat in Missa contineri optima quæque Noui, & Veteris Testamenti, excerpta per beatum Gregorium Romanum, flores quoque quatuor Euangelistarum, & Pauli, Psalmorum item, quæ in introitu Missæ præcinuntur, medulla recitatur, sicut in illo: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.* &, *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.* Nihil quippè ardentiùs amamus, quàm bonum nomen, & claram famam in æternum: quod non continget nobis, nisi in alio seculo. Adhæc Missa continet orationes, quas Ecclesia fundit ad Deum, breues quidem illas, sed mysterijs quæ celebrantur, & necessitatibus nostris valdè accommodas, eruditionemque Theologicam spirantes: vt meritò de illis verbum Apostolicum vsurpare valeamus: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Nam huiusmodi orationes magis ab Spiritu sancto, quàm ab hominibus editas esse, exploratum fidelibus debet esse: qui datus est Ecclesiæ in magistrum, & Doctorem.

Psalm. 111.

Rom. 8.

VI. vtilitas.

Sextò, cùm ad Missæ sacrificium fideles omnes confluere quandoque debeant, potissimùm Dominicis ac Festis diebus, magna fit accessio pietatis, & charitatis, dum fideles mutuis exemplis se inuicem iuuant, & iuuantur; ædificant, & ædificantur; atque ea ratione preces eorum acceptiores, ac fortiores ad impetrandum diuinæ munera gratiæ efficiuntur: nam plerumque Deus quod solitarijs postulantibus denegat, coniunctim & concorditer deprecantibus concedit. Frater enim, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: vt vera proinde sit Domini sententia: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.*

Prouerb. 18.

Matth. 18.

VII. vtilitas.

Ad extremum, confert audire Missam, ad bona temporaria obtinenda, vt meritò de illa dici possit: Primum quærite regnum Dei (hoc est, Eucharistiam, per quam regnat Deus in nobis) & hæc omnia adijcientur vobis. Vt enim eleganter habet Prouerbium vulgare: *Neque audiendo Missam, neque equo hordeum præbendo, iactura fit dietæ.* Hinc Basilius dixit, audientem Dei Verbum temporis dispendiũ non facere. Deus enim mirabili sua prouidentia omnia compensat.

Matth. 6.
Per Eucharistiam regnat Deus in nobis

B. Basil.
Audiens Dei verbum, temporis minimè dispendium facit, auctore Basilio.

Agricola fortè ob id quod Missæ interest sacrificio ab infirmitate aliqua liberatur, quæ plures dies illum detineret in lecto: Negotiatori fauet, vt eius merces promptius, & melius vendantur, & ad eum potiùs accurratur, quàm ad alios, qui easdem venales habent, merces. Quod autem dixi, bona fortunæ nobis per hoc sacrificium prouenire: prudenter est intelligendum; si videlicet ad salutem animæ expediant, vel ad sanitatem corporis tuendam sunt necessariæ. Proinde damnandæ veniunt orationes omnes, quæ promittunt certas quasdam indulgentias, & temporalia beneficia, præscriptisque quibusdam orationum numeris, & candelarum, quòd ferro, vel aqua, vel igne, flammave non peribunt, aut quòd ex equo non decident, & similia multa, ridicula sanè, & superstitiosa: quoniam Eucharistia ad hæc præstanda per se instituta non est, nisi quatenus, vt diximus, in salutem animæ cedant.

Quemadmodum bona fortunæ nobis per sacrificium Missæ proueniant. Precãdi quædam formæ damnabiles.

Audisti hactenùs fructus, & vtilitates, quas sacræ auditu Missæ valemus percipere. Dicamus iam de salutari ratione, ac præparatione, quam ex nobis adferre debemus, vt prædictos fructus hauriamus. Multi enim, & magni abusus contingunt, propter quos diuinam iram potiùs conciliamus, quàm gratiam. Missa igitur, si solùm aurium, & oculorum sensu percipiatur, nullum prorsus fructum præstat: quod si ex illis sensibus ad intellectum perueniatur; quia fides ex auditu concipitur, & ex fide procedimus ad amorem Dei, ex hoc autem ad opera bona edenda iuxta Dei beneplacitum peruenimus, fructuosè profectò Missæ assistimus. Quamobrem cùm templum ingrederis, aquaque lustrali te asperseris, debes nuntium mittere curis omnibus seculi huius, ac cum beato Bernardo dicere: *Cogitatus mei, atque curæ hic me expectate donec redeam*; & ita poterit animo, atque mente sacris assistere, imitabiturque Christum, qui ingrediens in templum, eiecit ementes & vendentes, secularíaque negotia in eo pertractantes, dicens: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*, sectabiturque Christum, qui ingrediens ad nuptias cum prudentibus virginibus, clamantes fatuas, & dicentes: *Domine, Domine, aperi nobis*, id est, malas cogitationes, quæ volunt partem habere in nuptijs spiritualibus, expulit, atque eas se ignorare fassus est. Hoc autem vt præstare valeamus, amplam segetem ac materiam ad diuinas contemplationes, atque meditationes assisten-

Idonea & salutaris Missã audiendi ratio traditur.

Rom. 10.

B. Bernard.

Ioan. 2.

Matth. 25.
Quæ sint illę virgines fatuę quinque.

tibus

tibus Missæ sacrificio suppeditare voluit: quo ita sanctè occupati, minus maligni spiritus pateamus insultibus.

Quid in singulis Missæ partibus sit meditãdum.

In generali igitur confessione, quę præmittitur Missæ, recogita seriò, & cum amaritudine animæ tuæ delicta tua, & illorum remissionem per sacrificium, quod ibi est celebrandum, confidenter postula. In introitu Missæ, qui plerunque ex Veteri Testamento, & præsertim ex Psalmorum libro decerpitur, sanctorum Patrum ardens desiderium de Christi Aduentu proponit: Vt, *Mitte Domine, quem missurus es: Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem: Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: Neque irrideant me inimici mei: Etenim vniuersi qui sustinent te, non confundentur*; & alia huiusmodi sexcenta, vt tu Christi aduentum in animum tuum concupiscas. Quædam etiam deseruiunt ad explicandum desiderium secundi aduentus Domini ad iudicandum. Kyrie eleyson dum canitur, nostram magnã miseriam cogitemus; vnde misericordiam nouies petimus, quò quanta sit Dei misericordia nostris delictis curandis necessaria exponere valeamus. Aduentus Sacerdotis ad altare, aduentum Christi in mundum significat. Et quia ipse omnia electorum peccata induit, iuxta illud: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*; ideo ipse exorditur: *Confiteor Deo Patri omnipotenti*: per quod significatur Incarnatio pro nostris expiandis peracta criminibus. Cantio illa, lætitiæ atque gratulationis plenissima, nempè, *Gloria in excelsis Deo.* Natiuitatem, in qua apparuerunt illum hymnum canentes, significat: *Dominus vobiscum*; indicat, Christum à Natiuitate vsque ad Baptismum paucis apparuisse. Precatione, quæ oratione continetur, Christum adumbrat pro peccatis nostris Patrem exorantem, eo præcipuè tempore, quo delituit à Natiuitate ad Baptismum. Epistola quæ legitur, Veteris Testamenti doctrinam, vel præcursoris Baptistæ repræsentat: quæ isagoge quædam, & Catechismus ad Christum fuit. Graduale porrò pœnitentiam declarat; quam populus concipiebat ex Ioãnis Doctrina. Alleluia post Epistolam recitatum, lætitiam interioris hominis de peccatis remissis per pœnitentiam refert: quæ lætitia, teste beato Gregorio, omnes mundi delitias planè superat. Euangelium Christi doctrinam, quam prædicando disseminauit, designat; sicut Fidei symbolum, ipsam Fidem, quam populus ex doctrina Christi audita concepit. Porrò Offertorium, spiritualem Christi oblationem, quam Christus plerumque, dum viueret, Patri faciebat, denotat. Tempus à secretis ad Præfationem, horam illam, qua Christus in Ephrem latitando traxit, quando Iudæi volebant eum interficere, aptè signat. Cantio illa: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, in memoriam reducit Christi triumphum, quem in Dominica palmarum egit insidens asello. Secretum illud silentium ab illo verbo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, vsque ad consecrationem, præparationem, quam Dominus illis quinque diebus ante passionem in Ierusalem fecit, appositè explicat. Consecratio, & Hostiæ eleuatio Christum exaltatum in Cruce nobis proponit. Rursus silentium ab Hostia eleuata; tempus illud repræsentat, quo Christus viuus in Cruce Patrem pro nobis exorauit, dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*: nam illo intermedio tempore illa continetur oratio. Fractio Hostiæ, separationem animæ à corpore exprimit; & pars descendens in calicem, animam descendentem ad inferos, & sanctos Patres liberantem delineat; sicut pars patinæ imposita, corpus Christi sepulturæ mandatum, & corporibus nostris vim, vt resurgant, conferentem, describit. Sacerdos communicans insinuat, cor suum esse Christi sepulturam, ideo parandum esset illi cor mundum, vt linteum, ab omni malitia, & album innocentia. Oratio autem post communionem, lætitiam Christi suscitati indicat. Postremum verbum: *Ite Missa est*, cum benedictione, commemorat Christi ascensionem ad Patrem, in qua Apostolis extendens manus benedixit, & ascendit, vt esset aduocatus noster, & caussas clientorum suorum, qui se, suaque omnia eius fidei committunt, sustineret. Profectò qui in his sanctis ac pijs meditationibus se exerceret, dum sacro mysterio interest, vberem diuinæ gratiæ fructum sibi compararet.

Exod. 4. Psalm 143. Esai. 16. Infra 41. Psalm 24. Esai. 53. Luc. 2. B. Gregor. Ioan. 11. Matth. 20. Luc. 23. Luc. vlt. & Act. 1.

Lætitia ex remissione peccatorum concepta, omnes mundi delitias longè superat, teste Gregorio.

Vitia quæ in auditu Missæ erroresq.

Cauendi autem sunt omnes errores, & abusus, quos plerumque pro humana imbecillitate, & interdum malitia incurrimus. Quidam enim sunt, qui serius accedunt, & plerumque post lectum Euangelium; quidam verò maturius, quàm par sit, è templo discedunt non expectata Sacerdotis benedictione, quod est contra illud preceptum: Caput cum cauda mihi offeretis. Quidam præterea secularibus, & otiosis verbis, alijs negotium facessunt, vt ea, quæ legun-

Leuit. 7.

leguntur in sacrificio, vix possint intelligere. Quidam verò etiam Sacerdoti sacrificanti molesti sunt; dum garritu & cachinnis eius quies, & silentium perturbatur. Quid dicam de illis, qui motu corporis, & gestu irreuerentes se ostendunt, neque caput aperientes, neque genua flectentes tanquàm molles, & delicatuli: quos præstaret domi suæ hærere, quàm sacris cum scandalo fratris interesse. Et hæc omnia, & interdum deteriora ante ipsos Christi summi iudicis oculos perpetrare non verentur; vt videantur æmulari Dominum, & illo esse fortiores, iuxta illud Apostoli: *An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus?* Quanta sit reuerentia, quantoq; cum timore, & tremore coram Deo agendum, docuit Moyses in Exodo: *Non poteris videre faciem meam; non videbit me homo, & viuet.* Et iterum: *Ecce,* inquit, *est locus apud me, & stabis supra petram. Cumq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam: Tollamq; manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quæ fuerunt posteriora Dei, quæ vidit Moyses: quidam explicant, dicentes, faciem esse Diuinam essentiam, quam angelis spectare datum est; posteriora verò, effectum diuinæ sapientiæ, & potentiæ in creaturis. Alij verò probabilius, vt existimo, interpretantur, fuisse incorporationem, siue Incarnationem Filij Dei, quam Fide spectare Moysi datum est, vt consolaretur eum: atque hanc vt dignus esset cernere, positus fuit in foramine petræ, & manu Dei tectus, ne videret faciem; vt intelligas quanta humilitate, & animi submissione sit cum Deo agendum. Proinde increpandi meritò sunt, qui curiosos oculos in Sacerdotem, & Sacramentum conijciunt, nihil non temerè scrutari, & diiudicare volentes: qui temeritatis suæ pœnas condignas dabunt, si tot millia Bethsamitarum ob curiosè spectatam arcam Domini, iusto Dei iudicio perierunt. Vt igitur à Moyse non nisi posteriora Dei visa sunt, ita & à nobis in Eucharistia non nisi posteriora cernuntur, hoc est, species, siue symbola panis, & vini. quare æquum est, vt cum Moyse reuerentem timorem adferamus. Nam quò magis Filius Dei pro nobis se demittere voluit; eò magis decet nos tantam DEI charitatem maiori cum religione, & veneratione complecti. Sed quoniam à Deo hæc proficisci debent; propterea dicitur manu sua texisse foramen, ne Moyses Deum cerneret: sed quo nos magis demittimus, ac venerabundos nos præstamus, eò digniores efficimur, vt manum auferat, qua nos tegebat; qui & posteriora, hoc est, Sacramentum ipsum cernamus, & ore etiam attingamus. Apud Carthusianos ille mos inoleuit; vt post eleuatam hostiam, atque adoratam, omnes se in terram prosternant, prostratique iaceant vsque ad orationem Dominicam: volentes nobis indicare extremam quandam animi deiectionem, ac venerationem nos ad infima quæque, & ad ipsum nihil, ex quo orti sumus, detrudentem, quam tanto numini debemus. Vt propterea acriori debeant oratione à concionatoribus percelli omnes insolentes, qui sui immemores officij, perfricta, & inuerecunda fronte assistere sacrificio non formidant. Sed veniet tempus, cùm serò, & sine fructu suam insolentiam agnoscent, ac deplorabunt, nisi tempestiuè per pœnitentiam resipiscant. Atque hic sit finis huius Tractatus, atque adeo omnium eorum, quæ de Eucharistiæ Sacramento disputanda esse hoc loco operæpretium esse duximus. Faxit igitur Dominus, vt hisce nostris disputationibus fauere pro sua bonitate velit, & lectorum mentes ad Sacramenti huius dogmata purius & sentienda, & profitenda, & ad sinceriorem, & vtiliorem Eucharistiæ vsum illos trahere, atque incendere velit; quatenus magnificè ac præclarè de Dei bonitate sentientes, vnicum Filium Dei amplectamur, & exosculemur Iesum Christũ Dominum nostrum, cui cum Patre, & Spiritu sancto, omnis honor, gloria, & imperium sit, in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 10. — *Exod. 33.* — Quænã fuerint posteriora Dei, quæ Moyses vidit in monte. — Alter sensus cõgruentior. — Quorũdam immodestia insignis arguitur. — *1. Reg. 6.* — Eucharistiæ posteriora quænam sint illa, & quãta facienda Moysis exemplo. — Carthusianorũ aduersus sanctã Eucharistiam humilitas & reuerentia.

TRACTATVS XLIIII.

In illa verba: *Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modò. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus, Domine, quò vadis? Respondit Iesus, &c.* Et habentur Ioan. 13.

Quemadmodum hæc cũ superioribus cohæreant.

POST tam longam de sacra Eucharistia disceptationem, quam propter Hæreticorum improbitatem reprimendam subire necessitate cõpulsi fuimus, cogimur tandem ad exoptatum literæ Ioannis contextũ regredi, & singula quæq; pro more

more nostro planiùs atque suauiùs discutere. Quomodo autem hæc prima verba superioribus coniungantur, obscurum non est inuenire. Cùm enim superioribus verbis fructum suæ mortis prædixisset, iam ipsam mortem sibi imminere declarat: sed adeo appositè, ac dulciter, vt ipsos, quos nō ignorabat morte sua maximè fore contristandos, consolatione perfundere videatur: nonnihil tamen semper discipuli permouebātur, bonorum instar filiorum, qui non tam de magna hęreditate adeunda delectantur, quàm de imminente patris morte doloris intimo sensu afficiuntur. Alloquitur eos igitur dulcissimis verbis, vocans eos filios, imò filiolos, ad indicandum paterni sui erga eos amoris affectum, & fructum mortis eius, ex quo habemus quod filij eius nominemur, & simus: neq; Dominus vnquam tali, ac tanto titulo nisi morte instante suos discipulos compellare dignatus est. Nec contentus est eos filios vocare, nisi etiam eos filiolos nominaret: tum vt teneriorem charitatis suæ dilectionem indicaret, tum vt ipsorum teneram, & infirmam declararet infantiam. Sed & maior cura eis impenditur, vt qui minus sibi cauere possunt, minusque sibi quæ sunt vtilia, prouidere. Nam ex quo Apostoli per Spiritum sanctum cœlitùs in corda ipsorum delapsum confirmati sunt, ac fortes in Domino effecti, nō ampliùs filioli, sed filij sunt: nunc verò quia timidi erant, ac patrē sequi non valebant, meritò filioli vocātur: quam rationem Paulus secutus, Galatas filiolos nominat, quia infirmi in fide, & lacte potius, quàm solido cibo opus habebant.

Domini prudentia, ac sua uitas.

Christus discipulos cur filios seu filiolos nominet.

1. Ioan. 3.

Galatæ etiā cur vocantur à Paulo filioli.
Galat. 4.

Adhuc modicum vobiscum sum. Donec scilicet ille, qui nūc egressus est ad admonēdos Iudæos accepta cohorte, & Pontificum seruis, quod post vnam, vel alterā horam esse poterat, reuertatur. Exinde enim comprehensus, mortiq; adiudicatus, & tandem interemptus, non ampliùs ero vobiscū, corpore, corpore nimirùm mortali, & sub aspectum cadenti; nisi quod ad horam iterū videbo vos, sed in corpore glorioso, & immortali. Sed tunc propriè non conuersabatur ampliùs solito more cū eis: vnde suscitatus Luc. vlt. dixit: *Hæc locutus sum vobis, cū adhuc essem vobiscum:* insinuans se non ampliùs illo modo esse cum eis. Quod propterea dixit Dominus, vt ardentiùs eo fruerentur, dum eum habebāt; & vt diligentius mentibus suis desigerent, quod in discessu suo ad ipsos dicebat: *Quæretis*, inquit, *me; & sicut dixi Iudæis; Quò ego vado, vos non potestis venire.* Contristati enim propter discessum meum, præsentiam meam desiderabitis, &

Quare nunc modicū cum discipulis suis Christus se futurum esse dixerit.

Supra 7.

auxilium in futuris tribulationibus, quæ vobis imminebunt. Quod dixit, non quòd terreat eos, sed vt eos muniat ad futura mala. Vt enim immanis fera, si repentè irruat, nō solùm terret, sed etiā imparatos laniat; perspecta autem, antequam irrumpat, vel nihil, vel parum paratis armatisque hominibus facit incommodi: ita tentationes, si preuideantur, minùs perturbant, hinc Dauid: *Paratus sum*, inquit, *& non sum turbatus.* Atque ex hoc verbo perspice, lector, omnem fidelium vitam, nihil aliud esse in hoc mundo, quàm suspirium, desideriumq; ad Christum perueniendi. Et nota, absolutè Iudæis dixisse: *Quò ego vado, vos non potestis venire:* scilicet quantum est ex vobis, & facultate vestra: Ibat enim Christus ad Patrem, vt terminum in gloria, & ad Passionem, vt viam. Nemo tamen ex suis viribus, vel ad cœlestis Patris felicitatem, vel pro gloria Dei, & pro fratrum salute benè patitur, nisi à Deo concedatur, iuxta verbum Apostoli: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Iudæis igitur incredulis, ac reprobis simpliciter dixerat: *Vos non potestis venire;* Apostolis autem dixit: *Et vobis dico modò;* vt insinuet eos aliquando eius vestigia sectaturos; etsi modò vos propter infirmitatem vestram sequi non possitis. Oportet enim prius vt induamini virtute ex alto. Ad Patrem quidem vado: sed in hoc vos non potestis me sequi, quia nondum aperta est ianua: oportet enim, vt ego vos præcedam, & morte mea aperiam, & dabo vobis meritum, & exemplum patiendi. Atque huic sensui fauet, quod dixit Petro: *Quò ego vado tu non potes me sequi modò, sequeris autem postea:* alij verò sic distinguunt hæc verba: *Et sicut dixi olim Iudæis, Quò ego vado vos non potestis venire: ita etiam idem dico vobis modò:* sed præstantior est prior distinctio. Quòd si obijcias; quomodo ad Apostolos dicit: *Quò ego vado, vos non potestis venire:* & vobis dico modò; Iudæis autem simpliciter: ergo nunquam Iudæi erant gratiam habituri, vel fidem, qua à peccato exirent, frustrà igitur illis post Penthecosten est prædicatum, frustrà igitur illis edita signa. Responderi potest: *Vobis dico modò,* quod Iudæis nō dixi: non quod & illis hoc quoq; dici non potuerit, nam & ipsum paullo antè apud Ioannem insinuauerat, quando dixit: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire.* Et declarando, subiunxit: *Dixi ergo vobis quia non moriemini in peccatis vestris, si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Vbi, sub conditione, comminationes

Simile.

Mala præuisa minus terrent, atque perturbant.
Psalm. 118.

Omnis fidelium vita in hoc mundo nil aliud est, quàm suspirium, desideriumque ad Christū perueniendi.

Ioan. 7. & 8.
Christus vt dixerit Iudæis: Quò ego vado, vos nō potestis venire.

Philip. 1.

Idē quo sensu dixerit Apostolis.

Luc. vlt.

Ioan. 8.

Iudæorum obstinata perfidia.

Quando innotuerit Iudæos sequi posse Christum, & quatenus.

intelli-

intelligendas esse expressit. Erat igitur Iudæis ipsis gratia offerenda, qua Iesum sequi possent, prædicationis & miraculorum beneficium non denegandum, quo nunc tria millia, nunc quinque ad fidem conuersa sunt: nec mirum est plura declarata fuisse Apostolis, quàm Iudæis. Cùm igitur Apostoli post Christum suscitatum Iudæos ad fidem vocauerunt, hoc ipso aperuerũt, eos Christum posse sequi, quodq; eis fieret potestas Christum assequẽdi, vt possent ad salutem peruenire: sed nõ vt essent Apostoli & ministri regni Dei, verùm vt multis in his postponerentur. Multi enim sunt, qui facere, & pati quæ Christus fecit, & passus est, non possunt: sed tamen quia cõfitentur se id debere, illustriorique martyrij spiritu non perfunduntur, & misericordiam implorant, perueniunt ad salutem absq; martyrio. Perpende etiam Iudæorum nomine non venire omnes, qui ex Israël sunt, sed primates, & capita, iuxta illud: *Iam enim cõspirauerant Iudæi, vt si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret*: & discipuli dicuntur cõgrgati in cœnaculum foribus clausis propter metũ Iudæorum: & in hũc sensum fortasse dixit: *Sicut dixit Iudæis, Quò ego vado, vos non potestis venire.* Multis quoq; omni tempore datur vt martyres esse possint, sed renuunt, & postea ampliùs id non cõceditur, licèt aliqui huius delicti in fine pœnitentiam agentes, perueniant ad salutem. Non ergo omnibus datum est esse testes Dei & diuinę bonitatis; sed eis tantùm, quos Deus prædestinauit, vt dixit Petrus in Actis: nec propterea tamen quòd carẽt gratia martyrij, sequitur quòd necessario damnentur.

Act. 2. Infra 4. — *Christi asseclæ qui min⁹ perfecti.* — *Quibus Iudæis Christus dixerit: Quo ego vado vos non potestis venire. Ioan. 11. Infrà.* — *Qui testes Dei tantùm sint. Act. 10.*

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. His verbis Dominus, vel rationẽ reddit, quare illum sequi non possint modò, quasi diceret: Nisi ego pro vobis id peregero, & Spiritum paracletũ misero, quo confirmati omnia in me possitis, nequaquam hoc præstare potestis. Vel sanè explicat q̃d interim nobis faciendum sit, quò præsentem mundi inuidiam declinare, & suo tempore ad Dei gloriam, & ad decertationem pro salute proximi sequi possimus: hoc enim abundè præstat Dei & proximi dilectio, de qua ait: *Mandatum nouum do vobis.* Quo verbo primùm excludit solam hæreticorũ fidem: nam si dilectionem cõiunctam habeat, & plenitudo legis, sit dilectio, profectò iam non solam fidẽ, sed & geminam charitatẽ, & integram diuinæ legis obediẽtiam complecteretur. Deinde eodem verbo mitigat graue, & onerosum legis iugũ, quod innumerabilia præcepta continebat: quæ tamen omnia ad vnũ amoris pręceptũ reducuntur. Porrò dicitur mandatum nouum, non quòd olim non fuerit; sed quòd ab ipso inprimis renouatũ sit. Ibi enim pręcipiebatur: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* hîc verò tradit etiã inimicos esse diligendos, vt exponit Euthym. nam & Iudam sibi necem parantẽ & struentem insidias sustinuit, ac beneficijs affecit. Deinde nouum, quia in Nouo Testamẽto traditum est aliter: Illis enim dicitur, *Diliges amicum tuum sicut te ipsum:* qui modus ac ratio diligendi, iuris est naturæ. Nam, vt inquit Aristot. *Amicabilia quæ sunt ad alios, ex amicabilibus, quæ sunt ad nos ipsos, proficiscuntur.* Nobis autem excellentior diligendi forma præscribitur, vt enarrant Chrys. & Cyril. ait enim: *Sicut dilexi vos.* Nam Christus quodammodò plus nos dilexit, quàm seipsum, qui vt nobis parceret, sibi ipsi non pepercit: quique, vt honorẽ nobis & gloriam cõpararet, gloriæ suæ & honoris iacturã fecit. Mandatũ igitur nouum est, quia maiorib⁹ exemplis cõfirmatur, nempè Dei ipsius, ac Christi, de quo in alio loco idẽ Ioannes testatur: *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Iubemur itaq; proximũ, quod attinet ad vitam eius spiritualem, ita diligere, vt eius dilectioni præponamus nihil: non diuitias, non gloriam, non itam ipsam amabilem. Tertiò dici potest nouũ, ab autore nouo: quid enim magis nouum, quã Deus idem homo cum nouo spiritu, datus ad innouandum interiorem hominẽ nostrum, & ad nouum finem gloriæ Iudæis quãtum ad hoc ignotæ: ad quam, & propter quam bona fortunæ, corporis, atq; animi expetẽda sunt. Postremò nouum; quia semper nouum manet: vbicunq; enim charitatẽ exhibuerimus, semper tamen eiusdem debitores manemus, semperque nouo modo sapit hoc præceptum illis seruantibus.

Quorsũ hęc: Mandatũ nouum do vobis, vt diligatis inuicem. — *His verbis quam excludat Christus fidem. Rom. 13. Act. 1. Iugum legis Mosaicæ cuiusmodi.* — *leniat ac mitiget.* — *Mandatũ dilectionis cur nouum dicatur.* — *Leuit. 19. & Matth. 5. Euthym. in c. 13. Ioan. c. 16.* — *II. ratio.* — *Aristot. lib. 9. Ethic.* — *Quemadmodum Christ⁹ dilexit nos. Chrys. ho. 71. in Ioan. to. 4. Cyril lib. 9. in Ioa. c. 23. to. 1.* — *1. Ioan. 4.* — *Proximũ vti debeamus diligere.* — *III. ratio.* — *IV. ratio.*

Ait igitur: *Sicut dilexi vos*, non carnali & immoderato affectu, quo ita homines diliguntur, vt eorum quoque diligantur errores: non etiam amore, qui cõsistit in verbo, & lingua, non autem opere, & veritate: sed sicut dilexi, id est, seruato rationis ordine personas dilexi, vitia non dissimulaui, dilexi efficaci opere, lauando pedes vestros, proditorem tolerãdo, pro vobis animam, corpus, & sanguinem in cruce, & in Eucharistia offerendo: *Sicut dilexi*, gratis citra vlla vestra merita cùm adhuc inimici essetis. Sicut dilexi, perseuerãter, de quo dixit Ioãnes: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Subdit: *Vt & vos diligatis inuicem.*

Quid est: Sicut dilexi vos. — *Rom. 5.* — *Ioan. 13.*

Cur repetit Dominus, vt & vos diligatis inuicem.

uicem. Hoc replicauit Dominus, siue vt distinguat inter præceptum, & exemplum, vt scilicet diligamus nos inuicem, sicut Christus dilexit nos, tùm ratione præcepti, tùm ratione exempli: hoc est, Pone animã pro fratre, sicut ego, vt bonus pastor posui pro ouibus meis: quòd imitari ad pastores peculiariter spectat. Vel potest esse hic pulcher sensus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Hoc est, diligite inuicem ea ratione, qua ego vos dilexi, nimirùm vt & vos diligatis inuicem: & sic interpretatur Aug. hoc loco. Quisq; ergo ad hoc diligat alios, vt & ipsi dilecti similiter diligant alios. Offensæ semper inter homines occurrunt, etiam cùm offendere nolumus, alios offendimus, vel errando, vel rectè faciendo, cùm tamen ab alijs id nõ credatur: qui dum existimãt nos in ipsos delinquere voluisse, offenduntur. Id nequaquã eueniet, si dilexerimus inuicem, quia charitas operit multitudinẽ peccatorum. Charitas omnia sustinet, facileq; conniuet, atq; cõdonat sibi iniuriam faciẽtibus, quinetiam totã effundit se ipsam, ac sua omnia ad eos, quos diligat.

Supra 10.

Alter sensus.

Aug. hom. 65. in Ioan. to. 9.

Qua vna ratione fieri poterit, vt nullæ sint hominũ offensæ.

1. Petr. 4.

1. Cor. 13.

Veri Christi discipuli vnde dignoscãtur.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Certũ symbolum, ex quo cognosci possunt discipuli Christi, in cuius verba iurârunt, nõ est fides, aut mysteriorum omnium scientia, aut miraculorum operatio, aut aliud quid simile, sed vera & solida cũ Dei, tum proximi dilectio. Nam & Deus suapte natura dilectio, seu charitas est, & præterea omnes amplectitur virtutes dilectio, omnia peccata excludit: quæ plenitudo legis est, & vinculum perfectionis. Perpendenda est nota, qua Dominus suos vult internosci discipulos ab alijs. Nam Iudæi ex circumcisionis signaculo, & fimbrijs palliorum; Ioannis discipuli, ex vitæ austeritate, & rigore ieiuniorum; Pharisæorum discipuli, ex certo vestitus genere, & ceremoniarũ quarundam obseruatione; Philosophorum, ex certa quadam magistri sui opinione agnosci poterant. At Christus mutuæ charitatis signo suos vult agnosci, quòd dilectionem ipse maximè & verbo, & facto docuerit; atque solus eam possit suis largiri sectatoribus. Hac nota distinguuntur filij regni à filijs perditionis: discipuli Christi à discipulis Moysis: quia, teste Aug. breuis differẽtia legis, & Euangelij, est timor, & amor. Hac tessera dignoscitur omnis hæreticus, & schismaticus, vt qui se à fraterna subtrahat dilectiõe & vnitate: & agniti sunt Christi discipuli in primitiua Ecclesia, cùm omnes viderent in eis esse cor vnũ, & animam

Rom. 13.

Coloss. 3.

Rom. 4.

Quo signo Iudæi ab ethnicis discipuli Ioannis ab ijs Pharisæorum & Philosophorum distinguebãtur.

August.

Breuis differentia legis, & Euangelij quæ secũdùm Augustinum

Act. 4.

Tertullia.

vnam, omniaq; eis esse communia. Sic etiam Tertullian. suo seculo testatur agnitos Christi sectatores, explicans in Apologetico Christianorum disciplinam totam in dilectionis exhibitione cõstitisse: ita vt ob eam dicerent de eis ethnici; Vide vt inuicem se diligant, & vt pro alterutro mori sint parati. Præterea testatur, se fratres appellasse, & cœnam frequẽtasse, quæ ἀγάπη, id est, dilectio diceretur, in qua inopes quique iuuarentur. Non igitur veri atq; perfecti Christi discipuli discernuntur, aut signo circuncisionis in carne, aut talaris tunicæ gestatione, aut capitis corona, aut monachali habitu, aut deportatione vestis cruce insignitæ; non ingressu templi, communione Sacramentorum, confessione Fidei, aut Scripturarum frequenti lectione; non ieiunio, oratione, aut eleẽmosyna: quæ nisi à charitate interna proficiscantur, sunt nihil, & possunt ab hypocritis fieri, communiaque sunt probis, & improbis; non distributione omnium facultatum in pauperes; non ipsa morte: Apostoli enim vox est: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meũ ita vt ardeam, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodest:* non denique signorum editione, quæ illustres, & magni Sancti non fecerunt, vt B. Virgo, & Ioannes Baptista, plerique autem reprobi, & pseudoprophetæ ediderunt interdum, vt qui dicunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quòd si orbem ad fidẽ Christi allexerunt miracula; id erat (teste Euthym.) quia dilectio eos qui edebant miracula, præcedebat. In nullo igitur alio signo internosci queunt veri Christi discipuli à falsis, quã cùm charitatis internæ dulcedine pectora credentiũ in vinculo pacis colligantur, & gloriam Dei ac salutem hominum pereuntium sitiunt. Nec in internis tantùm sistit hæc charitas, sed, vt agnosci possint eius cultores, & studiosi in lucem eos educit, vt sua omnia, & se ipsos in proximos communicent, verbumq; ac Sacramentum, precationem, correctionẽ, exemplum, eleẽmosynam, & vitam ipsam pro illis impendere sint parati. *Ego,* inquit Apostolus, *libentissimè impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris.* Hæc vrgebat Paulum, vt omnibus omnia fieret; vt omnes faceret saluos. Hæc ipsa charitas varias illum personas induere cogebat, sed longè diuersas ab illis; quas impurum illum deorum supremum Iouem amor obscœnus induisse compulit. Audi obsecro nũc patris, nunc matris, nunc nutricis, nunc legati,

ἀγάπη qd.

Falsa seu minùs idonea discipulorũ Christi symbola.

1. Cor. 13.

Ioan. 10.

Matth. 8.

Euthym. c. 56 in Ioan.

Verum signũ & certum.

Effectus charitatis in Paulo.

2. Cor. 12.

1. Cor. 9.

Charitas eidem qualem Proteum effecit.

nunc

nunc doctoris, & magistri gentium, nunc omnium serui figuras sibi assumētis voces. Vt pater, dicebat: *Nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nā in Christo Iesu, per Euangelium ego vos genui.* Vt mater, ad Galat. scripsit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* In nutricem se transformabat, cùm diceret: *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Et ad Thessal. *Cùm possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli, sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquā si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis nō solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.* Tanquam legatus, pronuntiabat: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Magistri personam referens, & autoritatem suam sibi vendicās, ad Timoth. scribit: *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, nō mentior) doctor gentium in fide, & veritate.* Serui personā sustinens, dixit: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.* Denique, quod hæc omnia vincit, & charitatem eius eximiam commēdat, anathema fieri à Christo pro fratribus suis exoptabat. Et in alio loco quo suos triumphos, & trophęa enumerat: *Spectaculum,* inquit, *facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus;* &, *Tanquàm purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema adhuc:* quæ vox Græca quisquilias, siue ramenta, & reiectamenta significat. Vides efficaciam diuinæ charitatis in quot, & quā varias formas transformet? Hoc signū Christianæ dilectionis, insignē illum apostatam Iulianum vehemēter cruciabat, vrebatque, quòd sic inuicem amantes, & dilectionem opere comprobantes cerneret Christianos: vnde & studio promouendæ Gentilitatis, hospitales domos erigi constituit, in quibus pauperes, & ægroti ex ethnicis, quemadmodum fieri solet inter Christianos, subleuarentur, fouerenturque, vt Tripartita prodit historia.

1.Cor.4. | Galat.4. | 1.Cor.3. | 1.Thess.2. | 2.Cor.5. | 1.Tim.2. | 1.Cor.9. | Paulinæ excessus charitatis, & amoris aduersus Iudæos. | Rom.9. | 1.Cor.4. | Ibidem. | Peripsema Græcè quid sonet. | Quod maxime Christianorum opus Iulianus apostata ferre nō posset. | Hist. Tripart. lib.6 c.29.

Si igitur dicat quisquam verā dilectionis formam sitam esse in corde, & idcirco nō posse agnosci: Respondemus; Vt arbor omnis à fructu suo dignoscitur, ita & charitas: nam probatio dilectionis, exhibitio est operis, & operatur magna, si adest; si autem operari renuit, charitas non est. Vnde hic nō tam internam dilectionem, quæ delitescit in corde, quàm externos charitatis fructus, quæ sub aspectū cadunt, Dominus requirit, vt signū certum discipulorū Christi. Quod explicauit Ioannes in priori sua Can. *Filioli,* inquit, *mei, nō diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus.* Diligēdi ergo fratres sunt opere, non ficto, aut simulato, sed profectò ex vero, & intimo charitatis affectu. Quare si obijcias, opera amoris externi interdum fingi posse, atq; adeo erogationem bonorum omnium in pauperes, & ipsum mortis supplicium posse sine charitate sustineri, quemadmodū Apostolus docuit: Respondemus, quòd etsi illud verum sit; Deum tamē detegere suos, vt agnoscantur, & fructum in alijs ferāt. Et tandem excellentes, illustresq; Dei serui diu delitescere non possunt, quin boni operum suorum fructus eos prodant. Non secùs atq; arbores, quæ cùm flores, & folia nondum produxerint, inter se domesticæ à syluestribus non distinguuntur: sed vbi ad fructus peruentum est, tunc planè dignoscuntur, & quid quæq; ferat, & quæ sit fructifera, deprehenditur: ita, cùm iusti dignos charitatis fructus edūt, videntes admirātur, & glorificant Patrem, qui in cęlis est, & ad eos audiendos, vel imitandos, omnes qui salutis suæ desiderio tenentur, accurrunt. Quòd si omnes, tam boni, quàm mali, possunt Christi discipulos agnoscere, multò magis ipsimet discipuli seipsos agnoscent, cùm Spiritum, qui ex Deo est, acceperint, vt sciant q̄ à Deo donata sint sibi. Et Aug. *Quales quidem nunc simus, melius nouit Deus, quàm nos ipsi: sed nos melius nouimus, quàm quis alius. Hæc est igitur circuncisio cordis in spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Hæc est illa confessio, quæ ore (linguæ vel operum) fit ad salutem: quia nemo secreta conscientia cōtentus esse debet. Etsi enim ad tempus quis possit esse occultus discipulus, vt Nicodemus, & Ioseph ab Arimathæa: sed non semper, quia non licet semper esse infirmos. Cùm autem hoc signo apertissimo nos Christus à cæteris gentibus discreuerit, cùm ipsis ethnicis, & Iudæis non sit ignota, cùm hanc doctrinam vel legerint, vel audierint: nomen tamen sacrosanctum Iesu Christi apud eos propter nos malè audit, cùm intelligant quàm lōgè absint qui Christi nomen profitentur, ab hoc charitatis symbolo, quod Christus exigit: & cōspiciant Christianos Principes cum eisdem regionis Principibus pugnare, regna cum regnis, ciuitates cum ciuitatibus, familias cū familijs seditiosè iugibus bellis confligtare. Vt omittam, hæreticos cum hæreticis, hæreticos cum Catholicis, Catholicos cum Catholicis, Doctores in omni ferè facultate cū Doctoribus, religiosos cum religiosis, nobiles cum plebeijs, optimates cū popularibus, candidam cū cruce rubea decertare, ac inter se bella ex bellis serere.*

Cùm vera dilectionis forma in corde sita sit, qua ratione possit agnosci. | Matth.7. | 1.Ioan.3. | Diligēdi fratres opere, & charitate, vt ait Dilectus. | 1.Cor.13. | Iusti bonæ arbori quàm similes. | Matth.5. | 1.Cor.2. | Augustinus. | Rom.2. | Infra 10. | Ioan.19. | Defectus charitatis Christianorum inter se notatur. | Rom.2.

Dicit ei Simon Petrus, Domine, quo vadis? Respondit Iesus, Quò ego vado, nō potes me modò sequi, sequēris autem postea. Hæc Petrus, tum suo,

Quare Petrus inquit, Domine quo vadis.

suo,tum cæterorum nomine, vt existimat Cyril.proposuit, vel saltem proprio nomine, quia molestè ferebat quòd negaretur ei Dominum sequēdi facultas, quasi aliud sentiret in corde suo: hinc interrogat, Domine, quo vadis, vt non liceat te consequi, & quæ est hæc via, quā ego metiri non possum? Cui Dominus blandè respōdens, dixit: *Quò ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea.* Via enim crucis non potest sine charitate ingenti, & Spiritu sancto peragi, quam tu modò ob imperfectā virtutem tuam assequi non vales: at si ego prior congrediar cum morte, & eam per resurrectionem euincam, diffusáque fuerit charitas per Spiritum sanctū in corde tuo, iam mortuam superare poteris. Ac vt leonem viuentem horrent omnes, vt ait Magnus Athanasius, sed mortuū omnes pueri atque puellæ pedibus conculcant: ad eum modum mortem meo fractam atq; debilitatam congressu facilè superabis. Pulchrè autem hoc verborum ænigmate, Sequêris autem postea, allusit Dominus ad mortem Petri, qui per crucis supplicium Christum est consectatus: quemadmodum in alio loco Dominus ei dixit: *Sequere me*, & explicans sequelam, adiecit: *Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.*

Cyril.lib.9 in Ioan.c.21 & 26.tom.1.

Christus per suam resurrectionē, qualē nobis mortē reddiderit, secundùm Athanasium.

Athan.lib. de human. Verb. & c. circa medium.tom 1.

Christum Petrus quomodo secut⁹ sit.

Ioan. 21.

Dicit ei Petrus, Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Intellexit Petrus per sequelam mortem esse accipiendam. Et magna promittit, seipsum, & modicas vires suas, & mortis vim, ac tyrannidem ignorans, ac vt dici solet, dulce bellum inexpertis, quasi diceret; Quidni ego electus in Apostolum, & primum quidē, qui gustaui trāsfigurationis dulcedinē in monte Thabor, & multa nomine tuo edidi miracula, dæmonia eieci, totq; ac tam insignibus beneficijs affectus fui, te consequi non valeam? Certè ex charitate animā pro inimicis ponere, nemo sine Spiritu Dei valeat, si nec dicere sine Spiritu sancto Dominus Iesus quis potest. Ne quid tamen dissimulare videar, potest quis factionis suæ studiosos pro ea aduersus contrariam, mortē oppetere dimicādo: vt interdum videmus factiosos vnius nationis, siue vnius familię cōtra alteram nationem, aut familiam decertare, aut vitam in discrimē objicere. Sed hoc cū ex charitatis non proficiscatur fonte, sed potiùs ex secta, obstinataque opinione, quam plerunque dæmon suggerit, non est Christum imitari, sed diabolum.

Petri confidentia, & audacia Christi sequelam atque adeo mortē pro eo temerè promittentis.

Matth. 17.

1.Cor 12.

Quis pro alio mortē oppetens, non Christum tamen, sed potius Satanam imitetur.

Respondit ei Iesus, Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges. Reprehendit Dominus in Petro tantam de viribus suis cōfidentiam, vt modestius de se sentiret, vel saltem postquam lapsus fuisset, & errorem prædictum à Domino agnouisset, submissius se in futurum gereret, & Dominum omnium præscium intelligeret fuisse: *Animam*, inquit, *pro me pones?* quasi dicat, Non est ea vis amoris tui erga me, quam tu putas, & quam meritò esse præstandam fateris: sed cùm periculum imminens videbis, intelliges qui vir sis, & non solùm animā pro me tuam ponere nō poteris, sed nec etiā verba, & fidei confessionē. Neq; videtur ficto corde Petrus locutus, sed confidenti, aut potiùs audaci. Nā dixit: *Quò vadis*, &c. *Animā meam pro te ponam.* Ne mihi parcas, id est, te sequar, quocunq; pergas: putabatque sibi se plus notum esse, quàm Domino. Timeamus ergo nos, qui vel fictè, vel superbè iactare constantiam solemus, & mentimur nobis ipsis. Audi Dauidem: *Iniquitas calcanei mei circundabit me:* nā vt in ingressu nostro calcaneo nitimur ad ambulandum, ita ad præclara opera constanter edenda proprijs viribus plerunque fidimus, & multum nobis arrogamus; quæ est iniquitas calcanei nostri, de qua subdit idem Propheta: *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriātur.* Machabæi quamprimùm à Domini confidentia declinantes, cum Romanis & Spartiatis societatem inijssent, & quodam modò alijs, prçterquam Deo fidere cœpissent, confestim fuerunt extincti.

Cur eam Petri Christus audaciam, & confidētiam reprehendit, ac compescuit.

Psalm. 48.

Quid est illud Dauidis: Iniquitas calcanei mei circūdabit me.

1.Mach 14.

Quando primum fratres Machabæi in bello cecide-rint.

Nec obstat his verbis, Dominum apud Marcum dicere: *Tu hodie in hac nocte, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Hanc dissonantiam conciliat Caietanus, asserens primò Christum sic dixisse, vt Marcus habet, qui quidē sermo mitior est, ac blandior; postea autem, cùm ille adhuc vires iactaret, quod grauius & peius est, Christum comminatum fuisse, vt tres Euangelistæ dicunt: *Antequam gallus cantet, ter me negabis:* quasi antè primum galli cantum ter negauerit, postea verò pluries. Sed profectò hoc esset falsam reddere Domini prophetiam, quam Marcus recitat, & impletam ad literam demonstrat. Deinde, non bis cantasset gallus iuxta hunc sensum, sed saltem ter, semel in domo Annæ, vt ponitur à Ioanne, & bis in domo Caiphæ, vt scribit Marcus. Tertiò, quod aiunt Lucas, & Ioannes, Ter me negabis, dictum est antequam à cœna exirent in montem Oliuarum: quòd verò Marcus (ad cuius sensum reducēdus est Matthæus, quia explicatius locutus est) dixit; certè post exitum in montem Oliuarum dictū est. Non ergo asseri potest, verbum apud Mar-

Marc 14.

Vt Ioannes cum Marco cōueniant, cū ait: Non cantabit Gallus, donec ter me neges.

Caietanus.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Ioan. 14.

Marcum præcedere quod alij simpliciter referunt: Antequàm gallus cantet, ter me negabis.

Altera solutio, vera omnium, & solida.

Dicendum igitur est, Christum Dominum, cùm inquit: Priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus, hoc significasse; non præteribit hora gallicinij, vel non perficiet gallus cantum suum, quin prius me deneges. Nam hora sua gallus bis, ter, vel quater canit, & pluries in diuersis horis, vt aiunt Chrysosto. & Euthymius. Et quia hoc videri poterat obscuriùs dictum; ideo Ioannes ait, non cantabit, id est, non perficiet cantum suum. Marcus verò Petri discipulus, & ab eo eruditus, hæc nosse peculiariùs potuit. Hinc Chrysostomus: *Valdè ista certè vera, & sibi ipsis conuenientia sunt. Nam quoniam in vna vice ter, & quater gallus cantare assueuit; significare voluit Marcus, quia nec voce quidem galli in memoriam adductus est, nec se à negatione retinuit.* Augustinus verò libro de Consensu Euangelistarum, ita hunc nodum dissoluit: *Nec sic absurde*, inquit, *atq; mendaciter ante galli cantum ter negasse diceretur, quanto ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui eam posset vsque ad tertiam negationem perducere. Multò minus igitur mouere debet, quia trina negatio etiam trinis negantis vocibus ante galli cantum cœpta, etsi non ante primum galli cantum peracta est.* Sic ille. Et ibidē differens quoties hęc verba dixerit Dominus ad Petrum, eo posito quòd Ioannes & Lucas narrant hæc verba dicta, antequàm Iesus egressus esset in montem Oliuarum, & Marcus, & Matthæus post egressum eius enarrant illa: subiungit egregiè Augustinus: *Sed facilè possemus intelligere, aut illos duos* (nempè Matthęum, & Marcum) *ea recapitulando posuisse, aut istos* (hoc est, Ioannem, & Lucam) *præoccupando: nisi magis moueret, quòd tam diuersa, nec tantùm verba, sed etiam sententias Domini præmittunt, quibus permotus Petrus illam præsumptionem proferret, vel cum Domino, vel pro Domino moriendi: vt magis cogant intelligi ter eum expressisse præsumptionem suam diuersis locis sermonis Christi, & ter illi à Domino responsum, quòd eum esset ante galli cantum ter negaturus. Neque enim incredibile est, aliquantum disiunctus interuallis temporis Petrum commotum esse ad præsumendum; sicut ad negandum; vel et Dominum aliquid ter similiter respondisse.* Hucusque beatus ille Pater. Iuxta cuius sententiam semel illi dictum fuit, vt hic narrat Ioānes: iterum iuxta Lucā ante egressum de cœnaculo: tertiò postquàm egressus est, secundùm Matthæum, & Marcum.

Chrysost. ho. 80. in Matt. Euthym. cap. 64. in Matt.

Marcus Petri discipulus dicit ab eo, quod scripsit.

Aug. lib. 3. de consen. Euangelist. ca. 20. tom. 4.

Augustini solutio.

IV. resolutio.

Sunt tamen qui aliam rationem Euangelistas redigendi in vnam tantùm prædictionem Christi, vt commodam, & plausibiliorem, excogitārunt. Aiunt enim, morem Euangelistarum esse, frequenter cùm vnum, & idem sunt narraturi, diuersa occasione ad eius peruenire narrationem; diuersam tamen hanc narrationē redigi posse facilè in vnam, si quæ ab vno sunt prætermissa, ex alijs addantur, & inferātur dictis elterius. Nam si, secundùm Augustini sententiam, Dominus Petro ante exitum de domo prædixit negationem semel, vt est apud Ioannem, & secundò, vt est apud Lucam: intolerabilis planè esset Petri arrogantia, qui post tertiam illam negationis prædictionem, quæ est apud Matthæum, & Marcum, & creditur facta post exitum, ausus est adhuc dicere: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ideo verisimilius videtur, Matthæum & Marcum recapitulando narrasse prædictā Petri negationem in domo, vt Ioannes, & Lucas ostendunt. Atque hæc videtur plausibilior sententia, siue morem Euangelistarum, siue Petri erga Dominum reuerentiam spectes: quam & Ammonius Alexandrinus secutus est. Prior tamen Augustini solutio mihi magis arridet: tum quia facilitate alteri præstat; tum quia Petrus suapte natura obliuiosus erat, vt superiùs diximus, tum deniq; quia apertè Matthæus ait: *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliuarum*, & tunc prædixit illis scandalum omnium, & Petri negationem.

ab Euangelistarum more desumpta.

Aug. ibidem.

Luc. 22.

Matt. 26.

Ammonius Alexan.

Prior Augustini solutio alteri eiusdē cur præstat.

Matt. 26.

Falsum porrò est, & à veritate alienum, asserere, septies, vel quinquies negasse, vt ita dicatur ter negasse: tum quia nouū est, & Petro iniurium; tum quia sermo Propheticus numerū aliquem præfiniens præcisè est intelligendus, vt minui, augerive nequaquàm debeat; tum deniq; quia quilibet Euangelista nonnisi tres negationes colligit, & in illis ostendit verbum Domini impletum, & negare Christum ter, est, negare se nosse Christum, vt ait Lucas, & Marcus.

Petrum ter tantùm non autē (vt quidam opinantur) quinquies, septies ve Dominū negasse.

Matt. 14. Luc. 22.

Petrus autem ter videtur peccasse: primò, quòd Christo, & Prophetię, quā adduxit, nēpè illi: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*, fidem non habuit. Deinde, quia seipsum alijs Apostolis prætulit. Postremò, quòd suis, & nō diuinis nixus fuit viribus; vt propterea dignus fuerit qui prę cæteris à Domino cadere permitteretur. Nec tam Petri temeritas fuit, iuxta Hieronymum, quàm ardens erga Dominum affectus, audens antequàm haberet pennas volare: sed corporis corruptione aggrauata est anima, & oblitus promissionis suæ Do-

Petri triplex peccatum dicentis, Quare nō possum te modò sequi, & quæ sequuntur.

Zachar 13. Matt. 26.

Hieron lib. 4 in Mat. c. 26. post medium, tom. 9.

Sap.9.
B Petr⁹ suopte ingenio valdè erat obliuiosus.
B.Brigit. lib 4. reuelat. c.5 & lib.5. inter rogat.13.
Petri lapsus in negatione Domini qd doceat.
Eccles.2.
Philip.2.

minū denegauit. Erat enim Petrus suapte natura valde obliuiosus (vt paullò antè dixit) vt beata Brigitta testatur. Nihil ergo, si sapimus, viribus nostris tribuamus; sed accedentes ad Dei seruitutem, stemus in iustitia, & in timore, & præparemus animas nostras ad tentationem: & beati illi, qui cū metu, & tremore salutē suam operantur. Istis enim de Dei bonitate, & misericordia tantùm fidentibus Dominus opitulatur, & adest eis ille, qui omnia potest Iesus Christus Dominus noster, cui cum Patre, & Spiritu sancto detur omnis honor, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS XLV.

In illa verba: ***Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis, Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit?*** &c. Luc.22.

Ordinis ratio.

PRÆTER ablutionem pedum, ac diuini Sacramenti institutionem, quædam peculiariter illa nocte Apostolis acciderunt, quæ Lucas recenset, quæ procul-dubiò cēsenda sunt præcessisse sermonem illum in cœna habitum, quem Ioannes à principio capitis 14. ad 18. caput describit: quæ & nos propterea paucis tractatib⁹ absoluemus. Primum igitur perpendendum hanc Apostolorum contentionem, de qua solus Lucas meminit, diuersam esse ab ea, quam Marcus & Matthæus de filijs Zebedæi affectantibus primas sedes in Regno Christi, describūt. Rursus & diuersa est ab alia contentione priori; cuius meminerunt Marcus, Matthæus, & Lucas in aliis locis quæ ex occasione soluti didrachmatis pro Christo, & Petro fuit suborta: quas distinctas fuisse, Lucas, qui vtramque describit, ostendit, præter temporis differentiam, atque loci. Nam prior in Capharnaum longè ante passionem, hæc verò Ierosolymis, postquàm cœnauit, iturus ad mortē. Profert se autem abyssus ingens indiciorum Dei: quòd videlicet Apostoli cùm essent viles, & contempti piscatores, etiam post trienniū doctrinæ Christi super omnia humilitatem commendantes, atque eodem

Hanc cōtentionem Luc. 22. diuersam esse ab illa, quā Matth. Marcusq; cō memorant.
Marc.10.
Matt.20.
Marc.9.
Matt.18.
Luc.9.
Matt17.

Discipulorū Christi inexcusabilis de primatu contentio.

loco, vbi facto pedes eorum lauando, illam ipsam mentibus eorum conatus erat imprimere, & aliàs sæpiùs fuerant de illa temeritate correpti, tamē imminente Christi morte, & animis illorum propter proditorem conturbatis, adhuc de primatu auderent contendere. Etsi autem Euangelistæ non exprimant, vnde nā hæc contentio orta fuerit: probabile tamen est, cos audita morte, & sepultura, cuius meminerat, factum mulieris vnctricis laudando, & ex eo quod dixerat: *Nō bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat;* & quòd peculiari quodam fauore Ioannem prosequeretur, quem etiam in illa ipsa cœna ad recubitum in sinum suum admiserat: & cùm audissent proditorem vnum futurum ex duodecim; cumque principatu in cæteros potiri tentaturum: probabile, inquam, est, in eam cogitationem venisse, eos, cùm iam de Domino actum esse putarent, de capite, quòd in locum Christi succederet, inter se agitare cœpisse; atque inde fuerit orta contentio. Et vtcumque hoc se habeat, certè contentio philautiæ propriè est symbolum. Hinc frater Domini: *Vnde bella, & lites in vobis? Nónne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Testaturque amorem excellentiæ, ac dominationis super alios, qui sanè affectus ab ambitione non discernitur. Hic autem in Apostolis ante Spiritus sancti aduentum extinctus non erat, vt in eos conuenire Apostoli ad Corinth. posset dictum: *Cùm sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Quod vero instante Christi morte de primatu certant; ostendit, quòd imminente morte Papæ, vel Episcopi, vel Generalis Præpositi, contentio oriri solet inter Cardinales, inter Canonicos, & alios Præpositos, atque monachos, quis cæteris sit præponendus? Et si lotionem pedum (vt non est improbabile) præcessit contentio, & hæc essent à Luca per recapitulationē dicta: optimè humili illo facto ablutionis, & duobus exemplis, quæ modò adducit, contentionem dictam reprimere conatus esset. Si verò huiusmodi lotionem subsecuta est contentio, quod magis probamus; egregiè ostéditur quā sit mens humana stupida, & immemor diuinæ doctrinæ, etiam dum traditur. Mirabilisq; fuit contentio, cùm Dominus ablutione pedum, & tali cibo æquales omnes fecisset: quid enim plus altero alter habebat, qui in corpore Christi, & sanguine erant pares.

Ait igitur: *Facta est autem contentio inter eos.* Expende verbum *Inter eos:* quia si à

Ioan.13.
Matt.18.
Infrà 20.

Vnde nam hæc Discipulorum fit orta contentio.
Infrà 26.
Luc.22.
Ioan.13.
Ibidem.
Matth.20.

Philautiæ propriè quid.
Iacob.4.

Quoad philautiæ vitio Apostoli laborauerunt.
1.Cor.3.

Quod Apostoli instante Christi morte de primatu certāt, quid significet.

Ioan.13.

Quā sit immemor humana mens doctrinæ Christi dum traditur.

Domi-

Domino quæsiuissent, iuste agere viderentur; nunc autem cùm inter eos fieret, ostendunt, eos nō facilè sibi cessuros esse. Est autem propriè contentio, iurgium verborū, quod ad victoriam refertur: vnde & Græcè dicitur, φιλονεικία, vitium planè commune, & in Scripturis reprobatum. *Honor est*, inquit, *homini, qui separat se à cōtentionibus*: & Apostolus; *Si quis videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus*. Et Gregorius in Homilia quadam: *Ego puto, salua fide, melius esse, alieno intellectui cedere, quàm contentionibus deseruire.*

Contentio propriè quid sit. φιλονεικία Græce quid. Prou. 20. 2. Cor. 11. B. Gregor.

Quis eorum videretur esse maior. Id est, aptior, & magis idoneus: ponūt enim meliori dandum principatum: quemadmodum Christus dixit Petro, *Diliges me plus his? Pasce agnos meos*: Et Alexander Magnus rogatus morti proximus, cuinam relinquere tantū principatum. Ei respōdit, qui sit optimus. Nec hæc cōtentio scripta est, vt nos eorum exemplo nimium de nobis polliceamur, & pro primatu contendamus; sed vt illorum vulneribus nostra sanentur; & ambitionem fugere doceamur, quæ occultum, & delitescens est virus, & spiritales etiam viros vix fugit, & quod in Apostolis sibi charissimis, & amicissimis seuerè obiurgauit.

Cui dandus principatus. Ioan. vlt. Q. Curt. li. 10.

Cur hæc Apostolorum inter se, quis eorū maior esset futurus in regno cœlorum fuerit scripta contentio.

Dixit autem eis, Reges Gentium dominantur eorum. Proponit exemplum Gētilium, quos Iudæi abominantur: ne similes illis, vt in peccatis, ita & in supplicijs fierent. Et quod dicitur, *Eorum*, earum loco ponitur: qa hæc collectiua nomina vtrumq; genus amplectuntur. & quo & alibi dicitur, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*; pro *eas*. Et quod ait, *Dominantur eorum*, Græca est phrasis, quā secutus est interpres etiam in alijs locis, vt cùm dicitur: *Et dominabuntur eorum iusti in matutino*, &, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*; & alibi, *Ipse dominabitur Gentium*; &, *Omnium inimicorum suorum dominabitur*. Ita enim dicitur, κυριεύουσιν αὐτῶν, cùm tamen iuxta Latinam phrasim, Dandi casus respondere debere, verbo dominandi.

Cur Christ. Discipulos, ethnicæ dominationis ab exemplo deterreat. Matt. vlt. Græcismus. Psalm. 48. Psalm. 18. Psalm. 21. Psal. 9.

Illud hoc loco diligenter annotandum est, præfecturam vnius pastoris super gregem, qui est Ecclesia militans, nō esse propriè dicendam dominationem, aut dominandi potestatem, sed primatum: est enim dominatio propriè in seruos, vel in inferiora nobis animalia. *Dominamini*, inquit, *piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animātibus, quæ mouentur super terram.* Omnes autem nos sumus fratres in Christo. Sed primatus eius inter fratres est: cùm enim omnes filij Iacob fratres esse, tamen ipse eorum pater quid primogenito suo deberetur (nisi per peccatum à iure hæreditario excidisset) ostēdit, dicens: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* Santes Pagninus vertit, excellens dignitate id est, in quo honor meus, & fortitudo potestatis potissimùm præstare debebat. Et in hæc verba libro quæstionum Hebraicarum, *Primogenito tradit regnū, & Sacerdotium esse obuenturum, si nō peccasset in patrem: Ita præpositi sunt Moyses, & Aaron cæteris fratribus, & signo virgæ germinantis à Deo comprobata eorum præfectura: & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum contra Domini præceptum.* Ideo Petrus apud Matthæum dicitur primus, & hoc loco maior, & Dux, siue ἡγούμενος, id est, qui præest, & exemplo vitæ cæteris prælucet. Apud eundem Matthæum habetur: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Et apud Lucam: *Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam*, &c. Constitui super familiam, est, inter seruos fieri primatem. Idcirco à Cypriano primatus Petri dicitur eius præfectura, & à multis alijs Patribus. Inter quos Ambrosius in 12. caput posterioris ad Corinth. *Prior secutus est Andreas Saluatorem, quàm Petrus; & tamē primatum non accepit Andreas, sed Petrus.*

An Præfectura vnius pastoris super gregem, qui est Ecclesia, dominatio propriè censenda sit, nec ne. Dominatio in quos propriè sit. Gen. 1. Matth. 23.

Inter fratres etiam inueniri primatū, & cui debeatur. Gen. 49. Santes Pagninus. Hieron. lib. quæst. Hebraic. super Genes. prope finem, tom. 3. Num. 17. Suprà 16. Matt. 10. Infrà 20. ἡγούμενος Græcè quid. Luc. 12. Constitui super familiam quid. Cypria. lib. de vnitate Ecclesiæ, vel de simplicitate prælat. & in Epistola ad Quintium. Ambros. to. 5.

Iam sensus verborum est: O mihi charissimi, satis intēpestiuè pro regno, & principatu contenditis: nec is nunc est rerum status, vt penes Iudæos principatus sit, vel regnum; cùm constet, Gentiles etiam à Iudaica gente, & religione alienos, etiā super Iudæos dominium tenere. Nec tamē ob id abominandi, vel execrandi sunt: nam finis regnādi est velle dominari tantùm, & nulla ratione seruire; hominesque ratione, & virtute præditos odio habent, vt notat Sallustius in Catilinario, & ab eorū moribus, & dictis timent.

Matth. 4. & Ioan. 1. Quid est: Reges Gentium dominantur eorum, & reliq. Finis dominandi quis. Salustius.

Et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Id est, cum austeritate imperant eis, & cum potentia, & subditos etiam probos, & moratos pro seruis habent, ita vt se eis debere nihil putent: & tamen benefici vocari volunt, hoc est, benemeriti de republica, liberales, patres patriæ, clementissimi, gratiosissimi, seruatores: cùm tamen multa reddere ipso diuino, & naturæ iure teneantur, quæ ipsi tamen volunt dona sua dici. Conferūt enim magistratus in diuersos, ac si beneficium aliquod largirentur: cùm potiùs accipere deberent beneficium ab eo, qui pro eis magistratū gereret. Et ita nomen gloriosum benefici, ac liberalis affectāt, cùm vix debitū reddant;

Quid significet, Et qui potestatē habent inter eos, benefici vocantur. Ezech. 34.

& ita principatum ordinant ad alios inferiores quasi seruos opprimẽdos. Hinc Græca habet litera, εὐεργέται καλοῦνται Quare Ptolemæus quidã, qui tertio loco regnauit in Ægypto, à beneficentia dictus est Ptolemæus Euergetes, de quo Iesus filius Sirach in Prœmio libri Ecclesiastici inscripti meminit. Simile sortitus est cognomentum Euergetes alter Ptolemæus, qui septimo loco regnauit propimè post Ptolemæum Philometoram. Est enim nomẽ dignitatis, & potestatis. Est namq; magistratus munus præsidere, & præsidendo benefacere: tueri scilicet innoxios, & noxios coercere, atque punire. Hinc Aristoteles libro 3. Politico. *Quarta species*, inquit, *regni est, quales erant heroicis temporibus spontanea, secundum morem, & legem. Propter beneficia enim à patribus collata in populos, vel per artes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum, vel propter acquisitionem regionis delatũ eis fuit regnum de populorum volũtate, & successoribus. Id erat secundum morem: hi & imperium habebant belli, & rei diuinæ cultum exercebant, nisi talia essent sacrificia, quæ Sacerdotium requirerent, & præterea de controuersiis iudicabant.* Sic ille, describens nomen Euergetis, & ob quæ officia in populum spontè conferrentur principatus, & ob illa dicebantur ab initio Euergetæ: posteà tamen officijs illis sublatis remansit titulus honorificus nudus, qui in Syriaco Euangelio dicitur שבא *Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor.*

Ptolemæus Ægypti rex cur dictus Euergetes.

Magistratus partes.

Arist. lib. 3. Politic. c. 10.

Loquitur de principatu tam Ecclesiastico, quàm seculari Christianorum, vt interpretatur Autor operis impfecti in Matthæum: quamuis magis propriè de Ecclesiastico: Vos ergo non sic, sed quo quisque in altiorem gradũ euehitur; eò submissiùs se debet gerere, secundùm illud: *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Vos autem ministri regni Dei, & qui Principes declarati inter vos fuerint, alijs seruiant, non dominentur. Vnde Summus Minister, & Vicarius Christi, se appellat seruum seruorum Dei: & de Apostolis, atque Episcopis in eorum locum subrogatis, Paulus ait: *Sic nos æstimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* & Petrus ad Presbyteros ait: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidẽntes non coacte, sed spontanee, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neq; vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Intelligant ergo tales, quò sublimiorem gradum obtinent, eò plus sibi esse seruiendum. Nam omni, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerũt multum, plus petent ab eo. Non etiam sic expetatis vocari benefici, sed accipere vos potiùs beneficium, cùm tribuitis, significetis: quia nihil ex vobis, sed ex virtute, quam administrat Deus, habetis. Quid enim habes quod nõ accepisti? Inter bonos ergo, & occultè malos versari debent pastores tãquàm fratres, & ministri nostri: at verò cum apertè peccamus, potestatem habẽt retinendi peccata, & excommunicationis gladio percellendi, quo in gloriam Dei, & beneficium nostrum vtatur. Vnde Paulus Magum bis ei obsistentem excæcauit, & Corinthijs ait; *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* & ad Thessalonicenses: *Corripite inquietos.*

Quibus præcipuè dicatur: vt qui maiores sunt, fiant sicut minores.

Autor oper. imperfect in Matt ho. 35. sub fin. to. 2. oper. Diui Chrysost.

Eccles. 32.

Seruus seruorũ Dei quis.

1. Cor. 4.

1. Petr. 5.

Præpositorum Ecclesiæ Christi quo

maior obligatio.

Luc. 12.

Iidem quales benefici esse, & vocari debeant.

1. Petr. 4.

1. Cor. 4.

Quos inter versari pastores ouiũ Christi debeãt, deque eorũ potestate.

Matth 18. & Ioan. 20.

Act. 13.

1. Cor 4.

1. Thess 4.

Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator. Ex his verbis Lutherus, ac eius discipulus Terranigra (Philippũ dico Melanchthonem) eliciunt, Romanum Pontificem nullam habere autoritatem super Principes laicos, aut super alios Episcopos; & omnem iurisdictionem in alios his verbis omninò damnari. Sed falsum est, & perniciosum dogma: alioqui Ecclesia esset Babel, & ordinis omnis prorsus expers, illaque minimè diceretur terribilis, sicut castrorum acies ordinata. Sensus ergo germanus verborum Christi talis est, Regnum Christi videlicet, & Ecclesiæ, non esse, vt Gentium regnũ, cuius finis est gloria, & temporale commodum, vsus verò potestatis superbus, & vanus. At Regni Ecclesiæ finis, gloria Christi est, & animarum salus, vsus verò humilis, & plenus suauitatis, modestiæ, & charitatis. Hinc cùm ad virgam est veniendũ, lugent, & humiliantur: nam gloria eorum est, non tam malos punire, quàm ex malis bonos, & ex bonis meliores efficere. Vnde Christus, qui venit non ministrari, sed ministrare doctrinæ Euangelicæ thesauros, & sanguinem suum in salutem mundi, habebat tamen in omnes supremam potestatem, eo non obstante quod vocaret se ministrum. Hic ergo sermo non tollit superiorem potestatem, sed potius illam ponit, vel datam, vel promissam. Vni quidem Matthæi 16. & omnibus Matth. 18. hic verò docet qua ratione illa sit vtendum. Prohibet ergo tumorem, superbiã, fastum, & ambitionem; cõmendat autem humilitatem, mititatem, & charitatem. Quanquàm correptionem superiores subditis debeãt, & ipsos matres pietas, & patres exhibere debeat disciplina. Inter hæc solicita circunspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa.

Lutheri, ac Melãchthonis fal. à interpretatio reijcitur.

Cant. 6.

Catholicus sensus, & orthodoxus.

Seculare dominiũ & regnũ ab Ecclesiastico quantum differat.

1. Cor. 4. & 2. Cor. 12.

Matth. 20.

Quales se gerere debeant superiores erga subditos suos.

His Domini verbis prælaturam minimè prohiberi.

Denique non tolli hoc loco potestatem superioris in alios, ipsorum contextus verborum insinuat. Primò, quia ait: *Vos autem non sic*: vbi tantùm modū gubernandi Gentilium tyrannidi similem, non autem rem ipsam, aut superioris gubernationem damnat. Deinde quia ait: Qui maior est in vobis: ergo est aliquis maior prælatione & autoritate, qui fieri minor debet humilitate, quanquàm maior esse quis debeat non tam proprio iudicio, & voluntate, quàm Dei, vel Ecclesię autoritate, cuius est vocare, sicut ait Apostolus. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron.* Et maior hoc loco capitur pro superiori, vt ibi: *Quis, putas, maior est in regno cælorum?* Et alibi: *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister*: &, *Facta est autem & contentio inter eos quis eorum videretur esse maior.* Idem significat verbum Præcessor, quod Græce dicitur, ἡγούμενος, id est, præiens, & exemplo prælucens, siue antegrediens, atque Dux, siue Magistratus.

II. argum.

Hebr. 5.

Matt. 18.

Infra 27.

III. argum.

Tertiò, quia non simpliciter dicit, fiat iunior, vel fiat minister; sed qui maior verè est ordine, & gradu, ille fieri debet, non simpliciter minor, sed sicut ministrator. Quartò, quia seipsum proponit in exemplum, dicendo: *Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Christus igitur verū caput, ac Princeps, & dominus omniū erat; & tamē summam exhibebat humilitatem, ac lenitatem. Quintò, quia mox subdit, declarando quem velit illis loco sui maiorem constituere, dicēs: *Ego rogaui pro te* (Petrum alloquitur) *vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: at confirmandi munus non nisi ad eum, qui maioris munere fungitur, spectat. Considerandum ergo, Dominum aliquid adiecisse in hac disputatione ad solitam de humilitate admonitionem, nempè aliquem inter eos futurum maiorem & superiorem: quod in priori contentione, cuius Matthæus, & Lucas alio loco meminerunt, nō dixerat. Nec dicit, sicut antè, si quis vult magnus fieri, aut primus esse; verùm de præsenti, *Qui maior est in vobis, &c.* &, *Qui præcessor est, sicut ministrator.* Etsi enim Latina exemplaria in dicto Matthæi loco habeant: *Quicunque voluerit inter vos maior fieri:* & rursus: *Qui voluerit inter vos primus esse*: & Lucas: *Qui minor est inter vos omnes, hic maior est*; nisi ponatur positiuum pro comparatiuo, more Hebræorum. Vtrobique Græcè non dicitur, μείζων, sed μέγας, id est, non maior, sed magnus, quia ibi de regno cælorum futuro agitur: vbi verè magnus existit, qui humilitate præditus est; at in hoc

Ezech. 34.

IV. argum.

V. argum.

Luc. 22.

Cuius sit alios confirmare.

Matt. 20.

Luc. 9.

Matt. 20.

Ibidem.

Luc. 9.

mundo potest quidem aliquis principatu suo alijs pręcellere, & maior esse, qui tamē verè non est, nisi humilitatem cum primatu coniunxerit. Et antè Dominus neminē præ cæteris designare videbatur, & in genere dicēdo, ὃς ἐὰν θέλῃ γίνεσθαι μέγας, id est, Qui voluerit esse magnus; at nunc de certo quodā viro qui nominatim ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, id est, qui maior est in vobis, & ἡγούμενος, id est, qui præest, vel qui est Dux, vel Rector, ille fiat sicut minor. Ille ergo principatus prior ambiri potest, & debet, nō item iste; ille omnibus ex æquo permittitur, hic vni tantùm tribui insinuatur: & ibi principatus nondum acquisitus est, & ideo de eo dicitur: *Quicunque voluerit inter vos maior* (siue magnus) *fieri*: fieri inquit, licèt adhuc talis non sit: hîc verò principatum, de quo agit, in hac vita geri posse ostendit, & præsentem esse, ait enim, *Qui maior est in vobis*: non, qui erit, aut qui cupit esse. Ibi humilitas principatum necessariò antecedit, veluti sine quo principatus in cœlo non contingeret; hic etsi optabile sit, vt humilitas concurrat: tamen ad præfecturam constituendam necessaria non est: ideo illum qui maior est, ad humilitatem hortatur, dicens: Fiat sicut minor. Non enim contendebant Apostoli quis eorum esset maior in cœlo, vt cùm dixerunt: *Quis putas, maior est in regno cælorum?* Sed quis in hac vita maior futurus esset. Christus ergo illorum cogitationibus respondens, pronuntiat, quendam esse maiorem inter ipsos, eumque iubet fieri sicut minorem, vel sicut ministrum: non vtique pronuntiat, aliquem esse maiorem humilitate, & animi dimissione, vt esset cæteris humilior, vel minor, cùm iam esset: potiusque hortandus erat, vt in humiltate perseueraret, quàm vt minor fieret: ergo apertè Dominus loquitur de eo, qui inter Apostolos maior erat futurus primatu in temporali statu, quē hortatur, vt ita se gerat in illo, vt non amittat principatum cœlestem, & æternum. Et certè iā Petrus designatus erat: qui enim Dux seu Præfectus nondum est, non præcipitur illi, vt fiat tāquàm minor: nam ei quod non est, nihil imperari potest: nec simpliciter iubet, illum fieri minorem, sed, sicut minorem, sed, id est, velut diaconū, aut ministrum agens: cùm tamē eum, qui primatum æternum quærit, absolutè iubeat esse seruum, & ministrum Apostolorum, vt est apud Matthæum, & omniū nouissimum, vt ait Marcus. Simpliciter enim necesse est, vt qui vult esse primus in cœlo, fiat omnium postremus in hoc mundo: quia maiori humilitati, maior exaltatio, & summæ humi-

Qui sit ambiēdus principatus, qui minimè.

Matt. 20.

De quo primatu nunc fuerit cōtentio inter Apostolos.

Matt. 18.

Cui tantùm Dominus iubeat vt fiat sicut minor, & minister aliorum.

Matt. 20.

Marc. 10.

Qui vult primus esse in cœlo, debet

humiliationi summa dignitas respondet. Sed qui maior est, & primus in hac vita, is vt minor fieri debet, si velit cœlum ingredi: si tamen ad hunc principatum temporalem vel acquirendum, vel administrandum, nō est necesse, vt fiat omniū vltimus: quia etsi minimum humilitatis gradum teneat, tamen primus, & maior est. Accedit, quod beatus Lucas in præsentia opponit; *μείζονι νεώτερον*, id est, maiori iuniorem. Ex quo intelligimus, Christum de illo maiori egisse, qui præ alio iuniore sit maior. Nec tamen de eo tantùm locutus est, qui sit annis minor (nec enim de eo litigabant Apostoli, quis eorum ætate senior, aut maior existeret) sed de eo, qui maior esset autoritate, & potestate; & nouerant patremfamiliâs primogenitum suū cæteris liberis suis præferre. Christus autem cùm innueret, à se magistratum, seu principatum institutū, vel instituendum, admonet non futurum similem illis, qui apud Gentes exercentur: *Vos autem*, ait, *non sic*, vt illi, dominabimini, sed talis erit primatus, qualis est is, qui ius primogenituræ consequitur inter fratres suos, & qualis fuit inter filios Patriarcharum, & subdit, qualem ego inter vos exerceo: Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat. Id est, Si ego, qui verè sum maximus, & dominus, & solus vniuersale caput Ecclesiæ, tam demissè, humiliterq; inter vos versor, vt ministrare potiùs quàm recumbere videar; quanto minùs ei, qui maior est inter vos, molestū esse debet instar ministri se gerere cum suis fratribus, quos regēdus susceperit. Potest tamen textus Matth. 20. facilè explicari in eundem sensum istum, vt ibidem indicauimus.

esse vltimus in hoc mundo.

VI. argum.

Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat? Prætermisso exemplo Gentilium, quod fugere, & execrari debent omnes Christiani; iam se in exemplum proponit, quod imitari debent qui eius sunt participes. Quasi diceret Dominus: Si vobis durum videtur quod præcipio, intuemini me: ego vobis datus sum à Patre magister, cuius verba, & facta sectemini, ad me igitur potiùs, quàm ad Gentiles respicite. Ego etsi sim Dei viuentis filius, per quem omnia condita, vester magister, victor mortis, & princeps vitæ, nullam tamē mihi arrogo dignitatem, nec insolentiùs me gero, quinimo inter vos magis officium serui, quàm domini exerceo; pedes vestros lauando, panem vobis frangendo, corpus meū, & sanguinem dispensando, & cætera humilitatis, charitatisque opera exhibendo: rectè ergo dixi, Qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Sed nūquid minoribus dixit, vt fiant maiores? Nequaquàm, sed potiùs comminatus est, dicēs: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Nunquid subditis dixit, & minoribus, Facite vt vobis ministrent maiores vos illis ne seruite, sed tantùm curate, vt à maioribus vobis seruiatur. Neque hoc dixit, alioqui lites vigerent, & odia; sed dixit, Parete maioribus vestris, & Præpositis, etiam discolis, in his omnibus, quæ peccata non sunt. Debent tamen minores sedulitate, bonis desiderijs, ac precibus cogere prælatos, quò doctrinam bonā cum bonę vitę exemplo coniunctam administrent, coerceant malos, exaltent bonos: vt in charitate & pace viuamus.

Cur se Christus humilē Discipulis proponat ad imitandum.

Matth. 16. Ioan. 1.

Lucæ 18.

1. Petr. 2.

Minorum erga maiores officium.

Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Subiunxit hęc Dominus, declarans, si nō temporalem, at certè æternum quendam Principatum singulis Apostolis in cœlo reddendum: vt hac ratione consolaretur eos, qui eodem principatu in hac vita erant carituri, & eum, qui talem principatum hic gerere deberet, vt ea res rectè præstita plus illi operæ, & laboris, quàm gloriæ, & vtilitatis in hoc mundo allatura esset. Vnde illum ipsum, quem designârat maiorē inter Apostolos, in ea præfectura confirmare volens, eum allocutus est, dicens: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum:* quem post pœnitentiam de negatione sua iubet fratres confirmare: de quo sequenti dicetur tractatu. Et licèt Apostoli cœlitùs nondum hausto Spiritu sancto, sæpiùs de principatu contenderidt, sed non ampliùs, non quòd nullius principatum non agnouerint inter se; sed quòd tùm demùm illum Petro deberi omnes propriè intellexerint. Hinc Chrysostomus ait; cæteros Apostolos solamen ex eo consecutos esse, quod Petrus super mare ambulās mergi cœpisset: nondum enim gratia spiritus corroborari facilè moriebantur; gratia verò accepta, non tales nempè fuerunt, sed vbique primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cęteris rudior videretur. Sic ille. Ad hæc cùm Dominus proditori Væ esset interminatus, iā Apostolis in Christi amicitia permanentibus, amplissimam pollicetur mercedem; taciteque Apostolos suos laudat, quia virtus laudata crescit, maximè si proficiscatur à viro laudato. Laudat autem eos de permansione, siue perseuerantia; quæ sola, vt habet communis sententia, coronari solet. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Multorum fuit ex Ægypto egredi, sed paucissimorum

Quare Christus Discipulis dixerit, eos secum in tentationib' suis permansisse.

Quando primū Apostoli B. Petrum sine cōtentione suū agnouerint, & coluerint rectorem, ac Principem, teste Chrysostomo

Chrysost. ho. 51 in Matth. tom. 2.

Matth. 14. Luc. 22.

Virtus laudata crescit quā do potissimū
Perseuerantiæ soli corona debetur.

Apocal. 2. Matt. 24.

ſimorum fuit in terram promiſſam peruenire,& vt ille dixit:

Eſt multis certare datum, ſed vincere paucis.

Christianus quis leo, quis aquila.

Coronam inter animalia quadrupedia geſtat leo, inter volatilia aquila, quæ regię ſunt animantes: Leo eſt per victoriam tentationum, qui actiuam vitam profitetur: aquila eſt, qui per volatum contemplationis conſcendit in ſuperiora: & vterque corona dignus.

In quib' permſerunt, tētationibus cum Christo diſcipuli.

Tentationes vocat Dominus hoc loco contradictiones, & conſpirationes Sacerdotum, Scribarum, & Phariſæorum aduerſus ſe, in quibus Chriſti Diſcipuli multa incommoda, atque moleſtias ſuſtinuerunt. Inuidebant enim Iudęorum primores tam ſancto Diſcipulorū collegio: ideo omnibus rationibus conabantur illos diſiungere à Chriſto: hinc aliquando Chriſtū traducūt apud Diſcipulos, rurſus Diſcipulos apud Magiſtrum: vt inter eos diſcordiæ diſſeminarent zizania. Verùm ad nihilū eorū conatus reciderūt ſemper. Nec erat omnino ſine vitę periculo permanere cum Chriſto: vnde Thomas dixit: *Eamus & nos, & moriamur cum eo*; & tanto maior Apoſtolorum gloria cum Domino permanentiū, quanto allj Diſcipuli ab eo deficientes abierunt retro, & iam non cum eo ambulabant, vt de Diſcipulis refert Ioannes. Adde quòd non omnes credentes audebant eum confiteri: quia iam conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret. Si ergo paupertas, vitæ labores, obtrectationes hominum, Phariſęorum inſidiæ, minæ potentium vos à contubernio diſtrahere non potuerunt in eo, quin vos mei ſimiles efficeremini: id circo vel in hoc vno, quod vobis commendo imitari me non vereamini: nempè vt fratrib' ex charitate tanquam miniſtri inſeruiatis. Vt cùm hîc quies, & gloria poſt mortem contigerit, ita & vos mecum ampliſſima maneat remuneratio.

Phariſęorum in Christum inuidia, & maleuolentia. *Matth. 9.*

Infr. 15. *Ioan. 11.*

Ioan. 6.

Infra 9.

Quid eſt Christum diſponere diſcipulis regnū, quale ſibi Pater diſpoſuit.

Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum. Verba videntur teſtatoris bonis ſuis diſponentis, atq; vltimam ſuam voluntatē indicantis, Eſt ergo ſenſus: Quēadmodum Pater meus cœleſtis curam mei gerit, meq; ad ſummum, & regium honorem euecturus eſt: ita & ego veſtri curam in me recipio, vt perueniatis ad regnum, & quietem meam vobis communicandam: ita vt vobis non alius ac diuerſus ſit futurus aditus ad regnum cœlorum, & beatam vitam; quam fuerit mihi ipſi. Nam vt Chriſtum oportebat pati, & ita intrare in gloriā ſuam, & miniſterio nobis impenſo redemptionis peruenire ad regnum Dei: ita opus

Luc. vlt.

eſt prædeſtinatos omnes conformes fieri imagini Filij tui, & per multas tribulationes intrare in regnum Dei, & per charitatem ſpiritus ſeruire inuicem, vt ait Apoſtolus: *Vt audire mereamini. Venite benedicti Patris mei, poßidete paratū vobis regnum à conſtitutione mundi, &c. quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim Tribus Iſraël.*

Rom. 8. *Act. 14.* *Galat. 5.* *Matth. 25.*

In quo regno Christi dicūtur Apoſtoli eius futuri conuiuæ.

Verba hæc de menſa, eſu, potu, & ſedibus prorſus metaphorica ſunt, cum illorum in cœlo, vbi corpora ſunt immortalia, vſus ſit nullus: tamen per hęc ſenſibilia incomprehenſam, atq; ineffabilem voluit ſignificare mercedem. Quę etſi poſſint de regno Chriſti in Eccleſia militanti exponi, quia Apoſtoli ſunt primi, qui ſedent in menſa Euchariſtiæ, cuius conſecratio primùm Apoſtolis credita eſt, & diſpenſatio, & Iudices Iudæorum effecti ſunt per traditā ſibi poteſtatem clauium, & autoritatem remittēdi & retinendi peccata: melius tamen de regno Eccleſiæ triumphantis explicantur, vt ait Euthymius: ad quod nonniſi per crucem perueniendum eſt, & vbi eſt menſa illa diuinæ ſatietatis, de qua, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*; &c. *Qui edūt me, adhuc eſurient; & qui bibūnt me, adhuc ſitient.* Vbi edere, eſt intellectu, & ſapientia gaudere, bibere verò, fruitione, ac delectatione repleri. Vanum igitur eſt Iudæorum commentum, qui ſcribunt in Talmud libr. Batra, quod Deus occiderit piſcem magnum Leuiathan, & ſalitum ſeruet, vt diſpenſet iuſtis edendum in alio ſeculo. Figmentum etiam eſt Cherinti hæretici, quem ſecutus eſt impudentiſſimus Mahometus, promittentis in alio ſeculo carnales, & obſcœnas voluptates in præmium virtutis. Illa enim tam abſurda cogitatio confutatione non eget, cùm felicitatem polliceatur hominibus cum beſtijs communem, & illam quidem impuram, ac ſordidam. Nam vel ipſa manducatio & potio ſuas habet moleſtias: & vel mundius eſt ventrem exonerare, quàm ipſum eſcis replere, ſi præſtantius eſt mundare, quàm implere cloacam. Sed illi belluarum inſtar, quę nihil ſublime ſentiunt, maiorem felicitatem excogitare non potuerunt.

Matt. 18. Alter ſenſus accommodatur. *Euthym. in Luc. 22. c. 87.* *Pſalm. 16.* *Eccleſ. 24.*

Diſt. 1. Iudæorum, & Cherinti ſtultiſſimum de fœlicitate hominis futura commentum refellitur.

Quæ ſit illa mēſa, de qua Dominus: vt ſedeatis, inquit, ſuper mēſam meā in throno meo. *Supra 12.*

Eſt igitur menſa cœleſtis, plenitudo omnium bonorū inexhauſta, qua famem noſtri intellectus, ac voluntatis inexplebilem in æternum extinguere poſſimus: hanc autem menſam delitijs omnibus ſpiritualibus circumfluentem ſpondebat Dominus, cū in parabola dixit de ſeruis vigilantibus: *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos* diſcum-

Quemadmodum Christ° dicitur ministrare beatis. *Ioan.1.*

discumbere, & transiens ministrabit illis: hic autem honos est tantus, vt facile omnem vestrum captum exuperet. Dicitur aũt Christus ministrare: quia eius merito ad mẽsam illam admittimur. Et sicut de eius plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia in hoc seculo, ita & in futuro gloriã pro gloria, hoc est, beatam Dei visionem pro portione luminis gloriæ nobis ab eo collati. Cæterum alludit Dominus ad mores Regum, qui quos habent fidelissimos, & amicissimos, suis volunt mensis, & consilijs interesse; ac proinde significauit futuros sibi coniunctiores, atq; honoratiores; quare nec opus esse de primatu, vel de primis decertare sedibus. Per hoc quod dicit sessuros illos super duodecim sedes, non solùm commensales suos, sed etiam iudices ac consiliarios in suo regno futuros esse disponit: non tantùm vt comparatione iudicium exerceant, vt Niniuitæ, & Regina Austri; sed vt assessores Christi iudicis principalis. Et dixit super duodecim sedes, tametsi abesset Iudas (nam excepisset eum, si adfuisset, vt fecit bis in lotione pedum) ob prædestinatam sedem Matthiæ in locum Iudæ instituendi. Quemadmodum autem apud Matthæum Christus vniuersis proposuit se in exemplum humilitatis internæ dicens: *Discite à me, quia mitis sum. & humilis corde*; ita hoc loco Discipulis in Apostolico throno sessuris, in externæ humilitatis documentum seipsum exhibet: vt ab exteriori tantæ humiliationis facto discerent intus & extra humilia sapere de seipsis.

Apostoli non tantũ comparatione iudicium exercebunt, sed etiã futuri sunt assessores Christi iudicis principalis. *Iona 3.* *Ioan 13.* *3.Reg 10.* *Ioan.13.* *Act.1.* *Matt.11.*

Quare Christus olim Apostolos ad humilitaẽ & mãsuetudinẽ suo exemplo est adhortat°

Sicut ergo disposuit mihi Pater meus regnum: vt maior essem, & haberer, & tamen vobis omnibus ministrare nõ destiti: ita & ego vobis dispono, vt similiter fratrib° vestris omnia humilitatis, & charitatis obsequia impẽdatis, & ab hoc ministerio ad mecum manducandũ, & considendum adducamini. Fuit aũt Christi consilium discipulis suis persuadere, vt nullũ vel vilissimum, & contemptum obsequij genus detrectẽt, quò libentius, & constantius nobis deseruirent. Caueant igitur tum Pontifices Summi, tum Episcopi, atq; alij Pastores, qui locum sustinent Christi, ne potestatẽ à Christo acceptam, ad mundi gloriam, & dominationem detorqueant, atque conuertant, obliti eius quod impendere debent ministerio charitatis: in primisque timeant, ac paueant diuina iudicia. Est enim Pastor Ecclesiæ velut vitreum vas super columnam dignitatis collocatum, in quem omnes murmurationum venti perflant, & plerique lapides iniuriarum iactantur: nec

Romani Põtificis, aliorũque Ecclesiæ pastorum salubris commonitio.

Qualis pastor Ecclesiæ videri possit.

propterea tamen moueri debet de loco suo, aut impatientia frangi, sed meminisse verbi illius: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: quia fortioribus fortior instat cruciatio. Vt enim in ligno ignis maior est, quàm in palea, & in ferro vehementior, quàm in ligno: ita pastores grauiora manent supplicia, si muneri suo defuerint. Etsi in tales negligentes prælatos incidimus, non est quod miremur, cogitantes eiusmodi abusus non prouenire à potestate, quæ non est ad destructionem, sed ad ædificationem, & nihil potest contra veritatem. Rursus non est ambitiosè de loco primo contendendum: quia in periculo magno tales versantur. Neque in eo sedentibus inuidendum: quia voluntate Dei sedent, vel mali: nam scriptum est: Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Nam ibi existentes alloquitur dæmon, & ait: *Mitte te deorsum*: &, *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me*. Cui excelso animo respondet ille: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Non ergo doleas, si ad gradus in Ecclesia sublimes non erigeris: Dominus enim alio quàm præsente, meliore scilicet, & ampliori te vult afficere præmio. Neque consultum est, vt tritici semina terræ mandata præmaturè in hyeme nascantur: nam plerumq; algoris vi pereunt: tales sunt qui in adolescentia, nullis adhuc doctrinę aut virtutis habitibus comparatis, ad celsos Ecclesiæ gradus promoueri contendunt, & flagrantissima ambitione alios, sapientia, spiritu, atque rerum experientia instructiores sedibus suis spoliant, & seipsos intrudunt: verùm vbi ad optatam dignitatem peruenerint, in omne iniustitiæ, & intemperantiæ vitium prolabuntur, & infamem, ac perniciosam, atque malè olentem vitam traducunt. Hortamur igitur in Domino omnes, quotquot in Ecclesia magistratus honorificos gerunt, vt seriò apud se cogitent, quomodo in Ecclesiam suam intrauerint: qua ratione debitum munus suum erga populum sibi commissum administrent: in quos vsus stipendia Ecclesiastica insumant: & quis finis maneat eos, qui officium suum neglexerint, & quãtus honor, quantaque gloria bonis pastoribus sit in cœlis reseruata per eum, qui dixit: Euge serue bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Hæc enim dicta sunt à fidelissimo illo in omnibus verbis IESV Christo Domino nostro, qui cum Patre, & Spiritu sancto perpet

Apoc.3. *Sap.4.* Simile.

Abusus prælatorũ vnde. *2.Cor.10. & 13.*

De loci primatu cur minimè curandũ sit, ac decertandum.

Iob.34. *Matth.4.* *Ibidem.* *Infrà 16.*

Quales qui ante debitã ætatem ecclesiasticos honores affectant, & ambiunt.

Ecclesiæ rectores, & gubernatores quid agere debeant.

Matth.25. *Luc.12.*

petuò viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

TRACTATVS XLVI.

In illa verba: *Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui dixit ei, Domine, tecū paratus sum, & in carcerem, & in motē ire. Et ille dixit, Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me,* Luc.22.

Tritum proverbium. Quibus in rebus (proch dolor) homines sequuntur: & quales meri to videantur.

TRITVM est, & ore omnium peruulgatum prouerbium:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Cùm autem in rebus caducis, & fluxis omnes oculati simus, & aliorum exemplis permoueamur, cautique reddamur; solum in his, quæ ad spiritum, & salutem animarum spectant, parum nobis prospicimus, & plerunque in vtramq; aurem dormitamus, & vix vnus, aut alter est eorū, qui resipiscunt, qui velit alterius exemplo resipiscere: sed prius omnes cum Adamo peccamus, & postea aperiuntur oculi nostri, vt nostrā nuditatem cognoscemus. *Gen.3.* Ita Petrus reprehēsus à Domino de virium suarum ostentatione, & confidentia; & tamen reprehensionis immemor, iterum nec vel in seipso cautionis documentum arripiens, vires suas iactat, & secundò à Dño obiurgatur. Habet ergo Textus: *Ait autē Dominus Simoni; Simon, ecce Satanas,* &c. Græca litera habet: *Ait autem Dominus, Simon, Simon*, quæ geminatio signum est adhortantis: quemadmodum aliàs viuens dixit: *Martha Martha solicita es*; & immortalis iam factus dixit ad persecutorem suum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et detur lectio satis cōmoda, quam sequūtur Hieronymus in Dialogo cōtra Pelagium, Ambrosius lib.1. de vocat. Gent. c. 1. & Beda in commentar, quanquam Latina etiam minimè sit aspernanda. Videtur autem huius cū præcedente historia mira connexio: nam cùm Væ in Iudam intorsisset, & Discipulis, qui in amore erga se permanserunt, tantum prædixisset honorem futurum, vt ait Theophylactus, ne in seipsis efferrētur, quasi magnū fecissent quiddam permanēdo in charitate, & non prodendo Dominū, explicat illorum tentationes, & cuius beneficio illas hacten⁹ vincere potuerint, vel

Quid significet, Simon, Simon. *Luc.10.* *Act.9.* *Hieron. to.2.* *Amb seu po-* *s⁹ Presb. to.2.* *Beda to.5.* Horum cum præcedenti-bus continuatio. *Theophyl.*

in futurum possent: ne existimnet suū esse totum illud bonum opus ipsorum, quia Satanas eos cribrasset quasi triticum, tentassetq; ad casum, nisi oratio Iesu illos sustentasset. Dicendo autē, Simon, Simon, attentiorem eum reddit, tum in se, tum in suis, quibus præficiendus erat ad ea, quæ dicturus est tāquam magni momenti, & vt intelligamus, illum, quatenus Simon est, tentatum fuisse, & cecidisse, nō autem quatenus Petrus. Intelligamus etiam, non solùm Petro, vt Papa erat, hoc illi donum indeficientis fidei datum esse; verum etiam vt illi peculiari personæ, quia ipse primus Apostolicus lapis futurus erat: quem decebat esse talē, vt nulla ratione posset à recta fide deficere. Hoc autem priuilegio tanto nō gaudent alij successores eius, nisi in quantum sunt Pontifices, & quęstiones fidei definiūt de cathedra. Cumq; hæc verba ad reprimēdam contentionem Apostolorū spectent, sermonem peculiariter dirigit ad Simonē: tum quia reliquis audacior erat, & fortè Christi promissis insolentior redditus fuerat: & quia Satanas in more habet, vt præstantiores quosq; expetat ad palæstram, vt sanctissimū Iob: vnde Propheta Habacuc escas diaboli vocat electos. Tùm, vt more boni sagittarij caput petat, vt illo percusso, reliqua feriat mēbra; hinc legimus in priori Regum libro, totum pondus prælij versum esse in Saulem. Adhæc nō satis fuit magistro optimo contentiosam ambitionem discipulis adimere; nisi etiam fomenta, & recidiuum contentionis auferre studeret, insinuando eis quis esset futur⁹ eorum caput ac Princeps. Ideo singulariter vertit sermonem ad Petrum, vt eius officio declarato, simul etiam ratio humilitatis exercēdæ in fratribus confirmandis Petro ingeratur, prænuntiato prius casu negationis eius futuro, vt inde minorem habeant occasionem superbiendi.

Quare Christus ait Petro, Simō, Simon. Petri prærogatiua singularis. Cur potius ad Simonē Petrū Christus, quam ad alios Apostolos hęc verba diriexerit. In more est Satanæ præstantiores quosq; ad palæstrā expetere, ac prouocare. *Iob.1. & seq.* *Habac.* *1. Reg. vlt. & seq* Munus præceptoris optimi quod sit.

Ecce, inquit, *Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Satanas aduersarius interpretatur: nā & ille Deo in primis, & deinde nobis, dum volumus Deo morem gerere, aduersatur, odio, & inuidia percitus. Nec à benefaciēdo declinandū est, etiamsi aqua fluminis deorsum currat: id est, caro sponte ad malum propendeat, & spiritum trahere conetur: tametsi dæmon, ne sursum ascendamus contra cursum fluminis, obsistere contendat. Vt cribraret, id est, eorum fides efflueret & elaberetur instar aquę fluentis. Verbum autē illud. Expetiuit, Gręcè significantius est, dicitur enim ἐξῃτήσατο, est autem ἐξαιτεῖν exposcere aliquē ad pœnam, siue ad quæstionē. Tertull. libr.

Satanas quid sibi velit. Nullo modo à benefaciendo desistendum est. Quid est: Vt cribraret sicut triticum: & quomodo id Satan expetiuit. *Tertull.*

Cyprian. Amb.to.2.

de fuga in persecutione, Cyprian. lib. 4. epist. 4. & Ambros. lib. 1. de vocatione Gentiũ, c. vlt. legunt, Postulauit. Vbi in primis vides voluntatem dæmonum ad nocendũ, & torquendum paratissimam. Deinde potestatem eius impeditam esse, aut potiùs alligatam, ne plus nobis nocere valeat, quàm diuina prouidentia in bonum nostrũ permiserit. Ita aliàs Satanas facultatẽ sibi concedi postulauit, vt torqueret Iob: atque in Euãgelia dæmonia depoposcisse legimus, vt liceret illis ingredi in gregem porcorũ. tam impotens est illa omni bonitate & sapientia destituta potestas. Et ait, *Vos*, non te tantùm, sed vos omnes Apostolos. Et cùm iam in Iuda obtinuisset, volebat in Petrum, & in reliquos insurgere, ac præualere. *Vt cribraret*, inquit, *sicut triticum*. Cyprian. legit: *Vexaret*. Ambrof. *Cerneret*, Tertul. *Discerneret*. Vtitur metaphora cribrantis, id est, cribro concutientis, & ventilãtis triticum: nam vt in cribro positum, dum hac, & illac versatur, purgatum redditur: ita & viri sancti in tribulationibus expurgãtur. Et sicut cùm purgatur triticum, nihil remanet in cribro præter paleas, & stercora: ita diabolus probos quosque, qui humilitate sua, & grauitate in seipsos quasi inferius descendunt, non tangit; tantummodo reprobos, ac vanos, qui instar palearum, & stercoris in altum tendunt, sibi retinet. Atq; ita tentatio vtilis est, quia purgatiores electi redduntur ab omni sorde per tentationes. Meminit & alibi Scriptura huius metaphoræ, nam in lib. Ecclesiastici dicitur; *Sicut in percussura cribri remanebit stercus, sic aporia hominis in cogitatu illius*. Verbum, stercus, Grecè dicitur κοπρεία, quæ stercus, vel puluerem signat ca romate expressum: & vtrouis modo intelligimus reiectamẽta farinæ, vt sunt paleæ, siue furfures, qui in cribro remanẽt, cum concussione cribri tenuis farina decidat, vel triticum purum: alioqui enim nec stercus, nec puluis in cribro retinetur. Aporia aũt perplexitatem aut inopiam, & indecentiam consilij significat. Hîc tamen in Græcis non habetur illa vox, sed in editione Complutensi, σκῦλα, hoc est, spolia; alij verò codices synceriores habent σκύβαλα, id est, quisquiliæ, vel sordes, vel reiactamẽta; quæ lectio videtur magis cõtextui quadrare. Et est sensus sententiæ Ecclesiastici, quod sicut dum cõcutitur, agitatur cribrũ farina, vel tritico transeunte, remanent in cribro furfures, qui sunt quasi farinæ stercus; ita frequenter in cogitatione hominis percussi, & afflicti, per quam mẽs velut cribro agitatur, & commouetur, remanet homini aporia, hoc est, angustia, vel quæuis

Dæmon quã sit ad nocendum, & ad torquendum paratus.

Iob. 2.

Matt. 8.

Cyprian. Amb. vbi sup. Tertull.

Quos diabolus nõ tangit.

Tentatio ad quid vtilis.

Ecclesi. 27.

Κοπρία Grece quid.

Aporia quid.

Σκῦλα, & σκύβαλα q d

Qui sit sensus loci Ecclesiastici: sicut in percussura cribri remanebit stercus, &c.

angusta res, quę hominem perplexum reddit, & anxium, nec sinit bona quibus fruitur, vel attendere, aut in mentem reuocare, sed ea tantum præ oculis habere mala, quibus prematur. Amos etiam inquit; *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut cõcutitur in cribro; & non capillus super terram.* Eadem hîc metaphora vtitur Dominus, dicens; Satanam Apostolos cribrare expetiuisse, vt sordes, & quisquilias tolleret quasi suas. Et aliquo modo assecutus est, quia omnes Apostoli metu perculsi defecerunt à Domino, & illo relicto fugerunt; etsi Fidem & Fidei confessionem non amiserint. Et alia quidem ratione & animo Deus cribrat electos suos, vt eos à sordibus, & puluere expurget: alia verò ratione Satanas, vt colligat sordes, & quisquilias.

Amos vlt.

Satan Apostolos quodã modo quasi cribrauerit sicut triticum. Matt. 26.

Alia ratione Deus, alia Satan cribrat electos.

Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Vt homo hoc dicit, non vt Deus; qui non habebat opus orare: tamen quatenus Dei filius orationem reddebat suã dignam, quæ exaudiretur pro sua reuerentia. Et ait: *Ego autem*. Ad quem Ecclesiã ædificare spectat, & tanquam trabale sustentaculum, & infractum, cui cætera minora ligna nitantur, illam sustinere. *Rogaui pro te.* Quare nõ dixit, rogaui pro omnibus alijs? In promptu est responsio: Tum quod Petrus grauius cæteris erat tentãdus, & lapsurus: tum etiam, quia cæterorũ omnium firmitudo, & stabilitas ex capitis firmitate, stabilitateque pendebat: vnde & apud Ioannem in oratione quã ad Patrem effudit, rogauit pro omnibus, dicens: *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Et vt Petrus intelligeret orationem pro se factã, etiam ad alios redũdare, nec cæteri se à Domino neglectos putarent, subiecit, Et tu aliquando conuersus cõfirma fratres tuos. Nunc autem pro Petro peculiariter rogauit, quo omnes fratres, quos suo exemplo, & verbo confirmaturus erat, redimeret. Augustinus lib. quæstionum Veteris, & Noui Testamenti: *Quid ambigitur?* inquit, *Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam? Manifestũ est in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus, aut corripitur, aut laudatur.* Sic Augustinus. Certè beatus Ignatius epist. ad Smyrnenses, Iesum Christum ait deprecatum esse Patrem suum, vt non deficeret fides Apostolorum; non quod sufficeret custodire eam, sed gaudens de Patris eminentia, ipsum deprecatus est pro eis. Hæc Ignatius: vt intelligas Ignatium in precatione Christi pro fide Petri, intellexisse precatum esse pro fide omnium Apostolorum.

Christ' quatenus oracit.

Hebr. 5.

Ecclesię basis & fundamẽtum Christus. Matt. 16.

Cur pro Petro solũ, non pro omnibus Apostolis, Dominus rogauerit vt nõ deficeret fides eius. Ioan. 17.

Aug. l. quæst. vet. & Noui Test. q. 75. to. 4.

B Ignat. ep. 10.

Clem. Rom.

Constitutio. Apostolicar. lib. 5. cap. 5. aiunt Apostoli, *Antea in vnum nobis congregatis, de nobis aiebat ne deficiat fides vestra.* In Petro ergo, pro quo nominatim precatus est, & pro omnibus qui erant fratres, & corpus eius, orauit: nam & omnes dæmon expetiuerat & rogat, vt aliquando conuersus confirmet fratres suos. Est enim Episcopus in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo, vt docet B. Cyprianus libr. 4. epist. 9. Quid autem pro Petro rogauerit, explicat, dicendo, *Vt non deficiat fides vestra.* Hoc est, vt Tertullianus libro de fuga in persecutione, exponit, ne tantùm diabolo permitteretur; vt fides periclitaretur. Neque, inquit, vt non deficiat charitas tua, vel confessio fidei tuæ, quam ore debebas exerere: nam etsi corde credatur ad iustitiam; ore tamen confessio fit ad salutem: sed fides tua, quæ est in corde tuo. Defecit enim Petri charitas, defecit fidei confessio, cùm ter negauerit; sed non defecit fides in corde delitescens, quia non incredulitate, sed timore negauit. Rogauit autem Dominus, non, ne negaret; sed ne in negatione permanens fides deficeret: nam etsi ceciderit ad tempus, resurrexit tamen. Fides ergo tua, qua confessus es Christum Filium Dei viui, qui in hunc mũdum veni, & qua confidis te vitam æternam per me habiturum, & qua putas te partem mecũ habiturum; si enim illa deficeret, perires omninò. Quisquis ergo in fide stat, accepta referat Christo, cuius meritò, & precatione illam à Domino petitam non amiserit. Orauit autem Dominus, sciens, quod euenturum erat, quodq; interrogatus negaret: ac si expressè Petro dixisset; Etsi nolis vti meæ precationis præsidio, fides tamen non deficit, quia preces fudit aduersus ea omnia, per quæ, & propter quæ deficere fides poterat: & fides qua me confessus es Filium Dei viui, nec in te, nec in vniuerso orbe vnquam deficiet: quia semper erunt quoad mundus durabit, qui hanc fidem habeant, profiteanturque. Scribit in hæc verba eleganter Theophylact. *Rogauit igitur*, dicit, *vt non deficiat fides tua: quamuis enim breui tempore concutiendus sis; sed habes recondita semina fidei etiamsi folia abiecerit spiritus inuadentis, sed radix viuet, & non deficiet fides tua.* Hæc ille, quibus verbis satis indicat, fidem in illo non fuisse extinctã. Quod verò Ambrosius ait sermon. 47. de fide Petri: *Fidelior factus est* (scilicet Petrus) *postquam fidem se perdidisse defleuit*; intellige per fidem fidelitatem, quam Christo amico debitam non seruauit. Vel sanè fidei confessionem, quam pro illo tempore præstare cogebatur.

Cyprian. Quid illud: Vt non deficiat fides tua teste Tertul. Tertul. Rom. 10. Luc. 22. Petrus nõ incredulitate, sed timore negauit. Matt. 16. Quænam sit Petri fides, pro qua, ne deficeret, Dominus rogauit. Ioan. 11. Infr. 13. Fidei Petri indeficientia. Theoph egregia sententia. Amb ser. 47. to 3. Petrus cùm Christũ negauit, quid amisit tantũmodo, secundũ Ambrosium.

Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Hoc est, pœnitentiam agens, & lacrymas amaras profũdens, & à negatione resiliens. Non ergo conuersus ab infidelitate, quia fidem non amisit, sed à seipso ad Dominum, qui eum gratis oculis respexit, vt defleret peccatum suum, vel à timore, quo eũ negauit, quod verè nouerat, & credebat, conuersus ad magnam confidentiam de Domini bonitate, ac pietate conceptam, qua etiam valeas pro Christi gloria pati. Tu ergo quamuis talis sis, ac tantus, ex te disce alios miserari. Ait porrò, Confirma fratres tuos: non restitue illis fidem, non enim eam sunt amissuri, pro quibus etiam Dominus rogauit apud Ioannem; sed confirma, id est, confirmatiores in fide redde coapostolos, & fratres infirmos: esto eis exemplum pœnitẽtiæ, ne desperent. Qui enim considerat, Apostolum tam turpiter Christum abnegasse, atq; illum per pœnitentiam à Domino fuisse, non tantùm ad amicitiam admissum, sed etiam ad primatum Ecclesiæ regendæ receptum, magnopere peccatores omnes futuros vsq; ad seculi consummationem confirmat, vt nullus desperationis barathro demergatur.

Quæ fuit conuersio Petri, per quam Apostolos confirmauit. Matt. 26. Quomodo confirmauit illos. Ioan. 17.

Ex quibus verbis illud in primis accipimus, ansam amplius contendendi de primatu sublatam esse. Est enim officiũ Petri, officium capitis, cuius est alios confirmare, quos non vult ab eo haberi vt subditos, sed vt fratres Nec hæc vox, *Confirma fratres tuos.* tam est imperantis, vnde vel obedientia laudetur, vel præuaricatio iusta plectatur pœna: sed est vox Christi instituentis officium, vel magistratum confirmandi fratres in fide: sicut illis verbis: *Pasce oues meas*, etsi Imperatiui modi sint, instituit Pastoratum Ecclesiæ; & cùm dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, instituit Sacerdotium Euangelicum, & cùm mandauit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, potestatem contulit Euangelizandi: ita hic, cùm dicit: *Confirma fratres tuos*, magistratum instituit confirmandi quotquot essent fratres; siue Apostoli sint: vnde Petrus ipse Paulum vocat charissimum fratrem suum, siue Episcopi, & Patriarchæ, siue Reges, & Imperatores, siue priuati. Et pulchrè ait, Confirma: ostendendo, potestatem illam non ad dominandum, sed ad emolumenta, & commoda ipsorum propria comparanda institutam. Et quanquam firmare fidem Dei sit in cordibus nostris: homo tamen quatenus minister Dei est, verbo prædicationis, documento bonæ vitæ, precatione, Sacramentorum ministerio; deniq; potestate sibi

Quid Christus his verbis contulit Petro: Cõfirma fratres tuos. Ioan. vlt. Luc. 22. & 1. Cor. 11. & seq. Marc. vlt. 2. Pet 3. Potestas cõfirmandi fratres quid maximè respiciat. Firmare fidẽ in cordibus nostris aliter Deo conuenit, aliter homini.

bi gubernandi tradita confirmare debet id,quod intus à Deo inſpiratur. Quod enim Deus ſeminat in mentibus fidelium, debet miniſtrorũ opera, ſed præcipuè ſummi irrigari, foueri atque coli, quò confirmatius,firmiusq́ue reddatur. Eſt etiam confirmatio tantùm ſuperioris, ad quem ſpectat inferiorum iudicum firmare, vel infirmare ſententias: quemadmodum & electiones ſiue inſtitutiones, ac nominationes magiſtratuum Eccleſiaſticorum, quæ per Principes laicos, aut Epiſcopos, aut iuris Patronatus priuilegium habentes, ad vnicum Chriſti Vicarium; Petrique ſucceſſorem conſtabilire, aut antiquare ſpectat. Quod ſi dicas, cuiuſuis fidelis, qui firmior ſit, aut in fide robuſtior, eſſe alios imbecilliores confirmare; tamen ex officio iniuncto ſoli Petro, & ſucceſſori ſuo, tanquam ſummo Doctori, atque animarum medico incumbit; & ob id maior eſt fratribus confirmatis. Nam etſi quiſque in euentu aliquo docere poſſit fratrem ſuum, aut illi mederi, tamen ex officio nonniſi certi homines ad docendum, gubernandum, medendumq́ue deſignati ſunt. Idem de confirmatione dicendum. Agnouit hoc loco primatum Petri Leo Papa, qui ſermone de anniuerſario die aſſumptionis ad Pontificatum, ait: *Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidenis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant: quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas,quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Hæc ille,cuius ſententiam confirmat Græcus autor Theophylactus, dicens: *Tu verò conuerſus confirma fratres tuos. Planus huius intellectus is eſt. Quia te habeo, vt principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es fundamentum.* Horum duorum teſtimonio contentus ſum.

Curproprĩũ ſuperiorum ſit alios confirmare.

Leo Papa ſer. 3. in anniuer. die aſſumpt. ad Pontifica.

Petri primatum hoc loco vt agnouerint Patres.

Theophylac. 22. c. Luc. ante medium.

Etſi autem in perſonalibus priuilegijs Petro, & non officio paſtoratus conceſſis, nullus Petro ſuccedat: Patres tamen intellexerunt, priuilegia omnia, quæ ad totam Eccleſiam ædificandam ſpectant, non minus ad illum,quàm ad ſucceſſores eius poſſe,ac debere extendi. Atque ita Patres veteres hunc locum plerunque vſurpârunt, ad ſtabiliendam Romanæ ſedis autoritatem: quę quoniam mater eſt,& magiſtra Eccleſiarum omnium,in his,quæ fidei ſunt definiendis ob Spiritum ſanctum ſibi aſſiſtentem errare non poteſt, ſi tamen legitimè procedat,ac Deum in definiendo tentare velle non videatur. Vnde Marcus Papa epiſtola ad Athanaſium, & omnes Ægyptiorum Epiſcopos, vt Arrianis occurrant, ac reſiſtant, ſcribit in hunc modum: *Hæc ſancta, & Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprauanda ſuccubuit, ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab autoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fine tenus manet, ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui ſuorum diſcipulorum Principi in ſuis fatus eſt Euangelijs: Petre (inquiens) ecce Satan expetiuit,vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum; Ego autem pro te rogaui vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus,confirma fratres tuos. Conſideret itaque veſtra excellens prudentia, quàm bonum ſit perſiſtere in diſpenſatione vobis credita, & in fide recta, atque hæreticis, & æmulis Chriſti repugnare, & nunquam à veritatis tramite declinare. Quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui pro nobis mori non dubitauit, & proprio nos ſuo ſanguine redemit, qui fidem beati Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores, confidenter feciſſe, ſemper cunctis eſt cognitum.* Eadem verba repetit Lucius Pontifex & martyr ad cõſulta Occidentalium Epiſcoporum, per Galliam,& Hiſpaniam, & Iulius Papa in epiſtola ad eundem Athanaſium, & Agatho ſcribens ad Conſtantinum Imperatorem, & in Sexto Synodo lecta eſt atque probata, & Innocentius III. ad Arelathenſem Epiſcopum,& in c. maiores, de baptiſmo, & eius effectu: vbi ait,ad eam ſedem deferendas cauſſas maiores, quia ſcriptum eſt, Dominum pro eo exoraſſe, vt non deficeret fides eius. Idem docet Gelaſius ad Anaſtaſium Imperatorem, & Euſebius Papa; & habetur 24. quæſt. 1. cap. in Sede Apoſtolica, & Nicolaus Primus in libro ſubſcripto in octauo Synodo, act. 1. Verba tamen Leonis IX. contra Michaëlem Conſtantinopolitanum, tractando illa verba: *Ego rogaui pro te*, fideliter proferam: *Erit ergo quiſquam tanta dementia, qui orationem illius,cuius velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede principis Apoſtolorum. Romana videlicet Eccleſia, tam per eundem Petrum, quàm per ſucceſſores ſuos reprobata, & conuicta, atque expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hacte-*

In quibus Petro minimè ſucceſſerint Romani Pontifices.

Romanę Sedis priuilegiũ à Patribus aſſertum.

Marcus Papa

Pontifices.
Lucius Papa.
Iulius Papa.
Agatho Papa

Sexta Synod.
Innoc. III.

Gelaſ. Papa.

Euſ. Põtifex.
Nicol. I.
Leo IX. ep. ad Michael. Conſtant. c. 7.

Romana Eccleſia hęreſes omnes profligauit.

hactenus nec defecit, nec vsque in finem deficiet, sunt confirmata? Hæc ille. Quòd si quisquam dicat, ipsos Pontifices sibi ipsis testimoniū tulisse, ac proinde testimonium eorum verum non esse; audiat iam sententias non Pontificum, sed veterum Doctorum, ait enim Cyprianus ad Cornelium Papam: *Nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis orta est, à Schismaticis & profanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et Hieronymus in epistola quæ incipit: *Quoniam vetusto*, de Romanis loquens, ait: *Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas.* Idem libro aduersus Ruffinum: *Attamen scito*, inquit, *Romanam Fidem Apostolica voce laudatam, istius modi præstigias non recipere: etiamsi Angelus aliter annuntiet, quàm semel prædicatum est, Pauli autoritate munitam non posse mutari.* Ruffinus item in expositione Symboli prope initium: *Illud non importunè commonendum puto, quod in diuersis Ecclesijs aliqua in his verbis inueniuntur adiecta. In Ecclesia tamen vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis vlla illic sumpsit exordiū, & mos ibi seruatur antiquus.* Ad hæc Cyril. in libro Thesaurorum, vt citatur à B. Tho. in Catena aurea Matth. 16. secundùm hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaque circumuentione manet immaculata, super omnes præpositos, & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum, & populorum in suis Pontificibus in fide plenissima, & autoritate Petri. Et cùm aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omninm obturans ora hæreticorum: & nos necessariò salutis non decepti superbia, neq; vino superbię inebriati typum veritatis, & sanctæ Apostolicę traditionis vna cum ipsa confitemur, & prædicamus. Postremò produco verba Bernar. ad Innocentium Pontificem: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hactenus ille.

Veteres Patres
Cypr. l. 1. ep. 3. multo post medium.
Rom. 1.
Hier. to. 2. ante medium.
Id. l. 3. aduers. Ruffin. aliquanto ante med. to. 2.
Romana fides, Apostoli voce laudata præstigias nō recipit.
Galat. 1.
Ruffinus.
Cyr. Alexan. to. 2.
B. Thom. to. 15.
Regni Ecclesiæ ... Romanæ firmitas atq; constantia.
Bern. ep. 190. initio.

Hæc autem prolixius à nobis citata sunt: tùm vt ex Patrum antiquorum sententijs sensum huius loci perspicuum redderemus, tùm vt omnibus constet quam fidem de Romanæ Ecclesiæ autoritate Orthodoxi Doctores habuerint, & quam nos profiteri debeamus. Tertiò perpende ex Theophyl. magnam nos hoc loco habere doctrinam, quod scilicet satis non sit bonum hominis propositū absq; subsidio gratię Dei, neq; rursus Dei gratia absq; humano assensu, & conatu. Nam Petrus tantillo tempore derelictus, etsi charitatis feruorem, ac fidei firmitatem habere videretur, confestim supplantatus est ab inimico: rursus per contrarium Iudæ nihil profuit diuinæ gratiæ munus oblatum, quamuis omnia faceret Dominus vt lucrifaceret eum, cùm abesset ei bona voluntas. Quartò perpende, neminem suis viribus parem esse posse aduersus Satanæ insidias: & molimina, etiamsi sanctus sit, & magnus coram Deo, etiam de numero electorum, siue Apostolorum: quos Deus iusto iudicio labi patitur, vt suæ fragilitatis conscij, erga alios ad clementiam faciliores existant.

Theophyl.
De bono hominis proposito & de auxilio Dei doctrina Catholica.
Gratię diuinę aduersus omnes necessitates.
Apostolos cur Deus labi permiserit.

Qui dixit ei, Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Non poterat Petrus æquo animo ferre se eius insimilari infirmitatis, vt totus esset à Christo defecturus, nisi huius pro illo obstaret deprecatio: vnde ex animi impotentia in has tragicas prorupit voces, ac si se melius, quam Christus nouisset. Sed certè ipse cognouit figmentum nostrum, & imperfectum nostrum viderunt oculi eius: *Scrutans*, inquit, *corda & renes Deus.* Magnifica certè verba, sunt ista Petri, sed nulla prudentia condita: *Domine*, inquit: Si ergo Dominus tuus est, ô Petre, cur illum mendacij arguis? cur illis preces repellis quasi non egeas? paratus sum, ait. Ita se cum animo constituerat, vt verba eius sonant; sed vt verbis adderet facta, in se non habebat. Paratum se dixit, cùm extra omne periculum esset, nec expectauit venire ad carcerem, nedum ad mortem, sed vnius mulierculæ voce Dominum abiurauit. Disce, par esse, vt quisque Christianus paratus sit durissima quęq; subire pro Christo; sed non viribus proprijs, sed in Deo nitendo, & fidendo.

Nimia Petri confidentia.
Psalm. 102.
Infra 138.
Psalm. 7.
Petri infirmitas.
Matth. 26.
Boni Christiani officium est durissima quęq; paratū esse subire pro Christo.

Et ille dixit, Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Adhuc blandè Dominus eum obiurgat, & propriæ infirmitatis commonefacit: id est, affirmo tibi explicitè quæ ante prius implicitè dixi. Nam quia Petrus in sua confidentia perseuerabat, Christus ipse non cessat pudendum illius lapsum prædicere, & quod non solùm non sit comitaturus eum in carcerem, & in mortem, sed sit etiam ipsum turpiter

Christi ad Petrū de se plus nimio confidentem benigna correptio.

Piter, & cum periurio negaturus; nec semel tantùm, sed etiam ter; nec per multum temporis interuallum, sed in breuissimo tépore, scilicet antequam gallus cantet. Hodie dicit, quia dies incipit à noctis principio vsque ad aliam noctem, secundùm morem Iudæorum. Sed alij Euangelistæ dicunt, in nocte hac, & necessariò supplendú est, quia ad dit, antequam gallus cantet, qui noctu cantare solet. Sed aduerte, non ideò Petrum negasse, quia Christus prædixit illum negaturum; sed idcirco prædixit, quia certò sciebat futurum, vt negaret. Dices; Poterat ne Christus prohibere, ne Petrus per gratiam suam Dominú negaret? Maximè. Vrgebis; si poterat, cur non fecit? Quoniam Deus sic decreuerat ad illustrãdam suam gloriam per remissionem peccati factam; in vtilitatem quoq; Petri, quoniam sic sanctior, humilior prudentior, & submissius de se, ac virib' suis sentiens. Nobis quoque ac toti Ecclesiæ vtilior Petri casus fuit, quàm si stetisset; quò tanto exemplo ante oculos posito discamus minus nobis tribuere, & magis sentire in bonitate de Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto reddatur omnis gloria, honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Dies quãdo inciperet more Iudæorũ.

Matt. 26.
Marc. 14.

An Christus potuerit afficere ne Petr' negaret: & si quidem, cur non fecit.

Sap. 1.

TRACTATVS XLVII.

In illa verba: *Et dixit eis, Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt; Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit, Satis est* Luc. 22.

Esai. 53.

QVemadmodum in vna, & eâdem auicula, varia ac diuersa prouidentia cum ratione apparet coniuncta: nam dum est parua, & implumis, parentum beneficio pascitur: gubernatur, atque custoditur: at verò cùm grandior euaserit, & pennæ iam innatæ fuerint, non iam amplius parentum curæ subijcitur, sed ad ipsam spectat se pascere ac gubernare, & pullos si quos excluserit, eodem naturæ instinctu, quo à parentibus beneficium suscepit, in illos effundere, eosque alere, atque tueri: ad eum planè modum Christus Dominus, qui gallinæ prouidentissimæ animanti se comparauit, cùm in mundo hoc versaretur cum Apostolis suis, incomprehensibili quadam sapientia omnium illorum quasi paruulorum curam in se recepit, illosque pauit, ab omnibusque iniurijs tutatus est, ac de omnibus necessarijs prospexit; cùm autem instaret tempus, vt iam suos grandiores effectos relinqueret, & suæ ipsorum curæ ac prouidentiæ relinqueret gubernandos, antiqua illis beneficia in memoriam reuocat, quò constantiores postea in futuris aduersitatibus persisterent: nimirùm cogitantes, quicquid tandẽ Christus patiatur, non ex vlla necessitate, sed ex diuina dispositione proficisci: memoria enim diuinæ potentiæ, exempla imbecillitatis humanæ facilè lenire valet. Ad hæc postquam sua precatione eos contra imminentes tentationes in Petro capite præmunierat; ita nunc confirmat eos aduersus difficultates ob defectum victus, ac protectionis, siue defensionis Euangelizantibus ingruentes; relaxans ex parte antiquum præceptum illis à se olim ad prædicandum destinatis datum.

Elegans Christi cum auicula pullorũ suorum amante comparatio.

Matt. 23.

Mira Christi erga Apostolos suos cura & prouidẽtia.

Memoria diuinæ potẽtiæ quam vim habeat.

Matt. 10. & seq. Luc. 10. & seq.

At verò quia locus hic perobscurus est, valdeque difficilis, vt variæ Patrum interpretationes testantur, quò commodius à nobis possit expediri, inprimis pauca quædam circa literam explicanda sunt; deinde sensus falsi, aut certè non tam commodi, aut literæ congruentes excludendi; postremò suauis, & Germanus sensus adducendus, & confirmandus. Primùm igitur meminit Dominus primæ missionis Apostolorum ad prædicandum, de qua Matthæus: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Quibus in verbis etsi non faciat mentionem de loculis seu marsupio, siue sacculo; tamen cùm aurum & argentum prohibet possidere, vetitum intelligitur & illorum repositorium, secundùm Euthymium. Sacculus enim ad pecunias reponendas vsurpari solet in sacris literis, vnde in libro Prouerbiorum dicitur: *Sacculum pecuniæ secum tulit*; & alibi: *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso.* Quod verò in illis reponeretur aurum, testatur Esaias, dicens: *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis*; Et Dominus in Euangelio: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt.* Pera verò Græcum est vocabulum, dicitur enim πήρα & viæ inseruiebat, ad ea cibaria deportanda quæ viatico sunt necessaria. Quod verò dicit,

Cur Dominus priorem missionẽ Apostolorũ ad prędicandũ cõmemoret. *Matth. 10.*

Saccul' quid in sacris literis.

Euthym. in Luc. c. 78.
Prou. 7.

Eccles. 17.

Esai. 46.

Luc. 12.
Pera quid

Quibus sine calceamentis olim missi discipuli ad prędicandum. *Marc.6.* *Act.12.*

dicit, missos fuisse sine calceamentis: intellige talia, quæ ipsos contegant pedes: nam sandaliorum vsum ilis concessit, vt habet Marcus, & in Actis Angelus dixit Petro: *Sublige te sandalia tua.* Sic enim habet lectio Græca, vbi nos legimus: *Calcea te caligas tuas*: & vna Petri solea Romæ asseruata ad venerandum ostenditur. Vel dicere possumus, B. Lucam hoc loco ad suum Euangelium respexisse, vbi dixerat: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* In pera panis, & victui necessaria reponebantur; in marsupio coriaceo, quod φασκώλιον vocatur, æs, siue oboli deferebantur; in loculis autem, vel sacculo, aurum, & argentum. Cùm igitur interrgati essent Apostoli, an sibi quicquam tunc defuisset, responderunt, *Nihil*: tam paruo enim contenti erant boni Apostoli, vt etsi mensas Sybariticas, aut Pontificias cœnas non habuerint, neque cum Epulone induti purpura, & bysso, epulati fuerint splendidè, imò aliquando sub mediam lucem non haberent quod ederent, vt refert Ioannes, & interdum præ fame vellerent spicas, quibus latrantem lenirent stomachum, vt narrat Matthæus; audent tamen dicere nihil sibi defuisse. Paruo enim erant assueti, & naturam paucis ex se contentam non ignorabant.

Altera solutio. *Luc.10.* Peræ, marsupij, sacculiq; discrimen. Apostolorũ fiducia. *Luc.16.* *Ioan.4.* *Matt.12.*

Et hæc de primo. Producemus deinde nonnullos sensus, quos ad explicandum hunc locum nonnulli Catholici adduxerunt, vt ex multis ille, qui verisimilior, ac literæ congruentior extiterit, cæteris præferatur, à vobisque seligatur. Sic igitur primus sensus quorundam: Olim quidem misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, & nihil defuit vobis: sed nunc alia temporis ratio est, proinde qui habet sacculum, tollat eum scilicet, & vendat, & emat gladium: similiter & peram qui habet, vendat eam, & emat gladium: qui autem non habet, etiam vestem detrahat, & comparet gladium, quia solus gladius vobis necessarius est, non pecunia, aut vestis, aut sacculus: ista olim non defuerunt, minus postea defutura sunt. Illud solùm ex ea missione muto, ne vt oues inter lupos sitis, sed gladios ad lupos arcendos habeatis: atque hoc non præcipio, sed licere vobis indico. Vnde Apostoli se sic intellexisse ostendunt, dum duos gladios Domino obtulerunt, non autem aut peram, aut sacculum: timor enim imminentis mortis fecit Apostolos peræ, & sacculi obliuisci, & gladij meminisse tantummodò: in quo omne genus armorum, quod defensioni deseruit, intelligitur. Addunt etiam, intelligi posse verbum hoc de gladio spiritus, de quo dictum est Petro: *Occide, & manduca*: vt postquam Iesus occidendus erat, nemo recusaret occidi: legem enim daturus erat post aduentum Spiritus sancti: cùm Iesus autem viueret, & nollet commissuram panni noui ponere in vestimentum vetus; neque vinum nouum in vtres veteres; propterea noluit, vt gladium ferrent, ac ne virgam quidem, quam tulit Moyses ad percutiendum Ægyptum; aut si ferrent, virga tantùm esset, & non gladius, qua compescerent, non autem occiderent sibi repugnantes: nunc autem quando omnia noua fieri voluit, gladium ad mactandum, & manducandum præbet: nam & Moyses virga mare percussum reduxit, & suffocauit Ægyptios, non tamen eos manducauit, & ita non viuificauit: nam quod manducamus, etiam viuificamus, conuertentes illud in carnem nostram. Ergo gladium habete, de quo alibi dixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, & Paulus: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes.* Etenim ea quæ sunt de me, finem habent; ideo opus est, vt vos reliqua pro me faciatis, gladio verbi mei mundum inuasuri.

Huius loci de pera, & sacculo varij sensus adducuntur. I. sensus. De gladio, quorundam sententia. *Act.10.* *Matth.9.* *Exod.4.* Cur Moyses virgam gestabat. *1.Cor.5.* *Infrà 14. & seq.* *Matth.10.* *2.Cor.10.*

Verùm hic sensus durus est, primùm in eo, quod de solo gladio præcipit Apostolis sibi prospicere, non de pera, vel sacculo, vel veste, cùm secundùm omnes hæc omnia concedat, sed maximè gladium. Et cùm ait: *Qui habet sacculum, tollat, similiter, & peram*: non intelligas vacua, sed plena. Cùmque non ponatur affirmatiua enuntiatio de giadio, sed tantùm negatiua, proculdubio, vt rectè glossa annotauit, supplenda est: vt sit sensus; Qui habet sacculum, & peram, tollat ea, id est, ferat, vtitur enim illo eodem verbo quo Luc.10. vsus fuerat, cùm dixit μηδὲν αἴρετε, id est, nihil tuleritis in via, non sacculum, nec peram, &c. Et qui gladium habet, tollat eum: & qui nõ habet, vendat tunicam, & illum emat. Deinde durum in hoc sensu, quod sit sermo de gladio spiritus, quod est verbum Dei; qui propriè non emitur, nisi valdè mysticè; nec talis vnquam gladius Apostolis fuit interdictus, vt denuo concederetur, & Moyses plus pugnauit precibus, quàm ferro, in Amalechitas. Cętera huic sensui parùm cohærent.

Huius sensus incommoda. *Glossa.* *Ephes.6.* Mosis arma pręcipua contra Amalechitas. *Exod.17.*

Secundò, interpretantur alij hunc locum ad hunc modum: Cùm tempus esset Euangelij prædicandi, Dominus Apostolis à suis consuetis laboribus, & artificijs, quib' sibi victum comparare solebãt, auocauit,

II. sensus. *Ioan. Hofmeisterus.*

cauit, ipseque eorum curam gessit, donec uo prædicandi muneri incumberent; ideò nec pera, nec pecunijs opus erat, cùm ab illis, quibus prædicabant, alerentur, dignus est enim operarius cibo suo. Instante autem passione Christi, concioni Euangelicæ locus non erat; ideò illis permittebat, vt consuetis se laboribus alerent, sicut ante vocationem fecerant. Quid enim tunc prodesset illis prædicare, Iesum, Messiam esse, & Dei viui filium; quem pendentem inter duos latrones sequenti die visuri erant? ideo ait: *Et cum iniquis deputatus est.* Et idcirco legimus, Apostolos ad sua artificia redijsse; piscabantur enim post Domini resurrectionem; mutato enim tempore, mutantur consilia: vt Rechabitę, qui debebant habitare in tabernaculis iuxta præceptum Patris, instante tamen persecutione Regis Nabuchodonosor, habitârunt in Ierusalem: vt docet Ieremias. Verùm hic sensus si verus esset, permisisset Matthæum redire ad Telonium: quod negat beatus Gregorius. Deinde hoc præceptum tantùm ad Apostolos spectaret, & ad tempus tantùm passionis Christi, ac proinde parum doctrinæ contineret: quod si ad alios extenderetur, liceret ponenti manum ad aratrum, respicere retro, vrgente aliqua persecutione. Ad hæc doceret etiam habere gladium corporeũ, quem tamen quis paterfamiliâs pro se, ac suis, à latronum iniurijs vendicandis habet, imò etiam pro patria tuenda bonus ciuis gladium gestat: aliàs si per se peccatum esset gladium gestare, Dominus in Apostolis non permisisset illos duobus gladijs accingi, quos ad sermonem Domini protulerunt.

Matth. 10. *Luc. 23.* *Esai. 53.* *Ioan. 21.* Mutato tempore mutantur consilia. *Ierem 23.* Refellitur triplici ratione. *B. Greg. in Euang. in prin. tom. 2.* *Luc. 9.* *Luc. 22.*

Tertiò accedit Caietanus, qui interpretaturus hunc locum, multa non satis certa inuoluit. Nam primum ponit, Christum in illis verbis Apostolos ad sui ipsius defensionem non animasse, nec etiam quicquam mandasse: maximè quia ibi dictum est: *Hoc quod scriptum est, oportet impleri in me; Et cum iniquis deputatus est.* Quod verò Apostoli nòn putauerint per hæc verba sibi mandatam Domini defensionem, non probatur ex eo quod interrogarunt, vtrum percuterent in gladio: non enim percussissent in gladio, putantes hoc sibi mandatum. Sed certè, si veritatem amamus, probabilius possemus vice versa arguere: quod si aliud putassent Apostoli, nempe quod Dominus nollet defendi, non interrogassent illum: ergo quod rogant videtur ad hoc pertinere, vel vt fierent certiores eius, quod ipsi putabant, aut fortè vtrum tunc opportunum esset id agere, atque ita credibilius à verbis Domini percepisse, quod oportebat gladios parare ad defensionem; ideò & gladios parârunt duos, & cincti ferebant eos, quare & rogârunt an percuterent, ac Petrus morę impatiens, Christi taciturnitatem pro assensu accipiẽs, tanquam persuasus etiam percussit. Secundo loco ponit Caietanus falsum esse, quod Apostoli putauerint, Christum propriam ipsorum defensionẽ mandasse, aut permisisse in illa instante persecutione, quam ipsi non essent passuri; qui solo Domini verbo seruandi erant. Quod probat ex illo dicto: *Pater, quos dedisti mihi, ego custodiui; & nemo ex ijs perijt:* & cùm caperetur, dixit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Sed profectò falsum est, eam persecutionem ad Dominum tantùm, & non ad Apostolos pertinuisse. Contra enim Dominus prædixerat, quod essent in propria dispergendi, sicut factum est, & illa nocte scandalizandi. Petrus etiam metu compulsus negauit: alius relicta sindone manus illorum euasit, reliqui verò dispersi in pedes dederunt se, & post resurrectionẽ congregati, ianuis clausis, delituerunt. Quod verò Christus Patrem orauit vt seruaret illos, non probat quod non esset futura persecutio, sed contra potius, quia futura erat, & ne in ea succumberent; rogauit. Nec tamen hoc puro miraculo, & sine eorum prudenti cautela, & humana prudentia ne Deum tentarent, tribuendum; nec ea oratio ad eos tantùm, sed etiam ad futuros discipulos pertinuit. Et verbum Domini, *Sinite hos abire,* non ad hoc spectabat, vt omninò carerent persecutionibus; sed vt tunc non præualerent, quia seruandi erant per alia tempora. Tertiò docet Caietanus in Ientaculo quodam, sensum huius loci eruendum esse ex differentia temporis, pacis, & persecutionis: ait enim, *Quando misi vos, &c. Sed nunc & ex differentia officiorum, quia olim tempus erat prædicationis, postea verò non erat propter persecutionem; & ex ratione doctrinæ quæ est, quia Dominus cum iniquis deputandus erat, & ex dicendi modo in tertia persona, non enim ait, Sed nunc tollite sacculum, sed in tertia persona, Sed nunc qui habet sacculum, &c. Ex quo elicit duo tempora prædicationis, & persecutionis illius, qua Christi discipuli cum iniquis essent deputandi. Ad hoc enim significandum, in seipsum personam patientium persecutionem transtulit; & ideo non meminit crucis, aut mortis, sed solùm deputationis inter iniquos, Habẽtur etiam duo genera personarum, nempe prædicatorũ in Apostolis, & aliorũ minus perfectorum in tertia persona significatorũ. Et est*

II. sententia, nimirum Caetani, satis incommoda, & infirma. *Luc. 22.*

Ibidem. Falsa ratio Caietani, ad probandam persecutionẽ Domini in passione, non ad ipsos quoque Apostolos pertinuisse. *Ioan. 18.* *Infrà 18.* *Ioan. 20.* *Matt. 26.* *Marc. 14.* *Matt. 26.* *Ioan 20.* *Suprà 19.* Cur Christus orauerit patrem pro Apostolis, vt illos seruaret. *Ioan. 18.* Caietani cõmodior & aptior alibi posita horum verborum explicatio.

sensus: Sed nunc qui habet sacculum. Sed nunc, tẽpore scilicet persecutionis: non quidem mortis meæ sed illius, quando discipuli deputabuntur cum iniquis. Et relatiuum Qui, nõ determinatè Apostolos, sed indeterminatè Christianos refert. Hactenus ille, perplexè quidem, & vt puto diuersè à sensu Euãgelistæ. Falsũ enim videtur, quod aduerbium, Nunc, tempus passionis Christi non significet, sed indeterminatum tempus futurum, & imaginarium.

[...]ædicta Do[...]ini verba: [...]ed nunc qui [...]abet saccu[...]l, &c. ad A[...]ostolos, pro [...]e nõ autẽ [...]d futuros [...]omini disci[...]ulos fuisse [...]recta cõtra [...]aietanum. [...]I. arg. [...]ertium.

Deinde durum videtur, illa verba non dirigi ad Apostolos, sed indeterminatè ad futuros discipulos imperfectos: & mirum esset Dominum loqui ad Apostolos, mutando mandatũ quod illis dederat, & quod sermo eius ad illos non pertineret. Ad hæc si sermo ille indistinctè ad imperfectos dirigitur discipulos, & ipsi Apostoli tunc tales erant, scilicet imperfecti; admiratione non caret, quod sermo directus ad illos, & conueniens illis, ad illos tamen minimè pertineret. Præterea dictio aduersatiua, Sed, clarè indicat in eisdem personis rationem mutandi cõsilij, vel mandati; alias non tam rerum varietas, quam personarum induceret rationem mutandi consilium. Leue item est, propterea non pertinere hunc sermonem ad illos; quia loquitur in tertia persona: nam si acutè perpendas, ibi implicitè continetur secunda persona. Cùm enim Lucas ait: *Sed nunc qui habet sacculum,* perinde est ac si dixerit; Sed nunc qui vestrûm habet sacculũ. Et dicendo, Sed nunc, ostendit quod tũc non erant alij discipuli, ad quos posset illud mandatum dirigi: vnde & ipsi tanquam ad se dictum intellexerunt, proferentes duos gladios. Ad hæc si sermo ille impersonaliter dictus ad eos nõ pertinebat; ergo nec similes multi ad eos pertinebunt: *Vt, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum;* &, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: Si quis mihi ministrat, me sequatur*: qui sermones ad illos magis, quam ad alios qui erudiebantur, spectabãt, secundùm illud; *Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate.*

[...]Quartum. [...]oan. 9. [...]oan. 8. Matt. 10. [...]oan. 12.

[...]Marc. 13. [...]Illud etiam: Et cũ iniquis deputat⁹ est, de Christo in tertia persona, non autẽ de Apostolis esse intelligendum. Esai. 53. Ioan. 15.

Addit Caietanus: *Quoniam & illud oportet impleri in me; Et cum iniquis deputatus est,* nõ intelligi de propria Christi persona, sed discipulorum in tertia persona intellectorũ; ac si diceret: Si me persecuti sunt, ac cũ iniquis deputarunt; & vos persequentur, ac cum iniquis deputabunt: non dico vos Apostolos, sed indeterminatè discipulos. Sed falsum est profectò: nam illud: Si me persecuti sunt; & vos, directum in secunda persona ad Apostolos, & ad perfectiores; quomodo non primò, & maximè ad Apostolos pertinebit? Et quomodo non meminit crucis, & mortis, cũ dixerit; Quod scriptum est, oportet impleri in me? In me, inquit, & non in alijs: quod impletum esse, quando pependit inter duos latrones, testatur B. Marcus. Durus igitur, & perplexus ac falsus videtur hic sensus.

Marc. 15. IV. sensus. Basil. in reg. breuior. inter reg. 231. to. 2.

Basilius in regulis breuioribus declarat hæc verba: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat,* (aut tollet, vt multa habent exemplaria) *non esse præceptum, sed prophetiam prædicentis Domini, quod Apostoli obliti donorum, & legis Domini etiam gladio vti auderent. Quod autem imperatiua sermonis specie pro prophetica sæpè vsa est Scriptura, ex multis locis manifestum est. Velut est illud; Fiant filij eius orphani, &c. Diabolus stet à dextris eius, & quæcunque talia.* Sic ille. Beda verò Venerabilis intelligit Dominum suis præcepisse vt emerent gladiũ, non tã vt eo vterentur, quam vt declararet paratam sibi esse contra Iudæos defensionem, si ea vti voluisset, noluisse autem ea vti, vt ostenderet se voluntariè captum, & passum; & ob id Dominum Apostolis proferentibus duos gladios, dixisse; *Satis est,* quod hi duo gladij sufficerent ad testimonium sponte passi Saluatoris, eo quod vnus Apostolis audaciam pro Domini certandi, & Domino virtutem medicandi doceret inesse: alter nondum vagina exemptus doceret eos, nec totum quod potuerunt facere, pro eius defensione permissos. Sed vt hæc interpretatio mystica videtur, & nõ literalis; ita prior Basilij impingit Apostolis notam, quod obliti donorum, & legis Domini, gladio vsi fuerint, & quod gladios distracta veste sibi emerint: quod nullibi eos fecisse legimus: & si in eo quid fuisset peccati, non debuisset Dominus legem prius datam relaxare.

Psal. 108. & Act 1. V. sensus. Beda in Luc[...] l. 6. c. 92. to. 5.

Hę duę senti[...]tię quid hab[...]ant incõmod[...]

Matt. 10. Luc. 10.

Sed iam tempus est, vt proprium, ac germanum sensum eruamus. Pro quo inprimis præmittimus, Dominum interdũ quibusdam loquendi figuris vti solitum, vt per eas non id modo accipiamus, quod voces immediatè significant, sed quod inde prudentia hominis, vt vitet sensus absurditatem, potest elicere. Vt illud: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*: non id primum designat, vt eo quo se ipsum amore prosequitur, alterum diligat (nam interdum homo se ipsum peruerso amore prosequitur) sed sensus est; sicut te cum ratione, & prudentia diligere debes, sic & proximum tuum ama. Ita, cùm dixit, maxillam percutienti, præbendam esse & alteram, si ad literam contendas intelligendum, absurdum ingeret sensum, & qui exemplo caret; prudẽtia verò ex illis verbis accipit, Deum animum exigere

Verus sensu[...] atq; german[...] loci hui⁹ assi[...]natur. Quæ[...] dã sententiæ Domini figu[...]ratę remoue[...]ris intellgẽtu[...] proponũtur & explicãtu[...] Matt 19. I. de pręcept[...] diligẽdi pro[...] mũ sicut se[...] psum. Suprà s. II De sinistr[...] maxilla præ[...] bẽda dexte[...] percutienti.

exigere præparatum; vt si ad gloriam Dei, & salutem animarum sit opus, etiam id simus facturi: & in hoc quiescit intellectus.

Luc. 17.

III De non descendendo de tecto in domum ad tollenda vasa sua &c. tempore persecutionis.

Eôdem modo quando dixit; *In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, non descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro*: non vult hæc ad literam accipi, quasi velit homines velut bubones manere in tectis, aut in agris quasi pecora cápi: sed illa parabola denotare voluit, tam magnum imminere in persecutione periculum, vt tutum futurum non sit, vel parum auerti à contemplationibus Mariæ, vel etiam ab actionibus Marthæ propter necessaria vitæ. Et cùm mandat prædicari super tecta; non vult vt prædicatores tecta domus conscendant, sed potius eiusmodi tropo Euangelicam prædicationem publicam, atq; in luce, & cum libertate futuram designauit. Sicut cùm ait, in aure, & in tenebris, & in cubiculis, non expressit, Christum sic docuisse in aurem, qui dicebat; *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt; & in occulto locutus sum nihil*. Sed declarauit vbiq; terrarum enarrandum, quod in parua mundi parte, & in vno Palæstinæ loco audierant. Sæpè quidem in altis montibus, interdum in conuentibus & synagogis, quandoque è nauicula populum docere Dominus consueuerat. Hæc, vera esse docet Chrysostomus homilia quadam in Aquilam & Priscillam, edita super 16. ad Romanos: ad quam consulendam Lectorem mittimus.

Luc. 10.
Matth. 10. & Luc. 12.
IV. sententia Domini de prædicatione super tecta.
Ibidem.
Ioan. 18.
Chrys. 10. 4.

V. de sacculo pera, calceamentis, virga & gladio, olim prohibitis à Domino
Matt. 10. & Luc. 10.

Cùm ergo olim Dominus sacculum, & peram, calceamenta, virgam, & gladium prohibuit, nihil aliud voluit intelligi, quã omnem curam temporalem abijciendam esse prædicatoribus verbi Dei, quæ ad vitam tuendam homines seculi sibi comparare solent; eò quòd diuina militibus suis non deest prouidentia, vt vel prospiciat de necessarijs, vel protegat à violentis: quia dignus est operarius mercede sua. Cùm ergo contrà hîc mandat, tolli peram, sacculum, & gladium; non est præcisè sic intelligendum: quid enim si satis sit sacculus? erit ne pera adijcienda? Deinde quid si potius oporteat fugere, & sacculus esset impedimento? Ad hæc quid si magis conferret habere tunicam, quàm gladium? esset ne tunc vendenda tunica pro gladio, præsertim si quis eo vti nesciat, essetque potius impedimento, quàm tutelæ, & magis pro inimicis, quàm pro nobis? Ex his igitur verbis, id solùm quod diximus, intelligendum est.

Varietas temporum, varie-

Deinde præmittendum, varias temporum conditiones, varia exigere officia, vt quod vno tempore est aptum, alio sit incõgruum. Hinc scriptum est: *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo.* Et vt varia sunt tempora, varij quoq; personarum status, & diuersa munera exigentes existunt: aliud enim postulamus ab antistite, magistro, & perfecto viro, aliud à rudi discipulo, ac imperfecto: nã quia ad publicam vtilitatem munus sibi commissum administrant, in omni sua actione ad illam respicere debent, & consequenter ea quæ sunt maioris perfectionis, interdum negligere, vt aliorùm saluti consulant. Ita enim Dominus faciebat, & Paulus, & perfecti omnes. Tertiò statuimus, Apostolos eo tempore rudes fuisse atque imperfectos, multasque Domini sententias etiam apertas non intellexisse: vt, cùm dixit Iudæ; *Quod facis, fac citiùs*, & verbum de cruce simpliciter propositum apud eũdem Lucam, vbi subditur: Et ipsi nihil horum intellexerunt; & erat verbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur. Alij etiam non assequebantur illud: *Nõ quod intrat in os, coinquinat hominem*; neq; illud; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

tatẽ quoq; officiorum inducit.
Eccles. 3.

Apostoli ante aduentum Spiritus sancti quam imperfecti erant & rudes.
Ioan. 13.
Luc 18.
Matth. 15.
Ioan. 2.

Vt igitur quæ præmisimus, ad rem propositam accommodentur: cùm initio prædicationis Christi doctrina eius fauorabiliter exciperetur à populis, antequam in eum inuidorum incenderentur animi, opportunũ vidit esse tempus Apostolos destinandi ad prædicandum, ac simul docendi illos, vt abijcerent omnem solicitudinẽ atque curam, quantum fas erat ad seruandum corpus: at excitata in Dominum persecutione, mutata est ratio temporis. Et cũ adhuc ipsi Apostoli imperfecti essent, nouo consilio indiguerũt; & idcircò audiunt, vt vtantur humana prudentia ad prospiciendum sibi siue fuga, siue defensione: quoniam iam non erat amplius tempus, vt peculiariter illis assisteret diuina protectio, quò interim experientia cognoscerent, quid ex se ipsis posset. Propterea dixit: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram, id est, Congruum fuit, vt obediẽtes mandatis meis, quando erat tranquillitas temporis, mea prouidentia vobis succurrerem in necessitatibus vestris; ne filij Sponsi lugerent, quamdiu cum illis erat Sponsus. At nunc cum auferendus est à vobis Sponsus, cùm percutiendus est Pastor, & cũ iniquis deputandus, congruit, vt vobismet dimittamini, & communi Patris prouidentiæ relinquamini. Et quia nõ poteritis tunc mendicato vitam procurare,

Præceptũ illud olim datum: Non ferendi quicquam in via, in præsens istud, q causã faciat variandi.

Matth. 9.
Infr. 26.
Zachar. 13.

de

u. sacculo, & pera mentionem feci, vt colligatis quid ad perfectionem necessarium sit. Et quia imminere vitæ periculum poterat, defensionem à Naturæ iure præscriptam etiam permitto, imò & suadeo, vt etiam distracta tunica ematis gladium; non enim apti eritis ad crucē ferēdam. Quemadmodum Petro dixit. *Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem posteà*; cùm scilicet Spiritu sancto repletus fueris, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis: nūc autem opus est mihi soli perficiendū, quoniam torcular calcare mecum nō potestis, quia nōdum Spiritus fortitudinis venit in vos, nec decuit vt veniret, antequàm ego parta victoria cœlum conscendam, vt inde eum mittere valeam. Ideo commisi vos Patris prouidentiæ, vt seruemini; ita tamen vt humanum vestrum consilium à vobis, requiram, & humana præsidia non negligatis. Hoc ergo faciam, tum vt cognoscatis, quòd cùm vobis nihil defuit, nocuitve, aderam vobiscum peculiari prouidentia, & vt nunc vobis ipsi dimissi agnoscatis, quàm nihil ex vobis ipsis possitis; quò illa cognita, aliquando omnia possitis in eo, id est, in me, qui conforto quos volo. Cùm enim non haberent sacculos, aut peram, sicut calceos, nihil illos defecit; quò verò tēpore permisit eis habere marsupiū, & peram, & gladium, inuēti sunt & esurire, & sitire, & nudi esse, & colaphis cædi, & denique ad mortem quæri. Hinc Chrysostom. in præfata homilia eleganter ait; interrogans quare Christus contraria præceperit Lucæ 22. illis, quæ olim Lucæ 10. mandauerat: *Quare hoc fecit respondet: Sanè hæc admodum dignè fecit pro sua sapientia, curaq; quā pro discipulis gerebat. Ab initio enim vocationis hoc faciebat, vt discipuli periculum virtutis suæ facerent; & posthac in orbem terrarum exituri, hoc exemplo animati magis fiderent. Verùm vbi iam potentiam suam agnoscere cœperunt, voluit vt & ipsi domi virtutis specimen aliquod præberent; permisitq; ipsosmet, suas ferre tentationes, ne scilicet perpetuò otiosi residerent, & ad finem vsq; in omnibus quasi pueri gestarentur. Et quemadmodum qui artem natandi docent, principio multa diligentia, discipulos gestant; post vnum autem, & alterum & tertium diem subtracta dextera illis præcipiunt, vt seipsos iuuent, & nonnunquàm illos parumper mergi sinunt, ita, vt & multum salsuginis sorbeāt: ita sanè & cum discipulis suis Christus faciebat. Nam initio nihil eos pati sinebat, vel paruum, vel magnum; sed vbiq; aderat muniens, & circumuallans eos, faciensq; vt omnia vbertim eis affluerēt; cùm verò tempus esset, vt virilem ætatem suam illi declararent, subtraxit aliquandiu beneficium, præcipiens eis, vt etiam per seipsos multa perficerent. Atque hanc ob caussam, cùm non habebant calceos, vel zonam, vel baculum, vel æs, nihil eis deerat. Dicit enim. Num aliquid vobis deerat? Et respondentes, dixerunt;* Nihil. *Cæterùm quo tempore permisit eis; vt marsupium haberent, & peram, & calceos, inueniebantur & esurientes, & sitientes, & nudi incedentes. Vnde liquidum, cur passim eos periclitari, & affligi sinit; nempè vt mercedem aliquam habeant. Et quemadmodum aues pullos suos fouentes, tādiù in nido sedent, donec illorum plumæ increscant; quas dum increuisse viderint, eos primùm circa nidum volitare docent, dein adminiculo suo totos destituunt: ita faciebat & Christus. In Palæstina enim, quasi in nido nutricabat discipulos, & exin eos volare docuit præsens, & gestans: tandem permisit eos volare in totum orbem, dato eis mandato, ne sibi ipsis deessent. Et quòd ideo omninò eos nudos, & vna tantū veste amictos misit, & absq; calceis ambulare iussit, vt suam virtutem, & potentiam cognoscerent: sciemus verum esse, si & aliud dictū audiamus. Non enim simpliciter dixit eis: Tollite marsupium, & peram; sed priorem memoriam refricando sic dicebat: Cùm mitterem vos sine marsupio, & pera; aliquid ne deerat? Hoc est, Nonne omnia vbertim vobis affluebant, multaq; largitate fruebamini? Sed nunc volo vos & paupertatem experiri, & ea propter ad legem priorem obstrictos nolo, neq; à vobis idem quod anteà, exigo, vt ne quasi per inanima organa per vos operari existimet, Adhibete & vos vestram diligentiam, & industriam. Quod si adhuc dicis; an non maius fuisset beneficium, si semper ita securè versari eos voluisset? Verùm non ita probati fuissent, si nullā vel afflictionem; vel persecutionem, vel inopiam, vel angustiam degustassent; sed mansissent ignaui, & pigri. Cæterùm oportebat relucere non solùm beneficium, & gratiam Christi, sed & subditorum probationem; vt ne sint posteà, qui dicere possint, Apostolos nihil à seipsis attulisse, sed facta omnia opera Christi. Non enim difficilè erat Deo vsq; ad finem in eo successu custodire, sed noluit ob varias, necessariasq; caussas, quas sæpè charitati vestræ niximus. Alia autem hac non minor, nempè vt modestiæ assuefierent. Tertia verò, vt ne maior illis, quàm hominibus debetur, honor exhiberetur. Itaque propter hæc, & his multò plura; cùm permisisset eis multa inexpectata accidere, noluit priorem legem tam arctam manere, sed eius seueritatem nonnihil relaxauit; vt ita non esset eis grauis, & intolerabilis vita, si vbique derelinquerentur, & simul duram hanc legem seruare cogerentur. Quoniam autem oportebat obscurè propositum clarius docere; idcirco postquàm dixit: Qui habet marsupium; tollat & peram, subijcit: Et qui non habet, vendat vestem suam, & emat gladium. Quidnam hoc? Armatne discipulos, qui dicit: Si quis percusserit te in vnā maxillam*

Ioan. 13.
Infra 21.
Esai. 63.
Philip. vlt.
Quando Apostolis videri possit aliquid defuisse.
1. Cor 4.
Chryso. ho. in Priscill. & Aquil. 1. in 16. c. ep. ad Rom. tom. 4.
Quemadmodum Christ' cum discipulis passionis suæ tempore egisse videatur, secūdùm Chrysost.
Altera Chrysostomi idonea comparatio.
Cur Apostoli nō eadem qua prius bonorū affluentia, vitæ securitate ampli' potiri debuerint, eodem autore.
Matth. 5.

Ibidem. *xillam, obuerte ei & alteram? qui præcepit vt benedicamus ijs, qui nos conuitijs lacessunt, feramus inuadentes, oremus pro persequentibus; nunc armat, armatq; vno tantùm gladio? Et quomodo hæc rationi consona sunt? Nam si omninò armis opus erat, nō solùm gladio, sed & scuto, & galea, & cruralibus armare oportebat. Et profectò si humano more dispensare, & agere hoc voluisset, profectò ridiculum erat hoc præceptum, quandoquidem licèt sexcenta id genus arma possedisset, aduersus insidias, & impetus populorū, & tyrannorum, ciuitatū, Gentium, quomodo potentiores habiti fuissent vndecim? Non potuissent præ timore spectare faciem exercituum, & audire vocem hinnientium equorum: viri nonnisi in stagnis & fluminibus, & lembis versati. Quare hoc ergo dicit? Iudæorum insidias indicare volebat; idq; manifestè, non per ænigmata, ne iterum secum confunderentur.* Hactenùs ille doctissimè, atque elegantissimè; vt nihil ampliùs ad huius loci explicationem desiderare queas. Nam plena profectò sunt prudentia verba Domini. Et ita Lyranus, & alij commodè docent Dominum voluisse significare licitam esse Apostolis defensionem tempore persecutionis ingruentis: & sicut tempore pacis gladij in vomeres, & lanceæ in falces cōflantur; ita tempore belli, vel persecutionis etiā distracta tunica, comparanda sunt. Pueri dum infirmi sunt, aliorum humeris gestantur; cùm verò grādiores sunt effecti, non ampliùs hoc beneficium parentes, illis indulgent: ita factum est cum Apostolis, & idem olim accidit filijs Israel in egressu de Ægypto. Nam ipse Dominus pro illis pugnauit, submersit inimicos, in deserto pauit manna, & potauit; non defuit illis vestis nec calceus est detritus; sed sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis: at postquàm promissam Terram sunt ingressi, subtractum est manna: voluit vt seminarent, & meterent, & vt ab inuadentibus se, gladio tuerentur.

Lyran.

Esai. 2.

Exod. 17.

Supra 14.

Exod 16.

Infrà 17.

Deut 32.

Quorsū hęc: Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.

Et subdit: *Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.* Id est, Ea quæ scripta sunt de me per Prophetas, citò consummabuntur, & finē, propter quem prædicta sunt, consequentur. At Apostoli rudes, & necdum tentationes experti, nec Domini verba intelligentes, sed persecutionem imminentem prędicere, & defensionem aliquam suadere putantes, responderunt, dicētes, Ecce duo gladij hic: non à tendente, Dominum ratione perfectionis suæ se ab illis secreuisse, cùm esset idoneus, & maturus ad ferendam crucem, & ideo gladijs non indigebat. At Apostoli cùm non essent idonei, & maturi ad crucem, ad humana præsidia confugere opus habebant; ideo minimè intelligebant quod erat fortius, & perfectius ipsum pati, quod opus est gratiæ, ad quam porrigendam Dominus est paratus; quàm se tueri vel fuga, vel gladio, quod est naturæ. Vnde autem Apostoli haberent ibi duos gladios, non satis constat. Cyrillus in Ioannem refert, Petrum gladium habuisse propter hortos, ad quos diuertebant, & cōdensa loca, & ne nocte concubia à feris læderentur, quarum in Iudæa est copia. Etsi enim Christus sua virtute posset illas repellere, tamen Apostoli hominum more viuentes, humana curabant. Vel, vt testatur Euthymius, illis gladijs vsi fuerant ad immolationem agni, & diuisionem eius. Vel, quod non est improbabile, fortè spectabant ad patremfamiliàs domus, vbi cœnauerāt. Illis igitur gladijs accincti sunt Apostoli, vt quamuis ingruentem persecutionem vel à Christo, vel à seipsis propellerent, vt facto ipso satis indicarunt. Dices, Ergo ex hac expositione colligi posset, licere Sacerdoti vsum gladij ad defensionem saltem moderatam, quæ iure naturæ est permissa. Respondeo, verum esse, cùm Sacerdos non est paratus aut perfectus ad sustinendum martyrium, vel perfectionis illorum consiliorum non est capax, nempè: *Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed, si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram;* & illius doctrinæ Apostolicæ: *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Verùm cùm Sacerdos perfectus est, sed ad tempus, ad Christi gloriam illustrandam expedit eum viuere, licet se protegere etiā armis: qua ratione perfectissimus Paulus vsus est equitibus, & militibus, cùm ex castris missus est in Cæsaream. Etsi enim perfectioris sit spiritus acerba quæque, atque adeò mortem pro Christo perferre; Deus tamen sanctos suos seruos, ac ministros nō vult tam citò de medio tolli, sed vt in aliud tempus seruentur.

Apostolorū imperitia.

Gladios duos in cœna agni Paschalis vnde Apostoli habuerunt.

Cyril li. 2. in Ioā. c. 33. to. 1.

Altera solutio.

Euth in Luc. c. 78.

Tertia.

Verum liceat ad sui defensionem vel moderatam, Sacerdoti gladij vsus.

Matt. 5.

Rom. 12.

Exemplum propriæ defensionis in Paulo.

Act. 23.

Dices secundò, obijci posse contra hæc verbum Domini: *Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis:* quid ergo opus erat cogitare de crastino, & cōcedere sacculum, & peram? Respondemus, dominum non prohibere illis verbis nisi anxiam, & de fide diuinę prouidentiæ nutantem solicitudinem; aliam verò, quàm prudentia, & charitas dictat, non tollit fides: neque illud propriè est cogitare de crastino: vnde Apostoli colligebant eleemosynas, pro sanctis, qui erant Ierosolymis. Et quāquàm perfectior sit pauper spiritu, nihil actu possidens, & congregatio illa

Quærentibus regnum Dei si omnia adijciuntur, quid opus sacculo vel pera Apostolis fuit.

Matth. 6.

Act 11.

1. Cor 16.

Act. 24.

Matt. 5.

Perfectior q paupertas ex istimanda.

...tia, quæ nihil habet, etiam in communi, sit præstantior, tamen caussa necessitatis & imminentis persecutionis si incumbat, pera, & marsupium etiam perfectis conceditur. Et sicut de sacculo, & pera corporea loquitur, ita etiam de materiali gladio. Et maiorem necessitatem innuit gladij, quàm aliorum, dicendo distrahendam vestem pro gladio: non tam enim homines ex penuria victus affliguntur, quàm ex violenta in corpus persecutione. Et ideo per gladium intellige omnia arma, quæ, vt diximus, ad defensionem valent.

Gladij appellatione quid veniat more Scripturæ.

Expenditur Christi responsum ad discipulos: Satis est.

At ille dixit eis, Satis est; Non dixit, satis sunt duo gladij, sed satis, siue vt Græcè dicitur ἱκανόν ἐστι: quę verba ironicè dicta putat Theophylactus. Videns enim illorum ruditatem, ac imperitiam, quasi tædio affectus ad docendum, ait, *Satis est*: quam expositionem Theophylactus accepit à Chrysostomo, qui in prædicta homilia in hunc modum scribit: *Discipulis autem dicentibus: Hic sunt duo gladij, & nō intelligentibus dictum, ait: Satis est; tametsi non suffecissent vel duo, vel tres, vel centum; si humano auxilio eos vti voluisset. Quod si noluit humano præsidio vti, sunt vtique vt hi duo superflui. Proinde hic doctrinam suam non exposuit, id quod vbique facere videtur, vt quoties dicta minùs intelligunt discipuli, euentui rerum, dictorum intelligentiam accipiendam relinquat: ita & alibi facit. De resurrectione enim disserēs, sic alicubi dicebat: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, & nō intelligebant discipuli quid diceret: sicut & Euangelista testatur, dicens: Quando autem surrexit Iesus, crediderunt verbo eius, & Scripturæ:* & iterum alibi: *Nondum enim sciebant Scripturam, quod oportet ipsum à mortuis resurgere.* Hæc Chrysostomus, tradens pulcherrimam regulam, qua explicat, dominum multa dixisse, quæ etsi cùm dicerentur, à discipulis non caperentur, volebat tamen, ab euentu rerum eos dictorum capere intelligentiam: à qua ratione docendi nō debent abhorrere, aut concionatores, qui populum erudiunt, aut magistri, & institutores, qui iuuentutis bonis moribus informandę munus profitentur.

Theoph. in Luc c. 22.
D. Chrys. ho. 84. li. 10. ep ad Eo. super ijs verbis Saluatore Prif. illa & Aquilam.

Ioan. 2.

Pulcherrim⁹ canon intelligentiæ verborum Domini.

Quibus ille potissimùm deseruiat.

Per hos duos gladios multa mysticè possunt intelligi. Quidam ad duo Testamenta illos referunt, in quibus est idonea doctrina ad vniuersalem Ecclesiam tuendam, & ab vniuersis eius impugnatoribus vendicandam: de qua intelligi potest illud; *Sicut turris Dauid collum tuū, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Aut sanè duplex gladius secundùm alios Patres, est potestas spiritualis, & temporalis, de qua Bonifacius VIII. in Extrauaganti, quæ incipit: *Vnam sanctam*, De maioritate, & obedientia, in hunc modum habet: *In hac* (scilicet Ecclesia) *eiusq́, potestate, duos esse gladios, spiritalem videlicet, & temporalem, Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hic; in Ecclesia scilicet, cùm Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, Nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis. Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritalis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem autoritatem spiritali subijci potestati.* Hæc ille, quæ magna ex parte videtur desumpsisse ex B. Bernardo lib. considerat. ad Eugenium. Illud tantùm perpende, quod affirmat Pontifex, Dominum in Euangelio dixisse de vtraque potestate in illis duobus gladijs expressa, intelligendum esse in sensu spirituali, siue mystico, quo interdum Pontifices, sicut & veteres Patres vti cōsueuerunt. Illud etiam aduerte, gladium materialem non quidē manu, sed nutu Sacerdotis esse exerendum. Vnde Gregor. Magnus in epistola ad Sabinianum testatur, se à gladio propter Deum abstinuisse: *Quo si vti*, inquit, *voluissem, Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet; atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.* Hæc ille.

Quid duo gladij Christo ostensi ab Apostolis mysticè significent.
I. sensus.
Cant. 4.
II. sensus.

Bonifa. VIII.

Matt ...
... dius ... sia ... ex... cetur, corpo... ... & spi... ...

B. Bern l. 4. de cons paulò ante med.
Bonifacij Pōtificis dictū expenditur.

Corporeus gladius nutu Sacerdotis, nō manu est exerendus.
Greg. l. 7. Reg. ep. 1. 10. 2.

III. sensus.

Sunt prætereà, qui exponendo illud verbum, *Satis est*, dicant, ad ostendendam licitam defensionem satis esse vnum gladium euaginare: & Petri audaciam volentis suo gladio defendere Dominum, repressam fuisse, ne passionis impediret mysterium. Alterum verò gladium non fuisse euaginatum, vt indicaret, non esse permissum Apostolis facere quantum poterant ad sui, & Domini defensionem; quò innotesceret cunctis, patiētiam esse meliorem etiam licita defensione. Hoc his verbis indicauit Ambrosius: *O Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi, nisi fortè vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse?* Hæc ille. Sed hæc etiam, vt arbitror, ad spiritualem intelligentiam spectant. Et ad priorē interpretationē traditam de duobus gladijs subiecit Amb. *Mouet et tamen adhuc, quod duos gladios discipuli protulerunt, ne fortè vnum Noui, alterum Veteris Testamenti, quibus aduersus diaboli armamur insidias.*

Melior patiētia quauis etiam licita sui ipsius defensione.
Amb li. 10. in Luc. c. 10. init. tom 5.
Cur emere iubet Dominus gladium (ait Ambrosius) qui ferire nos prohibet.

dias. Denique dicit Dominus: Sat est: quasi nihil desit ei, quem vtriusque Testamenti doctrina munierit. Hactenùs Ambrosius.

Tria Christi documenta hoc Euangelio nobis Lucæ proposita.

Ex his igitur addiscamus, diuersa diuersis temporibus sine vlla contradictione posse nos tradere mandata: & alia ratione esse agendum cum infirmis, & pusillis, alia verò cum magnis, & fortibus. Discamus & ad viam cœlestem perficiendam, opus est sacculo, & pera, atq; gladio. Sacculo quidem indigemus bonorum operum, quæ sunt bona moneta, imaginem Dei, & spiritus habens, & superscriptionem fidei, & charitatis. Adhæc pera panis verbi Dei, & Eucharistiæ, atque eleemosynæ necessaria existit. Denique accincti simus gladio spiritus, quò dæmonis insidias, & carnis illecebras, & mundi prospera, atque aduersa superare valeamus, nosque adeò, & nostra omnia, atque adeò Imperatorem ipsum tueamur custodiæ nostræ traditum, & in cordibus nostris inhabitantem Iesum Christum Dominum nostrum, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit omnis laus, honor, & imperium in sempiternum. Amen.

I. docum.

II. docum.

Ephes. vlt.

TRACTATVS XLVIII.

In illa verba: *Et ait discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis, &c.* Ioan. 14.

Palladem bello atq; sapientiæ præfuisse, cur Poetæ fabulantur.

PALLADEM bello atq; sapientiæ præfuisse, Gentilitas finxit; volens innuere, Imperatores nō tantùm peritia militaris artis, sed etiam scientia dicendi, & persuadendi præditos esse oportere, quò videlicet possint, & exercitus prudentiùs ductare, & militū animos quocunq; voluerint inflectere, atq; incēdere. Atq; in hunc modū inter Romanos præclari, & prestantes non habebātur Imperatores, nisi cū bellica fortitudine atque scientia, eloquentiæ quoque studium coniunctum haberent. Meritò igitur inuictus, & maximus Imperator noster Christus, qui Dei est virtus, & Dei sapientia, vt docet Apostolus, præter inuictum animi sui robur, & Christianæ militiæ contra dęmonem, carnem, & mundi machinis peritiam, magna & incredibili dicēdi gratia ornatus fuit, adeò, vt populos in admiratiōnē raperet, & discipulos suos de discessu suo cōturbatos, imminētiúq; persecutionū procella exterritos, grauissimis, & viuis verbis consolatus fuerit; vt rectè illius personam induens dixerit Propheta; *Dominus dedit mihi linguā eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.* Atque ita exorditur: *Non turbetur cor vestrum.* Ab hoc loco sumit initium sermo habitus in cœna, in quo Dominus codicillum nihil discrepantem à testamento iam facto condidit. Cumque post cœnam soliti sint homines alacriores esse, atque iocundiores; Christus tamen mœrore Apostolos affecit suo verbo. Proinde & illo eodem corroborat eos, atq; solatur, vt dicere possit; *Percutiam, & ego sanabo.* Erant enim quatuor de causis discipuli exanimati. Primùm quidē, quia dixerat de morte, & discessu suo, quē molestissimè ferebant. Deinde, quia audierant, *Vnus ex vobis tradet me.* Tertiò intellexerant, Petrum ea nocte ter Dominum negaturum, ac proinde cogitabant apud se; Quid igitur nobis inferioribus accidet, sucumbente Petro? frustrà ergo Christum sequendo, tot labores pertulimus? Postremò acceperāt: *Quò ego vado, nō potes me modò sequi sequeris aūt posteà;* Et quòd, qui nō habet gladiū, vendat tunicā, & emat illū. Vnde valdè perterrefacti erant, audientes se Christum morientem sequi nō posse: nam hæc cogitasse illos, aut cogitaturos fuisse, vehementer est probabile. Hinc Christ⁹, qui animorum vulnera non ignorabat, & sanare pro sua sapientia & charitate poterat, imò etiam interdum auxilio atque remedio salutari præuenire consueuerat; Apostolorum pectora multis rationibus per tria integra capita sequentia confirmat; & per linguam eruditam sustentat, varijsque modis corroborat, tum exemplo sui, & quod propter nomē suum passuri essent; tum pollicitatione spiritus paracleti; dum denique promissione fructus ex illis tribulationibus percipiendi, & gaudij quod afflictiones cōsequi solet. Solatur autem illos, non quidem crucem sibi, aut Apostolis auferēdo, sed, quod maius est, animum eorum roborando, ne vel in Christi morte, vel in suis ipsorū persecutionibus deficiant. Quare nec vos meliora nobis polliceamur.

Quinā præclari & præstantes apud Romanos Imperatores haberentur.

1. Cor. 1.

Christi in solādis discipulorū animis mœrentibus & afflictis mira sapientia.

Matth. 7. & sæpè alibi.

Esai. 50.

Sermo Christi in cœna habitus vnde sumat initiū.

Deut. 32.

Ioan. 13.

Marc. 14.

Quænā causæ mœrens Apostolorū in cœna Domini extiterint

Ibidem.

Ioan. 13.

Luc. 22.

Ioan. 13.

Christus animorum medicus peritissimus, amantissimus.

Vnde Christ⁹ discipulos mœrentes afflictosq; consoletur, & quatenus.

Ait ergo: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Verbum vltimum in Græco codice, & in Syriaco non habetur, nec in textu Augustini, neq; Chrysostomi, vnde videtur additum, quāquàm non vitiet textum, vel sensum. Et in fine capitis hoc ipsum habetur; *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet.*

Aug. trac. 67. in Ioan. 10. 9.

Chrys. ho. 72 in Ioan. 10 3.

Audisti

Hæc Domini exhortatio qualis videri possit non optimo rerum æstimatori, & iudici.

Audistis, quia ego dixi vobis, Vado, & venio ad vos. Mirum autem est cur voluerit Dominus eos non turbari; cùm videatur perinde esse, ac si diceret existenti in medio igni, Noli calefieri: vel intra aquam, Noli madefieri? Deinde ipse in cœna conturbatus, ac ingenti mœrore affectus, contrarium facto docebat. Adhæc quis parens à legitimis filijs discessurus, nedum moriturus, præciperet eis, vt se post mortem non deflerent? Est autem turbatio animi per immoderatum mœroris, & timoris affectum deiectio, animum à firmitate sua deprimens: quæ vel sine peccato nō est, vel ad peccatum saltem inducit. Et turbationis verbū metaphoricè sumitur vel ab aqua, quæ claritatem suam nō seruat ob terram immixtam: vnde apud Ioannem dicitur; Vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; vel ab aëre; qui per nubes serenitatem amittit suam. Ita animus per peccatum, aut inordinatum motum aliquem serenitatem conscientiæ perdit, de quo dicitur; Seculi tristitia mortem operatur, & Dauid, Turbatus est à furore oculus meus, & Salomon; Semper præsumit seua perturbata cōscientia, & iterum de damnatis, Videntes turbabuntur timore horribili: & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, & reliqua. Hic igitur non turbationem naturalem prohibet, quæ viriosa non est: natura enim nostra suopte ingenio crucem exhorret, atque auersatur. Illud tantum proponit, vt si turbatio aliqua mentem præoccupauerit, illa ad cor vsque, id est, voluntatem non peueniat, quæ immota manere debet in bono affectu erga Christum; vel si peruenerit ad cor; non permaneat tamen, sed statim excutiatur. Non igitur quamlibet turbationem, sed inordinatam tātùm, quæ vel rationem præuenit, vel vsum impedit eius, & paci atque tranquillitati conscientiæ opponitur, & quæ ad desperationis vitium impellit, Dominus his verbis prohibet. Ob id autem illos mœrore, aut timore affici non vult, quòd eius anima aliàs turbata fuerit, & spiritus conturbatus: vt quemadmodum pro illis perturbationes sustinuit, ita & ipsi sua sponte perturbationes vincerent suas. Deinde ait, *Non turbetur cor vestrum*; Id est, Confidite, nihil vos à pristina deijciat fiducia, etiam quòd me derelictum, & in manus inimicorum datum videatis: hæc enim, quæ terroris sunt, eò magis vos ad confidentiam excitare debent. Sic enim experimento cognoscetis, quàm seriò & intimè vos Deus dilexerit, qui Filium suum pro vobis ad necem tradiderit. Tertiò etiam nō est quòd turbetur cor vestrum, quòd vos scandalum passuros dixerim, & non posse vos me sequi modò quasi propterea ego vos sim derelicturus. Sed nō peribitis: in me cōfidite, qui vos modò per mortem redimam. Vnde cùm latro omnia videbit aduersa, eo maiorem fidem, ac fiduciam adferet; vt in eo vos doceam, quòd vt in eo nihil perdam, ita & vos perdetis nihil, sed cumulatiora vobis dona conferam. Nō enim ita discedo, vt separer à vobis, sed vt maiora bona vobis acquiram. His itaque rationibus Dominus Apostolos erigit, & confirmat; vt si quid humanum patiantur, spe veniæ respirare valeant: & ipse qui in cœna cœpit pauere, & tædere adeò, vt ipse Angelo se confortante eguerit, ipse, inquam, modò Apostolos corroboret; adimens sibi, vt dici solet, bolum de ore, vt Apostolis de cibo prospiciat. Docetque nos mœstos, & desolatos ab alijs firmandis non desistere, vt & ipsi propterea mereamur à Deo consolari, iuxta illud Apostoli; Siue tribulamur pro vestra exhortatione, & salute; siue consolamur, pro vestra consolatione.

Turbatio animi quid, & vnde ducta hæc metaphora.

Ioan. 5.

Animi turbatio vnde sit.

2. Cor. 7.
Psal. 6.
Sap. 17.
Suprà 5.

Qualē Christus tantummodo Apostolis mœrorem, & timorem nolit inesse.

Quid inordinatus mœroris, aut timoris affect° parere soleat.
Ioan. 12.
Infrà 13.

Rom. 8.

Act. 26.

Luc. 23.

Marc. 14.
Luc. c. 22.
Mira Christi charitas in discipulos.

2. Cor. 1.

Subdit: *Creditis in Deum, & in me credite.* Priori verbo eos de suo discessu, & ipsorum persecutione solatus est; hoc autem verbo eos munit contra crucis scandalum, & perturbationem, quam in ea passuri erant. Quia enim Christus cruci suffigēdus erat, salutis autor minimè putari poterat. Vnde dixit, *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*: & Apostolus; *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*: Et duo ex discipulis proficiscentibus Emmauntem, dicebant: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Hoc verbo indicat se Deum esse, ac Deo æqualem, in quem solùm credere debemus: in creaturam autem credere non dicimur in sacris literis; sed per illam. Sicut aliàs dictum est: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum*, hoc est, per Ioannem Baptistam præcursorem. Seque à mortuis excitandum; eo verbo insinuauit. Vt enim Deum nulla vis, aut potentia valet deprimere; ita nec tantillum maiestatis, & gloriæ, quam habet cum Patre communem, propter crucem perdere potest: vt Nonnus Paraphrastes exponit. Docet item nos, vt alios Deo contrarios non iudicemus, si videamus eos aduersa pati: dummodò propter impietatem nō patiantur. Adhæc ne putemus nos reiectos, aut perituros, si aduersis exponamur: nam & Christus multa perpessus est, nec tamen minùs à Deo dilectus fuit. Docet quibus armis mala, quibus premimur, vincamus, nempè fide in Deum, & Christum. Hæc est enim victoria quæ vincit mundum, fides nostra, quæ est scutum, in quo omnia tela nequis-

Qui mereantur diuinum solatium.

Matth. 11.

1. Cor. 1.

Luc. vlt.

Credere in Deum, nō in creaturā, sed per illam dicimur in sacris literis.
Ioan. 1.

Christus hoc verbo, Creditis in Deum, & in me credite, quanta nos doceat.

Non. Paraph. in Ioan.

1. Ioan. 5.

nequissimi, etiam ignea extinguũtur. Vnde Paulus ait; *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* De his armis fidei Dauid dicebat. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Est autem in Deum credere, omnia bona posse Deum donare; & ab eo nos sperare debere, certa assensione apprehendere. Subiungendoque: *Et in me credite*, docet non satis esse more Iudæorum in Deum credere, sed opus esse credere, in Deo esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, distinctas personas quidem, vnum tamen Deum: & Christum Filium Dei mediatorem esse, aduocatum à Deo, nobis propositum, vt per ipsum omnia quæ ad salutem faciunt, tum in hoc seculo, tum in futuro, nobis comparare valeamus. Existimant quidam; nullum aliud credendi extare præceptum, quàm hoc: *Creditis in Deum, & in me credite.* Sed non considerarunt illi, frequenter alios Scripturæ locus. Nam Marcus dicit; *Pœnitemini, & credite Euangelio:* & Dominus apud Ioannem; *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*; &, *Qui non credidit, iam iudicatus est*, &c, *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me*; & apud Marcum: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et pleraque sunt huiusmodi testimonia attentè Scripturas legentibus; vt minimè sit necessarium rem tanti momenti, id est, præceptum Credendi, ad vnum locum redigere. Dicendo itaque, *Et in me credite*, vel in me credetis, vt Græca litera habet, Apostolos insinuat nonnihil de Christi officio, & persona dubitasse. Nobis igitur ipsis discamus minimè credere, à quibus est perditio sed in Deum Patrem, ac Filium, à quibus gratia, salus, & gloria in nos deriuãtur. Magnum autem, & audax postulatum, vt cùm à Deo destitui, nec sibi ipsi auxilio esse posse videatur, postulet tamen in se credi: hoc enim nemo sanæ mentis auderet petere, nisi ille, qui solus est Deus, & scrutator cordiũ. Græca lectio habet: Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. Et anceps est verbũ ad Indicatiuũ, & Imperatiuum: & si Imperatiuè accipiatur, vt accipit Syriacus codex, monentur vtrumq; credere, ne corde perturbentur: nam perturbatio eò tendebat, vt Fidem perderent. Si verò Indicatiuè, & alterum Imperatiuè, vel vtrumque Indicatiuè accipiatur; significatur fidem in Deum, esse rationem credendi in Iesum, qui eadem fide recipiendus est Filius, qua Pater, quia vterque vnus, & idem Deus. Quasi diceret: Tẽpus erit, in quo oportebit vos testari fidem vestram in Patrem, & in me: prodite ergo illam sine metu. Et ita intelligit Augustinus: *Consequens*, inquit, *est, vt si in Deum creditis, in me credere debeatis: quòd non esset consequens, si Christus non esset Deus.* Vel sensus est: Si fide in Deum omnes vos difficultates euasuros speratis, & in me quoq; fidem habere: quis enim alius me vobis, quã Deus commẽdauit? nũ aliud secuti estis, quàm diuinam inspirationem? Certè non opes, non honores, nõ commoda vlla attraxerunt vos ad me, sed solus Deus inspirans. Si ergo per Deum à nullis aduersitatibus formidatis, credite etiam in me, quem Deus etiam constituit, in quem vt crederetis, ipse quoque Deus inspirauit. Non ergo mea passio prædicta à credendo deterreat; nam cùm per eam Dei gloria à me quæratur, ac vestra salus, plus potiùs in me, quàm minus, credendum est; qui nihil, quod ad Dei gloriam, & vestram salutem faciat, recusem.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Dupliciter possunt hæc verba superioribus coniungi. Primùm quia dixerat, *Quò ego vado, vos non potestis venire*, perturbati erant & errare poterant cogitando quòd in domo Patris non esset mansio, nisi pro solo Iesu, vel saltem pro paucis, eo quòd dixisset sol Petro: Sequeris aũt postea. Vt hũc tollat intellectum falsum, ait illis; *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: quasi diceret, Non putetis me præoccupaturum locum, aut paucis præparaturũ, vel vestrum comitatum erubescere, vel vobis ipsis inuidere, & tanquàm Iacob solum præripere benedictionem Dei, atque ita primas mansiones, mihiq́ue proximas alijs quàm vobis sim largitur, aut ab alijs eas occupaturi sim permissurus, nempè Patriarchis, & sanctis Prophetis, qui præcesserunt, vt ita vos cogar habere dissitos. In domo Patris mei mansiones multæ, & sine numero sunt: quarum mihi facta est potestas, vt his, qui in me credunt, pro fidei mensura maiores, ornatiorésque concedam: omnibus alijs satisfacere abundè potero, & vobis quas voluero sedes, & mansiones sine cuiusquam offensione seruare. Omnes enim erunt suis mansionibus contenti. Possunt & secundò hæc verba ita superioribus connecti. Dixerat superius, duodecim Apostolos sessuros super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel: quod illi Deo inspirante crediderunt: dixerat duobus ambientibus primas sedes, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Sperabãt igitur Apostoli, si cũ Domino ascendissent ad Patrem, nõnihil se apud Patrem

tanto

Ephes. 6. Hebr. 11. Psal. 26.

Credere in Deum, quid sit.

1. Tim. 2.

In eos, q præter hoc vnũ duntaxat, aliud præterea negant credẽdi præceptũ extare. Marc. 1. Ioan. 8. Suprà 3. Infr. 16. Marc. vlt.

Explicatur: Creditis in Deum, & in me credite.

Fides in Deũ Patrem, ac Filiũ parit nobis omne bonum, gratiæ, nimirum, salutis, & gloriæ.

Psal. 7. & Ier. 11. & 17.

Nisi Apostolis diuina vis affuisset, quã his corũ turbatio futura fuisset.

Aug. trac. 71. & 72. tom. 9.

Huius sententiæ, In domo Patris mei mãsiones multæ sunt, cum præcedentibus duplex copulatio.

Altera connexio.

Luc. 22.

Matt. 20.

tanto duce valituros. Ideo dixit, Non conturbemini: Credite in Deum, & in me: Ego pro vobis, quasi præsentibus, agã caussam: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* hoc est, domus Dei in vanum non est constructa, & tot in cœlo mansiones paratę ac prędestinatæ, non manebunt solitariæ: non frustrabitur Dei electio, qui vt illas prædestinando, ita Christus patiendo parauit: & cassum alioqui redderetur Dei consilium, nisi Filius in Humanitate pro vobis assumpta intercessisset, & Patrem placasset. Domus ergo Patris suorum electorum numerosa multitudine non est fraudanda. Vocat autem domum Patris, vel cœlum Empyreum, in quo sancti in perpetua degunt quiete, & Deus ab eis conspicitur, vel, quod idem ferè est, Ecclesiã triumphãtem. Nam vt viatores, in quibus Deus nunc per fidem habitat, dicuntur Ecclesia, siue domus, siue templum Dei, iuxta illud: *Templum Dei sanctum, quod estis vos.* & rursus: *Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis:* ita comprehensores, in quibus Deus habitat per gloriã, domus, ciuitas, ac templum dicuntur Dei. Hinc dicitur: *Beati qui habitãt in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.* & rursus: *Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam.* Et vt fideles dum hic agunt, dicuntur habitare in tabernaculis more militantium, aut peregrinantium, ita in cœlo dicuntur habere mansiones: quæ non ad tempus durant, sed stabiles sunt, atque perpetuæ. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus: & in alio loco; *Scimus quoniam si terrestris domus nostræ huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis.* Deinde sicut lapis de alto descendens nõ manet, nec quiescit, donec perueniat ad centrum, in quo solo est quies; ita nec animi nostri permanere possunt, nisi in Deo suo vltimo fine, & loco, de quo ait David: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij.* Adhæc, vt B. Trinitas ad se diligentes venire, & in eis mansionem facere consueuit, ita etiam in gloria Deus mansio est beatorum. Nam si hoc hic præstabat charitas, vt, qui manet in charitate, in DEO maneat, & DEVS in eo; multò magis consummata illa, & perfecta patriæ gloriosæ charitas illud præstabit.

[Margin: Quænam domus Patris, in qua mansiones multæ sunt.]
[Margin: Ephes. 3.]
[Margin: 1. Cor. 3. 1. Tim. 3. Duplex domus Dei.]
[Margin: Psalm. 83.]
[Margin: Apocal. 21.]
[Margin: Hebr. 13.]
[Margin: 2. Cor. 5. Fideles quãdiu hic sunt, semper hospites esse atque peregrinos.]
[Margin: Psalm. 30.]
[Margin: Ioan. 14. Effectus charitatis. 1. Ioan. 4.]

Quòd si obijcias; mansiones has nihil aliud esse, quàm certos, & stabiles prædestinatos gloriæ gradus: quid igitur opus fuit Christo? Respondeo, maximè quidem, primùm quia elegit nos in ipso Christo ante mundi constitutionem, itaque per eum, & propter eum electi sumus. Deinde per ipsum Christum sunt nobis hæ mansiones reuelatæ, ac patefactæ: Sapientia enim absconsa, & thesaurus inuisus: quæ vtilitas in vtriusque? Adhæc etsi certæ reuelatæ fuissent eiusmodi mansiones, erat tamen iter inuium, & inaccessum, quia nemo poterat in cęlum conscendere. Nemo enim ascendit in cęlum nisi, qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo. Oportebat etiam portam cœli clausam nobis per Christum aperiri, de quo dicitur: Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

[Margin: Cœlestes mãsiones nisi per Christũ obtineri nõ posse. Ephes. 1.]
[Margin: Eccles. 20.]
[Margin: Ioan. 3.]
[Margin: Psalm. 117.]

In verbo verò, Multæ, significatur cœli capacitas, & amplitudo, de qua Propheta: *O Israël quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus: tot enim sunt mansiones, quot sunt seruandi & recipiendi in æterna tabernacula. Insinuat deinde, in quam multos velit sua bona effundere, qui hæres est vniuersorum. Nam qui vnus est per naturam filius, innumeros voluit per adoptionem Patris filios, quibus hæreditatis suæ opes communicaret. Præterea futuræ gloriæ discrimen innuitur: nam vt præsens gratia Dei multiformis est, & varia, ita etiam & gloria varia est, Stella enim à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum. Quòd si obijcias, quomodo omnibus in vinea laborantibus vnus tantùm denarius tribuitur; cùm hic dicatur, Mansiones multæ sunt? Respondeo, mercedem vitæ æternæ vnam esse, & multiplicem. Vnam quidem ob vnum & idem obiectum, quo omnes beati Deum videntes perfruuntur: hic est Deus vnus, qui tanquam vnus denarius diuersis rationibus videbitur, & amabitur. Et simile est, ac si quis ex vno, eodemq; fonte omnibus ad bibendum ad libitum aperiret: nam omnes de vno, & eodem fonte potarent, quanquam non in eadem mensura, sed pro suo quisque captu, vt docet Gregorius in libris Moralium. Deinde vnum dicitur propter eandem æternitatis mensuram, secundùm Augustinum. Nam omnes vnam, & eandem habebunt beatitudinem, sed diuersimodè, in æternum tamen participatam. Denique vna est beatitudo propter charitatem, quæ omnium gaudia fecit esse singulorum: vt quisque non minus aliorum gaudia ex charitate in ipsis possideat, quàm suum in seipso, vt ita omnia sint omnium, & vna possit dici beatitudo omniũ. At verò dici potest etiam multiplex, propter variam gloriæ participationem non tan-

[Margin: Cur multæ mansiones. Baruch 3.]
[Margin: Quæ sunt in cœlo mansiones.]
[Margin: Hebr. 1.]
[Margin: 1. Cor. 15. Cum vnus in vinea Domini laborantibus tantùm denarius datur: vt sunt in cœlo, multę mansiones. Matth. 20.]
[Margin: Exemplum B. Gregorij, quomodo merces vitæ æternæ vna sit, & multiplex. B. Greg. lib. 4 Moral. c. 42. tom. 1.]
[Margin: Aug. trac. 67 in Ioan. to. 9. Altera ratio.]

tantùm in his, quæ ſunt extrinſecæ,& ſubſtantiæ gloriæ aduentitia, ſed etiam in ipſa diuinę eſſentiæ viſione, quę eſſentiam beatitudinis conſtituit: quam alius magis alio poſſidebit, pro ratione charitatis, ſiue meritorum ſuorum. Vnuſquiſque enim propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. & rurſus: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: quò pulchritudo corporis Chriſti myſtici magis ſplendeat, vt hic, ita & in patria: & felicitas beatorum ſimilis exiſtat illi Angelorum, quã quiſque variè poſſidet pro naturæ ſuæ gradu perfectiori, aut pro ratione meritorum ſuorum: omnes tamen pleni erunt, atq; contenti, vt nihil ampliùs deſiderare queant. Quemadmodum ſi decem ſumas vaſa, quorũ quodlibet ſuam habeat capacitatem ab alijs omnibus diſtinctam, ac pretioſo aliquo liquore illa omnia repleas, habebunt quidem illa omnia ſuam plenitudinem, ſed variam pro captu cuiuſque: ita proculdubio eſt cogitãdum de beatis.

1. Cor. 3. *2. Cor. 9.* Simile. Glorię beatorum plenitudo vt poſſit cũ inęqualita te conſiſtere.

Si quo minus, dixiſſem vobis quia vado parare vobis locũ. Paullò aliter habet Græca lectio: Εἰ δὲ μὴ εἶπον ἂν ὑμῖν πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. Id eſt, ſin minus dixi, vel dixiſſem vtiq; vobis, vado parare vobis locũ. Eodem modo habet lectio Euangelij Syriaci: & poteſt poni punctum poſt illud, dixiſſem vobis, vel, dixi vobis. Et noua clauſula inchoanda eſt ab eo: *Vado parare vobis locum*, aut non eſt nouę clauſulæ principium, ſed cum ſuperioribus iungẽdum, in hunc modum: Sin ſecùs ſe res haberet, & non eſſent multę mãſiones paratę vobis in domo Patris mei, non ego vos vana ſpe lactarem, ſed apertè, ac nudè aperuiſſem vobis, & dicerem, Vado parare vobis locum, & viam ſternendo, & impedimenta tollendo, hoc eſt peccata veſtra mea morte condonando, clauſamq; vobis aperiendo portam per aſcenſionem meam, dicendo: *Aperite mihi portas iuſtitiæ, et ingreſſus in eas confitebor Domino.* Nec tantùm parabo locum, ſed etiam parabo vos ipſos ad locum illum recipiendum, dando fidem deſiderium, & opera bona, quò illo digni ſitis. Nam quæ paratæ erant tantùm, intrauerunt cum ſponſo ad nuptias. Et eundem ferè ſenſum efficit lectio noſtra. At ſi principium clauſulæ ſit: *Vado parare vobis locum*, ſenſus eſſet: ſi non eſſent multę manſiones, ſatis declaraui vobis dicens: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur*: & illud eſt. *Dixi vtique vobis.* Nunc autem vt multæ ſint ante paratæ, quia electi ſunt credentes antè mundi conſtitutionem: non hac de cauſa, ſed vt iam vobis faciam, & iter vobis præparẽ, & portas illius regni aperiam vado. Filius igitur Dei præcurrit ante nos vt præparet nobis locum: ac ſi principibus miniſter præcurrat domum ornans, & illis excipiendis accommodãs. Dominus ergo quos volet, introducet, & neſcit mentiri in promiſſis ſuis, vel impotens in eo reddendo quod promiſit, effici. Rectè abſoluit hunc locum Theophyl. *Si non, vt dixi, multæ eſſent in cœlo paratæ iam manſiones, dixiſſem vtiq; vobis me abire vt pararem vobis in cœlo locũ. Nunc autem quoniam multæ ſunt in cœlo mãſiones paratæ, non eſt opus vt dicam ea de cauſa me abire. Et tamẽ ſi voluero dicere me abire, vt parem vobis locum, quemadmodum verè dicere poſſum, etiam ob id oporteret turbationem ponere, quia qui propterea abeo, nõ potero vos relinquere, ſed iterum venio (pro veniam) & accipiam vos ad me ipſum.* Hactenus ille.

Quomodo accipiendũ: Si quo min⁹, dixiſſem vobis quia vado parare vobis locum. Quomodo Chriſtus parauerit Apoſtolis locum. *Pſalm. 117.* *Matth. 25.* Altera interpretatio. *Ioan. 10.* *Epheſ. 1.* Chriſtus vt præiret in cœlum ad parandum nobis locũ. *Pſalm. 134.* *Theoph. in c. Ioan. 14. enit.* Elegãs Theophylacti interpretatio.

Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, Quod ad literam ſpectat, ſi pro cùm, vel poſtquã accipitur, vt Propheta: *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion.* & Poëta: *Præterea ſi nona diem mortalibus almum Aurora extulerit*: Id eſt poſtquam extulerit. Nouam aliam conſolationem adiungit, quaſi diceret; non ita abiturus ſum, vt prorſus à vobis ſeiungar, & non redeam ad vos, ſed ſicut cauſa veſtri deſcendi in carnem, & vado ad crucem, iterum veniam ad vos, reſurgendo à mortuis, amicitia inter vos & Deum reconciliata, pacem, & remiſſionem peccatorum vobis annuntiãs. Dixit enim ſuſcitatus: *Pax vobis.* Et ita aſſumam vos ad me ipſum, per vinculũ nimirum, & catenã Spiritus ſancti miſſi, vt vos colligam, & cõplectar, quaſi vnũ corpus mecũ ſitis. Qui enim Chriſti ſpiritum habent, hi ſunt eius: & in tales credẽtes nullum ius habet peccatũ, ſi velint cũ Chriſto vniti permanere. Referunt deinde quidam illud verbum: *Iterum venio, & accipiam vos*, ad tempus mortis, vel ad iudicium, iuxta illud: *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt.* Vt enim Chriſtus ſuſcitatus venit per Spiritus ſancti reuelationẽ, ita in iudicio maieſtatis ſuæ detectione veniet, & tunc credentes ad ſe aſſumet per generalem carnis reſurrectionem, vt ſemper cum Domino ſint. Atque vtroq; modo aſſumit nos Chriſtus ad ſe ipſum manu gratiæ ſuæ, vt ſiue viuamus, ſiue moriamur, Domini ſim⁹. Hinc per Ezechielẽ dicitur: *Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidẽ.* Et Dilectus in Apocal. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* In cuius figuram olim Ioſeph aſſumpſit fratres ſuos ne fame perirẽt. Apoſtolus etiam ad Theſſalonicenſes hoc ipſum exponit, cùm ait: Simul rapiemur cum illo in nubibus obuiam

Eſai. 4. *Virg. lib. 5. Æneid ſub initium.* *Ioan. 20.* Qua ratione Apoſtolos ad ſe ipſum Chriſtus aſſumpſerit. *Rom. 8.* In quos nullum ius habeat peccatũ. *Apocal. 22.* *1. Theſſ. 4.* *Rom. 14.* *Ezech. vlt.* *Apocal. 21.* *Gen. 46.* *1. Theſſal. 4.*

Quid est: Vt vbi sum ego, & vos sitis.

tiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. *Vt vbi sum ego, & vos sitis.* Promittit eundem locum (id est, paternam domum) in quo ipse iam erat, propterea dixit: *Vbi ego sum,* non, vbi ego ero, quia ante crucem beatus erat secundùm supremã animi partem, aut potiùs quia ipse vt Deus, semper cum Patre est: ibi enim est vt Deus, & ad Patrem vadit vt homo, cùm vnica tãtùm persona existat Deus, & homo. Si autem sermo sit de assumptione per fidem & gratiam, promittit eum locũ, vbi Christus est, id est, Ecclesiã, in qua Christus vt Rex, & caput, & Sacerdos, & omnia existit. Christus ergo natura consolator est, verbo magister, sanguine redemptor, morte Pontifex, siue pons, per quem securè hoc flumen dulce aquarum mundi, quo multi demerguntur, transeamus, conuiuia in Eucharistia, obses, siue fideiussor, per Spiritus sancti donum, pręcursor parans mãsiones, hospes nos excipiens, qui prior exceptus est, aduocatus interpellatione apud Patrẽ, deniq; iudex incorruptus, & nostrorum bonorum operum remunerator. Demus igitur operam, vt sicut ipse nobiscum dignatur adesse per Spiritum suum in Ecclesia, ita & nos mundemus nos ipsos, & præparemus, vt cum illo in perpetuum esse possimus. Nihil enim coinquinatum intrabit in illam ciuitatem, nihil imperfectum, nihil deniq; inconditum, aut inornatum: at nos purificare, ac perficere, atque polire nemo alius perinde valet, atq; ipse Dominus noster Iesus Christus, qui cũ Patre, & Spiritu sancto sempiterna laude, honore fruitur, & imperio vniuersis seculis, Amen.

Alter sensus.

Christi erga nos officia.

Quemadmodum & nos poterimus esse cum Christo. *Apocal. 21.*

TRACTATVS XLIX.

In illa verba: *Et quò ego vado, scitis, & viam scitis, Dicit ei Thomas, Domine nescimus quò vadis, & quomodò possumus viam scire? Dicit ei Iesus, Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtiq; cognouissetis: & amodò cognoscitis eum, & vidistis eum.* Ioan. 14.

Scopus horũ verborum Domini. *Ioan. 13.*

PERGIT Dominus Apostolos suos cõsolari, eorumq; dubitationes resoluere. Interrogauerat Petrus, Domine quò vadis? Dominus tamen illi responsum nõ dederat vllum: vel quòd indignus esset tunc audire, vel quòd in hunc locum seruasset, vbi de domo Patris sui agit, & de gloria æternæ fęlicitatis. Idem etiam alij Apostoli scire cupiebãt, & quò iret, & viam qua iret, vt prouocaret eos his verbis ad interrogandum, & interrogantes pleniùs instrueret, propterea ait: Cur quæris Petre quo vadã, cùm id ipsum nedũ tu, sed omnes vos sciatis. Quoties dixi ad Patrem meum me iturum, quoties asserui me per Patris obedientiam, charitatemq; passione, & morte consummatam in gloriam meam ingressurũ? Ostenditq; Christus hoc verbo, quãta iam dona Apostoli accepissent, & quid ipsis restaret. Ergo, quò vado, scitis, & viam scitis, quia Patrem, ad quem vado, ostendi vobis in me ipso: & meipsum, qui sum via ad Patrem, sæpè detexi vobis, primùm quidem prædicatione verbi mei illud inculcando, deindè voce Patris ad me supernè delata in baptismo, postea miraculis editis, ad extremum glorificatione mea, quam quibusdã vestrum ostendi in monte Thabor. Et est sermo de scientia, quæ fidem consequitur, non euidentiam; illa enim pro hoc statu cognosci potest Pater, & Filius, sicut euidẽtia in statu gloriæ.

Vnde Apostoli sciebant quo pergeret Christus.

Matth. 13.

Infrà 17. Qua de sciẽtia fit sermo.

Dicit ei Thomas; Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Quibus verbis omnino contrarium eius, quod Dominus dixerat, Thomas protulit: non tamen credendum, quòd mendacij Dominum arguere voluerit, sed tantùm ingenuè fateri suam & aliorum ignorationem, quò Dñm prouocaret ad clariùs exprimendã sententiam suam, quò vellet pergere. Tam tenuẽ enim, obscurã atq; imperfectã cognitionẽ earũ rerum habebant ob modicã fidem, vt ipsi Apostoli se nescirẽt scire quod sciebãt. Obijcies fortassis: Si Apostoli omnes nesciebant, quomodò Christus dicit: *Et quò ego vado, scitis, & viam scitis?* Respondemus, simile esse ac si quis, qui Roma, ac iter, quò illuc itur, nouerit, audiat tamen me illi dicentem, Romam contendo, illam verò, ac iter, quã illuc petitur, nosti optimè; at ille neget se scire: quia Romã quidem & viã ad illam penitùs nouit, sed an ego Romam petã nunc, nondũ nouit. Ita, nescimus quo vadis; id est, prorsus ignoramus quodnam sit consiliũ tuum, nescimus q̃d sit tibi euenturũ, quò res mortis tuę sit euasura. Vel nouerant quidem in genere, non in singulari: vt qui nouit Romam, & viam ex auditu. Iesus enim ibat ad Patrẽ, ad quem omnes homines veniunt, iuxta illud: *Ad te omnis caro veniet.* Etsi ergo Apostoli scirẽt Deum, ad quẽ Iesus ibat, nesciebant tamẽ an ad eum tum iret, & quid esset Deus Pater: ita & viã qua itur ad Patrem, id est, mortem sciebant, ignorabant tamẽ, an eam tunc teneret viam, cùm ignorarent an iret ad Patrem, nam ex ignoratione termini via quoque incognita elicitur.

Qui potuerit Thomas Domino dicere: Nescimus quo vadis, cum ab eo cum ab eo contrarium accepisset.

Apostoli vt nescierint Dominus quo iret.

Altera solutio.

Psalm. 64.

Tertia quorundam.

elicitur. Sunt qui & hęc verba aliter expendant, dicentes verba Iesu Thomam nõ intellexisse in sensu suo, videlicet: *Quò vado, scitis: & viam scitis*, id est, rationẽ idoneam sciẽdi tam terminum, quàm viam, plenè habetis. Quibus verbis Thomas nõ contradixit, sed aperuit, quòd etsi rõnem integrè sciẽdi vtrumq; haberent, actu tñ fatentur se ignorare, quò tenderet, & consequenter viam.

Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrẽ, nisi per me. Inprimis Dñs directè explicat viam, dicendo: *Ego sum via*, deinde terminum, cùm ait: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Perpende etiá, in textu Gręco præponi articulos istis tribus dictionib⁹, habetur enim: ἐγὼ εἴμι ἡ ὁδὸς ϗ ἡ ἀλήθεια ϗ ἡ ζωή. Id est, ego sum illa via, non terrena, aut sensibilis aliqua, vt Thomas suspicabatur, illa veritas, illa vita, hoc est, maxima, suprema, atq; nobilissima. Et dicẽdo: *Ego sum via*, conuincit Thomam, quòd sciendo Iesum, sciret viã. Et verè Christus est via, qua à Patre exiuit, & per quam Pater ad nos venit. Exiuit enim à Patre ad nos, cùm incarnatus, diuinã benignitatem, & charitatem ostendit, nam ita alio loco dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitũ daret.* Venit per eum Pater ad nos; cùm per eum dignitatem filiorum Dei, per quam clamamus Abba (Pater) & cætera omnia, quæ tãtum beneficiũ exornant, nobis largitus est. Rursus est via, qua redit ad Patrem: quia Dominus siue verbo docens, siue moribus vitam inculpatam præstans, siue signis coruscans, siue sanguinẽ fundens, & moriens, siue à mortuis resurgens, siue in cœlum ad Patrem conscendens, via est ab ipso strata, & quam nobis, vt ad Deum redeamus, aperuit, ornauit atq; cõmonstrauit; vt ita eum imitando, ad Patrem peruenire possimus. Est autem ipse solus via, non sanctus alius, aut Angelus: quia etsi imitatio sanctorum commendanda sit, bona tamen non est, nisi eos imitemur in his, in quibus Christum sunt imitati, secundùm illud: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Adhęc cum sanctorum quisq; peculiarem quandã vitæ rationem secutus fuerit, non potest esse omnibus via, cùm nõ sit vna & eadem omnium vocatio. At Christus omnibus statibus, ac viuendi rationibus exemplar quoddã perfectum, ac viuum in cõmuni propositũ est, tanquam caput in quo sunt omnes sensus, & cõmunis magister omniũ: quemadmodum de sanctissima parẽte eius quidam ex nostris dixit: *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium disciplina sit.* Est igitur Christus omnium via, reliqui sancti omnes semitæ tantum quarundam virtutum sunt: quæ semitæ à via Regia egrediuntur, & in eandẽ redeunt. Et sicut dicitur ostium, ita etiam dicitur via. Nullus hæret in via, nullus in ostio permanet, sed per hæc ad terminum, & ad domum, id est Patrem suum, peruenire nos voluit. Est item veluti fluuius quidam aquarum dulcium, ac fertilium copia abundans, per quem ad mare peruenire possumus deitatis. Deinde Christus veritas est, non restricta, contractave ad aliquam rem, sed absoluta, id est, essentia, eo modo quo ens, & verum conuertuntur. Deinde veritas est adæquatio rei ad intellectũ, quando intellectus rem vti est concipit; & ita nihil est aliud quàm perfecta ipsius rei conceptio, & definitio, & perfectum nomen, quo res tota penitùs explicatur: qua ratione Iesus veritas est Patris, id est, sermo ipsum repræsentãs, totumq; Patrem exprimẽs. Tertiò Iesus veritas est aliarum rerum omniũ, quarũ perfectas cõtinet imagines, & ideas. Quartò, veritas est vt opponitur contra falsos dæmones, siue homines, qui diuinitatis rapinam fecerunt. Rursus veritas, vt opponitur vmbris, & promissionibus: nam ipse est in omnibus legis promissionib⁹ delineatus, vt ad Corinthios, Colossenses, & Hebræos tradit Apostolus, & apud Ioannem dicitur: *Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Postremò, Christus est vita non tantùm in semetipso viuens, sed etiam Patris vita, quatenus Pater viuit per Filij essentiam, dum seipsum agnoscens, intelligentiæ actũ, atq; amoris exercet: q d enim est aliud vita, quã actio virtutis suæ? Deinde est rerum omnium vita, quia sicut per eum omnia facta sunt, ita per eũ cuncta reguntur, eisq; actiones dantur. Nisi enim ille cum agẽtibus omnibus cõcurreret, omni prorsus actione destituerẽtur. Et vt lux omnium colorum est actus, & vita, si pro volũtate posset quẽ, & quantũ, & quatenus vellet colorẽ illustrare, legẽq; illis imponeret: si sic agetis, illustrabo vos, & si sic, amplius illustrabo: ad hũc modum Iesus venit vt vitã habeamus, & abundantius habeamus. Est itẽ Christus via, qua peruenitur ad veritatem, & ad assequenda promissa; & est vita, qua promissis fruimur in æternum: nisi enim viueremus, quomodo promissis frueremur? Est via ful ta veritate, & vita; ad differentiam humanarũ viarum, quæ aut falsæ sunt, & falsitatis aliquid admixtũ habent, aut quæ laborem, ac mortẽ inferunt, vel saltem non tollunt, iuxta illud: *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortẽ.* Est ergo via Iesu plena veritatis, omnem laborẽ, & causas mortis amputans. Adhęc ait: *Ego sum via*,

Christus qualis via, veritas & vita.

Christus vt sit via.

Ioan. 3.

Rom. 8.

Bona quatenus sanctorũ imitatio.

1. Cor. 4.

Aug. lib. 3. de Virg. tom. 1.

Christi encomium.

Ioan. 10.

Quinq; modis Christus est veritas.

Veritas quid sit.

1. Cor. 10.

Coloss. 2.

Hebr. 10.

Ioan. 1.

Christus multiplex est vita.

Quid sit propriè vita.

Ioan. 1.

Ioan. 10.

Prouerb. 14. Christus itē vt sit via, & veritas, & vita.

via, ergo nemo poterit me impedire quin ad Patrem vadam, nam per me ipsum absq; alio viæ duce ad Patrem accedo. Ego sum veritas, quare nullius calumnia, aut mendacium obstaculo esse poterit, quo minus ad Patrem perueniam, Ego sum vita, ergo per mortem illatam mihi impedimētum præstabit nemo, ne percalcata morte, & per resurrectionē superata, ad Patrem perueniā. Ita & cū vos ad me ipsum assumpsero, adducam vos ad Patrem meum. Et quia ego sum via, nihil vos impedire poterit, quia per me itur ad Patrem. Et quia ego sum veritas, tutò peruenietis; quia non mentior, nec falsa promitto. Et quoniam ego vita sum, hinc est, quod etiamsi moriamini, viuetis tamē, neq; mors retinere vos poterit, quin ad mansiones vobis in domo Patris mei paratas perueniatis. Rursus ego sum via, quam ingredientes ab scopo non aberrabitis. Illa veritas, qui præstabo omnia quæcunq; promisi. Illa vita, qui in perpetuum quæcunque præstitero, conseruabo.

Augustini sententia.

Aug. ser 54. de verb Domini. tom. 10. Theophyl.

Aug. hæc verba pertractans, ait: *Quò vis ire? Ego sum via. Quo vis ire? Ego sum veritas. Vbi vis permanere? Ego sum vita.* Theoph. hæc explicans verba: *Cum practicen arripis, fit tibi Christus via: cùm vero contemplationi vacas, fit tibi veritas. Quia autem nōnulli practicen ita colunt, & in contemplatiua ita occupati sunt, vt vitam non assequantur: vel quòd propter vanā gloriam virtutem amplexentur, & hic recipiunt mercedem, vel quòd in dogmatibus non rectè sentiunt, & ita à recta via exciderunt: additum est via, & veritati, hoc est practicæ, contemplatiuæq; & vita. Nam & in virtutibus omnino, & de diuinis recta disserendo, ad viuentem in seculū, & non ad mortuam hominum laudem spectare debemus.* Hactenus ille.

Viæ, & veritati vitam, cur Christus addiderit.

Initium salutis nostræ quodnā sit, medium, ac finis.

Vel in his verbis exordium, medium, ac finis salutis nostræ continetur. Initium enim nostrę salutis est à transitus à peccato ad iustitiam, siue ab ira ad gratiam Dei: medium, est apprehendere veritatem: finis, possidere vitam æternam. Vel; Ego sum via incipientiū; veritas proficientium; vita perfectorum. Via ducens, veritas lucens, vita agens. Via in exemplo, veritas in doctrina, vita in præmio promissa. Via sum non errans, quærentibus, veritas non fallens, inuenientibus, vita indeficiens permanentibus. Magna igitur consolationis virtus in his verbis continetur. Omnes etiam ad se peccatores allicit hic sermo, quia viam, veritatem, & vitam concupiscunt. Distinguitq; se hoc verbo Dominus à Mose, & Prophetis, qui viam quidem, veritatem, & vitam docuerunt; at Christus non tantum docet, sed ipse est via, veritas, & vita, id est, quod verbis docet, reipsa præstare valeat.

Christus in quo à Prophetis distinguitur.

Deniq;, vt docet Cyril. ostēdit, quomodo superiores māsiones consequamur; nempè aut per actiones varias, & mandata significata in via, de qua: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* &, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Aut per fidē rectam significatā in veritate, aut per spem vitæ futuræ. Christus enim nos instituit, vt rectè credamus, sanctèque operemur mādata Dei, vt spem nostram ad futura bona erigamus. Sic Leo Pontifex ser. de Resurrectione interpretatur: *Via*, inquit, *conuersatio nis sanctæ, veritas doctrinæ diuinæ, & vita beatitudinis sempiternæ.* Et Bern. serm. de Ascens. *Sequamur*, ait, *Domine te, per te, ad te: Quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.* Idem ferè Dominus superiùs dixerat, vocando se panem vitæ, lucem mundi, ostium ouilis, bonum pastorem, resurrectionem, & vitā, & paulo pòst vocabit se vitim veram: vt his tam præclaris titulis animos discipulorum erigeret ad ea cogitanda de Domino, quę supra homines sunt, & ad diuinitatem eius contemplādam assurgerent.

Cyril. interpretatio. lib. 9 in Ioan. c. 32 tom 1. Matth. 19. Psalm. 118.

Leo Papa ser. 2. de Resurrectio. prope initium. Bern. serm. 2. de ascensione in fine. Ioan. 6. Infrà 8. Infrà 10. Ibidem. Infrà 11. Infrà 15.

Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Explicat illud verbum: *Ego sum via ad Patrem*, vt enim nemo nouit quę sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in eo est, & nemo potest ad secretum hominis peruenire, nisi per verbū hominis voce, vel literis indutum, ita nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: neq; quisquam ad Patris secretum agnoscendum venire potest, nisi per Filium carne indutum. Et vt doctè admonet Cyril. dupliciter accipere possumus homines venire per Christum ad Patrem: aut scilicet quia per cognitionem Filij conscēditur ad Patris cognitionem per fidem: quia non potest cognosci Pater sine Filio, nec Filius sine Patre; aut quia per Christi meritum & doctrinam, ad imitationē vitæ eius, peruenitur ad Patris consortium, & cōtemplationem vultus eius in æterna felicitate: & hic posterior sensus magis quadrat huic loco, quia Dominus declarat se esse viam, per quam sequi se possent homines iam ad Patrem in cœlos abeuntē. Est ergo Christus via ducens ad Patrē, quæ nō fallit, sed vitā largitur æternā, quę est apud Patrē, quanquā priorē sensum sequatur Hilarius infra producendus. Ostendit autem qualis via sit Christus, nō vtiq; perditionis, sed salutis, qua peruenitur ad Patrem. Per Mosen enim nō ad Patrem, sed ad iudicem iratum itur: quia lex irā operatur. Christus quoq; legem attulit: quæ quo purior est, & perfectior, & nos imbecilliores, eò magis nos reos facit, & ad se iudicem mittit. Sed Christus non

Cur nemo venit ad Patrem, nisi per Christum. 1. Cor. 11.

Matth. 11.

Cyril lib. eod cap. 33. circa medium. Duobus modis per Christum itur ad Patrem, teste Cyrillo.

Qualis via sit Christus.

Rom. 4.

ſtus non ab ea parte ſe nominat viam, ſed à principaliori,& nobiliori,id eſt,à gratia, & veritate,quę per eum facta eſt.Nam vt Dei gratiam opitulãtem agnoſceremus, legem tulit, qua peccatum, & fragilitatem noſtrã exploratam haberemus, & ad gratiam Dei accurreremus, qua peruenitur ad Patrem. Et Chriſtus eſt nobis paſtor, & Saluator: quia qui credit in eum, in iudicium non venit,ſed tranſit à morte ad vitam, id eſt, à lege in gratiam:quia lex mortem,gratia verò vitam operatur. Tertiò rectè ait:*Nemo venit ad Patrem,niſi per me:quia iniquitates noſtræ diuidunt inter nos, & Deum noſtrum*, vt ait Propheta:ſed per me eſt eorum remiſſio, & extinctio. Qui me ergo habet,amiſit peccatũ, & iunctus erit Deo. Per me,id eſt, per obedientiæ,& mortis meritũ: quomodò enim veniret ad Patrem, qui vitam non habet, veritatem non videt, qui viam non tenet? Oportet enim prius vitã habere nõ animali corpori congruentem,aut rationale tantũmodò,ſed illã, qua Chriſtus vt hæres Patris in nobis viuit, noſq; velut illa lux illuſtriores ſuo commercio reddit:oportet veritatem videre, & rerum ſoliditatẽ, ne nos imagine bonitatis falſa decipiant,ne plures quã ſint etiã nobis videantur; vel vice verſa veritates rerum minores ipſis quã reuera ſunt,appareant. Nam ob ignorantiam plerisq; vilis factus eſt Deus, & plures ſibi deos quiſq; conſtituit.Adhæc non ſatis eſt viuere per Chriſtũ, & in vnione eius,ac Dei, ac rerũ cognitione oblectari; niſi etiã viam ingrediaris, vt diligas ſicut dilexit,& mitis ſis, & humilis corde. Quia qui dicit ſe in Chriſto manere;debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Elucidemus quę diximus aliquo cõmodo exemplo. Vt enim lux eſt imago Solis à Sole procedens, & ad Solem rediens, & ita eſt via, qua lux ad Solem reuertitur, & per quam qui vult ad Solẽ pergere,oportet quòd eat:eſt præterea lux veritas Solis, quia imago eſt eius,& colorum veritas: etenim colorum imagines ipſa ſua induens claritate,quid ſint colores, oſtendit.Eſt etiam colorũ vita,nam vt viuãt,ipſa facit,ſine luce enim pro mortuis eſſent:nec ad Solẽ lucis ipſorum colorum patrem ire quouis modo poſſunt, niſi per eandẽ lucẽ, qua illuminantur:ipſa enim lux colorum imagines ſeipſa adornatas ad Solem patrem ſuum reportat.Sic ergo colores ab imagine Solis illuſtrati,hoc eſt,à luce, non ſolùm ad Solem cum illa imagine Solis reuertuntur, ſed circum ſe etiam cum eadem Solis imagine ad alia illuſtranda ſe fundunt. Ad eum profectò modum Ieſus imago Patris à Deo procedens ad Deũ redit,& fit via,veritas,& vita nobis:ſic etiam nobis, & ad Patrem luminis,& circũ nos quocunq; lumen ipſum quo viuimus,ire videmur, eundũ eſt multò magis, quàm faciant colores: quia Ieſus lux noſtra liberè, & pro volũtate operatur, &legẽ nobis impoſuit,qua ſequamur.Itaq; nos liberos fecit, & vnde ex his tenebris ad lucem accipiendam exeamus, oſtẽdit. Ipſe venit ad carcerem noſtrum; & inde viam quandã nobis oſtendit,& portã, exitumq; vnde diuina lux nobis imprimatur. Vt enim cùm lux non lucet nube aliqua impedita,terras per calorẽ penetrat,virtuteſque intus excitat,vt ſeſe foras prodant, promittens quòd foras prolatas ſuo illuſtrabit lumine;quare ipſarum virtutes excitans monet,vt quam elegantes,virides,& picturatę prodeant: & hæc quidem vt ad tempus viuant,nos verò intus excitat,vt in æternum viuamus in luce: & vt lucis calor virtutes plãtarum inuitauit, eiſq; ſuam lucem promiſit, foraſq; eas produxit, ita vt illis calor ipſe dux fuerit, & via: ita nos claritas lucis Ieſu Chriſti Domini noſtri inuitauit, foraſq; ſecum eduxit, vt ſi ſequamur, illuminemur,vt promiſit: ſi verò non ſequamur, ſed alterius calore decepti foras prodeamus,nequaquã illuminamur, quia lux noſtra libera eſt, & alienum partum nõ agnoſcit:contra quam faciat Solis lux, quę quoniam non eſt libera, ea etiam omnia, quæ non Solis, ſed ignis calore fota naſcuntur, illuminat; at Ieſus alterius quam ſuo calore fota; interficit potiùs, quàm illuminat, ſi non conſentiant ſuo ſe calore foueri:quòd ſi recuſent, viuant ad noctem perpetuam.

Colores rurſus etiam in tenebris viuũt, & circum circa ſphœricè, ſeſe fundunt, & ita cenũtur ab his animalibus, qui in tenebris vident.Luce namque oculorũ illorum animãtium,dum eſt illuſtratus aër, ſpecies videntur, non tamen à multis noſcuntur, nec tam longè ſeſe fundunt,quàm cum luce,cũ qua ab omnibus videntur,& longius ſeſe fundunt oculorum ſpecies, vt non tantùm ſpecioſior, ſed & amplior illis vita concedatur. Et tantummodò aliqua animalia eorum aſpectu priuantur, quæ noctu tantùm vident,non autem die; quibus lux inuiſa eſt, niſi ſit valdè tenuis. Talis eſt eorum vita,qui Chriſti gratia non illuſtrantur, vt à malis dæmonibus videantur, qui luce offenduntur,ab ijſq; perſuadentur, vt ſibi in luce eſſe videantur, & viuere, cùm mortui ſint:mortui,inquam,comparati ad eos,qui in gratia viuunt,ſecundùm illud:*Nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Nam & qui ſine gratia ſunt,non omnino ſine aliqua gratia, id eſt,

[Left margin notes, cut off:] *...an.1.* / ...ex à Deo ...ut data. / *...om.7.* / *...fra 5.* / *...fra 10.* / ...uid nos diſ...ungerit à ...e,teſte Pro...heta. *...ſai.59.* / ...hriſti cur ...iam ingredi ...ebeamus. / *...atth.11.* *Ioan 2.* / ...xemplis il...uſtratur hic ...ocus de Chri...to via,& ve...itate,& vita ...oſtra. / *...oan.1.*

[Right margin notes:] Quemadmodum nos claritas lucis Ieſu Domini noſtri foras ſecum eduxerit ad ſequelam ſui.

Quando nõ illuminamur ab eo, ſed in tenebris manemus.

Eorum qualis vita, qui Chriſti gratia minimè illuſtrantur.

Apocal.3. Quemadmodum in peccato exiſtentes, luce tamen Chriſti non careant omnino.

id eſt, ſine aliqua Chriſti luce exiſtunt, quẽadmodum & colores in tenebris non ſine omni luce ſunt, aliàs colores nõ eſſent, nec ad oculos aliud quàm tenebræ peruenirẽt, etiam lucidiſſimos. Et ſatis hæc de exemplo propoſito.

ad Patrem nemo venit niſi per Christũ, ad Christũ vt venit nemo niſi tractus à Patre. Ioan. 6. Solutio.

Duo in hanc Domini ſententiam, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, obijci poſſunt. Alterum eſt: quia oppoſitum alibi videtur dixiſſe: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Dupliciter reſpondemus: Primò, quòd hic locus cum illo oſtendit Patris & Filij æqualitatem, vnam & eandem vtriuſq; poteſtatem, & operationem; ita vt quos trahit Pater, trahat & Filius: & qui veniunt ad Patrem, veniant quoq; ad Filium: vt interpretantur Chryſoſtomus & Euthymius. Deinde dicendũ, quòd etſi opera Trinitatis extra ipſam ſint indiuiſa, & communia ſingulis perſonis: tamen, quia Filius eſt via ad Patrem, & Pater eſt terminus viæ, qui in domo habet multas manſiones, hoc eſt, differentias pręmiorum, Pater quidem trahit ad Chriſtum omnes, vt per eum iuſtificentur: Filius verò iuſtificatos trahit ad Patrem, vt in eo glorificentur: & ita Chriſti regnũ iuſtitia, & gratia eſt, vt illud Patris gloria, & vita æterna. Quia verò faciliùs eſt, & magis expeditum, iuſtum aſſequi vitam æternam, quàm impium adipiſci iuſtitiam: propterea rectè dicitur Pater trahere homines ad Chriſtum, & iuſtos non venire ad Patrẽ, niſi per Chriſtum. Mitius enim verbum veniendi, quã trahendi, etiamſi in vtroque neceſſaria ſit ſpontanea voluntatis aſſenſio, & nonnullus diuinæ gratiæ tractus.

Chryſ. hom. 4 in Ioan. 72 tom. 1. Euthym. in c. 6. & 16. Ioã. Altera. Pater tractũ Patris, & Filij quod diſcrimen ſit.

Pater cur homines trahere ad Chriſtum dicatur.

Alterum eſt: quòd in eo quod Dominus ait: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*; videtur Chriſtus Deus excluſiſſe B. Virginem aduocatam, & cæteros interceſſores, ſiue Angelos, ſiue ſanctos. Dicendum eſt, Dominũ illos minimè excluſiſſe, ſed incluſiſſe potius, cùm ſint eius membra, & ſingulares amici, in hoc ipſum nobis à Chriſto propoſiti. Quemadmodum non excluſit Sacerdotes, aut concionatores, tanquam miniſtros Dei, ſicut nec Sacramenta, aut fidem, aut opera bona: quæ omnia dona Chriſti ſunt, & ab eo virtutem trahendi ad Patrem habent. Nec enim Chriſtus contrarius eſt Matri ſuæ, aut ſanctis: aut Mater, & ſancti oppoſiti Chriſto, vt propterea aut illi hũc, aut hic illos excludat: ſed vnus & idem, & in capite, & in membris Chriſtus, & idem per vtroſq; operans: at Chriſtus ſuapte virtute, ſancti verò poſt Chriſtum, & per Chriſtum. Vt qui talem Chriſtum in ſe, & per ſuos operantem nõ agnoſcit, vt infelix Lutheranus facit, Chriſtum, vt ſimpliciter ignoret, neceſſum ſit.

Quid opus Virgine, & ſanctis, ſi ad Patrem nemo venit niſi per Chriſtũ.

Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtiq; cognouiſſetis. Docet, modum cognoſcendi inchoandũ eſſe à via, & non à terminuo. Thomas enim à termino ignoto argumentatus fuerat, ad viam ignotam: Ieſus contra docet, à via ad terminũ eſſe pergendum, nempè à notitia Ieſu ad cognitionẽ Patris. Quare oſtendit, quòd non eſt legitima excuſatio, arguẽdo à termino ignoto ad viam incognitam. Græca verba poterant verti per præteritum Indicatiui. *Si cognouiſtis me, & Patrẽ meum vtiq; cognouiſtis*: quomodo legit beatus Auguſtinus, & Hilarius, & Nonnus Paraphraſi ita intellexit quod dico; ne per verſionem noſtri interpretis videatur Dominus inſinuare, Apoſtolos nec ſe, nec Patrem noſſe, cùm ſtatim ſubijciat eos, & nouiſſe, & vidiſſe Patrem. Accipiendum eſt, ſi, pro, quia, vt frequenter accipi ſolet, vt ſit ſenſus: Quia cognouiſtis me, etiam Patrem meũ cognoſcere potuiſtis. Si ergo cognouiſtis me, ſicut putatis vos cognoſcere, neceſſum eſt vt agnoueritis Patrem meum: ac ideo rectè dixit ſuperius, Et quò vado, ſcitis, & viam ſcitis. Idem poteſt tamen accipi ex litera noſtra: Si igitur cognouiſſetis me viam, veritatem, & vitã, ſi ſciretis gratiam, & dignitatem meam, quia videlicet ſum filius naturalis Dei Patris, profectò & Patrẽ meum notum haberetis: ſed quia me non agnoſcitis vt deberetis: ideo videtur vobis quòd Patrem non agnoſcatis meum. Et eſt ſenſus de cognitione, non quæ ſenſu, ſed quæ intellectu per fidem percipitur, penetrante ad intima perſonę Ieſu, hoc eſt, diuinitatem ipſius. Et verè ex hac conditione infertur conſequens. Nam impoſſibile eſt cognoſcere perſonam Ieſu, & non cognoſcere Deum Patrem eius, ſicut Filius non cognoſcitur niſi Patre cognito: quẽadmodum & qui definitionẽ rei tenet, rẽ ipſam definitam omnino tenet. Rei pręterea imago agnoſci nequit, niſi res, cuius eſt expreſſa ſimilitudo, agnoſcatur: neq; perfectum verbum apprehendi poteſt, niſi & is capiatur, qui eſt dicens verbum. Et hic eſt verè legitimus noſcendi Patrem modus ratione noſtri. Et ſignanter dicit, Patrem meum, non, Patrem veſtrum; vt intelligamus, illũ non adoptione, vt nobis omnibus, ſed natura Ieſu Chriſto parentem eſſe, & ille ſolus dicere poteſt, *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire*, & quæ ſequuntur.

Modus Patrẽ, & Filium cognoſcendi vnde ſumit exordium.

Aug. tract. 70 in Ioan. to 9. Hilar. infra producendus. Nonnus.

Græciſmus ſcripturis familiaris.

Qua de cognitione Patris hic ſermo.

Verus ac legitimus noſcendi Patrẽ modus quis nã ſit.

Matth. 26.

Hilarius tamen aliter hæc verba continuat: cùm enim dixiſſet Dominus, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, interrogatus Arrius quomodo itur ad Patrem per Filium, reſpondet,

Hilarij ſenſus huius ſententiæ Arrianum dogma confutans. Hilar. li. 7. de Trin. aliquãto poſt med.

spondet, per doctrinæ admonitionẽ, quatenus scilicet doctrina Iesu erudit de Patre. Sed Dominus hoc excludẽs, ait: *Si scitis me, & Patrem meum scitis.* Quasi diceret, Arrius, vel alius quicunq; annuntiare de Patre potest: sed nullus est tantus, vt eo cognito cognoscatur & Pater, nisi Filius, qui est eiusdem cum Patre naturæ inseparabilis ab eo. Hinc apud Ioannem alibi dicebat Iudæis: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Forsitan dixit, vel increpans Iudæos, cum quibus loquebatur, quòd discipulis suis de veritate hic non dixit, vel dicendũ est, Græcam vocem *ἂν*, non significare forsitan: sed vtiq;, vel certè, q̃ sunt completiuæ particulæ. Christus igitur vt est via ad Patrem, ita eius cognitio via est ad cognitionẽ Patris.

Ioan. 8. Illud: Si me sciretis, forsitan & Patrẽ meum sciretis: bifariam accipitur.

Et amodò cognoscitis eum, & vidistis eum. Græca vox potest esse & Indicatiui, & Imperatiui modi, & verti potest, Vel cognoscite, vel cognoscitis: & ad rem magis facere videtur Imperatiuum. Declarata ergo ratione, quare nesciebant tam viam, quàm terminum, quia scilicet nesciebant Iesum; explicat modò rationem, cur dixerit: Et quo ego vado, scitis, & viam scitis: id est, rationẽ sciendi habetis. Ideo duo ait, primũ, A modò cognoscite: id est, licèt excusemini hactenus vos non nosse Patrem, ex hoc saltem cognoscite eum. Sicut de homine prius viso, & aliquo modo noto dicere soliti sumus: Etsi hactenus non cognouistis eum, amodò cognoscite illum. Nam verisimile est, eos non tantùm verbis, sed etiam interius à Christo fuisse illuminatos, vt possent quod præcipiebatur, apprehendere. Quòd si de præsenti legamus, cognoscitis eum: accipi debet, teste Chrysostomo, Præsens pro Futuro, vt sit sensus: Paullo pòst adueniente Spiritu sancto cognoscere abundè poteritis. Ac subdit: *Et vidistis eum.* Id est, Non tantùm cognouistis per fidẽ ex legis institutione, sed etiam vidistis eum in me, quia qui videt Filium, videt & Patrem. In Christo enim Filio est Pater, non in carne per vnitatem personæ, sed per vnitatem naturæ, de quo: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Vidistis etiam eum in editis potentiæ signis per me operantem: quia Pater in me manens, ipse facit opera. Vidistis etiam eum in doctrina mea, & in gloria, qua me illustrauit in monte Thabor, & in vocibus de cœlo delapsis, dicentibus: *Hic est Filius meus dilectus.* ac rursus: *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* & in confessione Petri, dicentis: *Tu es Christus Filius Dei viui.* His enim modis omnibus hactenus Patrem videre potuistis. Non enim loquitur de perfecta cognitione Patris, quæ erit per immediatam eius visionem in patria, de qua ait Dilectus: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eũ sicuti est.* Est ergo sensus simplex: Si me sciretis, & Patrem meum vtique sciretis: imò eum aliquo modo iam cognouistis per me, & in me signa operantem, & docentem, & peccatores benignè ac blãdè suscipientem. Sed & illum quoq; amplius in vobis signa operãtem, & doctrinam Euangelicam per vniuersum orbem disseminantem, & in aduersis Spiritu sancto in vos misso consolantem; mundumq; à falsa simulacrorum religione ad veram Filij Dei cognitionem, & cultum reuocantem in vobis ipsis experiemini. Discamus igitur, eum, qui Christi, Deiq; potentiam, atq; clementiam cognoscere potuit, magna ex parte Deum cognouisse, dicendum esse, vt ad Patrem non perueniat, nisi per eum, qui via est, veritas, & vita, Iesus Christus Dominus noster, cui cum Patre, & Spiritu sancto reddatur omnis laus, honor, & gratiarum actio in sempiterna secula, Amen.

Quid significet: Et amodò cognoscitis eum, & vidistus eum.

Exemplum.

Chrys. in Ioã. hom. 72. to. 3. *Act. 2.* Quomodo Apostoli viderint, & cognouerint Patrem. Pater vt sit in Filio.

Ioan. 1. Infra 14.

Suprà 7. Matth. 17. & 2. Petr. 1. Ibidem. & Matth. 3. Ioan. 12. Matth. 16. Prædictis verbis quæ cognitio Patris excluditur.

1. Ioan. 3.

TRACTATVS L.

In illa verba: *Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus, Tanto tempore vobiscum sum, & nõ cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso nõ loquor: Pater autem in me manẽs, ipse facit opera, &c.* Ioan. 14.

QVemadmodum arbores, ac plãtę non statim, sed tempore suo fructũ ferũt, deinde cùm cęperint ferre, ab initio immaturum, & acerbum proferunt, donec paullatim ad perfectum edendum proficiant. Idem propemodum hominibus cõtingit, qui ab initio vt pueri sentiunt, progressu verò temporis in cognitione proficiunt, donec tandem ad perfectã sapientiam perueniant. Idẽ quoq; Apostolis ipsis euenisse constat: rudes ac imperiti semper fuerunt, donec Spiritus sanctus in eorum pectora illapsus, eos sapientissimos, ac rerũ diuinarũ scientissimos cõstituit. Quod & præsens historia apertè indicat. Cùm enim Philippus Apostolus vidisset Thomã tã amicè à Domino excipi, atq; illum edoctum fuisse qua ratione ad Patrem sit veniẽdum, nimirum per Filium, & quòd Pater in Filio cognoscitur,

Apostoli antè aduentum Spiritus sancti quales fuisse se videri possint.

Act. 2.

Apostolorũ de Deo Patre cõceptio, rudis & imperita videlicet.

citur, imò cum ex parte iam nouissent, occurrit Philippus cæteris discẽdi studiosior, & Dominum audet compellare, suique ingenij ruditatem prodere, & tarditatẽ, dum fide contentus esse non vult, sed certè sensu rem nosse, & cernere gestit. Putabat enim cum cæteris sic posse conspici Patrem, sicut conspiciebant Filium: quanquàm nec substantiam, nec dignitatem Filij Dei viderant, qui oculis corporeis Christum aspexerant.

Cur Philippus Christo dicit: Domine ostende nobis Patrẽ, & sufficit nobis.

Ait igitur: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Et videtur nomine loqui omnium. Et in primis captat beneuolentiam à dignitate personæ Christi, vocando eum Dominum, & simul indicat se aliquam de eo fidem cõcepisse. Et sensus est: Ais nobis visum fuisse Patrem, imò hoc vnum nobis concede, vt vel semel Patrem tuum coram liceret conspicere, & nobis factum erit satis, & nihil ampliùs desiderabimus (implicitè negans hactenus Patrem sibi visum.) Nam etsi millies dicas nobis: Si me cognouissetis, & Patrem meũ vtiq; cognouissetis, certè hac ratione non possumus discere Patrem, donec illum nobis oculis corporalibus spectandum præbeas: & tum demũ credemus tibi. Audierat enim Philippus, Prophetas tùm Deum oculis corporeis vidisse, tùm ipsi familiariter fuisse collocutos, vt Patriarcha Iacob, Moses, & Esaias: sed ignorabat Philippus, quod illa per œconomiã quandam contigerint: & quod diuinitas oculo corporis etiam glorificato cerni non potest, nedum nondùm glorificato. Quòd si Philippus per aliam cognitionem, quàm per verbum, & fidem, volebat id assequi, & impetrare, viator simul, & comprehensor, quod fieri nequit, esse cupiebat. Sed in eo profectò humanæ rationis nostræ genium agnoscimus, quæ cùm credere, & Verbo, per quod Filius agnoscitur, adhærere non valeat, vult tamen alio modo quàm fide, sensu scilicet, & signo externo, fieri certior. Et quoties nos cũ Domino expostulamus, & videre, nõ credere volumus; cùm tamen scriptum sit: *Iustus ex fide viuit*: &, *Beati qui nõ viderũt, & crediderunt?* Sed solari nos debet, quòd etiã hæc infirmitas in Apostolis fuit, etiam post tot conspecta miracula ab eo edita. Absurdum deinde est, quòd à cognitione Filij excludatur notitia Patris: cùm in eo solo innotescat Deus Pater, & voluntas eius hominibus. Deniq; illud absurdũ est, opinari, Deum humanis sensibus posse apprehendi, quum Deus spiritus sit, qui sub sensum non cadit, & per fidem ambulemus & non per speciem, & dictum sit Moysi à Domino: *Non videbit me homo, & viuet*.

Deus Pater quatenus Prophetis & Patriarchis olim visus fuerit. *Gen 32. Exod. 33. Esai. 6. et seq.*

Humanę rationis imbecillitas. *Habac. 2. Rom. 1. Ioan. 20.*

Filij notitia Patris notitiã necessariò cõprehendit.

Deus cui nequeat humanis sensibus apprehendi. *Ioan. 4. 2. Cor. 5. Exod. 33.*

Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum & non cognouisti me? Rudem interrogationem acriori verbo corripit Dominus: Tanto, inquit, tempore, id est, per triennium in schola mea fuisti, & nondum profecisti vt me cognosceres? Græcè enim in singulari dicitur, *Cognouisti*, & Syriacum Euãgelium, & Hilar. & Aug. in huius loci explicatione: & vt Philippus omnium personam induẽs, locutus est, ita Christus peculiariter eũ reprehendit, & in eo cęteros. Ostendit autem Dominus, grauiter obiurgãdos, qui diutiùs Christianismum sunt professi, in Christi tamen cognitione, in qua includitur illa Patris, non profecerunt. Nam difficilia, sublimiaq; theoremata, etsi breui tempore exquisitè intelligi nequeãt, longo tamẽ temporis progressu tandem perficiuntur: quæ verò facilia sunt, & aperta, & sine labore, statim vt audiuimus, assequimur. Quanto autẽ iustius hæc nobis Christus posset obijcere, qui ab infantia Christum, ac eius fidem profitemur, & in illa consenuimus, & nec dùm quę bona nobis ob Christum obtigerint, & qualis, & quantus sit Christus, paucissimi nouimus, & aliunde quã à Christo omnia nobis obuenire putamus. Sed redeamus ad Philippum. Saltem Philippe dixisses: Ostende te nobis, vt cognoscamus Patrem: hæc enim tolerabilior fuisset interrogatio, & magis tanto Apostolo digna, & quæ promereretur exaudiri à Dño. Perpende quoq; nõ irasci Christũ, aut asperioribus verbis vti, quod tantum laboris eorũ eru ditioni frustrà impenderit; verùm mãsuetè corrigit, & defectus eorũ, qui corde peruerso nõ sunt prędití, benignè tolerat. Deinde reprehensurus tarditatẽ Philippi, nõ ad ipsum tantùm, sed ad vniuersos sermonẽ dirigit ne publicè illũ solum rubore suffundat: & admoneantur concionatores neminẽ, in singulari notandum, sed in cõmuni tantùm, & generali loquendũ: qua ratione ne Iudam quidem nisi in cõmuni, ac valdè tectè corripuit. Illud simul considera, Apostolos Dominum vno verbo corripuisse, & ad doctrinam statim deuenisse; contra eos, qui aut toti, aut multi sunt per totam concionem in aliorum vitijs magna libertate insectandis. Sanè corripienda sunt vitia, at non solùm, sed etiam doctrina tradenda, & boni cõsolandi, vt Paulus docebat: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*. Quare Dominus omissa correptione, conuertit se ad doctrinam: *Philippe*, inquit, *qui videt me, videt & Patrem meum*. Explicat verba, quæ paullo antè dixerat de Patre: *Et vidistis eum*, Estq; sensus: *Quicunq; me cognoscit, cognoscit & Pa-*

Philippi reprehensio. *Hilar. Hilar lib. 6. de Trin. Aug. tract. 7. in Ioan. tom. 7.*

Christiani qui digni reprehensione.

Speculatiões quę difficiles intellectu, quæ faciles, & apertæ.

Christi in Philippum, omnesq; Apostolos humanitas, atque patientia.

Concionatores quid cauere debeant.

Notantur prędicatores.

1. Thess. 5. Quomodo qui videt Filium, videt & Patrem.

trem, & quicunq; me vidit, vidit & Patrem: ita enim de præterito Græcè legitur, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα, & magis consonat præteritis præcedentibus, Vidistis eum, & non cognouistis me: *Si clarè vidit me, clarè vidit & Patrem*: & si imperfectè nouit ipsum, imperfectè nouit quoq; Patrem. Ita loquitur Dominus, vt testis est Augustinus; ac si quis ex duobus qui omni ex parte essent persimiles, diceret: Si hunc cognouisti, & illum cognouisti, & Comicus dixit:

Aug. tract. 70 in Ioã. tom. 9.

Terẽt. in prolog. Andr.

Qui vtramuis rectè norit, ambas nouerit.

In filio perfectior est similitudo Patris, quã quæ maxima aut esse, aut inueniri posset inter homines. Nam in his nulla talis secũdùm eandem numero formam, & qualitatem, sed tantùm secundùm speciem inueniri potest: in Filio autem non qualitas aliqua, sed eadem est numero natura, quæ & in Patre. Vnde in creatura nullum est, aut esse potest exemplum tantæ similitudinis: quia iam creatura non esset amplius creatura. Tu sic loqueris Philippe, quasi hactenus nihil de Patre noueris; cùm ipsius verbum per me audieris, eius potentiam in miraculis meis videris, eius misericordiam in suscipiendis peccatoribus agnoueris, eius munificentiam in promissis intellexeris, eius gloriam à populis sæpè decantari senseris. Qui ergò me nouerit esse Filium Dei, aut eius imaginem, aut eius verbum, aut faciem Dei, aut splendorem gloriæ, & figurã, seu characterem hypostasis eius, agnoscet proculdubiò & Patrem meum, sine quo Filius non concipi potest; quia relatiua simul sunt natura, & cognitione; cognosces eum quem ego perfectè vt imago repræsento: intelliget & dicentem, qui verbum intelligit: quemadmodũ qui definitionem rem perfectè explicãtem habet, rem difinitam habet: Agnoscet & eum, cuius ego sum facies, & gloriam, cuius splendor sum ego, & hypostasin, cuius ego sum character, siue figura. Tu existimas Philippe, omnes Iudæorum calumnias, si ipsis Patrem ostendero, desituras, vt olim ad Mosen descendit Deus in nube & gloria corã filijs Israel, sed longè falleris, quia illi ipsi, qui olim viderunt, & probauerunt opera Dei in deserto, tamen impij fuerunt, tentaueruntq;, atque perierunt. Ad hæc existimas, veteres illos perfectius Deum vidisse, quam vos: sed longè aberras: illi namq; nõ Deũ ipsũ, sed ignẽ, fumum, & nubem in monte Sina viderunt. Verùm natura Dei longè abest à nube, fumo, igneq;: nam in illis bonitas, sapientia, virtus, vita, & iustitia Dei non cernuntur, quæ tamen in me videntur. Pater igitur Deus in me perfectius, quàm in vllis alijs creaturis, & operibus repræsentatur, perfectiusq; in Verbo suo, quã in omnibus apparitionibus, visionibusq; Veteris Testamenti declarat sese. Postremò subindicat, nec ipsi Deo Patri credituros fore, si visibilis appareret; qui Filio in carne apparẽti, & verba eius tanquam Legato nuntianti minimè credunt. Qui igitur me videre non vult, profectò nec Patrem meum videbit: sicut si Mosen, & Prophetas non audiunt; neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credẽt.

Philippus vnde potuerit videre, & cognoscere Deũ Patrem.

Relatiuorũ natura, & ingenium.

Iudæi qui Deum viderunt in deserto, quales fuerunt, & quẽ exitum habuerunt. *Exod. 16.* *Num. 21.* *1. Cor. 10.*

Iudæos illos Deum minimè vidisse: & quid viderint. *Exod. 19.*

Filius quàm perfectè Deũ Patrem suum referat.

Deo Patri qui non credant, vel ipsi conspicuo, atque apparenti.

Luc. 16.

Quomodo tu dicis Ostende nobis Patrẽ? Scribit in hæc verba Euthymius: *Quomodo*, inquit, *cognoscere cupis quem iam cognouisti? quomodo quæris quod habes? Et quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem, cùm nec me videris, nec cognoueris, quanquam te opinaris & vidisse, & cognouisse me?* Sic ille. Nam profectò vitio nõ caret, qui putat, sine Filio posse seorsum cognosci Patrem; aut cognitionem Patris, Filij cognitioni præcellere. Non quòd Pater alius non sit à Filio, & Filius à Patre; sed quòd inter duos dissimilitudo naturæ non existat, cùm eadem numero diuinitatis substantia communis sit Patri, ac Filio. Obserua igitur, Apostolos in Domino Deum vidisse, nec tamen se Deum vidisse, agnoscere potuisse propter cognitiõis huius tenuitatem, & spiritus exiguitatem. Ideo qui Spiritu Dei non sunt destituti, verba, gestaque Domini considerantes, in illis, vtpotè diuinis, agnoscunt Christum Deum, & per illũ ascendere possunt ad Dei Patris cognitionẽ, quam ipse & verbo, & opere testatur.

Euthym. in Luc. c. 10 circa medium.

Philippum iã vidisse Deum Patrem quẽ videre cupiebat, vt Christus ostendit.

Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Rationem adfert, cur is viderit Patrem, qui viderit Filium: nam inseparabilis naturæ, virtutis, voluntatis, & operationis consortio Filius est in Patre, & Pater in Filio. Estq; sermo de notitia, quæ comitatur fidem, cùm dixit: *Qui videt me, videt & Patrem meum*, ideo subdit: *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est.* Ad hæc, ne quis erraret intelligendo Iesum esse Patrem, & Filium (vt cõfusor Sabellius dixit) probat verum esse, quòd qui vidit ipsum, vidit & Patrem. Non quia Filius sit Pater, aut Pater Filius, sed quia Filius est in Patre, & Pater in Filio. Quibus verbis magnum nobis Theologiæ Christianæ lumen affulget. Nam consubstantialitas simul cũ distinctione personali hinc accipitur, & hæreses Sabellij, atq; Arrij iugulantur. Nam Ego, personam Filij denotat; & nomen Patris personam eius, quod est in Sabellium. Rursus Filium esse in Patre, & Patrem in Filio, vnitatem substantiæ vtriusque designat, quod est in Arrium. Quia enim idem propriè esse nõ potest in se ipso; vel apud seipsum; idcirco distinctio

Quomodo Filius sit in Patre, & Pater in Filio.

Impiũ dogma Sabellij, Patris, & Filij confundentis personas.

Arrij, atq; Sabellij ex hoc loco impia dogmata cõfutantur.

stinctio indicatur personarum. Deinde si Pater naturaliter est in Filio, & Filius in Patre: cùm Pater, vtpotè infinitus, vbicunque existat; cœlumq; ac terram impleat; cumque duæ infinitæ substantiæ esse nequeant: Filius cùm sit in Patre, vbique vt infinitus erit, cœlumq; ac terram implebit vt Pater, & vna & eadem substantia cum Patre. Ob id ergo Pater est in Filio, quia substantiam Patris habet Filius: & Filius est in Patre, quia substantiam Filij Pater habet. Essentia enim Socratis non est Socrates, qui est quid compositum ex essentia, & persona; in diuinis verò essentia Patris est ipse Pater, & Filij essentia est ipse Filius: ac proinde vbi est essentia Patris, ibi est & Pater, & vbi Filij essentia, ibi Filius. Est autem essentia Patris in Filio, & essentia Filij in Patre. Euincitur ergo, quòd Filius sit in Patre, & Pater sit in Filio, vt Dominus dixit. Atque sic explicãt hunc locum Veteres Patres, nimirùm Basilius in illud Ioannis: *In principio erat Verbum*; Hilarius in libris de Trinitate in multis locis, Ambrosius in posteriorem ad Corinth. hoc modo scribit: *Pater enim per id intelligitur esse in Filio, quòd vna eorum sit substantia: ibi enim est vnitas, vbi nulla est differentia.* Cyrillus lib. Thesaurorum, ait: *Quoniam ipsum esse Filij ex substantia Patris prodit: idcirco Filius est in Patre. Et quoniam quod Pater est natura, id ipsum Verbum suum est: ideo Pater in Filio est, sicut Sol in suo splendore: & sicut mens, sicut intellectus in verbo suo: & sicut in fluuio fons.* Adde istis Damascenum libro de Orthodoxa fide, dicẽtem: *Filius in Patre, & Spiritu, & Spiritus in Patre, & Filio, & Pater in Filio, & Spiritu, nulla quidem facta contractione, commixtione, aut confusione, & est vnitas, & identitas motionis. Nam vna est prosilitio, & motus vnus trium Personarum.* Hæc ille, quæ quoniam altissima sunt, & ferè imperuestigabilia, enitar, quãtum potero, exemplis ea illustrare, si quomodo quæ incomprehensa sunt, tenui aliquo vestigio percipiantur. Si enim in aliquo loco quis existeret, in quo audiret quidem echo, non autem vocẽ primam ex qua formatur ipsa, echo autem ipsa diceret se alterius vocis esse filiam, adeoq; æqualem, vt ex ipsa prior cognosci non minus quàm ex se ipsa posset, adderetque, ego sum in matre mea, & mater in me est; verum vtique diceret: sed qui appropinquare nullo adhuc modo posset, vt crederet echo matrem habere talem, quæ in ipsa existeret nunquam adduceretur vt crederet: vel qui audiret solam vocem, & non echo, nõ crederet echo generari à voce: qui autẽ in loco existeret, vbi exaudiri posset vox vtraque, & primam vocem, & echo eius filiam agnosceret, videretq; quemadmodum altera in altera est, & quomodo vna cognita, reliqua quoque cognoscitur: & cùm duæ sint voces, vnum tamẽ sunt significatione, etsi ex natura rei, & forma distinguantur. Ponamus deinde vocem, & eius filiã echo, vt habent esse fluxum, habere esse permanens, & per intellectum remoueatur locus, qui echo formauerat, & vocis primitiuæ vsum impediebat: iam vtraque vox ab eo, qui non nisi echo audierat, sentietur, & vnam in altera esse videbit, & possibile esse intelliget, quod prius impossibile putabat.

Ierem. 23.

Pater esse in Filio cur dicatur, & è contrario.

Quid proprium diuina rum persona rum.

Basil. hom 15. ... m. 1. ... an 1. Hilar. lib 3. 9. ... 7 de Trin. Ambr. in c. 7. ad Cor. to... 5. in fin. ... vnitas, v... nulla differentia. Cyr. li 3. Thesauro. c sub ... Quomodo Pater in Filio, teste Cyrillo. Damasc. lib. 1. de Orth fide cap. 19.

Quibus exemplis insinuari possit diuinarum personarum in se ipsis mansio, & veluti sedes. ... mum de echo.

Iam adiungamus alterum exemplũ ex Dionysio Areopagita, qui libro de diuinis nominib. cùm tractaret hãc mutuam personarum in se inuicem existentiam, ita explicat: *Principantium personarum in se inuicem (si sic dicere expedit) mansio, & sedes, integrè & superexcellenti modo coniuncta, & nulla ex parte confusa. Quemadmodum cereorum lumina (vt sensibilibus ac familiaribus vtamur exemplis) in domo vna cùm sint, & tota in totis mutuo sunt, & integra tamen atq; perfecta, & ab se inuicem discretione separantur, discretione coniuncta, & coniunctione discreta. Denique cernimus in domo plurimis tedis illustri, ad vnum quoddam lumen contingi omnia lumina, fulgoremq; vnum indiscretum, indiuiduumq; præferre. Neque reor posset quispiam huius facis lumen ab alijs ex aëre lumina cuncta continente distinguere, & alterum sine altero cernere, cum tota in totis merè cõmista sint. Verùm & si quis facem vnã tecto subducat, omnis quoque ipsius lux vnà exibit, nihilq; secum ex luminibus reliquis subtrahet, vel ex suo cæteris linquet. Erat enim illi (vt dixi) omnium ad omnia exacta coniunctio mera penitus, & nulla ex parte confusa; idque cùm esset lumen in corpore, aëre, & ex materiali igne penderet. Supersubstantialem itaq; coniunctionem illam longè eminere dicimus, non modò corporalibus coniunctionibus, verùm & animalib. & spiritualibus ipsis, quas habent impermistè, & supra mundanum modum tota in totis diuina effigie prædicta supercœlestia lumina, participatione excellentissima cunctisq; eminentis vnionis pro captu suo cuique indulta.* Hæc doctissimus Dionysius, vocans lumina supercœlestia, tres illas diuinas personas, quarum prior dicitur Pater luminũ; secunda, Lumen de lumine; tertia, Splendor. Atque lumine in aula tribus lucernis illustri deambulãte, tres videbis vmbras: quòd si ingens tabula in medio foramen habens tribus illis luminib⁹ opposita proponatur, tria lumina micantia ex transuerso per foramen emittent in oppositam partem, quę in aëre non confunduntur. Nam etsi loco sint coniuncta, pura tamen sine confusione,

Secundum exemplum de lu... B. Dionysij Areopagitæ. Dion. Areop. lib de diuin. nominib c. 2. par. 1. circa med.

Quænam supercœlestia lumina Dionysio. Iacob. 1.

sione, vt hoc exemplo vel è longinquo liceat spectare Trinitatis imaginem.

Tertium exemplum S. Trinit. in speculo.

Cape etiam & aliud exemplum, ad Trinitatis mysteriũ indicandũ. Finge prægrande speculum, Soliq; æquale: in hoc certè Solis imago non inæqualis Soli repræsentabitur: & quamuis duo Soles esse videantur, vnicus tñ erit Sol. Rursus finge, ex Sole cum speculo non minorem Sole & imagine eius gigni splendorẽ: adiunge Solẽ viuũ esse, & imaginẽ eius viuã sese mutuò intelligere, & amare, & velle tertiũ quid ex ipsis procedere, splendorẽ scilicet, qui sit illis, velut tertius Sol, mutui amoris & gaudij inter se materia, qui non minus intelligat, & amet quã ipse Sol, & imago eius faciunt: tres reuera vnũ erunt. Vna enim luce constabunt tres, nec vnus minor duobus, nec duo maiores vno: nam perfecto & infinito lumini quicquid addas, nihil addis, nec ab vllo vinci potest, quod perfectũ est. Et ita non plus orbi luminis aderit ex tribus Solibus, quàm ex vno adsit in ea parte vbi lucet, si Sol summum habet lucis. Nunc inter has Solis veluti tres personas, prima erit in secunda & tertia, secunda in prima & tertia, tertia in prima & secunda. Postremò adiunge, & has tres personas Solis inuisibiles faciamus (nã adiungendo, auferendove damus exempla eorum, quæ carent exemplo.) Finge è Sole omnem materiam auferri, & solam lucem remanere: & idem finge in speculo, & imagine, quæ in speculo, atque in splendore contingere; iam profectò tres lucis personæ erunt, omnesq; ab aspectu remotæ, omnes simul æquales, ita vt vna existat in altera; quemadmodum si tria lumina intuleris in cubiculũ, simul quidẽ lucebunt, distinctaq; erunt, separariq; poterunt: tamen lux eorum simul est, neq; distinctio corũ apparere potest, nisi vnũ lumen post alterum lumen auferatur, aut nisi alteri luminum aliquid opponatur: idq; ex eo deprehenditur, quoniã perfecta lumina nõ sunt: alioqui si perfecta essent, nõ agnosceretur differẽtia: nõ.n. minus lucebit cubiculũ ex vno lumine, quã ex trib. neq; tñ propterea indistincta sunt, etiam si distinctio à nobis minimè cognoscatur. Et hæc pauca de exemplis.

Quartum exemplum.

Quemadmodum in creatura sua Deus sit.

Deinde perpende, quòd vt omnes creaturæ sunt in Deo, secundùm illud: In ipso viuimus, & mouemur, & sumus: rursus: Quod factum est, in ipso vita erat: tanquã effectus in causa, vnde prodit: ita etiã Deus est in creaturis tanquam causa efficiens, & conseruans effectus quos produxit, atq; in hunc sensum dicitur: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est*. Deinde dicitur aliquid esse in altero, per cognitionem videlicet, & amorem, siue tanquam cognitum in cognoscente, & amatum in amãte, iuxta quem modum dixit Ioannes: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: & rursus in Epistola Canonica sua: *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Homo enim præcipuè mens est, siue spiritus, hoc est; eminentes illæ duæ facultates, Intellectus, & Voluntas: idcircò cũ cognoscimus, & amamus Deum, Deus in nobis est: & cũ agnoscimur à Deo, & diligimur, sumus in Deo. Et quanquam cognitio Dei per gratiam prętantior sit quàm illa per opera naturæ; nulla tamen ex his peruenire potest ad eam, quam personæ ad se inuicẽ habent. Est enim Pater in Filio, & Filius in Patre, & vterq; in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in vtroq;, quantum cognosci, & amari potest, hoc est, infinito modo, & quantum cõprehensus in cõprehendente. Sed is cognitionis, & amoris modus solis illis trib⁹ personis inter se inuicem tanquã proprius seruatur: vix enim creatura alteram comprehendere valet: nedum Deum: nullaq; creatura rationẽ habet, qua infinitè cognoscatur, & diligatur. Tertiò est aliud in alio per vnitatem eiusdem naturæ, atq; substantiæ: qua ratione solæ diuinæ personæ possunt esse in se ipsis, quia omnium earum vna est natura, & vnica substantia Deitatis: & idcircò Arrij insania hinc repellitur. Nam si Iesus non est Deus, impossibile est, quòd in visione substantiæ finitæ, ac creatæ, possit increata, atque infinita videri substantia: quemadmodum per cognitionem substantiæ vnius generis, alterius generis substantia non potest attingi. Vnde fieret, vt qui videret Filium, non videret Patrem, contra Christi verbum: atque ita hęc Dei cognitio per substantialem actionem diuinæ naturę cæteris pręstat omnibus, quas per artẽ efficit: quemadmodum oliuam nõ tam ex folijs, aut ex caliditate, aut ex calore, quam ex opere naturali, quo alias oliuas producit, excellentius cognoscimus.

Act. 17. Ioan. 1.

Aliquid est in alio tripliciter. Ibidem. Ierem. 23. II. Modus.

Ioan. 6. 1 Ioan. 4.

Ad quam cognitionem nemo peruenire potest.

III. Modus.

Arriani error cõfutatus.

Olea vnde potissimum cognoscatur.

Sed iam redeamus ad Textum: *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Probat Dominus quadruplici ratione, quòd Pater sit in ipso, & ipse sit in Patre: quod est ostendere vnitatem Patris, & Filij. Primò quidem à locutione: quia verba quę ego loquor vobis, à meipso non loquor, sed ex Patre, & ita sum Propheta ille in Deuteronomio promissus, in quo Deus posuit verba sua, atq; ita ostendit indiuisos esse Patrem & Filium in loquendo. Secundò ab operibus, dicens: *Pater autem in me manens, ipse facit opera*: id est,

Patrem in Filio esse, & in Patre Filium, quadruplici Christus ratione demõstrat.

Deut. 18.

Secunda.

id est, Opera, quæ ego operor, ex meipso, non facio, sed Pater ipse per me operatur; & si Pater loqueretur, vel operaretur, profectò non aliud quàm quod ego modò loquor,& operor,diceret, & faceret, Eadem nobis mẽs est,eadem virtus; ac proinde eadem substantia, & natura:neq; potest filius facere quicquam, nisi quòd viderit Patrem faciẽtem. Obijcies: Quomodo probat Dominus, nõ tantùm Patrem esse in se,sed etiam esse in Patre: Patremq; ac se vnum esse natura? quia Prophetæ etiam dicere poterant: *Verba quæ ego loquor,à meipso non loquor:* nec miracula quæ facio,à meipso facio, sed Deus in me manens, & loquitur, & operatur. Respondemus, Dominum dixisse, *Pater in me manens,ipse facit opera:* nõ ait, Deus in me manens. Nam Deus in Prophetis loquebatur,& operabatur tãquàm Dominus per seruos,non tanquàm in filijs:in me autem,tanquàm Pater in Filio. Adhæc verbũ in me manẽs, propriè Filio competit, quia inseparabiliter, & inuariabiliter illi inest, & infuit semper; cùm Spiritus Dei aliquãdo ad tempus Prophetas desereret: & cùm inesset vario modo illos per temporum, & locorum ratione afficeret. Ideo de Christo dicitur: Requiescet super eum Spiritus Domini. Illis igitur verbis Dominus occultè indicat, neminem hominem aut veraciter loqui, aut benè operari posse, nisi habeat Patrẽ in se manentem. Omnis enim homo mendax, &, Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum,& non peccet. Vel ostendit,indiuisam esse Patris,& filij in loquẽdo facultatem, ex eo quòd indiuisa sunt vtriusque opera : Ego enim,inquit,loquor, & sermoni meo respondens,operatur. Nam dicente mihi, *Adolescens,tibi dico.surge*,&, *Lazare, veni foras*, assistit Pater, & opera ipsa præstat, quæ ego ore pronuntio. Similiter cùm dixi: *Confide fili,dimittuntur tibi peccata tua*, Pater assistit remissionem largiens peccatorum. In quẽ sensum hæc verba interpretatur Nõnus Paraphrastes. Tertiò, probat ex propria autoritate naturę vnitatem, dicẽdo: Non creditis quia ego in Patre,vel, vt Græcè dicitur, & in Codice Syro: *Credite quia ego in Patre:* quæ lectio quadrat his quę sequuntur: *Alioquin propter opera ipsa credite*:quod in eũdem sensum redit. Credite, inquam,mihi, qui nunquàm mẽtitus sum, qui sum via,& veritas,& vita: qui tot signis confirmo verba mea. Ad extremum argumentum sumit à natura operũ mirabilium quæ edidit, & quæ fidem sibi vehementer conciliabant: *Alioquin, ait,propter opera ipsa credite*. Id est, Si mihi fidem præstandam esse ob autoritatem meã non putatis, saltem

Ioan.5.
Quàm idonea ratio ea Christi sit,ad id probandũ cũ eadem cõmunis fuerit etiam cum Prophetis.

Nemo aut veraciter loqui aut benè operari potest, nisi habeat Patrem in se manentem.
Psal 115.
Eccl.c.7.&
Rom.3.
Luc. 7.
Ioan.11.
Matth. 9.
Nonn Parap.
III.ratio.
Quarta.
Quid significat Christus cùm ait: Alioquin propter opera ipsa credite.

propter ipsa opera quæ feci,quæ Deo soli conuenire possunt;& homine sunt maiora, credite mihi. Quòd Dominus consultò fecit,vt imbecillitati nostræ consuleret: quia alioqui satis superque esse debebat Domini autoritas. Deinde docet,ijs,qui magnifica de sese iactant, fidem nõ esse habendam: sciebat enim,impios, & seductores multos venturos,qui quæ prædicta sunt,sibi adaptarent,atq; verbis Deos seipsos testari possent,eos tamen diuina nõ posse edere opera. Ita superiùs ipse dixerat: *Si non facio opera Patris mei,nolite credere mihi, Si autem facio, & sic mihi non vultis credere, operibus credite;vt cognoscatis & credatis,qui Pater in me est, & ego in Patre.* In quo se planè vnius cum Deo vero substãtiæ indicauit. Nam diuina opera edere,non est nisi diuinam habentis virtutem,atq; naturã: neq; Deus pro bonitate sua hanc diuina opera edendi facultatẽ, & gloriam alteri tribuit, secundùm illud: *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meã sculptilibus.* Quòd si obijcias,Moysen docere, reijciendum Prophetam illum, qui in medio eorum surgeret, & signis quòd assereret,confirmaret: intelligendum est,si talis Propheta dixerit, vt ibidem ait Moyses: *Eamus;& seruiamus dijs alienis,quos ignoras tu, & patres tui.* Nam aduersus Dei verbũ miraculis cõfirmatum,nullum signum est admittendum. Tunc autem signis securè credimus, si doctrina verbo Dei cõsenserit in Christo. Signa præterea eiusmodi doctrina destituta sunt falsa,atq; mendacia,&qualia tribuit Christus pseudoprophetis, & Apostolus Antichristo vẽturo. Cùm igitur tanti referat bonũ operum testimonium, debent legitimi verbi Dei concionatores moribus ornare, quod docent, vt maiori cum fide ab auditoribus excipiatur, & tales existant, vt si opus sit, & gloria Dei exposcat, per eos signa edere dignetur Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre,& Spiritu sancto deferatur omnis gloria, laus, & gratiarũ actio in sempiterna secula. Amen.

Quibus minime fides habenda.
Ioan.10.
Esai 42.
Deut.13.
Propheta signis etiã confirmans, quod prædixit, qui tenetur à Moyse.
Signis quando tutò credamus.
Matth.24.
2.Thess.2.
Bonorum prædicatorũ partes.

TRACTATVS LI.

In illa Domini verba: *Amen amen dico vobis,qui credit in me: opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, Et quodcũq; petieritis Patrem in nomine meo,hoc faciã: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo,hoc faciam*, Et habetur Ioan 14.

CVM DOMINVS hunc sermonem instituerit, vt discipulos mœ-

Sermo Domini in cœna quo tendat.

rore confectos confirmaret: omnia quæ poterant eorum animos erigere, atq; corroborare, in medium adducit, quare & signorum operationem, & gratiam impetrandi, quicquid à domino in nomine ipsius per fidem postularent, præsentibuus verbis pollicetur, dicens: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, &c.* Vt autem quorsum hæc dicantur, rectiùs capiamus, perpendendum, quòd cùm dominus superiùs dixisset: Pater autem in me manens, ipse facit opera, intelligi posset fositan sic locutus, quasi ipse ex se nihil posset, sed tantum vt nudum Dei instrumentum esse: hoc excludit Dominus, teste Cyrillo, docens, nedum ex seipso omnia posse, sed etiam eam virtutem in se credentibus communicare valere.

Horũ quoq; quæ proposita sunt, vermini corpus.

Cyr. l. 9. in Ioan. c. 41. to. 1.

II. ratio.

Deinde ne discipuli, qui præsente eo diuina opera viderant; putarent eo recedente nihil tale ampliùs se habituros, eos hoc loco solatur; atque adeò docet, illis non defutura diuina opera, vt & ipsi ea, imò ipsis maiora effecturi sint. Tertiò proposuerat superiori loco Dominus duo, quorum alterum est, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, atq; illis expeditis, quæ pro explicatione illius parciculę dicenda occurrebant, transit ad alterum, nempe: *Creditis in Deum, & in me credite.* Et intendit demonstrare dicti illius veritatem: ostendendo parem esse facultatem credentis in Iesum, & credentis in Deum. De fide enim Dei alij Euangelistæ testati sunt: *Habete fidem Dei, Amen dico vobis, quicunque dixerit huic monti, Tollere, & mittere in mare, &c. fiet ei.* Propterea modò paria tractat de fide in se, dicendo: *Qui credit non in Deum, sed in me* (ostendens se Deum vnum esse cum Patre) *opera eadem quæ ipse facio, & maiora edet.*

III. ratio.

Christi vnitas cum Patre substantiæ. *Marc. 11.*

Amen amen dico vobis. Quando gloria Dei, quæ per credentes in Christum propagatur, & vtilitas proximi postulabat, Christus nonnunquàm asseuerantiùs loquitur, quasi iureiurando rem confirmet: magnisque præmijs ad fidem inescat, & inuitat suos. Nã vt omnia sunt possibilia credẽtibus in Christum, ita incredulitatis pręmium est rerum omnium impossibilitas. *Qui credit*, inquit, *in me,* non fide humana, vel historica, quam dæmones habentes, credunt & contremiscunt: sed fide viua, sicut dicit Scriptura credendum esse in Messiam. Qui me excipit vt Deum, & certo statuit me esse salutem mundi, viam ad Patrem, vnum cum Patre, & extra me salutem, vel Patris cognitionem non existere: *Opera quæ ego facio, & ipse faciet.* Non ait: Opus quo ego facio, ne intelligas opus illud singulare reconciliationis, & redemptionis humanæ, quòd nisi is qui natura Filius Dei erat, præstare minimè poterat, quodq; tũc, & semper actu prestabat, sed opera: inquit, plurali, quæ cõmuniter faciebat, & in quibus faciendis ad Euangelium illustrãdum perseuerabat. Nam opus illud redemptionis, de quo antè dixerat: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius:* & de quo infrà est dicturus: *Opus cõsummaui quod dedisti mihi, vt faciam*; tantùm ad mediatorem Dei, & hominum Iesum Chistum spectabat, atque alijs est incommunicabile. At verò ad signa, & miracula, quæ ad applicandam Chisti redemptionem, & sanctificationem faciunt, alij vt ministri admitti possunt, non tantùm sine vlla Christi iniuria, sed etiam cum maxima illius gloria: à qua sicut vocantur ad verbi Dei, & Sacramentorum ministerium, & vt sacrificio, prece, atque exemplo alijs præluceant, & vt autoritate guberandi, pascendique alijs præsint, ita etiam ad edenda signa, & prodigia, si quando Christi gloria, aut negotium Euangelicum postulat.

Illud interdum: Amen amen dico vobis, cur Christus vsurpabat.

Marc. 9.

Iacob. 2.

Credẽs quis in Christum, opera Christi facit.

Opera, non opus Christi, cur dicatur ille facere.

Opus Christi proprium.

Infrà 17.
1. Tim. 2.

Sancti cùm signa edunt, nullam non modò iniuriam Christi gloriæ faciunt, sed etiã eam maximè ornant, illustrantq;.

Deinde rectè addit: *Quæ ego facio*; id est, quæ ego Deus, & homo mundi reconciliator ad sanctificationem hominum, & fidem propagandam operor, vt rectè exponit Cyrillus; nõ autem opera, quæ olim fecit vt Deus, condendo cœlum, terram, & stellas, aut sistendo Solem, & Lunam, vt fecit tempore Iosue; aut mittendo manna de cœlo, vt fecit seculo Moysi: nam hic loquitur de illis operibus, quibus fidem suæ deitatis cõfirmabat, de quibus paulò antè dixit: *Alioquin propter opera ipsa credite. Opera,* inquit, *quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*

Quare depręsenti ait Christus: Opera quæ ego facio.

Cyr. l. 9. in Ioan. c. 41. to. 1.

Gen. 1 & seq.
Iosu. 10.
Exod. 16.
Quę olim opera ille fecit.

Magnifica hæc, & sublimia Christi promissa, multiplicem rationem dubitãdi porrigunt. Primum dubium est: Videtur ex his colligi, quòd nullus Christianus in Christũ credere dici possit, nisi signa & opera Christi faciat: quòd quia nulli hodiè præstant, dicendum esset, nullum esse verum Christi cultorem, nec proinde vllibi fidem veram esse, vel Ecclesiam, in qua nõ sint sancti edẽtes miracula. Alterum dubium est: Quomodo credẽs in Christũ maiora faciet, cùm inter signa nullũ Lazari quatriduani suscitatione ad vitam maius existat? Deinde si maiora edunt Apostoli signa, quàm Christus, ergo maiorem diuinitatem testantur in Apostolis infuisse, quàm in Christo; vt ita maior sit seruus Domino, & discipulus magistro suo. Et qua ratione maiora ediderunt Apostoli, qui vix æqualia præstiterunt: quia virtute aliena, & orando sancti edide-

I. Dubium in hæc Christi verba.

II. dubium.
Ioan. 11.

Ioan. 13.

III. dubium.

ediderunt signa, quæ Christus virtute propria,& imperando patrauit? Tertium dubium sit: Quomodo probat ex eo quod ad Patrem vadit, edendo maiora signa; cùm potius ex eo quod recedit, minora, aut nullafutura essent? Quartum dubium: Cur modò in præsenti Ecclesia miracula nō edūtur à sanctis, & cur in ea modò nō sunt gratia curationum, operatio miraculorum, genera linguarum, quæ Ecclesiæ primitiuæ promissa, erant apud Paulum in priori Epistola ad Corinthios? Ad hæc omnia breuiter, pro ratione huius loci distinctè & sigillatim est respondendum. Ad primum igitur dicimus, quosdam extitisse qui putarent, sermonem esse de moralibus operibus, quia credentes in Christum imitari debent domini humilitatem, mansuetudinem, patientiam, obedientiam,& charitatem, iuxta illud: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Verùm hic sensus pius quidem est, & charitatem ædificat, præsenti tamen loco non cōgruit. Nam præcedētibus non quadrat verbis: *Alioquin propter opera ipsa credite:* in quibus de signorum operationibus, quæ apertè testantur deitatem Christi, est sermo. Minus etiam sequentibus conuenit, quia subdit: Et maiora horum faciet: nemo enim ad heroicas & planè diuinas Christi virtutes accedere potest, nedum vt eius obedientiam, & charitatem excedere valeat. Meditantur tamen hoc loco beati Augustinus, atque Thomas, duplicia esse Christi opera: quædam quidem, quæ ipse fecit sine nobis, vt creare cœlum, & terrā, suscitare mortuos,& similia; alia verò, quæ non sine nobis operatur, vt opera fidei, amoris, & obedientiæ ad diuinam legem, per quæ impius viuificatur, de quibus ait Dominus, *Opera quæ ego facio, & ipse faciet:* Quia quod fit per Deum, seu Christi gratiā in credēte fit, & per ipsum, & liberum eius arbitrium, iuxta illud Apostoli: *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem*, scilicet solus, *sed gratia Dei mecum.* Et quod subdit: *Maiora autem faciet:* Eò isti Patres referunt: quia maius est impium iustificare: quàm creare cœlum, & terram: quòd iustificatio opus sit spirituale, vt creatio corporum, quod ad spirituale ordinatur: hoc per se æternum est, illud verò deficiet; quia cœlum,& terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. Illud habet renixum, contradictionemque ex parte peccatoris, quæ in creatione minimè fuit.

Quòd si obijcias in conditione cœli & terræ contineri sanctorum Angelorum creationem, non ergo maiora faciet qui assentitur Christo ad suam iustificationem, quàm qui creat Angelum sanctum. Ad hoc sic respondet Augustinus: *Iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quàm impios iustificare. Certè enim si æqualis est vtrumque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ.* Addit beatus Thomas, quòd cùm dicit Christus, *Maiora horum faciet*, non opus esse intelligere omnia opera Christi, sed illa fortassis, quæ tunc edebat: tunc autem verba Dei faciebat, & vtique minus verba iustitiæ prædicare, quæ tunc prædicabat sine alijs, quàm impios iustificare, quod ita facit in nobis, vt & nos eadem faciamus. Vera profectò hæc sunt, & pia, & ad mysticum sensum spectant, & charitatem ædificant, sed ad rem non faciunt. Nam ad literam sermo erat de operibus signorum: & quanquàm homo cum Deo concurrat in actibus fidei, spei, amoris, timoris, & contritionis, quibus iustificamur, assensum,& efficientiam aliquam habendo; multa tamen in iustificatione, sine nobis facit, vt primos motus & excitationes Dei nos ad se vocantis, atque adeò ipsos habitus fidei, spei, charitatis,& gratiæ, in quibus forma iustificationis consistit, solus Deus producit,& homo tantùm passiuè se habet eos recipiendo. Quare alij sunt qui sentiant, verba Domini intelligenda de electis quibusdā Christianis, qui gratia miraculorū sunt præditi, quibus Paganos ad fidē Christi, aut peccatores ad charitatem trahere valeant, vt erat Apostoli, & alij persimiles. Sed repugnat hic sensus generali Christi verbo, & absolutè prolato, *Qui credit*, inquit, *in me*: hoc est: Quicunque, siue Apostolus, siue quiuis alius: & in vniuersum de omnibus credentibus dixit Dominus apud Marcum: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*, &c. & alibi: *Omnia possibilia sunt credenti.* Sunt rursus qui hæc intelligant de signis spiritualiter intellectis, vt omnis videlicet fidelis cæcos illuminet, dando lumen doctrinæ qua peruéniant ad fidem, claudos faciat ambulare, adiuuando, vt fidem qua credunt, bonis operibus confirment; mundet leprosos, mūdationi à lepra peccati administrādo; mortuos spiritu suscitet, gratiæ vitā impetrādo. Sed hic sensus etsi charitatem ędificet, ad rem tamē minimè facit: quia esset in verbis Christi æquiuoca intelligētia; nam de operibus signorum corporalium erat sermo. Adde, quòd hæc spiritalia signa difficiliora sunt factu credenti, quàm priora, quanto spiritus maior est corpore: etsi hæc frequentiùs, illa rariùs contingant. Præterea Christus alibi de sanita-

Marginalia (left): IV. dubium. — 1. Cor. 12. — Quæ opera sint illa, quæ credens in Christum facit maiora etiam illis quæ Christ' fecit. — I. sensus, sed incongruus quorundam. 1. Ioan. 2. — Alter sensus. Aug. trac. 72. in Ioan. to. 9. Tho. sect. 3. in 4. c. Ioan. to. 4. — 2. Cor. 15. — Maius est impium iustificare, quā creare cœlum, & terram, & quare, teste August. Matth. 24. — Quàm verū illud sit, cū in mundi creatione Ange-

Marginalia (right): lorum quoq sanctorum creatio con neatur. eod autore. Idem August. — B. Thom. — Huius sens incōmodum — In quib' fo ma iustificationis fit. — Tertius sensus item im probabilis. — Marc. vlt. Suprà 9. — Quartus. — Improbatur triplici ratione.

Marc. vlt. *Luc. 17.*

sanitatibus corporeis, & signis quæ sub aspectum cadunt, manifestè loquitur: vt, *Linguis loquentur nouis, serpentes tollent*; &, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, Eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis.*

Verus ac proprius huius loci sensus qui sit.

His igitur sensibus, vt minùs proprijs, minusque litteræ congruentibus explosis, atque reiectis, simpliciter asserendum est, hunc locum de signis, & prodigijs, quæ tum Christus in Euangelio scribitur operatus, tum discipuli in Actis Apostolicis leguntur edidisse, cœcos illuminando, claudos sanando, & paralyticos, mortuos ad vitam reuocando, intelligendũ esse. Vt enim Christus propter Patrem in se manẽtem, & vnitatem naturæ signa operatus est, ita & fideles propter Christum in se manentem & per fidem habitãtem ediderunt miracula. Per fidem enim fidelis Christo vnitus Spiritum Christi accipit: qui cùm sit omnipotens, fideles fortes, & ad signa patranda potentes, cùm vult, efficit. Neque dicit, Omnis qui credit in me, semper & in omni loco signa edet; sed tantùm vim, atq; energiam fidei explicat, illamq; nihil non posse, si gloria Dei postulet, aut salus animarũ exposcat, certò statuat. Non voluit ergo Dominus hoc loco significare, fideles vel illius seculi, vel posterioris, semper signa, & miracula operaturos, sed cùm ea peterent, quæ rectè non petuntur, nisi cùm pro Dei gloria illustranda fuerint necessaria. Et ideo in primitiua Ecclesia non singuli, & omnes Christiani signa edebant, sed præcipui quidam ad id à Deo electi: ita etiam in posteriori seculo. Quòd ergo non fiant modò signa, aut est propter fidei imperfectionem, aut propter necessitatis cessationem, quia videlicet non ita occurrit occasio illustrandæ Dei gloriæ. Hic sensus verus est, & genuinus, atq; ipsis factis respondens. Nec enim omnes, sed quidam tãtùm; nec omni tempore, sed quãdoq; in primitiua Ecclesia, aut posteriori signa edidêre. Itaq; satisfecimus primæ dubitationi propositæ: ad secundam veniamus.

Ephes. 2. Qua fideles virtute ediderint signa atq; miracula.

Cur signa modò non fiant.

Ad miraculi rationẽ quæ requirantur.

B. Tho. 1. p. q. 105. a. 8. & q. 110. a. 4. in 10 Lib. 6 in Prol. & in corp. *Matth. 24.*

Quò firmiùs responsum demus, præmittendum est, omne verum miraculum virtutem infinitam exigere, eo quòd superet omnem creatæ naturæ facultatem, vt docet diuus Thomas 1. part. id quod etiam abundè à nobis fuit ostensum libro de Miraculis. Debet prætereà esse præter ordinẽ naturæ totius creatæ: vt propterea, lapidem grauem proiectum, vel ne detur vacuum, ascendere, vel leuem ob easdem caussas descendere, non fit miraculum. Vnde quod ait dominus de pseudoprophetis, quòd dabunt signa, & prodigia magna, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi; & Apostolus ad Thessalon. de signis mendacibus Antichristi, de quibus Augustinus lib. de Ciuit. Dei, dubitat num vera, & solida sint futura miracula: dicendum est tamen, quòd etsi vera aliquo modo, quod attinet ad naturam rei, quædam illorum signa extiterint, quia veros serpentes, & aquas sanguineas Magi Pharaonis ediderunt: dicuntur tamen mendacia, & falsa signa, tum quia virtutem naturalium caussarum, & facultatem dæmonũ non excedebant, tum quia ad imponendum fidelibus, eosque à cultu Christi auocandos fiebant, vt idem Thomas docet in secunda secundæ. Verùm igitur signum à solo Deo fieri potest, de quo ait Dauid: *Qui fecit mirabilia magna solus.* Cùm autem dicimus Deum miracula operari; ne intelligas miracula respectu diuinæ potentiæ, cui similia facere perinde est, atque alia naturalia operari; sed respectu nostri & consideratione virtutis naturæ creatæ.

2. Thess. 2. *Aug. l. 20 de Ciu. Dei c. 19 tom. 5.* *Exod. 7.* *Ibidem.* Magorũ Pharaonis, Antichristi, & pseudoprophetarũ signa cur dicantur mẽdacia.

Th. 2. 2. q. 178 a. 1. ad 2. *Psal. 135.*

Miracula respectu nõ diuinæ, sed humanæ potentiæ sunt, & dicuntur tantummodò.

Deinde præmittendum, quòd etsi miracula omnia ab omnipotenti virtute Dei proficiscantur; tamen si in seipsis perspiciantur, altera alteris sunt maiora. Nam maius est leprosum, quàm febricitãtem sanare; cùm febris curabilis sit, at lepra perfecta, natura incurabilis: maius etiam est oculum amissum reddere, quàm digitum, & vtroque præstabilius vitam restituere. Quæritur ergo, quomodo Apostoli credẽtes maiora ipso Christo ediderint. Primò enim nequit intelligi de signis spiritualiter intellectis, quandoquidẽ illa nõ sunt propriè signa, nec de illis erat sermo. Deinde qui propriè dat lumen Fidei, & vitam gratiæ, & vim operandi, Christus est, homo verò nonnisi vt instrumentum, & si liberum, remotiùs tamen confert, quàm in signis corporeis, quanto spiritualia sunt maiora corporalibus. Deinde non potest intelligi, maiora, id est, plura, vt interpretatur Theophylactus; eo quòd plura Apostoli, & sancti in primitiua Ecclesia signa ediderint, quàm solus Christus: quia & si concederemus vt verum, plura edidisse signa omnes Apostolos simul, quàm solum Christum, probabile tamen non est, quemlibet Apostolum, aut Martyrem, aut fidelem, plura fecisse, quàm Christum. Vnde apud Ioannem dicitur: *Quum autẽ tãta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*: & alibi: *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Nunquàm non repugnat aliquem Apostolum in eadem specie plura edidisse signa, quam Dominum. Nam Dominus

Quomodo Apostoli credentes maiora ipso Christo signa ediderint. 1. sententia. Secunda.

Theop. in Ioã. 14.

Signorum Christi numerus, magnitudoq. *Ioan. 12.* *Suprà 7.*

Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11.

minus legitur tantùm ſuſcitaſſe tres mortuos, vt filiam archiſynagogi, filium viduæ, & Lazarum quatriduanum: at non eſt improbabile, aliquem Apoſtolum, vel fidelem quadraginta, aut centum mortuos ſuſcitaſſe. Quia ergo non poſſunt maiora ſigna dari his, quæ Chriſtus fecit, ſuſcitando Lazarum, & illuminando cœcum natum; quomodo verum eſt quòd maiora horum faciet credens in Chriſtum? Dicendum eſt, hunc nodum poſſe nos varijs rationibus explicare. Prima eſt vt Apoſtolus aliquis ediderit maiora hominum iudicio, & opinione, non quidem omnibus, ſed multis quę Chriſtus fecit: vt tactus fimbriæ Chriſti ſanauit hemorrhoyſſam; & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant: quod etſi magnum eſſet, maius tamen reuera eſſe videbatur, quòd vmbra diſcipuli Petri ſanaret omnes, quotquot in grabatis iacebant, quodque diſcipuli Pauli ſudaria, & ſemicinctia pellerent dæmones, ac febres, Magnum erat montes transferre, quod nunquàm tamen fecit dominus: at fecit Gregorius Thaumaturgus ad Eccleſiæ cõſtructionem, vt tradit Eccleſiaſtica hiſtoria li. 6. Deinde, quia quandoq; dicitur maius, quod numero vincit, poteſt recipi expoſitio Theophylacti, quòd in eadem ſpecie plura numero ſigna aliquis ediderit quàm Chriſtus: vt ad vitam ſuſcitare ſimul decem, & fine vllis, aut paucioribus ceremonijs interdum quàm Chriſtus. Hinc Petrus Cluniac. lib. 2. c. vlt. tradit, Eucharium à B. Petro Apoſtolo miſſum in Germaniã ad prædicandum, maiori miraculo, quàm Chriſtum ſuſcitaſſe mortuum quadragenarium, id eſt eum, qui quadraginta diebus manſerat in ſepulchro; cùm Chriſtus nonniſi quatriduanum Lazarum ſuſcitauerit. Et S. Fronto Petrogorenſis directus in partes Aquitaniæ ab eodem Apoſtolo, ſocium ſuum Georgium iam ante dies decẽ in via mortuum, ad contactũ baculi, quem ille geſtabat Apoſtoli, reuocauit ad vitam. Tertiò maiora dici poſſunt in fructu, & vtilitate, quia Chriſtus prædicando, & ſigna edendo, Iudęos à ſe alienauit, imò contra ſe potiùs concitauit, & tantùm 120. diſcipulos habebat in die Pentecoſtes; at in hoc videtur vinci à Petro, qui prædicando, & ſigna edendo, nunc tria millia, nunc quinque millia Iudæorum conuertit. Adde, quod plus eſt, gentes Chriſto credidiſſe, & ex impijſſimis iuſtas factas & pias, integraſque ciuitates atque prouincias per vniuerſum terrarum orbem paucis verbis, ac ſignis ad Chriſtum cõuerſas fuiſſe, quàm quę in Iudęa dominus fecit ante mortem ſuam.

Suprà 9.

III. ſententia probabilior. Maiora ſigna aliquem edidiſſe, quàm Chriſtum, quatuor modis poteſt intelligi.

Matth. 9. Marc. 6. Act. 5.

Infra 19.

I. modus.

Theoph. ibid.

Petr. Cluniac.

Eucherij, & Frontonis ſuſcitationes mortuorum inſignes, atq; memorabiles.

II. modus.

Act. 1.

Infra 3. Infra 4.

Adde, quòd Chriſtus per dies quadraginta in multis argumentis fidem fecit ſuæ reſurrectionis Apoſtolis, corpus ſuum illis indicans; quod tamen Apoſtoli minimo labore facturi erant, & apud Iudæos, & apud Gentes, abſque eo quòd corpus Chriſti illis oſtenderent. Quartò maiora etiam in quantitate virtutis edidiſſe videri poſſunt: vt ſuſcitando mortuos ante annos aliquot defunctos, quàm quatriduanum mortuum Lazarum, & reuocare ad vitam Traianum ante aliquot ſecula defunctum, vt feciſſe legitur Gregorius Romanus. Ad extremum ſi quid ſit Chriſtus, id eſt, Deus, & homo, & quid ſint Apoſtoli, id eſt, puri homines, attentiùs inſpexeris, & quid ſit ratio proportionis inter illos facilè poteris intelligere, quoduis, vel paruum ſignum Apoſtoli maius eſſe; quàm Chriſtum Deum, ſimpliciter maxima quæque operari. Hæc ratio tamen non ita mihi probatur ac præcedentes. Eſtque comparatio non Chriſti ad Apoſtolos, ſed Chriſti in perſona propria operantis, ad ſeipſum in Apoſtolis efficientem ſigna. Quemadmodum Paulus ait: *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo, & factis, in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus S.* Hæc tantus Chriſti Apoſtolus; vt proinde gloria ſignorum editorum per Apoſtolos ad Chriſtum propriè redeat: quanquàm magna ſit Chriſti humilitas, quòd illa ſigna, quæ tãquàm organa ſua Apoſtoli operati ſunt, eis accepta ferrt dominus, quodque illis maiora tribuerit, quàm ſibi: quæ omnia eximiam, & propè ineffabilẽ Chriſti modeſtiam indicant. Quod propterea dominus fecit; ne omnia in vita feciſſe quæ poterat, videri poſſet, atque proinde occiſus iudicaretur minus: ſed alijs maiora ſigna faciẽda ſeruare voluit, vt ſponte ſe occubuiſſe oſtenderet.

Act. 1.

IV. modus.

Ioã Diac. li. 2. vit. B. Greg. c. 44.

Rom. 15.

Cur Chriſtus maiora Apoſtolos ſigna edere voluerit, quã quæ ipſe fecit.

Non ergo propterea ſequitur, Apoſtolos maiorem diuinitatem habuiſſe, quàm Chriſtum: quia Apoſtoli non trahebant ad ſe, nec miracula edebant ad indicandam diuinitatem vllam, quæ in ipſis eſſet, ſed ad Chriſtum Deum, eiuſque diuinitatem confirmandam. Ideo tanquàm ſerui, ſiue legati eius, nomine ipſius inuocato ſigna faciebant; quare non ſequitur quòd ſeruus ſit maior domino, aut magiſtro diſcipulus, aut legatus mittente. Idcirco preces præmittebant, & nomen Ieſu inuocabant, & ad firmandam eius doctrinam, quaſi poteſtate ſibi ab alio communicata, ſigna tanta patrarunt.

Ad ſecũdum dubium reſpõſio, de eo quod Apoſtoli in eo maiorem videtur habuiſſe diuinitatẽ quam Chriſtus.

Tertium dubium diſſoluamus. Reſpondemus,

III. dubij ſolutio.

Quid sibi Dominus voluerit, cũ dixit: Quia ego ad Patrẽ vado.

demus, pulchrè Dominum dixisse, quia ego ad Patrem vado, ac ideo in maiori ero dignitate, & autoritate sedẽs ad dexteram Patris, & regnans, mittamq; Spiritum sanctum ad meos corroborandos; ac proinde decens erit, ac cõgruum, me per vos maiora ad illustrandam meam gloriam petentes, & Spiritu sancto repletos operari. Dum enim viueret Christus, opus erat probare se verum hominem, & solidam, ac per omnia nobis similem possidere humanitatẽ: cui indicandæ aliquo modo miracula repugnabant, quæ ex se opera Dei sunt, & deitatem potiùs ostendunt. Deinde opus erat documentum humilitatis præbere, quia per superbiam Adam peccauerat appetendo deitatem: hinc Christus deitatem sæpiùs tegere debuit, ne appetens se ostentandi videretur; quare & pauciora edere debuit signa. At postquàm gloriosus residet apud Patrem, plura, & maiora per suos præstare debuit opera; vt gloriam suam mundo testatam redderet, & apertam, quæ per carnis infirmitatem, & ignominiam crucis fuerat obscurata. Hinc soluens hoc argumẽtum, subdit: *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ne quis enim putaret, Christum propterea æquare sibi Apostolos in edẽdis signis, quòd propria operarentur vitute; subdit, eos, licèt maiora se faciant, non tamen propria virtute, & potestate, sed præmissa prece Patrem deprecantes, & Christo de cœlo eos exaudiẽte, & facientes quæ petunt. Quod si forsitan argumenteris, interdum Apostolos potestate, & non prece patrasse signa: in primis quia in Matthæo, Marco, atque Luca, dicitur: *Conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.* Dicendum est, rectè dictum esse quòd dedit illis potestatem, quam ex natura sua non habebant, sed Christi tantùm gratia communicatam: nõ autem quòd sit potestas quædam habitualis quam vocauit, siue character impressus, quo cum vellẽt, signa facerent, sed quo cũ vellet Deus, eos ad petenda signa, & facienda excitaret. Hinc Petrus dixit: *Viri Israelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Deinde fortassis argues ex verbis Gregorij, qui libro Dialogorum miracula edendi potestatem sanctis tribuit, his verbis: *Qui deuota mente Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quæq; aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate.* Cum enim Ioannes dicat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Qui filij Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant?* Hæc ille. Sed ad hęc respondet S. Thomas: quod sancti quandoq; faciunt signa præcedente oratione, quandoque etiam non præcedente, sed Deo ad nutũ hominis operãte, qui nutus occulta quædam hominis est oratio: & hoc est ex potestate signa facere: cùm etiam adderent imperij verba, vt Petrus in suscitanda Dorcade dixit: *Thabita surge*, & cùm sanauit claudum: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Aduerte etiam, miracula ad commẽdationem propriæ sanctitatis tantùm à sanctis fieri: vt ossa Helisæi, vmbra Petri, sudaria, & semicinctia Pauli, at verò quæ fiunt in confirmationem Fidei, etiam à malis, per nomen Christi inuocatum, ac veram fidem eduntur. Vnde Iudas proditor suo tempore signa fecit, & illi qui dicent in die iudicij, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Apostolus quoq; insinuauit, dicens: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, quibus in verbis indicat, quosdam per fidem sine charitate signa edere posse. Vnde cùm hic dominus ait: *Qui credit in me*, nõ tantùm intelligendum est de fide viua per dilectionem operante, sed etiam de habẽte veram fidem sine charitate.

Cur oportuerit, Christum plura, & maiora post mortem edere miracula, quàm antè.

Gen. 3.

Matt. 10. Marc. 3. Luc. 9.

Apostoli aut sancti si quãdo nulla prece præmissa signa patrarũt, quanam virtute id præstiterint.

Act. 3.

Greg. l. 2. dia. c. 30. to. 2.

Ioan. 1.

B. Tho. 2. 2. q. 68. ar. 1. ad primum, to. 1. Signa facere ex potestate quid sit.

Act. 9.

Suprà 3.

Miracula à sanctis tantũ cur fiant. 4. Reg. 13. Act 5. Infrà 19. Matth. 10. Suprà 7. 1. Cor. 13.

Mali etiã sine charitate per solam fidem signa edere possunt. Gal. 5.

IV. dubij solutio. Cur modò signa nõ fiant vt olim.

Ad quartum dubium dicẽdum est, modò non esse signa tam necessaria, vt olim: tum quia fides non est tam tenera, vt instar nouæ plantæ egeat ligno sustentante, aut irrigationis fomento, ne vento perfringatur; verùm cùm euaserit in arborem magnam, non timet vẽtos, vel ęstum Solis. Deinde vt in Veteri Testamẽto primùm quidem sunt multa signa edita, quæ intrantibus Iudæis in terram promissam cessarunt: ita olim vt infideles ad fidem venirent, necessaria extiterunt signa, quæ sunt propter infideles, vt ait Paulus, non propter fideles. Secùs se habet modò, vbi omnes cõstanter credunt, & qui lacte, vt paruuli non egent. Adhæc vt magistratum, aut principatum ineunti, opus est literis, & sigillo Regio, quibus fidem faciat adepti magistratus, vel agnoscatur legitimus, & germanus Princeps; quòd si qua surgat dubitatio, literæ examinantur, & ex sigillis appensis veræ deprehenduntur: ita hodiè doctrina Euangelica, Christi, & Apostolorum miraculis, quasi sigillo diuino confirmata fuit, quare noua confirmatione non eget, ne aut prior confirmatio minùs idonea iudicari posset; aut si idonea, frustrà nouam confirmationem adiungat. Præterea salutariùs, & fru-

II. ratio.

1. Cor. 14.

Hebr. 5.

III. ratio, à simili.

IV. ratio.

ctuosius nobis est verbo Dei tot signis olim firmato gubernari, quam nouis signis ac prodigijs, quæ & illudi possent cacodæmonum opera, & minus meriti haberet fides nostra, & vt dixit Dominus: *Si Moysen, & Prophetas non audiunt: neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credet.* Vnde rectè dixit Chrysost. *Tunc vtile fuit vt fierent* (scilicet miracula) *nunc verò minime.* Et August. in Retract. suis: *Nec miracula ista in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, vt & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit.* Hęc ille egregie. Modo ergo non fiunt, ne pereat meritum fidei, cui humana ratio præbeat experimentum. Nam beati qui non viderunt & crediderunt. Quia ergo miracula diuina Christi occulta, vt incarnationis ex Spiritu sancto, natiuitatis ex Virgine, ac diuinitatis eius, non debebant sine signis accipi, nec debebat sine illis credi, fecit multa manifesta, & maxima signa, quæ nemo alius fecit. Ac ne meritum fidei tolleretur, voluit per illa olim etiam edita miracula credi quę credimus, vt iuuarent & non nocerent miracula. Fiunt tamen etiam modo, sed rarius, miracula: tùm vt infideles ad fidem suauius trahantur: tùm vt fideles magis in fide cōsolidentur: tùm vt interdum ægrotantes à morbis incurabilibus liberentur: tū vt Virginis, & sanctorum gloria per sanitates, & signa, quæ ad eorū inuocationes fiunt, magis splendescat, tùm vt quorundàm Christi seruorum sanctitas interdum nobis innotescat: tùm deniq; vt Eucharistiæ, vel baptismi veritas, q̄ per hæreticos reuocatur in dubium, magis agnoscatur, firmiusq; retineatur. Si aūt omnes essent fideles, & nulla peculiaris vrgeret necessitas, inutile prorsus esset fieri signa, cùm Christo credere etiam sine signis adstringamur. Vt aūt Aug. super illud verbum Psalmi: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus,* eleganter, ait: *Ipse facit mirabilia solus: Quoniam quæcunq; fiunt, ipse in eis operatur, qui facit mirabilia solus.* Idem docet Thomas in 1. part. tradens, nec Angelos, nec Apostolos fecisse propriè signa, sed Deum eorum precibus, & ministerio. Annotauit Iacobus Faber in commentarijs huius loci: *Non enim sancti, inquit, sunt, qui faciunt vera miracula, sed ille qui facit mirabilia magna solus: non ergo sanctis cultus propter signa haberi debet, sed autori miraculorū, qui solus Deus est.* Sed in primis falsum est, quod, quia Deus per eos operabatur, sancti vera miracula non ederent, imò potius vera erant signa, quia Deus in eis, & per eos faciebat. Sicut prędicando per eos Spiritus sanctus loquebatur:

Luc. 16.

Chrys. hom 6 in 1. ad Cor paulo ante medium to 4

Aug l. 1. Retract. c. 13. to. 1. initio.

Fides nō habet meritum cui humana ratio præbet experimentū.

Ioan. 20.

Quæ nā sint occulta Christi signa, & miracula.

Ioan 15.

Quas ob causas modo etiam licet rarius miracula fiant.

Christo credere etiā sine signis adstringimur.

Aug. In Psal. 71 to 8.

Deus cur faciat mirabilia magna solus.

D. Thō 1. p. q 110 ar. 4. to. 10

Fabri Stapulēsis sanctos vera miracula edidisse negantis, error conuincitur.

Matth. 10.

nec tamen sequitur, ergo non erant verba Dei: imò potius oppositū. Deinde falsum est, quod nullus cultus debeatur sanctis propter signa. Imò quia Deus sanctos signis honestauit; ideò à nobis sunt colendi, in quorum gloriam Deus illa operari dignatus est.

Redeamus ad textum: *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* Mirum profectò, & nouum dictum: ad Patrem porrigitur petitio, & Filius exaudit in petitione; & ita glorificatur Pater in Filio. Hæc autem dixit; ne quisquam existimaret Christum æquales sibi Apostolos reddere in potestate signorum, quasi propria virtute non secus atque ipse signa ederent. Ostendit igitur, eos opus habere deprecatione, vt signa edant. Sed quid est quod ait: *In nomine meo?* hoc est, si quæratis gloriam meam. Nam vt Pater nihil mihi ad illius gloriam faciens denegat; ita vobis nihil recusabo, quod ad meam gloriam illustrandam pertineat. Deinde, *In nomine meo*, significat, id est, quæ ad salutem hominum faciunt. Est enim nomen Christi Iesus, siue Saluator. Siue: *In nomine meo*, per inuocationem nominis mei, & merita mea, non vestra, nisi quatenus nixa sunt mihi: vt sunt. Virginis Mariæ, Angelorum, & sanctorum omnium, per quorum inuocationem quilquis exauditur, nonnisi per Christum exauditur, ac propter Christum. Ita vt Ecclesia quoties per merita, & intercessiones sanctorum exaudiri postulat, toties adiungat: *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Vel sapè, in nomine Iesu petimus, cùm eius rei, quam petimus, creditorem confitemur esse Iesum; & ita rogamus Patrem, vt det Domino Iesu quod petimus; nos verò tanquam eius procuratores, aut tanquam fratres, & membra eius. Id ergo petendum à Patre, quod Iesus in sua passione promeruit, & debitorem, si sic dicere fas est, Deum sibi constituit: quod nos petere possumus, quoad eius membra sumus per fidem, nec peccata impediunt, vt omninò desinamus esse Iesu membra, saltem per fidem. Nam inter alia, etiam peccatorum remissionem promeruit, nō quidem suorum quæ ipse habuit, sed nostrorum quæ portauit, & posuit in corpore suo. Ideò possumus in nomine Iesu petere remissionem peccatorum, gratiam contritionis, iustificationis donum, virtutem bonæ operationis, denique perseuerantiam in finem, atque æternam illam gloriam, quam præparauit Deus his qui diligunt illum. Quod si fortè dicas; Postulaui has virtu-

Deo non ta... tum, sed eti... sanctis ho... rē propter... na deberi,... tra eunden... ostenditur.

Cur petēte à Patre in n... mine Christ... ipse Christ... exaudit.

In nomine Iesu petere quid.

II. sensus.

Matth. 1. & Luc. 2.

Per sancto... inuocation... quisquis ex... auditur, n... nisi per Ch... stum exauc... tur, ac prop... ter Christū.

III. sensus.

A Patre D... quid petēd...

Esai. 53. & 1. Petr. 2.

Esai 64. & 1. Cor. 2.

Vnde quis non exauditur à Deo. Psal. 36. Matt. 5. Marc. 4.

tes,& hactenus non obtinui. Sed non satis instanter postulasti. Reuela Domino viã tuam,& spera in eo,& ipse faciet. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Frequenter pete,nam quotidie ædificaris Dei tẽplum, & quotidie fermentaris: & semen prius herbam,deinde spicam,postea plenum granum producit, te etiam dormiente. Subditque: *Hoc faciam.* Non ait, vos facietis, vel,Pater hoc faciet; sed: *Ego faciam*; ostendens se simul cum Patre eandem obtinere diuinitatem,& preces exaudire, gratiamque conferre,iustos ac saluos facere, miraculaque edere:quia eiusdem est misericordiæ & potentiæ cum Patre. In Syriaco codice,&Græcè habetur:*Ego hoc faciam.* Et superius non est,Patrem,sed simpliciter: *Quicquid petieritis in nomine meo, ego hoc faciam.* Non ergo petens faciet hæc sine me, sicut fiunt res à procuratore,absente eo, qui eum subrogauit: sed ego in gloria Patris existens, faciam quicquid ipsi petierint in nomine meo. In quo se Deum prodit. Et ait:*Hoc faciam*:dando quod petitur,vel magis vtile: *Vt glorificetur Pater in Filio.* Filius enim,qui auidus est gloriæ Patris,faciet vt glorificetur Pater in Filij omnipotentia: vt exponit Euthymius. Vos quidem hæc petetis pro gloria mea; ego autem faciam quod postulatis,pro gloria Patris mei, vt Pater illustretur in gloria Filij. Et omnia sua in Patrem referre se ostendit,non solũ quando in carne passibili erat,sed etiam in statu gloriæ, vt confirmet fidem, quod vna & eadem est gloria Patris, & Filij, sicut vna est natura,& voluntas, & ideo eadem est exhibenda gloria Filio à nobis,quę & Patri.

Quę propria diuinitatis sint opera.

Patris gloria quę sit secundũ Euthymiũ Euthym. c. 16. in Ioan.

Cur omnia Christus referret in Patrem.

Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Ne quis putet solum Deum inuocandum;ostendit se quoque posse à nobis implorari. Vnde dicimus:*Fili redemptor mundi Deus,miserere nobis*:&, *Christe,audi nos*: *Christe,exaudi nos*: & Ecclesia omnes eas preces ad Filium dirigit, quæ terminantur illis verbis: *Qui viuis,& regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti, &c.* Vt ergo superius dixit: *Creditis in Deum & in me credite*; ita, *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*: &, *Si quid petieritis me.* Quanquam Græcè non habeatur illud, *Me*, & videatur obstare, quod ait: *In nomine meo*:mihi tamen purior, ac probatior videtur lectio Latina, quam commendat Syra lectio,quæ habet, *Me*; vt parem Filium Patri esse intelligamus, & ad quem non minus quam ad Patrem confugiendum nobis est. Nec obstat quod ait: *In nomine meo*: quia Christum plerunque ipso Christo expugnamus. Petimus enim: *Per Incarnationem tuam*: *Per natiuitatem tuam*: *Per sanctum Ieiunium tuum, libera nos Domine.* Propriumque est Noui Testamenti non in nomine Dei simpliciter, quia sic nihil differremus à Paganis; nec in nomine Abrahæ,aut Moysi, vt olim Iudæi; sed in nomine Iesu Filij Dei aliquid à Deo postulare:per quod agnoscimus & profitemur insigne illud, & eximium beneficium incarnati Verbi, & pro nobis mortui Mediatoris Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre,& Spiritu sancto immortales gratiæ ab vniuersa creatura sunt reddendæ, in secula seculorum, Amen.

Ioan. 1. & Luc. 1. & Matt. 1. Luc. 2. Matth. 4. In nomine Iesu Filij Dei aliquid Deum rogare proprium est Noui Testamenti.

TRACTATVS LII.

In illa verba: *Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrẽ, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*, &reliqua. Ioannis 14.

HACTENVS Dominus solatus est Discipulos non solum certissima spe mansionis gloriosæ in domo Patris, & signorum pollicitatione virtutis, sed etiam promissione exaudiendi preces, quas in nomine suo effunderent, pergit eos roborare Spiritus sancti Paracleti pollicitatione,qui possit officium magistri, & consolatoris erga eos exhibere: & qui cœlos verbo Domini factos ornauit, Apostolos quoque quasi spiritnales cœlos Ecclesiæ, perficeret atque cohonestaret. Deinde Apostoli in corde suo dicere poterant, & fortè dicebant: Nos quid te rogemus, aut quid te deprecemur, nescimus. Vellemus equidem te permanere nobiscum, vel nos in tuo comitatu venire, quia te diligimus: quod si neutrum conceditur, tu saltem nostri curam habe, non expectans te, aut Patrem tuum à nobis rogandum. His internis Apostolorum vocibus respondet Dominus, se fore pro eis solicitum, & oratione sua impetraturum eis consolatorem Spiritum,qui doceat orare, & petere. Ad hæc cùm deitatis fidem hactenus confirmasset, dicendo se exauditurum, facturumque quæcunque peterent in nomine suo, nunc rursus subiungit se Patrem rogaturum, fidem humanitatis stabiliens.

Aliud discipulorũ solamẽ Christi ab aduẽtu sancti Spiritus in eos

Iob. 26. Psalm. 32.

Apostoli spirituales cęli sunt, & dicuntur. Rom. 8.

Duo Christus pro Apostolis Patrem rogaturus erat.

Dei propriũ quid homi-nis.

Vt enim Dei est exaudire preces, & facere quæ postulantur, ita hominis est orare, & interpellare pro nobis. Hęc dicta sint nobis pro connexione horum verborum ad præcedentia.

Quid significet: Si diligitis me, mandata mea seruate. *Rom.* 5. 1. *Ioan.* 4. Effectus charitatis.

Ait igitur: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Hoc loco Si, pro quia, accipitur, vt moris est interdum accipi, estque sensus: Quia diligitis me ex Spiritu, quem vobis impertiui: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Me, inquam, qui vos prior dilexi, & amore meo, ac beneficijs præueni me ad amandum. Et, quia charitas non est otiosa, sed operatur magna, ideò mandata mea seruate: quia seruant illa seruantes. Quod Dominus propterea asseruit, ne putent se diligere, non obseruantes mandata, vel male sentientes, id est, non ad mentem præcipientis, vel ne quis existimet sine Spiritu charitatis posse Christi præcepta præstari. Græcè legitur τηρήσατε, hoc est, obseruabitis: quia charitas non est sub lege, nihil ei opus est nouo pręcepto, satis est denuntiare, vt Petro ait Dominus: *Petre, amas me? Pasce oues meas.* Estque perinde, ac si quis dicat; Si arbor viuit, edet folia, flores, ac fructus. Si ergo viuit in nobis DEI charitas, mandata eius custodiamus: certum enim signum atque indubitatum dilectionis Dei est, obseruatio præceptorum. Vt hinc intelligas quàm sint vani, qui fidem solam iactant, aut qui Euangelium nudam esse promissionem contendunt; cùm tamen mandatum habeat credendi, sperandi, amandi, orandi, patienter ferendi molesta, & obedientiam diuinæ legi præstandi. Quo verbo illorum pusillos animos redarguit: quasi diceret, Nolite dilectionem erga me vestram fletu, & mœrore testari, quin potius factis, & obseruantia mandatorum Dei illam indicate. Deinde insinuat ad quos potissimum præcedens de exaudiendis orationibus pollicitatio spectet: non quidem ad omnes, quia multi petunt, & non accipiunt, eo quod malè petant; sed ad dilectores suos & studiosos diuinæ legis obseruatores. Tertiò monet, ne torpore & ignauia eius dilectionem, & gratiam amittant. Nam propterea Paulus dicebat; Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: nam in vacuum accipitur, cùm Dei gratiam ad obseruanda diuina præcepta datam otiosam tenemus, & quasi in sudario reponimus. Quod si Apostoli dicerent, Minæ aduersariorum, & persecutionum procellæ nobis obstabunt, quo minus præcepta seruemus tua: quia vbi constiterit nos velle per omnia tuis satisfacere mandatis, totus mundus contra nos insurget. Respondet Dominus: Nihil propterea cunctemini Apostoli mei: *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Quemadmodum parentes filiorum incolumitati, ac saluti volentes prospicere, cùm mors imminet, non tantùm hæreditatem, & quicquid in bonis illis relinquunt, sed insuper bonos, & prudentes tutores constituunt, qui eorum hęreditatem conseruent, & insidiatoribus resistant, quod ipsi paruuli, & orphani per se præstare non possent: ita sanè Christus, non contentus bona sua discipulis suis testamento legare, insuper & tutorem illis optimum, & sapientissimum instituit, ac pollicetur, qui pupillorum curam, tutelamq; suscipiat, atque testamento illis legatam, imò sanguine eius conscriptam hęreditatem aduocatione legitima in omni prætorio defendat. Intendenda siquidem illis lis erat de terminis paternæ possessionis, quos declarauit Dauid, cùm dixit: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ.* Futuri enim erant, qui eam nimium vellent angustare: vt Iudæi in synagoga sua tantùm, qui molestè ferebant Gentes ad Euangelium vocari: Donatus tantùm in Africa dicebat esse Ecclesiam: Pagani nullam esse eius hæreditatem volebant. Deinde cœlorum prædia, atque amplissima illa præmia, insidiantibus malignis spiritibus, & propensione carnis ad malum, & mundo ad se aut prosperis alliciente, aut aduersis deterrente, filij Dei facilè amittere poterant. Ideò diuinum consilium fuit, tutorem illis constituere, qui eos ab aduersantibus protegeret, & ad consequenda illa præmia corroboraret, & pro delinquentibus interueniret. Ipse enim Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilib'. Tertiò, opus habebant tutore ad conseruanda hæreditatis instrumenta; hoc est, diuinas Scripturas; & Sacramenta. Nam vt per illa diuina voluntas nobis innotescit; eas tamen hæretici pro libidine, aut producunt, aut decurtant, aut saltem eorum legitimum sensum vitiant: hæc verò Sacramenta, in quibus Christi sanguis continetur, dæmon per seditiosos, & schismaticos, aut de manibus eripere, aut eorum legitimum vsum tollere, & hæreticum inuehere perniciosè contendit. Ostendit itaque hoc verbo Dominus, quod etsi à Patre simus cõditi, & à Filio visitati, atq; redempti, adhuc egemus Spiritu sancto aduocato, qui pro nobis interpellet, quatenus bonitate sua facit nos interpellare. Et quod ait

Margin notes (left column): *Ioan. vlt.* — Certũ ac indubitatum diuinæ dilectionis argumentũ quod nam sit. — Contra fidẽ solam iactitãtes hęreticos. — Quorũ potissimũ preces à Christo exaudiendę fuerãt *Iacob.* 4. — Quemadmodum dilectio Dei, & gratia eius amittitur: eaq; in vacuum recipitur. 2. *Cor.* 6. *Luc.* 19.

Margin notes (right column): Christus Apostolos sancti Spiritus missione consolando, optimi parẽtis, ac sapientissimi munus absoluit. — Spiritus sanct' Apostolis qualis tutor & patronus futurus erat. — Quęnã Christi possessio. *Psal.* 2. — Hęreditatem Christi amplissimã coarctant Iudæi, & Hæretici: Gentiles vero nullam esse dicunt. — *Rom.* 8. Cœlestis ac diuinæ hęreditatis nobis promissę quæ sint instrumenta, Quomodo tractẽt Scripturas hęretici. — *Luc.* 1. *Rom.* 8. Christi passio quare precatio quædam fuit Spiritum sanctũ nobis impetrans.

ait de futuro, rogabo, referri ad passionem debet, quæ deprecatio quædam fuit Spiritum sanctum nobis impetrans. Quia enim ipse fuit innocentissimus Dei Filius ex obedientia Patris, & per Spiritum suauiter impellentem, rei horrendæ, atq; ignominiosæ, hoc est, cruci se propter nos vniuit, promeruit vt & Spiritus sanctus animas omnium Christo credentium, etsi peccatis essent contaminatæ, & à dæmonibus olim inhabitatæ, sua præsentia illustraret, inhabitaretq;. Hæc est illa precatio, quam Apostolus testatur in dieb⁹ carnis suæ Patri obtulisse cum clamore valido, & lacrymis; & pro sua reuerentia exauditum fuisse. Et vocat Spiritum sanctum alium Paracletum, distinctum nempè ab eo, quem vos hactenus, aut antiqui Patres receperunt; vel aliũ à me, & qui pro me Paracletum agat: nam & ego Paracletus sum, hoc est, consolator, siue adhortator, atq; aduocatus: illa enim omnia vox Græca significat: quæ omnia significata comprehendit vox patroni, cuius munus est suggerere clienti vtilia, adhortari ad ea, consolari mœrentem, & intercedere pro ea apud alios. Certè Παράκλητος dicitur Christus 1. Ioan. 2. & interpres noster vertit Aduocatus, quæ primaria est illius vocis significatio; etsi omnes illi significat⁹ egregiè & Christo, & Spiritui sancto conueniant. Quippè Christus & ipse tunc eos mœrentes, actu consolabatur, & ad tolerãtiam persecutionum, atq; ad præceptorum obseruantiam adhortabatur, & quasi bonus Aduocatus causam suorum clientulorum agebat: tum apud Patrem intercessione, tum apud clientulos, tum de iure, tum de facto eos, vt causam vincerent erudiendo. Sed Christus quatenus homo erat, externus erat Paracletus: quemadmodum Spiritus sanctus internus consolator, adhortator, & modo prædicto aduocatus existit, ad quem confugiens Ecclesia, ait: Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

Hebr. 9.

Suprà 5.

Spiritum sanctum Christ⁹ alium Paracletũ cur nominet. Paracletus tria significat.

Patroni siue aduocati munus quod.

Paracleti nomen quam verè Christo conueniat.

Diuino autem consilio hæc vox in interpretata relicta est ab interprete, quemadmodum etiam Euangelicum Syriacum voce Græca Parácliti vtitur, qua vsus etiam Dominus creditur; quo vniuersas illas significationes comprehenderet; & nobis ad cantus, & hymnos Ecclesiæ hoc nomẽ Spiritus sancti sacraret. Nec est quod quorundam censorum iudicia moremur, qui putãt scribendam tertiam syllabam non per y, quod verum est, quia tunc signaret inglorium, & infamem, cuius contrariũ est κλυτος, hoc est, inclytus; neq; rursus per i, simplex, quia nullibi scribitur Græcè per iota: signat enim Παρακλίτης per iota assessorem qui vna discumbit, à verbo Παρακλίνω, sed per e, longum proferendam, quia Græcè est ῆτα. Respondemus enim, vt etiam Grammatici docent, quod quando Græca integra ad nos transeunt, accentu suo sunt proferenda, vt quidam non indoctus Grammaticus dixit:

Vocem Paracliti in interpretatam cur reliquerit noster interpres

Paraclitũ, nõ autem Paracletum, vt Erasmus contendit, dici debere, vnde liquidum sit.

Græca sit at si vox, sed declinata Latinè,
Accentu Græco talis vox est proferenda.

Ant. Nebriss. lib. 5.

Vt, Kyrie eleyson, & Hebræa quædam, vt alleluia, Osianna, Corban, & similia multa: atq; ita Paraclitus, in carmine etiam si scribatur per iota simplex, tamen producitur. Nam cùm dicitur in celebri hymno illo de Spiritu sancto: Qui Paraclitus diceris, donum Dei Altissimi; secundus pes, cùm sit Iambus, manifestè producitur, vt etiã Græcè η, est longum. Si vero hæc vox in Latinum verteretur, pronuntianda esset per ε, longum, Paracletus. Et ita inaniter contẽdit Erasmus, dicens nos vno tempore fraudasse Spiritum sanctum in hac voce, & proferendam esse per ε, & non per ι, cum vtrũque liceat; & tam Euangelium Syriacum, quam Ecclesia Latina per ι, sit solita pronuntiare.

Verum vt ad rem redeamus, vox hæc Paracliti, diuinam naturam Spiritus sancti ostendit: nemo enim perfectè consolari creaturam ratione præditam valet, nisi hominis creator. Si ergo Spiritus est Paraclitus, ergo Deus, & vnius cum Patre & Filio naturę. Quod autem addit, alium subinde; discretionẽ personarum indicat: est enim alius subsistentia & persona. Est autem Spiritus sanctus circa operationes suas in nobis afflatus quidam Dei, quo inspirat corda nostra ad ea, quæ recta, sancta sunt, & diuina: quemadmodum spiritus fornicationis ad obscœna impellit, & spiritus superbiæ ad alta, & vana. Præterea Paraclitus, id est, Consolator: eo quod filios Sponsi, & Apostolos de morte, & absentia Patris solatus est, veros Scripturam tradendo sensus: quod sic oportuerit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Deinde quod credentibus testimoniũ reddit, quod sint Filij Dei, & hæredes, pignusque & arrha æternæ hæreditatis existat. Postremò, quod consolatur nos in omnibus tribulationibus nostris, facitque ire gaudentes Apostolos à conspectu Concilij, quod digni habiti sint pro nomine Iesu contumeliam pati. Et adeo nos in omni tribulatione nostra consolatur; vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationẽ, qua exhortamur & ipsi à Deo: vt ait Apostolus: Et nusquam antea Spiritus

Spiritus sanctus in nobis quid sit.

Paracletus Apostolos quomodo solatus sit.

Luc. vlt.
Rom. 8.
Galat. 4.
Ephes. 1.

Act. 5.

2. Cor. 1.

Cur ante Christi aduentum

tum Spiritus sanctus antea Paracletus minimè dicebatur. *Ephes. 2.*

tus sanctus dictus est Paraclitus: quia antequam Christus pateretur, nulla extitit perfecta cōsolatio sanctorum: at verò Deo per Christi mortem placato, meritò dicitur Paraclitus, quia noua regeneratione de filijs iræ, filios edit gratiæ.

Spiritus sanctus quatenus nobiscum mansurus in æternum promittitur. *Rom. 11. Num. 11. 1. Cor. 1. Esai. 59. Ierem. 31. Ezech. 36. Ioan. 7.* Spiritus sanctus cur datus.

Qui maneat vobiscum in æternum. Non consolatorem ad triennium, aut modico tempore, sicut ego sum, promitto, sed qui perpetuò vobiscum maneat. Vnde & consolatio ex se firma, & æterna est, quia sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei, nisi nos illam reijciamus, redeuntes ad porros, allia, & cæpas Ægypti. Petamus igitur Confirmationis gratiam, quam promittit Paulus ad Corinth. Esaias quoque, Ieremias Ezechiel. Erit ergo vobiscum in æternum, & per vos in successoribus vestris, & in ijs, qui in me credituri sunt: quia datus est veluti in animam Ecclesiæ, quæ membra omnia doceat, vniat, consoletur, atque viuificet. Et ait: *Dabit vobis*, scilicet Pater: & de futuro, dabit, nimirum post passionem meam. Nam etsi antea maiores Spiritum sanctum habuerint; alias enim in Christum non credidissent, nec illum secuti fuissent; quia nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto: sed is non erat signo aliquo externo reuelatus, nec tam copiosè effusus, & ad talem, & tantū effectum consolandi, & legis mandata promptè, & expeditè præstandi, iuxta promissionem Domini; Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini: id est, Non solùm recordemini legis Diuinæ, & eam velitis facere, & faciatis, sed vt promptè, & alacriter in illis ambuletis.

Vnde constet Iudæorū maiores Spiritū sanctum habuisse, priusquam veniret Messias. *1 Cor. 12.*

Ezech. 36.

Significat etiam hoc verbo non satis esse semel Spiritum sanctum recepisse, nisi subinde magis ac magis recipiatur: ita vt præueniat, comitetur, atque subsequatur opera nostra. Vocat autem illum, Spiritum veritatis. In quo discernitur ab spiritibus erroris, & vertiginis, & ab Spiritu humano & Angelico, qui & ipsi in se, & ex se vani sunt, atque mendaces, nisi Spiritu diuino fulciantur. Et Spiritus pro substantia diuina, & spirituali accipitur: veritatis verò dicitur, quia suapte natura, & per essentiam veritas est; & à veritate Filio procedit; & ab effectu, quia ducit in omnem veritatem omni tempore Ecclesiæ necessariam. Spiritum etiam veritatis, hoc est, Euangelij, quod est veritas, vt explicat Theophylactus: non Veteris Testamenti, in quo erāt vmbræ & figuræ, in quibus olim hic Spiritus tectus erat: sed in Nouo Testamento apertè est reuelatus, & exhibitus imo per

Paracletus cur vocetur Spiritus veritatis.

Ioan 14. Infrà 16.

Theophyl. Hebr 10.

Per Spiritum sanctum personæ inno

ipsum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, reliquaque Noui Testamenti mysteria cū vmbris legis, & figuris cognita, & patefacta. ¶ *Quem mundus non potest accipere.* Quāta animorum puritas sit necessaria ad accipiendum Spiritum sanctum, hoc verbo declaratur. Non enim Spiritus sanctus datur nisi mūdis, iamq; regentis, & in Christum credentibus, qui non sunt de mundo verùm de mundo selecti. Vocat enim mundum, amatores huius mundi, & eius bonis inhiantes, & per amorē in mundum transformatos, qui cùm hic habeant consolationem suam, illam, quæ ab Spiritu sancto est, respuunt: cùm etiam amēt mendacium, & laruam creaturarum, non possunt accipere Spiritum sanctum arguentem de mēdacio: & à creaturis ad Creatorem, & à donis ad largitorem trahentem. Denique neque ratio, neq; prudētia, neque quicquam humanarum virium Spiritus sancti est capax, nisi abnegetur, & Deo subijciatur, iuxta illud: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Vt enim puer lactans solidi cibi non est capax, quia edentulus est; & grammaticam ignorans, aptus non est vt doceatur Rhetoricam, vel Dialecticam: ita mundus, qui ignorabat Christum, & vocabat eum Samaritanum, dæmonium habentem, seductorem, Spiritum sanctum neque capere, nec intelligere poterat, & Spiritu sancto afflatos musto plenos existimabat. Et subdit Christus rationem: *Quia non videt eū, nec scit eum.* Id est, non potest accipere cum omni sua sapientia, & potentia: quia Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sed stulta illi videntur quæ sunt Spiritus. Non ergo simpliciter non posse affirmat eum recipere, sed ex eo, quia non videt eum, nec nouit eum, sed stultitiam putat.

tuêre diuinæ, fideiq; Christianæ mysteria.

Quibus tantū detur Spiritus sanctus. *Ioan. 15.*

Quis mūdus nō possit Spiritum sanctū accipere. *Luc. 6.*

Ioan. 16. Cur mundus nō possit Spiritum sanctū accipere.

Luc. 9. Hebr. 5.

Ioan 8. Matth. 27. Ioan 7. Act. 2.

Quid est: Quia (mūdus scilicet) non videt eū (Spiritū sanctū) nec scit eum. *1. Cor. 2.*

Sunt qui hoc loco per mūdum non infideles, siue expertes doctrinæ Christi, sed alios fideles, qui in mundo degunt, intelligi velint, qui matrimonio, & alijs huius vitæ curis vacant, nec perfectioris iustitia statum profitentur: quemadmodum qui in religionem aliquam, aut monasterium se recipiunt, dicuntur mundum reliquisse. Attamen mundus hic saluari potest: non enim misit Deus Filium suum in mūdum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Hic tamen mundus capax non est donorum eximiorum Spiritus sancti: quemadmodum nec auis implumis apta adhuc est ad volandum. Et hic mundus non videt Spiritum, nec nouit eum; id est, non nouit distinguere ab alijs spiritibus, nec eius gustum, aut experientiam

Alter sensus

Qui dicātur mundum relinquere.

Ioan. 3.

Quomodo videatur Spiritus sanctus.

habet. Neque videt eum in operibus suis, vel in Scripturis, id est, in domo linguarū, prophetia, miraculis, & sapientia. Imò quę Spiritus sunt, interdum tribuit cacodęmoni, vel humori vel artibus magicis.

Apostolos vnde cōstet Spiritum sanctum prius agnouisse.

Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Cognoscebant ergo eum Apostoli aliquo modo; aliàs quo pacto credidissent, vel qua ratione se à peccatis abstinuissent, vel quomodo secuti fuissent Iesum, aut eum non deseruissent? Non adeò tamen perfectè cognoscebant, sicut posteà cognouerunt. Hoc enim sæpè euenit, vt putemus nos esse absque Spiritu, & nobis ea, quæ Dei sunt, tribuamus.

Diuinę in nobis subtractionis effectus.
Psal. 33.

Cognoscitis ergo non solùm per tenuem cognitionem, siue opinionem, sed etiam per fidem, & gustum, dum gustatis quàm suauis est Dominus. Et rationem subdit cognitionis: *Quia apud vos manebit*: hoc enim ipso quod apud vos manebit, faciet vt cognoscatur à vobis; quia lux est. Nisi enim ipse vos præueniat, vos quoq; mundus essetis, nec eum possetis accipere. Sed quoniam Spiritus testatur spiritui nostro quod sumus filij Dei, & per illum datur vt sciamus quæ à DEO donata sunt nobis: hinc est, quod cognoscitis eum. Et præsens Græcum, Cognoscitis, & Manet, accipi debet pro futuris: vt interpres non malè verterit, dicendo, Manebit: sicut & verbum subiunctum de futuro est. *Et in vobis erit*, non quidem ad tempus, sed in æternum, vt supra dixi. Semper enim in Ecclesia est Spiritus sanctus per verbum, & Sacramentum, & pastores, inducens in omnem veritatem, & sanctificationem. In quolibet autem credente, ac diligente, per gratiam est. In nullo tamen semper manet, præter eum de quo dictum est: *Super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & manentem super eum*: quia ab alijs plerunque propter peccatum se subtrahit; aut sine peccato ac tempus, vt precatione, & sanctis desiderijs inuitatus redeat. Et ita fiebat Spiritus Domini super Hælisæum, dum caneret Psaltes. Fideles igitur templum sunt Spiritus sancti, vt ait Apostolus: & Ecclesia inter tot errores & persecutiones vim persistendi aliunde non habet, quàm ex præsentia Spiritus sancti in ea manentis. Ac propterea dixit: *Et in vobis erit*, non solùm extra vos, vt patronus apud clientes, sed ipse erit intus in vobis per illapsum in animos vestros. Fortassis etiam cùm Dominū Apostoli reliquissent in passione, ab Spiritu sunt ipsi derelicti: ideò ad eos rursus rediturum pollicetur Spiritum sanctum, qui officium consolatoris circa eos perageret, missus in forma visibili. Vt propterea non repugnet quod manet in vobis, & in vobis erit. Nam vtrumque verum fuit; nam & tunc Apostoli habebant Spiritum veritatis secundum effectum necessarium ad propriam salutem, & dandus erat eis secúdùm effectum consolationis, qua tunc aderat; & secundùm effectum veritatis ad docendum alios cum plenitudine gratiæ & firmitatis.

Rom. 8.
1. Cor. 2.
Qua ratione Spiritus sanct° sit semper in Ecclesia.
Ioan. 16.
Vt sit in quolibet credēte idem Spirit°.
Ioan. 1.
Sol° Christus Spiritum sanctum habuit semper in se manentem.
Cur se à fidelib° subtrahat interdum Spiritus sanctus.
4. Reg. 3
1. Cor. 6.
Vnde Ecclesia vim tolerādi oēs badeat aduersitates.
Matth. 26.
Act. 2.

Apostoli ante resurrectionē quidem Spiritum sanctum habuerunt, qualem verò in die Pentecostes.

Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Orphanus, vox Græca est, & significat parentibus orbatum, vel amicorum præsidio destitutum. Et addit Iesus hoc verbum: quia etsi Spiritus sancti promissione Apostoli consolabantur, aspectu tamen Domini carere nolebant: & ita ad illos se quoque promittit venturum post resurrectionem vt tantisper corporeo eius aspectu consolentur, quo ad Spiritus consolator ad eos sic veniat, vt Domini Iesu secundùm carnem faciat obliuisci. Et per hæc verba ostendit illis, hactenus se exhibuisse eis vt parentem: vnde illos filiolos vocauit; & se rediturum pollicetur vt patrem. Ostendit præterea, homines Christo carentes, quantumcunque mundi huiusce præsidio sint fulti, verè tamen orphanos esse. Ideò Ieremias in Threnis cecinit: *Pupilli facti sumus absque Patre.* Rursus docet pios ac credentes vt plurimum in hoc seculo omni fauore & auxilio hominum destitui, vt sint quasi orphani; proinde vbi deest auxilium humanum, diuinum præsto esse. Veniam, inquit, ad vos, intra triduum scilicet post resurrectionem meam tanquam corporeus consolator, & tanquam Pater vester, sed in carne immortali & gloriosa. Et venit ad eos non contra eos, sed vt confirmet illorum fidem, & de victoria mortis certos reddat, & rursus pollicitationem Spiritus ante factam stabiliat, & precari pro eius aduentu faciat.¶ *Adbuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis.* Modicum vocat illud tempus quod fluxit ab hoc verbo vsque ad horam nonam sequentis diei, quo tempore mundus in maligno positus me videt: sed illo tempore lapso, mundus me non videt, id est, facultatem me iam videndi non habet, qui noluit sese mundo ostendere, sed testibus à Deo præordinatis. Me non videt, nec in hoc seculo, nec in futuro, nisi in die illa qua ille iudicabitur, vt videntes in quem transfixerunt, confundantur, & in æternas tenebras pellantur. *Vos autem videtis me*, inquit. Græcè θεωρεῖτε, de præsenti, & ponitur pro futuro, vt annotat Chrysostomus, id est, vobis apparebo post resurre-

Orphanus quid.
Quare Christus dixit: Nō relinquā vos orphanos.
Ioan. 17.
Orphani qui cēsendi sunt.
Thren. 5.
Hac ratione eius dicit: Non relinquam vos orphanos.
Cui præsto sit diuinum auxilium.
Quodnam illud modicū, quo mūdus Christum nō visurus erat.
1. Ioan. 5.
Act. 10.
Ioan. 19.
Apocal. 1.
Chrysost. ho. 74. in Ioan.

resurrectionem, vt cernere me possitis, & vim per Spiritum amplius me videndi habeatis: quia ego ipse qui eram mortuus, & extinctus videbar, iuxta illud: *Visi sunt oculis insipientium mori*, semper tamen viuo, etiam in media morte. Ego viuo, pro, verè viuam immortalis, præsens pro futuro; proinde etiam & vos viuetis, vt non statim occidamini, vt metuitis, sed potius moriente me euadetis. Deinde viuetis per fidem, & per gratiam Spiritus sancti, vt iusti. Denique etiamsi corpore mori contingat, viuetis tamen in perpetuum. Vel, & vos viuetis, id est, lætabimini, & quasi mortis meæ mœrore confecti, & quasi extincti, manifestatione mea viuetis. Sæpè enim quod maximè delectat nos, vocamus vitam nostram. Et de se in præsenti ait, Viuo, id quem peccatum, aut mors nullum ius habet: de Apostolis autem in futuro ait, Viuetis, quia in illis aliquando & peccatum, & mors iura sua exercuerunt: sed ex vita Iesu mortē vincentis per resurrectionem, ad vitam tum spiritus, tum corporis perpetuam reuocandi erant.

Sap. 3.

Illud: Quia ego viuo, & vos viuetis: habet triplicem sensum.

Quod maximè nos delectat, sæpè vocamus vitam nostram.

In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. In illo, inquit, die, id est, in claritate resurrectionis meę, & melius adhuc in Pentecoste per Spiritus sancti aduentum, vt exponit Cyrillus. Sed ad literam loquitur de resurrectionis die, teste Chrysostomo: Vos cognoscetis quod ego sum in Patre, & Pater in me; hic erit fructus reditus mei ad vos: quoniam illo die aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Vnde cognouerunt notitia non confusa, aut transeunte, sed distincta, explicita, & firma, per speculum tamen & in ænigmate, Iesum esse Filium Dei, & Patri consubstantialem, & Filium esse in Patre, & Patrem in Filio per eiusdem naturæ vnitatem. Nam vt Apostolus ait ad Romanos: *Prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.* Spiritus enim Iesu id docet, quod Iesus sibi credi postulauit, saltem propter opera. Ideò nemo id sibi expectet ab homine declarari, nisi ille virtute sua adiuuet ad credēdum. Porrò Iesus quatenus homo in Patre est, vt surculus insertus in arbore, & vt ferrum in magnete ab eo attractum. ¶ *Et vos in me, & ego in vobis.* Alterum cognoscendum ab Apostolis mysterium est vnio Ecclesię cum Christo per vinculum Spiritus sancti, quasi spōsę cum Sponso, & membrorum cum capite: quam metaphoram Apostolus ad Romanos, & ad Corinthios latè persequitur. Et in his duobus mysterijs vniuersa

In quo die cognouerint Apostoli quod Christus sit in Patre, & Christus in eis.

Cyril. l. 9. in Ioan. c. 47. to. 2. Chrys. ibid.

Luc. vlt.

Qualis fuerit illa notitia.

1. Cor. 13.

Rom. 1.

Christus homo quemadmodum sit in Patre.

Apostoli quomodo in Christo, & Christus in illis futurus erat.

Rom. 12.

Fidei materia comprehenditur, & in mysterio incarnationis, mortis, & resurrectionis, quæ præcedit Ecclesiasticam vnionem mēbrorum cum capite. Vos ergo in me, sicut membra in capite, sicut palmites in vite, & sicut amantes in amico dilecto, ob naturæ communionem; in Christo autem Deo, vt in caussa efficiente, & conseruante, & tanquam in vltimo fine, in quo solo est quiescendum. *Et ego in vobis*, tanquam caput in membris, & vitis in palmitibus, & dilectus in amantibus: habitat enim Christus par fidem in cordibus nostris, vt testatur Apostolus. Cognoscetis etiam quod sicut nulla res me potest à Patre diuellere, nec ipsa mors; ita me quoque vobis cōglutinatum, nec mors ipsa poterit distrahere. Vos tamē curate, ne vestra culpa diuellamini. Si ergo volumus Christum in nobis manere, dem⁹ operam, vt & nos in Christo maneamus, per spiritum fidei, & dilectionis, tanquam surculi in arbore insiti, & radij in Sole, & riui in fonte, à quo si distrahantur, necessum est radios, & riuos perire, & vitam amittere. Proinde adhærere nobis Deo bonum est, & per spiritum coniungi capiti, ac Domino nostro Iesu Christo, cum quo Patri gloria simul, ac Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen.

1. Cor. 12. & seq.

Totū Christianæ fidei argumentum quibus duobus mysterijs continetur.

Ioan. 15.

Ephes. 3.

Christi amoris in Apostolis firmitas, & perpetuitas.

Vt Christum habeamus in nobis semper manentē atque habitantem, quid agendū nobis sit.

Psal. 72.

TRACTATVS LIII.

In illa verba: *Qui habet mādata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diliget me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & nō mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diliget me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,* &c. Ioan. 14.

REDIT Dominus ad exhortationem, quam ad confirmandos Apostolos suos instituerat, vt potius videlicet obseruationi mandatorum Dei, quam mœrori de suo abscessu incumbant, quo se germanos, & veros CHRISTI discipulos, ac dilectores ostendant. Repetit ergo quod supra de vera dilectione dixerat: tum ne quis falsò sibi persuadeat se Christum diligere; tum vt intelligamus ad eos solo

Argumentū huius sententiæ.

Ad quos dūtaxat promissiones Christi pertineant.

ſpectare Chriſti promiſſiones,qui eius mãdata obſeruant, in quibus partem non habent qui impiè viuunt,quibus Domin⁹ dixit: *Quid vocatis me Domine, Domine; & non facitis quæ dico vobis?* Propterea inquit, *Qui habet mandata mea,& ſeruat ea,ille eſt qui diligit me.* Ad hæc ſuperius reſtrinxerat Dominus promiſſionem vtramque,ſcilicet aduentus Paracliti, & ſui reditus ad Apoſtolos: excludendo mundum. Quem mundus, ait, non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum; deinde, *Adhuc modicum; & mũdus me iam non videt. Vos autem videtis me.* Ne quiſquam erraret putando per has reſtrictiones haberi à Domino mundum pro derelicto, nunc in vniuerſum vtramque promiſſionem ſecundùm aliquid extendit, dicens in tertia perſona, *Qui habet mandata mea.* Deſcribit enim diligentem Ieſum, &ſimul indicat quis ſit in toto mundo conſecutus vtriuſq; promiſſionis fructũ,dicendo: Qui habet mandata mea, nimirum Euangelica à Chriſto pronuntiata de mutuo fratrum amore, de ſui ipſius abnegatione, de contemnenda vita præſenti, de ponenda anima pro Euangelio,de ferendis iniurijs, de tollenda cruce: hæc & ſimilia qui ex animo per fidem ſuſcepit, & in corde habet periugem meditationem, & in ore per eorum prædicationem,habeat etiam in manibus, vt obſeruet quod ſubiungit. *Et ſeruat ea,* ne videlicet dæmon tãtum theſaurum inuidus furetur. Seruat autem ea,qui ſecundum ea viuit. Nam fides ſine operibus mortua eſt, & *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi;* vt Vrias alter,portat literas quibus morti adiudicetur; eſtque ſimilis videnti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo,& ſtatim abeunti,& oblito turpitudinem faciei ſuę. Probatio ergo certa dilectionis, exhibitio eſt operis,ita vt ille verè diligat, qui obſeruat mandata:& ille verè obſeruet mandata; qui Deum diligit.

Luc. 6.

Quænam ſint Chriſti mandata.

Ioan. 13. & alibi. Matth. 16. Supra 10. Marc. 10. Matt. 5. & ſeq. Infrà 16. & alias.

Mandata Dei quis obſeruet. Iacob. 2. Infr. 24. 2. Reg. 11. Iacob. 1.

Qui fidem habet ſine operibus, qualis ille.

Quæ ſit vera dilectio. Eſai 29. Matth. 15.

Porrò,qui cuſtodit mandata, cuſtodit Chriſtum in ſe,& Spiritum ſanctum: nam Chriſtus longè eſt ab his, qui eum tantum labijs honorant; & Spiritus ſanctus diſciplinæ effugit fictum. Qui ergo habet fide, & ſeruat opere;vel qui habet opere, & obſeruat perſeuerantia,& non refutat, vel negligit diſcere,ille eſt verus Chriſti dilector. Audi verba pulchra Auguſtini: *Qui habet in memoria, & ſeruat in vita: qui habet in ſermonibus, & ſeruat in moribus: qui habet audiendo, & ſeruat faciendo; aut qui habet faciendo, & ſeruat perſeuerando: Ipſe eſt, inquit, qui diligit me.* Hactenus ille.

A quibus ſit lõgè Chriſtus. Sap. 1.

Verus Chriſti dilector quis ſecundùm Auguſtinũ. Aug. tract. 75 in Ioan. to. 9.

Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo. Figura eſt,quæ dicitur Gradatio, familiaris Ioanni,qui ita exorditur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et rurſus: *In ipſo vita erat; & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet.* Iterum: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum nõ cognouit.* Promiſerat prius Apoſtolis, ſi diligerent Paraclitum,alium venturum à Patre ad eos, imò & ſe reuerſurum ad eos, ſeq; illis exhibiturum ſpectandum: ſimili ratione promittit nunc ijs,ſi rectè diligerent, Patris fauorem,&ſui manifeſtationem. Et ecce participatio primæ promiſſionis, qua dixerat: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Extenditur enim ad omnes diligentes Ieſum illa promiſſio,non ſecundùm nouum affectum,ſed ſecundùm nouum dilectionis effectum: ideò in futuro ait, Diligetur. Nam dilectio quantũ ad actum diligẽdi,æterna eſt,vnde & per omnes temporis differentias in Scripturis exprimitur. Dicitur enim de præterito: *Sic Deus dilexit mundum,*&c. Et de præſenti: *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Et de futuro, *Diligetur à Patre meo;* ad explicandam amoris diuini æternitatẽ. Hic autẽ de futuro ait, Diligetur propter effectum futurum, Ait etiam, diligetur; quia nondũ eo tempore eramus planè Deo reconciliati,cum Chriſtus nõdum mortuus eſſet. Quẽadmodum autem moris eſt, vt amici primogeniti Filij Regis à Rege diligantur, & peculiaribus beneficijs cohoneſtentur: ita diligens Chriſtum Dei Filium,diligitur à Patre,&donis maioribus ornatur. Subdit: *Et ego diligam eum.* Emphatica vox eſt, *Ego,* tantus,cui Pater omnia dedit, etiam iudicium facere. Pater diligit, dando Spiritum ſanctum: ego diligam,effectum redemptionis in ipſum deriuando per gratiam,& gloriam. Et ſignificatur vna Patris,& Filij dilectio ad nos: quia non poteſt Filius à ſe facere quicquẽ,niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunq; enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Quòd ſi obijcias,abſurdam videri hãc ſententiam,noſtro videlicet amore conciliari Diuinum, contra illud, quod in alio loco docet: *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Reſpondemus, quod abſolutè loquendo, prior eſt dilectio Dei ad nos, quam noſtra ad ipſum: verum quod attinet ad quoſdam dilectionis effectus; puta plenitudinẽ gratiæ, donum perſeuerãtiæ, intellectus illuminationem,& vitam æternam,& ſimilia potiora dona, quæ ſub meritũ noſtrum aliquo modo cadere poſſunt,primò nos diligimus Ieſum,quã Deus nos,quia prior eſt

Gradationis figura Ioanni familiaris. Ioan. 1.

Ibidem.

Cur qui diligit Chriſtum diligetur (de futuro) à Patre ſuo.

Ioan. 3. Infra 16. Supra 14.

Quando perfectè Deo, fuerimus reconciliati.

Ioan. 13. Supra 5.

Quomodo Pater, quomodo etiam Filius nos dilexerit. Ibidem.

1 Ioan. 4.

Dilectio noſtra quomodo præcedat illam Dei.

nostra dilectio meritoria, quàm sit Deum dare quod meruimus, & prius est nos esse dispositos ad impetrandum diuinæ perseuerantiæ donum, quam ipsum dare, & nos habere. Deum autem donum aliquod dare est Deum diligere ad illum effectum, secũdum illud: *Ego diligentes me, diligo.* Verum igitur est quod prius nos nequaquam diligentes dilexit, vt iam se rediligentes, ad potiora dona diligat: quemadmodum donat sine merito, vnde postea coronet & merita. Subiungit: *Et manifestabo ei meipsum.* Græca vox ἐμφανίσω propriè significat insinuabo, id est, clam, seu latenter indicabo. Præmium igitur dilectionis Iesu est eius detectio, quo detecto agnoscitur Pater: qa qui videt me, videt & Patrem. Promiserat Apostolis quod ad eos esset rediturus, & eum ipsi essent agnituri: nunc promissionem extendit detectionis sui ad quemlibet sui amantem. Et per verbum insinuationis explicat, quod clam & latenter ianuis clausis venturus sit ad Apostolos in die resurrectionis, quemadmodum ad discipulos euntes in Emmaus, latenter insinuauit se, nec agnitus est ab eis, nisi postquam euanuit. Et ita Apostolis seorsum collectis vel in cœnaculo, vel in monte Thabor apparebat, vt non agnosceretur ab alijs. Et præter hanc insinuationem, Iesus cuilibet in vniuersum diligenti se insinuat interna illustratione, & inspiratione diuersimodè, prout electi experiũtur accipientes manna absconditũ, quod nemo nouit nisi qui accipit. In Psalmis promittit Deus sui manifestationẽ ijs qui timent ipsum, id est, qui vacant vt eius seruent præcepta. Firmamentum est Dominus timentibus eum; & testamentum ipsius, vt manifestetur illis. Impertit etiam Spiritum Christus, qui clarificat Filium; ita vt qui diligat Christum, sentiat in afflictionibus præsentem consolationem, & in morte vitam, & in peccatis accusantib⁹ certam diuinæ pietatis gratiã. Manifestat etiã se ipsum dilectoribus ad æternam futuram felicitatem, cuius pignus, & arrham largitur, vt pro ea adipiscenda durissimam quæque sustineant. Quod si obijcias, qui fieri possit, vt seipsum diligenti manifestet; cùm diligi antè nequeat is, qui non est manifestus? Respondeo, propterea ante dixisse: *Vos autem videtis me*, non omninò igitur illis ignotus erat, quanquam per dilectionem ei se magis manifestum reddat. Est igitur manifestatio causa amoris, & rursus amor causa maioris manifestationis. Christus enim tantus est, vt vna manifestatione apprehendi nequeat à nobis: & in fide sunt gradus, & magis, & minus, & perfectiora dona tribuit amori erga se.

Deũ quid sit donum aliquod cuiquam dare. *Prou. 8.*

Christus quo modo seipsum insinuet amanti.

Præmium dilectionis Iesu quodnam sit

Christus seipsum insinuaret Apostolis quando. *Ioan. 14 & seq.*

Act 1. Matt. 17.

Varia Christi insinuatio sui ipsius mentibus fidelium.

Ioan. 16.

II. præmium diligentium Christum.

III. præmiũ.

Cũ ante Dei insinuationẽ eũ diligat nemo, quomodo Christus ipsum diligentẽ diliget, eiq; sese insinuabit

Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes. Quemadmodum superius introduxit Thomam & Philippum interrogantes Dominum, ita hîc inducit Apostolum Iudam sanctũ, qui frater erat Iacobi, & epistolam scripsit Catholicam, qui alio nomine tum Thaddęus, tum Lebbæus dictus est; vt intelligamus in omnibus ruditatem atque imperitiam infuisse.

Iudę Apostoli imperitia: eiusdem variæ appellationes.

Matt. 10.

Domine, quid factum est, inquit, *quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?* Vult dicere, Quo merito consistit hæc differentia inter nos, & mundũ, quod nobis, & non mundo sis detegendus? Et ratio admirationis Iudæ erat, quia solitus erat Iesus dona sua promittere omnibus in vniuersum, vtpote qui venerat pro salute mundi, & scriptum erat: *Videbit omnis caro salutare Dei*: Et Christus, *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*: Et, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Vel hæc dixit ex consideratione diuinæ misericordiæ erga se, qua si diceret; Vnde nobis est tãta gratia, vt nos sic alijs præferas, cùm simus tam abiecti atque cõtempti? Quo enim pius plura à Deo accipit, eo magis se indignum iudicat. Vel deniq; dubitabat qualis esset futura illa detectio, qua se solis Apostolis esset ostensurus, mundo autem seipsum celaret: existimabat enim regnum Christi esse temporale, & paulò post toti mundo declarandum, & Christum regnaturum: ignorabat enim adhuc illos oculos, quibus spiritualiter per fidem videtur Deus, nec adhuc expertus erat, quomodo Christus se insinuet, licet tãdiu Christum audisset prædicantem. Vt nõ miremur, si nos etiamnum diuina non capiamus, ac spiritualia, alius enim Doctor internè nos erudiens necessarius est præter externum.

Cur Iudas ille miraretur, Christum se ipsum manifestare Apostolis, & non mundo.

Esai. 40. Luc 3. Ioan. 10. Infrà 12.

II. ratio, à cõditione hominis iusti, ãc pij.

III. ratio.

Respondit Iesus, & dixit ei, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, &c. Tali ordine Dominus responsum dedit Iudæ, vt in primis explicet qua ratione se habere debeat ad mundũ, deinde quo modo se ad ipsos Apostolos; vt agnoscatur prædicta differentia: & extensionem quam prius fecerat ad mundum in tertia persona, eãdem nunc declarat; eadẽ tertiæ personæ ratione seruata, vt intelligamus quod de omnib⁹ promiscuè loquitur, Atq; hoc verbo ad prædictam quæstionem respondet: Cur scilicet solis electis, & non mundo sit detegendus: respondetque, eam detectionem non corpoream, sed spiritualem per Verbum, & Spiritũ sanctum futuram, quorum neutrũ oculis corporeis cernitur, sed fide tãtum: qua quia mundus caret, idcirco mun-

Christi ad Apostolũ Thomam sapiens & ordinata responsio.

Qualis Christi manifestatio, quam facit electis suis & amicis,

mundus me non videbit, nec videre poterit, ac proinde nec diligere. Ait ergo: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Non solùm integrè, & ad mentem pręcipientis, sed etiam patiendo propter legem Dei. Nam qui diligit, in verbo Dei videt Dominum præcipientem, non respon sat, non cunctatur, non caussatur virium imbecillitatem, cum gaudio cuncta exequitur, etiã ea, quæ impossibilia sibi videntur. Et cùm superius dixisset: *Qui habet mandata mea, & seruat ea; ille est qui diligit me*; ita modo vice versa ait: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*: quia mutuo se inferunt obseruatio mandatorum, & charitas. Pulchrè autem Ecclesia hæc verba in die primo Pentecostes legere solet: quo nos commonefaciat, quæ sint illa, quæ nos paratos, ac dignos reddunt ad Spiritus sancti susceptionem, nempè dilectio, & mandatorum Dei obseruantia, & vt intelligamus non solùm Spiritum sanctum ad nos venire, sed simul cum Patre, & Filio; & ad explicandos fructus, quos in nobis manens edit, de quibus ait: *Paraclitus autem, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c.

Christũ diligẽs, sermonẽ eius vt seruet. Effectus verę dilectionis.

Quę sint illa, quę nos præparát ac disponunt ad dignã Spiritus sancti susceptionem.

Sancti Spiritus in nobis habitãus fructus qui.

Vt diliget Pater diligẽtem Christum.

Luc. 19.

Et Pater meus diliget eum. Maiora dona cõferendo, quæ maioris erga se dilectionis testimonium reddat: quia omni habenti dabitur, & abundabit. Diliget ergo Pater, dando Spiritum sanctum, & maiorẽ sui, ac Filij sui cognitionem ac dilectionem, ac proinde maiorem virtutem ad operandum, & perseuerandum in bono, & maiorem patientiam in aduersis tribuendo.

Et ad eum veniemus. Hæc est alia maior, & excellentior promissio; Veniemus, ait in plurali, Pater, ego, & Paraclitus, nõ visibili, sed spirituali habitatione per internã consolationem, & gratiæ, & aliorum donorũ, atq; charitatis incrementum. Nec obstat quod præsentia eius non semper sentitur: nõ enim ob id abesse Trinitas credẽda est. Nam & infans & dormiens habẽt quidem præsentem vitam & rationem, sed neuter eam se habere sentit: sed infanti ætatis adultioris tempus expectandum est; dormienti verò expectanda est vigiliæ hora, vt intelligant se viuere. Ad hunc modum afflictum, & morientem oportet expectare tempus reuelationis, etiamsi interim omnia bona possideat: quia in silentio, & in spe erit fortitudo vestra, vt ait Esaias. Ne igitur Christus ita abesse putetur per mortem, vt nunquam ad nos redeat, ait, ad eum veniemus, scilicet visitando.

Quomodo diuinę personæ pij cordis domum adueniant.

Cur illę mini mè sentiantur tamen.

Esai. 30.

Et mansionem apud eum faciemus. Ad similitudinem amicorum aduentantium, & manere apud eum quem diligunt, volentium. Trinitatis ad animam aduentum Iesus describit, & plurali numero veniemus, faciemus; non tantùm ad Trinitatis personarũ, sed etiam ad donorum multitudinem indicandam, quã Deus animæ communicat. Et ad multos quidẽ venit Iesus, apud quos non diu manet, eo quod ornatum hospitium: & tantæ dignitati: ac maiestati congruum non adhibeãt. Multi enim sunt vocati; pauci verò electi. Manent autem diuinæ in nobis personæ per sua dona, ac virtutes, quibus illis adhæremus; & cum illis manere dicimur: quæ ita sunt arctè coniunctæ, vt qui vnam habeat, ac diligat, omnes habeat, ac diligat necesse sit. Est itaq; credens, ac Deum diligens, templum Trinitatis sanctissimæ: atque hæc Trinitatis mãsio in corde credentis adumbrata est, cùm Abraham Angelos hospitio suscepit, qui tres vidit, & vnum adorauit. Felix fidelis, qui apud se recipere meretur hunc hospitem. Est enim magnificus, & opulentus hospes; qui non venit vacuis manibus, neque discedit, vt dici solet, hospite insalutato, imò domum ipsam tuetur: quemadmodum Angeli à Loth hospitio suscepti, & ipsum defenderunt, & ex Sodomæ incendio eruerunt. Obededom quoque arcam Domini suscipiens, percepit benedictionem, & augmentum omnium, quæ habebat, bonorum. Domus quoque Zachariæ & Elizabeth Virginem accipiens, Prophetiæ, & sanctificationis, ac loquelæ perditæ dona promeruit. Vides igitur quam facilè sit ingentia dona, imò donorum ipsorum fontem recipere? Sit exemplum: CHRISTVS docet; *Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini: Si enim Pater vester auiculas pascit, quantò magis te?* Si hoc verbum fide seruaueris; venient ad te Pater, & Filius, & afferent ominum bonorum thesaurum, vt in summa inopia degens nulla re egeas, sed dicere valeas; *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Præpara ergo Trinitati Personarum aduentanti, Trinitatem facultatum tuarum, in quibus dignè excipiantur, para mensam, sedem, lectum, candelabrum, & vigilans ministerium, vt Sunamitis Helisæo faciebat; vt in te mansionem facere dignetur beata Trinitas. Et audi quid dicat Dominus per Ezechielem; *Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel in æternum, & non polluent vltra domus Israel nomen sanctũ meum.* Sed quomodo nos tãtilli tãtos hospites accipere valeam? Charitas nos dilatat, vt Deũ & proximũ excipere

nem facere dicantur.

Matt. 20.

Vt maneant in nobis diuinæ Personæ, eaq; mansio vbi fuerit præmonstrata.

Gen. 18.

Qualis nobis sit hospes Deus trinus & vnus.

Infra 19. Ibidem.

2. Reg. 6.

Luc. 1. & seq.

Matth. 6.

2. Cor. 6.

Quomodo Deum trinũ, & vnum hospitem habere possimus.

4. Reg. 4. & seq.

Ezech. 43.

Qui charitatem habet, to tũ Deum capere potest.

Eędẽ in iusto suiq; amante eur mansio-

Christũ diligens, & man-

cipere valeamus. Tria promittit dona Dominus: Primum, eos pertingere posse ad Patris dilectionem. Est aũt magnum, gratiam Principis promereri, etiamsi nullum inde fructum quis consequatur. Secundum est, aduentus Patris, & Filij ad eum: quia enim pro hoc statu nos ad eum ire nõ possumus, pro sua erga nos charitate ipse ad nos venire dignatur: & hoc maius est quam prius. Sed omnium maximum, quod promittit certam in nobis mansionem, & firmam habitationem: cùm amici, qui nos amicitiæ gratia inuisere solent, post breue tempus à nobis discedant, & suo abitu plus doloris relinquant, quam suo aduentu gaudij attulerint.

data eius sermoues, triplex donum assequitur.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Quia sicut dilectio est caussa seruandi præcepta; ita eius dilectionis destitutio, nõ seruandi: quemadmodum in caussis proprijs, si affirmatio est caussa affirmationis, & negatio negationis. Explicauit cur se sit diligentibus manifestaturus: nũc indicat quare non sit se mundo manifestaturus: qa videlicet nec diligit, nec seruat præcepta. Et in plurali ait, *sermones*: tum quia qui non diligit, vniuersa mandata nõ custodit; tũ quia vt de seruãte dixit in singulari, sermonem: *Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit*: quia lex tota amenti est vnicum charitatis verbum; ita lex non diligenti videtur infinita, & innumerabilia continere præcepta. Nec Dominus exprimit pœnam nõ diligentiũ ipsum, aut mandata sua nõ seruantiũ: quia satis ex superioribus liquet, tales à Deo odio haberi, nec Deum illos sua præsentia, & inhabitatione dignari. Nam si nemo hominum in impura, & sordida domo habitare dignatur, quanto magis diuina Sapiẽtia in maleuolam animam nõ intrabit, nec habitabit in corpore subdito peccatis, ne sit in ruinam eorum? Etenim Dominus Deus noster ignis consumens est; sed prius vult eos curari, atq; mundari: qui verò mũdari, & curari renuunt, scoria erunt, & fęces sordidissimæ.

Quare Christum non diligens, sermones eius non seruat.

Lex tota amãti est vnicum charitatis verbum.

Quæ pœna non diligentiũ Dominũ, & mandata eius non seruantium.

Sap. 1.

Deut. 4.

Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, Patris. Grecè sermo est in Nominandi casu, nõ Accusandi, in quo posuit interpres: neq; vitiosam reddit locutionem, quia per figuram Antiptosis admitti potest, qua casus pro casu ponitur, vt illud Comici;

Græcismus.

Populo vt placerent, quas fecisset fabulas,
Et aliud Poëtæ;
Vrbem quam statuo, vestra est.

Terent. in Prolog. Andria.
Virg. 1. Æneid.
1. Ioan. 2.

Simile est illud Ioãnis in catholica sua epistola; *Et vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* ¶ Ait autem; *Et sermo, quem audistis, non est meus, sed Patris mittentis*: quæ locutio persimilis est illi, quam vsurpat alibi apud Ioannem: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Est autem præoccupatio Domini Iesu: qua, ne offendantur discipuli (quod Iudæi eum vt abiectam & vilẽ haberent personam: vnde & doctrinam eius contemnebant) commendat suam doctrinam, & autoritatem suo sermoni arrogat, à caussa efficienti, qui est Deus: quem Christus hîc appellat Patrem, ne quis miretur, quod tantum tribuat verbo suo: & vt intelligat ꝙ qui eius præcepta non seruat, non solum est sibi iniurius, sed etiam Deo Patri. Estq; sensus: sermo quem audistis, non est meus; id est, à me ipso vt fonte primario excogitatus, & quasi ex corde meo, vt primo principio profectus, sed voluntate Patris testantibus signis quæ vidistis, & facturi estis in nomine meo. Estque perinde ac si legatus nomine sui Principis diceret; Sermo iste non est meus, sed Principis, qui misit me. Vbi indicat, vim, & efficaciam sui sermonis ab omni Iesum diligente seruandã. Est enim sermo diuinus, qui vim legis habet: vt propterea alibi rectè dixerit: *Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit; spernit eum qui misit me.* Et hæc satis digna causa Iudæ Apostolo videri debuit, cur Iesus nonnisi diligentibus se insinuandus sit: iure enim sperni ab eo debet, qui eum sperneret, & Patrem suum, cuius sermo etiam spretus est. Contendamus igitur, vt sermones vniuersos Domini Iesu in cordibus nostris cõdamus, illosque reuerenter per fidem excipiamus operibusque impleamus: non tanquam hominis alicuius sapientis, aut legislatoris, aut philosophi, sed tanquam diuinos, vt verè sunt, sermones, à Deo ad nos per insignem legatum Filium eius vnigenitum ac naturalem missos, quo salutem sempiternam adipisci valeamus, quæ aliud non est, quam Filius eius Iesus Christus Dominus noster mundi conditor, instauratorq; cui cum Patre, & Spiritu sancto, compar sit laudatio in secula seculorum. Amen.

Ioan. 7.
Sermonẽ suũ Christus, cur affirmet sermonẽ esse Patris sui, & quid significet.

Diuini sermonis efficacia.

Luc. 10.

Christus meritò quem spernat.

TRACTATVS LIV.

In illa verba: *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quẽ mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. Pacem relinquo vobis: pacem meã do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis, &c.* Ioan. 14.

Quorſum hęc tendant.

CVM hactenus multa diſcipulis Dominus explicaſſet myſteria, quorum quędam ſciebat eos non intelligere, in quibuſdam etiam titubare, promittit & eorũ, quæ ignorabant, & eorum, de quibus ambigebant, intelligentiam. ¶*Hæc*, inquit, *locutus ſum vobis*. Non intelligebat Iudas verborum Domini ſenſum, ſicut nec Petrus, nec Thomas, nec Philippus profunditatem verborum Domini penetrârunt: putabantque ad terrorem ſe odio proſequentium Chriſtum locutum fuiſſe, vt propterea illis non ſe detegeret, & in gloriam eorum, qui ei crediderant quod ſe eis manifeſtum redderet. Idcirco ne pergerent pleraque ſuſcitari, quæ tunc capere non poterant propter ruditatem ſuam, mittit eos ad Spiritum ſanctum, qui vice Domini Ieſu à Deo miſſus illos doceret, cur non omnibus ſe manifeſtum reddiderit Ieſus, ſed teſtibus tantùm præordinatis à Deo.

Quare Chriſtus Spiritum ſanctũ Apoſtolis fore dixerit doctorẽ & interpretẽ dictorum ſuorum.

Act. 10.

Poſſunt etiam quæ ſequuntur, alio modo connecti cum præcedentibus: poſtquam enim Iudæ reſpondit ad ſui, & Patris viſionem mundo exhibendam; reſpondet nunc ad peculiarem viſitationem Apoſtolis poſt ipſius reſurrectionem exhibendam, & ſolatur eos ex differentia inter præſentem, & futuram viſitationem.

Altera cõnexio horum verborum.

Hæc ergo pauca locutus ſum vobis pro veſtro captu, verbo quidem ſenſibili, & externo exhortando vos, & confirmando, quæ tam vobis & obſcura, & difficilia videntur, meq́; ipſum vobiſcũ manens corpore mortali Verbum Dei eſſe detexi, docuique quis ego ſum, quis Pater, cur venerim, quid à me expectandum vobis ſit: quia verò vel quæ dixi, non planè intelligitis, aut ſi præterea alia cognoſcere deſideratis, aut etiam quæ dixi, ne hæc vobis excidant, metuitis, & me à vobis abeunte timetis ne monitorem, & doctorem habeatis; & quia natura imbecilliores eſtis, quàm vt in aduerſis poſſitis perſiſtere, & verbum meum humile, & abiectum vobis videtur, vixque vt fide excipi debeat; ideo maiori clariorique mei ipſius, & Patris indigetis detectione, denique ne quid vobis ad ſalutem deſit; en poſt diſceſſum meum mittam vobis Spiritum ſanctum, qui me perfectè clarificabit, verbumq́; meum cordibus veſtris imprimet altius, induetque virtute ex alto, & ita docebit quid ſit à me vero Meſſia vobis quærendum & expectandum: non quidem regnũ carnale, & terrenum, vt illi qui dicebant: *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael*; nõ pompam, aut gloriam mundi, vt Nazareni, qui dicebant: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*; & fratres increduli, qui aiebant: *Si hæc facis, manifeſta teipſum mundo*; non ventris ſaturitas, vt Iudæi, quibus dixit; *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*; non carnis licentia, vt noſtri ſeculi hæretici ſomniant; ſed tantum Verbum, eiuſq́ue reuelatio, atque Spiritus noſtri ſanctiſicatio, quo vitam in terris agamus diuinam, & Chriſto quã proximam; in futuro verò regnum glorioſum dabit, plenamq́ue ſecuritatem, & ſaturitatem.

Quare Chriſtus Apoſtolis è cœlo daturus erat Spiritum ſanctũ.
Ioan 10.
Luc. vlt.

A Chriſto quæ minimè quęrẽda, atq; expetenda.
Act. 1.
Luc. 4.

Ioan. 8.

Suprà 6.

Ait igitur: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus*. Pluribus vocibus nobis deſcribitur diuinus Spiritus, vt & à nobis cognoſci, & ab alijs diſcerni queat. Primò enim dicitur Paraclitus, hoc eſt conſolator, aut potius adhortator, impulſor, intercesſorq́;, aduocat⁹ & patronus, eo modo quo ſuperius explicatum eſt, cauſam pro nobis agens, per quẽ eſt remiſſio peccati, & teſtiſicatio ꝙ ſumus Filij Dei: in quo eſt pignus, & arrha hereditatis noſtræ, ſine quo nulla eſt perfecta cõſolatio, per quem cognitionem Patris noſtri, & vnigeniti Filij Dei, & ipſiuſmet, atq; adeò noſtri adipiſcimur, vt dicam⁹ ad eum cum Eccleſia:

Spiritus ſancti variæ appellationes, & in fideles beneficia.

Rom. 8.
Ephes. 1.

Per te ſciamus da Patrem:
Noſcamus atq; Filium;
Te vtriuſq; Spiritum
Credamus omni tempore:

Precatio Eccleſiæ ad Spiritũ ſanctum hymnodicè.

In eo deniq; clamamus, Abba (Pater) precandiq́; rationem edocemur, & in aduerſis perſiſtimus.

Rom 8.
Ibidem.

Deinde cùm ſupra Spiritus vocatus fuerit veritatis; nũc duabus vocibus, Spiritus ſanctus, quia à duab⁹ perſonis Patre & Filio procedit, nuncupatur.

Cur vocetur nũc Spiritus ſanctus, qui antea paracletus.

Et ita perſonaliter accipitur: vt cũ dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Et, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*. Etſi enim vox hæc toti Trinitati, & ſingulis eius perſonis conueniat, quia quęuis perſona Spiritus eſt, & quæuis ſancta: tamen vt pro tertia perſona ſumitur, aptiſſimè ſic vocatur, quaſi incorporeus flatus ab omni peccato, errore ac potentia paſſiua mundus: ſic enim non à ſeipſo, ſed ab alio procedere ſignificatur, aliter tamen quam Filius procedat, & quem inſufflando in Apoſtolos Dominus dedit dicens: *Accipite Spiritũ ſanctum*: & ex adiuncta perſona ſignificata nomine ſancti, diuina ſignificatur natura, cui eminenter congruit ſanctitas, quam Angeli apud Eſaiam decantant, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum, & per illã ad nos omnis ſanctificatio promanat.

Matth. vlt.
1. Ioan. 5.
Tertię perſonę in diuinis vox Spiritus cur magis conueniat.

Ioan. 20.
Spiritus ille cur dicitur ſanctus.
Eſai. 6.

Eſt ergo Spiritus, energia, & vis arcana, qua mentes aguntur ad ſancta, & cuius ſolius afflatu fit vt Deum agnoſcamus, dili-

Spirit⁹ quid, & quomodo mittatur à Patre, & Filio.

gamusq; , ac illi similes, quoad fieri potest, euadamus: *Quem mittet*, inquit, *Pater in nomine meo.* Non quidem secūdùm diuinitatē Spiritus diuinus mittitur, immobilis enim est suapte natura, & vbiq; est, cùm sit Deus omnia implens, iuxta illud: *Quo ibo à Spiritu tuo? & quò a facie tua fugiam?* quod etiā Gentilibus non fuit vsquequaq; ignotum, nam vnus eorum dixit:

Ierem. 23. Psal. 138.

Spiritus intus alit: totemq; infusa per artus;
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Virg. 6. Æneid. sub finē.

Quare eiusmodi voces, quas Scriptura vsurpat, vt, mitti, descendere, venire, legari, nouam aliquando operationem Spiritus sancti insinuant, & donorum eius infusionem. Ratione ergo donorum, & speciei visibilis, in qua visus est, mitti dicitur: quandoque tamen inuisibilis mentibus illabitur. Et ad literam loquitur de aduentu eius in die Pentecostes in specie igneæ linguæ ad conferendum donum linguarum, doctrinæ, amoris, ac fortitudinis Apostolis.

Spiritus sanctus quando Apostolis fuerit missus, quomodo, & ad quid. Act. 2.

Et Patri adscribit missionē, quia ab eo procegit; quemadmodum alio infrà loco sibi ipsi quoq;, à quo procedit, missionem tribuit, vt cùm ait: *Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre:* Nec ergo mittitur à Patre sine Filio, quia in nomine eius mitti dicitur; neque à Filio sine Patre, cùm dicat, Quem ego mittam vobis à Patre: Nō est ergo missio Spiritus sancti, propriū solius Patris, sed appropriatum, quia est principium Deitatis: & propriū Christi est omnia trahere ad Deum. Ac subdit: *In nomine meo.* Quod non vna tantùm ratione explicari potest. Potest enim esse sensus, In nomine meo, hoc est, propter me merentem, & rogantem, sicut superiùs dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Deinde in nomine meo; ad meum nomen illustrādum, & ad gloriam meam per vniuersum orbem propagandam, cordibusq; credentium fidei mei notitiam, & amoris mei immensitatem imprimendam, quia ipse Christus dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Tertiò, inquit, in nomine meo, id est, vt rectè expendit beatus Thomas, pro externa, & visibili mea præsentia me repræsententans, & locū meum sustinens, mihique vicarius. Vt enim Filius venit in nomine Patris, ita Spiritus in nomine Filij: & vt Filius distincta est persona à Patre, ita & Spiritus sanctus à Filio. Et vt Iesus dicitur Filius Patris, ita Spiritus sanctus quandoque dicitur Spiritus Patris, quandoque Spiritus Filij, propter deitatis eiusdem vnitatem, & communionem. ¶ *Ille vos docebit omnia.* Quemadmodum, Ego, nomen est primæ personæ in diuinis, & Tu secundæ, secundùm illud: *Filius meus es tu; ego hodiè genui te:* ita Ille, pronomen tertiæ personæ, aptè tertiæ in diuinis personæ congruit. Vnde cap. sequenti dicitur: *Ille testimonium perhibebit de me.* Et infrà: *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato*, & rursus: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Iterum: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ille ergo docebit vos omnia. Nam quod ego locutus sum docendo vos, & consolando externo verbo; ille intus illustrando docebit, iuxta illud: *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Scribit etiam legem Dei in cordibus nostris, & totam imprimit vno actu, & vno momento, quemadmodum facit typographus in charta parata; cùm scriba nonnisi vnam post alteram dictionem exarare soleat. Id igitur quod multis verbis, & longo tempore Christus homo tradidit, & Spiritus sanct[us] vnica, & simplici cordis illustratione tanquàm Deus docere potuit. Cùm igitur nō sit alius doctor, aut rector Ecclesię, quàm Spiritus sanctus sui loco relictus; consequitur, illos solos verè doctos esse, qui habent Spiritum sanctum, sine quo habere, & iactare scripturam sacram, est habere literas obsignatas, siue per notas, characteresve, & ænigmata scriptas, quas sine interprete, ipsarumque autore intelliget nemo. Vnde & illud rursus infertur, Spiritum sanctum accepisse eas explicantem, didicisse est. Quia vt nemo hominum scit quæ sunt hominis qui in ipso est; ita, & quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei, aut ille, qui eius Spiritu præditus est. Tertiò elicimus, hæreticos Scripturas non habere, eo quòd non habeant interpretem, & glossam Spiritum sanctum: quo enim Spiritu dictatæ sunt, eodem & debent, & volunt intelligi ac explicari; ita vt ipse idem Spiritus sanctus, qui in forma linguæ igneæ apparuit, & textus dici possit, & glossa. Quare eleganter dixit Hieronymus: *Marcion, & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes non habent Christi Euangelium: quia nō habent Christi Spiritum, sine quo diuinum non habetur Euangelium.* Hæc ferè ille Pater. Vt enim in diuinis, Spiritus sanctus terminat intimas, & substantiales operationes, & in eo sistunt diuinæ processiones; ita in vijs, & actionibus externis Pater opus suum condendo perfecit; Filius instaurando, redimendoq; refecit: Spiritus sanctus supremam manum imponit, erudiendo, sanctificando, & consolando, atque in terram rectam deducendo, vt inquit Propheta.

Ioan. 15.

Propriū Christi quid sit.

Spiritū sanctum mitti in nomine Filij, tribus modis intelligitur.

Ioan. 16. B Tho. lect. 6. in Ioan. c. 14. tom. 14.

Ioan. 5. Spiritus sanct[us] modò Patris, modò Filij Spiritus cur dicatur.

Diuinæ personæ quibus nominibus exprimātur. Psal. 2.

Ioan. 16. Ibidem.

Ibidem.

Quomodo Spiritus sanctus docuerit Apostolos omnem veritatem. Iob 32.

Aliter homo, aliter Spiritus sanctus homines scientiam docet. Psal. 93.

Sacras iactare Scripturas absque Spiritu sancto, quid sit.

1. Cor. 2. Vnde constat hæreticos carere Scripturis. Quo Spiritu scripturæ velint intelligi & explicari.

Hiero. in c. 1. epist. ad Gal. tom. 9.

Sine Spiritu Christi diuinum nō habetur Euangelium, Hieronymo teste.

Propria diuinarū Personarum. Psal. 142.

Quæná Spiritus sanctus Apostolos docuerit.

Quod autem ait: *Ille vos docebit omnia*: intellige necessaria cuncta ad salutem, ad rectam gubernationem Ecclesiæ, ad errorum insurgentium cõtra Fidem impugnationem: denique omnia quæ aut per Prophetas, aut per ipsum Dei Filium per parabolas, & prouerbia audierant dicta, nec intellexerant tamen: omnia etiam illa quæ perceperant, sed successu temporis obliuioni tradiderant. Non tamen disciplinas humanas, aut mathematicas scientias, & huiusmodi: quia etsi omne verum, à quocunque dicatur, à Spiritu sancto sit, multa tamē illis facultatibus tradūtur falsa, & curiosa; plura item, etsi vera, ad salutem minimè necessaria, quę suos habeāt magistros & præceptores, ex quibus addiscantur.

Matt. 13. Infrà 15. Luc. 18. Ioan. 16.

Quæ nō docuerit.

Humanas interdum disciplinas quinā edocti diuinitùs. *3. Reg 3.* Sanctissimæ Christi virginis, & martyris Catherinę mira sapientia.

Quāquàm nihil prohibeat, interdū Deum harum perceptionem scientiarum non sine miraculo alicui communicare: quemadmodum in Veteri Testamēto fecit cum Salomone, & in Nouo cum nōnullis, maximè verò cum sanctissima illa Virgine Catherina martyre, quæ omnibus humanis disciplinis supra modū instructa fuit; & prætereà diuina sapientia imbuta, quinquaginta sapientes in disputatione superauit, ita vt pro veritate, quam virgo illa, & martyr tuebatur, sanguinem suum fundere non dubitauerint. Et quod ait, Docebit vos, intelligit omnes legitimos Ecclesiæ gubernatores, & successores: vt, Romanos Pontifices, Patres in synodo generali congregatos, Doctoresq; sacros, ac veteres, qui nobis Scripturarum veritates explacatas, amplectendas tradiderunt.

Quos doceat Spiritus sanctus.

Suggerere quid, & quo modo Spiritus Apostolis omnia suggesserit. *Cicero lib. 2. de Finib.*

Et suggeret vobis omnia: Quoniam suggerere apud Latinos, nihil est aliud quàm suppeditare, aut interdum in memoriam redigere, vnde Cicero dixit: *Si memoria defecerit, tuum erit vt suggeras*, rectè interpres verbū ὑπομνήσει ὑμᾶς vertit, suggeret, hoc est submonebit, si in memoriam reuocabit. Non tantùm enim patietur vos quicquam quod ad salutem spectet, ignorare, sed etiam, si qua exciderint, in memoriam reducet, nec vos vnquàm obliuiosos eorum esse finet, sed, quæ sua benignitas est, reddet ex tardis dociles, ex somnolentis vigiles, ex terrestribus cœlestes, atque ex carnalibus spirituales. Vt igitur Christus Mosen ipsum, vtpotè obscurum & velatum declarauit, ita Spiritus sanctus Christum, atque eius nobis detegit mysteria. Et congrua quidem hæc est pollicitatio Christi: alioqui enim Apostolis & multa quæ post cœnam ad eos locutus est, omninò excidissent. Nam tristitiæ, & timoris affectibus impediti, ea quæ dicebantur, aut non intellexerunt, aut memoriæ firmiter mandare non poterant. Quod igitur Iesus inchoauerat, Spiritus sanctus ad perfectionem adduxit. Omnia, inquit, quæcunque dixi vobis, nō quæ scripsi: nondum enim quicquam literis consignatum erat. Et hinc habes, Apostolos neque prædicando, neque scribendo doctrinam Domini Iesu, neque libros Canonicos approbando, aut ex ignorantia, aut ex obliuione quicquam peccasse: quanquàm Erasmus non sit veritus scribere Apostolos interdum memoria lapsos aliquid scripsisse. Neque contemnēda lectio Latina, quæ de fūturo ait: *Quæcunq; dixero*: quia Christus etiamnum loquitur interna inspiratione, & per Pontifices Ecclesiæ pastores, aut per œcumenicas synodos Spiritus sanctus suggerit credentibus quæcunque aut olim extero sermone, aut interiori reuelatione per seruos suos est locutus. Docere igitur, non est nouam doctrinam proponere, sed obscurè dictam detegere, auditam interpretari, & ad spiritualem intellectum enarrare. Sæpè enim Euangelium habet, Apostolos Christi verba non intellexisse, quemadmodum Ioannes testatur: & in hac cœna multa non intellexerunt, maximè illud; *Quod facis, fac citiùs*: & post resurrectionem id verbum minimè perceperunt: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Vt interim omittam ea, quę huius generis sunt apud alios Euangelistas.

Apostoli cur opus habuerint, Spiritu sancto omnia suggerente.

Apostolorū prærogatiua singularis.

Erasmus de Apostolis minus Catholicè quid senserit.

Docere hoc loco quid.

Matth. 13. Infrà 15. Luc 18. Ioan. 2. Infr. 13. Infrà 21.

Collige ex his Domini verbis, prius Dominum duarum primarū personarum in diuinitate, Patris scilicet & Filij, insinuasse distinctionem, vt sæpè superiùs Ioannes ostendit: hoc iam postremo sermone Spiritus sancti personalem à Patre & Filio distinctionem aperuisse. Vetus quidem Testamentū apertè docet, Deū vnū esse creatorem rerum omnium, & gubernatorem; Nouum verò præter hæc Deum esse trinum in proprietatibus, & personis. Nā Pater innotuit, mittendo Filium in mūdum: Filius innotuit, redimēdo genus humanū: Spiritus sanctus tandē innotuit, totū mundum destructa idololatria, & abolita lege, ad Christū trahendo. Etsi enim in Scripturis crebra fiat mentio Spiritus Dei, & Spiritus Dñi, & Spiritus oris eius, & Spiritus sancti; nunquàm tamen tam perspicuè, & manifestè eius à Patre & Filio apparuit personalis distinctio, atq; in Nouo Testamento, in quo Pater misisse Filiū, & Filius Spiritum sanctum enarratur.

In Veteri Testamento vnius quidem Dei cognitio in Mosen, in Nouo autem etiam Trini per Christū habetur.

Diuinarum trium attributa Personarum. *Psal. 32.*

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Dupliciter possunt hęc verba accipi. Primùm, vt

Duplex sensus horū verborum: Pacē relinquo vobis.

bis, pacē meā do vobis.

sint verba salutantis, & vltimū vale dicentis, quasi iam abiturus diceret. Valete. Nam quod Latini dicunt, Saluete, vel, Benè valete, vel, Benè viuite, Hebręi pacis nomine explicant, & dicunt, Pax tibi: Qua salutatione Dauid vsus est, quando misit seruos suos ad Nabal, & qua vsi sunt Apostoli cùm prædicarent, dicentes: *Pax huic domui*: Et in epistolis ita etiam salutant; Gratia vobis & pax. Ita fuit salutata ab Angelo Maria, Schalomlach, id est, Pax tibi, pro quo Interpres vertit: *Aue*. Quoniam verò hæ salutationes, quibus euntes, & redeuntes salutamus, & bona illis precamur, ac prospera, apud omnes gentes in vsu positū est exoptare, licèt modo salutādi sint diuersi: vnde prouerbium natum est: Saluta libenter: resaluta libentiùs: propterea nō sunt vanæ, aut inanes existimādæ. Quia Christus summa Dei sapiētia illis vsus fuit, illisq; vt vterentur, indixit Apostolis. Ostendensq; salutationis efficaciam, cùm præcepisset dicere, Pax huic domui, subiungit: *Si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super illam. si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.* Angeli etiam quoties apparent, salutatione eos sunt prosecuti, ad quos destinabātur. Non ignoro, multas esse superstitiosas, & quæ planè ethnicismum spirāt, salutationes: vt cùm osculum manuū, aut recipimus, aut animo ficto, & interdū maleuolo offerimus. Deinde erant olim salutationes, quæ Principibus adulandi gratia magno studio, ac diligentia exhibebantur, de quibus Poeta quidam cecinit;

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam.

Vbi tamen superstitio abest, non sunt contemnendæ. Proinde cū salutaris ab aliquo, cogita non esse verbum hominis, sed Dei; atque ita consolaberis, & salutantem alacriter resalutabis.

Ego igitur abiturus saluto vos, & vobis meam relinquo pacem, id est, prosperitatem, trāquillitatem animi, reliquaq; bona, quibus pax ornata esse solet. Potest & alio modo interpretari hoc verbum, quasi sit noua Apostolos consolandi ratio: ita vt Christus recessurus testamentum condat, & bona sua Apostolis, quos hæredes instituit, legauerit, dicendo, Pacē relinquo vobis. Iesus enim Apostolorum parens, non agros, opes, domos, vestes, gemmas, aut aurum, & argentum legat: quę cùm corruptibilia essent, & à Deo interdum nō suis concessa, testatorem tantùm minimè decebāt, & plerunque lites immortales inter hæredes de distributione bonorum generare

1. Reg. 25. Matt 10. & Luc. 10. 1. Cor. 1. & sæpè alibi. Luc. 1. Schalō lach Hebræis q. d.

Salutationibus vtēdum Domini exēplo. Ioann 20 Matt. 10. Luc. 10.

Salutationes quæ cauēdæ, tanquā malæ. ac superstitiosæ.

Virgil. lib. Georg. sub fin.

Eius qui ab aliquo saluta tur, officiū.

Altera sentētia, quid scilicet sit, Pacē relinquo vobis, &c.

solent. Rursus non præcipit, vt corpus suū sepulturæ humandum tradant: quia in hostium manibus futurū nouerat, & à custodibus armatis sepulchrum seruandū. Propterea bona sua tantùm spiritualia, & diuina, propter quæ in mundum effundenda venerat, distribuit, deque illis testatur. Est autem pax, vnio animorum dissidentium firm, atque ordinata. Siue, vt Aug. dixit, est omniū rerum tranquillitas ordinis. Debet autem esse firma, hoc est, sine motu cōtrario, & turbatione: quia si ad tempus foret, non tam pacis, quàm induciarum nomine esset vocāda. Et quia debet tollere motum cōtrarium, ideo rectè dictum est, Pax multa diligentibus legem tuam; & non est illis scandalum. Idcirco irridet Dominus eos, qui cùm dixerint: *Pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus.* Debet etiam ordinem seruare hæc pax, vt inferiùs pareat suo superiori, & Heua subsit Adæ: quia non est pax impijs, dicit Dominus. Hunc autem ordinem constituit iustitia, quæ cùm duplex sit, altera Naturalis, altera Diuina: vt prior naturalem facit pacem, ita posterior diuinam constituit. Vnde regnum Dei dicitur esse iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, & Propheta flumini comparat pacem, & maris gurgiti iustitiam. Ita enim ait Esaias: *Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.* Nam vt à mari flumina proficiscuntur, secundùm Salomonem, ita pax à iustitia, secundùm illud: *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium*; hoc est, tranquillitatas, siue quies: & Apostolus pacem hanc oriri à iustitia docet, cùm ait: *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum.* Ideo homines non habent pacem, quia quærunt eam vbi non est, id est, in voluptate, diuitijs, potentia, honore, gloria, quæ falsa plerunque sunt bona. Nam honor, quem homines verbis præstant; aut factis, ex animo non proficiscitur, vel si ex animo illum offerant, non sunt tamen idonei testes virtutis intus delitescentis, vt eam digno honore prosequantur. Quiescentes, etiam in disciplinis liberalibus, & virtutibus moralibus, etsi minùs errent, quàm alij: haud sunt quieti tamen, quia paruam scientiam hic adipisci possunt, & virtutes morales veræ nō sunt, vt certos reddant de futura vita. Ideo Dominus pacem suā nobis offert, ac legat, dicendo: Pacem relinquo vobis. Annotat Caietanus, nō dici mandatum pacis, sicut superiùs dixit de dilectiōe: Quia, inquit, nulla est actio, sed fructus, vel passio ex actionibus

Apostolis quæ minir Christus le gere voluer Matt. 27. & Infrà 8.

Pax quid. Aug li. 19. Ciuitate D cap. 13. tom

Pacis condi tiones. Psal. 118. 1. Thess 5.

Gen. 3.

Esai. 48.

Eccles. 1. Esa 32. Pax Christ vnde oriatu secundū A stolum. Ierem. 6.

Cur homi nes verā pa cem, & qui tem non in ueniant.

Caietanus.

nibus iusti resultãs: secùs dilectio, quę præcipi potest, quia est actus voluntatis. Sed hæc consideratio friuola est: quia Christus præcipit pacem habere, *Habete*, inquit, *in vobis sal, & pacem habete inter vos*, & Apostolus: *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum*: &, *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habẽtes*, & Dauid: *Inquire pacem, & persequere eam*. Dicendum ergo, pacem à Domino relinqui pro hereditate, quia quæ illam efficiunt, data sunt nobis, nempè passio, ac mors Filij Dei, comparans nobis fidem, spem, charitatem, iustitiam, & obedientiam, ex quibus sunt gaudium, & pax in Spiritu sancto, vt propterea dicatur: *Pax multa diligentibus legem tuam*. Est autem hoc legatum pretiosissimum, multis de causis. Primò insolidum omnes possunt illã participare, imò eò maior est, quo in plures distribuitur cultores pacis; cùm alia legata bona quò in plures diuiduntur, sint minora. Præterea huius testamenti executor est Spiritus sanctus, qu illam donat, & confirmat per dona sua. Tertiò, quia si nihil est illi iocundum, qui cum altero inimicitias gerat; quid potest illi esse delectabile, qui cum Deo dissidet? Erant enim grauissimæ inimicitiæ Dei cũ homine, & in congressu vltimo iudicij certa victoria, & sententia à Deo stabit, qui iudex est, & iustitiam fouebit, & testes habebit omni exceptione maiores. Et quia ostensi est dare pacem offendenti, & victoris in bello, illi, qui victus est, hinc est, vt per pacem nobis oblatã intelligere debeamus nos fuisse qui Deum offendimus, & qui bello victi sumus. Quartò agnoscitur dignitas pacis ex contrario bello, quo nihil horridius, sicut pace aurea nihil suauius: cuius, vt ait Cicero, nomen dulce est, & res ipsa salutaris; & ex eo quod Deus dicitur, Deus pacis. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ierosolyma, visio pacis interpretatur: Apostoli, annunciantes pacem: *Quàm speciosi*, inquit, *pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona?* Euangelium dicitur pacis, sicut & Testamentum: Christiani verò dicuntur filij pacis. Quintò ex pretio infinito sanguinis Christi expendi potest hæc pax: nam dicitur per sanguinem crucis suæ pacificasse, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt: & *Esaias: Disciplina pacis nostræ super eum*, & Apostolus: *Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi*. Idem Apostolos quò fructum, & vim pacis explicaret, dixit ad Colossenses: *Et pax Christi exultet in cordibus vestris*, vbi verbũ Græcum habet: *Palmam ferat*: & ad Philippenses: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*, (siue, vt Græca vox habet, omnem mentem) *custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu*. Custodire, verbum est militare ciuitatis obsessæ, quam hostes oppugnant. Vnde Ambrosius in id dictum Pauli, iam citatum: *Hoc ideo dixit, quia cum Deo qui habet pacem, non timet omnem mentem aduersam. Tutus enim est pace Dei omnis diligens Deum in Christo Iesu*. Sic ille, per omnem mentem intelligens, insanam, siue furiosam mentem, siue cacodæmonis, siue aliorum hæreticorum, qui perturbare nituntur Catholicorũ Christi cultorum pacem.

2.Cor.13. Rom.12. Psal.33. Pax nobis vt à Domino relinquatur. *Rom.14. Psal. 118.* Quantũ bonum sit pax, quam Dominus testamẽto legauit. II. eius beneficium. Tertium. Quartum. *Cicero 2. Philipp. 2.Cor.13. Ephes.2.* Ierosolyma quid sonet. *Rom 10. & Esa.52.* Qui nam filij pacis. V. beneficiũ pacis. *Coloss 1. Esai 53. Ephes.2. Coloss.3. Philip 4. B. Ambros in cap.4. epist. ad Philippen. tom.5.* Qui cũ Deo habet pacem quàm felix.

Pacem meam do vobis. Vt rem magnam, & pretiosam ostendat se dare repetit, vt ex pace ad Deum, illa quæ ad proximum est, proficiscatur; & quia pacẽ gratiæ sequitur pax gloriæ. Dicitque; meam, vt ostendat se testari de re non aliena, sed propria, & quæ sola digna est nomine pacis venire; & quia diuino quodam modo cum Deo, & proximo vnit. Meam item, id est, quã ego homo in conspectu Dei habeo, quemadmodum omnes de plenitudine gratiæ eius accipere debemus. Meam postremò, hoc est, in mea Natiuitate ab Angelis annũtiatam, per me prædicatam, meo sanguine redemptam, nunc etiam promissam, legatamque, & in die resurrectionis exhibitam; dicendo: *Pax vobis*, & per vos dandam omnibus: quia dedit nobis ministerium reconciliationis, &: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. In Sacramento enim Pœnitentiæ omnia pacis inueniuntur symbola, id est enim dexteræ nostræ cum dextera Dei coniunctio, hoc est, concursus diuinæ gratiæ cum libero arbitrio: osculum reconciliationis, vt parentis ad filium prodigum redeuntem, & mulier peccatrix osculata fuit pedes Iesu. Et est colloquium per deprecationem assiduam, & mensę Eucharistiæ, quæ parata est omnibus cum Christo ad pacem redeuntibus. Et ait de præsenti Do, nimirùm de meo liberaliter; & dono non ex fideicommisso auorum, vt rem vinculo alligatam, vel ex alio debito, quia esset reddere, sed do promptè, atque hilariter.

Cur Christus repetit: Pacẽ meam do vobis. Cur pacẽ vocet suam. *Ioan. 1. Luc. 2. Ioan 20. 2.Cor.5. Ioan. 20.* Pœnitentiæ Sacramentũ omnia pacis symbola cõplectitur. *Luc. 15. Suprà 7.* Parata quib' Eucharistiæ sit mensa.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Id est, fideliter, & constanter, quomodo mundus, qui in malam partem accipitur, dare, etiam si maximè velit, non posset. Quod enim mundus promittit, aut minimè dat, aut datum conseruare non potest: quia omnis homo mendax; & quia mundus est in alterius potestate constitutus, & superiorem habet dæmonem. Ait enim Dominus: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet*

Cur de præsenti Christ' inquit, Do pacem. Aliter Christus, aliter mundus dat pacem. *Psal.115.* Mundi impotentia. *Ioan.14.*

1. Ioan. 5. *quicquam*: & Dilectus: *Mundus totus in maligno positus est*: idcirco quod vult dare, seruare, etiam si decipere nollet, non valet. Ideo mundus nõ est audiendus, etiam cùm nos pacem habere ad Deum præciperet, quia non est sui iuris, & fictè præciperet: nec etiam cùm mundus habere apud se pacem *Mundi pax qualis illa.* præcipit, quia eius pax est infida, incõstans, atque perniciosa. Hanc pacem non venit Christus mittere, sed gladium, illis scilicet, *Matth. 10.* quibus suauis est mundus. De hac pace ait *Sap. 14.* Salomon: *In magno viuentes inscitia bello, tot, & tam magna mala pacem appellant.* Deinde *Alterum discrimen pacis Christi, & mundi.* mundus non potest dare pacem, sed tantùm exoptare; Ego autem etiam intus dare, satiando animum, & quietum reddendo. *Mundi insufficientia.* Mundus enim etsi totum daret se nobis, implere tamen non posset cor: nihil enim corruptibile implere potest, immortalem, & æternum animum, quia totus mundus instar est exigui seminis hordei ad stomachum elephãtis. *III. discrimen.* Tertiò ait, Do pacem, quomodo mundus non dat: quia tormenta, carceres, persecutiones, bestiæ, ignes, atque adeò mors ipsa, illam internam pacem à vobis non auferent: quia ego faciam per Spiritum meum, vt non solùm quieti tormenta quæcunque contemnatis, sed etiam vt de illis gloriemini. Hanc autem pacem mundus dare non potest, qui vel folio arboris terreri solet. Hæc autem pax admittit ac ponit inimicitias cum hostibus Dei, id est, Carne, Mundo, & eius principe Dæmone, & propterea qui bellum infert hostibus *Pacẽ qui s habeat ad Deũ.* Dei, pacem habeat ad Deum; rectè vt Do- *Ioan. 16.* minus dixerit: *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.* In mũdo (scilicet hoste meo) *IV. discrimen.* pressuram habebitis. Quartò mundus dat quidem quandã externam speciem quietis, sed intus relinquit aculeum peccati cõscientiam mordentis; contrà verò Christus dat intus pacem cordis, extra verò permittit afflictiones, & persecutiones, quas mũ- *V. discrimen.* dus infert. Denique pax mundi non aufert peccatum, sed pœnam; Christi pax tollit peccatum, & ad exercitium, & meritum relinquit pœnam.

Aug. trac. 77 in Ioan. to. 9. B. Augustinus annotauit, primùm promitti pacem absolutè in prima clausula; in *Qualis iustorum pax in hac vita sit, teste Augustino.* posteriori verò addit Meam, quia electorum pax in via hac multis est tribulationibus, & peccatis admixta: non qualis Christi pax fuit, qui omni culpa caruit, & motu rationem præueniente, aut impediente. At secundò addit Meam, quia pax sanctorum in patria, per omnia similis est perfectæ Christi paci, quæ caret omni culpa, atque *Donét vt nobis pacem suã* pœna. Ad quam vt peruenire possimus, diligenter hoc tãtum legatum à Christo nobis relictum custodiamus, quoniam omnia contra nos militant, ne tanta hæreditate spoliemur, quã tanto pretio nobis comparauit Dominus noster Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto æqualis est diuinitas, honor, atque potestas in sempiterna secula, Amen. *Christus, qui agendum.*

TRACTATVS LV.

In illa verba: *Non turbetur cor vestrũ, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrẽ: quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis prius quàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus hinc.* Ioan. 14.

Qvemadmodum vulnus violenter illatum, & præter expectationem susceptum, periculosum, & lethale esse solet, quia bonum sanguinem, in quo vita sita est, extrahit, plaga verò a medico spontè suscepta, salutaris est, quia ad purgandam saniem & materiam putrem infligitur: ad eum modum flagellum diuinum non spontè, sed violenter toleratum mortem, & periculum æternę damnationis adducit: quod verò patienter atque spontè infertur, medicinale est, atque vtile. *Aduersitatis Deo immissæ tolerantia quomodo vtilis atque salutaris.* Propterea Dominus Apostolos de discessu suo exanimatos, mœroreque confectos solatur, multisque rationibus, vt patienti, & constanti animo illud ferant, exhortatur, dicens: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*: quibus verbis iterum indicat, quò hæc exhortatio tẽderet. *Quorsum id Non turbetur cor vestrum neque formidet. Eccles. 1.* Nam ad eum modum Rhetores & concionatores resumere thema quod tractant, post allata argumenta consueuerunt, ad maiorem exhortationis efficacitatẽ: quemadmodum in Ecclesiaste concionator sæpè inculcat hoc verbum: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes; Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hæc igitur verba vel conclusio sunt eius, quod præmiserat, *Pacem relinquo vobis.* *Triplex eorum verborum interpretatio.* Id est, Si tanta bona post mortem vobis relinquo, non quòd turbemini, sed potiùs est vnde Deo gra-

gratias agitis. Vel secundò hæc verba expositio sunt eius, quod dixerat de pace; quasi diceret: Non ita pacem do, vt posthac nihil aduersum, nihilque molestiæ accipiatis, sed vt cor lætum, & intrepidum comparetis, quod etiam ad quantumuis terribile non reformidet:

Summum malorum quod nam illud. *Deut. 28.*

sicut legis transgressoribus comminatur se daturum cor pauidum, vt non credant vitæ suæ, quod summum malorum est: Spiritus enim tristis exsiccat ossa:

Prouerb. 17.

quemadmodum Christus suis promittit summam securitatem: quia secura mens, vt ait Sapiens, quasi iuge conuiuium.

Suprà 15. Apostolorum imbecillitatis ijs Christi verbis subleuandæ necessitas.

Tertiò dici potest, hæc verba generalem quandam esse admonitionem, ne intellectus eorum propter mysteriorum profunditatem turbaretur, neque propter aduersa imminentia reformidaret affectus: quia hilarem datorem diligit Deus, & formidolosos iubet lex de bello discedere.

2. Cor. 9. Exod. 20. & Iud. 7.

Etsi ergo turbatio adueniat, & formido (erant enim Apostoli ea nocte casuri propter imbecillitatem, ac se in pedes daturi) non tamen perueniant ad cor, id est, ad mentem, & voluntatem, ita vt fide decidatis, aut desperatione frangamini.

Matth. 26. Corde deturbari quid.

Nec mirum est, vnum & idem verbum plures capere sensus: nam fortè multi variè sentiebant, & vnus & idem in diuersas cogitationes distrahebatur. Non ergo turbetur cor vestrum absentia mea, neque formidet in aduersis.

Apostoli vnde corde turbantur: & quare formidabant.

Apostoli cur minime turbari debebant

Audistis quia dixi vobis, Vado & venio ad vos. Profert caussam cur non debeant turbari, aut formidare: quasi dicat: Non tantùm attendatis quod dixi me abiturum; sed illud etiam considerate, quod dixi me rediturum. Si recessus vos perturbat, confirmet reditus.

Quando ad nos Dominus veniat, & recedat: idem quando recedat. *Psalm. 29.*

Nec sine caussa hoc repetit: quia hodiè sic Dominus nobiscum agit: abit enim plerumque à nobis, & redit ad nos. Abit, cùm consolationem abscondit, vnde tristitia oritur, secundùm illud: *Auertisti faciē tuam à me, & factus sum cōturbatus*; redit verò, cùm gratiam consolationis restituit.

In rebus aduersis quid agēdum: quid in prosperis. *Rom. 12.*

Christus ergo nec semper nobis aderit, nec semper, & in finem derelinquet: id est, nec semper prospera dabit, nec semper immittet aduersa. Si igitur in tentatione versaris, noli desperare; si gaudio, & iocunditate afficeris, noli altum sapere, sed time.

Alterum Christi solamen Apostolorum de suo discessu mœrentium. Charitatis propriū quid.

Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Temperat Iesus tristitiam Discipulorum ex parte boni, quod ipse Iesus discedendo cōsequebatur: hactenùs enim promittendo bona, eos erat solatus. Si ergo diligeretis, gauderetis; quia vado ad Patrem: suprà, veræ dilectionis signum dixerat esse, seruare mandata; hìc alio experimento vult probari dilectionem. Eius enim proprium est, gaudere cum gaudentibus, vt ait Paulus, & in alio loco: *Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.*

Rom. 12. 1. Cor. 13.

Cur Apostoli gaudere debuerint Christi ad Patrem discessu.

Qui ergo Christum verè diligit, de eius gloria, & ad Patrem ascensione, sessioneque eius ad Patris dexteram, & quod omnibus subiectis eius pedibus, & quod per passionem mortis gloria, & honore coronandus sit, gaudere debet.

1. Cor. 15. Hebr. 2.

Membrum enim gaudet de gloria capitis sui. Si enim in infirmitate tanta potuit præstare; quid præstare non poterit ad gloriam Patris euectus & sublimatus.

II. ratio.

Ad hęc si perfectè me diligeretis, vt debetis, & vt ego sum dilectione, & agnitione dignus, proculdubiò gaudium non vulgare conciperetis, quòd ex hac humilitate ad gloriam Patris, & illam celsitudinem consessus in dextera Dei pergo.

Cur Apostoli Christum minus perfecte diligerent.

Quo verbo indicat illos non perfectè dilexisse: quod & verum est, quia diligebant tantùm vt hominem, non adhuc vt Deum; ideo volebant vt cum eis visibilis maneret.

III. ratio.

Deinde humana ducti ratione diligebant; hinc eum pati nolebant, quasi hoc esset inglorium ipsi, & parum honorificum (quemadmodum Sacramentarij nunc putant Christo contumeliosum esse, atque iniurium, quòd corpus suum manducandum dederit) atqui Christus summam gloriā esse existimat, Patris perficere voluntatem.

Sacramentariorum de Christo commentum.

Postrema.

Denique seipsos plus quàm Christum diligere videbantur, suisque commodis magis prospicere volebāt, ne videlicet consolatione, quam ex præsentia Christi habebant, fraudarentur: Christi autem gloriam negligebant; at vera charitas non quæ sua sunt, sed quæ aliorum quęrit.

1. Cor. 13.

Quid Christi ire ad Patrem.

Docemur ergo diligere proximos, ea potissimùm ratione, quia ad Patrem vado, id est, ad pietatem, & æternam salutem pro Christi gloria contendo.

Illud: Quia Pater maior me est, de humanitate solum, non de diuinitate esse accipiendum, ostenditur contra Arrianos.

Quia Pater maior me est. Ex hoc verbo impius Arrius dogma suum contra vnitatem eiusdem diuinitatis Patri & Filio communem, quam Græci eleganter per vnū verbum ὁμοούσιον explicant, confirmabat, non perspecta tota lege, in qua æqualis Patri sæpè ostenditur. Ait enim Ioannes, *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*;

Ioan. 5.

& Apostolus, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.*

Philip. 2.

Hæc est profectò glossa Spiritus sancti per os tanti Apostoli data ad obturandum ora hæreticorum. Quid quòd paullò antè in hoc eodem contextu Patri se æqualem, & consub-

consubstantialem ostenderat, vt Gregorius docet Nazianzenus, cum inquit: *Philippe qui videt me, videt & Patrem: Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Imò hæc ipsa Christi verba satis ostendunt se loqui de sua humanitate: quia sumitur pro ratione itineris ad Patrem, Pater ergo est maior me euntead ipsum, constat autem, quòd secundum naturam diuinam Filius necexiuit à Patre, in cuius sinu semper est, iuxta illud. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, nec redire potest, sed tantum ratione humanæ naturæ exiuit, & rediit. Iter enim illud passionem, mortem & crucem comprehendit, quæ in solam Humanitatem cadere possunt.

Gregor. Naz. lib. 3. Theol sub finem. & lib. 4. propè initium.

Ioan. 1.

Qua ratione Christus à Patre exierit.

Quod si traditione Patrum certandum est, quis queat iudicare, vniuersos Catholicos, & orthodoxos Patres hunc locum ita intellexisse? Sic enim Augustinus habet lib. de Trinitate: *Quomodo intelligatur Dei Filius, & æqualis Patri, secundum Dei formam, in qua est, & minor Patre secundum serui formam quam accepit, in qua forma non solum Patre, sed & Spiritu sancto, neque hoc tantum, sed etiam seipso minor inuentus est, non seipso qui fuit, sed seipso qui est, quia forma serui accepta formam Dei non amisit.* Idem eodem libro damnat errores eos, qui aliter intelligunt. Ambrosius libro de fide: *Minor*, inquit, *in natura hominis: & miraris si ex persona hominis Patrem dixit maiorem: qui in persona hominis se vermem dixit esse, non hominem?* Gelasius lib. de duabus naturis citata Amphilochii sententia, in hunc eundem modum interpretatur. Sed ante omnes Magnus Athanasius in Symbolo suo, quod Ecclesia frequentat, ait: *Æqualis Patri secundum diuinitatem: minor Patre secundum humanitatem.* Et rursus: *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Non negauerim tamen etiam Patres fuisse, qui hæc ad diuinitatem referenda esse censuerint: nō quidem vt potestate, aut magnitudine, aut duratione Filius sit Patre minor, sed quòd Filius originem ducat à Patre, non Pater à Filio. Et nos, vt beatius & maius accipimus dare, quam accipere: & generare, quam generari: ac proinde, vt maiorem Filio apprehendimus Patrem, licet reuera sint æquales, quia generare, & generari in Deo sunt vnica Deitas, vnicaque essentia: quam totam & integram generationem Pater tradit Filio. Sed hic sensus in nihilo lædit veritatem Catholicam, neque impietatem fouet Arrii. In hunc autem modum interpretantur qui sequuntur Patres, vt qui velint, possint eos consulere. Basilius lib. 1. in Eunomium, & epistola 141. ad Cæsareenses, qui ex hac sententia, *Pater maior me est*, colligit Christum Patri ὁμόουσιον, cum comparationes non fiant, nisi inter ea quæ sunt eiusdem naturæ. Gregorius Nazianzenus lib. 4. Theologiæ, Hilarius libro de Trinitate, & in Psalmum 138. Cyrillus libr. Thesaurorum, vtrumque sensum probat, sed magis priorem. Rursus asserit ineptum, & risu dignum fuisse, si Christus tantum homo esset, ac creatura: & tamen se cum Patre comparasset, dicendo: Pater maior me est. Concilium quoque Sardicense, vt Tripartita refert historia. Eundem sensum tradit Damascenus libro de orthodoxa fide.

August. aliorumque Patrum.

Aug. lib. 1. de Trin. c. 1. to. 3.

Philip. 2.

Idem lib. 1. de Trin. c. 7.

Ambr. lib. 2. de fide, c. 4. in initio, tom. 2.

Psalm. 21

Gelas. lib. 2. de duab. natur.

Amphiloch.

B. Athanas.

II. sensus eorū verborum: Pater maior me est, nihil Arianum sapiens.

Act. 20.

Basil. lib. 1. tom. 1.

Comparationes inter quæ fiant.

Greg. Naz. lib. 4 Theol. ferè initio.

Hilar. lib. 9. de Trinit paulo post mediū.

Cyril. lib. 2. Thesaur c. 3 & lib. 5. c. 1 to. 2.

Ioan. 14.

Concil. Sard. Hist. Tripart. lib 1 c 14.

Damasc lib. 1. de orthodox. fide, cap. 9.

Sunt tertiò alii, qui ita exponunt hunc locum, dicentes, nunc Iesum agere vices nuncii minoris eo qui misit illum, Patris voluntatem explicando, serui etiam obedientis, cuius munus est mandatum domini perficere, atque eo perfuncto ad dominum redire: ita vt sit comparatio officiorum & munerum, non personarum, sed sanè si veritatem amamus, hic sensus in priorem recidit. Cum ergo superius dixisset, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: docet Iesus, quod rediturus sit cum Patre, & mansionem apud eos sit facturus: quia Pater, quem secum adducet Iesus, maior erat: ideò gaudere debebant. Chrysostomus in Ioannem ait: *Dominus Patrem se dicit maiorem, non quia reuera maior erat, sed quia maior erat opinione Apostolorum.* Hæc ille in sensu. Aliquando enim Christus quædam simpliciter asserit secundum aliorum existimationem, vt cùm dixit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum*, scilicet apud vos: & illud: *Me scitis, & vnde sim scitis.* Nec ignorauit hunc sensum Augustinus libro primo de Trinitate, capite nono. Theophylactus pulchrè in hæc verba scripsit: *Quomodo cum dicit, Pater meus maior me est, vt consoletur Discipulos, dixerit? Non quia illi tristes erant, quasi non posset eos iuuare Christus dicit: Quamuis ego non possem, saltem Pater meus, quem vos me maiorem putatis, non tantus habitus est qui vos iuuet: sicut & alio loco dicit: Ne existimetis, quod non possim orare Patrem meum: & exhibebit mihi duodecim legiones Angelorum: Non enim hoc loco quasi non posset, hoc dicit: Quomodo enim qui sola interrogatione Iudæos collectos prostrauit, retroque cedere fecit? Verum quia de eo vt homine habebant opinionem; capropter hæc inquit, sic igitur, Pater maior me est. Dixit enim hoc iuxta illorum sententiam, credentiis ipsum quidem infirmum, Patrem autem posse i*

Ioan. 18.

III. sensus haud absimilis priori.

Chrysostom. hom 74 in Ioan tom 3.

Quædam Christi dicta de se ipso secundum aliorum existimationem.

Ioan. 5.

Infra 8.

August. to. 3.

Theophyl. in c. Ioan. 14.

Matth. 26.

Ioan. 18.

tem-

tempore afflictionis sufficere. Hactenus ille.

Apostolorum ruditas & imperitia, in percipienda Christi doctrina.

Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis. Satis his verbis indicat Dominus diuinitatem suam. Et sensus est: Non ignoro me nunc, vt dici solet, surdis narrare fabulam: scio vos non posse assequi quæ loquor: ideo nunc prædico, vt cum posteà hæc euenerint, maiori apprehendatis fide. Est autem stabile, ac firmum diuinitatis argumentum, præscire, ac prædicere futuros euentus contingentes, secundùm illud Esaiæ: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Vtile ergo erat ad fidem Apostolorum, quod hæc eis prædicerentur: nam etsi tunc nō intelligerent, cùm tamen iam euenisse cernerēt, autoritatem maiorem, ac fidem ei qui dixit, conciliabant. Quærit Augustinus: *Cùm fides sit de his quæ non videntur; non debet homo credere id quod factum videt, sed id antequam fiat.* Dicendum est, Apostolos aliud vidisse, & aliud credidisse: viderunt enim prius mortuum, posteà ad vitam excitatum: quo viso, crediderunt quod ipse esset Filius Dei, vt Thomæ Apostolo dixit: *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Certum est autem, Thomam aliud vidisse, & aliud credidisse.

Stabile ac firmum diuinitatis argumētum quodnam sit. *Esa. 41.*

August. tract. 79. in Ioan. tom 9. Cum fides sit de his quæ nō videntur: quomodo verum est: dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis. *Ioan. 20.*

Nec dixit Dominus: Dixi vobis hoc, vel illud, vt credatis: sed absolutè: *Vt cum factum fuerit, credatis,* scilicet quod ego sum, vt alibi dicitur: Vel, ad vos cum venero cum Patre meo, credatis non esse vobis illusum. Poterant enim illi dicere qui Apostolos audiebant: Si Iesus vester surrexisset à mortuis, vtique vidissemus eum & nos: nunc autem quoniam non resurrexit à mortuis, vos soli, quibus propter cupiditatem, quā eius habetis, imponi potest, decepti, vidisse vos illum iactatis. Et si hoc difficilius est, certè dicentibus Apostolis se in cordibus suis Deum Patrem, & Filium sentire, eadem ab alijs audire potuisse, qui dicerent ipsos nimia credulitate seductos. Dixit ergo Dominus, si vnquam tale quid euenerit, ne talibus Apostoli ipsi crederent, sed potius suæ inspirationi assentirēt. Et prædicit illis, vt illius prædictionis testimonio vtantur, si quid inciderit dubij. Vel tertiò absolutè ait: *Vt cum factum fuerit, credatis,* quia quæ Iesus prædixit, testimonium reddunt ea esse verissima, atque solidissima, ac proinde Christum prædicentem sibi euentura, verum Deum extitisse. Qua de re Dominus apud Lucam dixit: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.*

Altera solutio. *Supr. 8. Infr. 13.*

III. solutio.

Luc. vlt.

Iam non multa loquar vobiscum. Reddit rationem illius verbi: Et nunc dixi vobis. Idcircò nunc dixi vobis, *Vado ad Patrem,* quia seruaui hoc ad tempus vltimum, quo non multa loquar vobiscum. Nam si multa superessent dicenda, facilè nobis è memoria elaberentur. Et ita elegit tempus congruum ad dicendum: vnde quoq; materiam acciperent gaudij. Subindicat simul instare tempus, quo à verbis ad facta sit transeundum: vt sicut hactenus verbo voluntatem Patris impleuit, sic deinceps opere, & reipsa perficiat. Indicatque satis esse verbis actum: restare alterum ministerium mittendi Spiritum sanctum, qui quæ prædicata sunt, mentibus eorum inscribat. Et ait, *Vobiscum,* scilicet præsentia corporis permanens, quia etiam nunc eos alloquitur, sed minimè vobiscum visibilis manens. Nec simpliciter ait, se nihil amplius locuturum, sed non multa: infra enim quædam subnectit, nec longo tempore est allocutus eos: *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Causam explicat, cur pauca sit eos allocuturus. Et verbum, venit, non est præteriti, sed præsentis est temporis pro futuro positi, vt verbum Græcum indicat: & sensus est, Imminet tempus passionis meæ: tectè horam mortis insinuans, vt præparet Discipulos. Diabolus enim, ac potestas Satanæ, ac mūdi veritatem persequentis, & tenebrarum omnium, omnem nunc mouet lapidem, vt me vobis auferat, ac de medio tollat, & idcircò multa non loquar. Nunc Princeps Sacerdotum, & Summi Pontifices, veluti Satanæ ministri in vnum aduersum me conueniunt: nunc impia cohors dolis, & diaboli inuidia concitata, ad egressum extra Ierosolymam se præparat, vt me comprehendat, & me crucis supplicio affectum extinguat. Dicitur dæmon princeps mundi, hic, & alibi apud Ioannem; sicut Apostolus dæmones vocat, principes, & potestates, mundi rectores. Non quòd diabolus corporeum mundum condiderit, vt Manichęi somniabant, vel quòd ipse sit eius rector, ac Dominus legitimus; sed quod tyrannide, ac fraudibus dominium vsurparit, ac principatum, & quia eorum, qui mundum, & ea quæ in mundo sint, diligunt, quorum maior pars existit semper, caput sit, ac Dominus. A quo enim quis superatus est: huius & seruus est: vt ait beatus Petrus. Nec simpliciter dixit, Princeps mundi, sed mundi huius; quo mundi huius dilectores signaret. Et dicendo Princeps cum articulo, magnitudinem imminentis certaminis aperit, vt detegatur non homo princeps aliquis,

Quorsum id: iam non multa loquar vobiscum.

Perfecta Christi obedientia.

Quid est: Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.

Dæmon cur princeps mundi à Christo nominetur. *Ioan. 12.* *Ephes. 6.* Manichæorū commentum.

2. Petr. 2. Quare princeps mundi huius.

neque diabolus aliquis futurus, sed omnium supremus Satan; vt intelligas impetum,& furorem persequentium Iesum, humanarum virium nō esse tantùm, sed diaboli pugnam, non qualitercunque, sed principis de principatu decertantis: atque ita reuera fuit. Nam dæmon illo conflictu principatum perdidit, quem sibi Iesus cōparauit. Et cùm dicat esse principem huius mundi; significat diabolum nedum, proprias vires, sed potestatem Ecclesiasticam & secularem contra se excitaturum. Cæterùm etsi non exprimat, ad quid veniat, vel quid facturus erat princeps mundi: alibi tamen satis explicauit, dicendo: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*. & alibi: *Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat*. Disce igitur, quàm fortem, & malignum hostem habeamus, & futuras tantùm insidias eius, sed etiam præcogita præsentes: nunquam enim dormit aduersarius noster, *sed quasi leo rugiens circuit quærens quem deuoret*. Et subdit Dominus: *Et in me non habet quicquam*. Hoc dictum est, ne cogitemus, Christum diabolo resistere non potuisse, vt infirmum, ac imbecillum, & ob eam causam cruci suffixum. Qui enim per Apostolum præcipit nobis: Cui resistite fortes in fide, admittens nos id præstare posse; quantò magis ipse Dominus resistere & superare poterat, si voluisset vires suas exercere? Deinde hoc dixit, ne quisquam putaret, Christum aliqua sua culpa supplicio affectum; quasi diceret: Quòd ego moriar, non diaboli potestas facit, vel peccatum meum, sed Patris obedientia. Non ergo habet quicquam, id est, vllum peccatum, quod opus diaboli est: quia mendax est, & pater eius, & primus autor peccati. Christi verò innocentiam testati sunt & proditor discipulus, & iudex Pilatus, & vxor eius, quæ dixit: *Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum*. Deinde non habet quicquam, id est, aliquam potestatem: nam in omnes alios qui peccauerunt, & egent gloria Dei, ius habet: in Iesum verò, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & in eos, qui sunt membra eius viua, ius aliquod habere non potuit. Quia verò iniuria in Iesum irruit, & manus in eum iniecit; omne ius suum, quod in genus humanum habebat, iure amisit: vt pulchrè docet Hilarius. Vt nisi sponte sua homines se illi iterum subijciant, in eos potestatem non habet vllam.

Idem cur venerit ad Christum.

Ioan. 8.

Infrà 10.

Quā fortis sit dæmō aduersarius noster.

1. Petr. 5.

Quare Dominus dixit: Et in me non habet quicquā, & quid significet.

Ibidem.

Opus diaboli quod.

Ioan. 8.

Matth. 27.

Ioan. 18.

Matth. 27.

Alter sensus.

Rom. 3.

Esai. 53.

1. Petr. 2.

1. Ioan. 3.

In quibus etiam diabolus nil habet.

Hilarius in Psalm. 68.

III. sensus.

Postremò, *In me non habet quicquam*, id est, non præualebit mihi, omnesq; eius conatus, & consilia infringam. Nam conatur mihi vitam eripere: sed ego post paucas horas ad immortalem redibo vitam. Contendit ille per crucem me maledictum reddere, secundùm illud: *Maledictus à Deo, qui pendet in ligno*: sed maledictio omnis in benedictionem commutabitur, & mihi cruci suffixo omne genu curuabitur, & me omnis lingua confitebitur. Vnde Centurio acclamabit: *Verè Filius Dei erat iste*. Laborat extingui nomen meum; sed Pater dabit mihi nomen, quod est super omne nomen. Vult me spoliare discipulis: sed si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum adfert. Non igitur habet in me quicquam, non peccatum, nō ius aliquod legitimum, non deniq; de me triumphabit. Nam vel ipsæ pœnæ quas infliget, arma erunt ad offendendum dæmonem, & ad defendendum omnes credentes, vel crux ipsa.

Deut. 21.

Galat. 3.

Esai. 45.

Rom. 14.

Matth. 17.

Diaboli in Christū inuidia: Christi exaltatio.

Philip. 2.

Ioan. 12.

Quòd autem in me non habeat quicquam, apparebit omnibus conspicuum per patientiam, obedientiam, humilitatem, & charitatem meam, quæ Patris sunt mei dona: non enim ad iracundiam concitabor, non desinam obedire vsq; ad mortem crucis, non cessabo ab amplectenda humilitate, deniq; benefacere non desistam. Quod si ego succēderem, aut parere detrectarem, aut irritatus charitate exciderem; profectò appareret in me semen diaboli, & quantum ille haberet in me, omnibus innotesceret. Nos igitur demus operā, vt cum gratia Dei nihil suum in nobis possit inuenire diabolus. Quod vt præstare valeamus, audiamus quid Magnus in Gregorius in Ezechielem scribat: *Curādum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus, quamq; rigidus sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus princeps huius mundi veniat. Si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo suum nihil inuenire potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti aduersario, & multa sua in nobis inuenienti dicemus, nisi solùm quod nobis est certum refugium, & solida spes, quia vnum cum illo facti sumus, in quo princeps huius mundi, & suum aliquid requisiuit, & inuenire minimè potuit? quoniam solus est inter mortuos liber*. Hactenùs Gregorius.

Vnde innotuerit Iudæis atq; ethnicis dæmonem in Christo nihil habere.

Philip. 2.

Quomodo assequi poterimus, vt & in nobis hostis ille Tartareus inueniat nihil.

Greg. Magn. hom. 39 in Euang propè fin. tom. 2.

Diabolus erit terribilis in die exitus nostri, teste Gregorio.

Psalm. 87.

Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem. Posset quis obijcere: Si ergo nihil iuris habet dæmon in te, si tu illo es fortior, & te non peruincet: quomodo ille in mortem crucis adiget te, interitumq́ue tibi adferet? Respondet: Ideo mortem oppeto, non quòd in manu Satanæ situm sit mihi inuito per suos ministros inferre mortem,

Si princeps mūdi diabolus in Christū potuit nihil, cur in illū tantum potuit, vt etiam ad mortem adigeret?

quia

quia voluntarius animam meam pono, & iterum sumo eam; sed vt Patri meo satisfaciam, qui vult peccatum corporis mei litatione deleri, & sanguinis mei effusione extingui. Tres autem partes complectitur hæc ratio: nimirùm, dilectionem Domini, obedientiam Patris, & vtilitatem mundi, à qua incipit cum coniunctione aduersatiua; *Sed vt cognoscat mundus*: ac si diceret: Etsi in me non sit meritum vllum mortis, pro mundi tamen vtilitate mortem acceptabo, vt cognoscat mundus quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Ioan. 10.

Mundus si Christũ cognouit quòd Patrẽ diligeret, quid eũ cruci suffixit, ac perdidit.

Sed quomodo mundus potuit cognoscere quòd diligeret Patrem, & quòd mandatum eius perficeret, qui mortem ipsam Christo intulit, & cui Christus crucifixus Iudæis quidem fuit scandalum, Gentibus autem stultitia? Respondemus, mundum hoc suis oculis non vidisse, quia cęcus viuebat: sed Iesus ideò mortuus est, mortemq́; suam Patri obtulit, vt de peccato damnaret peccatum in carne sua, vt ita mũdus à Deo illuminari mereretur, & illuminatus hæc omnia agnosceret. Dabat ergo se Iesus in mortem, quò mundus lucraretur hoc lumen, quo hæc videre posset. Si enim in Christo morimur, & in eodem resurgimus: resurgentes porrò alio lumine videmus hæc omnia: quia ipse exaltatus à terra, omnia ad se traxit: in cuius signum multi qui adfuerant spectaculo crucis reuertebãtur percutientes pectora sua. Tanta enim vis erat futura Spiritus sancti, & tot miraculis agendum, vt quisque haberet pro gloria, & sapientia, & virtute Dei Christum crucifixum. Et ita hic mundus non capitur pro illo mundo, qui est contrarius, & hostis capitalis Christi cum Satana principe suo, sed pro illo, qui olim fuit mundus. Quemadmodum dicimus: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur*, id est, qui olim tales extiterunt; nam per visionem, & ambulationem, & munditiem iam amplius tales non existunt. Ita hic mundus, id est illi, qui olim cum mundi principe, & membra diaboli essent, illuminati tamen per fidem, cognouerunt eius charitatem, & obediẽtiam Patris, & quòd dæmon in eo ius vllum non haberet. Hoc autem non cognouit dum Christus moreretur: nam tunc habebatur pro homine peccatore, leproso & percusso à Deo, & humiliato propter sua peccata: postea verò, signis in cruce ab eo editis, permoti, atq; excitati reuersi sunt percutientes pectora sua, & Centurio cum cęteris exclamauit: *Verè Filius Dei erat iste.* & miles ille, qui lancea latus Domini aperuit, vt piè

1. Cor. 1.

Rom. 8.

Cur Christus se occidi permisit.

Ioan. 12.
Luc. 23.

Quis mũdus Christũ cognouit, quòd Patrẽ suum diligebat.
Matth. 11.

Quando mysterium hoc cognouerit mundus, & quomodo.
Esai 53.

Luc. 23.

Matth. 27.
Ioan. 19.

creditur, illuminatus est. Nam vt tenebræ corporeæ, ita spiritales in cordibus multorum hora nona cessarunt. Mundus ergo in bonam partẽ hîc accipitur, quemadmodũ sæpè alias: vt, *Sic Deus dilexit mundum: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et, *Ego sum lux mundi.* cùm tamẽ aliàs in malam partem accipi consueuerit. Vt cùm ait: *Mundus eum non cognouit: Non pro mundo rogo: Non potest mundus odisse vos, me autem odit: Vos de mundo hoc estis: Ego non sum de hoc mundo: Nunc iudicium est mundi: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras: Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere*, & plura similia in Euangelijs deprehendes. Cùm ergo ait: *Vt cognoscat mundus, ostendit se manifestum velle reddere mundo*, de quo suprà Iudas dubitauerat interrogans Dominum. Porrò ostendit Christus se diligere Patrem, sicut obedientiam prętulit propriæ vitæ, sicut etiam dilexit mundum, pro cuius salute sanguinẽ fundere non detrectauit.

Vox mundi cibi Scripturarum in bonum, & vbi in malum accipitur.
Ioan 3.
2 Cor. 5.
Ioan 6.
Infrà 8.
Ioan. 1.
Infrà 17.
Ioan. 7.
Infrà 8.
Ioan 12.
Infrà 14.

Quantoperè Christus dilexerit Patrem

Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Id est, non solùm facio mandatum, sed adimpleo modum mandati: secundùm scilicet mentem & voluntatem præcipientis, q̃ est vt vitam consequamur æternam: Sic, inquit, facio; id est, illo & eodem modo, nẽpè ex amanti obsequio, siue ex amore obsequenti: nec enim sat est præcepta implere, nisi & eo modo impleamus, quo Deus vult à nobis præstari. Hinc Saul transgressionis arguitur, quod Domini pręceptum, quod attinet ad eius substantiam, sed non quantum ad modum impleuerit; parcẽdo melioribus ouibus. Hinc etiam Iudæi etsi Patris voluntatem facerẽt, Christum, veritatem illam defendentem quòd Filius Dei esset, interficiendo: quia tamen nõ ex obedientia Patris, vel dilectione, sed ex inuidia & odio occiderunt, peccârunt grauissimè. Nos ergo constanter patiamur aduersa q̃cunq; vt mundo testificemur, quòd à Deo diligimur, donũ patientiæ danti, & dignos facienti, qui pro nomine suo patiamur, vt Apostolos fecit, de quibus Lucas in Actis testatur, quòd ibant gaudentes à cõspectu Concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati: & vt cognoscat mundus, quia nos etiam diligimus eũ, & mãdatis eius seruandis incumbimus, & ita conuertatur mundus ad Deũ. Vt sępè in sanctorũ Martyrum necibus accidebat: nam vno sancto interfecto, plurimi ad fidem Christi conuertebantur. Si ergo, Domine Iesu, tanta pateris, vt te agnoscã amare Patrem tuum, atque illi per omnia parẽre, Ego autem tanto perfero, ne mũdus me agnos-

Quomodo Christus mãdatum Patris impleuerit.

1. Reg. 15.
Dei voluntas non solũ, sed est implẽdus etiã modus.
Ioan. 5.
Infrà 8.

Qua ratione mundo testificabimur etiam nos diligi à Deo.
Act. 5.

agnoſcat ſeruire tibi, tuiſque mandatis morem gerere, quomodo audeo computari inter tua membra? Cùm igitur ſumus offenſi, non ad vltionem, ſed ad patientiam paremus nos: quo mundus agnoſcat quòd dilectionem Dei habemus, & mandatis eius obtemperamus.

Quemadmodum mũdus cognoſcet nos parcere inimicis propter Chriſti amorẽ, cùm id humanis poſſit infirmis rationibus adſcribere mundus.

Dices fortaſſis, Quomodo mundus cognoſcet me pati propter Deum, & ſyncero amore eius, parcere meis hoſtibus? Quin potius me ob impotẽtiam, & paupertatem, & puſilli animi vilitatem donare iniuriam inimicis exiſtimabit? Reſpondeo: Idem mundus putabat de Ieſu moriente. Et pro crucifixoribus ſuis deprecante: & tamẽ ſuo tempore agnouit mundus quæ cauſa extiterit paſſionis eius, & mortis: an infirmitas, & animi vilitas, an charitas Dei, & mundi ſalus. Nam ipſa paſſio lumen impetrat, per quod offenſores cognoſcant propter quid patiantur, & compuncti ad Deũ conuertãtur, nec vt cõſueuimus, dicamus: Ego illi oſtendam, cum quo ſibi negotium ſit: ſed ego illi ex parte mea oſtendam quòd diligo Deum, & mandatis eius me obtemperantem præſto. Quòd ſi non ille, vtpotè inemendabilis, ſaltem mundus, vel alij minus affectibus cæcati, mentem agnoſcant meã. Certè, ſi parua licet componere magnis, Q. Fabius Maximus à ſalubri illa cunctatione, Cunctatoris nomen adeptus, dum timidum ſe oſtendit, & bellum ſuſcipere cum Annibale detrectauit, voculas hominum non euaſit, & meticuloſus ac imbellis iudicatus eſt: qui tamen poſtea immortales, & æternas laudes cadentis Reipublicæ Liberatoris, & Patris patriæ promeruit, quod Ennius vno verſu comprehendit:

Luc. 27.

Q. Fabi⁹ cur Cunctator appellatus.

Ennius.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Quare Chriſtus nõ in domo vbi cœnauerat, ſed extra, & in via voluerit comprehẽdi. *Matth.26.*

Surgite, eamus hinc. Nimirùm obuiã Principi mundi, vt tradar in manus eius, & moriar, impleamque modos paſſionis, & conditiones mortis meæ iuxta Patris mandatum, & Prophetarũ vaticinia præſcriptas. Oſtendit autem hoc verbo decretum fuiſſe à Deo, vt capiendum ſe exhiberet, non in domo, ſed extra, tùm ne paterfamiliâs, qui illa nocte Ieſum exceperat, quicquàm moleſtiæ pateretur; tùm vt locus ampliùs fugiendi in campum Apoſtolis pateret; quod fieri non poterat in domo, vel ciuitate incluſis. Deinde oſtendit, ſe principem mundi non timere, eorumq; omnium, quę paſſurus erat, prę́ſcium extitiſſe. Voluit deinde Apoſtolos teſtes habere, ac ſpectatores ſui ſupplicij, inquantum humana ferebat imbecillitas, magis vt ei crederent, ac dicere poſſent. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.*

II. Ratio.

Ioan 19.

Oſtenditq; hoc verbo, Apoſtolos eâdem via tranſituros ad Patrem, qua ipſum: quaſi diceret, Ego præcedam, vos ſequimini. Ideo in plurali dixit: *Surgite, eamus hinc.* Et quidem ad audiendum verbum Dei ſedere debemus, ſurgere ad opus exercendum, ire verò, ad aduerſa ferenda æquo animo, quod perfectorum eſt.

Quãdo Chriſtus dixit: ſurgite, eamus hinc.

Ex hoc autem verbo, *Surgite, eamus hinc,* colligunt nonnulli, Chriſtum cũ ſuis mox exiuiſſe, antequam ſubiungeret reliqua, quæ apud Ioannem tribus ſequuntur capitibus: iuxta quem modum exponit Caietanus, & adiungit ex Matth. & Marco illud: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum:* itaq; per viam Dominus reliquum ſermonem abſoluerit. Hanc conſonantiam Euãgeliſtarum ſecutus eſt Ammonius Alexan. & ante eum Tacianus. idem etiam videtur docere Hilarius lib. 9. de Trinitate, & Beda ſcribit, Dominum in locum, vbi tradẽdus erat, ſe recepiſſe. Sed impugnat Lyranus hanc ſententiam, eo quòd poſt tria capita dicitur: *Hæc cùm dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.* Et vanũ eſt quod annotatur à Caietano, non abſolutè dictum eſſe à Ioãne: Egreſſus eſt Ieſus, ſed: *Egreſſus eſt trans torrentem,* hoc eſt, vt ipſe intelligit, tranſiuit torrentem, abſurda enim eſſe videtur talis intelligentia. Nec cõuenienter dici videtur, Dominum intempeſta nocte in plateis Ieruſalem, & inter eũdum tam celebrem habuiſſe ſermonem: q ab vndecim Apoſtolis ſecum ambulãtibus vix potuiſſet intelligi.

I. ſenſus Caietani in Ioãnem.

Matth.26. *Marc.14.*

Ammonius Alexand. *Tacianus.* *B. Hilar.* *Beda in Ioan. tom 5.* *Lyranus.*

Ioan.18. Quid incommodi habeat ille ſenſus.

Sunt & alij, vt Euthymius, & Lyranus, qui ſecuti Chryſoſtomum, intelligunt, Dominum illo verbo quod dixit: *Surgite, eamus hinc,* prouocaſſe ſuos, vt de loco in quo cœnauerant, tranſirent ad alium locum tutiorem, in quo omni depoſito metu, quo iam Apoſtoli tenebantur, tranquillo animo audirẽt, quæ adhuc erat dicturus, quòd magna eſſent audituri, quæ animum liberum exigerent. Proinde quod poſtea ait Ioannes, Dominum egreſſum cum ſuis, intelligit de illo loco, vnde erat egreſſurus, antequam tranſiret per torrentem Cedron in montem Olíueti. Sed certè ſi poſt ea verba, *Surgite, eamus hinc,* voluiſſet nos intelligere, Dominum in certum aliquem abijſſe locum, ex quo egreſſus fuiſſet, debuiſſet vtiq; locum talem indicare, quo eius narratio conſtare potuiſſet. Cùm igitur non aliunde egreſſum dicat, intelligendum reliquit, eum exijſſe ex loco, in quo cœna facta eſt, & pedum ablutio. Deinde magis eſt veriſimile, Dñm ſuos prouocaſſe ad eundum in illum locũ, vbi erat capiendus: hoc enim

II. ſententia. *Euthym. in Ioan. c. 16.* *Lyran.* *Chryſ. ho. 75. in Ioan. to. 3.*

Non probatur duplici ratione.

certum est significari secundùm eam distinctionem, qua hæc verba coniunctim leguntur cum superioribus, secundùm quã est sensus: Etsi diabolus nihil in me iuris habeat, tamen vt agnoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandauit ille mihi, sic facio, ideo surgite, & eamus hinc obuiam satellitibus eius. Quæ quidem distinctio magis probatur Augustino, & Nonno paraphrasti Ioannis, autore Græco peruetusto.

Aug. trac 69 in Ioan. to. 9.
Nõnus Ioãnis paraphrast.

III. sententia etiam minus probabilis.
B. Chrysost. ibidem.

Durius autem agunt qui hęc verba: *Surgite, eamus hinc:* separant à præcedentibus, & initium nouæ clausulæ faciunt: nam necessarium est aliquid in præcedentibus intelligere pro sententiæ absolutione: quæ alioquin imperfecta penderet. Neque quia dixit, Surgite eamus, intelligendum est Dominum mox abijsse: sed cùm hactenùs discumbens fuisset locutus, probabiliter creditur iam surrexisse, & stando, nouũ ad suos resumpsisse sermonem. Solet autem mutatio loci, situsve, auditores excitare, vt diligentius audiant, & retineant quæ percipiunt. Profectò beatus Augustinus libro de Consensu Euangelistarum, declarat se intellexisse, etiam sequentem sermonem, & orationem Christi ad Patrem, contigisse in domo, dum omnium Euangelistarum narrationes in vnum colligens, post omnia quæ scripsit Ioannes à Domino dicta vsq; ad 18. cap. exclusum, collocat illud ex Matthæo, & Marco: *Et hymno dicto, exierunt in mõtem Oliuarum.*

Quid conferat loci mutatio.

Matth. 26.
Marc. 14.

Postquam igitur Apostolos confirmans dixit, *Surgite, eamus hinc*, nobis quoque dictum esse putemus, & nos ad diuersa perferenda pro Christi gloria constanti animo offeramus: nequaquam dubitantes illum nobis affuturum, qui dixit: *Cum ipso sum in tribulatione: Eripiam eum, & glorificabo eum*; & de quo Apostolus: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro eo patiamini.* Pro illo ergo, & cum illo pati, gloriosum ducamus, vt cum illo gloriosam coronam adipisci mereamur de manu eius qui nostra est virtus, corona, & gloria, Iesus Christus Dominus noster, cui cum Patre & Spiritu sancto vna est deitas, vna potestas, & imperium idem, in secula, seculorum, Amen.

Dicet nobis Domin' quãdo: Surgite, eamus hinc.
Psalm 90.
Philip 4.

TRACTATVS LVI.

In illa verba: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est, omnem palmitem in me, non ferentem fructũ, tollet eum, & omnẽ qui non fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus adferat, Iam vos mundi estis propter sermonem quem ego locutus sum vobis Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me mãseritis.* Ioan. 15

QVEMADMODVM tempore ingruentis belli homines suæ vitæ, honori, ac facultatibus consulere volentes, consueuerunt in castra fortia, & munitas ciuitates confugere, in quibus victus, & aliarum rerum necessariarum commoditas ad sustinendam vitam non desit: ad eum propè modum Dominus charissimos Apostolos suos adhortatur, vt tempore mortis, & conflictus sibi imminentis cum dæmone, in locum munitum, ac tutum se recipiant. id est, in se ipso permaneant; & se in Christo permanentes colligant: quia is locus est qui seruat, ac tuetur ab omni aduersitate, siue illa pendeat ab ira Dei, siue à Satana, siue à mundo, & carne. Est enim de Christo præclarè per Esaiam dictum: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator: ponetur in ea murus, & antemurale.* & per Salomonem: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.* Hinc est, quòd Dominus, quò gratiorem sermonem suum redderet ac faciliorem, assumpta similitudine, siue metaphora vitis & palmitum, hanc propositam exhortationem absoluit, atq; in ea parabola explicanda tria, quæ sequuntur, capita, vt docet Theophylactus, occupauit.

Qualis Christi, qua ad in se permanendum suę tempore passionis Apostolos cohortatur, oratio.

Quàm tutũ perfugium Christus.

Esai. 26.
Prouerb. 18.
Theophylac. Ioan. 15.

Mirum autem videri posset, quòd Euangelista nulla ad præcedentium cõtinuationem nota vtitur, cùm dixit Iesum recedere ex loco cœnaculi. Quanquam autem, vt hæc cũ præcedentibus aptius connectere valeam, multas rationes excogitauerim; nulla tamen mihi simplicior, aut verisimilior videtur, quàm quod cùm præcesserit, Surgite, eamus hinc, posset Domino obijci: Cur non solus abis, Domine? Cur nos infirmos in discrimen vitæ adducis? Subiungit: Quia ego sum vitis, & vos palmites, ac proinde à Patre meo hac nocte purgandi comprehensione mea, atque Passione. Vel certè cùm proximo capite dixisset se esse viam, veritatem, & vitam; quòd nemo ad Patrem venire posset, nisi per eũ: quod impe-

Dupliciter hæc verba cũ præcedentibus connectuntur.

Ioan. 14.

impetraret Spiritum sanctum, & sui detectionem cum diligentibus, docet modò, ea omnia bona, quæ ipse in Patre possidet, & omnia quæ per crucem promeruit, nempè victoriam peccati, mortis, diaboli, inferni, & mundi, non sibi soli velle retinere, sed in credentes omnes effundere, cuius rei explicandæ gratia præsentem adhibet similitudinem. Cuius scopus est, docere quãtum egeat fidelis cum Christo coniungi, & in ea vnione permanere, vt possit bonũ, & multum ferre fructum: etiamsi non desint cõtradictiones, & persecutiones, quòd per illas magis expurgamur, & in illo existentes à periculo præcisionis, atque ignis liberamur, & aduersa omnia peruincimus. Cùm autẽ Scripturis familiare sit, & consuetum, homines per arbores, lignave designari, secundùm illud: Et erit tanquã lignum quod plantatũ est secus decursus aquarum; quod fructum suum dabit in tẽpore suo: bonos quidem, & honestos, per arbores fructiferas, vt oliuã, palmam, vitem assimilat: hinc illa vox: *Ego sicut oliua fructifera in domo Dei.* Et, *Iustus vt palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini.* Et alibi: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho.* Malos verò, atq; improbos per infrugiferas arbores repræsentat; vt, per myricas, rubos, spinas, salices: quæ facilè possunt Scripturis demõstrari. Christus Iesus omnium optimus, in optima fuit arbore adumbrat[9]: hæc autem est vitis Apostolis nota, & familiaris: cuius fructus omnibus notus, hoc est vua, cuius succus inter omnes præstantissimus, lætificans Deum, & homines, hoc est, vinũ. Hęc, quantum ad externa attinet, pulchritudine destituitur, vilis videtur, atque in speciem contempta, intus tamen succo, atque efficacia præstat cæteris atque antecellit. Et quemadmodum se paullò ante grano frumenti comparauerat propter Sacramentum in specie panis exhibendum, ita modò viti propter speciem Sacramenti in vino exhibitam: quia vt caro Christi verè est cibus, ita & sanguis eius verè est potus. Huic viti fuerat Messias assimilatus per Prophetam Iacob: *Ligans*, inquit, *ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* Atq; hæc est vitis illa portata cum botro de Terra promissa per exploratores. Denique hęc est illa vitis, quę, iuxta Zachariam, producit vinũ germinans virgines. Ait igitur, *Ego sum vitis vera.* Quatenus Deus, & homo sum, vt mediator, & redemptor à Deo propositus. Non quidẽ propriè, sed metaphoricè exerceo vitis officium, cuius lignum hispidum, nigrum, atq; contemptum, fructiferũ tamen, ac medulla prǫditum, attenta sua quantitate: alimentum exhibens non ab imo ad superius, vt reliquæ arbores, sed à centro ad circumferentiam: habens multa internodia, quò melius digeratur vualignumque magis frangi, quàm findi potest: imbibens multum humorem: estq; fundamentum palmitum, quibus est congenea, ad quos succum, vim, & vitã immittit. Dicitur autem vitis vera, nõ solùm ad discernẽdum eam à vite falsa (vt verũ aurum ad differentiam alchimici) q̃ facit labruscas, de qua Ieremias inquit: Ego plantaui te vineã electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es in prauum vinea aliena? Ad differentiam quoque vitis communis, quæ vinum producit, in quo est luxuria, cũ hæc vinum germinãs virgines proferat: sed etiã quòd spiritualia corporeis, atque externis veriora sunt, quia diuiniora, & permanentiora, & quod ad rẽ ipsam attinet, magis illis quadrant nomina, siue vocabula, etsi ex modo significandi magis ista corporea, ad quæ significanda prius sunt imposita, denotant. Hinc apud Ioannem dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Ecclesia: *Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mũdi*: id est, veras agni conditiones habet. Apud eundem Ioannem ait Dominus: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum:* Id est, Tanto verior est panis meus, quàm ille mãnæ olim exhibitus, quãto corpus prǫstat vmbræ; & res ipsa figura typo. Vnde & Ioannes subiungit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Vbi particula, verè, similitudinem nequaquam tollit, sed adijcit, carnem Christi verius cibare, quàm cõmunem carnem: quia illa implet spiritum nostrum Spiritu sancto; hæc verò corpus alimẽto suo satiat. Ad hunc modum Esaias alibi dixit: *Omnis caro fœnum*; & subdit: *Verè fœnũ est populus*, id est, aptè, & verè hic populus in fœno repræsentatur. Est aũt Christ[9] vitis præstãtissima Sorech, & mascula; q̃ stricta habet folia, malleolos subtiles, palmites paucos, vuã gracilem, pelli tamẽ forti munitã, sine acinis, vinum subtile, dulce, & præclarũ proferens. Vitis etiam vera, & primaria ad differentiã B. Virginis, quæ vitis dicitur, & de qua Ecclesia illud canit: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honestatis:* ad discrimen etiam nostri, qui in vinea repræsentamur.

Et Pater meus agricola est. Sicut Christus est vitis, & Spiritus sanctus est succus vitis, ita Pater est agricola, id est, officium agricolæ

Quid Christus in cruce promeruerit. — *Psalm. 1.* — Quosnã fructiferæ arbores in Scripturis repræsententur. — *Psalm. 91.* — *Psalm. 51.* — *Eccles. 24.* — Quos verò arbores infructiferæ designant. — *Ioan. 15.* — Christus cur viti se comparet. — *Iudic. 9.* — *Ioan. 12.* — *Suprà 6.* — *Ibidem.* — Vitis Christi figuræ. — *Gen. 49.* — *Num. 13.* — *Zachar. 9.* — Vitis proprietates.

Cur se vitis veram Christus appellet. I. Ratio. — *Ierem. 2.* — Secunda. *Ephes. 5.* — *Zachar. 9.* Tertia. — *Ioan. 1.* — *Ibidem.* — *Infrà 6.* — Christi panis supra mãna Moysis excellentia. — Quid illud Prophetæ: Verè fœnum est populus. *Esai. 40.* — Qualis vitis sit Christus. — B. Virgo & ipsa vitis est vt vinea electi. *Eccles. 24.* — Christum tem vt excoluit Pater agricola.

colæ exercet, qui eam in terra nostræ humanitatis, hoc est, in Maria Virgine, per incarnationem plantauit, auxit per natiuitatem, putauit circuncisione, & custodiuit ab Herode mortem illi intentante, reliqua que boni agricolæ officia erga eam præstitit. Huius vitis vinum in crucis torculari expressum est, & eo vult recreari Deus, quò inebriatus mundo parcat, donetque omnia sua delicta, atque hoc musto spirituali Apostoli repleti, loquebantur varijs linguis magnalia Dei.

Matth. 2. *2. Cor. 5.* *Act. 2.*

Quemadmodum Christiani sunt palmites.

Omnem palmitē in me, non ferentem fructū, tollet eum. Explicat diuersas rationes palmitum: ex vite enim erumpunt quandoque palmites fructuosi, quandoque infrugiferi, vniuersi tamē sunt eiusdem naturæ cum vite: ita fideles oēs in natura humana conueniunt cum Christo, cuius tanquam capitis sunt membra. Et vt ex vite omnis virtus palmitis proficiscitur, ita ex Christi merito & virtute fideles omnes virtutem quādam diuinam deriuare sibi possunt. Sed quidam sunt qui faciunt fructū: quia fidē habent p charitatē operātem, alij verò quia palmites sunt ratione, & voluntate prædití, & propterea possunt vim vitis, aut percipere, aut impedire, fidem quidem habent, sed mortuam, externumque Sacramentum: sed interno fructu eorum vitio destituuntur.

Eorum, qui sint palmites fructiferi, qui non sint. *Galat. 5.*

Iesus igitur vitis vera, in qua vniuersi Iudæi erant veluti palmites: sed eorum multi fructum allaturi non erant, sed Messiam negaturi. Hos excisurus erat Pater, & tanquam inutiles ramos de oliua fracturus: quanquam ita sint fracti, vt possint inseri suæ oliuæ, vt Apostolus docet ad Romanos. Alij verò fidem habituri erant, & fructum aliquem effecturi. Nam palmites isti, vt diximus, cùm sint libero arbitrio prædití, & non sint in vite nati, sed insiti, & renati post peccatum, & mortem Adæ; hinc est, vt nullum fructum ferant, vt multi Iudæi fidem abnegantes, & à vite ista fracti. Alij verò ferunt quidem fructum bonum participes facti pinguedinis vitis, alij verò insiti quidem sunt Christo per fidem, sed per charitatem non operantes. Et tam istos, quàm secundo loco dictos purgat Pater, vt fructum plus adferant. Nam qui vel Christi fidem profitetur, prodest aliquo modo sibi, & alijs: quòd si in vitijs pertinaciter hærere voluerit, naufragium faciet circa fidem, vt dicit Apostolus ad Timotheum. Et quia plus nocet, quàm prodest, suisque flagitijs est scandalo alijs, & non tātùm exciditur, quia facit malū fructum, sed quia cessat etiam bonum edere: sicut Paulus hortatur Corinth. dicens: *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et de se ipso testatur: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Et seruus malus, ac piger, qui tantùm acceptū Dei talentum non negotiatur, reprehenditur à Domino; quemadmodum ficus, quæ non profert fructum, maledicitur. Et vbi sunt, qui sibi de sola fide blandiuntur? Non enim ait Christus, Patrem excisurū tantùm veteres spinas, id est, Publicanos, & Hæreticos, sed etiam otiosos non edentes opera bona. Christus non desiderat syluam, sed vineam; non multos palmites aptos igni, sed paucos frugiferos. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.

Palmites fructum non ferentes, qui erant excidendi, qui minimè. *Dan 9.* *Ioan 19.* *Act. 3.* *Rom. 11.*

Quos palmites purgat Pater agricola, vt fructus plus afferāt.

1 Tim 1. Palmes infructuosus exciditur duplici nomine. *2. Cor. 6.* *1. Cor. 15.* *Matth. 25.* *Marc 11.* Aduersus hæreticos soli fidei iustitiam tribuentes. *Eccles. 15.*

Christus igitur his verbis cognoscit, se vitem in multos palmites propagandam: præuidebatq; multos otiosos, & pigros bonis immiscendos, & multos pios in bono non perseueraturos, nisi prius expurgentur, atq; colantur. Etsi ergo nonnullos ad tempus expectet, vt fructū ferant suo tempore: vt ficus illa per triennium expectata, de qua meminit Lucas, exciduntur tamen, quia corde creditur ad iustitiam, ore autē confessio fit ad salutem. Qui enim palam non profitetur Christum: iam plus diligit gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Ideo ait, quòd tollet, siue, vt Græcè de præsenti habetur, tollit eum, id est, à Christo vite separat, vt partem cum eo non habeat: vnde non operanti talentum aufertur, quod defoderat in terram. Eadem ratione Iudæi amiserunt omnem Dei fauorem, gratiam, fidem, & Scripturæ intelligentiam: & omnes Hæretici per excommunicationem, à Christo & Ecclesia præscinduntur. Ac vt palmes præcisus à vite, habet quidem speciem palmitis, & viriditatis, sed nec est palmes, nec viuit, cùm sit præcisus à vite: ita hæretici ab Ecclesia præcisi, videntur quidem habere fidem, cùm Scripturas iactent, sed reuera non viuunt in Christo. Et vt membrum quamdiu hæret corpori, spem habet sanitatis recuperādæ: cùm verò iam est abscissum, nulla reliqua spes est: ita sæpè contingit his, qui per hæresin, vel schisma, se ab Ecclesia separauerunt.

Palmes fructum non ferens, cur tollatur à Deo. *Luc. 13.* *Rom. 10.* *Ioan. 12.* *Matth. 25.* Iudæi & Hæretici, cur sint vt palmites à vite præcisi.

Et omnem qui fert fructum: purgabit eum, vt fructum plus adferat. Palmes ferens fructum, fidelis est per dilectionē operās, & edēs fructus spiritus, de quib⁹ Apost. ad Gal. scribit: vel fructus lucis, de quibus ad Ephes. *Quod si peccator est, edit fructus pœnitentiæ, vt possit aliquando fructus iustitiæ facere.* Purgat autem, ne succus in altitudinem eleuans ramos, & folia, consumatur, & fructum ferre nequeat: ita purgatur homo à reliquijs peccati, sine qui-

Palmes fructuosus quis ille sit, & quo modo purgetur. *Galat. 5.* *Ephes. 5.*

ne quibus etiam sancti non viuunt in hoc mundo. Purgat etiam, linguã, & sensus reprimendo, sed præcipuè inanis gloriæ stimulos, in quæ vitia caro signata solet erumpere, nisi comprimatur, vt ille ostendit, qui dicebat: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in Lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem mõtium, similis ero Altissimo.* Et ille alius qui dicebat: *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Et Rex ille Tyri, qui aiebat: *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris:* sic turgescit caro beneficijs. Purgat item Deus palmites, permittendo quandoq; magna sua sapientia in vilia quædam peccata homines prolabi, vt à maioribus vitijs spiritalibus eos auocet, atque coerceat, quemadmodum Petrum in trinam negationẽ permisit decidere, quò feruẽtior inde surgeret, & cautior, ac dicere posset: *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Denique aduersitatibus, & flagellis paternis nos palmites suos purgat, ne homo magnitudine reuelationum insolescat vt Paulus, & dicere valeat cum Propheta: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Et nota, quòd hic non fit mentio stercorationis, fossionis, aquationis, occationis, aut alterius officij, quod in colendis vitibus adhiberi solet, vt apud Matthæum, & Esaiã de vinea domus Israëliticę; sed tantùm purgationis, quia vitis abundans est, & succi plena, modò in ea sit palmes, & fructum nõ impediat, & purgari patienter sustineat, de quo ait, vt fructum plus adferat. Hic est enim finis cœlestis illius agricolæ putantis vites suas, nimirùm copiosiorem fructum producere; sicut cauterij, & incisionis, quam prudẽs medicus adhibet, finis est, aut sanitatis recuperandæ, aut vitæ tuendæ gratia. Solatur autẽ Dominus hoc verbo fideles, afflictiones vocando purgationem: quia per eam reliquiæ peccati expurgantur, id est, habitus praui, pœnæ reatus, & leuia illa, atque venialia, sine quibus non viuitur, delicta, & à futuris, siue paruis, siue magnis præseruando, & ab alijs minus fructuosis, quò ad magis fructuosa nos ipsos porrigamus: ab vna enim actione ad aliam fructuosiorem, vel ab vno loco in alium, vt plus fructificemus, ab Spiritu sancto impellimur, Vnde Paulus quia ei non permittebatur prædicare in Asia, mittitur in Macedoniam. Corroborat & illud q asserit, omnem palmitem fructiferum purgari, ne te solũ putes affligi, & disciplinæ consortes non habere. Flagellat enim omnem filium quem recipit, & quò sanctior est quisque, eò maioribus obijcitur periculis. Vnde Angelus ad Tobiam. Quia acceptus, inquit, eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.

Quemadmodum homo purgetur à reliquijs peccati.

In quæ vitia potissimum caro nostra propendeat.

Esa. 14.

Dan. 3.

Ezech. 28.

Alter modus purgandi palmitis à Deo.

Matth. 26.

Psalm. 118.

2. Cor. 12.

Psalm. 89.

Qua cultura vitis non egeat.

Matth. 21.

Esai. 5. & seq.

Quid à vite expectet cęlestis agricola.

Act. 16.

Hebr. 12.

Tob. 24.

Putamur autem, aut gladio verbi Dei, aut falce disciplinę religiosę carnem macerantis, aut corporis lãguore, aut bonorum fortunæ iactura, aut honoris, & gradus deiectione: multis enim modis diuina sapientia nouit nos expurgare. Nos igitur natura mali palmites ex pessima vite, hoc est, ex Adam præcisi, & in Christum vitem optimam cõtra naturam inserti, vt ait Apostolus ad Romanos, neque ferentes fructum nostrum, sed vitem fructus Christi (quia si ferremus nostrum, non opus erat Christo inseri, sed permanere in Adam) sinam' nos putari, expurgarique à cœlesti agricola, vt fructum vitis, & non nostrum edamus.

Quemadmodum electi ceu palmites à Domino putẽtur, purgenturve.

Rom. 11.

Quanquam & illud quoque Scriptura admoneat, in nobis quasi siluestribus, acerbisque arboribus Christum inseri, vt in nobis fructum ferat. Ita enim dixit frater Domini: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras:* vt propterea rectè hic dicatur nõ tantùm, manete in me, sed, & ego in vobis. Illud quoque ex hoc loco habemus, quòd per liberum arbitrium gratiæ Dei cooperamur. Etsi enim succus, qui est in palmite, ex vite sit, & & in palmitem perueniat, illo tamen palmes fructificat: ad eum modũ gratia Christi est, quæ iustis communicatur; illa tamen fidelis quisque ac iustus fructum profert; vt dicere valeat cum Apostolo: *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Christus itẽ qua ratione nobis se inserat, vt Scriptura testatur.

Iacob. 1.

1. Cor. 15.

Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Proposita similitudine, illam declarat dupliciter. Primò explicando quò tendat per eam, nimirùm vt discipuli perseuerent in semel adepta coniunctione ad Iesum. Porrò perseuerantia in bono, ponit statum præsentem bonum, ideo à præsenti discipulorum statu eos adhortari incipit, dicendo: *Iam vos mundi estis:* & caussam huius munditiæ, & status boni ostẽdit esse Patris sermonem. Nec dixit; Vos estis boni, sed mundi: quod magis conueniebat officio cœlestis agricolæ purgantis, & mundantis palmites; vt ex eo agnoscant iam Patrem in ipsis officium exercuisse suum, vt ex percepto beneficio magis incendantur ad maiores progressus in fructibus edendis, & perseuerantia in Christo. Vnde non tantùm ait: Mundi estis, sed, Iam mundi estis, sublato ex vobis Iuda proditore tanquam infrugifero palmite: quia etsi prius fuerint immundi, modò tamen effecti sunt mundi. Et ait: *Propter sermonem* quem

Quare Christus Apostolos non bonos, sed mundos propter sermonẽ suũ dixerit esse.

Palmes infrugiferus fuit proditor Iudas.

Ioan. 13.

quem locutus sum vobis; & quia superiùs dixerat: *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris:* Sciebat enim Iesus sermonis Patris sui efficaciam in cordibus illorum; ideo ait eos esse mundos. Et adhortatur ne purgationem timeant; cùm iam purgati essent. Sermo enim Iesu, id est, doctrina Euangelica quam accepistis, purgat palmites: quia scindit cor durum, vt gladius, & vt malleus conterens petram, & vt ignis purgans abscoria, & vt falx palmites luxuriantes putans. Verbum etiam Dei peregrinum in hoc mundo reddit, faciens hominem egredi de terra sua, & de cognatione sua: purgat Intellectum à curiosis, falsisque opinationibus; Voluntatem ab obscœnis amoribus; Memoriam à diuinorum obliuione, & retentione iniuriarum; Sensus denique ab illicitis motibus, prauisque visibus.

Infrà 14.

Sermonis Iesu virtutes. Hebr. 4. Ierem. 23.

Gen. 12.

Manete in me, & ego in vobis. Declarat deinde, quorsum tendat similitudo hæc, nimirùm vt hæreamus in Christo, illique coniungamur: hoc est, date operam, vt in me maneatis, & vt ego in vobis maneam.

Quid est: Manete in me, & ego in vobis.

Dices fortasse: Si accedere ad Christum non possumus, nisi Pater traxerit nos: manere item in Christo non possumus, nisi fructum adferamus: fructum autem ferre ex nobis non possumus, quia, vt infrà ait: *Sine me nihil potestis facere*, quomodò igitur, vel ad eum accedere, vel in eo manere possumus?

Ioan. 6.

Respondeo: Qui dixit, *Manete in me*, facultatem dedit qua possimus in eo manere: ea igitur vtamur. Non enim his, qui foris sunt, dicitur: *Manete in me*, sed, *Venite ad me omnes qui laboratis*; istis verò, qui intus sunt, & per fidem hærent, dicitur: *Manete in me*, id est, Mihi confidite, præcepta mea seruate, fructum edite, ne Pater vos amputet, in me omnem vestram solicitudinem iactate: ego curam vestri geram: & necessaria fuit exhortatio his qui mundati sunt, ne fortassis putarent se à gratia Dei excidere non posse. Quos Apostolus cautos reddens, ait: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* & alio loco: *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Dixit etiam hoc, ne se in Christo manentes, putarent crescere non posse.

Quomodo ad Christum accedere, vel in eo manere possimus. Matth. 11. Psalm. 54. 1. Petr. 5.

Cur dictum Apostolis in Christo, vt manerent.

1. Cor. 10. Rom. 11.

Est autem Christi admirabilis benignitas, qui nobis non egens, rogat nos vt maneamus in ipso: qui nec ad momentum sine eius bonis possumus consistere. Vitis enim sine palmitibus esse non potest, à quibus nihil accipit: contra palmites non possunt esse sine vite. Manete ergo in me: quia non desero nisi me deserentes. Vt enim Samuel ait ad Saulem: Pro eo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex: Et in libro Paralipomenon dicitur: *Quare dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos?*

Mira Christi benignitas.

Qui deserantur à Christo. 1. Reg. 15. 2. Paral. 24.

Et ego in vobis. Vt non perdam quemquam eorum, quos Pater dedit mihi; & vt palmes possit ferre fructum meum, non suum: quia ego in vobis insitus præsto vt faciatis. Quò fusiùs verò atque exactiùs hanc permanendi in Christo rationem capiamus, constituimus, Christum duplici constare natura, Diuina, atque Humana. Et in diuina quidem natura manere debemus, tanquam in loco naturali; in humana verò, tanquam in vite. Diuina igitur natura metaphoricè locus dicitur spirituum, quia ex ea omnia illa bona elicimus, quæ ex loco suo naturali quælibet res sibi deriuari solet, vnde Dauid inquit: Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitũ, vt saluum me facias. A loco enim est quies locati, defensio, turpitudinis protectio, absconsio pretiosi thesauri, pulchritudo, & conseruatio locati. Quod ad quietem attinet, videmus corpora non quiescere alibi, quàm in loco proprio, & ab eo non nisi per vim diuelli. Ita nostra omnia desideria extra Deum non sedantur, nec in adiumentis, siue medijs, quæ ad hunc finem perducunt, quiescere possunt, donec appareat summum bonum: *Satiabor*, inquit Propheta, *cùm apparuerit gloria tua.* Deinde ex loco est defensio ab imbribus, frigore, calore, & hostibus: hinc Deus animam in se manentem à calore concupiscentiæ, frigore odij atque inuidiæ, ventis superbiæ, imbribus luxuriæ seruare solet, ita vt Dauid dicat: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis:* & liberatus ipse iustus dicat: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum: protexit in abscondito tabernaculi sui.* Est etiam ex loco protectio turpitudinis: quæ homini extra Deum existenti summa est, vt Adam peccans testatur: sed Deus tegit nuditatem nostram, vt in tunicis pelliceis illi à DEO datis figuratum fuit; & turpitudinis loco datur honor omni operanti bonum. Adhæc pretiosi quique thesauri in loco apto absconduntur: ita vita nostra debet esse abscondita cum Christo in Deo, dum omnes nostras actiones ad eius gloriam referendo notas illi soli facimus, & nesciat sinistra nostra, quid faciat dextera nostra. Præterea est & à loco pulchritudo: nam pretiosus lapillus in annulo aureo, pulchrior

Ioan. 17.

Quemadmodum manere debeamus in Christo.

Diuina natura vt sit locus spirituum.

Psalm. 70.

Eius loci beneficia describuntur.

Psalm. 16. II. benefic.

Psalm. 90. Psalm. 26. III. benef. Gen. 3. Ibidem.

Rom. 2. IV. benef. Coloss. 3.

Matth. 6. V. loci benef.

Decor animi rationalis in quo consistat.

chrior est, & stella in cœlo splendidior, Rex in magno palatio honorificentior: ita decor animi ratione præditi est, in summa veritate, supramaque bonitate, atque in maximo honore quæ Deus sunt, consistere. Denique à loco pendet locati conseruatio: nam Deus, cuius magnitudinis non est finis; non tantum esse naturæ, & gratiæ, sed etiam gloriæ tuetur atque conseruat. Nam vt ait Propheta: *Auertente te faciem tuam, turbabuntur, & in puluerem suum reuertentur.*

VI. & postremum. *Psalm. 144.* *Psal. 103.*

At humanitas Christi vitis est, quam terra Deitatis sphœrica, & solida sustentans, atque fructificans produxit: hæc est gratia capitis, & gloria, non quidem, vel efficiendo dona, vel se communicando imminuens, sed promerēs, vt à diuinitate deriuetur gratia in membra sua. In hac ergo vite, vel semine, vis est Deitatis artifici similis, imò sublimior, ideò producit, & auget palmites creando, seruando, & augendo eorum esse. Et manemus, dum fide, & amore, atque operibus bonis continuamur eius influxui, agnoscendo nos non posse aliunde eam influxus virtutē capere nisi ex hac vite. Nulla enim creatura à se ipsa talem succum præstare potest, etsi possit precatione, verbo, & opere nos viti coniungere, potestq; ratione huius succi canalis esse, vt in alterū deriuetur, licèt reuera non sit productio succi vnius animi in alterum, etsi vnius palmitis in alterum esse queat. Qui sic ergo manet in Christo; & Christus manet in eo per custodiam ipsius, & gratiam perseuerantem in influxu quotidiano, & sic liberatur, ne præcidatur à vite. Amissa etiam fide informante, & influxu, qui per eam habetur ad resurgendum, sequitur arsio in igne gehennæ: a qua etiam eripitur, qui in Christo manet. Quare omnes qui hac ratione manent in Christo, & Christum in se manentem habebunt.

Humanitas Christi rectè vitis nominatur.

Palmites (qui fideles) quemadmodum in illa permaneant.

Mansionis in Christo beneficium.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Declarat verbum illud: *Manete in me*, ex similitudine palmitis fructum à scipso ferre non valentis, nisi manserit in vite; & hortatur simul vt in eo maneant. Atque ex hoc verbo in primis docet, ethnicorum virtutes minimè veras virtutes fuisse, aut saltem dignos Deo non protulisse fructus, cùm ab hominibus proficiscerentur, qui Christo insiti non erant. Deinde perterrefacit Iudæos, qui in Mose gloriabantur, & legem iactabant, quam tamen ad salutem æternam ad mentem præcipientis sine Christo seruare non poterant. Tertiò ostendit contra Pelagianos, & liberi arbitrij, atque virium naturæ magnificatores, vanum esse omnium eorum conatum, nisi adsit auxilium miserentis gratiæ Dei, Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Si ergo tantùm nobis imminet periculum, ne ab hac vite nostro vitio præcidamur, tantùmque bonum nobis confertur ex mansione in hac vite, contendamus pro virili, ne quicquam sit inter vniuersa creata tam perfectum, aut delectabile, quos non possit à mansione hac diuellere, siue per peccatum aliquod lethale, siue per Fidei iacturam, quam qui amittit, naufragium facit, & reliqua vlla spes non manet, quemadmodum, nec ramo præciso ab arbore, nec membro præciso à corpore. Oremus igitur cū Propheta ad Dominum, dicamusque: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*; Et, *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam:* Hic autem ædificator, atque custos idem ipse est, qui & vitis, Iesus Christus Dominus noster, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit vnus honor, & trinus in secula seculorum, Amen.

Ethnicorū, & infideliū virtutes cur falsę, mortuęque, ac steriles.

Legis Moysi, imbecillitas ad seruandū.

Contra dogma Pelagianorum naturæ plus æquo tribuentium.

Rom. 9.

Quanti nōbis facienda in Christo permansio, si salui volumus esse.

Psalm. 89. *Psalm. 126.*

TRACTATVS LVII.

In illa verba: *Ego sum vitis: vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere, &c.* Ioan. 15.

QVmadmodum in matrimonio vir & vxor in vnam carnem copulantur, ita vt nefas sit hanc indissolubilem copulam seiungi, quam Deus per totam vitam coniugum manere instituit: ad eum planè modum in connubio, seu spirituali sponsalitio, quo animus noster hærens Deo, vnus spiritus efficitur cum Deo, & vnde omnis nostra fœcunditas, atq; fertilitas fructuum bonorum oritur; cauēdum est, ne vllo nostro vitio, aut Deo repudium mittam[a], aut ab eo repudium recipere promereamur. Nam etsi dixerit: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide:* peccata tamen nostra eiusmodi sunt interdum, vt diuidant inter nos, & Deum nostrum, & digni simus, qui ab eius reijciamur conspectu. Quamobrem rectè persequēs suam cohortationem Dominus, ait: *Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Quæ verba ratio sunt præcedentis verbi, nimirum: Nisi quis in vite Christo manserit, nō potest ferre bonum fructum. Seruit & subsequentibus hæc ratio, vbi ait: *Qui manet in me, &*

Quæ res diuortium pariat animæ cum Deo. *Gen. 2.* *Matth. 19.* *1. Cor. 6.* *Ephes. 5.* *1. Cor. 6.*

Ose. 2.

Peccati vis.

Esai. 49.

Quando tantùm Christia no nihil est pretiosius atque fœcūdi⁹

me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Repetit etiam, vt fortius imprimat, & vt explicet qui sint palmites, indicetq́; dignitatem Christiani: quo nihil est pretiosius, aut fertilius, dum manet in Christo; nihil vilius, & contemptius, dum extra Christum est. Magni ergo à nobis æstimanda sunt Dei dona, dandaque opera, vt fructus illis dignos edamus, ne nobis (vt talentum à pigro seruo) subtrahātur; vel si ab illis excidim⁹, curandum, vt citò per pœnitentiam reinseramur. Quia dum fumat candela recēs extincta, citò iterum accenditur; difficilius postquam induruit.

Matt. 25.

Hic, inquit (emphaticum est, hic solus, & non alius) *fert fructum multum:* id est, fructum salutarem, quia vitis est Iesus. Editque fructum intra se primò, deinde etiam extra, vt semen terræ commissum, deinde in alijs omnibus, ad quos verbo, siue exemplo, siue precatione sua ædificandos, se potest porrigere. Editque fructus maturos prudentiæ, & charitatis, dulces misericordiæ, longos perseuerantiæ, rotundos perfectionis, odoriferos boni nominis, probatos denique per Solem tētationis. Omnem etiam fructum tempore suo profert, tam hyemis, quàm æstatis, hoc est, & in via, & in patria, vbi etiam orationibus nobis opitulatur. Vt rectè dictum sit per Esaiam: *Dicite iusto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Extra Christum quicunque est, aut nullum fructum edit, aut sanè acerbum, & corruptum, secundùm illud: *Mala arbor malos fructus facit;* & illud Prophetæ: *Omnes declinauerunt: simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Et quod ait: *Qui manet in me, & ego in eo;* non ponit quasi diuersa, vt vnum ab altero separari possit, sed quòd sint connexa, & se se mutuò consequentia. Et licèt satis fuisset dicere: *Qui manet in me:* addit tamen; *Et ego in eo,* vt intelligamus, vnde is, qui manet in Christo, habeat quod ferat fructum multum: nempè ex eo quòd Christus manet in eo, qui est omnium fructuum bonorum autor. Subiungitq́;: *Quia sine me nihil potestis facere.* Rationem videtur assignare, cur Christus vitis, & Apostoli palmites: *Quia*, inquit, *sine me nihil potestis facere.* Quemadmodum enim sine sapientia nemo sapiens, sine iustitia nemo iustus, sine fortitudine nullus fortis, sine veritate nullus verax: ita sine Christo, qui factus nobis sapientia, & iustitia, virtus, atq; veritas, nihil horum: aut iustè, aut sapienter quisquā operatur. Vt benè dixerit Apostolus: *Gratia Dei sum id quod sum.*

Fidelis mysticus Christi vitis palmes quales fruct⁹ proferat.

Esai. 3.

Extra Christum qui est, qualem fructum edat.

Matth. 7.

Psalm. 13 & Rom. 3.

Vnde manēs in Christo, fructū ferat.

Quare Apostoli, & cęteri fideles sine Christo possint facere nihil.

1. Cor 1.

1. Cor. 15.

Sed in hanc sententiam quędam meritò obijci possunt: quomodo verum est nos posse nihil sine Christo, cùm multa opera naturæ, & artis, imò etiam eorum quæ ad mores spectant, multi ethnici, ac Philosophi præstiterint. Deinde iunior filius, cùm rediret ex regione longinqua, multas studiosas, & honestas actiones operatus est. Surrexit enim, & cōfessionem suorum criminum fecit, & ad Patrem redijt, atque accusauit seipsum. Adhęc si sine Christo nihil fieri boni potest, quomodo Patrēs, qui antè Christū fuerunt, tum in lege Naturæ, tum Scripta, pręclara multa, & ab Scripturis cōmendata operati sunt. Postremò si verum est, *Nihil sine me potestis facere:* vbi est ergo liberum arbitrium? ita argumentantur hæretici. Respondemus ad hæc omnia Domini sermonem in hoc loco non esse de se vt Deus est, sine cuius generali concursu, & operatione, ne actiones quidem vitiosas pstare possumus, nedum naturales, aut artificiales, aut ex genere suo bonas, aut morales: sed loquitur de se, vt vitis est, id est, quaten⁹ Deus, & homo est, reconciliatoris, mediatorisve munus exercēs. Deinde in Christo reconciliatore cōcursum constituimus specialē ad ea omnia opera, q̄ suprà naturæ facultatem posita sunt, siue spectent ad pparandum hominem ad diuinæ gratiæ susceptionē, & iustificationem, siue ad diuinorū obseruantiam mandatorum, siue ad tentationes dæmonum, aut mundi carnisve propulsandas; siue ad diuinarum virtutum chorum ad se accersendum, siue ad vitam æternam promerendā spectent. Nam in his omnibus sine Christo, hoc est prima caussa supra naturam coefficiēte possumus prorsus nihil. Vt propterea meritò Dominus dicat: *Sine me nihil potestis facere:* & Salomon: *Vt sciui, quoniam aliter nō possem esse cōtinens, nisi Deus det;* & Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto:* & Dominus ad Petrum: *Quò ego vado, non potes me modò sequi:* & ad Capharnaitas: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum:* & Esaias: *Omnia opera nostra operatus es nobis,* & denique Apostolus: *Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Et hinc soluitur illud iunioris filij. Quia etsi peccator per se nihil possit; excitatus tamen à Deo, & illuminatus, ad eum venit, seipsum humiliat, accusatque, & in amicitiam cum Patre redit: nihil ibi tamen est, quod à pura natura & nuda proficiscatur, nisi esset gratia præuenienti adiuta, atque ornata. Quòd verò olim sancti Patres, & iusti in lege Naturæ, & Moysi extiterint

Quomodo verum sit verbum Christi; Sine me nihil potestis facere.

Luc. 15. & 5.

Solutio quæstionis.

Christi spirituales cōcursus ad bonas piorū actiones diuersi.

Sap. 8.

2. Cor 3.

1 Cor. 12.

Ioan. 13.

Suprà 6.

Esai. 26.

Philip 2.

Qua ratione peccator cōuertatur ad Deum.

Hebr.13. Liberum arbitrium etsi per peccatũ attenuatum sit, haud tamen omninò extinctum, aut è medio esse sublatũ.

rint, qui præclara multa opera, & diuino iudicio celebrata ediderunt: huius sententiæ veritatem non tollit. Quia, vt ait Apostolus, *Iesus Christus heri, & hodiè, ipse & in secula.* Nec minùs illi gratiæ diuinæ adiutorio Christi sanguine redẽpto operati sunt, quam nos ipsi: semperq; in mundo fuit Christus, quantum ad hoc attinet, vt hominibus Dei voluntatem facere volentib. præsto esset, & ad bona opera adiuuaret.

Aug.epist.90. & 107.to.2. Bernar.lib.de libero arbitr. Ansel.lib.de libe.arb.c.1. Ricard.de S. Victore. Voluntas à libertate, q.d differat.

Quòd si quis dicat; Vbi est ergo liberũ arbitriũ? Respondemus: Liberum arbitriũ etsi inclinatum, & atteuatum per peccatũ fuerit; non tamen omninò fuit extinctum, aut è medio sublatum. Doctè profectò, tum Augustinus & Bernardus, tum Anselmus, & Ricardus de sancto Victore docent, potentiam, seu voluntatem à libertate distingui. Potest enim libertas cum infirmitate consistere, imò cùm malis, ac deprauatis habitibus ad malum inflectẽtibus, vel cum bonis ad bonum inclinantibus; imò cum ipsa gratia, cui potest resisti. Quia eiusmodi habitus, siue studiosi, siue vitiosi, siue cœlitùs infusi, siue opera nostra parti, etsi voluntatem ad hoc, vel illud inflectant, non tamen cogunt. Stat etiam liberũ arbitrium cum lege vetante, & præcipiente, quia adhuc homo libertate non destituitur: imò, quod maius est, cum necessitate benè operandi, vel malè faciendi, & vt sic dicã, cum impossibilitate.

Quale sit liberum arbitrium in Angelis, & beatis.

Quale in dæmonibus, & damnatis liberum arbitrium insit.

Marc.9. Philip.vlt.

Nam in Angelis, & beatis tanta dignitas liberi arbitrij non abest, sed cum necessitate benè operandi, & cum impossibilitate malè faciendi coniuncta. Cacodæmones, damnatiq; omnes, liberum arbitriũ, quod naturale est, ac proinde amitti nequit, habent, sed cum impossibilitate benè faciendi, & cum necessitate malè operandi annexum. Multò igitur magis hic cũ possibilitate benè, vel malè operandi consistit: sed malum fructum quidem nonnisi ex seipso præstare potest bonum autẽ nonnisi ex gratia Dei. Vnde dictum est: *Omnia possibilia sunt cedenti,* Et, *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Aug to.4.

Quis sit sensus eius dicti B. Augustini, Homo malè vtens libero arbitrio, & seipsum perdidit, & liberũ arbitriũ.

Idem lib.1. contra duas epist. Pelagianos, c.2.to.7.

Quod igitur beatus Augustinus per hæreticos allegatus ad Laurentium scripsit: *Homo malè vtens libero arbitrio, & seipsum perdidit, & liberum arbitrium:* Catholicè est intelligendum: non quidem quòd essentiam liberi arbitrij amiserit, quę amitti nequit; sed quod dona, & ornamẽta illa, quibus in statu innocentiæ decoratum erat, per peccatum amiserit. Vt etiam Augustinus ipse in duas epistolas Pelagianorum explicat his verbis: *Libertas quidem perijt per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habuit plenam cum immortalitate iustitiam, quia natura humana, diuina indiget gratia, dicente Christo; Si Filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis: vtiq, liberi ad benè, & iustè viuendum, quia liberum arbitrium vsque adeò in peccatore non perijt, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eis libet.* Hactenùs ille.

Ioan.8. Quos Filius Dei liberauit ij cur verè liberi sint, secundùm Augustinum.

Ose.13. Humanæ post Adæ lapsum libertatis infirmitas. Quale sit liberum arbitrium post peccatum.

Est igitur hoc Christi verbum gratiosum, & amabile: & vtinam sine ipso gratioso nihil penitùs facere valeremus: non enim, aut precaremus, aut nobis fideremus, aut de operibus bonis gloriaremur, sed attenderemus ad illud Oseæ verbum: *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum:* agnosceremus liberum arbitrium debilitatum ita, vt ea, quæ in natura integra ante peccatum poterat, iam non possit, nisi à DEO iuuetur. Quemadmodum claudus vellet quidem rectè ambulare & peregrinus flumen transire, sed ob defectum sanitatis, & pontis, siue cymbæ, vtrumque etsi velit, præstare non potest: adiutus tamen sanitate, ac ponte, vtrumque valet præstare.

Aug.trac.81. in Ioan. initio.tom.9. Qui sint diuinæ gratiæ effectus. *Rom.10.*

2 Tim.3. Animaduersio B. Augustini indicentes, scilicet Pelagianos: A nobis hábemus quod iusti sumus.

Egregiè porrò B. Augustinus in hanc sententiam scribens, Pelagianos refellit: *Magna gratiæ commendatio, fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit super bonum. Ecce cui si audent, respondeant, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitia Dei non sunt subiecti. Ecce cui respondeant sibi placentes, & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes. Nonne huic resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui respondent, & loquuntur iniquitatem, dicentes, A Deo habemus, quod homines sumus, à nobis ipsis autem, quod iusti sumus? Hæc sunt mania præsumptionis vestræ, sed quid vos sequatur, videte, & si est in vobis vllus sensus, horrete. Qui enim à semet ipso se fructum existimat ferre, in vite non est: qui in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus non est.* Hæc ille verus Christi palmes.

Palmitis in vite non manentis pœna.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Quæ hactenùs dixerat, singulari illustrat antithesi. Dixerat enim: Manete in me: nunc in vite non manentis explicat pœnam, simulque exponit quod ab initio proposuit: *Omnem palmitem in me, non ferentem fructum, tollet eum.* Ait igitur: *Si quis*, hoc est, fidelis: *In me non manserit.* Non quidem me autore, sed suo vitio manere voluerit, & culpa sua sese à vite auulserit, ac resilierit. Obijcies, scriptum esse: *Non rapiet oues quisquam de manu mea:* Et rursus: *Eum qui venit ad me, non eijciam foras:* quomodo igitur semel Christo insitus, in eo manere non poterit? Respondemus: Iesum quidem nemi-

Vnde palmes in vite non permanet. *Ioan.10.*

Suprà 6.

Oues cùm de manu Patris, & Christi rapi nequeant semel Christo insitus ab eo auelli qui potest?

Hebr. 10.

neminem à se abijcere, neq; aliquam creaturam, neq; dæmonem id posse facere: potest tamen ipse, qui Christo insitus est, se subtrahere, quia liber est, & liberè fieri potest filius perditionis per subtractionem, vt Apostolus ait ad Hebræos. Qui igitur in fide, aut in charitate diuiuorum præceptorum defecerit, quòd homo solus ex se ipso facere potest, is non aliter atq; abscissus à vite palmes tractabitur ab agricola, quia solùm igni asseruabitur: qui, inquam, talis est, mittetur foras, id est, à Christo vite, cui insertus erat per fidem, & per consequens à succo diuinæ gratiæ, & consortio Sanctorum falce mortis, vel incredulitatis amputabitur: ita vt mente Deo moriatur, etsi adhuc vita animali, & humana viuet. Mittitur foras per hæresim, vel schisma, vel si tanquã membrum putridum contagio suo in alia membra sana serpens: qui sententia Ecclesiæ foras mittendus est: *Si Ecclesiam*, inquit, *nō audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: & Apostolus, *Scripsi vobis, cum eiusmodi nec cibum sumere*: &, *Tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit*. Et per missionem foras, rectè significatur pœna damni: quia iusti admittuntur ad interna gaudia æternæ gloriæ; Intra, inquit, in gaudium Domini tui; clauditur autem ianua virginib. fatuis: Pœna autem sensus significata est illis verbis sequentibus de ariditate, & collectione eius, vt in ignem mittatur, & ardeat. Prima pœna, est foras proijci: secunda, arescere: tertia, colligi cum alijs in fasciculos: quarta in ignē mitti; quinta, ardere. Primùm igitur, quod palmitem foras missum consequitur, est quod ait, *Arescet*, perdito scilicet, omni gratiæ humore, sensu fidei, boni operis motu. Deinde, colligent eum in fasciculos lignorum ad comburendum destinatos: qui ab Angelis colliguntur, & in ignem mittuntur, & ardent. Hęc omnia mala præcisos à Christo vite intellige consequi, nisi rursus reinserantur Christo tanquàm viti, & oliuæ; vt docet Apostolus ad Romanos. Et de præsenti ait. *Ardet*: quia in æternum absque vlla consumptione animæ cruciantur; & quoniam qui nō credit, iam iudicatus est, & quia omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur, quia asciam, & ignem promeretur. Lignum autem vitis, vel palmitum, si fructum non ferat, ad nihil aliud est vtile, nisi ad ignem: quia nec ædificio construendo, nec ligneis paxillis muro affigendis, vt ex illis pendeat vas aliquod vtile est, sed ad ignem tantùm, vt docet Dominus apud Ezechielem. Exemplo nobis Iudas auaritiæ seruus esse potest, qui à vite decisus abijt foras proditurus magistrum suum & cum funibus, ac reliquis farmentis collectis laqueo vitam abrupit, & sese in æternum ignem præcipitē dedit. Hinc Augustinus in Ioannem; *Ligna*, inquit, *vitis tanto sunt contemptibiliora, si in vite non manserint; quanto gloriosiora, si manserint; deniq; sicut de his etiam per Ezechielem Prophetam Dominus ducit, præcisa nullis agricolarum vsibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputãtur. Vnū de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit. Vt ergo in igne non sit, in vite sit.* Sic ille.

Palmes viti non hærens, vt mittitur foras.

Matth. 18.

1. Cor. 5.

Ibidem.

Missio foras quid mysticè.

Matth. 25.

Ibidem.

Quid verò eiusdē palmitis arefactio.

Rom. 11.

Cur ardet, dicitur de præsenti.

Ioan. 3.

Matth. 7. & Suprà 3.

Lignū vitis infructiferū ad quid vtile tãtummodò.

Ezech. 15.

Ioan 13.

Matth. 7 & Act. 1.

Aug. tract. 81 in Ioan. circa med. tom. 9.

Ezech. 15.

Mysticè hic quisque Pastor intelligat, se vitem esse respectu ouium suarum, & Princeps respectu populorū quos regit, & quisque paterfamiliâs comparatione suorum domesticorum. Et vt vitis est palmites producere, productos alere, & ad fructum ferendum succum emittere bonum; ita hi intelligant se ad oues pascendas, & verbo Dei tuendas, & in iustitia conseruãdas positos esse. Quia secundùm iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitãtes in ea. Et vt est absurdum vitē proferre spinas, aut tribulos: ito vitium Pastorū est fructus iustitiæ non edere, sed aut iniquitatis, aut scandali.

Vtilis admonitio Præpositorum.

Eccles. 10.

Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis. Explicat Dominus illam particulam: *Manete in me, & ego in vobis*; declarando per illud, Iesum in nobis existere, si verba eius in nobis manserint. Tunc autem manent Christi verba in nobis, si sint in intellectu, per fidem, & meditationem; in voluntate, per bonum affectum, & charitatem, vt de eo dici possit: *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte*; In manibus nostris, per executionem; in ore verò, per aliorum eruditionem, & ædificationem. Sunt enim Dei verba, vt ignis in vase æreo, quod ex eo calefit; vt ros in herbis, quæ eo sapidiores reddũtur; vt aqua in calce, quam continuò exhalare facit, ac fumare. Hoc autem inde est, quia Dei verba Christi Spiritum secum deferunt. Hinc Dominus reprehendit Iudæos, quòd verbum Dei non haberent in seipsis manens: contrà Dilectus discipulos suos commendat, ad quos scribit; *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum* DEI *manet in vobis*. Et subdit: *Quodcunque volueritis, petetis*. Vbi docet qua ratione sit nobis in Christo manentibus fructificandum: non quidem per modum naturæ, sed media humili supplicatione, & precatione, qua, vt maneamus in Christo, obtinemus, & succum nobis ad fructū edendum deriuamus.

Quando maneant verba Christi in nobis.

Psal. 1.

Qualia sint Dei verba.

Ioan 5.

1 Ioan. 2.

Qua ratione sit nobis in Christo manentibus fructificandum.

Nihil

Nihil enim indignum tunc velle, aut petere poteritis, qui manetis in eo: & quia Deo eritis charissimi, nihil petetis quòd sit ille denegaturus. Omnia enim, quæ secundùm eius voluntatem petimus ad salutem necessaria, facilè impetramus: ita enim ait Dilectus: *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: Quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Nihil autem maius promittere Dominus potuit manētibus in se; nā quid maius esse potest quàm appetitus satietas, & omniū quæ quis volet, & optauerit, consecutio? Dices; Facilè credam me impetraturum quæ Deus vult dare, Si perseueranter petiero: at ego vellem in alijs meis votis exaudiri pro mea voluntate: Respondemus; Quæ sunt contra, vel præter Dei volūtatem, tibi vtilia esse nequaquàm possunt, nisi detrimentum tibi velis adferre. Voluntas Dei in bonum nostrum propensa est magis quàm nostra: vt patris in filium paruulum per ætatem imbecillum, & ignorantem, & sæpè quæ sibi sunt noxia, expetentem. Quare iustius est, vt illa velimus, quæ nobis vult dare Deus, quàm quæ nos exoptamus: & iustum est magis, vt nostra voluntas ad suam assurgat, vt curuum ad rectum, quàm suam ad nos descendere: quemadmodū nec medicus ad infirmum, sed infirmus ad medicum se debet accommodare. Ostendit igitur hic, quorum præcipuè preces à Deo exaudiantur; nempè eorum, qui in Christo manent. Ac ne cui scrupulū ingereret illud: *Quodcunq; volueritis, petetis*, cùm videamus sanctissimos interdum non exaudiri; rectè præmisit: *Et verba mea in vobis manserint.* Nā in quo Christi verba manent, nihil malum petit, nec aliquid quòd ad salutem non faciat: & verbum DEI satis docet quid Deum dare deceat, & quid nos ab illo petere conueniat. Socrates, vt testatur Valerius, nihil à dijs immortalibus petendum in particulari docebat, sed in genere tantùm, quod illis placet dare, & quod nouerūt nobis magis expedire; quòd si de bonis temporalibus intelligatur, digna profectò tanto viro, qui oraculo Apollinis sapientissimus est iudicatus, sententia; vt discamus diuinæ nostrā voluntatem subijcere, neque aliquid aliud ab eo, qui maiori dilectione nos prosequitur, quàm ipsi nos ipsos diligamus, quàm quòd illi beneplacitum fuerit, postulemus. Idcirco cùm oramus, intelligamus præsentem esse carnem, & præsentem esse spiritum: & caro quidem iuxta captum & affectum suū interpretatur orationem, spiritus autem pro suo diuino ingenio. Vnde Paulus ad Romanos rectè docet: *Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem nostrā; nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus* (id est, nouit, q sit sensus) *quia secundùm Deum postulat pro sanctis.* Idcircò quando Moyses Deum orauit pro populo: *Aut dimitte illis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*; & cùm Paulus precatus est: *Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet a me:* dicendum est, exauditos fuisse iuxta spiritualem orationis affectum, & spiritus interpretationem.

In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

Vel nouam rationem eius quod proximè dixit, nempè manentes in ipso, impetraturos quæcumque vellent, eo quod per tales glorificetur Deus: vel est noua ratio ad exhortandum, vt in se maneāt. Ergo nouum argumentum à fine palmitum fructum edentium, qui est gloria Patris, assumit, hortaturq; ad fidem in se, & ad iustitiam eius desiderandam. Et est sensus: Hæc est gloria Patris mei agricolæ purgantis palmites, vt vester fructuosus labor, & apostolatus existat, & ad Patris gloriam, cui fructum adfertis, referatur: nō si multos equos, aut famulos alatis, non si numerosum auditoriū inter concionandum habeatis, non si magnam eleēmosynam colligatis in vsus vestros? Nam ita hodie plerunq; concionatores quosdam videbis, qui ad quæstum potiùs, quàm ad Dei gloriā verbum Dei prædicant; vt tunc se magnum fructum edidisse iactent, quādo magnum stipendium, aut pinguem eleemosynam ex suo concionandi labore acceperint. Notant Theophylactus atque Euthymius, illam particulam, *Vt*, acipi pro *Si*, vel Græcè ἵνα pro εἰ: vt sit sensus: in hoc glorificatur Pater meus, si plurimum fructum adferatis. Gloria enim Dei, finis est vniuersæ functionis Apostolicæ, atq; adeò legationis Christi, & conuersionis mundi. Et cùm Deus ab æterno sit gloriosus; in fructu tamē Apostolorum extensè gloriatur, vidēs gloriam suam per vniuersum orbem propagari, Gentes à cultu simulacrorum ad Filij sui cognitionem conuerti. Gloria igitur est Dei, quòd Apostoli prædicent, & quòd homines credant in Christum: & præteritū, Clarificatus est, ponitur pro præsenti, vel futuro, id est, clarificatur, vel clarificabitur. Subditq; *Et efficiamini mei discipuli.* De his, qui iā discipuli eius erant, vt efficiamini mei discipuli: Id est, extra ad homines ostendatis vos esse, quod intus estis apud DEVM, & vt in dies magis ac magis proficiatis. Vt enim

diues

1. Ioan. 5. Quæ facilè Deus concedat rogantibus nobis.

Quæ deneget.

Quorum potissimùm preces à Deo exaudiantur.

Valer Max. lib. 7. cap. 2. prope initiū. Socratis laudatissimū consilium.

Diuinæ nostra est subijcienda voluntas.

Aliter caro, aliter spiritus orationem ad Deum fusam interpretantur.

Rom 8.

Moses deleri de libro vitæ, Paulus verò vt Angelus Satanæ ab ipso discederet, à Domino postulantes, vt fuerint exauditi. Exod. 32. 2. Cor. 12.

Quorsum hoc dicitur: In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, &c.

Qui notētur concionatores hoc loco.

Theoph in Io. Euth. c. 16 in Ioan. Vniuersæ functionis Apostolicæ finis quis sit.

Quomodo accipiēdum: Et efficiamini mei discipuli: cùm iā essent Christi discipuli.

2.Cor.5.
Quotidiè semper in iustitia & charitate proficiendũ est discipulis Christi.

diues, qui indies opibus abundat magis, ditari dicitur; ita qui iustus est, & sanctus, dũ maiori iustitiæ, & sanctitati incumbit, sanctus, & iustus fieri dicitur. Ad eam loquendi rationem videtur Paulus allusisse, cùm Corinthijs iam Deo reconciliatis scripsit: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Cõtinuus ergo profectus in iustitia, & charitate sub disciplina Domini, Christi discipulis est necessarius.

Quomodo Pater Christum dilexerit.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Videtur esse tautologia Spiritus sancti eadẽ ad consolandos discipulos sæpè repetentis; sed ita, vt nihil sit otiosum, nihil non dulce, vt diligi Christum à Patre, & nos à Christo. Dilexit autem Pater Christum tanquàm filium, ita vt ei cõmunicauerit omnia bona sua; de morte ad vitam eum erigendo, animamq; eius ab inferis liberando. Eodem modo asserit, Christum nos diligere, quòd dignitatem filiorum Dei nobis communicauerit, & in persecutionibus conseruarit, & de morte ad vitam reuocauit. Atq; hæc sunt, quæ maximè conscientiã in omni aduersitate confirmare possunt, si consideremus; qua ratione dilect⁹ sit Iesus à Patre, ita nos à Christo diligi intelligamus. *Manete*, inquit, *in dilectione mea.* Necessaria profectò admonitio: nec enim satis est Deũ dilexisse, vel ab eo dilectum esse, nisi hoc perpetuò fiat. Docetque nos in Christo posse perseuerare, contra somnia Manichęi, & Lutheri, declaratq; manere in Christo, aliud non esse, quàm manere in eius dilectione; apertè insinuãs nos posse excidere à dilectione Dei. Nam si à gratia Dei cadere impossibile esse, vt Iouinianus sentiebat, quid opus fuisset, Dominum ad perseuerantiam exhortari? Est autem hoc verbum, *Manete in dilectione mea,* verbum volentis firmam amicitiam, & valentis donare id, ad quod exhortatur. Quare sancta quædam virgo in Sanctorum album relata, meritò omnes epistolas suas eiusmodi verbo concludebat: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Explicauerat quid esset manere in Christo, dicendo: *Manete in dilectione mea;* idem declarat quid sit manere in eius dilectione, dum ait, *Si præcepta mea seruaueritis.* Sunt autem Christi pręcepta quæ ille de Fide, Spe, & Charitate erga proximos mandauit, de sui ipsius abnegatione. Et ita hoc verbo testatur, eos verè Christum diligere, qui non tantùm verbo, & lingua, sed etiam impletione præceptorum indicant se Deum diligere. Qui enim dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est; & qui non

Act.2.
Psalm.15.
Vt verò Christus dilexerit nos & quantum hoc solatium sit animarum nostrarum.

Quare hortetur Apostolos Christus, vt maneant in dilectione sua.

Aduersus Iouinianum.

S. Catherina Senen.

Quid sit manere in Christi dilectione.

Quæ sint Christi præcepta.
Luc.9.
Ioan 15.
1.Ioan.5.
Ibidem 2.
Ibidem 4.

diligit fratrẽ quem videt, Deũ quem nõ videt, quomodo potest diligere? Hic autẽ sermo planum reddit posse nos præceptis Dei satisfacere, si præueniamur Dei gratia, & permaneamus in Dei dilectione: quod qui negãt hęretici, manifestè in media luce cęcutiunt, & in meridie tenebras quærunt.

Animaduersio in hæreticos impossibilem nobis astruentes diuinorum obseruantiã mãdatorum

Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Planè de se quatenùs homo est: nam vt talis est, præcepti, & obedientiæ est capax, minimè autem in quantum est Deus. Ne quis igitur grauitatem, & onus præceptorum caussari valeat, hoc exprimendũ curauit. Deinde ostendit posse alijs præcipere, qui prior ipse quod iubet præstat. Deniq; seipsum in exemplum profert, vt ostendat nobis perfectissimum exemplar imitandum. Nam etsi sancti, & pij omnes vitæ iustæ, & beatæ nobis documenta tradiderint; sed tamen neq; vitam largiuntur, vt Iesus, qui scribit legem suam per Spiritum in cordibus credentium: nec vsq; quaq; perfecti, & immaculati extiterunt: quia in multis offendimus omnes, etiam perfecti: secùs ille, de quo dicitur: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Neq; omnibus exemplum potuerunt præstare, sed quibusdam tantùm: nam vt stellæ quædam quibusdã tantùm, & aliæ alijs apparent, Sol verò omnibus sui copiam facit; ita Christùs omnibus, sancti verò nonnisi quibusdam præluxerunt. Nec dictio illa, Sicut, dilectionis æqualitatẽ, obedientiæve significat, sed similitudinem quandam, & imitationẽ, quæ satis est, *Et maneo*, ait, *in eius dilectione.* Loquitur de Patris dilectione erga se hominem, quam promereri potuit sua obedientia, nõ de illa, quæ se vt Filium naturalem diligit, quæ sub meritum non cadit, cùm sit æterna. Id est, etiãsi mundus iudicet me Deo odiosum, ipse tamen Pater me diligit, & ego eum diligo: non obstante onere crucis super humeros meos imposito, & mundo contra nomen meum sæuiente. Si ergo Filius Dei præcepto subiacet, & mandata obseruare lege charitatis adstringitur; idem præstare adoptiuus nec dedignetur, nec recuset.

Christus quatenus Dei Patris præcepta seruauerit.

Christi autoritas & ad imperandum, & ad exhortandum ad obseruantiam mandatorũ.
Sanctorum cum Christo comparatio.
2.Cor.5.
Iacob.3.
Esai 53.
1.Petr.2.

In qua Patris dilectione Christus maneret.

Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Tripliciter possunt hæc verba intelligi. Primò quidem, ne putarent caussam seruãdi præcepta, necessariã esse propter propriũ bonum ipsius Iesu; subiungit simile obedientiæ illis onus imposuisse, vt simile gaudium habeant: vt sicut ipsum Patri obedientem imitabuntur præstãdo se diuinis præceptis morigeros; ita gaudium quod ipse habet ex tali obedientia, deriuetur in ipsos Apostolos

Huius dicti: Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum impleatur, triplex interpretatio.

Secunda.

ſtolus Deo obſequentes. Deinde, ne diſcipuli triſtarentur de parabola vitis, & palmitum infrugiferorum, quos dixit excidendos, & in ignem mittendos; declarat, ſe non ad terrorem eorum dixiſſe, ſed ad gaudium. Deus enim cùm iudicium cōminatur, & nos perterrefacit, tantùm ſalutem noſtram quærere videtur, vt ait Propheta: *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius:* id eſt, irâ & indignationē in verbis indicat; at verò voluntate ſua vitã, & ſalutem noſtrã fuit. Quo in ſenſu, & illud accipi poteſt: *Cùm iratus fueris, miſericordiam facies.* Tertiò hæc referri poſſunt ad ea, quæ de ſe dixerat, nimirùm ſe eſſe lucem mundi, panem vitæ, deniq; viam, veritatem, & vitam & vitem: eò vniuerſa tendunt; vt gaudium meum in vobis ſit, & in conſcientijs veſtris, quò ita perfectiùs ſedentur, & tranquillitate in me fruãtur. Gaudium, inquam, meum de obedientia, & amore Patris, de redemptione veſtra, de gloria futura, & præſentibus conſolationibus, quibus hic eſtis viſitãdi: in vobis ſit, ſiue vt Græcè habetur, in vobis permaneat. ſcilicet vſque in finem: non enim mœrore dignæ ſunt præſentes calamitates, etiamſi confuſio, ignominiave accedat. Hinc Auguſt. *Quod eſt gaudium Chriſti in nobis, niſi quod dignatur gaudere de nobis? Et quod eſt gaudium noſtrum quod dicit implēdum, niſi eius habere cōſortium.* Sic ille. Et Apoſtolus ad Philippen. ſcribit: *Implete gaudium meum,* quo ſcilicet in vobis cœpi gaudere. ¶ *Et gaudium veſtrũ impleatur.* Nam alia gaudia de creaturis decerpta animum implere haud valẽt, ſed indies decreſcunt, & fiunt materia triſtitiæ, de quo dicitur, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat:* at verò Chriſti gaudiũ cum ſpirituale ſit, hic quidem incipit, & indies incrementa ſumit, & tandem in patria implebitur, vt indicant tot Scripturæ teſtimonia. *Satiabor,* inquit Dauid, *cùm apparuerit gloria tua;* & rurſus, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua,* vſque in finem: & alibi, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos:* & Dominus, *Intra in gaudium Domini tui.* Vt igitur hoc delicatũ Domini gaudium deguſtemus, vana huius mundi gaudia declinemus; & qui volumus delectationis cœleſtis manna percipere, delectationes carnis, & ſenſus, quæ in alijs, porris, & cæpis Ægypti deſignantur, exuamus; vt ita non tantùm autor gaudij noſtri, ſed etiam materia, & finis, & amplificator efficiatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, ſit omnis laus, honor, & imperiũ in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſal. 29. Quid eſt: Quoniam ira in indignatione eius & vita in voluntate eius. *Tob 3.* Tertia. *Ioan. 8.* *Suprà 6.* *Infrà 10.* *Infrà 14.* *Aug. trac. 83. in Ioan initio, tom. 9.* Quòd gaudium ſuum Chriſtus in Apoſtolis ſuis eſſe, & quod illorũ gaudium implere cupiebat. *Philip. 2.* *Prou 14.* Gaudium Chriſti à gaudio mundi differt. *Pſalm 16.* *Pſal. 15.* *Pſal. 35.* *Matth. 25.* Delectationes carnis, & ſenſus in quibus reb⁹ deſignentur.

TRACTATVS LVIII.

In illa verba: *Hoc eſt præceptũ meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et habentur, Ioan. 15.

RECTE ac ſapienter perfectum oratorem definierunt nonnulli viri docti, virum bonum, dicendi peritum. Et rectè quidem bonum, quia improbus tãtùm deſtruit vita, quantum ædificat lingua: dicendi verò peritum vocant eum, qui facultatem habeat docendi, delectandi mentes auditorum, & permouendi, ſiue qui perſpicuè, ornatè, & accommodatè pro captu audientium loquitur. Quę quidem definitio ſi vera eſt, in neminem alium eam quadrare poſſe, quàm in Chriſtum, non eſt obſcurum. Nam quis propriè alius orator dici poteſt pręter eum, qui omni virtutum gratia refertus, & cumulatus fuit? quis magis dicendi peritus præter eum, qui Verbum, & ſapientia eſt Patris, & in cuius labijs diffuſa eſt gratia, cuius orationem mirabãtur turbæ, & miracula illuſtrabant, quiq; homines poſt ſe trahebat multò aliter quàm vel Orpheus, vel Amphion quercus, & lapides dulci ſono lyræ traxiſſe fabuloſè dicuntur. Hæc autem pulchrè oſtendit Chriſtus in hoc ſermone poſt cœnam habito: dulciſſima enim ſunt eius verba, & ad docendum, & adflectendum perualida, & ad diſcipulos ex mœſtis lætos, ex imbecillis fortes, ex rudibus doctos, ex pauidis ſtrenuos, reddendũ efficacia, atq; accōmodata.

Expendamus iam propoſita verba, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Et in primis quorſum hoc dixerit inueſtigemus, & cur tantoperè hoc præceptum dilectionis inculcet, & cur vocet illud in ſingulari præceptum, & cur ſuũ. Ad primum reſpondemus: Cùm Dominus ex pręceptorũ obſeruatione dixiſſet poſſe nos cognoſcere quòd manemus in Chriſti dilectione, ne putarent multa eſſe præcepta numero, aut factu impoſſibilia: vel ſaltem difficilia, aut præmio vana, nullave; proptereà rectè dixit, *Hoc eſt præceptum meum:* quaſi diceret, Si vos ipſos inuicem amaueritis, obtinebitis, vt & ego cum Patre meo vos amem: nam quomodo poterant à Chriſto amari, ſi quos Chriſtus dilexiſſet, nō, vt faceret ipſe, amarent? Detegit igitur quę ſint illa præcepta quę dixerat ſeruanda: omnia enim colligendo ad vnum dirigit caput, dicendo, *Hoc eſt præceptum meum,* quo vno impleto,

Quint. in Proœm. lib. 1. orat. Inſtit. Oratoris definitio ex Quintiliano. Quàm verus & perfectus orator Chriſtus fuit. *Pſal. 44.* Qualis Chriſti oratio. Cur Chriſtus dixit: Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. I. ratio. Hoc præceptum quare repetiuit.

pleto, omnia implentur: quo violato, nihil ad salutem valent. Repetitque præceptum priùs datum: *Mandatum nouum do vobis, Vt diligatis inuicem, ficut dilexi vos;* Vt primùm rem tam necessariã magis mentibus eorum imprimeret; quemadmodum clauus vt tenaciùs parieti hæreat, nõ vno tantùm ictu, sed tertio, aut quarto, plurib⁹ve defigitur. Deinde vt occluderet ora eorum, qui studium bonorum operum in Euangelio damnant. Tertiò, quia vt Christus, & Paulus alia ratione loquuntur cum infidelibus, vt illos ad fidem trahant, alia cum fidelibus, & iam Christum per fidem ingressis: nam vt prioribus quidem expedit concionibus fidem laudare, & ad eam vrgere, ita posterioribus nõnisi de charitate, præceptorumq; obseruantia diuinorum, ac de præmio in adepta gratia perseuerantium sermonẽ facere. Atque hanc rationem si secutus fueris, conciliabis Paulũ cum Christo: nam ille frequens est in fide exigenda, vt hic in charitate commendanda: imò non tantùm Christus Paulo conciliabitur, sed Paulus Paulo, & Christus Christo sibi inuicem consentire, atque cohærere ostendentur. Nam vterq; modò fidem exigit & vehemẽter cõmendat, modò ad bonorum operum studium & charitatis fructus reddendos cohortatur. Quartò indicat Dominus, quales fructus velit à palmitibus in se manentibus proferri: nimirùm dilectionis ad proximum, & charitatis ad Deum: & qui superiùs dixerat, *Manete in dilectione mea,* congruè nunc de dilectione proximi subiungit: & quod suprà in plurali dixerat, præcepta, nunc præceptum in singulari declarat: quia charitas vnum præceptum est, & multa: vnum in radice, & multa in opere. Hoc est, inquit, siue, vt Grçcè vehementiùs dicitur, Hoc est ipsum, vt seriò se loqui ostendat, & quasi se digito demonstrare velit quid à nobis exigat, ne illud transiliamus: quia plerunq; etiam nobis magis placent, quæ ipsi eligimus, quàm quæ Deus nobis præcepit. ¶*Præceptum.* Ne quis putet esse consilium, atque ideo liberum, nec perinde referre eius obseruantiã; cùm tamen Ioannes dicat *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Sed interrogabis, cur Deus præcepit charitatem? nonne præstitisset consulere, aut monere, & dulciter inuitare? Sic enim Tertullianus in Marcionem, cur videlicet addiderit prçceptum, ex quo oritur præuaricatio, ac peccatũ; at peccatum sequitur mors. Videtur etiam seruitium filij liberè patri impẽsum gratiùs existere, quã si mandatum fuisset? Respondemus, finem præcepti esse charitatem tam in prçcipiente, quàm in eo, à quo exigitur: nos enim ex charitate debemus præstare præcepta. Deus quoq; ex charitate bonum æternæ gloriæ nostræ diligens præcepit, non contentus consulere. Nam vt nos cùm volumus aliquid omninò domi nostræ fieri, non solùm exhortamur, vel rogamus, vel consulimus, sed anxiè præcipimus, & sub grauibus interminatis pœnis mãdamus: ita Christus non videretur perfectè nos dilexisse, vel seipsum, & gloriam suam deamasse, nisi præciperet sui dilectio. Ex Deo ergo est, cui debetur omnis amor, etiamsi nos eius serui non essemus, vt amemus eum, & gloriam nostram propter eum: ex nobis verò, & non ex Dei voluntate sunt transgressio, peccatum, & mors. Deinde vt nobis etiam esset meritum obedientiæ in his quæ facimus, plusquàm in voluntarijs, & ex voto promissis. Nam Dei præcepta etiam votorum impletionem præcedere debet, si contingat illa in idem tempus incidere, & non posse vtrique fieri satis. Vnde vel Christus filius Dei naturalis sub præcepto fuit: *Et sicut mandatum,* inquit, *dedit mihi Pater, sic facio:* & iterum, *Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui.* Ingratum porrò est Spiritui sancto quicquid ei obtuleris; neglecto eo ad quod teneris. Rectè dixit Hieronymus, Deo esse per omnia parendum; qui nihil nobis præcepit, nisi vt caussas haberet remunerandi. Tertiò expediebat homini præceptum dari, vt se seruum agnosceret, seque dominum, ac superiorem habere intelligeret, cui rationem reddere deberet de omnibus; alioquin homo sibi ipsi fidẽs superbiret, & contingeret quod ait Iob: *Vir vanus in superbiam erigitur, & tãquàm pullum onagri se liberum natum putat.* Hç sunt rationes, quç ostendunt decuisse, vt DEVS nobiscum præceptis, & non tantùm monitis, & consilijs ageret.

Cur verò vnum dicatur præceptũ, iam ex parte dictum est. Vnum enim est, sub quo omnia continentur, & quia ipse verbum est abbreuiatum, qui vt Deus summè nobis est proximus, & interior nobis, quã ipsi simus nobis ipsis; qua homo verò, est Samaritanus, redemptor, & medicus, in quo gradu nullus est tam propinquus. In lege duo expressit Deus præcepta, charitatis Dei videlicet, & proximi, hic vnũ, quia vnum est in altero: dilectio enim Dei, in dilectione sita est proximi, nam propter Deum diligendus est proximus. Et in dilectione Dei includitur illa proximi, Quia qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? In hoc ergo præcepto seruato

Ioan. 13. | Exemplum. | II. ratio. | Tertia. | Pauli fidem exigentis, cum Christo charitatem præcipiente conciliatio. | Quarta. | Præceptum dilectionis cur superiùs plurali numerò, nunc verò singulari exprimitur. | Quare præceptum nominat. | 1. Ioan. 3. | Cur Deus præceperit charitatem, non autem illã suaserit. | Tertull lib. 2. in Marcionẽ. | Finis præcepti, quis Apostolo teste. | 1 Tim. 1. | II ratio præcepti dilectionis. | Dei præcepta votis anteponenda sunt. | Ioan. 14. | Infr. 15. | Hieron. | III. ratio. | Iob 11. | Vani hominis ingeniũ. | Præceptum dilectionis cur vnum appelletur. | Rom. 9. | Esa. 10. | Dilectionis Dei, & dilectionis proximi connexio. | 1 Ioan. 4.

cætera quoque quasi obseruata intelliguntur: vnde & de hoc tantùm in die iudicij præcepto examinandi sumus. Et deberemus si sapimus, nos ipsos excutere; ac examinare, an adsit charitas, & eius fructus ne in vanum curramus, & laboremus.

Matth.25.

Rursus inuestigandum, cur dicat, *Hoc est præceptum meum*, cùm olim extiterit præceptum: *Diliges amicum tuum sicut teipsum?* Respondemus, fuisse quidem olim substantiam huius præcepti, nihilominùs verè dictum est à Christo præceptum meum ob additas illi circumstantias. Nam primum extẽditur ad omnes homines; totamq; humanã naturam: quia Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & pro omnib. Christus est mortuus. Iudæus enim, tantùm Iudæum, vt fratrem proximum & amicum diligendum putabat: at Christus ab incarnatione hunc communem amorem cœpit ostendere assumendo naturam atomam & singularem, sine hypostasi tamen, vel persona humana. Extra Bethleem natus, & extra Ierusalem passus, & extra eam ex monte Olyueti cœlos conscendens: quia pro omnibus hominibus seruãdis Christus natus est, mortuus, & in cœlum ascendẽs docet omnes homines suo exemplo diligendos esse, & loco proximi habendos; vel ea tantùm ratione quòd homines sunt, & nõ quia hic Petrus, iste Ioannes, & ille Martinus; aut quia hic pater, iste filius, ille amicus; aut quia Gallus, Italus, aut Hispanus existat; hæc enim accidentia sunt naturæ humanæ, & ad eius substãtiam minimè spectant. Diliges ergo, tum amicos, tum inimicos, perinde notos, atque ignotos, ita malefacientes, ac benefacientes: quia omnes homines ad imaginem Dei sunt conditi in eadem specie: & communi pretio sanguinis Christi redempti.

Cur Dominus dicat, Hoc est præceptum meũ vt diligatis inuicẽ, cùm prius in lege contineatur. *Matth.5.* *1.Tim.2.* *Rom.5. & alibi.* *Luc.22.* *Hebr.13.* *Luc.vlt.* *Homines qua ratione diligẽdi sint.* *Matth.5.* *Præcepti dilectionis latitudo.* *Gen.1.*

Secundò Christus dixit, *Hoc est præceptum meum*; ob magnitudinem eius, siue intensionem. Sic enim diligẽdus proximus, vt pro eo etiam vita exponatur. Vnde subdit, *Maiorem hanc dilectionem nemo habet, &c.* Et in epistola sua Catholica ait Dilectus, *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Qua ratione, vt testatur Cyrillus in Ioannem, nouum præceptum dicitur dilectionis proximi: nam hoc olim non ita cognoscebatur, cùm necdum Deus docuisset tãtum esse bonum in proximo diligendo, vt pro eo mortem oppetere non formidaret, vt est modo. Adhæc vocat illud suum propter expressionem, & obseruationem, & certum discipulatus signum. Meum igitur præceptum, qui à me vt legislatore expressum, & præ cæteris inculcatum: à me homine priùs opere, & vita obseruatũ: à me abbreuiatum, vt etiam dilectionem Dei contineat. Prius enim duo erãt præcepta charitatis, Dei videlicet, & proximi, modò verò vnum, quia vnus est Deus, & homo. A me etiam explicatum, ac, dato meo Spiritu, vt impleri valeat, effectum, redditumq; meæ scholæ signum certum, indubitatumque. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Quidam constituunt differentiam inter præceptum & mandatum: quòd, teste Hieronymo, in præceptis sit iustitia, in mandatis ratio charitatis. Alij verò, quòd præceptum est superioris Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti; Mandatum verò etiam æqualis Christi, & proximi. Sed certe apud Ioannem capitibus 13. & 14. & hoc 15. quoties dicitur præceptum, semper in Græco est eadem vox ἐντολὴ, & quoties præcepta, ἐντολαὶ; ita vt nõ sit opus multa philosophari circa has voces. Illud magis ponderatione dignũ, quòd cùm Prophetæ, & serui Dei soliti essent dicere; *Hæc dicit Dominus*; Christus vt Filius, ac Dominus ait: *Ego autem dico vobis: Mandatum nouum do vobis: Hæc mando vobis: Hoc est præceptum meum.* Cùm autem multæ sint Philosophorum regulæ, plurimæ Pharisæorum traditiones, Moysi præcepta plusquàm sexcenta; sed hoc vnum meum vniuersa complectitur. Meum igitur, nõ Philosophorum, ne contemnendum putetis: meum, non Moysi, ne putetis abrogatum: meum, diuinum, non positiuũ, vel humãnum, aut dispensationi subiectum. Nam vt Apostolus dixit, *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.*

Tertia. *Ioan.13.* *Præceptum, & mandatũ nihil differre, vt quidã falsò opinati sunt.* *Hieron.* *Christi, & Prophetarũ differentia.* *Matt.5. & seqq.* *Ioan.13.* *Infrà 15.* *Quale Christi præceptũ dilectionis.* *Rom.13.*

Subiungit; *Vt diligatis inuicem.* Hæc est substantia præcepti: & indicat hoc sermone se non tantùm verba, & opera charitatis exigere, sed ante omnia cordis affectum, ac bonam voluptatem; possunt enim verba & opera externa fallere. Est autem naturale, & accommodatum præceptum hominibus, qui nonnisi parentum amore generantur, natis atq; educatis eorundem amore, renatis item Christi amore sanguinem suũ pro nobis profundẽtis, instructis atq; nutritis pientissimæ matris Ecclesiæ charitate, deniq; præuentis diuina dilectione, & beneficijs stimulantibus ad redamandum, iuxta illud: *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Expẽde quod ait, *inuicẽ*, non vos ipsos, sine acceptione personarũ: & ita inuicem, vt charitas redeat in eum, à quo exiuit. Qui enim ab alio charitatem erga se exigit, vel

Præceptum, hoc Christus cur meum dixit. *1.Ioan.3.* *Cyrill.li.9. in Ioan c.23. & lib.10.c.22. tom.1.* *II. ratio.* *Expenditur hoc verbum Vt diligatis inuicem.* *Vnde filij generentur.* *1.Ioan.4.* *Cur nos diligere debeamus inuicẽ.*

accipit, etiam ipse, prout potest, debet charitatem præstare. Inuicem ergo vt fratres ex Adam geniti in vna, & eadem specie, vt fratres in Christo, & à Christo regeniti, vt membra eiusdem corporis sub eodem capite. Estq; honestissimum simul, delectabile, atque vtile præceptum: iuuat enim, vt simus fortes in tentationes hostium: vt faciliùs exaudiamur in orationibus nostris: vt læto, & gaudenti animo tribulationes excipiamus.

Dilectio proximi quid conferat.

Sicut dilexi vos. Hic est nouus modus, excludens amorem carnalem, & obscœnum, quo hominees propter peccata diliguntur, & supernaturalem dilectionem, quam ad beneficos, amicos, cõsanguineos, & conciues gerere consueuimus: ponit etiam diuinum, ac infusum, amorem Christi, quo ille rectè nos propter Deum, & ad gloriam Patris dilexit; cùm nos non diligamus nisi propter nos ipsos. Atque finis solùm diuinus opus amoris diuinum reddit: qui verò diligunt Deum, & proximum propter se tantùm, ità vt in se sistant, tanquàm filij Aaron alieno igne thurificantes, digni sunt morte. Deinde Christus dilexit spontè, & gratuitò præueniendo nos dilectione sua: Ipse enim prior dilexit nos, Et, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Non ergo expectauit amorem nostrum, quo ad nos diligendos excitaretur. Nos verò propriè nõ amamus Deum, sed reclamamus; ita propriè proximum non diligimus, sed rediligimus, si ab eo præueniri aut amore, aut beneficio, aut salutatione expectamus. Cogitemusq; illud Poetæ; *Marce, vt ameris, ama*, & illud Apostolicum: *Honore inuicem præuenientes etiam inimicos*, vt sic cõgeramus carbones in caput eorum, & ad nos diligendos stimulemus. Tertiò dilexit Christus cum ordine, non plus ad æternã gloriam & gratiam communicãdam quam ad bona temporalia, plus animam corpore, & hoc plus ipsis diuitijs: ita & nos in diligendo proximo huc ordinem seruare debemus, si huic præcepto Christi volumus facere satis. Quartò dilexit sapienter, sic diligendo homines, vt eorũ non dilexerit errores. Christus autem peccatum non fecit, sed pœnas peccatorum tulit; vt nos illud Apostolicũ obseruemus, *Alter alterius onera portate*, & sine peccato diligamus. Quintò dilexit fructuosè: non enim sic nos amauit, vt nostra acciperet, aut nos his quæ nostra sunt, spoliaret, sed omnia sua ad dilectionẽ, & commodum nostrum retulit verba, opera, miracula, vitam, sanguinem, atq; diuinitatem. Verbis enim suis nos docuit, operibus præluxit, miraculis confirmauit, vitam pro

Carnalis amor, & obscenus quis ille.

Quibus modis nos dilexerit Christus.

Leuit. 12.
II. modus.

1. Ioan. 4.
Rom. 11.

Martial.
Rom. 12.
Ibidem, & Prouer. 25.
III modus, quo Christus dilexit nos.

In diligendo proximo quis ordo seruandus.
IV. modus.

Gal 6.
V. modus.

nobis posuit, sanguine suo nos redemit, diuinitate sua nos filios adoptionis effecit: Diligamus ergo & nos non verbo, neque lingua, sed opere, non ficto, aut speciem boni habẽte, sed veritate. Sextò dilexit Christus dulciter, ac suauiter; effudit enim erga nos miserationis sua viscera. Tollendo enim paupertatem nostram, factus est ipse pauper, & mendicus: quò lauaret nostra crimina, profudit suum sanguinem: quo nos à morte eriperet, mortem ipse subire non dubitauit: quò nobis parceret, sibi ipsi non pepercit: quò nostram famem, ac sitim pelleret, factus est ipse esca nostra, & potus. Quid his cogitari potest dulcius? quid blandiùs? quid suauiùs? Maximè si inspiciamus quis, & quantus ille sit, nos verò quales, & quantuli. Ad extremum dilexit perseueranter. Omni enim tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur; secùs amor mercenarius, de quo ait Sapiens; *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Et alius quidam,

1. Ioan. 3.

VI modus.

2. Cor. 8.

Ioan. 6.

VII. modus, ac postrem°.
Prouer. 17.

Eccles. 7.
Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 8.

Tempora si fuerint nubila solus eris.

Amor carnalis instar ignis stipulæ citò trãsit, & in odium sæpè conuertitur. Talis fuit amor Amnõ erga sororem suam Thamar. At Christus cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Atque hos extremos modos diligendi præcipit, atque exigit hoc loco, dicẽdo vt ponamus vitam pro amicis: quod est fructuosè, ac perseueranter dirigere, dum subdit; *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quã vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod ad literam spectat, abundat illa vox, Quàm; quæ si additur, significabitur vnam esse charitatem ea, quam habuit Christus, maiorem, id est, illam, nempè qua quis animam suam impendit amicis Greci codices illa coniunctione carent, sicut Latini plerique manuscripti, & vulgati correcti; & Euangelium Syrum legit: *Charitas maior ista nulla est, qua quis animam suam ponit pro amicis suis.* Quòd si non præcederet pronomen Hac, posset manere cõiunctio, quàm, vt habetur in antiphona quadam Ecclesiæ. Est ergo sensus verborum Domini; Hac dilectione qua quis animam suam ponit pro amicis suis, aut ponere est paratus, nemo habet maiorẽ. Ad rem, verò, declarat nouum modum diligendi quem tunc Dominus verbo, & opere docuit: nam instabat hora ponendi animam pro ouibus. Certè peritus in arte pingendi, aut bellandi non est ille; qui de ea egregiè & loquitur, & prædicat; sed qui perfectas imagines efficere potest; & prudenter ac fortiter sæpiùs cum hoste conflixit, deque

Qualis sit carnalis amor, & impudicus.
2 Reg. 13.
Ioan. 13.

Quomodo accipiẽdum ad literam: Maiorẽ hac dilectionem nemo habet, &c.

Ad rem quid significet illa sententia.
Ioan 19. & seqq.

Quis sit verus, ac perfectus amator.

illo victoriam reportant. Ita, perfectus est ille amator, non qui multa de amore disserere nouit, sed qui animam pro amico dilecto ponit. Talis fuit Christus sapientissimus, ac vehementissimus mundi dilector.

Proponuntur variæ dubitationes in eandem sententiam, atque diluuntur. I. dub.

Ad huius loci intelligentiam plura meritò in dubium reuocari possunt. Primum est: quia videtur maior dilectio Dei ex obiecto, quàm proximi, quanto maior est Creator infinitus, quã creatura finita. Respõdemus, hoc non esse in dubiũ quauis ratione vocãdũ: nec hoc loco est sermo, vter amor alteri præstet, Dei, an proximi; sed quis amor proximi cæteris sit præstantior, atq; excellentior ex his qui proximo, possunt impendi. Ideo præcessit, *Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* In dilectione prætereà proximi includitur Dei amor, qui dilectionem proximi præcedit: nam propter Deum diligitur proximus: & propter quod diligitur vnumquodq; tale, & illud magis, vt habet regula Topica.

Regula Topica.

II. dubitatio: In illud: Maiorem hac dilectionem, &c. *1. Cor. 13.*

Secundũ dubiũ est: quia dilectio interior maior est, cũ sine externa dilectione valeat, an externa sine interiori vtilis nõ est, secundũ illud: *Si tradidero corpus meũ ita vt ardeam, charitatem aũt nõ habuero, nihil mihi prodest:* & quãto causa maior est effectu, tanto maior est dilectio interior exteriori. Respõdemus sermonem hoc loco non esse de dilectione secundùm se, sed de dilectione secundùm actus exteriores, vt patere potest ab actu externo ponendi animam pro amicis. Est enim sensus Domini; nullum habere certius dilectionis argumẽtum, aut maiorem dilectionis demonstrationem, siue probationẽ externam, quàm qui ponit animam pro amicis: nã hoc maius est, quàm ponere bona fortunę, aut famam, & bonum nomẽ, aut deniq; iacturam facere cuiuscunq; pretiosæ alterius rei. Vita enim cæteris omnibus antefertur. Vnde & inter iniurias summa est homicidium, quia per illud tollitur res maior, & nobis charior. Quod si obijcias, maius esse ponere pro inimicis animam, & bonum nomẽ, siue famã, quàm tantùm ponere animam: Respondemus, comparationes semper fieri inter actus disparatos, quorũ neuter alterum contineat; & non inter vnum actum solum, & ipsummet alteri coniunctum, quia sic comparationes nõ fiunt. Cùm enim ait Paulus, *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; maior autem horum est charitas*, non intelligitur Charitas sola maior seipsa cum alijs virtutibus, sed accipiendo singulas virtutes à se inuicem seiunctas, nec se inuicem continentes. Et ita maius est ponere vitã, quàm famam, ea ratione, qua recta dilectio potest nomẽ suum, & gloriam pro altero periculo exponere, subeundo scilicet ignominias, & calumnias, vt Christus, qui pro nobis cum iniquis deputatus est, & leprosus reputatus, & maledictus, & percussus à Deo, & humiliatus. Est enim fama maximum bonum inter ea, quæ bona fortunæ vocamus, vnde dixit Sapiens, *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ; super argẽtum enim, & aurum gratia bona:* exceditur tamen à bonis animi, & corporis.

Homicidiũ est extrema est iniuria, quæ homini valet inferri.

Comparatio fit inter diuersa.

1. Cor. 13.

Qua ratione maius sit ponere vitam, quam famã.

Esa. 53. *Ibidem.*

Prou. 22. Bonum nomen inter bona fortunæ præstantius

Tertium dubium est, quæ sit hæc anima, quam liceat ponere pro amico, an videlicet anima rationalis, siue conscientia, quam, pleriq; sibi malè conscij proximi vsibus, libidiniq; accommodãt, siue falsum propter eum iureiurando asserẽdo, siue in homicidio, siue in re turpi & obscœna deseruiendo. Sed profectò hanc animam nõ licet exponere, illicitum enim est, vel ob liberationem alterius à morte temporali, peccatum vllum perpetrare: nam ita alterum liberando à morte corporea, ipse in æternam incurreret. Imo nec venialiter quidem offendere Deum pro conuersione totius mundi licitum est: vnde Paulus eorum esse dicit iustam damnationem, qui dicunt, *Faciamus mala, vt veniant bona. Nam qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Hinc ruit dogma Lutheri, asserentis licere technis ac dolis promouere Euãgelium: quod perinde esset ac peccãdo gloriam Dei velle promouere. Christus autem ita dilexit nos, & animam suam pro nobis posuit, vt peccatũ vllum non admiserit, neq; spiritum suum, aut conscientiam offendendo, Deum læserit: in cuius rei signum Patri spiritum suum commendauit, sicut eius exemplo Stephanus permotus idem fecit. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, atque illum saluum faciat, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

III. dubitatio. Quæ est illa anima, quæ ponitur pro amicis.

I. sensus, falsus videlicet & absurdus.

Rom. 3. *Ecclesiast. 14.* Contra Lutherum asserentem licere technis & dolis Euangelium promouere.

Luc. 23. *Act. 7.* *Matt. 16.*

Hoc igitur loco animam accepit pro vitã sensibili, siue temporali, sicut pluries aliàs. Vnde dicebat, *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam:* Et, *Ego animam meam pono pro ouibus meis*, & Petrus: *Animam meam pro te ponam*; & Esaias, *Si posuerit pro peccato animam suam.* Ita etiam à quodam Poëta vsurpatur, qui ait:

I nunc, & ventis animam committe, dolato.
Confisus ligno, digitis à morte remotus.
Quatuor, aut septem, si sit latissima teda.

Alter sensus verus, & genuinus. *Ibidem.* *Ioan. 10.* *Infrà 13.* *Esa. 53.*

Iuuen. Sat. 12.

Obijcies, Paulum optasse anathema esse à Christo pro fratribus suis, & Moysen dixisse, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Respondemus, ex his nequaquàm euinci, licitum esse

Quomodo Paulus optauerit anathema esse à Christo pro Iudæis, & Moses deleri de libro vitæ.

Rom 9. Exod. 32. B. Hier. ad Algasiam q. 9. tom. 3. Anathema quid sit. Chrys. ser. 16. in ep. ad Romanos tom 4.

esse ponere conscientiã pro proximo. Nam anathema, teste B. Hieronymo, occiso est, siue interfectio, aut martyrium, quod Apostolus pro salute fratrum Iudæorum subire non formidabat. Et ita non animam rationalem, aut conscientiam, sed vel vitã temporalem, vel etiam propriæ beatitudinis iacturam, secundùm expositionem Chrysostomi sustinere ex charitate Iudæorum exoptabat. Adde, quòd tam Paulus, quàm Moyses non tam pro salute Iudæorũ, quàm pro illustranda Dei gloria, & à maleuolorum, & inuidorum linguis vindicanda illud cupiebant.

IV. dubitatio. Quænam maior dilectio sit, diligentis ne inimicos an ponentis animam pro amicis. Rom 5. I. solutio.

Quartum dubium est: quia videtur maior dilectio ponentis animã pro inimicis, quàm pro amicis, secundum illud Apostoli ad Romanos: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Et paullò antè dixerat: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Dupliciter respondemus. Primò quidem Christũ proponere veram sententiam: *Maiorem hac dilectionem nemo habet:* Id est, nullus homo in quantum homo est, & in quantum ex viribus naturæ ad amandum permoueri potest, & non ex gratia Dei, ad hunc dilectionis gradum ascendere non valet, vt pro inimicis moriatur: sed maxima hominis dilectio est, si pro amicis hoc faciat, vt videtur Paulus exponere, cùm ait: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.* At qui pro inimico mori debet, oportet sit plusquã homo, quodq; sit Filius Dei, & plenus Spiritu sancto; quo illustrante mentem, agnoscat hostes esse amabiles; & flectente voluntatem ad hoc optandum, & exhibendũ [illegible]res deniq; suppeditante ad hoc ipsum opere cõplendum, vt filius naturalis Christus Dominus fecit. Et ad hunc sensum alludit Bernardus, cùm serm. feriæ quartæ hebdomadæ sanctæ post productam hanc Domini sententiam, subijcit: *Tu maiorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis.*

Rom 5.

Mori pro inimicis, Christi solius est proprium.

Ibidem. & Luc. 23.

Altera solutio. Christus quod ad se attinet, neminem pro inimico habuit. Matt. 26. Neminem pro inimico habere debemus præter peccatũ.

Secundò dici potest, Christum ex se nullum hominem habuisse pro inimico, sed omnes ex parte sua perindeatq; amicos dilexisse, ac beneficijs affecisse: nam & Iudam ipsum proditorem, vt amicum tractauit, cum dixit: *Amice ad quid venisti?* Etsi enim nos flagitijs, atq; offensis Christum, vt inimicum nostrum tractemus, ille tamen nobis semper amicus est, qui pro amicis faciẽdis mortuus est, vt videlicet ex inimicis amici fieremus. Vnde & quisq; Christi cultor neminem pro inimico habere debet, quod ad se attinet, postquàm quisque lege charitatis omnibus benefacere, & pro illis fundere preces tenetur, etiam aliter sit tibi inimicus, & opera inimicitiæ exerceat, odio, detractione, aut malis operib. te persequendo: tu tamẽ illi esto amicus, nullusque tibi verus inimicus existat, præter peccatum, tuamq; propriam voluntatem, ac dæmonem, qui dicitur inimicus homo: in quos sæuire etiam ex charitate potes. Hic igitur idem est mori pro amicis, atq; si dixisset, pro inimicis. Proinde amicos suos dicit, non qui diligunt, sed qui diliguntur, quales possunt esse inimici, ex parte sua, id est, non amantes, vel potiùs odio habentes amatorem. Et licet Dominus ad commendandam suam charitatem, potuisset cum Apostolo dicere, se positurũ animam suam pro inimicis: non conueniebat tamen, vt Apostolos suos esse designaret inimicos, vt qui non solùm diligebãtur à Domino, sed etiam ipsi Christum diligebant, & quibus, mox dixit: *Vos dixi amicos,* &c.

Suprà 13.

Quos habuit Christus pro amicis.

1 Ioan. 4. & 2. Cor. 12. & Rom 5.

V. dubitatio in eandem sententiam maiorem hac dilectionem nemo habet, &c. 1. Cor. 1. Aug. trac. 84 in Ioan. to. 9.

Quintum dubiũ est: Qua ratione Christus hoc loco præcipit ponere animam pro amicis, cùm nullius martyris sanguis fusus sit, aut fundatur pro remissione peccatorũ, præter illum Christi? Vnde Paulus: *Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quod egregiè docet Augustinus in hunc locum: *Etsi fratres,* inquit, *pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorũ remissionem nullius sanguis Martyris funditur, quod fecit ille pro nobis: neq; in hoc quid imitaretur, sed quid gratularemur, contulit nobis.* Respondemus: præceptũ hoc non fieri nobis tanquàm nobis, sed tanquàm Christi membris, in quibus Christus viuit operatur, & patitur: itaque per passionem, & mortem nostram extenditur passio, & mors Christi ad eos, pro quibus patimur, quibus Deus remittit peccata per Christi merita, passione tamen, & morte nostra eorum salutem impetrante. Hinc Paulus membrum Christi audacter dicebat: *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris.* Et alio loco: *Sed etsi immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ; gaudeo, & congratulor omnibus vobis.* Et rursus, *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia.* B. Ignatius non semel in epistolis suis scribit: *Ego efficiar pro vobis:* id est, immolandum me pro vobis offeram. Cùm igitur nos pro Christo patimur, quod certè donum Dei est, vt ait Paulus ad Philippen. & in ex exultandum, vt docet Dominus apud Matthæum; non solùm pro gloria ipsius propaganda, sed loco, & vice

2. Cor. 12. Pauli charitas aduersus Corinthios.

Philip 2.

Coloss. 1.

B. Ignatius. Pati pro Christo, donũ Dei.

Philip 1. Matth. 5.

ipsius

2. Cor. 5.

Qui pro Christo pati censeantur.

ipsius patimur, sicut vice eius operamur; vt fidenter dicat Apostolus: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam* Deo *exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Vt etiam pro peccatis nostris dū patimur, si voluntariè patimur, nos pro Christo pati dicere possimus, quia in nobis & pro nobis patitur. Similiter cùm pro peccatis aliorum, sequentes Christi vestigia, patimur, pro Christo sanè patimur; id est, vices Christi patientis pro peccatis illorum sustinemus, & pro Christo, qui induit personam illius peccatoris: quia per baptismum Christum quisque induit. Atque vt huius nostræ passionis effectus appareat, dicit nos tales futuros, vt possimus alios recipere in æterna tabernacula: Et in Sodomis propter decem iustos parcit Dominus vniuersis ciuibus, & propter Abraham, Isaac, & Iacob omnibus filijs Israel. Igitur etsi Christus solus sit passus propter remissionem peccatorum per viā efficientis causæ, & satisfactionis, meriti, ac sacrificij; tamen membra eius inferiori modo patiuntur, per summam scilicet impetrationem, & congrui meritum, per satisfactionem pro temporalibus pœnis, ad magnumque exemplum alijs præstandum. Ideo mirum est, quod hic scribit Caietanus, *Alijs hominibus etsi præceptum sit: Diligite inimicos vestros, benefacite, & orate, &c. Nunquam tamen dictum est: Ponite animas vestras pro inimicis vestris, & qui vos odio habent. Quoniam diligere, benefacere, & orare, possunt referri ad naturam, & ad spem beatitudinis: sed actu mori pro inimicis, cùm nō referatur ad salutem spiritualem inimici, quem constat in peccato lethali persistere, ordinata dilectio non caussat in hominibus alijs à Christo, qui sciebat suum mori ex inimicis facere amicos.* Hæc ille: quæ certè nescio quomodo possint constare. Quia in eo quod præceptum est diligere inimicos, illis benefacere, & orare pro eis, etiam consultum est, & in loco præceptum quoque ponere animam pro illis: quia Christus modum determinauit dilectionis, cùm dixit, *Sicut dilexi vos,* videlicet cùm mali essetis, & inimici, vt Paulus docet ad Romanos. Nec propterea tamen vult diligi inimicos sub ratione inimicitiæ, quia repugnaret rectę dilectioni, vt ipse ait, sed vt adhuc sunt in spe amicitiæ cum Deo, quæ amicitia sicut orationibus, ita & morte, & passione hominum conciliari potest. Est quidem proprium Christi facere de inimicis Dei morte sua amicos, sed eo modo, quo Christus id ex suo facto condignè, & ex gratia excellenti promeruit: sed id Sanctorum & Martyrum etiam est, sub Christo tamen, &

Galat. 3.

Luc. 16.

Gen. 18.

Exod. 32.

Aliter Christus, aliter sancti pro peccatorib. patiuntur.

In dilectione inimicorum ponendi etiā animam pro illis præceptū contineri, cōtra Caietanum.

Matth. 5.

Rom. 5.

Qua ratione inimici sint diligendi.

Sanctorum, & Martyrū sanguis pro peccatorib. fusus prodest & qua ratione.

propter Christum. Nam pro illis Christus illud obtinuit, & Stephani sanguis cum oratione Paulo profuit: & ridiculum est prodesse orationes nostras ad conciliādum homines Deo, & sanguinem pro eis oblatum nōn profuisse. Hic ergo Christus commendat charitatem suam erga nos, & nostram erga alios proximos, videlicet, vt diligamus eos non solùm amicos, verumetiam inimicos vsq; ad sanguinem. Sic enim Dominus dilexit nos. Ideo in libro Prouerbiorum dicitur. *Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoq; eius conuertet ad pacem.* Est ergo sensus: Sicut ego dilexi vos, antequàm essetis, & antequàm me agnosceretis, & cùm inimici essetis, & ponendo pro vobis animam, ita & vos deberetis diligere.

Act. 7.

Prou. 16.

VI. dubium.

Ioan. vlt. & alibi passim.

Quid est illud de Ioanne: Hic est discipulus ille quem diligebat Iesus.

Sextum dubium est: Quomodo Ioannes dicatur discipulus ille, quem diligebat Iesus; cùm maiorem charitatem nemo habeat, vel habere possit, quàm vt animam suam ponat pro eo? at Iesus non minus posuit pro alijs, quàm pro Ioanne. Respondemus, Iesum voluisse relictum esse nobis exemplum maioris cuiusdam familiaritatis, vt nos minimè peccare arbitraremur, si vni magis, quàm alteri signa quædam maioris dilectionis ostenderemus, modò alios ab hac ipsa charitate non excluderemus.

VII. dubium.

An æquū sit ponere vitā corporalem, pro nostro proximo.

II. ratio, quod id æquum sit, & iustum.

Vnde homini tantus amor vitæ suæ corporalis præ cæteris.

III. ratio.

Septimum dubium est, an sit iustum ponere vitam temporalem pro nostro proximo. Respondemus, illud cum summa æquitate, & iustitia coniunctum esse, tum quia Deus hic præcipit, qui nihil non iustum mandare solet, etiamsi nobis ignaris, & imbecillis aliter videatur. Deinde iustum illud est, si fieri possit, vt capillo illo vno tuo, vel minimo ære Regem gradu suo spoliatum in statum sui regni reducas: at vita diuinæ gratiæ, & æternæ gloriæ absque vlla cōparatione maior est regno temporario: vita verò temporalis præ illa gratiæ adipiscenda minoris est pretij, quàm pilus pro obtinendo regno. Quòd si quis in contrarium objciat; Ego vitam meam pluris facio, quàm minimum æs, aut capillum, & propterea non tam facilè in discrimen illam adduco: Respondeo, id inde proficisci, ex eo quòd non agnoscis vitam hanc, aut febricula, aut aëre, & fumo pestifero, aut scorpij, vel araneæ morsu eripi posse tibi; & quia non vides hanc vitam nō posse meliùs expendi, & gloriosiùs, quàm pro Deo in seipso, vel pro proximo propter Deum tamen, quod est minima moneta, paruique valoris regnum comparare æternum. Tertiò à ratione non dissonat, si

quod sapientissimi multis millibus aureorum compararunt, id tibi liceat paruo nũmo redimere. Si ergo prudẽtissimus Christus vitam suam diuinam, summa cum laude sua, pro spirituali salute proximi posuit; quidni tu ponere valeas humanam?

IV. ratio.

Adhæc iustum est, vt quæ vitam tua inferiorem possident, pro vita tua sustinenda moriantur, vt gallina, vitulus, pullus agnus, hœdus: tu ergo etiam pro Deo, à quo in immensum excederis, plus quàm agnus, vel pullus à te superetur, vel pro fratre, in quo includitur Dei dilectio, vitam tuam, & sanguinem profundere debes. Obijcies; Si non est iniustum, saltem durum est, & amarum, sed minimè profectò amanti: vnde, vel pater pro filio, vel mulier pro viro charissimo libenter se ad horam vita priuari permitteret, quò ille aliàs moriturus reualesceret, ac vitam retineret; quãto magis ergo pro eo, qui in æternum ad Dei gloriam esset victurus? Sed nos frigidis nostris glossis, detortisq; interpretationibus efficimus, vt nunquàm possit euentus dari ponendi vitam pro salute proximi.

Cur minimè durum sit vitam pro fratre ponere.

VIII. dubiũ. Quãdo postponenda vita, & à quib.

Postremum dubium exurgit: Quando postponenda vita, & à quibus? Respondeo, primùm quidem à pastoribus, quorum est ponere animam pro ouibus. Et hic Christus Apostolos, & in eis pastores Ecclesiæ alloquebatur, qui omnes pro Euangelij gloria occubuerunt; pastoribus verò deficientibus, ius moriendi pro fratribus ad minores deuoluitur: quemadmodum eleemosyna corporalis sustentationis, vel spiritualis doctrinæ, & correctionis negligentibus maioribus suum munus præstare, ad inferiores spectat. Et hoc quando apertè videmus imminere scandalum fratrum, vel Spiritus sanctus peculiariter agit, vel obedientia superiorum poscit, vel deniq; quando ipse qui præcepit, docet hoc affirmatiuum præceptum esse implendum. Neque contingit pro fratribus mori, sine hoc quòd oppetamus mortẽ pro Christo, quia verbum Domini est: *Quandiù fecisti vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Neque huic dilectioni Christi simile est, quod aut Crodus pro Republica Atheniensi occubuit, aut quòd duo Decij, & Curtius pro patria se deuouerũt, aut quod Damon pro Pythia ad mortem damnato obsidem, & fideiussorem se obtulerit tyranno Dionysio. Nam hæc facta sunt, vel laudis amore, & cupiditate, aut amore patriæ, de qua Poeta:

Matth. 25. Ethnici qui pro patria, vel amicis mortem oppetiere, quare ad Christi dilectionem minimè spectet.

Cic. lib. 3. de offic.

Virg. 6 Æneid.

Vincit amor patriæ, laudumq́; immensa cupido,

aut pro honorifica mortis cõsuetudine, de qua Paulus ait: *Vix enim pro iusto quis moritur; namm pro bono* (id est pro beneficio) *forsitan quis audeat mori.* Primus igitur dilectionis gradus est, diligẽtem se diligere: quem Publicani, & Ethnici obseruare possunt. Altior gradus est, si quis eum diligat, qui nec benefacit, nec diligit. Tertius, si eum, qui odit, & malefaciat, quis amore prosequatur. Adhæc charitatis est de suo, si potest, benefacere; maior est, si seipsum in ministrum, & seruum impendat; verùm illa maxima, & suprema, si ponat animam suam pro amico suo, quam hoc loco nobis commendauit atq; præscripsit Dominus Iesus Christus, cui est cum Patre gloria, & Spiritu sancto sempiternus honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

Rom. 5. Gradus dilectionis, & charitatis. *Matth. 5.*

TRACTATVS LIX.

In illa verba: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam nõ dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunq́; audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Ioan. 15.

NVLLVM profectò animal maiori imbecillitate, ac debilitate præditum homine ipso in lucem editur: videas illum viribus, vestibus, & armis destitutum, solo fletu, lacrymis, atq; debilitate armatũ; nullum propterea magis amicitia subleuante, præseruante, ac delectante quàm ille eget, siue educationem, siue conuictũ, siue artes, & mercimonia spectes: & ablata amicitia ab humano commercio, nõ secùs haberent se res mortalium, quàm se habet hic mundus Sole ipso de medio sublato. Remanent enim omnia obscura, mortua atq; iniocunda. Non est autem facile, verùm, ac fidelem inuenire amicũ, de quo ait Spiritus sanct⁹: *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum, Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inueniunt illum.* Pondera quàm rara sit thesauri inuentio, vt colligas quàm rara sit fidelis amici offensio, sed qui timorẽ Domini concipiunt, facilè diuinam Christi amicitiam nanciscentur, de qua ait Dominus: *Vos amici mei estis, si feceritis, &c.*

Humanæ imbecillitatis descriptio eiusdem amicorum necessitas.

Qualis hominum vita absque amicitia.

Eccles. 6. Amici fidelis commendatio apud librum Ecclesiastici.

Ad quid Chriſtus dixerit: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.

Dicemus in his verbis, quorſum dicantur; expendemus quanta ſit amicitia Chriſti ad nos,& noſtra ad illum. Poſtremò explicabimus verba textus. Ad primum, ne iugum diuinorum præceptorum exactum ad manendum in dilectione Ieſu, in animis diſcipulorum pareret aliquã amaritudinem, quaſi monerentur ad perſeuerandum, vt ſerui dilecti; explicat eis quòd ſunt in dilectione Ieſu permanſuri, vt amici ab eo dilecti, atque eum diligentes,& hinc percipiant, quòd iugum præceptorum ad dignitatem eorum ſpectat, vtpotè ſeruans eos ac fouens in gradu amicorum. Et vt ſuperiùs fructum ſeruandi præcepta declarauit eſſe gaudium hic, & in futuro; ita nunc alium fructum eorundem explicat: nempè amicitiam Ieſu: *Vos*, inquit, *amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Deinde dici poteſt, quod innuat ſe pro eis, vt amicis animam poſuiſſe, ac proinde ſuam ipſorum ponendam pro amico Chriſto in proximo exiſtente, in quo vel actu eſt, vel eſſe poteſt: vt ea ratione qui pro inimicis moritur, pro Chriſto amico, & Patre amico vitam ponat. Vos ergo amici mei eſtis; id eſt, certò vos diligam, ſi feceritis, q̃ ego præcipio vobis. Qui enim facit Chriſti præcepta, in gratia Dei eſt, ſine qua ſeruari nequeunt ſaltẽ ad mentem præcipientis. Vocat igitur amicos eos, quibus beneficia cõtulerat. Et hoc verbo: Si feceritis quæ ego præcipio vobis, oſtendit, Euangelium non eſſe nudam, & ſimplicem promiſſionem, ſed conditione vallatam.

Alter ſenſus.

Cur Chriſtus Apoſtolos dixerit amicos.

Euangelium qualis ſit Chriſti promiſſio.

Præcepit autem diligere inuicem, id eſt, ſi vos ipſos dilexeritis, eritis amici mei: nam facietis quod ego facio, diligẽtes voſmetipſos, quos ego diligo. Si autem id non præſtiteritis, amici mei non eritis: quia ſi quis fratrem ſuum odit, & me odit. Nam quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Hæc expoſtulatio frequens eſt in amicitia: dolemus enim nos aut amicos noſtros ab amicis noſtris nõ diligi, aut nobis fidem ab amicis non haberi: qua expoſtulatione declaramus, & dilectionem, & fidem amicorũ nobis gratam eſſe: at cùm grauiùs aliquid in nos peccarũt, ne ipſos mœrore afficiamus, nequaquàm expoſtulamus. Ita Dominus non expoſtulat quòd negatus, quòd derelictus, quòd cruci fixus, ſed tantùm quòd non crediderunt in eum: *O ſtulti*, inquit, *& tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ.* In litera ipſa perpende Græcè haberi vtrumque de præſenti, vt annotauit Euthymius: *Vos amici mei eſtis, ſi facitis, quæ ego præcipio vobis:* ſed ponitur præſens pro futuro, vt ſit ſenſus: Vos amici mei eritis, ſi facietis quæ ego præcepi vobis, ſicut alio loco dixit: *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.*

Qui nõ amet Chriſtũ, nec ametur ab illo. 1 Ioan. 3.

Matth. 25.

Expoſtulatio quænam frequens in amicitia.

Quid Chriſtus de Iudæis tantùm conqueſtus ſit. Luc. vlt.

Euthym. in Ioan. c. 15.

Ioan. 15.

Ad ſecundum, ſtatuendum amicitiam ingentem eſſe theſaurum ad honeſtatem, vtilitatem, delectionem, & ad omnia opera paratam. Sed homo cum Angelis inire amicitiam non poterat, quia illi alterius ſpeciei ſunt, & natura nobis altiores, vt propterea ſit dictum: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Paritatem autem quandam exigit amicitiæ canon. Adde, quòd cùm Angeli noſtra opera non indigeant, cùm in bono ſint confirmati, nec verſentur nobiſcum; nec ſub aſpectum cadant noſtrum; non poterat vlla ſuauis amicitia cum illis conciliari. At amicitia cum Cacodæmone periculoſa erat, ac pernicioſa: vt oſtendit exemplum Adæ, & Heuæ, qui cum illo conſenſerunt. Vnde inimicitia potiùs eſt appellanda, ſicut & ipſe in Scripturis dicitur Accuſator fratrum, & inimicus homo: *Nolo*, inquit Apoſtolus, *vos ſocios fieri dæmoniorum.* At hominum inter ſe amicitia parum fida eſt, & frequenter fraudulenta. *Eſt enim* (ait Sapiens) *amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.* Et rurſus: *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Et alter dixit:

Chriſti ad nos, noſtraq; ad Chriſtum qualis amicitia.

Cur homo cum Angelis amicitiam inire non poterat. Pſalm. 8. & Hebr. 2.

Quid requirit amicitia.

Gen. 3.

Apocal. 12. Matth. 13. 1. Cor. 10.

Eccleſ. 6.

Ibidem.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Ouid. li. 1. de Triſt. eleg. 8.

Multis teſtimonijs,& exemplis, tùm ſacris, tùm profanis erudimur in inconſtantia amicitiæ humanæ. Ait enim Salomon: *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum.* Et Propheta: *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce:* &, *Quicunque voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Vnde Pilato obiecerunt Iudæi: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Iudas Apoſtolus, & amicus à Chriſto dictus, oſculo eum tradidit hoſtibus. Pompeium longo tempore amicum, Rex Ægypti Ptolomæus decollauit, ac decollatum Cæſari tradidit. Brutus & Caſſius arctiſſima amicitia Cæſari coniuncti, ipſum in Senatu ſicis confoderunt, & ille videns Brutum, de violata amicitia conqueſtus eſt, dicens: καὶ σὺ τέκνον. Octauianus Ciceronem amiciſſimum, & qui eius ad Imperium promouendi extiterat cauſa, ad Marci Antonij inſtantem petitionem proſcribi permiſit. Nero impius ille, Senecam chariſſimum præceptorem, ac Lucilium mori fecit. Erat igitur homo ſine vlla ſpe veræ amicitiæ; nam ad ſe propriæ amicus eſt nemo. Et quanquam daremus, verã ad ſeſe inueniri amicitiam, profe-

Humana amicitia quã inconſtans. Prou. 11.

Mich. 7.

Iacob. 4.

Ioan. 19.

Infidelium amicorum exempla nõnulla. Matth. 26. Plut. in Põp. Idẽ in C. Cæſ.

Idem in Cic.

Suet. in Nero. c. 35.

Ad ſe propriè amicus eſt nemo. Pſalm. 10.

profectò nemo sibi amicus, sed hostis erat: quia qui diligit iniquitatem, odit animam suam. At creatura infirma cum Deo creatore cõtrahere amicitiam haud poterat, imò Deus omnis æquitatis, & iustitiæ fons iustè peccatores oderat, ac persequebatur: non secus ac ceruus serpentes, quos flatu suo de cauernis, ac latebris suis eductos occidit, ac deuorat. Non enim dissimili ratione primos parentes, qui se sub arborem subduxerant, ad examen, lucemque suæ extraxit iustitiæ, dicendo: *Adam, vbi es?* eductosque morti adiudicauit. Nullum præterea latibulum, aut tutissimum castrum, etiam in eminentissimo ac inaccesso loco situm extitit, quod homines ab aqua diluuij seruare potuit, sed egressi foras in montes aqua absorpta sunt: & infames illas quinque Pentapolis ciuitates euertit, patresque in AEgypto existentes flatu suo, ac imperio extraxit foras, & inimicos resistentes aqua maris inuoluit, atque ex sexcentis millibus bellatorum, qui egressi sunt de AEgypto, duo tantum terram promissam sunt ingressi. Vt intelligas quanta sit Deus præditus fortitudine, & custodias te ab eo, cuius Spiritus est in naribus. Volens igitur Deus benedictus tandem depositis inimicitijs nobiscum conciliare amicitiam, Verbum suum ad nos misit; quod tùm loquendo, ac seipsum exerendo, firmam amicitiam nobiscum contraheret: de quo intelligi potest illud Ecclesiastici dictum: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abũdat. Hoc Verbum ęternum positum fuit in fauo Virginis, indeque mellitum, ac dulce prodit & per se, ac suos prædicatum multiplicauit amicos: tot enim amici Dei existunt ex parte sua, quot Christi sunt cultores. Mitigauit deinde inimicos, eorum corda emolliendo, eosq; beneficijs obruendo, atque ad se trahendo: & lingua gratiosa, quæ est Spiritus sanctus, in ipsius Christi ore primò abundauit, ad trahendos ad se Iudæos, deinde in Apostolis, quibus dixit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Verbum ergo primum iniurijs, & offensis Patri suo Deo ab hominibus factis in Cruce satisfecit, vt posset homo iustè ad amicitiam Dei assurgere. Confirmauit eam, vt olim Samuel aquam coram Domino fundendo, vt habes in libris Regum; ad significandum quòd per aquam baptismi in bonis firmaretur amicitia, at in illam violantibus eius sanguis funderetur; & pro ea etiam re aquam, & sanguinem de latere non sine miraculo in Cruce profudit, teste Ioanne. Confirmauit etiam alio modo, diuidendo vitulum per medium, & trãseuntibus principibus inter diuisiones illas, vt Genes. & Ierem. insinuant. Nã Christus ipse tanquã vitulus pro peccato in Cruce diuisus est, corpore ab anima seiuncto, vt per meritum eius diuisionis trãseamus omnes in gloriam. Dedit etiam nobis Deus Filium suum in obsidem amicitiæ firmandæ: quia proprio Filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, vt omnia eius merita nostra essent: qui quò magis corda nostra erga se incenderet, Spiritum sanctum dedit in pignus & arrham amicitiæ, & mensam Eucharistiæ, & vituli saginati in signum perpetui fœderis. Ita ergo Sapientia amicos Dei, & Pro-

Hominis cũ Deo imparilis amicitia.
Cerui ingenium, cõtra serpentes.
Gen. 3.
Dei in homines fortitudo.
Infra 7. & se.
Infra 49. & se.
Exo. 14. & s.
Supra 12.
Num. 13.
Iob 27.
Qua ratione Deus amicitiã nobiscũ contraxerit.
Ecclesi. 6.
Lingua Eucharis vt Verbum Dei æternum.
Lingua gratiosa, de qua Sapiens, quęnam sit.
Matth. 10.
Quot modis Deus nobiscũ amicitiam confirmauit.
1. Reg. 7.
Ioan. 19.
Gen. 15.
Ierem. 34.
Rom. 8.
1. Cor. 15.
Sapient. 7.

Est autem hic titulus amicitiæ honorificentissimus: Vnde Abraham amicum Dei fuisse appellatum post tentationem, ponderat frater Domini, & Dauid ait: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Estque magno animo tantus titulus ambiendus: vel propter ipsum Deum, qui non vult nisi ab amicis sibi inseruiri: vel propter nos ipsos, qui sine Dei amicitia nihil sumus, vel propter dæmonem, vt illi simus formidabiles, vel propter fratres Christo lucrifaciendos, secundùm illud: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Est igitur Iesus summus amicus, alpha, & o, id est, primus in amicitia sarcienda, vltimus in illa dissoluenda; quia tantum deserentes se deserit. Fecit se nobis æqualem per humanitatem, quo constaret ratio amicitiæ. Non quærit nostra, sed nos, & nos non propter suam vtilitatem, quia bonorum nostrorum nõn eget, sed propter nos ipsos diligit: in quo amicitia vtilis, & delectabilis deficiunt. Amicorum omnia sunt communia, & omnia Christus merita sua nobis communia effecit: qui nobis natus est, nobis prædicauit, nobis orauit, & sanguinem fudit. Annuntiat, inquit, de ea (scilicet luce) amico suo, quòd possessio illius sit, & ad eam possit ascendere. Gaudent simul edere & conuiuari amici; & ideò perpetuum instruxit Eucharistiæ conuiuium. Frequens, & mutuum habent colloquium amici; & Christus per Scripturam, aut Angelum, aut per seipsum libenter nos alloqui dignatur: *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus*. Constanter se habent amici in amicitia: quia omni tempore diligit, qui amicus est, & Christus ad finem vsque dilexit suos. Adsunt sibi inuicem

Amicum Dei esse, quàm sit gloriosum, & honorificũ.
Iacob 2.
Gen. 15.
Psalm. 138.
Luc. 16.
Christ. quomodo alpha, & omega.
Apocal. 1.
1. Par.
Seruare Christum nobiscum oẽs amicitiæ leges.
Psalm. 11.
Amicorum omnia sunt communia.
Iob 36.
Psalm. 84.
Prou. 17.

amici

Ioan.13. Dani 3. Psalm. 23. Luc. 11. amici in tribulatione, vt Deus tribus pueris in fornace ignis positis, & illi, qui dicebat: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis.* In egestate, & penuria dat non solùm tres panes, sed quotquot habemus necessarios, modò orationi instemus. Pandunt sibi inuicem secreta amici, vt hic dicitur, & nobis Christus tot mysteria patefecit, & non tantùm, vt Paulinus se dedit in seruum, vt nos à captiuitate liberaret; nec tantùm fideiussoriam prò nobis præstitit cautionem, vt Damon pro Pythia, sed etiam, quod maius est, pro nobis in Cruce persoluit. Nec destitit moriendo pro amicis, sed quod à Gentibus confictum fuit, ad energiam singularis amicitiæ indicandam, quòd Orestes ingressus sit Orcum, vt Pyladem erueret; & Orpheus, quo Eurydicen reuocaret; ipse reuera nobis præstitit, de quo dictum est: *Tu quoq; in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.*

S. Paulini charitas in vi duam sanè memorabilis

Orestis & Orphei charitas fabulosa.

Zachar. 9.

Denique suadent sapientes, vt multos pacificos, paucos habeamus amicos, Christus verò multos concupiscit amicos, quò possit multis benefacere: nam propterea vocatus est amicus Publicanorum, & peccatorum, quòd illos ad Dei amicitiam relicto peccato traheret. Nos igitur tantùm bonum, ac tam delectabile affectemus; non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius; habeamus idem velle, & nolle, diligamus eum propter gloriam suam; conuersemur per bona opera; frequenter alloquamur assiduo precandi studio; frequentemus mensam Eucharistiæ, fidamus ei contra omnem nostram mentem, sensum, & rationem, prodamus ei omnia cordium nostrorum secreta, iuxta illud: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Constanter in finem vsque diligamus, & in medijs tribulationibus cogitatum nostrum in ipsum iactemus; postremò, pro amico IESV vitam ponamus, quod est maximum symbolum amicitiæ. Habet ille pro amicis tentatos, probatosque in tentationibus, vt Abraham, qui in libro Iudith, & à fratre Domini amicus Dei appellatur: habet mites, & mansuetos, vt Moysen, de quo liber Exodi habet: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Colit humiles tanquam amicos, vnde præ humilitate sedenti in vltimo conuiuij loco, dicitur: *Amice, ascende superius.* Agnoscit pro amicis hospitales, vt Lazarum, & sorores eius. Sic enim ait Ioannes: *Diligebat autem Iesus*

Amicos cur multos Christus optaret. Matth. 11.

Sapient. 8.

Christi amicitia quã nobis expetenda, ac procuranda.

Psalm 36.

Psalm 54. 1. Petr. 5.

Iudic. 8. Iacob. 2. Gen. 15.

Exod. 23.

Luc. 14.

Ioan. 11.

Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarũ. Virgines, & castos in amicitiæ gradu seruat, vt monet illa vox: *Discipulus ille quem diligebat Iesus.* Denique omnes tanquam amicos complectitur, qui diuina eius præcepta seruare contendunt, de quibus hic ait: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Hæc de secunda quæstione.

Ioan. 13. & Infrà 19. & Infrà 21.

Quò tertiam expediamus, expendenda sunt verba textus. Pondera in primis, vt diximus, verbum illud, *Estis*, accipi pro futuro, *Eritis*, hoc est, permanebitis: ac si dicat, Qui iam estis, permanebitis amici, si feceritis. Vel, eritis, hoc est, indicabitis vos esse, vt aliàs accipi consueuit. Est autem incomparabilis Christi humanitas, ex seruis non tantùm fratres, sed etiam amicos efficientis, de qua amicitia ait Dilectus; Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Nulla profectò verior, aut gloriosior, aut iocundior, aut vtilior, aut denique constantior amicitia: sed nulla magis, vel negligitur non habita, & cùm habita est, nulla magis violatur nostro vitio, ac flocci pẽditur.

Expẽditur a verbum hæc sententia. Euth. in c. 15 Ioan.

Eximia Christi charitas.

1. Ioan. 3.

Qualis Christi sit amicitia.

Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Græca lectio habet de præsenti, Οὐκέτι ὑμᾶς λέγω, id est, Non ampliùs vos dico, vt declaret cur modò eos amicos vocauerit non seruos. Vnde subdit: *Vos dixi amicos.* Et infrà subdit: *Non est seruus maior domino suo:* apertè eos seruos vocans. Sed probabilius est, præsens positum pro futuro, quia dictio illa iam siue Græcè ἔτι, sæpè significat posthac, siue ampliùs. Vt sit sensus: Non vocabo vos posthac meros scilicet seruos, qui nõdum sunt in amicitiam translati. Vel: Posthac non ego vos appellatione odiosa nominabo seruorum (quod hactenùs factum est, donec veniret tempus reconciliationis, in quo est gratia resarcienda) sed amicorum, sociorum, fratrum blanda, ac honorifica voce vos compellabo in signum perfectæ reconciliationis, ac instauratæ amicitiæ. Erant autem homines duplici ratione serui: altera quidem peccati: nam omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati; quia illud ab se abijcere non potest, nec futurum cauere, nisi ad vtrumque gratiam obtineat. Seruus autem non manet in domo in æternum, id est, ius manendi, siue perseuerandi in domo Domini sui non habet, sed ex nutu Domini pendet quòd vendatur, aut expellatur, aut quòd redeat, vel non redeat ad domum Domini. Filius autem ius habet manendi in domo, eo quòd filius est, & per consequens hæres. Facit ergo nos

Explicatur: Iam non dicam vos seruos, &c.

2. Cor. 5. Apostoli, vt & omnes homines ante Christi passionẽ, & mortem qua duplici seruitute tenebãtur. Ioan. 8.

Ibidem. Quid illud: Seruus non manet in domo in æternum.

pecca-

Nostra serui tus vnde. 2. Petr. 2. Act. 15.

peccatum seruos; propter quod etiam dæmonis serui efficimur. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Erat prætere a seruitus legis, quæ iugum augebat, quæ multa exigebat, & ardua (vires tamen ad faciendum minimè subministrabat) ideo existentes sub lege, inuiti, & reluctantes, aut sola spe temporalis mercedis, aut timore pœnæ acti legem seruabant; & sic seruare legem, verè erat Spiritus seruitutis, non adoptionis. Sic ergo olim serui erant Apostoli, & à Christo sic compellabantur: *Vos, inquit, vocatis me, Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim.* Et, *Non est seruus maior Domino suo.* &, *Misit seruos suos ad agricolas.* At Christi morte stante peccatum ablatum est, diaboli dominium debilitatum, legis maledictum destructum: & iam Spiritu sancto per CHRISTVM Apostolis communicato, lex non amplius Spiritu seruili, sed Spiritu libertatis, & adoptionis implenda est. Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas, videlicet à peccato, Satana, & lege; nam perfecta charitas foras mittit timorem. Non est autem libertas, quò homines ociosè sine lege viuant, sed vt de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus DEO in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Rom. 8.

Ioan. 13. Ibidem & 15. Matth. 21.

Gal. 3. & seq. Act. 2. 2. Cor. 3. 1. Ioan. 4.

Qua seruitute nos Christus liberarit. Luc. 1.

Quemadmodum si quis de vilissima Turcæ seruitute redemptus, efficeretur familiaris Regis, vel cubicularius: in hoc enim esset mutatio vilis seruitutis in seruitutem liberalem, & honorificam. Asserit igitur, quòd erunt amici, non ampliùs serui, hoc est, ne puri amici, sed serui euecti ad amicitiam; quomodo Christus dicitur seruus Patris, & Apostolus: Cùm liber, inquit, essem ex omnibus, omnium me dignum feci. Et, *Quicunque voluerit ex vobis primus esse, erit omnium seruus.* Hoc autem tanto titulo non debetis efferri, inflarive; sufficit quòd ego non dicam vos seruos. Vos autem etsi omnia feceritis, debetis vos vocare seruos inutiles, vt quod ex vobis estis, & ex vestra natura, agnoscentes, digni sitis permanere in amicitia mea. Hanc rationem secuti Petrus, Paulus, Iacobus, & Iudas, seipsos IESV Christi seruos in epistolis vocant: *Quia seruus nescit quid faciat Dominus eius.* Hoc est, seruus etsi non ignoret, quid sibi Dominus faciendum imperet, nescit tamen quid facere intendat, quorsum tendant eius secreta consilia. Sic intellige illud: *Quid faciat:* Nam sæpè aliàs serui vident quid faciat Dominus eorum. Et est ratio hæc Domini desumpta à vulgaribus sentētijs, quæ etsi non vbique, & semper, satis est quòd vt plurimùm veritatem habeat: & vniuersaliter erit vera, si de meris, & solùm seruis accipiatur, qui scilicet etiam non sunt amici. Nam quòd fortè aliquando dn̄s seruo suo prudenti, & fideli aliquod reuelet secretū, hoc non facit vt seruo, sed vt amico. Rupertus expendit Dominum nō dixisse: Seruus meus nescit quid faciam ego: quia Christus dicitur seruus meus apud Esaiam. Seruus autem absolutè in malum capitur, vt illud: *Seruus non manet in domo in æternum:* vbi non ait, Seruus meus. Et perinde est dicere: *Iam non dicam vos seruos*; ac dicere, Non dicam vos inimicos. Quod ex opposito adiuncto comprobatur: *Vos autem dixi amicos.* Paulus ad Romanos scribens, discernit filios à seruis per hoc, quòd filij habent spiritum adoptionis, & sunt hæredes; Serui verò habēt spiritum timoris, & hæreditate destituuntur. Quia solus Isaac hęres declaratus est, Ismael verò aliò ablegatus. At Christus hoc loco discernit seruos ab amicis, quòd serui nesciant arcana consilia, secretas cogitationes domini, quas amici nouerunt: Seruus quod iussus est facere, facit, sępè nesciens ꝙ facit; plectendus, nisi iussa perfecerit. Dicitur illi; Vade, fac hoc, accelera, fuge, & huiusmodi alia: nam Dominus cum illo non facit cōmunia sua secreta. Ideo bonæ fidei nequaquam est seruus, quia magis metu, quam dilectione in operando dicitur: ob id sæpè responsat, indignatur, quęritur, aut saltem corde refragatur. In lege olim populus antiquus nesciebat quid vellet Dominus tot, ac tantis mandatis, & sacrificiorum ritibus; tantùm rerum externā faciem spectabat, & operabatur; nondum reuelata erant mysteria; nesciebat quid sibi vellet Mare Rubrum quod transierunt, quid nubis, & ignis columna, quid manna, quid aqua de petra, quid serpens æneus: ignorabat quòd lex seruiret ad ostensionem peccati, non ad iustificationem à peccato; quòd sancti nonnulli Dei amici non ignorabant. Seruus etiam peccati nescit ex creaturis potentiam, sapientiam, & bonitatem Creatoris agnoscere, quid Deus pro salute hominum fecit, faciat, & quid in futuro de bonis ac malis facturus sit. Hinc Christus: *Si cognouisses, inquit, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* & alio loco: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Esai. 7. 1. Cor. 9.

Luc. 17. Quomodo permanere semper possimus in amicitia Domini Iesu. 2. Petr. 1. Rom. 1. & alij. Iacob. 1. Iudi.

Hæc Domini sententia: Seruus nescit quid faciat dominus ei⁹, quatenus vera.

Rupert lib. 11. in Ioan.

Esai. 13. Seruus simpliciter malè sonat. Ioan. 8.

Rom. 8. Filij à seruis in quo distinguantur.

Gen. 21. Galat. 4. Amici à seruis quid differant. Matth. 8.

Exod. 14 & s. Suprà 13. Num. 21. Ioan. 3. Exod. 16. Ioan. 7. & s. Infrà 17. Rom. 7. & s.

Qui seruit peccato, cui ille ignorantię subiaceat. Luc. 19.

Matth. 11.

Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Id est, Hoc nomē imposuit vobis Christus Dominus, & ad hunc honorificum gradum vos euexit: quia per ipsam gratificati sumus, & per ipsum accessum habemus ad Patrem, & de

Ephes. 1. Infrà 2. Ioan. 1. Quę nobis secreta æterni Patris consilia Christus declarauerit.

& de plenitudine eius accepimus partem amicitiæ, quam decet nos magni pendere, & illam Verbo suo adscribere. Est autem signum certum amicitiæ, quòd nobis voluntatem Patris, & secreta consilia declarauit, id est, Euangelium: in quo amor Dei ad nos, incarnationis, passionis, resurrectionis, ascẽsionis, Spiritus sancti missionis, reditus ad iudicium, & repudiandæ Synagogæ, & vocandæ Gentilitatis mysteria continentur. Et non dixit: Omnia quæcunque ego noui, vel vidi: quia infinita, quorum creatura non est capax, nouerat: sed omnia quæ vt homo legatus Patris in mandatis habui, vt vobis dicerem. Omnia enim illa nota fecerat discipulis, quæ acceperat à Patre, vt in carne passibili existens annuntiaret: & in hoc perseuerabat manere ad magis explicandum. Multa autem alia se habere dixit, quæ etiam suo tempore dicturus esset: *Multa*, inquit, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*; vt intelligas, illa alia, extra numerum eorum, quæ a se in carne posito erant dicenda, alia autem Spiritui sancto, vel docenda de integro, atque explicanda seruabantur. Quod si ego illa, quę a Patre audiui, alijs interdum per parabolas dixerim, & inuolucris similitudinum texerim, vobis tamen separatim apertè omnia exposui, & per vos facturus sum, vt omnes qui vsq; ad seculi consummationem crediderint mihi, hæc omnia intelligant. Vestris enim prædicationibus, & libris scripti, & non scriptis traditionibus id facilè præstabo. Omnia ergo, quæcunque audiui à Patre, vobis detexi, nihil eorum quæ mihi dicenda erãt, seruaui: sicut interdum quædam nuntij reticere solent, quò autoritatem vestram maiorem apud eos, ad quos missi sunt, efficiant. Augustinus explicat illud: *Nota feci*, pro, nota faciam, ait enim: *Nimirum quod facturus est, fecisse se dicit: qui ea, quæ futura sunt, fecit. Bona quidem expositio, sed & prior non cõtemnenda. Nam quæcunque in carne passibili dicturus erat, iam dixerat.* Hactenus ille.

Ioan. 16. Quænam huius dicti ratio: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.

Augustini sententia huius loci. *Aug. tract. 86. in Ioan. tom. 9.*

Explicatur id: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Quibus Christus suorum in electione dissimilis.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Argumentum desumit à caussa dilectionis, id est, à gratuita electione, qua cõfirmat, non solùm Apostolos, sed etiam omnes credentes Dei amicos existere: Vt intelligatis, inquit Dominus, quanto honore sim vos dignatus, neque vos me, vt populus Regem, aut milites ducem, aut discipuli magistrum elegistis; vt solẽt homines electores, quib⁹ propterea electi aliquid debent, & absurda quandoque propter eos, à quibus electi sunt, faciunt. Neque rursus beneficijs vestris me ad vestram amicitiam prouocastis, vt debiti mei sit redamare: neque vltrò venistis ad amicitiam, sed ego electus ex millibus, ex gratuita mea misericordia, cùm adhuc serui essetis, miseram seruientes seruitutem, imò inimici, ac proinde ab amicitia longè alieni, vltrò vos nihil promeritos ab omnibus selegi altiori electionis genere. Primùm quidem ante mundi constitutionem, vt essetis sancti & immaculati: non q a tales essetis, sed vt tales efficeremini; nec tantùm æterna, sed etiã temporali electione, vocando primùm ad Fidem, deinde ad Apostolatum, vt loco mei eatis, & fructum adferatis. Non ergo cõmunicaui vobis secreta, vel asciui in amicitiam meã propter dignitatẽ vestrã: nec putetis me merito vestro secreta mea vobis tradidisse, aut ne arbitremini fidẽ non inueniẽtem in alijs vos retinuisse, quos fideles mihi reperim. Ostẽdit ergo hic eos infideles cum alijs futuros fuisse, nisi eos Iesus ad hoc ipsum elegisset. Tanta enim erat eius peruersitas populi, vt nisi Deus seruasset semen, sicut Sodoma perisset. Nihil enim proderat lumen ostendere, protinùs enim vel propter sua peccata ad tenebras reuertebantur, vel propter confidentiam propriæ iustitiæ ab ea, quæ Dei erat, recedebant: at vbi electio facta est, multi quoque per eam salui sunt, multi item ipsorum Gentilium æmulatione venerunt. Apostoli verò non aliorum imitatione Christum erant secuti, quia prorsus primi erant electi: non qui Dominum prius elegissent, aut fide præuenissent, aut amore, & operibus bonis eius gratiam promeruissent, vel quia præ alijs conspicui erant, aut ditiores, nobiliores, aut doctiores existerent. Et hoc omnis homo sentire debet: nemo enim hominum Deum Regem, aut patrem elegit. Ipse prior dilexit nos, & elegit nos, vt eum in Regem possemus eligere, quemadmodum latro fecit in cruce. Atque hoc verbo superbiam omnem nostram excludit. Si enim ob rem aliquam, quæ à nobis penderet, electi essemus, possemus nobis ipsis placere; rursus si ob bonum gratiæ vsum futurum nos elegisset, haberemus vnde gloriaremur: nunc autem excludit gloriationem omnem; vt qui glorietur, in Domino glorietur, & humiles simus in conspectu Dei, & in conspectu hominum, nec nos ipsos vlli præferamus; & ita ab omnibus diligamur, & ipsi nos diligamus, quò possint & ipsi eligi, non obstante eorum peccato. Nam omnipotens est ille, qui elegit quos vult: nõ tamen negat, Apostolos electioni diuinæ cõsensisse, & Dominum suscepisse; cùm & Iudæi olim susceperint, & elegerint Deum

Cant. 5.

Christi in Apostolos gratuita beneficia. *Ephes. 1.*

Populi Iudaici peruersitas. *Esai. 1.*

Rom 10. Infrà 11.

1. Ioan. 4.

Luc. 23. Boni latronis sapientia Præueniens Dei electio quã gloriationem nobis præcidat.

2. Cor. 10.

Iudæi olim cur ipsi Deũ elegerint.

pro

Iosue 24. pro Domino, vt habet liber Iosue. Sed hoc facere non potuissent, nisi eos Deus prius elegisset. Atque illa electio, qua Iudæi electi erant, vt Messiam sequi possent, non satis erat Apostolis, vt per eam Dominum elegerint, quòd per eam non plus ipsi, quàm alij electuri Dominum fuerunt: sed magis alta, & peculiaris electio fuit, qua illis hoc datum est, de qua maiori electione hic Dominus loquitur.

Quid est: Et posui vos vt eatis, & fructũ afferatis.

Et posui vos, vt eatis, & fructum adferatis. Vos consiliorum vestrorum ducem me non elegistis, vt ego quæ vultis hæc facere debeam, sed ego elegi vos; ideo vestrum est consilium sequi meum. Et hoc feci, vt quasi palmites in me vite positi, extendatis vos, & procedatis edendo fructum; quemadmodum ex vna vite integra quandoque constituitur vinea. *Et posui vos,* in gradu Apostolatus, & plantaui, & vt alij ex vobis pullulent. Vt eatis, inquit, Nolite sedentes expectare spiritualem fructum animorũ, sed vt pastores oues errantes quærite; lapsis manum porrigite, fastidientibus sermonem salutis ingerite, vt medici infirmos curate, vt ita eatis ex vobis ad proximos, de fide in opera, de bono in melius, de virtute in virtutem: *Et fructum adferatis.* Prædicando, non ait, vt fructũ accipiatis ab alijs, sed vt ipsi alijs prodesse possitis. Etsi enim possit pastor de lana & lacte ouium accipere; sed ad hoc potissimùm spectare nequaquam debetis, ne mercenarij efficiamini. Vobis incumbit piscari reti Euangelico, pastorum munus implere; medicorum officium non negligere, fructum deniq; adferre, verbo, & exemplo prædicando; atq; ita in vobis ipsis, & in alijs fructum edetis. *Et fructus vester maneat.* Fructus enim meriti laboris vestri manebit in præmio vitæ æternæ, & in Scripturis ad exemplum aliorum pastorum; fructus etiam conuersionis animorum perseuerabit in finem vsque mundi in horreum æternæ gloriæ inferendus; & ita vterque fructus erit perpetuus, atque in æternum manebit. *Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Ostendit prius se esse vitem, quæ non natura, sed voluntate produxit Apostolos: ostendit etiam nunc quomodo Apostoli in vite existentes fructum ferant, non natura, sed interpellatione, vel oratione, obtinentes à Deo & ire, & fructum ferre, & permanere fructum. Porrò precatio ponit fidem; & humilitatem, & obedientiam, quæ sunt viæ deriuandi succum ad fructum edendũ in se, & in alijs. Ne ergo vel de labore, vel de infirmitate, vel de paupertate Apostoli excusari valeant, hanc insignem promissionem adiunxit, qua ostendit vnde auxilium tantæ rei præstandæ sit petendum. Nam oratio opus est Spiritus sancti, & necessaria est Apostolico muneri; tùm ad prædicandum cum fructu; tùm ad legitimè administrãda Sacramenta, tùm ad edenda signa quandoque, si Deus excitabit, tùm deniq; ad rectè gubernandam Ecclesiam, & ne exinde superbire, aut efferri valeãt ministri. *Vt quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* In nomine meo, inquit, inuocato scilicet, & meritò meo, vt mea gloria sic mundo inclarescat, & fiducia vestra in me ad fructum edendum erigatur. In nomine etiam meo, aliquid meum meo nomine petẽdo, id est, ad salutem animarum pertinẽs: quia tũc fructum ferimus dignum nomine suo: alioqui non exaudimur, nisi etiam corporum sanitates, & eiectiones dæmonum ad animarum salutem referamus. Proinde diligenter precandi studio incumbamus, Sacrosanctum Iesu nomen ex fide inuocemus, salutaria quæcunque per illud nobis conferri postulemus. Vt ita fructus iustitiæ Christianæ edentes, æternæ gloriæ coronam promereamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto semper viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

Apostolicæ functiones.

Officium boni pastoris. *Ioan. 11.*

Fructus Apostolici laboris vbi maneat.

Quomodo Apostoli in Christo existentes fructum possent afferre.

Precatio quid ponat, eadẽ quàm Apostolico muneri necessaria.

Quid sit: Patrem in nomine Christi aliquid petere.

Quemadmodum æternæ gloriæ coronam promereri valeam*.

TRACTATVS LX.

In illa verba: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.* Ioan. 15.

Præcepti mutuæ dilectionis necessitas.

QVEMADMODVM Virgæ singulæ per se seorsim sumptæ, facilè frangi possunt, in vnum verò fascem colligatæ, nisi difficulter perrumpi nequeunt; ita solitarios quoslibet facilè Satanas aggreditur, atq; eos deuictos suę ditioni subijcit; at cõiunctos, & in nomine Domini cõgregatos dæmon non accedit, quòd si accedat, technis eius, ac dolis detectis, de eo facilè victoria obtinetur. Propterea Dñs non ignorans quanta Discipulis suis ad disseminandum Euangelium per vniuersum orbem destinatis

Quorũ conspectum Satã reformidet.

natis pericula à mundo, & Satana imminerent, illos dilectione mutua charitatis, quæ vinculum est perfectionis, præmunire voluit, dicendo: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Christus vero ex charitate mox moriturus, & qui Sacramentum amoris instituerat, nescit aliud, nisi illud, quo plenus erat, effundere. Et cùm dixisset, *Mandatum nouum do vobis*, deinde, *Hoc est præceptũ meum*; iterum hanc charitatis legem inculcat, dicendo: *Hæc mando vobis: vt diligatis inuicem.* Facitque Dominus quod præceptor cum pueris facere consueuit. Nam vnum & idem sæpius inculcat, ac repetit verbum, vt facilius capiatur, & fortius memoriæ commendetur. Deinde amor diuinus non facilè hominum mentibus potest imprimi, nisi prius proprius amor exuatur, & abijciatur penitus; ac vt arborem robustam nemo vno ictu ferri excidit, sed pluribus, ita veteris Adæ reliquias, atque ingenitum sui amorem non nisi magno studio, opera, ac diligentia vllus deponere valet, atque ob eam causam Dominus toties de charitate philosophatur. Adhæc cùm perfectiò, & felicitas cuiuslibet rei in eo sita sit, vt fini suo coniungatur, quod homini in patria perfectè continget per visionem Dei, modo autem, dum per fidem ambulamus, & nondum per speciem, hæc coniunctio per charitatem fit, qua cum Deo conglutinamur, & vnus spiritus efficimur cum eo. Vt enim vnum fit ex anima & corpore, ita ex Deo & nobis vnum quid efficimur, secundùm illud: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Tradunt Philosophi corpus esse in anima, & animam in corpore, etsi diuersa ratione. Est enim corpus in anima, vt contentum in continente, à qua esse, & quicquid habet perfectionis, accipit: vicissim anima est in corpore, vt forma in subiecto. Ad hũc planè modum nos per charitatem sumus in Deo; non tamen secundùm naturam; secundùm quam in eo viuimus, mouemur, & sumus, sed peculiari modo sumus tanquam filij per Spiritum adoptionis, viuimus intus per fidẽ, & mouemur extra per opera charitatis viua ad Deum, & ad proximũ. Esse autem in Deo, perinde est, atque in paradiso voluptatis, ac ciuitate refugij, centro quietis, nidoque securitatis tutissimo permanere; Deum verò esse in nobis per charitatem, est perinde atque pretiosissimam gemmam in annulo affixam ditantem nos, ornantem, ac nobilitantem existere. Ipse enim nostri non egens, ad vtilitatem nostram nos inhabitat; nos autem illo maximè egemus, non secus atque corpus indiget anima. Inculcat præterea proximi amorem, in quo ille Dei continetur. Nam qui diligit proximum, legem impleuit, hoc est, secundam tabulam: & quia proximus diligendus est propter Deum magis dilectum, etiam primã. Hinc Augustinus: *Meritò itaq; magister bonus dilectionem sic sæpè commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non possunt haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.* Hæc ille. Postremò dixerat paulò ante Dominus: *Elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*: iam per charitatẽ ad proximum optimè administrari officium Apostolicum ostendit: quod in primis positum est in gubernãdo, & pascẽdo, ad quod opus est illo amore, quam Dominus exegit à Petro, cùm dixit: *Petre, diligis me plus his.* Deinde in prædicando, & docendo; at concionandi munus sine charitate Dei, & zelo animarum, omninò friget. Ad hæc Apostolica prædicatio exigebat per vniuersum orbem discursum, secũdùm illud: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*; at hic discursus animarũ sitim requirit ad Christum trahendarum, non minus quam in mercatore lucrum, in venatore prædæ cupiditatem: quemadmodum & prædicatio postulat meditationem, studium, & precationem: Vt Apostoli qui dicebant, *Nos verò, orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Proinde Spiritum sanctum, & quæ dicenda sunt, suggerentem, & cor dicentis inflammantem, & orare docentem requirit, vt dicere illud valeat: *In meditatione mea exardescet ignis.* Adhæc ea quę prædicationem consequuntur, vt cùm non recipitur Dei verbum, sed contemnitur, vel minister verborum iniurijs afficitur, vel eius verba in calumniam rapiuntur, & ingratis animis excipiuntur; ingentem postulant charitatem, quæ, vt fortis stomachus, eiusmodi contemptus iniurias, & calumnias valeat conficere, ac deuorare; nec propterea cesset à benefaciendo, quemadmodum pater amantissimus cum phrenetico filio se habere solet. Denique Apostolicum munus ille exercet pro dignitate, qui se patrem, & matrem esse nouit, hoc est, qui amorem fortem, & corrigentem, vt pater, & amorem dulcem & blandientem, vt mater ad eos, quibus præest, exercet. Rectè ergo ait, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Particula; Vt, non indicat finem mandati, sed explicat mandatum; vt sit sensus: Hæc mando vobis; nẽpè, vt diligatis inuicem. Hoc est, doctrina mea, & vitæ meæ, atq; mortis exemplo doceo vos seruare inuicem charitatem, qua

[Left margin notes:]
Coloss. 3.
Ioan. 13.
Cur tantopere inculcet dilectionem Dominus:
I. ratio.
II. ratio. Cuiusque rei perfectio ac felicitas in quo sita sit.
2. Cor. 5
2. Cor. 6.
1. Ioan. 4.
Vt nos simus in Deo.
Act. 17.
Rom. 8.
Esse in Deo quid sit; Deũ vero per charitatem in nobis.
Psalm. 15.
IV. ratio.
Rom 13.
Exod. 20.

[Right margin notes:]
Aug. tract. 87 in Ioan. to. 9.
V. ratio, & postrema.
Apostolici muneris prima conditio.
Ioan. vlt.
II. conditio.
Marc. vlt.
Prædicatio tria postulat
Act. 7.
Psalm. 38.
III. conditio Apostolicæ functionis.
IV. conditio
Quę sensum habeat: Hoc est præceptum meũ, vt diligatis inuicem

muniti de mundo, & Satana triumphabitis, sicut ego ipse feci, maximè si rationem & modum meæ erga vos charitatis imitari volueritis: tunc enim hæc quæ vobis mando, ne grauia quidem erunt, nedum impossibilia, amara fient dulcia, dura, & tristia, mollia & lęta reddentur, ignominiosa quęque vobis honorifica videbuntur: quod & factũ est. Nam, vt Lucas testatur, Ibant gaudentes Apostoli à conspectu Cnocilij, qm̃ digni habiti sunt pro nomine Iesu cōtumeliam pati. Et quia superius dixerat, palmites purgandos, vt fructum maiorem adferant, atque hæc per aduersa, quæ ad duo capita reducit, odium videlicet, & persecutionem; aptè præmittit. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem: quo ostendat, quo clypeo sint accipienda cuncta aduersa, atq; expugnanda, nempè charitatis ad proximum, *Si mundus*, inquit, *vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Tria mala Apostolis euentura prædicit: Odium mundi, persecutionem, & contemptum verbi, & prædicationis, & vnicuique malo medicamenta, & antidota instar prudētis, ac fidelis medici adhibet, muniens eos contra ingruentes, & futuros morbos. Et cùm hactenus contra interiorem tētationem, qua homo de diuina voluntate hæsitat, cōgrua & opportuna remedia adhibuisse; nunc contra externas tentationes, quæ ex ingrato mundo oriuntur, confirmat. Etenim nō parum homines pios, & sanctos excruciare solet tam ingratos animos mundi experiri, quibus tantis laboribus pro eo toleratis, totq; beneficijs illi impensis respondēt. Mundi autem voce, etsi quandoq; veniat vniuersa hæc creatura, secundùm illud: Et mundus per ipsum factus est; quandoq; verò vniuersi homines intelligantur per figuram Metonymiæ, in qua continens vsurpatur pro contento; ideò homines mundi habitatores dicũtur mundus: quemadmodum Ierusalem ciues, Ierosolymitani; cœli, & terra per eandem figuram dicuntur incolæ cœli, & terræ, id est, Angeli, & homines, plerunq; tamen hæc vox in malam accipitur partem, id est, pro impijs & amatoribus mundi, & qui in eo habent ciuitatem permanentē, nec futuram inquirunt: qui concupiscentiã carnis, oculorum, & superbiam vitę habent. Et in hunc sensum mundus totus dicitur positus in maligno, id est, in Satana eius domino, atq; principe. Nam vt viri iusti dij dicuntur, quia in Deũ, in quē credunt, & quē impensè amant, sunt transformati, ita mundus dicuntur, qui per affectum & amorem in eum sunt transmutati, mundi leges, gustum, iudiciũ, mores & ceremonias eius probantes. Ait igitur: *Si mũdus vos odit.* Si vos, inquam, veritatem & Euangelium annunciantes, vitæ exemplo, & signis illam illustrantes. Et nomine odij, intellige vniuersos interiores motus ac perturbationes, cogitationes, consilio, atq; dolos à prima passione bono cōtraria, quæ est odium, significatas. Quasi diceret; Scribę & Pharisæi mei adstersarij vos oderũt, & post ascensionem meam cùm prædicare cœperitis, adhuc maiori odio vos prosequentur, iuxta illud quod alias dixi vobis: *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*: idq; debet esse vobis magno solatio, vt agnoscatis vos veros meos esse discipulos, quib[9] mundus bellum indixit.

Act. 5.

Malorũ triũ, quę Apostolis erāt euētura, triplex Christi medicina salutaris.

Mundi triplex acceptio in Scripturis sanctis.

Ioan. 1.

Qui Christũ & Apostolos odio habuit, quis mundus ille fuit.

Hebr. vlt.

Ioan. 2.

Ibidem.

In iusti cur dij dicantur in sacris literis.

Quoniam odio Christum & Apostolos mundus habuerit.

Matt. 24.

Scitote quia me priorem vobis odio habuit. Scitote, verbum Grçcum anceps est, ad scitote, Imperatiui, ad scitis Indicatiui, quod hic optimum sensum haberet. Ipsi enim erant iam testes: quamuis nihil vetet, eos admoneri de futuro: Dictio, priorem, non tam est ad tempus referenda, quam ad dignitatem, vt interpretatur Cyrillus, dicens: *Cùm mundi odium vobis opponitur, non turbabimini, si mundi honores contemnetis. Si hoc mihi ipsi, qui Dominus, & magister sum, accidisse memoria tenebitis.* Non ergo eos ad vindictam, sed ad patientiam armat, nec iubet vt desistant à prædicando, & à beneficijs, cum mundo decertando. Et cōsolatur eos ab exemplo suo, qui caput eorum, Domin[9] & magister erat, nec hac odiorum purgatione indigebat; & tamen grauissima odia sustinuit. Solet hoc genus consolationis prę sentissimum, & gratissimum esse, quod à magnis petitur hominibus, quos intelligimus aliquando in eisdem laboribus conflictasse, atq; periculum fecisse. Sic Paulus suos consolatur, scribens ad Romanos, ab exemplo eorum, qui Ecclesiæ praerant, & plura, atq; excellentiora dona in ea acceperunt. Non solùm autem, inquit, illa (scilicet creatura) sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri; & Petrus in priori sua epistola à communi omnium sanctorum periculo solatur, dicens: *Scientes eandem passionem ei qua in mundo est, vestræ fraternitati fieri.* Sed exemplum capitis magis permouet membra. Christus enim passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quod si dicerent fortè Apostoli, quomodo inuicem diligere nos possumus; cùm videamus nos odio haberi ab omnibus? Cùm sic ille etiam odio habendus sit, qui odiosos sic diligat? Respondet Iesus: Non debetis iudicium mundi, vel

Quid est, Scitote, quia me priorē vobis odio habuit.

B. Cyril. l. 10. in Ioan. c. 20.

Ioan. 13.

Efficax cōsolandi genus.

Rom. 8.

1. Petr. 5.

Ibidem. 2.

Pręceptũ mutuę dilectionis, vt possit cũ odio mũdi consistere.

ai, vel eius amorem formidare; qui me, antequam vos, odio habuit: atque amare debetis quod Christus amat, etiamsi id vel maximè odio habeatur à toto mundo. Vel propterea si mundus odio sit vos habiturus, nunc enim non est tempus, quo mundi iudicio stetis, sed quo mundum iudicetis: Mundus enim legem quādam colit, qua vnicuique quod vult licet, modo publica pax non perturbetur: ita & tantùm aperta delicta insectatur, Christus verò conscientiam premit, & adigit ad confessionem. Possent quidem à nobis hoc loco excēpla proferri Gentilium ad omnes solandos afflictos accommoda; vt Romuli, quii prò Vrbis salute vitam fudisse scribitur, & à senatu in Curia dilacerat⁹ est; Camilli, qui Reipublicæ Romanæ defensor eximius extitit, & in exilium demum actus est; Scipionis Africæ domitoris, qui in exilio obijt, & vt scribit Valerius, sepulchro suo inscribi iussit: *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes*; Ciceronis, eloquētiæ Romanæ facilè principis, qui M. Antonij imperio proscriptus fuit, & à Popilio quodam, quem ipse in iudicio defenderat, interemptus: Hi omnes cùm Imperium Romanum partim prudētia, & armis; partim legibus, & eloquentia, propagauerint, contumelijs tamen & probris sunt affecti. Eadem Lycurgus à patria sua Lacedęmone, & Themistocles ab Atheniēsibus experti sunt. Imò quo magis Reipublicæ saluti, aut commodis populi consulere voluerunt, eò amplius pertinaciori odio ab ipsa sunt tractati. Hic est enim mūdi genius, vt bene consulentem ferre nequeat. Sed talibus exemplis Christus minimè est vsus, quia nec illum docebat, nec auditores. Poterat tamen adferre Prophetarum exempla. Multa enim Moyses à Pharaone & Synagoga ingrata pertulit; Helias à Iezabele & Achab, Esaias à Manasse, & vt Stephanus obiecit Iudæis: *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? Et occiderunt eos qui praenuntiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis*: Ioannes etiam Baptista ab Herode correpto a se propter Herodiadem, carcerem & mortem sustinuit. Sed vniuersa hæc reliquit Dominus, vt maius, purius atque illustrius sui ipsius exemplum adferret, qui Deus, & homo est, ac proinde falli nequit, qui Legislator, Dominus est, & Magister. Et prior cùm sit dignitate, tempore quoque prius, & maiori odio exceptus est. Prima ergo consolatio est, si aduersa sustinemus, quod nihil noui nobis accidat: quia vetus mundi ingenium est, ingratum se bene consulenti præbere. Vnde alio loco dixit Dilectus: *Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus*. Altera cōsolatio est, quod non soli, sed cum omnibus sanctis, atq; adeò cum vniuersis, qui virtutem coluerunt, perpetimur. Tertia est, quia cum ipso Christo simul patimur, qui in nobis est, & qui dicit: *Saule, Saule, quid me persequeris*. Et, *Qui vos tāgit, tangit pupillam oculi mei*. Prestat autē cum Christo & sanctis afflictis simul pati, quia spes certa est quod conglorificabimur, quā cum mundo gaudere. Ideò Moses prętulit improperium Christi thesauro Ægyptiorum; & magis pati cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: nec decet sub capite spinoso membra esse delicata.

Mundi lex, qui Christo valdè dissimilis.

Cur Christus Apostolos, & choicorum exemplis, aut notū hominū Veteris Testamēti, cum abundè possent, ad persecutionū tolerantiam non sit adhortat⁹, sed tantū suo. *Val. l. 5. c. 3. de ingratis.*

Mundi ingenium.

Act. 7.

Matth. 14.

Ioan. 13.

Quę res Apostolis persecutionē patientib⁹ solatium afferre poterant.

1. Ioan. 3.

Act. 9. *Zachar. 2.*

Cur præstet cū Christo, & cū sanctis simul pati, quā cū mundo gaudere. *Hebr. 11.*

Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Argumentatur à similitudine naturæ, morum, operum, & studiorum, quę sæpè conciliat dilectionem, quemadmodum dissimilitudo caussa est odij. Hinc prouerbia: *Dissimilium infida societas*. Et, *Similis similem quærit*, & illud Homericum: ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον, & Sapiens: *Omne animal diligit sibi simile. Et omnis caro ad similem sibi carnem coniungitur*. & illud Horatij:

Oderunt hilarem tristes, tristemq́, iocosi:
Sedatum celeres, agilem, gnauumq́, remissi.

Hinc ergo dissimilitudo caussa est odij. Sicut illi, qui dicebant: *Circumueniamus ergo iustū, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ*. Mala scabies non nisi commodè scalpentem amat. Quærunt qui hunc mundum diligūt, eos qui sibi applaudant, & adulentur: qui conniueant, vel faueant peccatis: qui excusent rapinam, ambitionem, iniustitias, & dicunt: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores*. Esse autē de mundo, nihil est aliud; quam sentire, & sapere secundùm opiniones mundi, operari secundū leges eius, magnifacere, aut paruifacere, quæ ille magna esse existimat, aut parua, vel saltem eius caput Satanas. Qui ergo se conformē reddit mundo, illum diligit, imitatur, & sequitur; de mundo est. Nō est autem de mundo, qui per Dei gratiam sentit quæ Deus sentit, amat quæ ille diligit, viuit deniq; secūdùm eius leges, & arbitrium, quemadmodum de eo, qui natus est in villa, politicè tamen, & aulicè educato, dicere consueuimus: Hic non est rusticus: villā, in qua est natus, non sapit: mores habet planè aulicos, ac vrbanos, quales habent, qui in frequentissimis ciuitatibus, & aulis Principum versantur. Ad hunc modum veri Christi cultores, vt Apo-

Cur oderat mund⁹ Apostolos, teste Christo.

Prouerbia quædā huius mundi sapientium. *Homerus. Eccles. 13. Horat. l. 1. ep. 19.*

Sap. 2.

Quęrat quos mundus, ac diligat.

Esai. 30. Esse de mundo quid.

Non sit quis de mundo, & qualis videri possit.

Apostoli,licet adhuc in mundo isto sint, & in illo nati sint, de mũdo tamen sunt, quia pedibus illum tangunt,cõculcantes eius leges,honores,diuitias,atq; delectationes omnes,corde autem sunt filij Dei, & dicunt cum Paulo:Nostra politia siue conuersatio in cœlis est.Quod Dominus infra in Ioanne explicat, dicens. *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Et alibi dixit ad Iudæos: *Vos de mundo hoc estis,ego non sum de hoc mundo*; & Dilectus in Catholica sua epistola: *Ipsi de mundo sunt,ideò de mũdo loquuntur,& mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit* Deũ, *audit nos. Qui non est ex Deo,non audit nos. Si ergo de mũdo essetis,mundus quod suum est, in nobis diligeret*;& vt ait Philosophus:*Amabile quidem bonum;vnicuique autem proprium.* Ideò naturali instinctu mũdus diligit bonum proprium, vbicunque illud inueniat: quamuis interdum inter mundanos sunt rixę &odia,non quidem per se,sed quatenus bonũ aliquod particulare multi expetentes, nõ potest nisi vni competere: hinc enim contentiones de honore,delectatione,& vtilitate, quemadmodum inter canes pax est, dum dormiũt:at illi esurientes de pane,aut osse proiecto,magno impetu inter se decertant, seque ipsos dentibus mutuò dilacerãt. Quia verò de mundo non estis,id est,non probatis mundi laruam, & improbitatem, agitis Democritos, mundi prudentiam, & iustitiam ridentes,atque irridentes; imò veros Heraclitos,eorum opes & fortunas, quib⁹ fidunt,deplorantes.Imò vobis est mundus crucifixus,& vos ipsi mundo. *Sed ego elegi vos de mundo.* Quo verbo indicat, Apostolos de mundo olim fuisse, sed diuina gratia inde quasi ex Ægypto quadam eductos, atq; selectos:primò quidẽ ad fidem, & gratiam, & consequenter ad vitam æternam, deinde ad Apostolatum,& ministerium Euangelicum,ad educendum alios ex seruitute Pharaonis, & ad Christum deducendos. Hoc igitur verbo admonemur, ne quisquam in suis meritis glorietur, sed in Domino, qui nos elegerit. Deinde amicitiam mundi non esse curandam, quia esset corde reuerti in Ægyptum: Et, *Quicunque voluerit amicus esse seculi huius,inimicus Dei cõstituitur*;vt ait frater Domini.Tertiò nõ docet Christus,vt odium mũdi conciliemus, sed hortatur pro salutari doctrina spargenda,mundi odium esse deuorandum. Nam vt rectè Gregorius ait:*Vtilius permittitur nasci scãdalum,quam veritas relinquatur.* Et quisque præferre debet totũ mundum contra se concitatum,quam vel in minimo Deum offendere.Nam Dominus dissipat ossa eorũ qui hominibus placent; & vt Apostolus habet:*Si hominibus non placerem,Christi seruus nõ essem.* Nec docet vt mũdi dilectores odio habeamus:quia sic essemus illis similes; neque odio nos prosequerẽtur, propter dissimilitudinem,quia odium compensaremus odio:sed id quod boni est ipsis, diligere debemus,hoc est naturam:odio autem habere vitia,& peccata, quæ sunt hominũ propria.Sed ipsi reuera quia nesciunt se amare, ad peccata se diligendo,odio habẽt seipsos: quia qui diligit iniquitatem, odit animam suã.Et ita cùm alios ad peccatũ diligant,illosq; vero odio prosequantur,neq; se,neq; alios diligere nouerunt.

Sed in hæc verba: *Mundus quod suum erat, diligeret*,obijcies nonnihil. Quia tyranni, qui Apostolos persequebantur, prædones, homicidas,& fures non diligebant, quos morte plectebant:non ergo quod suum erat,id est maleficos, & peccatores, diligebant. Respondemus,hoc fuisse, quia erant illis dissimiles in bono iustitiæ: quia malum non est solum,& per se purum sine aliquo bono, quia seipsum destrueret: sicut è conuerso erant illi dissimiles Apostolis in fide,& professione Christi,etsi in natura humana essent persimiles. Vel secundò dici potest,mundum sua vitia,& peccata,quę odit,habere vt externa quædam crimina, quibus Reipublicæ pax perturbatur; sed interna peccata, carnis concupiscentias, motus superbiæ, & auaritiæ pro peccatis non habebat;& ita mundi iustitia imperfecta erat.

Deinde obijcies, interdum contingere, vt viri mundani Religiosos viros ament, etsi ipsi in vitijs sint,& sordibus computrescant,nec mores mutent. Respondemus, id vtiq; verum esse,sed non diligi illos ab illis, quatenus religiosi sunt,& Christi cultores, sed quatenus mundanis molestos se nõ exhibent,& acerbos suorum vitiorum insectatores.At Apostoli,qui electi erãt vt mũdum mutarent,non poterãt à mundo diligi, qui nolebat mores suos mutare; & hoc præsertim,cùm nouam quandam religionem,quæ cæteras omnes antiquaret,inducerent.

Tertiò obijcies, mundanos in eôdem vitio communicantes,sese mutuo odio habere:vt ostẽdunt superbi, qui propter magistratum decertant; vt auari, propter sua lucra, & compendia; lasciui, propter fœminarum complexus. Respondemus, similitudinem esse causam amoris amicitiæ, quia amicus vult amico bonum, quo ipse amicus est sibi coniunctus. Secus se res habet in amore concupiscentię,quo quisque vult

Margin notes (left): Apostoli cũ mundo na essent, cur amẽ de mundo nõ erant. Ephes. 2. Philip. 3. Ioan. 17. Suprà 8. 1. Ioan. 4. Aristot. Odiũ vnde. Qualia odia hominum inter sese. De mundo nõ esse quid. Galat. 6. Apostoli cur electi de mundo. Gloriandum nõ in nobis, sed in Domino, de electione nostra. 2. Cor. 12. Amicitia cui huius mundi negligenda. Num. 11. Iacob. 4. Mundi odiũ pro salutari Euangelij doctrina spargẽda Christus nos docet esse deuorandũ. Greg. ho. 7 in Ezech. to. 2.

Margin notes (right): Psalm. 52. Galat. 1. In mundo, id est, mundanis hominib⁹, quid sit tantum odio dignum. Non bene se ipsum, & proximũ diligere, odisse est. Psal. 10. Vt verum sit Christi dictũ: Mund⁹ quod suum erat, diligeret. Malum sine aliquo bono cur nequit consistere. Altera solutio. Mũdus interdũ bonos cur diligat. Mundus cur odiŕet Apostolos. Mũdani homines in eodẽ vitio communicantes, odio cur sese mutuo prosequantur.

vult ſibi bonum, in quo quanto plus ſeipſum diligit tali amore, tantò magis odit ſibi ſimilem, per quem impeditur à cõſequẽdo bono amato. Hinc inter ſuperbos, & riuales ſemper ſunt iurgia, & vt Heſiodus dixit:

Heſiodus. Faber fabro inuidet. & cã tor cantori.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Memento ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Nouam confirmandi eos rationẽ adducit, quod Chriſtus vt certus futurorum præcognitor, ac Deus verus prædixit quæcunq; ſibi euẽtura erant de cruce, morte, & reſurrectione ſua, ne poſtea ingruentibus aduerſis turbarentur: ita quæcunq; erant Apoſtolis euentura aduerſa, prænuntiauit, ne imparati inuenirentur, & eorum animi frangerentur. Dixit autem alibi: *Non eſt ſeruus maior domino ſuo.* Cæterùm etſi paulò ante dixiſſet: *Iam non dicam vos ſeruos*, eiuſmodi promiſſio hoc verbo nõ violatur: quia ſenſus eſt, tantũ nõ dicam vos ſeruos, ſed etiam in poſterũ amicos vos compellabo: quia hæc amicitia ſeruitutem Dei honorificam nõ tollit: quemadmodum Chriſtus ſimul filius fuit, & ſeruus. Sicut vice verſa hæc ſeruitus, cum amicitia, vel filij ratione non pugnat, ſed eſt ſeruitus ex charitate quam filialem, & caſtam appellare poſſumus. Et vt ſummus aër cum infimo igne concurrit, & præſtantiſſimum argentum cum viliſſimo auro comparatur: ita ſuprema hæc ſeruitus, ac nobiliſſima, quam ex charitate Deo aut proximo propter Deum impendimus, conuenit cum infimo gradu filiorum, qui eſt per adoptionem. Si ergo me Dominum, Regem, caput magiſtrum perſecuti ſunt; vos quoque ſeruos, ac ſubditos meos, membra mea, atque diſcipulos meos perſequentur. Et ſi me inſanum, dæmonium habentem, ſeductorẽ, blaſphemum, voratorem, & vinipotorem, atq; publicanorum amicum compellârũt, à quo conuitio contra vos abſtinebunt? Et ſi patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius? Et ſi veſtra innocentia defendet vos à mundi odio; nõ mirum, quia nec mea me innocentia tueri potuit, nec meam doctrinam veriti ſunt aſpernari, nec mea ſigna tribuere Beelzebub nec meis beneficijs mites eſſe voluerunt. Et ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Qui in Deum impius eſt, quomodo erit pius in proximos? Turpè profectò eſt, & dedecore plenum, Rege in caſtris vulnerato exiſtente, milites eius ſine vulnere in ciuitate epulantes manere.

Quæ ſibi, & Apoſtolis adnerſa erant euentura, cum Domin' prænuntiauerit.

Matth. 10. Ioan. 13. Apoſtoli cur modo ſerui, qui ante amici dicuntur.

Quę Deo, aut proximo propter Deũ ſeruitus impenditur, qualis ſit.

Filiorum infimus gradus quinam. *Ioan. 10. Suprà 7. Matth 26. Suprà 11. Supra 10.*

Matth. 12.

Luc. 23.

Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Sicut odium continet omnes cordis machinationes, ita perſecutiones omnia mala pœnæ externa. Et eſt ſenſus: Si me in verbis meis inſidioſè obſeruauerunt ad calumniandum; & vos ſimiliter obſeruauerunt ad calumniandum; & vos ſimiliter obſeruabunt. Et ſi prędicatio mea ingrata fuit mundo, & veſtra erit. Et ſi prædicatio veſtra auditoribus non fuerit fructuoſa; is tamen labor non erit ſine fructu, & præmio. Nam teſte Cyrillo: Credere, vel non credere, in audientium volũtate poſitum eſt: veſtrum tantùm eſt ſeminare. Non ergo in ſeminãdo deſperare debemus, ſed quę nobis poſſibilia non ſunt, Diuinæ poteſtati ſunt relinquenda. Vt enim agricola terram aratro findit, ſemina terræ mandat, nihil eorum, quæ ad vberem ſationem ſpectant, omittens, Deo autem ſic apparatum agrũ committit, vt eius gratia, Sole, pluuia, vento, copioſum proferat fructum: ad hũc modum concionator Euangelicum Dei verbũ proponat ſyncerè, ſuamq; præſtet diligentiam, an verò fructus ſequatur, nec ne, Deo eſt relinquendum, qui ſolus rebus dat incrementum. Sed felicius prædicatoribus contingit, quam agricolis: nam agricola ſterilitate agri oleum, & operam perdit; at miniſter Euangelij ſi non perſuadeat, non perdet mercedem ſuam: quia prudenter dixit Apoſtolus. Vnuſquiſq; propriam mercedẽ accipiet ſecundùm ſuum laborem, & non inquit, ſecundùm fructum, quem ediderit. Si ergo ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt: & ſicut ego prædicans non niſi paucos ſectatores habeo, ſed poſt mortem meam multi ad me confluent, ſecundùm illud: Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert; ita vobis eueniet, raros enim diſcipulos, & auditores habebitis, priuſquam morte teſtimonium veſtrum compleatis. Dent igitur ſtrenuam operam tùm concionatores omnes, tùm vniuerſi Chriſti cultores, vt ſuo quiſq; modo verbum Dei diſſeminent, neque à doctrina, aut bonæ vitæ exemplo propter ingratos pleroſque moleſtè ferentes, & optima quæque inſectantes, ceſſent: quia etſi cõfeſtim fructum non edant, imò odium & maleuolentiam hominum ſibi conciliare videantur, ſuo tamen tempore fructum plurimum edent, quem æterno præmio ſit remuneraturus Dei Filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre, & Spiritu ſancto vna eſt deitas, honor, atque maieſtas ab omnibus adoranda, atq; benedicenda per omnes æternitates, Amen.

Quid eſt: Si ſermonẽ meum ſeruauerũt, & veſtrũ ſeruabunt.

Odium qu[...] pariat.

Cyril. l. 10. in Ioã. c. 28 to.

Verbum D[...] ſeminantes quam bono agricolæ ſimiles ſint.

1. Cor. 3.

Ibidem. Breuiter illu[...] Apoſtoli pe[...]penditur: Vn[...]uſquiſq; pr[...]priam merce[...]dem accipi[...] ſecundũ ſu[...] laborem.

Ioan. 12.

Boni prædi[...]toris mun[...]

TRACTATVS LXI.

In illa verba : *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem,& locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nũc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit,& Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum, &c.* Ioan.15.

Homicidii inter & homicidium differentia.

MAGNVM proculdubio est discrimen inter delicta,& crimina,quæ homines in se inuicem admittunt : nam homicidium casu aliquo, & inconsideratè peractum,apud sapientes, & bonos Principes facilè veniam impetrare solet, & Deus olim in Lege ciuitates refugij præparauerat, in quas se huiusmodi homicidæ recipientes,tuti essent, ac securi ; at qui sponte & præmeditatus homicidium perpetrat, venia minimè dignus existit. Sed vt dictum est olim, quicunque effudisset humanum sanguinem, fundebatur sanguis illius : & Christus, *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt* : tales homicidæ etiam si se in templum reciperent,& altare tenerent, iubet tamen Dominus vt ab altari auellãtur, quò meritas flagitij sui pœnas exoluant. Ad eum planè modum magna est differentia inter peccata ex simplici, & mera ignorantia profecta, quæ citò veniam promerentur,& quæ ex voluntaria, & affectata ignorantia proficiscuntur, qua grauius multò sunt punienda,iuxta illud : Ille seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius; vapulabit multis. Qui autem non cognouit,& fecit digna plagis, vapulabit paucis. Ideò Dominus ad hæc omnia respiciens,ait : *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem,& locutus fuissem eis*, & quæ sequuntur. Cùm dixisset, Apostolos odio,& persecutione prosequendos,& sermonem eorum contemnendum, subiungit : Hæc omnia prædicta facient vobis Iudæi,& Israëlitę,deinde etiam Gentiles propter nomen meum quod vos profitemini, & exosum erit eis cupientibus illud extinguere. Etsi ergo ignominiosum sit pati pro peccatis proprijs; gloriosum tamen, & honorificum pro Christi nomine fide amplectendo, lingua, & ore prædicando atq; inuocando : in quo nomine edatis signa, dæmonia pelletis, exaudiemini deprecantes, & salus vestra constabit. Hinc Petrus : *Si exprobrabimini in nomine Christi, beati eritis* ; & Dominus apud Matthæum : *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines,& persecuti vos fuerint, & dixerint omneme malum aduersum vos*; Et, *Ibant gaudentes* (scilicet Apostoli) *à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Est autem nomẽ Iesu iustitia,& remissio peccatorum, sapientia,& potentia, quæ mundi sapientes infatuat,& tyrannos deijcit, & magnos peccatores sanctissimos constituit. Significat etiã quod in illo, qui pro nomine Christi patitur, præcipuè Iesus simus patitur. Nam qui vos spernit, me spernit:& qui odit,& persequitur legatum Regis, Regem ipsum odit, & persequitur.

Num.35. Deut.19. Ios.20. & seq.

Gen.9.

Matth.26.

Exod.21.

Ignorantia vna est alia grauior.

Luc.12.

Apostoli quę mala Christ[us] prænuntiauit,à quibus passuri erant.

Pro Christi nomine pati quam gloriosum sit,& honorificum.

Marc.vlt.

1.Petr.4.

Matth.5.

Act.5.

Illud: Propter nomẽ meu[m] duo significat

1.Cor.1.

Esai.33.

Luc.10.

Quia nesciunt eum qui misit me: Id est, Nesciunt Deum esse, qui misit me Filium in mundum: nesciunt quod ego miserim vos ad prædicandum. Sed hac ignorantia minimè excusantur, vt subdit : quia profecta est ex eo, quod noluerunt discere : porrò noluerunt discere, quia dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, id est, gloriam propriam, & sua compendia, gloriæ Dei, & lucro Euangelico prætulerunt. Adiungit : *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Dixerat Iudæos per ignorantiam peccasse, quia nescierunt Deum, mittentem Filium suum in mundum : nunc ostendit illam ignorantiam, quæ alias solet alleuiare peccata, delictum tamen hoc non sustulisse, imò auxisse potius,& admittentem venia indignum reddidisse, vt enim tradit Philosophus in Ethicis, ea omnia quæ voluntatis libertatem aliquo modo imminuunt, vt sunt vis, metus, & ignorantia, eatenus excusatione digna sunt, quatenus aliquid de voluntario adimunt. Atque huic doctrinæ, quæ cum prudentia coniuncta est, fauet sacra Scriptura, quæ sæpè ignorationem vt circunstantiam delicta excusantem producit. Vnde Paulus: *Misericordiam,inquit,consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Dauid quoque confidenter precatur Deum : *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris* : & Petrus, *Scio quia per ignorantiam fecistis ; sicut & Principes vestri* : & Dominus in cruce, *Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt.* Abimelech quoque Rex Geraris, solo rationis naturalis lumine ductus, dixit ad Deum, *Num gentem ignorantem & iustam interficies?* Cernis vt ignorationem iustitiæ coniungat? Cui respondit Dominus, confirmans eius sententiam; Et ego scio

Explicatur: Quia nesciũt eum qui misit me.

Quia diligũt magis tenebras quam lucem.

Ioan.3.

Qualis Iudęorum ignorãtia Chr[istum] ad se missum repellentium.

Philos.l.3. Et.

Quę res pec[c]atum min[us] faciant teste Philosopho. Simplici ignorantia excusari peccata, Scriptura ostenditur.

1 Tim.1.

Psalm.24.

Act.3.

Luc.23.

Gen.20.

Crassa atque affectata, quã vocãt ignorã-tia, inexcusa-bile peccatũ constituit.
Psalm. 35.
Esa. 30.
Iob 21.

quod simplici corde feceris; & ideo custodiui te ne peccares in me. Sed præter hanc simplicem ignorantiam est alia quæ dicitur crassa, & affectata, & quam sponte, studioséque nobis comparare nitimur, de qua Dauid; *Noluerunt intelligere, vt bene agerent*: & Propheta; *Qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores*. Et Iob: *Qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus*. Et Dominus, *Hoc est iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*. Prima ignorantia est, oculis captum nasci: Secunda, oculis sponte priuari. Ait ergo: *Si non venissem, & locutus fuissem eis*. Sic enim Græca, & Latina lectio emendata habet: vbi negatio posita in primo membro, supplenda est in secundo more Hebræorum, vt illud: *Non auertas faciem tuam à me; & similis ero descendentibus in lacum*. Sensus igitur est: Si non venissem, & locutus eis non fuissem. Exprobrat autem Dominus his verbis beneficia in populum Dei ingratissimum collata, vt alibi sæpè facit. Nam apud Esaiam, Ieremiam, & Oseam mirificè Dominus ingratos erga se Iudæorum animos percutit, & beneficia ingentia exprobrat: quemadmodum Christus apud Matth. cùm inquit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida. Et tu Capharnaum*, &c. Magna vis & energia ad flectendum, & terrẽdum homines, in exprobrando posita; vt mirum non sit, si Dominus tam frequenter vtitur ea. Hic autem Dominus tria summa, & singularia beneficia Iudæis collata exprobrat. Primum est: *Si non venissem*. Magnum enim est, & incõparabile beneficium, Deũ hominem fieri, secundùm illud: *Verbum caro factum est*; & per natiuitatem ad nos venisse. Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est, quod in specie Circumcisionis minister esse voluit, ac de sua missione dicere; Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Magnum esset profectò, si Rex remissionẽ iniuriæ sibi per te illatæ ad te destinaret: sed illud longè maius, si per filium suum primogenitum te quærentem, domumq; tuam ingredientẽ mitteret: sed illud lõgè maximum, quodq; humana mens, aut cogitatio plenè capere nõ potest, quod æternus, & immortalis Deus Filiũ suum vnigenitum cũ remissione peccatorum, clementięque diuinæ gratia, atq; vitæ æternæ promissione ad te perferenda direxerit. Sed quam gratus extiterit Iudæis, ostendit alibi Ioannes, cùm dixit: In propria venit, & sui eum non receperunt.

Ioan. 3.

Duplex Iudęorum ignorantia.

Hebraismus.
Psal. 142.
In scripturis frequens in Iudæos exprobratio beneficiorum Dei.
Esai 1. & 5.
Ierem 2.
Osee. 12.
Matth. 11.
Luc 10.
Cur sæpe Christus beneficia exprobret ingratis.

Tria Christus beneficia quã maxima Iudæis obiecit ingratis.
Ioan. 1.
Luc. 2.
Hebr. 2.
Rom. 15.
Matth. 15.
1. beneficium incarnationis videlicet.
Comparatio.

Qualẽ Christo gratiã pro incarnationis beneficio Iudęi retulerint.
Ioan. 1.

Sed illi primùm nascenti præsepe obtulit; viuenti autem neque locum quidem, vbi caput suum reclinaret, dedit; morienti crucem, mortuo alienam tribuit sepulturam. Venit ergo Dei Filius è sinu Patris ab eo non recedens: & in mūdum venit, vbi prius erat. sed in quo nouo modo esse cœperat, vtpote incarnatus. Quare Filij Dei incarnatio ante oculos semper nostros habenda esset, vt calcar esset & stimulus ad virtutem impellens, frenumq; à vitijs auocans atque coërcens.

Secundum beneficium, prædicatio fuit, de quo subiungit: *Et locutus fuissem eis*: intellige in propria persona. Nam cùm multifariam, multisque modis Deus patres allocutus esset per Propætas, nouissimè tandem locutus est in Filio: quem multi Reges, & Prophetę desiderârunt videre, & audire, neq; tamen fuit concessum. Grauissimum autem delictum extitit, Filium nomine Dei Patris loquentem non audire: nã ipse dixit, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*; & Pater de cœlis testatus est, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*; & per Mosen longè ante me dixerat; *Ponam verba mea in ore eius*: & quænam verba, nisi vtilia, & æternæ vitæ, & ad persuasionem omnium, qui obstinatè oculos veritati claudere non voluerunt? Verba, quæ in admirationem turbas rapiebant, & de quibus ministri ad eum capiendum missi testarentur, *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur*. Denique sermo eius erat in potestate, & non sicut ille Scribarum & Pharisæorum: verus: & à se possessus, cum zelo gloriæ Dei, & charitate proximi pronuntiatus, Scripturis sacris, conformis, miraculis confirmatus, & vita irreprehensa atque sanctissima commendatus: obturansque exterius ora volentium eum capere in sermone, & interius ob lumen, & tractum Angelorum, & tamen tanto, ac tam forti Dei verbo restiterunt: tanta est humanæ voluntatis obstinatio atque peruersitas.

Peccatum non haberent. Loquitur de certo, & singulari incredulitatis peccato secũdùm Augustinum, quod virtute omina alia delicta continet, & quod propterea omnibus alijs simul in vno positis est deterius. Præstat enim habere fidem veram in Deum etiam cum omnib9 peccatis quę admitti possunt; quam carere fide, & omnibus virtutum moralium officijs ornatum esse, vt libro de natura, & gratia testatur Augustin9, quod qui fidem habet, initium salutis habet; sed sine ea impossibile est placere Deo. Est etiam ingrati animi vitium,

Luc. 2.
Infrà 9.
Infrà 19.

Filij Dei incarnatio ante oculos nostros cur semper habenda.

Alterũ beneficium Iudęis collatum, prædicatio.
Hebr. 1.
Luc. 13.

Ioan. 7.
Matth. 17.
Deut. 18.
Quænã verba Deus Pater posuerit in ore Christi.
Ioan. 6.
Matth. 7.
Ioan. 7.
Matth. 7.
Luc. 4.
Christi prędicationis efficacia.

Matth. 22.
De quo Iudęorũ peccato dicitur: Peccatum non haberent.

Aug. tract. 89. in Ioan. to. 9.
Incredulitatis peccatum quantum damnum fides, Augustino.

Id. l. de natura & gratia. to. 7.

Iudæorum in Christum ingratitudo turpissima.

tum in omnibus alijs turpissimum, tũ maximè in hoc, vt quis tanto beneficio incarnationis, & Euangelij renunciet: quia odiũ Dei; & Christi sui complectitur, & veritatis compertę impugnationem. Habebant quidem Iudęi innumera alia peccata, superbię, auaritiæ, atque luxuriæ, propter quæ fidei naufragium interdum incurrebant: verùm hîc de illis non loquitur; quæ pro remissis habita essent, si in Iesum credidissent, sed de nouo isto incredulitatis. Peccatum ergo tãtum, quantum nunc habent, non haberẽt. Docet igitur Dominus aduentu suo iram Dei in impietatem, & iniustitiam reuelari de cœlo, vt Apostolus ad Romanos scripsit. Quemadmodum enim cæcus quispiam in tenebris positus nondum apparet cęcus, orta verò luce, manifesta redditur eiũs cæcitas: ad eum modum peccatores olim in quantis tenebris versarentur, cognitum non erat: at coruscante Euangelij luce detecti sunt. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, Græcè legitur πρόφασιν, id est, prætextum, qui plus est quam excusatio: significat enim colorem, vel speciem excusandi peccatum post tam manifestam prædicationem: peccatum autem quod caret excusatione, certissimam habet damnationem. Et sicut hoc verbum terret malos, ita bonos consolatur, ne graue existiment, si mundus videri velit iustè eos persequi: q̃ postea apparebit. Admonẽtur etiã hoc verbo Christi cultores, ne peccent, quia eadem eorum peccata post tantum Christi lumen grauiora sunt in ipsis, quam in Iudæis, aut in Ethnicis: quia altiori lumine agnouerunt illa Deo displicerere, cùm Pagani solo lumine naturæ illa esse fugienda percipiãt. Sunt etiam peccata nostra quasi adulteria, postquam Christum in Sponsum accepimus, illumque per baptismum induimus; illorum verò delicta, quasi innuptarum fœminarum, simplices videntur esse fornicationes.

1. Tim. 1.

Iudæorũ cæcitas quando perspecta est. Rom. 1.

Quid est: Nunc aũt excusationẽ nõ habẽt de peccato suo.

Christianis pęslertim cur minimè peccandum.

Qualia sint eorũ peccata præ illis in fidelium.

Obijcies fortassis; Si Christi aduentu Iudęorum delictum factum est inexcusabile; pręstitisset Christum non venisse, ne Iudæi tali crimine inuoluerentur? Sed responderi posset, melius fuisse quod Deus legem non traderet: nam per legem peccatum mortuũ aliquando reuixit, vt ait Apostolus ad Romanos; & tamen lex danda fuit, vt peccatũ agnosceretur, & humiliarentur homines, atq; Medici illud curantis aduentum sitirent. Debuit etiam Iesus venire, tum vt fidem suam liberaret, tum quia mundus peccata quædam quasi virtutes esset, amplectebatur, tum deniq;, vt mundi peccatum ex se tolleret, vt reuera sustulit. Licet quidã sua culpa Christum negauerint, illumque, amplecti noluerint: vnde salus, & Saluator & Euangelium pacis reddita sunt illis in ruinam, & in scandalum, & in signum, cui fuit contradictum.

Cùm peccatum Iudęorũ Christi aduẽtu aggrauandũ foret, cur ad eos venit.

Rom. 7.

Quare conueniens fuerit Iudæis legem dari.

Ioan. 1.

Qui me odit, & Patrem meum odit. Odio naturali eos prosequimur, qui nos à consequendo aliquo, quod amamus, impediunt: at Iesus cùm in se bonus, sanctus, vtilisque sit, tamen apprehensus vt homo purus, obstansque nostris cupiditatibus, & apparentis, ac falsi boni amori se opponens, odio est habitus à Iudæis suis parentibus, quasi contrarius, & dissimilis. Hinc est vt auari auersarentur eum, quia paupertatem commendabat: odio haberent superbi, quia tantoperè laudabat humilitatem: delicati, quia mortificationem, & abnegationem sui ipsius prædicabat: iracundi, quia mititatem præferebat, & pacem: dilectores mundi, quia ad cœlestium amorem inuitabat. Qui autem Iesum, is quoq; & Patrem suum odit. Etsi enim Deus vt infinitum bonum, & bonitatis omnis fons indeficiens, odio haberi sub tali ratione nequeat: tamen in operibus suis, quibus debitis pœnis peccata nostra plectit, & in præceptis suis, quibus contrarius est voluntati nostræ, nostrasque cupiditates compescit, odio haberi potest. Vnde scriptum est: Superbia eorum qui te oderũt, ascendit semper. Qui ergo Christum odit, & Deũ Patrem odit: quia in Christo non est causa odij alia, nisi virtus, & honor Patris sui, pro quo certabat. Et quia quæcunq; Christus docebat, præcipiebatur, eadem per eum tradebat Pater; meritò etiam Patrem oderant, quia teste Cyrillo, vna est Patris, & Filij essentia, vna vtriusque voluntas, & bonitas. Et vt in patria, vna persona actu cognosci nequit sine altera, ita nec amari. Secùs se res habet in via, vbi vna persona sine altera cõcipi potest, & sic amari, vel odio haberi. Odit ergo Patrem, id est eum, qui Pater meus est: quemadmodum qui Proregem odit, vel Legatum, odit & Regem, vel Papam mittentem, etiamsi se in Regem, vel Papam agere non existimet, quia vt talem non agnoscit. Ad hęc qui in hominem piũ molestus est; vel iniurius, peccat in Deum ipsum. *Qui vos*, inquit, *tangit, tangit pupillam oculi mei.* Ergo qui iniuriam infert Filio, iniurius est ipsi Patri. Pręterea qui in membra peccat, in Christum caput peccat: vnde illud: *Saule, Saule, quid me persequeris?* & percutientes fratrum conscientiam infirmam, peccabant in Christum: ergo qui in Filium Dei peccat: Patrem odit. Curãdum ergo diligenter, ne odio proximos nostros prose-

Luc. 2.

Quosnã odio prosequamur.

A quib⁹ Christus odio habitus.

Marc. 3.

Matt. 19.

Luc. 14.

Suprà 9.

Matt. 5. & 11.

Qua ratione odio haberi Deus possit.

Psalm. 73.

Quare Christũ qui odit, Deũ oderit necesse est.

Cyril. eodem l. c. 31.

Quales qui Christũ oderunt, & Deũ Patrẽ oderunt

Zach. 2.

Act. 10.

1. Cor. 8.

Od um proximorum, in

prosequamur, etiam nos offendentes: quia odium non sisteret in ipsis, verum in Christum ipsum pergeret. Et si tot viri docti, & religiosi, quã erant Iudæi, Filium Dei, quẽ expectabant, odio habuerunt, ac prosecuti sunt, & ob id oderunt, propter quod maximè amare debebat; quantum nobis timendum sit ab innata nostra malitia, facilè cernere possumus. Ideò rogemus regi à Deo, & illuminari, ne odium pro dilectione reddamus.

odium Christi cedit, & redundat.

Psalm.108.

Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Tertium ac maximum periculorum exprobatur Iudæis beneficium, quemadmodum alibi exprobrauit illis ciuitatibus, in quibus cùm tot signa edidisset, neque crediderant tamen, neque egerant pœnitentiam. Ait ergo: *Si opera non fecissem in eis.* Id est, non solum veni, & prædicaui, sed etiam quia sim, & doctrinam quam prædicaui, ex Deo esse, signis admirandis ostendi: si parum est quod veni, & prædicaui, vel operibus credite, & nolite dicere; Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuũ non est verum: sed ad operum testimonium respicite, quæ declarant qui ego sim, & quæ mea doctrina. Si verbis trahi vos recusastis, certè tot ac tantis beneficijs trahi vos sinite. Sunt autem opera mea, quæ nemo alius vel malus, & blasphemus, qualem me esse existimatis, fecit: nam Deus impijs, & scelestis hominibus attestari, & fauere non consueuit. Vel vnquam etiam sanctus, vel Propheta Dei fecit, vel etiam ipse Moyses legislator signorum patratione potentissimus, ne dum cæteri, qui fuêre post eum: & tamen recepistis Esaiam, Ieremiam, Danielem, & Ezechielem sine vllis editis signis: imò Heliam contra legem in Carmelo monte sacrificantem, vt Prophetam acceptastis. Non ergo Moses, & alij Prophetæ, aut plura, aut maiora, aut paria soli Christo fecerunt. Cæterùm hic non videtur loqui de Prophetis, & Mose, sed de iis, qui se pro Messijs gesserunt, ac venditârunt: vt Iudas Galilæus, & Theudas, de quibus in Actis fit mentio. Nam hìc agebatur de Propheta, quem Moyses venturum prædixerat: quare neque Moyses, neque cæteri Prophetæ, Messiæ nomine venerunt. Deinde Moysi, & Prophetis cur crediderunt esse Dei nuntios, nisi quia quædam signa ediderant? at Iesus his omnibus maiora ediderat signa, vt pro nuntio Dei reciperetur. Nondum hic autor erat, vt in aliam terram ex Ægypto migrarent, sed tantum vt à malis operibus resipiscerent, vt Deum amarẽt ex toto corde: ad quod suadendum, quodlibet signum satis esse debebat. Nam illa maiora signa non pro eo tantùm populo, sed ad expugnandam Pharaonis tyrannidem, & auaritiam, atque ad ostendendam in mille generationes Dei potestatem facta sunt. Obtinuitq; Moses autoritatem apud filios Israël, vt cum dixerit alium esse mittendũ, ei omninò crederetur. Iesus ergo, q. Moysis testimonio pro se vtebatur, & mira multa patrabat, recipi vtique pro Dei nuntio debebat. Præterea si Mosen, & alios simul prophetas ponas, non tot reperies miracula, quot leges vnum Christum edidisse. Denique illi circa eos prodigia exterius operati sunt: Iesus verò in eis intus illuminando cor, vt intelligere possent, & dando oculos, vt viderent: vnde & crediderunt multi. Nam etsi cùm sub Mose portenta illa patrarentur, Deus cor non dederit ad intelligendum, & postea aliquid luminis dederit: non tamen tantum quantum Iesus attulit; nondum enim tantùm lumen ferre potuissent. At Christi signa multitudine plurima extiterunt, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes: cuius comparatione Prophetæ omnes ediderunt pauca, Ioannes verò Baptista nullum edidit. Deinde magnitudine ingentia erant: vt, illuminatio cæci nati, suscitatio Lazari quatriduani. Tertiò, erant in qualitate Scripturis conformia, & qualia Prophetæ de Messia vaticinati erant, maximè Esaias, Quartò, quod ad modum attinet, spectabilia erant, & singularia: quia non prece, vel solo contactu, vt Prophetæ fecerunt quandoq;, sed imperio: *Obmutesce*, inquit, *& exi ab eo: Lazare veni foras*: interdum etiam sine contactu, aut præsentia: vnde seruum Centurionis, filium Reguli, & filiam Chananæ absentes sanitati restituit. Quintò, si respicias finem, videbis illum doctrinæ confirmandæ gratia illa fecisse, aut ad gloriam Patris illustrandam, aut ad Fidem propagandam, aut denique ad subleuandos ex charitate infirmos, & malè habentes, oppressosq; à diabolo liberandos. Ad extremum, hanc miraculorum virtutem cõtulit in Apostolos, vt eadem, ac maiora etiam, quam fecisset ipse, præstarent: adeò, vt vmbra Petri, sudaria, & semicinctia Pauli, cineres, & ossa Martyrum pro Christo interfectorum, ingentia, & quæ omnem fidem superare videãtur, signa, atque portẽta ediderint, in testimoniũ quod Iesus sit ille expectatus Messias, Deique vnigenitus Filius, ac verus Deus. Si ergo tot, & tanta opera, & tali modo edita, & ad talem finem per me, & Apostolos meos, & per multos in me credẽtes, non fecissem in eis;

Tertiũ ac maximũ beneficium Iudæis collatũ signorum effectio.
Matth. 11. & Luc.10.
Ioan.1.
Ibidem.
Infrà 10.
Suprà 8.
Quid est: Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo alius fecit.
Infrà 10.
Alter sensus.
Deut. vlt.
3.Reg.18.
Quinã apud Iudæos Messiæ nomẽ affectauerint.
Act.5.
Ibidem.
Deut.18.
Moysi & Prophetis cur Iudæi crediderint.

Exod.7. & 8. 10.11.12 & 14.
Tanta olim signa coram Pharaone cur edita.
Deut. 8.
Ioan. 5.
Qualia Mosis & Prophetarũ, qualia verò sint Christi miracula.
I. discrimen.
Deut. 29.
Luc.6.
Alterum discrimen.
Ioan.10.
Suprà 9.
Infrà 11.
III. discrimen.
Esai.35.
Quartum.
3.Reg.17.
4.Reg.4.
Infra.13. & alibi.
Luc. 4.
Ioan 11.
Matth. 8.
Ioan. 4
Matth.15.
Quintum.
Sextum.
Suprà 10.
Ioan.14.
Act.5.
Infrà 16.

eis; peccatum vtique non haberent. Si odio haberent me quod non venissem, vel tempore non apparuissem suo; arguere poterant me mendacij, etiamsi aliunde ad eos locutus fuissem. Si item venissem, & locutus eis non fuissem; excusari poterāt quod me ex loquela non agnouissent quis essem, quamuis de me testimonium perhibuisset Ioannes. Si rursus venissem, & locutus fuissem eis, affirmando me esse nuntium Dei ad eos destinatum, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, pro magno Dei nuntio me non recipientes: at cùm venerim, & suo quidē tempore, & lingua mea me, quis essem, vobis detexerim, & signis quæ nemo alius fecit, quod dixi, confirmauerim; vlla prorsus excusatione digni non estis, ô Iudæi, qui tantum bonum oblatum vobis inuidentes recusastis, & ad tantam lucem caligare voluistis.

Ioan. 1. & 3.

DictūChristi: Si opera non fecissem in eis, quę nemo alius fecit, quo modo verum sit, cùm Prophetæ maiora ipso Christo opera fecisse videantur.

Aug tract. 91 in Ioan. initio tom. 9.

Sed ad hæc magis explicanda, obijci posset ex Augustino in Ioannem: *Sed quid est hoc quod cum dixisset: Si opera non fecissem in eis; mox addidit: quæ nemo alius fecit? Nulla quippe in operibus Christi videntur esse maiora, quam suscitatio mortuorum, quod scimus etiam antiquos fecisse Prophetas. Fecit hoc etiam Helias, fecit Helisæus, & cum in hac carne viueret, & cum in suo monumento sepultus iaceret: nam quidam portantes mortuum, cùm irruentibus hostibus eò refugissent, eumq; ibi posuissent, continuò resurrexit. Fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit, quod quinque millia hominum de quinque, & quatuor millia de septem panibus pauit, quòd super aquas ambulauit, & Petro, vt hoc faceret, præstitit, quòd aquam mutauit in vinum, quod aperuit oculos cæcinati, & alia multa, quæ commemorare longum est. Sed respondetur nobis, & alios fecisse quæ ipse non fecit, & quæ nemo alius fecit. Quis enim, nisi Moyses Ægyptios plagis tot, tantisq; percussit, diuiso mari populum duxit, manna de cælo esurientibus impetrauit, aquam de petra sitientibus fudit? Quis, nisi Iesus Naue, populo transituro Iordanis fluenta diuisit, & currentem Solem missa ad Deum oratione frenauit, & fixit? Quis præter Samson propter suam sitim maxilla mortui asini exundante aquam satiatus est? Quis præter Heliam curru igneo in alta subuectus est? Quis præter Helisæum, quod paullo ante commemoraui, sepulto suo cadauere, cadauer alterius reddidit vitæ? Quis præter Danielem inter ora inclusorum secum Leonum esurientium vixit innocuus? Quis præter tres viros, Ananiam, Azariam, Misaelem, in flammis ardentibus, & nō vrentibus deambulauit illæsus? Prætereo cætera, quoniam hæc satis esse arbitror, quibus demonstretur, & alios sanctos quædam opera miranda fecisse, quæ nemo alius fecit.*

3 Reg 17. 4. Reg 4. Infra 13. Quęnā opera illa Prophetarū fuerint. *Matth 15. Suprà 14. Ibidem. Ibidem. Ioan. 2. Infra 9. Exod 7. & sequen capitib. Infra 14. Infra 18. Infra 17. Iosu. 3. Infra 17. Iudic 15. 4 Reg. 2. Infra 13. Dan 9. & Infra vlt. Suprà 3.*

Sed qui tam multa vitia, & malas valetudines, vexationesq; mortalium tanta potestate sanaret, nullus omninò legitur antiquorum. Vt enim taceamus quos iubendo, sicut occurrebant, saluos singulos fecit: Marcus Euangelista quodam loco ait; Vespere autem facto, cùm occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & erat omnis ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos qui vexabantur varijs languoribus, & dæmonia multa eijciebat. Item alio loco dicit Marcus; Quotquot tangebant eum, salui fiebant: hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait, in eis, non inter eos, vel coram eis, sed prorsus in eis, quia sanauit eos. Hæc quippe intelligi voluit, quæ non solum facerent admirationem, verum etiam manifestam conferrent salutem; pro quibus beneficijs vtiq; amorem, non odium retribuere debuerunt. Omnia quidem cæterorum miracula superat, quod est natus ex Virgine, matrisq; integritatem solus potuit, nec conceptus violare, nec natus: sed hoc nec coram eis factum est, nec in eis: ad cognoscendam quippe huius miraculi veritatem, non communi cum eis aspectu, sed discreto ab eis discipulatu Apostoli peruenerunt. Iam verò illud quod die tertia, in carne, in qua occisus fuerat, de sepulchro se reddidit viuum, & nunquam deinde moriturus cùm illa ascendit in cœlum, superat etiam cuncta quæ fecit: sed neque hoc factum est in Iudæis, neq; coram eis, & nondū hoc fecerat, quando dicebat: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: nimirum ergò sunt illa, quæ in eorum valetudinibus tanta miracula salutis ostendit, quanta in illis antea nemo donauit: hæc enim viderunt, & hoc eis exprobrans adiungit, & ait: Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum, &c. Hactenus ille diuinus Pater.

Marc. 1.

Infra 6.

Illud: Si opera non fecissem in eis, exponit Augustinus

Luc. 1. & Infra 2.

Infra 24. Rom. 6. Luc. vlt. & Act. 1.

Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Non viderunt Iudæi Prophetas, & tamen illis crediderunt: me autem, & mea opera & viderunt, & nedum nō credunt, sed oderunt non solùm me, sed & Patrem, cuius legatum ago, & cuius potissimum opera sunt, quę ego facio; quę tamen illi impudenter dęmoni, & Beel-zebub tribuebant: *Oderunt me.* Prædicantem, & vitia eorum insectantem; Patremq; meum à carnali sensu ad spiritualem trahentem. Cùmque cœpissent simul obsurdescere; sæpius stimulantem odisse cœperunt, iuxta illud Prophetæ; Odio habuerunt corripientem in porta; & loquentem perfectè abominati sunt.

Cur Iudęi, & Christum, & Patrem suū, oderunt.

Matth. 12.

Amos.

Sed hîc duplex dubium insurgit: alterum est, an simpliciter necessaria extiterint miracula Christi aduentus, atque eius prædicatio, vt in eum crederetur? Respondemus simpliciter fuisse necessaria: tum quia Prophetarum oraculis commendata fuerant.

An simpliciter necessaria extiterint miracula Christi aduentus, atque eius prædicatio, vt in

eum credere tur.

Cùm enim persona Christi, atque eius doctrina omninò supra naturã humanã sint, vt apprehẽdi non possint, opus fuit signis, & prędicatione, quę res supra naturam positas fide dignas ostenderent: nec prædicatione tantùm, sed rationabili, & efficaci, & intus persuadente, vt qui docti sunt, Christum reciperent; signis autem supra naturã positis, quo doctrinam Christi supernaturalẽ ostenderent, pro his qui rudiores sunt, & minus apti ad rationes capiendas. Nisi enim prius res prædicatæ credibiles appareant, ac dignæ, quę fide apprehendantur, vtpote à Deo dictę, non nisi stultè creduntur.

Qua ratione multi sine Christi præsentia, vel doctrina, & signis Euãgelio crediderint. 2. Cor. 5.

Dices; quomodo ergo à multis creditũ est sine Christi præsentia, vel doctrina, & signis per ipsum factis? Respondemus, Dominũ venisse spiritualiter in prædicatore qui pro Christo legatione fungitur, vt Paulus de se ait, atque per eum, & in eo ipsum loqui. Nec sine signis quidem creditum est. Nam etsi noua signa indies non edantur, antiqua tamen illa, quæ fecit Christus, per ministrum proposita, ac prędicata fidem conciliant.

Nam si quisquam illis certissimis, & indubitatis fidem non habet, nec nouis profectò, quæ fieri videret, crederet; quandoquidem Scribæ, & Pharisæi viderunt pleraque, nec crediderunt.

Quod ad fidẽ sufficiat doctrina cũ idonea inspiratione? Ioan. 4.

Sciendum igitur, ad Fidem satis esse doctrinam cum idonea inspiratione: quemadmodum Samaritani audito Christo, sine signis crediderunt, vt Ioannes refert, atq; Indiæ Occidẽtalis nuper reperti homines, sine vllis signis ad Christum sunt pertracti, nõ tamen sine antiquis Christi miraculis, quæ prædicatione ipsa illis innotuerunt. At miracula, sine diuina inspiratione prosunt nihil: hinc apud Marcũ Apostoli dicuntur prædicasse Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Et B. Thomas quodam loco testatur, quod etsi miracula deessent, arctarentur Iudæi credere propter interiorem Dei vocationem, & influxum, de quo Ioannes. Omnis, inquit, qui audiuit à Patre & didicit; venit ad me: & propter externam prædicationem, Scripturas legis, & Prophetarum producentem, & cum auditione, & persuasione coniunctam: quia fides est ex auditu. Deniq; quia ipse erat prima veritas, cui etiam sine signis esset omninò fides habenda.

Marc. vlt.

B. Thomas quodlib. 2. ar. 6. 10. 8.

Ioan. 6.

Rom. 10.

An infideles & Pagani nouũ peccatum admittant, quia Euãgelio non credunt.

Alterum dubium est: an Gentiles, & Pagani, vbicunq; illi consistant, nouum peccatum admittant, quia Euangelio non credunt, nec baptismum suscipiunt; cum Christi aduentu, eiusque prædicatione, atque signis destituantur? Respondemus, sancti Doctoris amplectentes doctrinam, qui in secunda secũdæ duplex infidelitatis genus constituit: alterum vocat priuatiuum, nolentium scilicet credere, sed diuino lumini resistentium, & qui veritatem cognitam & salutem oblatam oderunt, de quib' Dominus: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem:* tales increduli sua culpa pereunt. Alterum autem infidelitatis genus dicitur negatiuum, quod originalis peccati pœna est in illis, qui non audierunt ea quæ Christi sunt: tales autem ob eiusmodi infidelitatem simpliciter non damnantur ad aliam sensus pœnam, quam illam, quam promeretur ipsum originale peccatum.

dunt, cũ Christi prędicatione atq; signis destituantur. B. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. 10. 9. par. 2. Infidelitatis gen' duplex. Ioan. 3.

Quę fides ante Christi aduẽtũ satis fuerit ad salutẽ.

Quod si alia in legem Naturæ sibi cognitam patrarent scelera; proculdubio digni essent æterno supplicio. Quod si tales secundùm naturæ legem viuerent, illamque seruarent (quod profectò sine nonnulla in Deum fide, atque Dei gratia non potest contingere) tales olim seruati sunt per fidem implicitam in Christũ, quæ de Deo credit quia est, & inquirentibus se remunerator sit: quemadmodum idem B. Thomas in epistolam ad Hebræos egregiè docet. Baptismi autem susceptio vt quemquam possit obligare, ponit præcedentem prædicationem, de qua Marcus ait: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit; saluus erit, qui verò non crediderit* (intellige prædicanti Sacramentum regenerationis) *condemnabitur.* Vt præclarè B. Bernardus epistola ad magistrũ Hugonem de sancto Victore, ait: vbi egregiè explicat illum locum, & tractans hæc eadẽ verba: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent,* scribit: *Non dicit simpliciter, & locutus non fuissem, sed interserens eis, & locutus eis, inquit, non fuissem: ostendens sine dubio non ante censeri inexcusabiles de contemptu, quam ad ipsorum vsq; notitiam iussio perueniret. Nam si locutus quidem fuisset, sed nõ eis, inobedientiæ culpam ignorantia nihilominus excusaret.*

Hebr. 11.

Id. in c. 11. ad Hebr. 10. 8.

Marc. vlt.

B. Bern ep. 77

Hæc Pater ille perpulchrè, ac doctè. Similiter fides Christi explicita, non videtur nisi illos, quibus est efficaciter prædicatum, obligare, ne videatur Deus quẽquam adstringere ad id quod fieri nequit. Propterea dictum est: *Fides ex auditu, auditus aũt per verbũ Christi.* Idẽ etiam volunt nõnulli posse cõtingere apud eos, qui nihil de Christo, aut eius lege, & baptismo audierunt: tum quia Christi sanguis si nondum effusus olim saluabat homines per fidem implicitam atq; explicitam, ergo effusus multò magis idem præstabit: maximè quia venit non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

Quos nimirũ obliget fides in Christũ explicita.

Rom. 10.

Quos verò minimè, secũdũ aliquos & quare. Ioan. 3.

ipsum. Deinde, vt Apostolus testatur ad Timotheum. Christus est Saluator omniũ hominum, maximè fidelium; ergo si actu & potentia fideles seruat, igitur etiam actu & virtute eos, qui necdum fidem explicitam habent, seruabit, modo implicitam habeant fidem, quemadmodum eum locum interpretantur, Clemens Alexandrinus libro stromatum, & apertius Ambrosius, vel potius Prosper Aquitanus libro de vocatione Gentium. Nam fideles eo loco illi dicuntur, qui fidem apertam, & explicitam habent de Christo, vt præ illis, qui fidẽ implicitã habent, possint dici infideles. Atque hoc nos docuit idẽ ipse Paulus: qui scribẽs ad Galatas, ait: *At vbi venit fides, iam non sumus sub Pædagogo.* Vides quomodo Paulus fidem venisse apud Christianos scribat, quasi antea non fuisset apud Hebręos: quia fides illorum implicita nomen fidei, si comparetur cum nostra, non merebatur. Adhæc nemini dubium, Angelorum ministerio & custodia plurimos saluos factos fuisse ex Gentilibus: vt Magnus docet Dionysius libro de cœlesti hierarchia, & Apostolus docet omnes esse administratorios Spiritus in ministeriũ missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Cum igitur vniuersi homines suos habeant Angelos custodes, quasi salutis eorum gubernatores, atque curatores, mirum esse non debet, si eorum tacitis impulsibus, suasionibusq; aliqui ex his qui explicitam non habet fidem, quemadmodum omnes Christi cultores, ad salutem perueniant sempiternam; ne in tot penè innumeris hominum millibus diuinam prouidentiam, quæ Angelos instituit tanquam salutis nostræ aduocatos, & procuratores, in vniuersum frustrari contingat. Præterea pro diuinæ prouidentiæ bonitate statuimus, omnem Sacramenti alicuius votum habentem, si aliquo casu eius copia, & actu destituatur, & per ipsum non stet, quo minus illud actu suscipiat, gratiam tamen Dei, qua saluus fiat, non perdere; etiamsi plus aliquid sit tribuendum Sacramento actu suscepto, illum tamen peccare, aut salutis iacturam facere, nemo affirmare audet. Si igitur hoc veritatem habet apud fideles, quidni magis locum habeat apud eos; qui etsi Christiani non sunt, simplex tamen, ac rectum cor habent erga Deum? quemadmodum Cornelius Centurio pius, religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua dicitur: cuius eleemosynas, & orationes ad Deum ascendisse testatur Angelus: quis enim diceret, illum perditum fuisse, si diem suum obijsset, antequã Petrum prædicantem audisset? Non ignoro; multa hic dici, tũ apud Veteres, tum apud Scholasticos Doctores & in diuersas sententias illos iuisse: nos tamen, ea quæ probabiliora nobis videntur, Deique misericordiæ, & Christi sanguini, Spiritusque sancti benignitati magis cõsona sentimus, & sine vlla pertinacia asserimus, nostrum per omnia iudicium Ecclesię submittentes. Illud tantũ addimus, eos qui tales sunt, non omninò extra Ecclesiam existere iudicandos, si talem quam dicimus implicitam fidem habeant. Nec propterea asserimus, aliquem sine Christi fide, aut gratia, salutem adipisci posse, quanquam sine Sacramento, & sine Christo explicitè cognito, salutem quoq; quandoq; posse contingere, atque hoc ipsum sentire, & in gloriam Christi facere, tanquam probabilius opinemur.

1. Tim. 4. — *Clemẽs Alex. l. 6 strom. prope fin. to. 1.* — *Amb l. 2. de vocat. gent. c. vlt. to. 2.* — *Galat. 3.* — *Dion l. de cœlesti Hier. c. 9.* — *Hebr. 1.* — Vnicuiq; hominum suus est custos Angelus deputatus, quasi gubernator salu tis suæ. — *Act. 10.*

Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerũt me gratis. Coniunctio, vt, hoc loco consecutiuè capitur, vt sæpè alias, quemadmodum illud: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris;* & illud: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Est autem sensus, tali me odio prosequentes, nec aduertentes implent Scripturam. Et lex hoc loco pro Psalmis accipitur, in quibus non semel habetur hoc. Nam Psalmo 34. dicitur: *Qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.* Et Psalm. 68. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis.* Et Psalm. 108. *Sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis.* Insinuatur igitur illis verbis, graue esse eorum delictum: nam tolerabile est in mundo, si quis prouocatus, vel iniuria affectus odit aliquem, talisque potest aliquo modo excusari, vel si quis ignotum odio habeat: illud tamen prorsus durum, minimèque ferendum, odio prosequi notum, & benè de te meritum, & innumeris beneficijs te obruentem. Est ergo figura dicta à Grammaticis Liptote, vbi minus dicitur, & plus significatur, quia non solùm nulla odij, sed etiam summi amoris, caussa erat: *Retribuebant*, inquit, *mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ;* Et, *Posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Gratis ergo, id est, sine caussa, sine iniuria, & sine vlla occasione odij data. Et solus Christus verè odio habetur, atque gratis, vt in quo peccatum vllum non esset; & qui solus tendit ad salutem, & bonum eorum, qui se odio habent: reliqui homines nunquam ex toto gratis odio habentur, quia in eis est omninò aliquid, quod odio sit dignũ, in multis enim offendimus omnes. Grati, etiam

Quomodo intelligatur: Sed vt impleatur sermo qui in lege eorũ script⁹ est. Quia odio habuerunt me gratis. — *Psalm. 50.* — *Rom 9.* — Legis nomine vbi Psalmi veniant. — Lrario. cur Iudæi Christum oderunt gratis. — Liptote quid. — *Psalm 34.* — *Psalm. 108.* — *Esai 53.* — *1. Petr. 2.* — *1. Ioan. 3.* — *Iacob. 3.*

II. ratio gratuiti odij Iudæorum in Christum. *Matth.5.* III. ratio. *Act.9.*

etiam oderunt, quia timebant ne Christus legem destrueret; qui tamen venerat, vt eam impleret, sicut fecit. Gratis denique, id est, sine vllo fructu, vel commodo suo, imò cum suo damno, ac detrimento: quia durum est contra stimulum calcitrare.

Qui oderint Christum gratis.

Gratis enim est omne peccatum nostrum, quia sine caussa in tantum Redemptorem insurgimus, & sine fructu, imò summo cum malo nostro, cùm æternum nobis exitium accersamus. Grande est etiam peccatum Christianorum credentium, sed nō operantium, Christum verbis confitentium, at factis negantium, nec diligentium, sed prauis moribus Christo crucem instaurantium. Caueamus igitur, ne ingrati animi labem incurramus: quia nobis non tantùm valet improperare aduentum suum, prædicationem, & signa, sed etiam acerbissimam passionem, & mortem ignominiosam, quam pro nobis sustinuit, & incomparabile illud atque incomprehensum, quo nos alit, Eucharistiæ beneficium: quod qui non frequentant, nec reuerenter colunt, manifestè indicant se illud non agnoscere. Si igitur Deus benedictus nihil magis in filijs gratiæ detestatur, quàm ingratum animum, & beneficiorum Dei immemorem; tempestiuè, & seriò aperiamus oculos, & singula quæque Dei munera, ac beneficia attentè inspiciamus, & pro illis gratos diuinæ munificentiæ nos ostendamus. Quòd si adhuc non satis beneficia accepta rependamus: Deum impensè oremus, vt pro nobis grates condignas exsoluat filius eius Iesus Christus Dominus noster, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit trinus honor, & vnus in secula seculorum, Amen.

Tit. 1. Ad fugiendū ingrati animi crimen exhortatio.

Quam maximè rem in filijs gratiæ detestetur Deus Opt. Max.

TRACTATVS LXII.

In illa verba: *Cùm autem venerit Paracletus quē ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Ioan. 15.

Ad perfectionem veri testis quid requiritur. *Plautus in Truc. act.2. scen.6.* *Ioan. 3.*

AD perfectionem probati testis, & omni exceptione maioris, exigitur, vt oculis proprijs viderit quod testatur: nam vt habet prouerbium:

Pluris est oculatus testis vnus quàm auriti Decem.

Hinc Christus dicebat: *Amen amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur; & testimonium nostrū non accipitis.* Sanctitas etiam vitæ, & morum puritas requiritur, ne quisquam velut infamis, à testimonio ferendo repellatur. Hinc Spiritus sanctus verus Deus, qui omnia nouit, & sanctitatis omnis est causa, & Apostoli ipsi qui viderunt, atq; Spiritu sancto excitāte, & iuuante in viros spirituales transmutati sunt, rectè de Christo, & doctrina eius testari potuerunt. Proinde Dominus ait: *Cùm autem venerit Paracletus, &c.* Cohærent autem hæc cum præcedentibus, vt Cyrillus exponit: quia cùm tam se, quā Patrem odio gratis à Iudæis habendos dixisset, Spiritus sancti quoque mentionem facit, vt & Trinitatem personarum sermo adimpleat, & Spiritus vnà cum Patre & Filio negligi doceatur. Ita delictum Iudæorum in naturā deitatis simpliciter ascendit, & ad cumulū reddendi persecutores Christi inexcusabiles, accedit multiplicatio testium. Nam præter meam, inquit Dominus, prædicationem, & opera mea superueniet Spiritus sanctus testis, & vos testes adiungemini: rursus aduentu suo Paracletus mœstos Apostolos consolabitur. Solet enim Deus fidelibus suis læta tristibus, ne insolescant, & aduersa prosperis, ne desperent, temperare: hic autem de cruce, odijs, & persecutionibus verba fecerat: vt meritò proinde Spiritus sancti meminerit, qui est virtus ex alto, Apostolos confirmans. Deinde poterant Apostoli Domino obijcere: Si tua verba ignea, & cor penetrantia eos non permouerunt; quomodo nos litteris nostris rusticanis, & frigidis verbis persuadebimus? Et si tot miraculis tu illos inflectere non potuisti, quomodo nos soli eos trahere poterimus? Frustrà igitur nos mittis ad prædicandum. Propterea Dominus pollicetur eis adfuturum Spiritum sanctum, qui & ipsorum linguam inflammaret, doctrinamque eorum miraculis constabiliret. Denique post enarratam Iudaicam ingratorum hominum notam pollicetur Spiritum sanctum, indicans, quòd Dei bonitas vinceret malitiam humanam, quodque eorum incredulitas fructum CHRISTO per fidem adhærentium irritum & vanum non redderet. Dicturus autem de testimonio Spiritus sancti; prius enim personam describit, ne leue, aut vulgare eius habeatur testimonium. Primò enim Deus est qui à Patre procedit: & si certam euidentiam requiris, Spiritus veritatis est, & ipsa veritas, qui mentiri, & fallere nequit. Si virtutem testimonij eius quæris, Paraclitus est, non in aurē loquitur, sed in cor ipsum se insinuat

Apostolorū de Christo testimonium quantæ autoritatis.

Ratio cōnexionis. *Cyril. lib. 10. in Ioan. c. 33. tom. 1.*

Iudæorū prorsus inexcusabilis in Christū perfidia.

Cur hic Paracliti Christ' meminerit.

Luc. 24.

II. ratio.

III. & vltim.

Quæ tribuat Spiritui sancto Christus hoc loco.

Ex illo verbo: Cùm venerit Paraclectus,&c. eliciuntur documenta nonnulla.

non in sermone, sed in virtute testimoniū eius situm est. Expendemus singula: *Cùm venerit*, inquit. Ex quo verbo, quia à Patre mittitur, & in nomine Christi mittitur, discimus, quòd persona viua, ac distincta, ab vtroque sit, habeatque facultatem, ac libertatem veniendi, qua carent virtutum dona: quæ etsi dari, & infundi dicantur, non autem propriè dicuntur venire. Deinde pondera verbum, *Cùm venerit*, nimirùm sponte sua, & voluntate: quia Spiritus vbi vult, spirat. Non venit ergo coactus à maiori aliquo mittente: sicut nec Filius hac ratione venit, sed à seipso, & à sua natiua benignitate persuasus. Nec tertiò cogetur à meritis nostris, & officijs, vt ad nos veniat: quia ante Spiritum nobis datum nulla sunt merita, aut verarum officia virtutum. Nam ipse, sicut & Filius, prius dilexit nos ad hoc vt ad promerendum aditum habere possimus: benè tamen Christi amplissimis meritis impetratus est hic Spiritus sanctus, vt feratur super aquas, siue, vt Chaldæa lectio habet, incubet super aquas, humanæ generationis nimirùm. Nam, vt Dilectus ait: Aquæ multæ, populi multi: vt ita per hunc Spiritum stabiliantur in fide, dulces Deo, ac nobis reddantur ipsis, nec putrescant per peccatum, sed fructus ferant Spiritus, moueanturque ad Deum coniungendo, illos, vt aqua viua fonti Deo; denique vt has aquas fouendo, & instar auis incubando, oua desideriorum in pullos bonorum operum excludat. Quartò non dicit, Quando venerit, sed in genere, ait: *Cùm venerit*; & alio loco dixit: *Non post multos hos dies*, vt simus in excubijs in ostio tabernaculi, vt non ignoremus, quando ad motum columnæ sit proficiscendum. Ita olim promissus est Iosias, sed quando esset venturus, non est expressum. Et in promissis omnibus, vel comminationibus solet Dominus opportunum tempus supprimere, vt semper simus parati, ideo dixit: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptijs, vt cùm venerit, & pulsauerit, cōfestim aperiant ei.* Et de aduentu suo postremo dixit: *De die autem illa, & hora nemo scit, neq; Angeli cælorum, &c.*

II. documentum. *Ioan.3.*

III. documētum.

Ad quid Spiritus sanctus dilexerit nos.

Gen. 1.

Quid Spiritū sanctū ferri super aquas. *Apocal.17.*

IV. docum. *Act.1.*

Exod.13. *3.Reg 13.* Diuinis promissis minisve, tempus cur non apponitur. *Luc. 12.*

Matth.24.

Paracletus quid.

Deinde addit, Paraclitus: de quo multa superiùs philosophati sumus, & significat adhortatorem, consolatoremque. Et si enim timor Dei pellat peccatum, & regnum euertat Satanæ; non tamen intrat regnum Christi, nisi adsit charitas, & Spiritus adoptionis, siue consolationis, de quo dixit Apostolus: Non est regnum Dei esca, & potus; sed iustitia, & pax, & gaudium in

Eccles.1.

Timor Dei in regnum Christi intret quando. *Rom.14.*

Spiritu sancto. Vt enim saporem omnis saporis gustus non appetit, nec oculus lumen luminum nisi prius aliquid gustauerit; ita nos Deum, eiusque bonitatem atq; dulcedinem degustare sine lingua Spiritus sancti, qui quodammodò pincerna est, nō valemus.

Qualis Spiritus sanctus videri possit.

Subdit: *Quem ego mittam.* Dixerat superiùs: *Quem mittet Pater in nomine meo*, modò, *Quem ego mittam vobis à Patre*; quò eamdem Patris, Filijque operationem intelligamus, inquantum vterque vnus, & idem est Deus; & inseparabilia sunt opera Trinitatis, quæ extra se erga creaturas operatur. Mittam autem, & vt Deus sum, & vt homo. Vt Deus quidem simul cum Patre eum spirando, & eius dona fidelibus cum eo communicando, atque infundendo: Mittam etiam, vt homo sum, morte mea impetrando, & precibus eius aduentum in specie linguæ igneæ promerendo, dixit enim: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* ¶ *Vobis.* Copiosiùs, & largiùs, & in forma visibili, & ad vestram vtilitatem; quia erit tutor, recedente Patre vestro, vobis orphanis, & consolator vobis mœstis, & adhortator ad bonum, ad subleuandam vestram infirmitatem, aduocatusque, & intercessor modo superiùs explicato, ad vestram caussam agendam, ac tuendam. Spiritus autem nequam non venit nobis, sed contra nos. *A Patre.* A quo ego mittendi potestatem habeo, sicut & esse: & ita mittam, quod Pater simul mittet, vt fons, caputve missionis. Nam Spiritussanctus procedit à Patre, & Filio, cōtra errorem Græcorum. Et quia, ait: *Quem ego mittam vobis à Patre*, ostendit eum Patre, & Filio vnius esse substantiæ. ¶ *Spiritum veritatis.* Hoc est Spiritum Filij, qui veritas est, & à quo oritur; & quia veritate, & non mendacio consolatur: veritate, & non ampliùs vmbris, aut figuris nos pascit; & ad differentiam Spiritus mendacis, de quo quidam dixit: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt.* & spiritus erroris, de quo Apostolus: *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Et significatur, quòd erit Spiritus solius, ac totius, siue integræ veritatis, quæ ad vitam æternam comparandam est necessaria. Subdit: *Qui à Patre procedit.* Ex ista affirmatione, quod à Patre procedit, non rectè infertur negatio: ergo à Filio non procedit. Imò quia indiuisa sunt opera Patris, & Filij, vbi non officit relationis oppositio, hoc est, respectus paternitatis, & filiationis in

Ioan.14. Cur Christ. inquit: Quē ego mittam vobis à Patre, cùm antea dixerit: Quem mittet Pater in nomine meo.

Act 2. *Ioan.14.* Apostolis altiori quadam fidelib. missus est Spiritus sanctus.

Græci Spiritum sanctum negant à Patre Filioque procedere.

Ioan.14. Spiritus sanctus Spiritus veritatis cur dicatur.

3.Reg. 22.

1.Tim.4.

Quòd hæc inepta, & falsa illatio sit: Spiritus à Patre procedit, ergo nō à Filio: vt Græci deducunt.

eo quod dicitur, qui à Patre procedit, includitur etiam quòd & à Filio procedat. Et idem esset, si Scriptura solùm diceret, Spiritum sanctum à Filio procedere, nam à Patre quoque procedere esset intelligendum: quia nulla est relationis oppositio inter Patrem & Filium ad productionē sancti Spiritus, & nihil facit Filius, quòd non viderit Patrem facientem. Quòd autem Spiritus à Filio procedat, hoc loco innuitur; quia dicitur Spiritus veritatis: sicut alibi dicitur Spiritus Filij, & Spirit⁹ Iesu Christi. Deinde quia dicitur Paraclitus, hoc est consolans, quantum ad effectum, quòd cō sequitur operationem intellectus, hoc est Verbum, à quo oritur. Ex eo etiam, quia dicitur: *Quem ego mittam:* quemadmodum dixit: Quem mittet Pater: ad missionem autem requiritur origo. Cùm ergo vterq; eum mittat, ab vtroque oritur: alioqui Pater à Filio mitteretur, quod tamen nunquā dicitur.

Ioan. 5.

Rom. 8.
Act. 16.

Nec obstat, quòd Christus se dicat missum à Spiritu Dei, à quo certum est ipsum non procedere ab æterno: *Et nunc*, inquit, *Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Sed vt exponit Hieronymus ibidem, hoc dixit iuxta fragilitatem carnis assumptæ, de quo alio loco dixit: *Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me.* Et subdit: *Breui versiculo Trinitatis nobis ostenditur Sacramentum.* Hæc ille.

Quarę Christus se missū à Spiritu Domini apud Esaiam testetur.
B Hieron in Esai.c 48.t.5.
Esai.61. & Luc. 4.

Adhæc Dominus subdit: *Ille testimonium perbibebit de me.* Vt prodiens ex medulla substantiæ meæ. Et infra ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Hæc pauca hoc loco, plura sequenti Tractatu. Quòd verò non exprimatur à Filio procedere, propter imbecillitatem Apostolorum id subticuit, quia non erant constantes in fide Diuinitatis Christi; & ne Spiritus à Christo dictus procedere, minor eo putaretur; & quia in testimonio reddendo includebatur: quod testimonium summum est, quia internum, & immediatum in Apostolis, & per eos in alijs. Quasi diceret, etsi ego mittam, nolo tamen testem habere, qui à Patre non procedat. Dixerat enim alibi se testimonium ab homine non accipere, sed testimonium Dei. Quare antequam intelligant Trinitatis mysterium, satis est nunc prædicere, quòd ille à Patre procedat. Hoc etiam dixit, vt quòd hactenùs à Spiritu sancto acceperant, quemque ab eis cognitum paulò antè testatus fuerat, sciant id esse à Patre: nam tunc cùm Iesus eis exteriùs loqueretur, Spiritus quoque in corde eorum loquebatur. Notat præterea Rupertus Tuitiensis, de Christo per præteritum dici ex

Ioan.16.

Cur minimè expressū fuerit à Filio Spiritum sanctū procedere.

Ioan 5.

Minus solida Ruperti horū verborum expēsio: Ego ex Deo processi & veni, de Spiritusancto verò, qui à Patre procedit.

Deo processisse: sic enim ait apud Ioānem: *Ego ex Deo processi, & veni:* cùm tamen de Spiritu sancto de præsenti dicatur: *Qui à Patre procedit.* Quia Spiritui sancto tribuitur Ecclesiæ sanctificatio, quæ quotidiè fit, & ad finem vsque seculi est perficienda. Filio autem redemptio tribuitur, quæ in Cruce semel peracta fuit, ideo dicitur de præterito à Deo processisse, quàm sit hoc solidum, lectoribus iudicandum relinquo. Fortassis solidius esset, dicere, processiones illas Verbi à Patre, & Spiritus ab vtroque, cùm æternæ sint, & æternitate mensurentur, vtroque tempore pręterito, & præsenti explicandas, quemadmodum illud: *Ego hodie genui te.* Aut Christus de se, vt homine dixit: *Ego ex Deo processi, & veni*, id est, missus sum, siue destinatus per Incarnationem. Sic enim dicimus creaturas ex Deo processisse: at Spiritus sanctus quia vt Deus ex Deo procedit, æterna illa actio (si sic est appellanda) qua procedit, rectè pręsenti significatur.

Rup.Tuit.in 12.Ioan.
Ioan.8.

Diuinarum attributa personarum.

Psalm.2.
Altera solidior ac firmior eorū Christi verborum ponderatio.

Ille testimonium perbibebit de me. Ille etiam in tertia persona, qui Dei profunda scrutatur, & ex quo ego, quatenùs homo, conceptus sum, & qui ex me, vt Deus sum, procedit; ideo totum me exprimet, & de me tanquàm sibi coniuncto rectè potest reddere testimonium. Est enim Deus, à quo est omne verum, & illo inspirante locuti sunt Prophetæ. Per inditam naturæ legem testari cœpit de vno Deo, atque hoc ab initio, ad finem vsque mundi. Quod enim notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Non tamen per illud lumen, Christi, ac Trinitatis mysterium explicabat: sed per legem scriptam in Nouo, & Veteri Testamento reuelatam, vltra traditionem, testatus est Spiritus sanctus ab initio mundi ad finem vsque de Christo: nam lex, & Prophetæ, & Euangelia Christum continent. Et quia illud testimonium etiam cum signis cōiunctum exterius erat, & literale; aliud excellentius, & præstantius exhibere voluit, infundens spiritui nostro fidē & gratiam, qua in Christum credamus, ei omne bonum nostrum ac salutem accepta ferentes, nobis verò nostram miseriam tribuentes, ab illo tamen propulsatam, aut propulsandam. At fides illa, & gratia, quæ ante Christum, ac eius glorificationem adeò parua erat, vt adueniente, & glorificato Christo dicatur fides venisse, gratia apparuisse, & Spiritus venisse. Ideo cùm antea, & postea Spiritus sanctus, tum per se, tum per Angelos, & homines sanctos, atque adeo per omnes creaturas superiori lumine illustratas ad

Spiritus sancti de Christo testimonium explicatur.
1.Cor. 2.

Matth.1.

2. Petr.1.

Rom.1.

Eius testimonij de Christo diuturnitas.

Aliter in lege Veteri, aliter in Noua & Euangelio Spiritus sanctus de Christo testificatur.

Galat. 3.
2.Tim 3.
Ioan. 15.

Act. 2.

Christi de Patre, atq; adeò de Christo testimonij Spiritus sancti necessitas.
Ioan. 15. Suprà 14. Infrà 15. Ioan. 16. Infrà 17.

cognoscendum CHRISTVM nobis testimonium perhibuerit, & adhuc perhibeat; peculiariter tamen id fecit in die Pentecostes, & in primitiua Ecclesia, quàdo copiosius largitus est lumen, maioraque charismatum dona suppeditauit, fortioresq́; tentationes oriri permisit, atq; per eas Ecclesiam crescere, maioraq; indies incrementa sumere fecit. Hinc de futuro singulariter ait, docebit, suggeret, testimonium perhibebit, & me clarificabit. Tantus est enim Deus Pater, vt infinito interprete Christo eguerit. Hinc dixit: *Manifestaui nomen tuum hominibus:* tantus enim fuit Christus verè Deus absconditus, vt infinito Deo Spiritu sancto eguerit interprete ac teste.

Psalm. 45. 1 Ioan. 5.

Pater, Verbũ, & Spiritus sanctus, quomodo de Christo testimoniũ reddant. *Act. 2.*

Quòd idoneè Spiritus sanctus valeat de Christo testificari.

Prouer. 19.

At Spiritus sanctus non solus fert testimonium de Christo, sed cum Patre, & Verbo, iuxta illud: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Pater quidem edendo signa; Verbum, sermones Dei proponendo; Spiritus sanctus, in dono linguarum apparens, & inter tot pressuras suos confirmando. Potest autem Spiritus sanctus cõgruè testificari de Christo, quia veram sapientiam testatur sequẽs Dei, & proximi amor, pura & irreprehensa vita; non autem potentia in monte testamenti, aut malitia, aut inania, aut polita verba: vnde & hominum veram sapientiam testantur incorrupti mores, & vitæ synceritas, secundùm illud Salomonis: Doctrina viri per patientiam noscitur.

II. ratio. 1. Cor 2. Ibidem. Sapient. 9. Ecclesi. 1. Gen. 3.

Deinde solus Spiritus, qui scrutatur profunda Dei, potest de Christo testificari: sicut solus spiritus hominis nouit quę sunt in homine. Hinc in libro Sapientiæ: *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* Et cũ in Ecclesiaste dicat: *Qui addit scientiam, addit & laborem,* vt Adam, qui expetiuit scire bonum, & malum, testis est: secùs tamen est de Deo, cuius sapientia cùm summa sit, sicut non est capax additionis, ita nec doloris.

III. ratio à testimonio eiusdem de omnibus Christi myster[ijs].
Matth. 1. Matth. 3 & Ioan 1. Matth. 4. Esai. 11. Luc. 4. & Esai. 61.

Tertiò potest rectè de omnibus Christi mysterijs testari: primùm de Christi deitate, quia Deus est procedens ex Patre, & Filio: de Incarnatione eius, quia cõceptus est de Spiritu sancto: de Baptismo, quia venit Spiritus sanctus in specie columbæ, & tulit de eo testimonium: de Tentatione, quia ductus est Iesus in desertum ab Spiritu, vt tentaretur à diabolo: de doctrina, & sapientia, quia requieuit super eum Spiritus sapientię, & intellectus: de ministerio prędicationis, quia per ipsum locutus est, sicut ipse dixit: *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me:* de signis & miraculis, quia dixit: *Si ego in Spiritu, vel digito Dei eijcio dæmonia: igitur peruenit in vos regnum Dei:* de morte ex obedientia Patris suscepta, ait enim Apostolus: *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo:* de eius Resurrectione, quia teste Paulo: *Si Spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis:* & quę sequuntur: de Ascensione in cœlum, quia inde effudit Dominus Spiritum sanctum, secundùm illud: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus:* id est, Spiritum sanctum ad varia gratiarum munera. Et quia quicũque testatur, apud aliquem testimonium reddit; testatus est Spiritus sanctus. Primũ quidem Scripturas illis aperiendo. Deinde signa per illos edendo, quibus, tum Christus, tum eius ministri illustrarentur. Tertiò, dono linguarum eos cumulando, quo admirabiles redderentur. Quartò, vita sancta, atq; irreprehensa, quia induti virtute ex alto, confirmati sunt in fide, & gratia Dei. Quintò, prædicatione futurorum, quæ ipsi ab eo inspirati prædicebant, manifestum testimonium excipiebant de Christo. Sextò, illis prædicantibus assistebat Spiritus sanctus peculiarissima prouidentia, modò tria millia hominum ad Christum conuertendo, vt efficax redderetur, atque fructuosus eorum sermo. Septimò, tulit testimonium de Christo; eos ad scribendum tùm Euangelium, tùm epistolas impellendo: quæ nonnisi Christi gesta, dictaque, atque patienter perpessa continent, & quæ sine Spiritu sancto scribere non potuerũt; vt inuictum autoritatis pondus eorũ scripta habeant in Ecclesia.

Matth. 12. Luc. 11. Hebr. 9. Rom. 8. Psalm. 67. Ephes. 4.

Quos penes testificat[ur] de Christo Spiritus sanctus, & qui multiplicit[er]. *Act. 2. Luc. vlt. Act. 2. Act. 4.*

Apud quem etiã testetur de Christo idem Spiritus, & quot modis testificetur.
1. Ioan 5. 1. Cor. 12. Rom. 8. Ibidem. Ibidem. Galat. 5.

Testatur etiam Spiritus sanctus apud quemuis priuatum, sed interiùs, & in corde. Primùm faciens Christum agnosci, & certa fide apprehendi, de quo ait Dilectus: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Deinde testatur, ad intrepidam confessionem impellens Iesu: quia nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Tertiò testatur docendo orare, & adiuuãdo infirmitatem nostram, ita vt per ipsum clamemus, Abba (Pater.) Quartò, contestando spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: si autem filij, & hæredes. Quintò, impertiendo donum, quo sanctè, & secundùm Spiritum viuamus, edendoque in nobis duodecim illos fructus Spiritus, de quibus Paulus ad Galatas scribit. Sextò, dando Spiritum suum aliquibus ad intelligendas Scripturas, ac alijs explicandas, ita vt fidei quadrent quàm maximè expositiones, & ab Ecclesiæ regulis, & Patrum traditionibus non dissonent.

Et

Vt Christus vult de se ab Apostolis testimoniũ perhiberi, si nõ, vt alibi dixit, accipit ab homine testimonium.

Ioan. 5.

Luc. 4.

Aug. lib. 5. de cons. Euang. c. 15. tom. 4.

Altera solut.

Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Græcè de præsenti habet μαρτυρεῖτε, & ita habent quidã Latini codices: sed ponitur præsens pro futuro. In primis objicies, qui possit hoc verbum Iesu verum esse, cùm alibi apud Ioannem dixerit: *Ego non ab homine testimonium accipio?* Dicendum, Iesum ab homine puro testimonium non accipere, quia talis nescit Christum. Vnde dæmonum, ad nostrum exemplũ, repellebat testimonia, licèt vera dicerent quãdoque, & interdum oracula ab idololatris consulta magnificũ de Christo tulerint testimonium, vt docet August. lib. de consensu Euangelistarum, vt nos disceremus propter illorum dicta in Iesum minimè credere, sed tantùm propter Deum. Secundò dici potest, Iesum testimonium hominũ non accipere propter se, quia non eget, & ipse à se ipso nouit quis sit, benè autem acceptat propter nos. Vnde, cùm dixisset: *Ego non ab homine testimonium accipio*, subiungit: *Sed hæc dico, vt salui sitis:* hoc est propter vos, quò salutem consequamini, accipio testimonium Ioannis. Dominus igitur Iesus propter se testimonio non indigens, propter salutem tamen nostram voluit testimonium Ioãnis, & Apostolorũ, nam de illo dicitur: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Et de Apostolis hic ait: *Et vos testimonium perhibebitis.* & alibi: *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Sunt enim Apostoli, & fideles cooperatores Spiritus sancti, & auditores Dei. Quod enim Deus inspirat, ipsis verbis prosequuntur, & hortantur, ac velut impellunt ad id credendum; & è contrariò, quod homines de Iesu prædicant, & testantur, Spiritus sanctus testimonio suo interno confirmat. Præterea Ioãnes Baptista, & Apostoli plusquàm homines erant, & de quibus ait Propheta: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes*, qui Spiritu sancto repleti testimonium ferebant. Ideo ait, *Et vos*, scilicet organa Spiritus sancti, quæ ex se minimè sonant, nisi pulsata ab artifice. *Testimonium perhibebitis.* Quia sine Spiritu sancto, vt diximus, nemo potest testari quòd Iesus sit Dominus: Vos etiam vel si maximè possetis, ferre tamen testimoniũ de Christo non auderetis, nisi Spiritus Paraclitus esset, hoc est consolator, & adhortator ad testimonium ferendum, ne vobis mũdi inuidiam, atq; odium conflaretis. Tam magnum etiam, ac præsens bonum est Christus, vt quisquis testimonium eius à Spiritu sancto habeat, facere non possit quin ipse quoque de Christo

Christus hominum testimonio quatenus indiguerit.

Suprà 1.

Act. 1.

Qui sint cooperatores Spiritus sancti, atq; Dei adtores.

1. Cor. 3.

Ioannis Baptistæ, & Apostolorũ testimonij magnitudo.

Psalm. 81.

Ioan. 1.

Apostoli vt de Christo possent testificari, quàm eguerint Spiritu sancto.

1. Cor. 12.

Apostolorũ quantum to-

alijs testimonium ferat. Sed & hæc est alia consolatio, quòd vos testes eritis mihi eo tempore, quo non tantùm nomen meum erit obscurum & ignotum, sed etiam odiosum; ac proinde tempus adueniet, cùm gloriosè narrabitur de his, qui mihi non sine vitæ discrimine testimonium perhibuerunt. Adhæc dici potest, quòd dictorum & factorum Domini Iesu Apostoli testimonium perhibuerunt, quia illa & audire, & videre potuerũt, vtpotè cum illo ab initio versati, de substantia autẽ Christi Deus solus testari potest, nempè Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Apostoli ergo etsi maximè dicant, Iesum esse Messiam, Dei filium, ac Deum, ad id testes idonei per se nõ sunt, nisi quatenùs Deus idem testificatur illis, ad quos ipsi loquuntur, & ita sunt adiutores Dei. Vel quatenùs ipsi organa sunt Spiritus sancti, quę eructauerunt, qui nũc ignorantes, & timidi erant: nam hac ratione nõ hominum, sed Dei testimonium erat quod reddebant. Quanquam autem fidei veritas non sit in humano testimonio, vel lumine nixa, constitutaq; , iuxta illud Apostoli: *Vt fides nostra nõ sit in sapientia hominũ, sed in virtute Dei*; tamen in hoc Deus nostræ se ignorationi & imbecillitati attemperauit, quod voluit primos testes oculatos lumine naturali, sed non solo inniti, ne deciperentur. Ideo ad clarè testandum, nõ misit eos antè aduentũ Spiritus sancti, hinc dixit illis: *Nemini dixeritis visionẽ, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Quia tunc erãt apti ad fortiter tantum mysterium inuulgandũ: secùs cùm obscurè, ac tectè Messiam prędicârunt, dicentes: *Appropinquauit regnum cælorũ.* Voluit illos igitur vtroque lumine nixos testes esse, vt quasi nauis velis, remisq; tenderet in portum, ac dicerent: *Non possumus quæ vidimus, & audiuimus, nõ loqui?* Et, *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur.* Voluitq; vt fides acquisita esset instar Samaritanæ, quo ad veniret infusa, quasi Christo iam diuino lumine noto; veniente verò infuso, etsi nõ sint rationes, quib⁹ vtitur acquisita, credimus tamen. Ideo vos testimonium, etiam validum, apud homines perhibebitis: quia ab initio mecum estis: testimonium autem Domini Iesu non erat mixtum, id est, acquisitum, ac infusum, sed merè diuinum. Ait enim: *Ab initio*, id est, à baptismo Christi. Nam etsi antè illum 30. annis vixisset, noluit tamen antè apparere: nostrum desiderium, quod testimonium expetit humanum, confundens, & ostendens tam multa virtute diuina facta fuisse tribus annis. A baptismo autem Ioannis cœpit prædicare, & se offerre Patri: qui illum ex eo tempore

latium sit reddere de Christo testimonium.

Apostoli etiã quomodo testificati fuerint, se fuisse cum Christo ab initio.

1. Cor. 3.

Quid eguerit Christi fides Apostolorum testimonio.

1. Cor. 2.

Matth. 17.

Matth. 10.

Act. 4.

Ioan. 3.

Infrà 4.

Testimoniũ Domini Iesu qualenã esset & quomodo Apostoli testari debuerint, quia ab initio fuerint cum Iesu.

Matth.17. Act.1.

præcepit audiri, & ita in electione Matthiæ dixit Petrus in Actis: *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus: incipiens à baptismo Ioannis vsq; in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis*. Ingens autem fuit Apostolorum testimonium. Nam vt colligitur ex libris Eusebij Cæsariensis de Demonstratione Euāgelica, mirum certè, tot simplices, & idiotas Apostolos sibi inuicē consentientes in his, quæ vel fingere prorsus nesciuissent, incredibilia pro Iesu nomine & doctrina, quam disseminabant, facientes, & omnia huius mūdi amabilia relinquentes: docentes non plausibilia, & honorifica, sed quæ vel ipsi Christo, atque in eius Apostolis erant probrosa. Vt, Christum timuisse, tristitiaque confectum, in agonia sanguinem sudasse, flagellatum, spinis coronatū, & cruci suffixum fuisse: suos Christum compatriotas voluisse tenere, tāquam in furorem versum, & Nazarenos præcipitare tentasse: Apostolos deseruisse Christum, ac fugisse: Matthæum se publicanum vocasse: Marcum, Petrū præceptorem ter negasse Christum, enarrare: Paulū se peccatorem, & blasphemum, & persecutorem maximum appellasse: Apostolos miracula edidisse, mortuos suscitasse, magicos libros combussisse, dæmones expulisse, leges sanctas docuisse, sanctissimis moribus prēditos extitisse, quod magi non faciunt. Egregium profectò diuinitatis, & magnalium Christi testimonium tulerunt; præsertim cùm sectatores malefici alicuius præceptoris, eo occiso fugiant, nec se ampliùs propter eum periculo exponant. Et tamen hi tam ardua, tamque contra mundum, carnem, & Satanam contraria mundo persuasère: ex quo virtus Dei in Apostolis est manifestata. Testimonium Spiritus sancti erat per ministerium Apostolorum. Nam quādo quædam suprà naturam posita edebant, apertè Spiritus sanctus per illos operans agnoscebatur: vt cùm loquebantur linguis, atque edebant signa: quando verò quæ audierant, vel viderant de Iesu doctrina, vita, ac morte eius annuntiabant, tunc ipsi testabantur. Itaque in ipsis eisdem Apostolis elucebat, non tantùm ipsorum proprium, sed etiam Spiritus sancti testimonium.

Apostolorū testimonium quantum valuerit apud homines. Euseb lib.3. de demonstr. Euang.c.7.et 8.tom.1. Apostolorū de Christo minus honorifica testimonia. Marc.14. Luc.22. Matth.27. Marc 3. Luc.4. Matth 26. Suprà 9. Mar.14. 1.Tim.1. Act 5. Infrà 8 & 20 Infrà 19.

Qua ratione Spiritus sanctus de Christo per Apostolos testaretur. Act 2. Infrà 5.

Nostrum igitur est non tantùm lingua, sed etiam moribus de fide, & lege Christi testimonium reddere, non remissè, & ad tempus, sed constanter, & dum viuimus, & maximè operam dare, ne perditis, ac scelestis moribus testimonium contaminemus.

Quemadmodum de Christo nos quoque testimonium perhibebimus.

Et quanquam olim Spiritus sanctus testaretur mysterium in linguis: nunc autem solis fructibus, & signis externi sui aduentus, quæ sunt certiora signa, quia dæmon non potest ea comminisci. Quòd si Spiritus sanctus, & Angelicus testificantur de Christo: cur quæso erubescat spiritus humanus, cū præsertim comminatus sit Christus: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, &c.* De testimonio Spiritus sancti, & Apostolorum simul facto, legimus in Actis: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna* (nimirùm Spiritus sancti) *erat in omnibus illis*. Et apertiùs infrà dicitur: *Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi*. Vt ergo rectè valeas testari de Christo, esto Spiritus sanctus: esto veritatis Spiritus: procede ex Patre, & Filio. Eris quidem Spiritus sanctus: si vnus cum Deo spiritus efficiaris, & de te dici possit: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*. Eris spiritus veritatis, si mendacium oderis, & veritatem tum vitæ, tum doctrinæ, atque iustitiæ amplexatus fueris. Procedes ex Patre, & Filio, si à Patre gratiam, à Filio sapientiam accipias, qua præclarum, & omni virtute ornatum proferre valeas testimonium de Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit sempiterna laus, honor, & gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

Aliter olim in Ecclesia primitiua, aliter modo de Christo testificatur. Luc. 9. Act.4. Infrà 5. Vt quis rectè valeat testificari de Christo, quid requiratur. 1.Cor.6.

TRACTATVS LXIII.

In quo de dogmatibus ad Spiritum sanctū spectantibus, fusiore oratione disseritur. Et primùm ostēditur, Deum verum sine Spiritu sancto suo esse nō posse: deinde non tantùm nomine, & ratione, sed etiam persona à Patre & Filio distingui: deniq; Deum esse Spiritum sanctū, ac Patri, & Filio consubstantialem demonstratur.

VT hæc tam sublimia Trinitatis mysteria, quæ in his verbis, quæ exposuimus, comprehensa sunt, dilucidiora & apertiora reddantur, opportunum esse iudicauimus, hoc loco de dogmatibus ad Spiritum sanctum pertinentibus disserere; sequenti verò Tractatu de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio, ac exinde de vnitate diuinitatis ac Trinitatis personarum myste-

Qua methodo hoc de tāto mysterio disserēdum.

ſterio fuſiùs philoſophari. De Spiritu ſancto igitur quatuor ſuccinctè expediemus. Primùm, Deum verum ſine Spiritu ſancto ſuo eſſe non poſſe, oſtendemus; deinde quòd non ſolùm à reliquis perſonis nomine, & ratione, ſed etiam perſona diſtinguitur; tertiò, verum eſſe Deum, Patri & Filio conſubſtantialem Spiritum ſanctum demonſtrabimus; poſtremò quòd Spiritus ſanctus à Patre, & Filio procedat, quemadmodum Filius à ſolo Patre, explicandum eſt. Sed ante omnia longè difficile eſſe agnoſcebāt Patres quicquam de Spiritu ſancto ſtatuere: tum quia difficile erat capere, quid interſit inter naſci, & procedere, ſicut Auguſtinus in libris contra Maximinum; tum quia orthodoxi de illo loquentes errauerant, vt Gregorius Corinthiorū Epiſcopus, de quo conqueritur Baſilius in epiſtola ad Maximum Philoſophum, quòd Spiritum ſanctum à deitate exterminaret, & creaturis coniungeret; tum quòd alij timidè locuti ſint de illo: cuius rei cauſſa erat, quia Scriptura parcè locuta eſt de Spiritu ſancto: vnde Baſilius lib. in Eunomiū rectè dixit: *Piæ mentis eſt, quæ à Scripturis ſanctis reticentur, ea tenere: de Spiritu ſancto dicere, credere autem, peritiam, & veram comprehenſionem in futuris ſeculis nobis futuram*, tùm denique, quia Deus nondum plenè reuelauerat, ſed ſuo tempore reuelanda ſeruauerat: vt Gregorius Nazianzenus ait in epiſtola ad Clidonium, vbi, quæ ſpectabant ad diuinitatem Spiritus ſancti, in Concilio Nicæno aſſerit non fuiſſe expreſſa. Quare magna cum ſobrietate, & nonniſi ipſo adiuuante Spiritu, de Spiritu ſancto differendum eſt.

Quàm arduus & difficilis ſit de Spiritu ſancto tractatio.
Aug. li 3. contra Maximi. c. 14. tom. 6.
Grego. Corinthior. Episc.
Baſil. epiſt. 41 tom. vlt.

Scriptura parcè loquitur de Spiritu ſancto.
Idem lib. 3. in Eunom. in fin. tom. 1.
Piæ mentis indicium.
Gregor. Naz. epiſt. 2.

Ad primum igitur, facilè eſt ex Scripturis indicare, Deum ſine Spiritu ſuo nunquàm extitiſſe. Nam vel in ipſo mundi initio, in quo Deus creauit cœlum & terram, erat Spiritus Domini, qui ferebatur ſuper aquas. Vnde apud Iob dicitur: *Spiritus eius ornauit cœlos*; & apud Dauidem, *Emittet Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Et in alio loco: *Spiritum rectum innoua in viſceribus meis*: ibidem ait: *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Et per Prophetam: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnē carnem.* Deniq; ſymbolū ſiue Apoſtolorum, ſiue Nicænum, & Conſtātinopolitanum, quod in Miſſæ myſterio canitur, ſiue Athanaſij, quod frequētat Eccleſia, profeſſionem Fidei de diuinitate Spiritus ſancti manifeſtè complectuntur. Ad hanc fidem fulciendam, ratio etiam altiori lumine illuſtrata aliquo modo adminiculatur. Nam in primis in omni reconſideramus efficientem cauſam, formam, & finem, Pater ergo æternus, qui efficiens cauſa eſt omnium, non ſolùm formā habet, quæ Verbum eſt, per quod omnia facta ſunt, ſed & finem; id eſt, Spiritum ſanctum, in quo omnia conſiſtunt. Hinc Gregorius Nazianzen. de natura creatrice loquens, ait: *In tribus maximè conſiſtit, cauſa, opifice, & perficiente: Patre, inquam, & Filio, & Spiritu ſancto.* Sic ille. Deinde Deus habet Verbum ſuū ſuper intellectum: cùm ergo non ſit minor in eo voluntas ipſo intellectu, habebit ſpiritum ſuū productum voluntate, non vt effectum, ſed vt rationem omnis operis voluntarij: ſicut & Verbum ratio eſt, & ars vniuerſorum. Vt enim perfectiſſima eſt generatio, qua per omnia genitus eſt æqualis gignenti; & idcirco eſt Patri adſcribenda: ita etiam iocundiſſima eſt, & ſuauiſſima, quæ per modum benignitatis, & liberalitatis exiſtit productio, qualis eſt illa Spiritus ſancti, quæ proinde Deo tribuenda eſt. Ad hæc eſt Pater amās, & Filius amatus, ergo eſt quoque condilectus, & Spiritus ſanctus, ſine quo nec integra charitas, nec perfecta ſocietas, nec beatitudo diuina plena eſſe poteſt: ſicut nec vnitas ſumma, quæ Patri adſcribitur, nec ſumma æqualitas, quæ Filio datur, ſine vtriuſque nexu, qui eſt Spiritus ſanctus, conſummata eſt, vel perfecta. Omnes enim iocunditates, omneſque delicias diuerſorum in vno amore videmus ſubſiſtere. Poſtremò creaturæ omnes non ſolùm prodeunt à plenitudine diuinæ naturæ, quæ omnis perfectionis eſt exemplar, ſed etiam à diuina liberalitate, quæ omnis dati optimi, & doni perfecti fons eſt. Vt igitur productio, quæ naturam imitatur, reducitur ad imaginem, ſummumque exemplar, id eſt, Diuinum Verbum, quod omnium eſt origo; ita etiam quæ voluntaria, & liberalis eſt, ad ſummum amorem, qui eſt Spiritus ſanctus, vt ad ſuum fontem referenda eſt, cùm amor primum donum ſit, & omnium ſequentium donorum ratio. Hinc etiam Plato, vltra Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum indicauit, qua de re Clement Alexandrinus libro Stromatum dixit: *Quare quando etiam dicit* (Plato) *Circa omnium Regem ſunt omnia, & illius cauſſa omnia, illum quoque omnium cauſſam appellans, ſecundum autem circa ſecunda, & tertium circa tertia, non aliter ego exaudio, quàm ſanctam ſignificari Trinitatem. Nam tertium quidem eſſe ſanctum Spiritum; Filium autem, ſecundum, per quem facta ſunt omnia ex voluntate Patris.* Hæc ille. Poëta quoque non videtur ignoraſſe, qui dixit:

Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus

Deum ſine Spiritu ſuo nunquā fuiſſe probatur.
Gen. 1.
Iob 26.
Pſal. 103.
Pſal. 50.
Ioel. 2.
Act. 2.
Symbolum Nicænū Apoſtolicum, Athanaſij.
Vnde hęc veritas ratione poſſit oſtēdi.
I. argum.

Ioan. 1.
Rom. 11.
Greg. Naz. in orat. ad eos qui in claſſe ex Ægypto aduenerant.
II. argum.
Perfectiſſima generatio quæ ſit.
III. argum.
Pater, & Filius, ſi ſine Spiritu ſancto eſſent, quid inde.
Propria diuinarum perſonarum.
IV. argum.
Vniuerſæ creaturæ non ſolùm à plenitudine Diuinæ naturæ proficiſcuntur, ſed etiam à libertate diuina.
Iob 1.
Amor primū donum, & omnium ſequentiū donorum ratio.
Plato epiſt. 2. ad Dion.
Clē. Alex li. 5. Strom aliquātò à med.
Trinitatē aliquatenus agnouit Plato
Ioan. 1.
Rom. 11.
1. Cor. 8.
Virg. 6. Æn. propè finem.

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Spiritũ sanctum à Patre & Filio persona distingui.

Secundum erat: Spiritum sanctum persona distingui à Patre,& Filio:quod ipsum ostendit hic locus præsens: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittã vobis à Patre*: & illud Matthæi: *Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti*; Et, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Si igitur Filius à Patre persona distinguitur; & Spiritus quoq; persona ab eis distinguetur. Ad hæc dicitur Spiritus sanctus à Patre, & Filio & dari,& promitti, & procedere; ergo ab eis distinguitur. Nihil enim propriè à se ipso procedit, quia esset quid distinctum,& non distinctum: nullus etiam propriè vel mittit, vel dat se ipsum. Ergo aliquid est ab eis persona distinctum: maximè cùm dicatur venire, docere, consolari, Christum clarificare, futura annuntiare;vbi vult,spirare,& singulis prout vult diuidere.

Ioan. 15. Matth. vlt. 1. Cor. 5.

Ioan. 15. Infrà 16. Ibidem. Suprà 3. 1. Cor 12.

Quod Spiritus sanctus à Patre, & Filio detur.

Quòd autem detur Spiritus sanctus ab vtroq;, testatur Scriptura, quæ ait: *Quantò magis Pater vester cælestis de cælo dabit Spiritũ bonum petentibus se?* Et Filius: *Ego dabo vobis os,& sapientiam,cui nõ poterunt resistere,& contradicere cuncti aduersarij vestri: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Vnde & illum Apostolis dando,dixit: *Accipite Spiritum sanctum.*

Luc 11. Infrà 21. Matth. 20. Ioan. 20.

Quod Spiritus sanctus ab vtroque mittatur.

Quòd autem ab vtroq; mittatur, testatur in hoc sermone in cœna Domin[9],cùm inquit; *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et, *Quem ego mittam vobis à Patre.* Quòd à Patre procedat,hic apertè dicitur: *Qui à Patre procedit.* Quod à Filio,ostendit cùm insufflauit in Apostolos Spiritũ sanctum, & cùm dixit: *Ille me clarificabit,quia de meo accipiet.* Et in Prouerbijs ait Filius: En proferam vobis Spiritum meum.

Ioan. 14. Quòd à Patre procedat. Ioan. 15. Quod à Filio Ioan. 20. Suprà 19. Prou. 1.

Idem traditione Patrũ euincitur.

Idem facilè esset traditione Patrũ ostendere, si opus esset,producam tamen pauca quędã testimonia.Primum sit Dionysij Areop, lib.de diuin.nominib. *Porro discreta sunt*, inquit, *Patris supersubstantiale nomen,& persona, Filijq; ac sancti Spiritus, cum nulla in his conuersio, aut omninò communitas inducatur.* Tertul.in lib.aduersus Praxeam: *Nouißimè mandans, vt tingerent in Patrem, & Filium,& Spiritum sanctum,non in vnum:nã nec semel,sed ter,ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Et iterũ ibidem: *Hic* (scilicet Christus) *acceptũ munus à Patre,effudit Spiritũ sanctum, tertium numen diuinitatis,& tertium nomẽ maiestatis,vnius prædicatorẽ monarchiæ, sed & Oeconomiæ interpretatorem.* Sic ille. Athanasius lib.de vnita deitate: *Nam quod tres sunt, quid aliud sentitur fuisse, quàm Pater verus vnus, qui genuit,idem non sit,& qui genitus ab ipso est? Et Filius vnus qui non genuit,sicut ipse à Patre genitus,Pater non sit, & hic Spiritus sanctus, qui nec Pater, nec Filius est. Præterea qui nec genuit,nec est genitus;cum alter sit in persona qui genuit,& alter sit in persona, qui vnigenitus ab ipso est, & alius æquè in persona, vt dixi, secundùm diuinam Scripturam,qui nec Pater, nec Filius est: Hic est Spirit[9] sanctus,sed planè de vnita natura est.* Damasus quoq;, vt Tripart. refert, ita definit: *Si quis tres personas nõ dixerit veras,Patris & Filij,& Spiritus sancti,æquales,semper viuẽtes,oĩa cõtinentes,visibilia,& inuisibilia,omnia potẽtes, omnia iudicãtes,omnia viuificãtes,omnia creantes,oĩa saluãtes,anathema sit.* & hęc de primo.

Dionys. lib. 2. de diui. nom. part. 1. prope initium. Tertull. Matth. vlt. Idem.

Spiritus sancti attributa ex Tertulliano. Athan. lib de vnita Deitate circa med. tom. vlt.

Damas. hist. Tripar. l. 9 c. 17. anath. 21. Contra Trinitarios.

Quod Spiritus sanctus vnus,& idem verus Deus sit cũ Patre, & Filio.

At verò Spiritum sanctum vnũ, & eundem verũ Deum esse cum Patre,& Filio,siue cùm ipsum Spiritum sanctũ illis Patri, Filioq; connumerat, siue cùm eum Dñm, & Deum vocat, siue cùm opera Deo propria ipsi tribuit, siue deniq; cum peculiaribus nominib. ipsum sacra denominat Scriptura: hęc quinq; explicanda sunt & cõprobanda, quò veritas eorũ, quæ sunt à nobis proposita,constare possit. Vt enim ostenditur Filius Patri ὁμόουσιος, siue cõsubstantialis,quia dicitur: *Ego,& Pater vnum sumus*; ita dicitur: *Et hi tres vnũ sunt.* Est ergo Spiritus sanctus vtrique consubstantialis, & vnus Deus. Deinde cõnumeratur cum Patre,& Filio, ideo ter dicitur Deus à Moyse, cùm ait: *Dominus Deus noster, Deus vnus est*, & à Dauide: *Benedicat nos Deus Deus noster, Benedicat nos Deus.* Ter etiam sanctus dicitur in visione Esaiæ,& aliquando exprimitur,vt in testimonio Matthæi, & Ioãnis citato,& hoc loco,& apud Paulum, cùm ait: *Gratia Domini nostri. Et charitas Dei,& communicatio sancti Spiritus*: vt rectè hæc verba exponit Didymus lib.de Spiritu sancto,dicens: *Cum enim quis Spiritus sancti acceperit gratiam, habebit eã datam à Deo Patre,& à Iesu Christo Domino nostro. Vna igitur gratia Patris,& Filij,& Spiritus sancti operatione cõpleta; Trinitas vnius substantiæ demõstratur.* In alio quoq; loco: *Charitas*, inquit, *Dei cum omnibus vobis; quæ à Trinitate, & tribuitur,& firmatur.* Et intra: *Scribit & Ioannes de Patre: si in lumine ambulamus,sicut ipse est in lumine, cõmunicationem habemus cum illo. Et adhuc: Communicatio autẽ nostra cum Patre,& Filio eius Iesu Christo. Igitur quicunq; cõmunicat Spiritui sancto statim communicat Patri,& Filio. Et qui charitatem habet Patris,habet eam à Filio cõtributam per Spiritum sanctũ. Sed & qui particeps est gratiæ Iesu Christi, eandem gratiam habet datam à Patre per Spiritum sanctum. In omnibus enim approbatur, eandem operationem esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quorum autem vna est operatio. vna est*

Ioan. 10. 1 Ioan. 5.

II. argum.

Deut 6. Psa. 66.

Esai 6.

2. Cor. 13.

Didym. lib. 1. de Spir. sanct. prope fi. to. 9. oper. D. Hier.

2. Cor. 13.

1. Ioan. 1.

Ibidem.

& sub-

& substantia: quia quæ eiusdem substantiæ ὁμόκοια sunt, easdem habent operationes, & quæ alterius substãtiæ, & ἀνομόκοια, dissona, atq; diuersa. Hactenùs ille. Tertiò apertè Spiritus sanctus dicitur Deus. Dixit enim Petrus Ananiæ: *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Et infrà: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quod ponderat Athanasius lib. de Trin. & Didymus lib. de Spiritu sancto, dicẽs: *Si enim, inquit, qui Domino mentitur, mentitur Spiritui sancto, & qui Spiritui sancto mentitur, mentitur Deo; nulli dubium est, consortium Spiritus sancti esse cũ Deo. Et quomodo sanctitas subsistit in Deo, eodem modo & Deitas intelligitur in Spiritu sancto.* Hæc ille. Item Apostolus in epistola ad Corinth. scribit: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quẽ habetis a Deo, & nõ estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deũ in corpore vestro.* Ecce hic Spiritus sanctus Deus aperè dicitur, & verus Deus glorificãdus, cui debetur tẽplum. Quod expendens Ambrosius lib. de Spiritu sancto, ait: Ergo diuinę est potestatis qui habitat in templo. Sicut enim Patris, & Filij, ita & Spiritus sancti sumus templũ, non multa templa, sed vnũ templum, quia vni⁹ templũ est potestatis. Ponderat & hoc Didymus lib. de Spiritu sancto: *Cùm Spiritus sanctus, similiter vt Pater, & Filius, mentem, & interiorem hominem inhabitare doceatur, nõ dicam ineptũ, sed impium est eum dicere creaturã. Disciplinas quippe, & virtutes, & his contrarias perturbationes, & imperitias, & affectus in animabus habitare impossibile est; non tamen vt substantias, sed vt accidentes. Creatã verò naturam in sensu habitare impossibile est. Quod si verũ est, & Spiritus sãctus absq; vlla ambiguitate subsistẽs animæ est habitator et cordis, nulli dubiũ est, quin cum Patre, & Filio credi debeat increatus.* Sic ille. Adde his quod Paulus ait: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autẽ Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Hic etiam Spiritus sanctus dicitur, & Deus, & Dominus. Præterea ad Thessal. ait Apostolus. *Vos aũt Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatẽ vestram in inuicem, & in omnes, &c. ante Deum & Patrem nostrum, in aduentu Domini nostri Iesu Christi:* Vbi secundùm Ambros. ait: *Dominus qui multiplicat charitatem ante Deum Patrem in aduentu Christi, est Spiritus sanctus.* Itẽ apud Esaiã dicitur Deus Pater, Dñs Deus Sabaoth, siue exercituũ visus: at apud Ioannem dicitur Iesus: Hæc dixit Esaias, qñ vidit gloriã eius, & locutus est de eo, Deo scilicet: Paulus verò in Actis declarat illa verba dixisse Spiritũ sanctũ, vt ponderat Ambros. lib. de Spiritu sancto, asserẽs illos non sibi diuersa, & contraria dixisse: quia Pater videtur in Filio, & Filius in Spiritu sancto. Ad extremum Spiritus sanctus dicitur veritatis Spiritus, & omnia in se continere: quod perinde est ac si verus Deus diceretur. Nam Ioãnes in Canonica sua ait: *Spiritus est qui testificatur, quoniã Christus est veritas:* Et liber Sapientiæ inquit: *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis:* quod de Spiritu sancto intelligendum est, quia Græcè πνεῦμα neutrius est generis: ideo interpres vertit in neutro: quod clarius vertisset, qui. Ille enim est, qui omnes perfectiones intra se continet, & inter alias, linguarum, & vocum cognitionem. Quarto loco ostendun tur opera propria Dei veri non minùs Spiritui sancto, quàm Patri, ac Filio in Scripturis adscribi. Primum opus Dei est creare, vt prima sentẽtia Genesis docet: at hoc frequenter Spiritui tribuit: *Spiritus, inquit, eius ornauit cælos,* & Dauid: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorũ;* & alio loco: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Vnde Ecclesia inuocat Spiritũ sanctum, dicens: *Veni Creator Spiritus.* Et Didymus lib. de Spiritu sancto: *Nec mirum si Dominici tantùm corporis Spiritus sanctus conditor sit; cũ Patri, Filioq; sociatus eãdem potestate creauerit omnia, quæ Pater creauit, & Filius.* Et athanas. in disput. contra Arriũ Laodiceę habita, prope finẽ, producit ex libro Iudith testimoniũ, dicẽs: *Tibi, inquit, seruiet omnis creatura tua: quoniã dixisti, & facta sunt: misisti Spiritum tuũ, & ædificauit. Tantæ enim potestatis, vel creationis Spiritus sanctus ostenditur, vt ipso cooperante corpus Domini nostri Iesu Christo, quis nobis in Sacramento fidei datus est, in vtero Virginis formaretur.* Hæc ille. Meritò ergo Spiritus Creator ferebatur super aquas, vt artificis volũtas in operib. suis eleganter & affabre factis sibi complacet. Vnde & Pater dicebat, vt res fierent: Verbum ipsas faciebat, & Spiritus tanquàm benefactas approbabat, teste Athanasio, qui libro de Vnita deitate ait: *Quæ tandem est causa, vnum dixisse, faciamus, & vnum fecisse, & vnum dicenti & facienti interfuisse, & bona facta videntem benedixisse?* Sic Athanasius.

Secundum opus Dei est, mundũ replere, secundùm illud: *Cælum & terram ego impleo:* quod etiã Spiritu sancto datur. Ait enim Scriptura; *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* &, *Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?* Ideo iuxta Apostolum, *In ipso sunt omnia,* Et, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Vnde Didymus libr. de Spiritu sancto cõsiderat, quòd cùm Apostoli essent in distantissimis orbis partibus, & ab eodẽ Spiritu

Marginalia (left): III. argum. — Act. 5. — Athan. lib. 7. de Trin. in fi. tom. vlt. — Didym. lib. 1. de Spir. sanct. prope fin. to. 9. oper. D. Hier. — 1. Cor. 6. — Ambr. li. 3. de Spir. sanct. c. 13. tom. 2. — Didym. li. 2. de Spir. sanct. sub initium. — 1. Cor. 12. — 2. Thess. 3. — Ambr. li. 3. de Spir. san. c. 15. tom. 2. — Esa. 6. — Ioan. 12. — Act. 28.

Marginalia (right): Ambr. eo. lib. 3. de Spir. sanct. c. 22. — Ioan. 16. — Sap. 1. — 1. Ioan. 5. — Quod Dei opera non minùs Spiritui sancto, quã cæteris diuinis personis conueniant. — Gen. 1. — Iob 26. — Psalm 32. — Psal. 103. — D. Didy. li. 2. de Spir. san. B. paullò ante med. ũ. to. 9. oper. D. Hier. — B. Athanas. tom. vlt. — Iudith 16. — Gen. 1. — Psal. 148. — Psal. 32. — Gen. 1. — Quid est q Spiritus Domini ferebatur super aquas, secundum Athan. — B. Athan. li. 1. de Vnita Deitate, in med. eo. to. — II. opus Dei. — Ierem. 23. — Sap. 1. — Psalm. 138. — Rom. 11. — Act. 2. — Didy. lib. 1. de Spir. san. ante med. to. 9. ope. D. Hierony.

ritu sancto inhabitarentur; sequitur illum Deum esse: quia Angelus cũ limitatę virtutis sit, non potest simul esse in tot locis tam longinquis. Hinc Ambros. *Si ergo Dominus est*, inquit, *qui complet cælum, & terrã, quis potest Spiritum sanctũ iudicare dominationis, & diuinæ potestatis exortem, qui repleuit orbem, & quod vltra totum orbem est repleuit, Iesum mundi totius redemptorem? Scriptum est enim: Iesus autẽ plenus Spiritu sancto regressus est ab Iordane.*

Ambr. li. 1. de Spir. sanct. c. tom. 2.
Ierem. 23.
Sap. 1.
Luc. 4.

III opus Dei.
Matth. 9.
Rom. 8.
Ephes. 1.
1. Cor. 12. & seq.
Ioan. 20.

Tertiũ opus Dei est, peccata remittere, mẽtem renouare, inhabitareq;, & arrha salutis signare, & omnia dona distribuere, præsertim linguarũ, Prophetiæ, charitatis, & miraculorũ: quę omnia Spiritui sancto tribuuntur, indicantq; eius diuinitatem. Dicitur enim apud Ioan. *Accipite Spiritum sanctũ, quorum remiseritis peccata, remittũtur eis*: quis autẽ remittit peccata, nisi solus Deus? Et, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*. De quo Ambros. lib. de Spiritu sancto: *Ergo cũ ille* (scilicet Spiritus sanct.) *nos in regnũ suum per adoptionem sacræ regenerationis assumpserit; nos ei quod suum est, denegamus. Ille nos superna regenerationis fecit hæredes, nos hæreditatem vendicamus, refutamus autorem? Sed non potest manere beneficiũ, cum autor excluditur. Nec autor sine munere, nec sine autore munus. Si vendicas gratiam, crede potentiã. Si refutas potentiã, gratiam ne requiras.* Hactenùs ille. De arrha testatur Paulus: *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto; qui est pignus* (vel arrhabo) *hæreditatis nostræ.* Diffundit charitatem in corde, vt testatur Paulus ad Rom. & alio loco: *Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* De signis habes apud Hebræos: *Cõtestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secũdùm suã voluntatem.*

Matth. 19.
Ioan. 3.
Ambr. li. 2. de Spir. sanct. c. 9. tom. 2.
Non potest manere beneficium, cùm autor excluditur.
Ephes. 1.
Rom. 5.
1. Cor. 12.
Hebr. 2.

IV. opus Spiritus sancti.
Act. 13.
Infra 20.
Didym. lib. 2. de Spir. sanct. in initio.

Adhæc Spiritus sancti opus est, Sacerdotalem, Episcopalem, & Apostolicam potestatem conferre. Vnde in Actis dixit Spiritus sanctus: *Segregate mihi Saulũ & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Et in eodẽ lib. dicitur: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quos vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Priorem locũ explicans Didym. lib. de Spiritu sancto, ait, illã vocem, *In opus ad quod assumpsi eos*, diuinitatis & autoritatis esse indicem, & non creatam, sed increatam substantiam monstrare. *Neq; enim*, inquit, *Spiritus sanctus in aliud quoddã opus vocauit Barnabã & Paulum, quod non sit Patris, & Filij, cùm ministerium quod eis cõmisit, & tradidit, Spiritus Patris & Filij sit ministerium.* Hæc ille. De inhabitatione verò Spiritus, habemus testimoniũ Prophetę: *Spiritum meum ponã in medio vestri*; & alter ait: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*; Et Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantẽ.* Vnde in Scripturis multi dicũtur repleri Spiritu sancto: vt Christus, Ioannes Baptista, pater eius, & mater, & Apostoli, & Stephanus. Quod ponderans Didymus lib. de Spiritu sancto, scribit: *Quidam etiam Spiritu sancto pleni esse dicuntur; nemo autem siue in Scripturis, siue in cõsuetudine plenus creatura dicitur. Neq; enim aut Scriptura sibi hoc vendicat, aut sermo communis, vt dicas plenum esse quempiam Angelo throno, dominatione; soli quippe diuinæ naturæ hic conuenit sermo: dicimus autem virtutis & disciplinæ quosdam esse plenos.* Et infrà: *Quo enim qui aliqua disciplina plenus est, quia perfectè eã habet, eruditè & subtiliter potest de ea proferre sermonem: sic qui Spiritum sanctum cõsummatè acceperint, ita vt impleãtur eo, cum fiducia verbum Dei loquuntur, quia præsens Spiritus sanctus dignã Dei vocem ministrat.* Idem ex illo verbo Ioelis: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, probat Spiritũ sanctum Deum, dicens: *Ipsum quoq; effusionis nomẽ, increatam Spiritus sancti substantiam probat. Nec enim Deus cùm Angelum mittit, aut aliam creaturam: Effundam, dicit, de Angelo meo, aut principatu, aut throno, aut dominatione. In solis quidem his, quæ ab alijs participantur, hic sermo consentit, sicut & nunc paullò antè de charitate Dei diximus, quæ effusa est in cordibus eorum qui spiritum sanctum receperunt.* Infrà: *Significat autem effusionis verbum largam, & diuitem muneris abundantiam. Itaq; cùm vnus alicubi, aut duo Spiritum sanctum accipiunt, nõ dicitur: Effundã de Spiritu meo, sed tunc quando in vniuersas gentes munus Spiritus sancti redundauerit.* Sic ille inquit. Adhæc probat Spiritus sancti diuinitatẽ, quod dicitur scrutari profunda Dei, futura annuntiare, mundum arguere, & iudicare, nec ab illo posse capi, prout vult, in omnib. operari, omnes suscitare, ex Patre procedere. Etenim Apostolus inquit, quod scrutatur profunda Dei: de quo ait Ambrosius lib. de Spiritu sancto: *Similiter ergo scrutatur Spiritus sanctus vt Pater, similiter vt Filius scrutatur, cuius proprietate sermonis id exprimitur, vt videatur nihil esse quòd nesciat, quem nihil præterit.* Hæc ille. Scrutatur ergo Spiritus sanctus, sicut Pater, de quo: *Scrutans corda, & renes Deus*: & de Filio ait Paulus: *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Deinde Dominus de Spiritu sancto ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*: at vt Esaias ait: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Et vt olim dictabant Prophetæ: *Hæc dicit Dominus*, ita in Nouo Testamento: *Hæc dicit Spiritus sanctus*: qui vt tunc per Prophetas, ita posteà per Apostolos locutus est. Præterea dicitur de Spiritu sancto, quòd arguet

Ezech. 36.
Ioel 2.
Act. 2.
Galat. 4.
Luc. 4.
Suprà 1.
Ibidem.
Act. 2.
Infrà 7.
Didym. lib. 1. de Spir. sanc. ante med.
Exemplum.
Ioel 2.
Idem ibidem post medium.
Spiritus sanctus cur dicitur effundi, secundùm Didymum.
Rom. 5.
Effusio quid.
V. opus Spiritus sancti.
1. Cor. 2.
Ambr. li. 2. de Spir. sanct. c. 12. ante med.
Quid Spiritum sanctũ scrutari profunda Dei.
Psalm. 7.
Hebr. 4.
Esai. 41.
Ioan. 16.
Act. 21.

arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Deinde quod diuidit singulis prout vult: & quod vbi vult, spirat. In quæ verba Apostoli Ambrosius scribit: *Quòd si quæ operatur Spiritus, operatur & Pater, cùm Spiritus operationes suas pro voluntate sua diuidat: necesse est id quod diuidit Spiritus, aut inuito PatreDeo eũ ex sua volũtate diuidere; aut si idem velle dixeris Patrem quod vult Spiritus sanctus, necesse est, vt vnitatem voluntatis, operationisq; diuinæ, vel inuitus, etsi non corde, saltem ore fatearis. Quòd si vnius & voluntatis, & operationis est cum Patre Deo Spiritus sanctus; vnius etiam substantiæ est, quoniam ex operibus suis creator agnoscitur.* Sic ille. De opere suscitandi ad Romanos ait Apostolus: *Quòd si Spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Et tamen apud Ioannem dicitur: *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius quos vult, viuificat.* De illo autem dicto: *Quem mittet Pater in nomine meo:* & infrà: *Quem ego mittam à vobis à Patre, Spiritum veritatis*, rectè scribit Ambrosius libro de Spiritu sancto: *Itaque sicut creatura non potest dici Sapientia, quæ ex ore Dei procedit, nec verbum quod eructatur ex corde, nec virtus, in qua plenitudo maiestatis æternæ est: ita etiã creatura non potest Spiritus æstimari, qui ex ore Dei funditur, cùm ipse Deus tantam ostenderit vnitatẽ, vt effundere se de Spiritu suo dicat.* Et Didymus lib. de Spiritu sancto, Spiritum sanctum esse Deum, ex eo quod in nomine Filij mittitur, probat, his verbis: *Spiritum sanctum à Patre in suo mitti nomine, Saluator affirmat, cùm tamen propriè Saluatoris nomen sit Filius: Siquidem naturæ consortium, & vt ita dicam, proprietas personarũ ex ista voce signatur. In qua appellatione Filij missus à Patre Spiritus sanctus, non seruus, nõ alienus, nõ disiunctus à Filio, intelligatur. Et quomodo Filius in Patris appellatione venit, dicens: Ego veni in nomine Patris mei, Filij quippe tãtummodò est in nomine Patris venire, salua proprietate Filij ad Patrem, & Patris ad Filium: sic è contrario, nullus alius venit in nomine Patris; sed verbi gratia, domini & Dei, & Omnipotentis.* Et infrà: *Quomodo ergo serui, qui in domine Domini veniũt, per hoc ipsum quod subiecti sunt, indicãt dominum proprietatem eius referentes, serui quippe sunt domini: sic & Filius qui venit in nomine Patris, proprietatis Patris portat, & nomen, per hæc vnigenitus Dei Filius approbatur. Quia ergo Spiritus sanctus in nomine Filij à Patre mittitur, habens Filij proprietatem secundùm quod Deus est, ostendit quia vnicè sit iunctus ad Filium. Vnde & Filij dictus est Spiritus, per adoptionem faciens filios eos, qui recipere voluissent.* Sic ille, egregiè quidem. Denique solius Dei est creare Christum, atque illum vngere, quatenùs homo est; mittere in desertum, & ad mortis sacrificium agere, suscitareque eum: quæ omnia Spiritus sanctus Christo Domino impendit. Ait enim Sapiens: *Ipse creauit illam* (scilicet Sapientiam incarnatam) *in Spiritu sancto:* & alibi: *Spiritus sanctus superueniet in te:* & alio loco: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Qua de re Athanasius lib. de vnita deitate, ait: *Quod est maius in tota creatura? hoc Corpus Christi ex Spiritu sancto esse creditur.* Hæc Pater ille. De reliquis verò in Scripturis dicitur: *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me:* &, *Dominus Deus misit me, & Spiritus eius:* &, *Ductus est Iesus à Spiritu in desertum*; Item, *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*, & per Spiritum sanctum suscitatus dicitur in epistola ad Romanos. Et tantum est donum, vt non decuerit aut mitti solenniter & forma visibili, nisi post passionem, & glorificationem Domini. Sic enim habet Ioannes: *Nondum enim erat Spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus.* Præterea peccatum in Filium remitti potest; at in Spiritum sanctum non remittitur, nec in hoc seculo, neque in futuro. Atque ita habemus, omnia propria Dei opera ad Spiritum sanctum spectare, quasi ad verum Deum.

Neq; dictis obstat. Primò, quod dicitur ab Apostolo: *Spiritus postulat pro nobis*; Et, *Spiritum nolite extinguere:* Et, *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Quia hæc potiùs in nobis, quàm in ipso fiunt: nos enim illo agente postulamus, vel ipsum offendentes contristamur, & animas nostras extinguimus. Nec secundò obstat, quod pluries expressis Patre, & Filio, nihil de Spiritu sancto dicitur, vt ibi; *Nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare?* Et apud Ioannẽ: *Vt cognoscant te solum, Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum*; & Apostolus: *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo:* & Dilect[us] in Catholica sua: *Et societas nostra sit cũ Patre, & Filio eius Iesu Christo:* quia in his omnib[us] & similibus subintelligitur Spiritus sanctus, & ab eo promanant charismatum dona, & cum eo initur societas cum Patre & Filio. Vnde Basilius epistola ad Gregoriũ Nyssenum: *Ex Patre namque, ait, est Filius, per quem sunt omnia, cum quo simul Spiritus sanctus semper indiuulsè consideratur, & coniungitur. Non enim fieri potest, vt de Filio quisquam secum cogitet, quem non antè illustrauerit Spiritus.* Augustinus lib. 6. de Trin. ca. 9. *Cur ergo tacuit*

de Spi-

Marginalia (left): Ioan. 6. 1. Cor. 12. Ioan. 3. Amb. li. 2. de Spir. san. cap. 12. tom. 2. — Rom. 8. — Ioan. 5. — Infr. 14. & 15. — Ambr. lib. 1. de Spir. sanct. cap. 7. in fin. — Ioel 2. — Didym. lib. 2. de Spir. sanct. ante med. to. 9. oper. D. Hieronymi. Ioan 14. Propriũ Saluatoris nomen quod. — Ioan 5. — Exemplum de seruis.

Marginalia (right): VI. Dei opu[s] — Eccles. 1. — Luc. 1. — Matth. 1. Athan. li. 11. de vnit. deita[te] — Esai. 61. & Luc. 4. Suprà 48. — Matth. 4. Hebr. 9. — Rom. 8. Spiritus sancti donum quantum sit. Ioan. 7. Matth. 12. — Soluuntur obiectiones quędam contra Spiritum sanctum. Rom. 8. Ephes. 4. 1. Thess. 5. Cur sæpè exprimantur Pater & Fili[us] absq; Spiritu sancto. Secunda. Matth. 11. Rom. 17. 1. Cor. 1. 1. Ioan. 2. — Basil. epist. 43 paulo ante med. to. vlt. — Aug. tom. 3.

de Spiritu sancto? An quoniam consequens est, vt vbicunq; nominatur vnum, tanta pace vni adhærens, vt per hanc vtrumque vnum sit, iam ex hoc intelligatur etiam ipsa pax, quamuis non commemoretur?

Cyrill. to. 2.

Cyrill. libr. 7. Dialogorum de Trin. prope initium: *Quemadmodum si quis nobis Petrum, vel Ioannem nominaret, simul fortè significaret cum ipsis & proprium illorum, & in illis spiritum, & totius animalis faceret significationem. Eodem, opinor, modo de Patre, & Filio.*

Exemplum B. Cyrilli.

Spiritus enim significatur cum vtroq;, & non vt pars eius, sicut & in homine intelligimus. Subsistit enim propriè in sua natura, vt Pater; suppeditat autem dignis etiam ipse filijs. Sic Cyrillus.

III. obiectio.

Tertiò nō obstat, quòd Spiritus sanctus mittatur à Patre, & Filio, quasi sit minor: imò potiùs æqualis probatur, siue missionis finis, siue modus, siue effectus consideretur.

Cur mittatur Spiritus sanctus. & quomodo.

Finis enim est, à temporalibus ad æterna cōuertere eos ad quos mittitur. Modus verò aut inuisibilis est, per quem charitas infunditur, siue in subiecta creatura sensibilis, vt charitatem infundat, & mentem inhabitet. Effectus verò est, aut ipsa sub aspectum non cadens infusio, aut sub aspectum cadens apparitio. De quibus tribus Augustinus lib. 2. de Trin. cap. 5. sic inquit:

Aug. tom. 3.

1 sent. dist. 16. c. & primo.

Matt 3.

Act 2.

Iam in promptu est intelligere etiam de Spiritu sancto cur missus & ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua inuisibiliter ostenderetur Spiritus sanctus: siue cùm in ipsum corporali specie, velut columba descendit; siue cum decem diebus peractis post eius ascensionem, die Pentecostes factus est subitò de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ diuisæ tanquam ignis, & qui insedit super vnumquemq; eorum. Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est: non ità vt appareret eius ipsa substātia, qua & ipse inuisibilis, & incommutabilis est, sicut Pater, & Filius, sed vt exterioribus visis hominum corda commota à temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis conuerterentur. Et infrà ait:

Cap. 6.

Deus variè assumit creaturam.

Ideo autem nusquam scriptum est quòd Deus Pater maior sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre, quia non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumptus est Filius hominis, in qua forma ipsius verbi Dei persona præsentaretur: nō vt haberet Verbum Dei, sicut alij sapientes sancti, sed præparticipibus suis. Non vtiq; quod amplius habebat Verbum Dei, vt esset quàm cæteri excellentiore sapientia: sed quod ipsum Verbum erat.

Psal. 44.

Verbum in carne, & Verbum caro, differunt, teste Augustino.

Ioan 1.

Luc. 2.

Esai 40.

Aliud est enim Verbum in carne, aliud Verbum caro, id est, aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo. Caro enim pro homine posita est in eo q; ait: Verbum caro factum est; sicut & illud: Et videbit omnis caro pariter salutare Dei. Non enim sine anima, vel sine mente, sed ita omnis caro, ac si diceretur, omnis homo.

1. sent. dist. 16. c. sed prim.

Non ergo sic est assumpta creatura, in qua apparuit Spiritus sāctus, sicut assumpta est caro illa, & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque enim columbam beatificauit Spiritus, vel illum flatum, vel illum ignem, sibiq; & personæ suæ in vnitatem, habitumq; coniunxit in æternum. Hucusq; ille.

IV. obiectio.

Nec quartò valet: Spiritus sanctus vel est ingenitus, vel genitus: quorum neutrum dari potest. Nam si genitus est; duo erunt filij, & tunc non erit filius vnigenitus, vel vnicus. Si ingenitus: duo erunt Patres. Dicendum est, neutrum esse concedendum: & non posse dici ingenitum, qui ab alio procedit: nec genitum, qui procedit per modum voluntatis amoris, doni, ac liberalitatis. Vnde Gregorius Nazianzenus lib. 5. Theologiæ prope initium:

Greg. Naz. prope init.

Iam quoniam illinc procedit, non est creatura; quia verò non est genitū, non est Filius; at quoniam ingeniti & geniti medius est, Deus est. Didymus etiam lib. 3. de Spiritu sancto, in fin.

Didym. to. 9. ope. D. Hiero.

Arrianorum, ac similium scelerata contra Spiritum sanctum impietas confutatur.

Nō tantū impietas est scelerata proponere, quantum & de sceleratis saltem resistentem velle tractare; idcirco illud quod solent tractare, prætereo, sacrilega aduersus nos audacia proclamantes: Si Spiritus sanctus creatus non est: aut frater est Dei Patris, aut patruus est vnigeniti Iesu Christi, aut Filius Christi est, aut nepos est Dei Patris, aut ipse Filius Dei est, & iam non erit vnigenitus Dominus Iesus Christus, cùm alterum fratrem habeat. Miseri atque miserabiles, non sentientes de incorporeis & inuisibilibus iuxta corporalium & inuisibilium disputari non licere naturam. Fratrem esse, vel patruum, nepotem vel filium, corporum nomina sunt, & imbecillitatis humanæ vocabula. Trinitas verò omnes has prætergreditur nuncupationes. Hactenùs Didymus.

D. Epiphan.

Et ante eum Epiphanius in hæresim 74. agēs in Pneumatomachos: *Dicet* (inquit) *aliquis nos duos filios dicere; quomodo est vnigenitus? Verùm quis tu es qui contra Deum ratiocineris? Si filium vocat eum, qui ex ipso existit, Spiritum autem sanctum, qui ab vtroq;, quæ solùm fide comprehensa à sanctis, illustria lucem præbentia illustrem efficaciam habent.* Hæc ille.

V. argum. seu locus.

Ex nominib. sancti Spiritus eius diuinitas cōprobatur.

Quintò, eadem Spiritus sancti diuinitas colligitur ex nominibus Spiritus sancti: quorum primum est, Spiritus sanctus. Nam etsi sanctitas tribuatur creaturæ, secundùm illud: *Sancti estote, quia ego sanctus sum*; & nomen Spiritus commune sit multis alijs à Deo, de quibus consule Didymum libro de Spiritu sancto, & Damascenum libro de Orthodoxa fide: quando tamen hæc duo coniunguntur, & Spiritus, & sanctus, soli vero Deo propriè conuenit; qui per essentiam est Spiritus, & per essentiam sanctus: sed peculiariter tertiæ

Leuit. 19.

Didym. ibid.

Damasc. lib. 1. c. 18.

Trini-

Trinitatis personæ accommodatur, quia à Patre, & Filio, vt impulsus quidam, & flatus sanctus procedit, & communia sunt sibi, quæ Patri, & Filio simul conueniunt. De quo audi Ambrosium libro de Spiritu sancto: *Vna est ergo*, inquit, *vera sanctitas, sicut vna vera est diuinitas, vna illa sanctitas naturalis. Ideo omnia hæc, quæ sancta nos credimus, illam solam prædicant sanctitatem: Cherubin, & Seraphin indefessis vocibus laudant, & dicunt: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Non semel dicunt, ne singularitatem credas. Non bis dicunt, ne Spiritum excludas. Non sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes. Sed ter repetunt, & idem dicunt, vt etiam in hymno distinctionem Trinitatis, & diuinitatis intelligas vnitatem: hoc cum dicunt, Deum prædicant. Nos quoque nihil pretiosius inuenimus, quo Deum prædicare possimus, nisi vt sanctum appellemus. Quodlibet aliud inferius Deo, inferius est Domino. Ergo hinc quoque considerate, vtrum aliquid sancto Spiritui derogandum sit, cuius nomen Dei laus. Sic enim laudatur Pater, sic laudatur & Filius, quemadmodum Spiritus nominatur.*

Cur Spiritus nomê tertiæ magis diuinę personæ conueniat.
Ambr. li. 3. c. 2. 10. 2.
Esai. 6.
Expenditur vox illa Sacrosancta Tria gios: Sanctus, sanctus, sanctus.
Sanctì appellatio Deo per quam honorificētissima.

Cyrillus loco citato: *Quemadmodum est absurdum*, inquit, *& indoctè dictum, nominari quidem hominem id quod verè homo, intelligi etiam præter hoc alium; sic stultum valdè Spiritum quidem sanctum nominari spiritum, & etiam ipsum repelli, ne sit secundùm naturam sanctus, & ita in aliam detrudi naturam. Non enim gloriæ, vel eminentiæ quendam modum nomen eius signat, quemadmodum scilicet & principatus, & thronus, & dominatio, & de his, quæ per illum producta sunt, dicuntur. Erit autem potiùs substantialis quodammodò qualitatis ostensiuum: quemadmodum scilicet Patri Pater, & Filio Filius.* Idem docet in libris Thesaurorum. Augustinus libro de Trinitate docet, ideo dici Spiritum sanctum commûni nomine Patri, & Filio; quia communis Spiritus amborum. Et Alcuinus libro de Trinitate: *Sicut enim relatiuè Pater & Filius dicuntur; ita & Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium quodammodò relatiuè dicitur, quia Patris & Filij Spiritus est. Sed ipsa relatio Spiritus sancti non ita reciproca ratione conuerti poterit, sicut Pater, & Filius.* Sic ille. Quia igitur nomen Spiritus sancti, cum, cui competit sanctum esse essentialiter, significat, & sanctitatis donatorem, Patri, & Filio communem, ab eisque procedentem; eum verum esse Deum demonstrat.

Cyrill lib de Tri. in fi. to. 2.
Spiritum S appellâtium qui nô sit sanctus natura, quâ ita stulti.
Id. li. 13. Thes. 4. eod tom.
Aug. li. 15. de Tri c. 7. to. 3.
Alc lib 1. de Trin. c. 3.
Spiritus S no men quid significet.

Deinde Spiritus sanctus dicitur Paracletus. De quo Didymus libro 2. De Spiritu sancto sub initium tomo 9. operum diui Hieronymi: *Iste Spiritus sanctus consolator à Filio mittitur, non secundùm Angelorum, aut Prophetarum, aut Apostolorum ministerium, sed vt mitti decet à sapientia, & veritate Spiritum Deo indiuisam habentem cum eadem sapientia, & veritate naturam.* Hæc ille. Consolatur ergo Spiritus sanctus, vt Creator, & vltimus finis.

Paracletus quid.
Didymus.

Tertiò dicitur Spiritus Patris, & Filij. in quo ostenditur verus Deus, sicut & in eo, quod dicitur lingua, vel digitus Dei. Nec enim Spiritus hominis ab eius natura est alienus, nec manus, vel lingua ab eo corpore, in quo est, substantia differt. Quòd si hæc in homine ex multis, & varijs composito vera sunt, in Deo, qui simplicissimus est, imò ipsa simplicitas, eius opus, vel manus, vel lingua idem erit quod ipse.

Spiritus sanctus cur dicatur Spiritus Patris, & Filij.
Luc. 11.
Esai 30.
Act 2.

Quartò, dicitur Spiritus sanctus imago Filij, teste Damasceno libr. 1. De orthodoxa Fide, cap. 18. dicente: *Imago Patris est Filius; & Filij, Spiritus sanctus: per quem Christus homini inhabitans dat ei, quod est secūdùm imaginē.* Sic ille. Vt ergo Filius est summa imago Patris, & eiusdem substātiæ cum illo, ita Spiritus, imago Filij, & eiusdem substantiæ cum Filio erit. Si enim creatura esset Spiritus sanctus, atq; essentia à Filio distinctus, alia Filio similior, veriorque imago creari posset.

Spiritus S. est imago Filij sicut Filius imago Patris.
Damasc.
Spiritus S. si esset creatura quid inde.

Quintò, dicitur Spiritus sanctus similitudo Dei. Ita enim Cyrillus libro 7. De Trinitate ante medium tomo secundo scribit: *Nam character quidem verus, & summâ diligentiæ, quæ in effigiando intelligitur, est Filius: similitudo quoque lucida, & naturalis Filij, Spiritus est, ad quem & nos configurati per sanctificationem, ad ipsam Dei formam conformamur. Id nobis Apostolicus sermo suadeat; Filij, inquit, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatur autem per Spiritum reformantem nos ad Deum per seipsum. Quando igitur Christum formamus, & ipse à nobis significatur, & effigiatur benè, vt per similem spiritum naturaliter, nonne spiritus est, qui transmutat ad Deum?*

Spiritus S. appellatur similitudo Dei.
Cyrill.
Rom. 8.
Galat. 4.
Quemadmodum Christus formetur in nobis teste Cyrillo.

Sextò, dicitur Spiritus adoptionis, quòd adoptionem filiorum Dei conferat. Quomodo ergo quis daret, quod nō habet? Ergo verus est Deus.

Quare Spiritus S. Spiritus adoptionis dicatur.
Rom. 8. & Ephes. 1.

Septimò, dicitur Spiritus, vnio, vel coniunctio. Vnde Athanasius libro vndecimo De vnita Deitate Trinitatis, tomo vltimo: *Spiritus*, inquit, *sanctus coniunctio est Deitatis, virtus, & vnitas Trinitatis.* Hæc ille. Est ergo vnio, osculum, pax, atque amor coniungens amantem cum amato. Blasphemum autem est dicere, creaturam se admiscere Deitati, & Filium nectere cum Patre. Eadem de caussa dicitur communio Patris, & Filij. Hinc Augustinus libro quinto De

Athan.
Spiritus S. cōmunio Patris & Filij cur vocetur.
August.

Trinitate capit.11.tomo 3. Spiritus sanctus ineffabilis est quædam Patris, Filijque communio. Et ideo fortè sic appellatur; quia Patri, & Filio potest eadem appellatio conuenire. Idem etiam: *Spiritus quoque sanctus*, ait, *siue summa charitas vtrumque coniungens, nosq; subiungens.* Probat etiam Augustinus, Spiritum sanctum esse charitatem, & ob id Deum: quia absolute dicitur Deus charitas, sicut Deus Spiritus est; secùs cùm dicitur, Tu es patientia mea, vel, Tu es spes mea. Dicitur etiam dilectio: *Dilectio*, inquit Ioannes, *ex Deo est:* Deus est Spiritus sanctus, ex Deo Patre, & Filio procedit. Dicitur porrò Spiritus sanctus, dilectio, quia per modum voluntatis procedit; & quia Pater, & Filius in ipso se diligunt Spiritu: non quasi amore essentiali, essent enim per Spiritum, si per ipsum se diligerent, sed quasi amore ab ipsis producto se diligunt: vt Augustinus docet libro 6. De Trinitate cap.5. Dicitur etiã charitas, quia nobis dat, & infundit charitatem, qua facit Dei, & proximi dilectores. Vt eodem libro 15. de Trinitate, cap.17. tradit Augustinus. Idem quoq; ait, libro 6. cap.5. *Ideo charitas, quia sanctitas Patris, & Filij æqualis est vtriq;; aliàs non quanta est diligeretur sapientia à Patre, si non est æqualis dilectio vtrique.* Hæc ille in sensu. Meritò ergo dicitur charitas: tum quia à Dei voluntate, quæ est eius substãtia, procedit; tum quia in eo Pater, & Filius se diligunt, & in eo quasi communi fructu lætantur, & quia per eum nobis charitatem infundentem Deum, ac proximum diligimus, ipsisque vnimur; vt proinde qui tanta præstet, iure Deus sit.

Id. li. 6. de Trinit. c. 3.

Id. li. 15. c. 17. & 18.

1. Ioan. 4.
Ioan. 4.
1. Ioan. 4.

Quã ob causam Spiritus sanctus dicatur dilectio.

Quo amore se diligunt Pater & Filius in diuinis.

August.

Spiritus sanctus charitas quare vocetur.

Idem.

Denique dicitur donum, quia ab æterno per modum doni procedit, sicut & per modum amoris. Et vt à Verbo Dei interno omnia creata quasi externa quædam verba procedunt, ita ex Spiritu sancto, vt primario dono, & omnium externorum donorum ratione reliqua Dei dona, ac munera oriuntur. Amor enim, id est, Spiritus sanctus, inter Dei benignitatem, & externa eius dona medius est; sicut & Verbum inter Dei fœcunditatem, & creata intercedit. Est autem donum æternum: de quo Augustinus, *Semper procedit Spiritus sanctus, & non ex tempore, sed ab æternitate procedit. Sed quia sic procedebat, vt esset donabile; iam donum erat, etiam antequàm esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur, cùm dicitur donum; aliter cùm dicitur donatum. Nam donum potest esse, & antequàm detur; donatũ autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest. Nam sempiternè Spiritus donum: temporaliter autem donatum.* Sic ille. De his omnibus appellationibus, siue nomenclaturis Spiritus sancti pulchrè Gregorius Nazianzenus libro quinto Theologiæ sub finem ait: *Quantum ad me attinet, totus horreo, cùm tantas diuinarum nomenclaturarum diuitias intueor, ac spiritus aduersarij, in quam multa nomina impudentes debacchentur, considero.* Dicitur spiritus Dei, spiritus Christi, mens Christi, spiritus Domini, ipse Dominus. Spiritus adoptionis, veritatis: Spiritus sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Dei, dum omnia hæc efficit, omnia essentia sua implet, omnia continet, ac reliqua, quæ sanctus ille Dei magno spiritu, nec minori eloquentiæ flumine persequitur. Facilè esset ex veterum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum scriptis, innumeris sententijs diuinitatem Spiritus sancti demonrare: sed quia id esset in re compertissimæ, & exploratissimæ fidei actum agere, & superfluè verba profundere, consultò prætermittimus. Nam qui tot Scripturarum testimonijs, & tot symbolis fidẽ complectentibus non acquiescit; nec Patibus id testantibus fidem habebit. Nec hæc quidem quæ attulimus hactenùs, alia ratione à nobis producta sunt, nisi vt nouos Arrianos, & Macedonianos, hoc est, Seruetianos, & ministros Hungaricos, & Polonos in tanto Fidei mysterio denuò nutantes, confirmaremus, si velint fidem amplecti; vel coufutaremus, si nolint. Reliquum est, vt Spiritus sancti diuinitatem agnoscamus, agnitam venerabundi adoremus, & eandem illi cum Patre & Filio glorificationem tribuamus in secula seculorum. Amen.

Spiritus sanctus quare dicatur donũ.

Idem l. 5. de Trin. c. 11.

Cap. 16.

Greg. Naz.

Sancti spirit⁹ variæ appellationes.

Contra Seruetianos ac ministros Hũgaricos, atq; Polonos sancti spirit⁹ diuinitatem per negantes.

TRACTATVS LXIV.

In quo de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio disseritur.

TRACTATVRI de processione Spiritus sancti, illud ante omnia præmittendum duximus, qua ratione processio distinguatur à generatione, rursus quomodo processio cum generatione conueniat; vt ita dilucidiùs reddatur, & apertiùs discrimen quod est inter illa. Conueniunt igitur in primis in eo, quod vtraque est spiritualis: quia enim natura diuina intellectualis, & corporis expers, nihil prorsus corporeum, aut in generatione Filij, aut in processione Spiritus sancti cogitãdum est. Nam proptereà vocatur spiritus, quòd ab omni re corporea sit seiunctus, atq; discretus,

Generatio & processio quibus modis inter se conueniunt.

Deus spiritus cur dicatur.

II modus. Vtraque deinde diuinam vnitatem non scindit: quia vt Verbum eiusdem est substantiæ cum Patre, ita & spiritus vtriq; consubstantialis existit, quia eadem diuinitas est in vna persona, quæ in tribus: vt Alcuinus egregiè docet libr. primo de Trinitate, cap. 9. *Alcuin.*

III. modus. Tertiò quemadmodum diuina generatio, infinitam Dei fœcunditatem consequitur, ita etiam Spiritus sancti processio. Nam ita docet Dionysius libro de diuinis nominibus, cap. 13. sub finem, tomo 9. operum D. Hieronymi, dicens: *Idcirco & vnitatis, ac Trinitatis appellatione celebratur, quæ est super omnia deitas, neq; vnitas, neque Trinitas aut à nobis, aut à quouis alio cognita est; verùm vt & ineffabilem ipsius vnionem, & diuinam fœcunditatem celebremus, Trinitatis atq; vnitatis sacratissima appellatione omne nomen excedentē appellamus, subsistentibusq; supersubstantialem nominamus.* *Dionys.*

V. modus. Ad hæc processio Spiritus S. Dei simplicitatem non tollit, sicut nec diuina generatio, sed potiùs illam deriuat. Hinc Gregor. Nazianz. lib. 2. Theologiæ initio, *Disputanti faueat Pater, adsit Filius, Spiritus adspiret: imò verò vt ab vno Deo vnus quoque defulgeat nobis splendor: qui quidem sic diuiditur, vt interim maneat simplex, sic in simplicitatem suā contrahitur, vt nihilominùs sit diuiduus, quantumuis id inopinatum, & præter humani ingenij captum videtur.* *Nazianz.*

V. modus. Ad hæc vt diuina generatio immutabilis & æterna est; ita etiam Spiritus sancti processio. Quod his verbis indicat Augustinus libro 15. De Trinitate, capite 26. in fin. tom. 3. *Sicut Filio præstat essentiam sine initio temporis sine vlla mutabilitate naturæ de Patre generatio, ita Spiritui sancto præstat essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ de vtroque processio.* Hucusque Augustinus. In his igitur quinque conueniunt inter se generatio, & processio. *August.*

Processio & generatio in quibus differant, definire difficile. Quomodo autem distinguantur, difficilè admodum, ac per obscurum Patres esse definierunt. Nam Basilius sermone de Spiritu sancto contra Sabellianos, & Arrium. & Anomæos, vocat arcanum modum, quo procedit Spiritus sanctus: quem tamen non explicat. Nazianzenus oratione secunda ante medium in sancta Epiphaniarum lumina: *Spiritus sanctus verè spiritus est, ex Patre quidem procedens; non tamen filialiter, quoniam non generatur, sed procedit.* Et libro 5. Theologiæ: *Quæres igitur, quæ hæc est processio? Quin tu rationem vnigeniti Patris mihi explica, & ego vicissim tibi & Filij generationem, velut naturæ eius interpres expediam, & Spiritus processione aperiam, vt ambo insaniamus Dei secreta rimando:* *Basil. ho. 26. in med. to. 1.* *Nazianz.* *Idem.*

Damascenus libro de orthodoxa fide capite 11. Vnus Spiritus sanctus, prodiens quidem ex Patre, non filialiter, sed processibiliter. Et paullò antè dixerat: *Generationis & processionis differentiam esse didicimus; at quis differentiæ modus, nequaquàm; & simul esse Filij à Patre generationem, & Spiritus sancti processionem.* *Damasc.* *Cap. 10.*

Adhæc Augustinus libro tertio contra Maximinum Arianorum Episcopum, capite 14. initio tomo 6. elegāter & acutè ait: *Quid autem inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit, nascitur, quamuis omne procedat quod nascitur: sicut non omne quod bipes est, homo est, quamuis bipes sit omnis, qui homo est. Hæc scio. Distinguere aūt inter illā generationē, & hanc processionē nescio, nō valeo; nō sufficio: ac per hoc quia & illa, & ista est ineffabilis: Sicut Propheta de Filio loquēs ait: Generationem eius quis enarrabit? ita de Spiritu S. verissimè dicitur, Processionem eius quis enarrabit?* Sic ille. Etsi ergo hoc difficile illis definire extiterit, dicendum tamen est, quod partim ab ipsis, partim à posterioribus traditum est. Consistit ergo in hoc differentia, quòd generatio Verbi est, per viam naturæ. Quæ cùm in diuinis intellectualis sit, principium habet intellectum, quo verbum generatur; at Spiritus sanctus per viā voluntatis liberaliter (licèt citra vllam contingentiam) amantis procedit. Pater enim essentialiter amans Filium, & ab eo redamatus, Spiritum per modum doni, & æterni amoris producunt: in quo Filij, & Patris perficitur amor. Nec enim summa dilectio esse potest sine diligente, & dilecto, & condilecto. Idcirco Spiritus sanctus primæ est dualitatis tertia vnitas, primi amoris gaudium, & dulcedo, primæ societatis fœdus, primæ pacis vinculum, & concordia, primus amor, & primum donum omnium & amorum, & donorum, & gaudiorum sanctorum ratio, & caussa. Quia verò diuina voluntas, & diuina natura idem sint: ideo ita voluntaria est Spiritus sancti processio, vt consequenter sit naturalis: tota quippe diuina natura sicut non coactè, nec violenter, ita nec cōtingenter, sed necessariò; & cum summa, vt sic dicam, complacentia traditur à Patre in Filium, & ab vtroque in Spiritum sanctum. Nam & amans intimum suum, si posset, amato tradere vellet. Ac vt creaturarum caussa est mera diuina voluntas liberè & contingenter eas producens; ita Spiritus productio, quæ & voluntaria, & necessaria est, ratio & caussa omnis voluntariæ actionis, *August.* *Esai. 53.* *Processionis & generationis discrimē vnde pēdeat Proprium vniuscuiusq; rei.* *A Patre, & Filio qua ratione procedat Spiritus S.* *Spiritus S. attributa.* *Amans proprium quid sit.* *Quarum Spiritus S. operationū ratio, & caussa in creaturis, quarum verò sit Verbū æternum.*

nis existit; quemadmodum etiam Verbum, ratio & ars est omnium, quæ per intellectum producuntur. Hinc in creatione vtriusque fit mentio. Nam vt Verbo dixit, vt omnia fierent, ita etiam spiritus ferebatur super aquas. Quòd autem Spiritus sanctus per viam voluntatis natura fœcundæ procedat; ex eo ostenditur, quia dicitur Spiritus, id est, flatus quidam, siue impulsus, quo amans tendit in amatum. Vt enim cognitio gignitur per attractionem similitudinis rei cognitæ ad intellectum, ita amor non fit similis rei amatæ, sed amans voluntas attrahitur ab amato. Ad hoc indicandũ, Christus insufflauit flatũ Spiritus S. in Apostolos, & venit in sono spiritus vehemẽtis. Dicitur quoq; Paraclitus, id est, cõsolator; per modũ suauitatis, & iocunditatis, omnẽ mœrorẽ ex cordibus depellẽs. Dicitur Spiritus Patris, & Filij: quia non solùm à Patre, vt à mente verbum, sed à Patre, & à Filio, vt amor à mente, & notitia proficiscitur. Hinc etiam dicitur charitas, donum, vnio communio; quæ omnia effectus sunt amoris. Quòd autem Spiritus sanctus vel cognitio dicitur, vt ab Irenæo, vel sapientia, vel imago, vel similitudo Filij ab alijs dicitur: non tam modum productionis eius, quàm quod eum consequitur, qui sapientia est, declarat. Quia tamen diuina substantia simplicissima est, & in ea voluntas est ipsa essentia, idcirco amor in Deo ipsa erit substantia, & Spiritus sanctus eandem essentiã cũ Filio habebit; atq; adeò eandem sapientiam & perfectionem: ita vt Spiritus sanctus similis sit Filio, sicut Filius Patri. Propterea tamen aut Patris, aut Filij filius nequaquàm est dicendus Spiritus sanctus: quia etsi eis similis existat in natura, non tamen per modum naturæ, & similitudinis, sed per viam amoris prodit. Nam si homo sola voluntate hominem posset producere, atque ita productus persimilis esset in natura producenti, non tamẽ esset filius producentis, quia non per modum gignentis, & naturæ, sed voluntatis ab eo oriretur, quemadmodum spiritus procedit. Et ideò meritò Spiritus non dicitur Filius Patris, aut Filij. Quod eleganter Augustinus tribus in locis præcipuè indicauit. Nam ad quæstiones Orosij ait: *Spiritum S. nec genitum, nec ingenitum fides certa declarat: Quia si dixerimus ingenitum, duos Patres videbimur affirmare: si autem genitum, duos credere Filios culpamur.* Idẽ de Trin. l. 5. c. 14. clarius loquitur, cur non sit Spiritus S. Patris Filius: *Quia Filius*, inquit, *natus est, Spiritus sanctus datus.* Præterea libro nono, capite duodecimo, & vltimo altiùs philosophatur Augustinus, de mente, notitia & amore. Postremo libro decimoquinto de Trinitate à mente & verbo oriri Spiritum sanctum asserit; sed Verbum, vt imago, & similitudo, amor verò ex voluntate, vt vniat mentem & notitiam inter se: & inter cætera scribit libro decimoquinto, capite vigesimoseptimo. *Hic vtcunque etiam illud intelligitur, quantum à talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus: quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur: quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi Patris, & Matris. Absit autem, vt inter Deum Patrem & Deum Filium aliquid tale suspicemur.* Et paullò antè dixerat: *Filius de Patre natus est: & Spiritus sanctus de Patre principaliter, & ipso sine vllo temporis interuallo dante; communiter de vtroque procedit. Diceretur autem filius Patris, & Filij, si, quod abhorret ab omnium sanorum sensibus, eum ambo genuissent. Non igitur ab vtroque est genitus, sed procedit ab vtroque amborum Spiritus.* Tertius locus est contra Maximinum Arrianum: *Quæris à me. Si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus, cur vnicus Filius sit, & alius non sit Filius? Ecce respondeo, siue capias, siue non capias. De Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus, sed ille genitus, iste procedens. Ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus vtriusque, quoniam de vtroque procedit. Sed ideo cùm de eo Filius loqueretur, ait: De Patre procedit; quoniã Pater processionis eius est autor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, vt etiam de ipso procederet Spiritus sanctus.* Hactenus Augustinus, docens ex eodem Patre duas oriri personas, quarum vna sit Filius, & non alia. Hæc autem differentia ex fœcunditate infinita Diuini intellectus & voluntatis procedit. Nam cùm ob causæ magnam vim, rũ ob variam subiecti dispositionẽ diuersos, imò contrarios effectus produci, testatur Clemens Alexandrinus in libro 8. Stromatum in fine his verbis: *Idem autem fit caussa contrariorum, aliquando quidem ob caussa tum vim, tum magnitudinem; aliquando autem ob eius quod patitur aptitudinem. Ob certam quidem vim, nempè eadem chorda ob intentionem, aut remissionem, acutum, aut grauem edit sonum. Ob aptitudinem autem eorum, quæ patiuntur, mel quidem sanos dulcedine afficit, amarore autem eos, qui febre laborant; & vnum, & idem vinum alios ciet ad irã, alios verò exhilarat; & idem sol ceram quidem liquefacit, lutum autem exiccat.* Sic ille. Etsi ergo, vt dixit Augustinus, omnis natiuitas sit processio; non tamen omnis processio natiuitas: quia Eua ab Adã processit, sed circa generationem

Margin notes:

Gen. 1.
Quod Spirit[us] S. à Deo per viã volũtatis procedat.
Cognitio vnde fiat.
Ioan. 20.
Act. 2.
Ioan. 15.
Quã ob causam interdũ Spiritus S. cognitio, vel sapientia, vel imago, vel similitudo Filij à Patribus appelletur.
Iren. l. 4. c. 37. circa med.
Patris, & Filij Spirit[us] S. cur Filius dici nõ possit, cũ eis similis sit in natura.
B. August. ad Oros. q. 2.
Id. l. 15. de Trinit. c. 27. 20. 3.
Cap. 27.
Id. l. 3. c. 8 Maximin. c. 14. in prin. to. 6. procul à med.
Ioan. 15.
Distinctionis inter Filium, & Spiritum S. quæ ratio sit.
Clem. Alex. Ab eadẽ causa diuersi, atque etiam contrarij effectus sæpe cur producant.
Gen. 2.

Emanatio S. Spiritus à Patre, & Filio, nomine processionis cur veniat.

nem. Et modus, quo Spiritus à Patre procedat, vacat nomine, quia nullum habet cum vsitatis, & inter creaturas emanandi formis commercium: ideo genericam vocem ad speciem restringimus. Et emanationi Spiritus sancti à Patre, & Filio significandę nomen Processionis tribuimus, ne eius ab alio originem ignorare videamur: siquidem in humanis nihil datur, quod à duobus ęqualiter agentibus, substantiam quæ eiusdem sit naturæ largiatur. Apud nos quidem pater, & mater duo sunt, substantiam eiusdem speciei proli impertientes, & hunc actum generationem vocamus: verùm quia mas rationem habet agentis, & fœmina potiùs materiæ, & patientis, non in vtroque vim æqualem, & parem actionē, nec idem caussæ genus, vel efficientiæ esse censetur.

II. Ratio.

Deinde vt in animantibus ad procreationem necessaria est alterius sexus, tanquam materiæ efficientis, coniunctio, tamen in cunctis gignentibus nō est perpetuum, cū sine fœmina arbores, & pleraq; alia surculos suos, siue fructus, & fœtus pariāt. Cùm hic autem sit propriè agēs vnicum, & illud quidem homogeneum necessarium, ac ea verè gigni censeantur, quæ modo naturæ suæ consentaneo communicationem eiusdem speciei consequuntur, mirum non est si Filium absq; tropo reuera genitum cum Scripturis prædicemus, quòd ab vno Patre adeptus sit communionem eiusdem substātiæ. Iam verò Spiritum S. quoniam non à solo Patre, verùm etiam Filio, idque æqualiter, & secundùm idem processionis genus nactus est substantiam; inficiamur genitū, confitemur procedentem, id est, insitato modo à duobus ęquè, communiter q; spirātibus, & tanquam agētibus productum: ita vt sicut generatio definita est eiusdem naturæ communicatio secundùm vsitatū naturæ modum, sic processionem licet describere communicationem eiusdem naturæ modo quodam inusitato, solique Deo, qui naturæ leges longè transgreditur, per omnia peculiari, & proprio.

Qualis sit Spiritus S. processio.

Quia ergo Spirit⁹ sanctus procedit per modum voluntatis, consequitur, cum à Patre, & Filio, vt vnico principio procedere: & ideo non plus ab vno, q̄ ab altero, cū coæterni sint inter se, & coæquales. Vt igitur vna proles est à patre, & matre, & vt vna visio à duobus oculis ꝓficiscitur, & vna litera à duobus calami denticulis, vnusq; ignis à duobus sibi obuijs silice, & ferro prodire dignoscitur (licèt in his exemplis magna insit dissimilitudo) ita Spiritus à Patre & Filio, vt vnico principio ꝓcedit: quod Scripturis sacris, rationibus, ac Patrum testimonijs firmandum est.

Quod Spiritus S. à Patre Filioq; procedat, multis ostenditur Scripturis. I. Locus. *Matth. 10.* *Ioan. 14.* *Sapient. 9.*

Quòd igitur à Patre Spiritus procedat, clarè dicitur apud Ioannem; vt superiùs exposuimus: & ex eo etiam ostēditur, quia dicitur Patris Spiritus, apud Matthæum; & à Patre mitti, vt dicit Ioannes, & Salomon: *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.* Quòd autem etiam à Filio procedat, id probatur. Tum quia Scripturæ testantur illum à Filio mitti: **Cùm venerit**, inquit, *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et infrà: *Si abiero, mittam eum ad vos*: ex qua missione probatur illum à Filio procedere: quia ad missionem non sufficit vel gratiæ infusio, vel effectus in sensibili creatura. Nec enim gratia dicitur propriè mitti, vel venire, sed creari, vel infundi: nec creatura ipsa sensibilis, quæ apparet, vt columba, vel ignis, sed opus est etiam origine. Ob quam etiam caussam Pater, quia à nullo oritur, à nemine dicitur mitti, etsi ipse gratiam impertiat, & effectus in creatura, per quam sese ostendit, operetur. Ideo Cyrillus in libris Thesaurorum: *Necesse est concedere Spiritum sanctum consubstantialem Filio esse. Nam, quia ex ipso naturaliter est, ab ipso etiam ad creaturas missus renouationem facit: sanctæ namque Trinitatis ipse complementum est.* Deinde hanc ipsam processionem à Filio, probat illud, quòd Christus post resurrectionem insufflauit in Apostolos, dicēs: *Accipite Spiritum sanctum*: id enim externo signo innuere voluit se Spiritum sanctum spirare, sicut & halitum extra emisit. Vnde Basilius homilia de Baptismo: *Qui baptizatur*, inquit, *memor sit Domini, qui Spiritum sanctum discipulis inspirauit, perq; illam inspirationem Spiritum esse diuinæ essentiæ, & non creatæ naturæ ostendit.* Augustinus quoque libro 3. contra Maximinum Arrianorum Episcopum capit. initio: *Nam nisi procederet & de se ipso, non diceret discipulis, Accipite Spiritum sanctum: eumq; insufflando daret, vt à se quoq; procedere significans apertè ostenderet flando, quod spirando dabat occultè.* Hæc ille. Tertiò idem ostendit: quia Spiritus sanctus dicitur Spiritus veritatis, & Spiritus Filij, & Spiritus Iesu: appellatur ergo Spiritus veritatis, vel Christi, vel Iesu, quia à Filio procedit; sicut Christus Filius Patris, quia ab ipso originem trahit. Non autem dicitur Filij Spiritus, quia donum quod dat Spiritus, etiā Filius ipse largitur: sic enim essent Spiritus ex tempore, & non ab æterno, Filius etiam, vel Christus eius Spiritus dici possent: nam & donum, quod largitur Filius, etiam Spiritus sanctus donat. Quartò, apud Ioannem dicitur Spiritum à Filio accipere: *Non enim*, inquit, *loquetur à semetipso, sed qua-*

Ioan. 15. *Infra 16.* *Matth. 3.* *Act. 2.*

Pater vti cœlestis seipsū manifestet.

Cyril. lib. 14. Thes. c. 3. s. 2. Trinitatis S. complementum est Spiritus S. teste Cyrillo. II. Locus. *Ioan. 20.*

Bas. hom. 13. in S. Bapt. t. Quid per insufflationē in Apostolos in die Resurrectionis Dominus insinuauerit. *Aug. tom. 6.*

III. Locus. *Ioan. 15.* *Galat. 4.* *Rom. 8.* *Philip. 1.* *Act. 16.*

IV. Locus. *Ioan. 16.*

cunque audiet loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. In qua sententia concluditur, spiritum à Filio procedere: tum quia ab ipso Spiritum audire asserit: audire enim vel Filium à Patre, vel Spiritum à Patre, & Filio, procedere est; & procedendo sapientiam, sicut & substantiam ab eo accipere. Tùm quia asserit, Spiritũ de se accipere, id quod procedendo fit: neque aliud Spiritus à Filio accipit, nisi diuinam essentiam, & reliquas, quæ in essentia, & cum essentia idem sunt, perfectiones: ob quas etiam subiungit: Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Reliqua enim creata dona non accipit vel Spiritus sanctus à Filio, vel Filius à Patre: quia æqualiter à tota Trinitate producuntur, & naturali dominio possidentur, ita vt nihil horum vna persona largiatur alteri.

Audire Filiũ à Patre, vel Spiritum à Patre, & Filio quid sit.

Quintò, Ioannes in Apocalypsi scribit: *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni:* at quid est iste fluuius nisi spiritus, de quo idem Ioannes testatur, dicens: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ? Hoc autem dixit de Spiritu, quam accepturi erant credentes in eum.* Sedes Dei, & Agni, maiestas est, & substantia Dei Patris, & Christi: ex qua quia procedere dicitur, Spiritus ab vtroque procedit. Quòd si quis objiciat, Christum dixisse de Spiritu sancto, quòd ex Patre procedit, & nihil de processione eius à se ipso dixerit: Respondemus, satis indicasse à se procedere & insufflando, & eum donando, ac eum mittendo, & à Patre in nomine suo mitti dicendo, & vocando eum Spiritum veritatis, & quòd de suo accipiet, subiungendo. Præter alios Scripturæ autores, qui eum Spiritum sapientiæ, & oris Domini, & Iesu, & Christi, & Filij Dei vocârunt. Et in Prouerbijs loquitur Sapientia: *En proferam vobis spiritum meum.* Quod si clarius non expressit Christus, vt contentiosi exigũt: hoc, teste Nazianzeno, Dominus fecit, se nostro captui accommodans, & rem difficilem Spiritui sancto explicandam seruãs; sicut ipse per Prophetas Deum Patrem explicauerat, per se verò, sui à Patre generationem. Adhæc solet Christus omnia ad Patrem reducere, vt ad principium non solùm creaturarum, sed etiam diuinarum personarũ. Hinc suam doctrinam quasi suam esse negat, vt Patri illam per diuinam generationem, acceptam ferat: ita Spiritum à Patre procedere asseruit, vt à prima origine, & primario diuinitatis fonte. Adde, quòd propterea hoc non exertè protulit; ne, qui eum nudum hominẽ opinabâtur, Spiritum S. vel hominem, vel homine minorem suspicarentur, si illum clarè à se procedere dixisset.

V. Locus. *Apocal. 22.*

Ioan. 7. Fluuius aquæ viuæ & sedes Dei, & Agni, apud Ioannẽ quid significent.

Cur Christ. à Patre, & nõ à se etiã procedere dixerit Spiritũ S. *Ioan. 20. Act. 2. Ioan. 14. Ibidem. Infrà 16. Sap. 1. Psalm. 32. Act 16. Rom 8. Ibidem & Gal. 4. Prouerb. 1. Greg. Naz. li. 5. Theol.*

Altera causa. *Ioan 6.* Doctrinam suam Christus cur Patris esse dixerit, nõ suam.

III. causa.

Sunt tñ qui hanc à Patre Spiritus processionem de temporali ad creaturas missione interpretentur. Tùm quia non dicit, ἐκ τοῦ Πατρὸς, sed ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται: quæ etiam ratio loquendi ibidẽ tribuitur, cùm ait: ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς, id est, quem ego mittam vobis à Patre, in quo non signatur productio in essentia. Tùm quia ita interpretatur Nonnus Paraphrastes, dicens: *Postquam verò adueniet Spiritus Dei ab intelligenti Patre demissus, quem Spiritum à Patre ad vos ipse mitto, &c.* Et Beda in hunc locum: *Procedit à Patre, procedit & à Filio, quia eius missio, ipsa est processio, qua ex Patre procedit, & Filio. Tùm denique, quia Christus de se Pharisæis dixit: Ego ex Patre processi (& explicans suam processionem, subdit) & veni in mundum, scilicet homo factus. Et subdit amplius: Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Et rursus: Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, vbi de temporali processione videtur esse sermo.* Ita etiã hoc loco: qui à Patre procedit, per missionem scilicet ad creaturas sanctificandas. Sed quia Patres antiqui hoc de interna, & æterna eius processione interpretantur, & quia dura videtur locutio: Quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, hoc est, mittitur, quia bis diceretur mitti, & quia quando Filius, & Spiritus dicitur mitti à Patre temporaliter, includit eum etiam procedere ab æterno ex Patris substantia (sicut & Filij æternam ex Patris natura processionem illis locis quibus de se dicit: Ego ex Deo processi, & exiui à Deo (cùm Filius & Spiritus sanctus vnius & eiusdem sint naturæ cum Patre, & proinde per omnia sint illi æquales) & veni in mundum, declarauit) vt ita ratione originis, qua ab illo producuntur, meritò dicantur de illis quæ minoritatem sonant, vt mitti, procedere, loqui ex Patre, & ab illo audire, discere, accipere; magis placet vt in hoc verbo de æterna Spiritus sancti ex Patre processione sit sermo. Et hactenùs de Scripturis.

De processione S. Spiritus alia quorundam profertur opinio.

Nonn. Paraph.

Beda tom. 5.

Ioan. 8.

Ibidem. Infrà 16.

Ea opinio refellitur.

Ioan. 8. Infrà 16.

Rationibus quoque idem dogma declaratur, & nostro modo euincitur. Quarum prima sit: quia si Spiritus sanctus à Filio nõ procederet, proculdubiò Filius à Spiritu S. non distingueretur: & Spiritus nisi à Patre procederet: non esset ei summè coniunctus, si neuter eorum ab alio procederet: quia summa coniunctio inter duos est, vnum pro altero procedere. Si enim nõ procederet à Patre, nec à Filio procederet,

Rationibus eadem veritas confirmatur. Ratio I.

quia

Filius vt à Patre habet quòd sit, ita etiam quòd spiret Spiritum sanctū.

quia Filius etiam à Patre habet, vt ab eo procedat Spiritus: quòd habere nō potuisset, si à Patre nō processisset Spiritus. Quomodo enim tribueret Pater Filio, quod ipse non haberet? Quia ergo Spiritus à neutro procederet, si non procederet à Patre, esset principium sine principio, sicut & Pater est, & ita duo essent Dij, & duo principia, quod esse nequit. Vnde Hilarius libro De synodis, circa medium; *Si quis innascibilem, & sine initio dicat Filium, tanquàm duo sine principio, & duo innascibilia, & duo innata dicens, duos facit deos; anathema sit.* Hæc ille de Filio dixit: quæ nos meritò de Spiritu sancto asserere possumus. Ergo necesse est Spiritum à Patre procedere.

Hilar. lib. De syn. anath. 26

I I. ratio.

Spiritum sanctum à Filio etiam procedere, inuictè demonstratur.

Quòd autem procedat à Filio, etiā probatur. Quia si à solo Patre procederet, vel eadem esset persona cum Filio, quia intellectus, qui est principium productiōis Filij, eadem omninò res est cum voluntate, quæ est principium productionis Spiritus sancti: vel si distinctæ sunt personæ, non erunt summè sibi inuicem coniunctæ: quia licèt coniungantur in vno tertio, id est, in Patre, vtriusque Principio, non tamen summè, quia vnus nō procederet ab alio. Quæ origo maxima est coniunctio, etiam in humanis; vt maior cognatio inter parētes & prolem procedentem ab eis, quàm inter fratres eisdem parentibus ortos. Hinc Ricardus libro de Trinitate: *Si procederet à Patre, & non à Filio Spiritus sanctus, non esset summè coniunctus Filio, & magis esset Patri coniunctus: sicut filius est germanior patri, quàm fratri: quia rami qui in radice conueniunt, sunt intimiores radici, quàm ipsi illi sunt inter se.* Sic ille. Vt ergo summa sit coniunctio inter Filium, & Spiritum sanctum, necesse est non solùm quòd vterque ab alio prodeat, sed vt alter procedat ab altero. Et quia Filius non prodit à Spiritu sancto, restat vt Spiritus à Filio procedat, aliàs non solùm Filius & Spiritus sanctus non essent summè coniuncti, sed nec Pater, nec Filius, quia deesset illis illa coniunctio, qua in Spiritu ab vtroque producto, & vtriusque osculo, & pacis, & amoris vinculo connectuntur, atque coniunguntur. Tertiò, Spiritus amor est, ergo oritur à notitia, id est, à Filio, & Patre: sic enim, & non aliter quæuis duæ personæ diuinæ æqualiter in tertia requiescunt. Pater & Filius in Spiritu sancto ab vtroque æqualiter procedente: rursus Pater & Spiritus sanctus quiescunt in Filio æquè à Patre producto, sicut Spiritum producente: Filius & Spiritus sanctus in Patre generante Filium, & spirante Spiritum sanctum. Summa enim quies atque coniunctio tunc tantùm est, cùm secundus à primo, & tertius à primo & secundo procedit. Quartò, maior gloria est Dei Patris, si velit suam liberalitatem in Filio esse: ergo illam cum generando, ipsi tribuit, vt videlicet ab eo Spiritus procederet. Nec enim alias voluntas Filij haberet, prout in Filio est, productionem æqualem suæ fœcunditati, nisi Spiritum produceret, in quo producendo similior Patri Filius euadit, & ab eo sola nascibilitate differens: sicut Spiritus à se non producto, non esset Patri in producendo similis, & ab ipso non solùm nascibilitate, sed etiam actiua spiratione differret.

Ricar. lib. 1. de Trinit.

III. ratio.

IV. ratio.

Verbum illud: Filioque cur additum Symbolo, cùm id per Concilia nō liceret.

Nece. I. & II.

Nec obstat, quod Græci in Concilio Florentino obijciebant, non licere addi Concilio Constantinopolitano, vel Nicæno Symbolo., Filioque vbi olim dicebatur tantùm: Qui ex Patre procedit; præsertim cum in Nicena prima & tertia Synodo sub anathemate cautum sit, ne aliquid Fidei addatur, præsertim Græcis inconsultis, nec vocatis. Sed profectò hoc nihil est: quia præcedens Synodus sequentis manus ligare nec voluit, nec potuit, maximè caussa ipsa exigente, non quidem ne contrariam Fidem, sed eandem vt latiùs explicaret. Hinc Diogenes Episcopus Cyzici in Synodo Chalcedonensi reprehendit Eutychetē, quod cùm in Symbolo Niceno dictum esset: *Et incarnatus est*; & Patres Constantinopolitani addidissent, *De Spiritu sancto ex Maria Virgine*, Eutyches tamen reliquisset hanc additionem. Ergo potest aliquid addi Symbolo explanationis gratia. Hinc Synodus Chalcedonensis docet, semper Concilijs, in Symbolis, explicandæ rei gratia, nō contradicendi, aliquid adiungere. Et Synodus Florentina pulchrè habet: *Homines mortales cùm sint, omniaq; futura neutiquàm perspicere possint, necesse est, eadem semper Ecclesia maneat, eademq; dignitate prædita sit, vt vsq; ad seculi finem contradicentibus se opponat, ipsosq; redarguat, & refellat.* Sic ibi. Sic ergo addita particula, Filioq;, ne Spiritus ita à Patre procedere intelligatur, vt excludatur Filius. Atq; hoc quidē Latini fecerūt, q̄ quidam ex Græcis essent in hoc ambigui: quod eorū patres non fecerunt, licèt hæsitarent. Fuit etiā caussa ita exponendi, vt Nestorius & Theodoritus hæretici id negantes damnarentur, & schisma in Anglia & Hispania ortum tolleretur; vt testatur Concilium. Decisio autem hæc facta est non priuata autoritate, sed Patrum in Concilio congregatorum: cui sit Græci nō interfuerunt, saltem omnes, vt constat de

Syno. Chalce. act. 1.

Eadem Syno. Act. 16. sub finem. Synod Flor. act. 7. ante medium.

Eadem Synodus Flor. ibid.

Marco Ephesino in vltima sessione, factum est vel propter incommoda viæ, vel quia Græci, sicut sapientiæ, sic libertatis, & pietatis fecerant iacturam. Vbi ergo prohibetur, aliud Symbolum edi: intellige vel de Fidei aduersa expositione, atq; contraria, vt VI. Synodus definit, nō licere aliam fidem proferre, aut conscribere, vel priuatis tantùm personis prohibetur. Vnde in III. Synodo Symbolum cuiusdam Nestoriani reprobatum est, nō autem cuiusdam Catholici clarissimi viri.

VI. Synod. act 17 sub initium.
III. Synod.

V. ratio.
Boetius.

Quinta ratio: Docet Boetius in libro de Trinitate; Exceptis relationibus oppositis, omnia, quæ de vna dicuntur persona, dicuntur etiam de alijs. Cùm ergo spiratio actiua filiationi nō opponatur, sed tantùm spirationi passiuæ, quæ tantùm conuenit Spiritui sancto: sequitur quod vt illa conuenit Patri, ita etiam conueniat & Filio. Qui etiam ab Spiritu sancto non distingueretur personaliter, si Spiritus ab eo non procederet. Solę enim relationes originis, quæ oppositæ sunt, faciunt in Diuinitate realem personarum distinctionem.

Quę sit ratio distinctionis diuinarum personarum.

A testimoniis veterum patrum.

Egimus hactenùs Scripturis, & rationibus. Certandum est iam pro eadem veritate Patrum testimonijs, quæ operæpretiū esse proferre existimaui. Cumq; Græci, & Latini Patres eodem Spiritu sancto sint acti in tradendis eis quæ ad fidem spectabāt, sibi profectò non aduersabantur: & si hi clariùs, illi obscuriùs locuti sunt, videntur Græci, qui obscuriùs locuti sint, per Latinos Patres, qui clariùs dixerunt, exponendi, atque interpretandi. Prodeat igitur primus Tertullianus, qui libro in Praxeam ita ferè scribit; *Spiritum non aliunde puto, quàm à Patre per Filium: tertius enim est Spiritus a Deo, & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice, & tertius à fonte riuus ex flumine, & tertius à Sole apex ex radio.* Et infrà: *Ipse de meo accipiet, sicut ego de Patris.*

Tertull.
Quemadmodum à Patre & Filio sit Spiritus sanctus, teste Tertulliano.
Ioan. 16.

Marius Victorinus lib. de Trinitate: *Sicut enim,* inquit, *a gremio Patris, & in gremio Filius, sic à ventre Filij Spiritus ὁμοούσιον ergo tres.* Et infrà: *Ex Filio Spiritus sanctus, sicut ex Deo Filius.* Hilarius lib. de Trinitate: *Nam ad id quod de suo accepturum sanctum Spiritum loquebatur, ait: Omnia quæ Patris sunt, mea sunt. Et ideo dixit, De meo accipiet, vt dum de suo accipit, non etiam non de Patris accipere existimaretur, vel cùm de Patris sumeret, non etiam non de suo sumere intelligeretur. Neque enim de creaturis sumebat Spiritus sanctus, quia Dei Spiritus est, vt ex his videatur accipere, quia ea omnia Dei sunt.* Idem alio loco eiusdem libri tradit. Ambrosius libro de Spiritu sancto. *Spiritus quoque sanctus cùm procedit à Patre, & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio.* Et infrà: *Sicut Pater fons vitæ, ita & Filius vita, & Spiritus: & sicut Pater flumen, ita & Filius, & Spiritus sanctus:* Et rursus: *Accepit* (scilicet Spiritus sanctus) *per vnitatem substantiæ, sicut accepit à Patre Filius. Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Marius Vict. li. 2. de Trin.
Hilar lib. 9. de Trin. prope finem.
Ibidem.
Matt. 11.
Idem lib. 12.
Ambr li. 1. de Spirit. sanct. c. 10. tom. 2.
Cap. 19 eiusdem libri
Idem lib 2. de Spir sanc. c 12. initio.
Ioan 16.

Hieronymus epistola ad Hedibiam: *Quicquid Patris, & Filij est, hoc idem & Spiritus sancti est: Et ipse Spiritus sanctus cùm mittitur, à Patre, & Filio mittitur:* in alio atque alio loco, *Spiritus Dei Patris, & Christi Spiritus appellatur.* Eugenius de Fide ad Hunericum Gothorum Regem, Ingenitum Patrem, & de Patre genitum Filium, & de Patre, & Filio procedentem Spiritum sanctum, vnius credimus substantiæ, & essentiæ. Augustinus lib. de Trinitate: *In illa summa Trinitate, interualla temporum nulla sunt, per quæ possit ostendi, aut saltem requiri, vtrum prius de Patre natus sit Filius, & posteà de ambobus processerit Spiritus sanctus: quoniam Scriptura sancta Spiritum eum dicit amborum.* Et infrà: *Si de Patre, & de Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit, De Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre, & quod ipsius est, de quo & ipse est? Vnde & illud est, quod ait: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Si igitur hic intelligitur eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris: quanto magis illic intelligendum est, & de ipso procedere Spiritus sanctus, vbi sic ait, De Patre procedit, vt non diceret, De me non procedit?*

Hieronym. ad Hedib. q. 9. in fin. tom. 3.
Matt. 16.
Rom. 8.
Galat. 4.
Eugenius.
Aug. lib 15 de Trinit. c. 26. tom. 3.
Cap. 27. init.
Ioan. 15.
Suprà 7.

Idacius lib. de Trinitate: *Certa, & manifesta origo Spiritus sancti Pater & Filius.* Boëtius libr. de Trinitate. *Si meminimus omnium in prioribus de Deo sententiarum, ita cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium, dictum, & ex vtroque Spiritum sanctum.* Illephonsus libr. de Trinitate: *Quomodo duo ligna coniuncta missa in fornacem, & ex duobus procedit flamma inseparabilis: sic de Patris & Filij virtute procedit Spiritus sanctus.* Idem libro in Hæreses: *Nonagesima prima hæresis,* inquit, *est, quæ à solo Patre Spiritum sanctum procedere tradit in Symbolo: nuper orta tempore Nicolai Papæ, & vt fertur, inuidiæ gratia inuenta.* Hæc ille. Quod ex octaua Synodo Photius à Patriarchatu exclusus contra Latinam Ecclesiam obiecit, quòd assereret, Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere. His adiungam tria Concilia apud Latinos celebrata. Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio: *Quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quam aliud inueniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed Pater, qui*

Idacius
Boet lib. 1. de Trin. c. 2. 2.
Illephons.
Simile.
Idem.
Concilia.
Conc. Lateranen. c. 2.

gene-

generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit, vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura. Et infrà ait: *Et sic eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ab vtroq; procedens.*

Conc. Lugdu.

Concilium Lugdunense sub Gregorio X. & habetur in Sexto, de summa Trinitate, & Fide Catholica, capit. Fideli: *Nos huiusmodi erroribus viam praecludere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare praesumpserint, aeternaliter Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere, siue etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus sanctus ex Patre, & Filio, tamquam ex duobus principijs, & non tamquam ex vno procedat.*

Conc Flor. nō longè à fine.

Concilium Florentinum in Bulla Eugenij: *In nomine sanctae Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti, hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio diffinimus, vt hac fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicq; omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio aeternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex vtroq; aeternaliter tamquā ab vno principio, & vnica spiratione procedit: Declarantes quòd id, quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundùm Graecos quidem caussam, secundùm Latinos verò principium subsistentiae Spiritus sancti, sicut & Patrem. Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioq;, veritatis declarandae gratia, & imminente tunc necessitate, licitè, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Haec ibi. Vbi nota, non tantùm Concilia generalia explicare sententias Scripturae, sed etiam dicta Patrum.

Ignat. ep 14. circa med.

Iam adiungendi sunt Doctores Graeci. Inter quos Ignatius in Epistola ad Ephesios: *Ergo vterque eorum ipsum glorificat, à quo & accepit (id est Filius Patrem, & Spiritus sanctus Filium) quod faceret, & ipsum praedicat, atq; eius verba pronuntiat.*

Martialis ep. 1 ad Burdegal. c. 10.

Martialis epistola ad Burdegalenses: *Spiritus verò Dei,* inquit, *qui vos sanctificauit credentes in ipsum, &c. non est genitus sicut Verbū: quia & ipse Spiritus in diuina aequalitate gloriosius processit ineffabiliter ab eo, qui genuit, & ab eo quoq; qui genitus est.*

Clem. Roma. lib. 1. Recogn. aliquanto ante med.
Æternas voluntates appellat Filiū, & Spiritum sanctum.

Clemens Romanus in lib. Recognitionum: *Erat semper, & est, & erit illud, à quo prima voluntas genita sempiternitate constat, & ex prima voluntate iterum voluntas. Post haec mundus, ex mundo tempus, ex hoc hominum multitudo, ex multitudine electio amicorum, ex quorum vnanimitate pacificum construitur Dei regnum.* Sic ille, vocans Patrem, illud, à quo prima voluntas gignitur, id est Filius, ex quo secunda voluntas, id est, Spiritus, procedit.

Irena. lib. 4. cap. 28.
Apocal. 12.

Irenaeus libro aduersus haereses Valentini, & similium: *Et vox eius* (scilicet Christi) *quasi vox aquarum multarum, verè aqua multa Spiritus Dei.* Haec ille. Vt ergo vox à dicente proficiscitur, ita Spiritus à Filio.

Greg. Neocaes.
Euseb lib. 7. Eccles. hist. c. 25. tom. 1.

Gregorius Neocaesariensis in Symbolo suo, vt eum producit Eusebius Caesariensis in Ecclesiastica historia: *Vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, & qui per Filium apparuit, imago Filij perfecti, perfecta viuentium caussa,* & quae sequuntur.

Idem lib. 7. de Praepar. Euang. c. 1. tom. eod.

Eusebius Caesariensis libro de Praeparatione Euangelica: *Tertius igitur à Patre Spiritus esse ostenditur, tanquam à Patre per Sapientiam elucens, id est, per Filium.*

Athanasius.

Athanasius in Symbolo: *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Idem lib. 1. de vnita Deita. prope initium tom. 5.
Ioan. 15 & 16
Idem lib. 8. de vnita Deita.
Quale Spiritus sancti à Patre, & Filio vt ab vno principio processio secundùm Athanasium.
Ioan. 20.
Galat. 4.
Idem li. 11. de vnita Deita.

Idem libro de vnita deitate: *Pater vnus Deus est, & Filius Vnigenitus Deus est, & Spiritus sanctus vnitus in Patre, & Filio.* Et infrà: *Sicut in claritate Euangelicae Scripturae de Spiritu Paracleto Filius testatur, dicens: De Patre procedit. Et sic prosecutus est: Et de meo accipiet.* Idem alio loco docet Spiritum sanctum à Patre procedentem, & totum esse Filij, sicut fons de fonte, & lumen de lumine. Et ait: *Ego credo, Filium à Patre, & Patrem in Filio; Spiritum quoque sanctum Paraclitum, qui procedit à Patre, & Filio. Vnde & in Euangelio per insufflationem eum dedit Christus, & dicitur Spiritus Filij.* Idem quoque ait: *Vt ergo duo ligna coniuncta missa in fornacem ignis, & de duobus lignis procedit flamma inseparabilis: sic de Patris, & Filij virtute procedit Spiritus sanctus.* Haec ille. Quae verba beatus Illephonsus mutuatus est, vt superiùs vidimus.

Idem lib. de Passio. imag. c. 4. tom. 4.

Idem Athanasius libro de Passione Imaginis: *Omnis turba stirpis Iudaicae, clara voce coepit cantare, & dicere: Vnus Deus Pater, & ipse ingenitus: Vnus Filius, & ipse vnigenitus Christus, quem Patres nostri crucifixerunt, & nos ipsum agnouimus verum Dominum: Vnus Spiritus sanctus, & ab vtroque procedens, per quem veraciter credimus nos esse saluandos.*

Basil. lib. 2. in Eunom. in fi. tom 1.
Idem ho. 28. circa med. eod. tom.
Rom. 8.
Ioan. 18.
Rom. 8.

Basilius lib. aduersus Eunomium vocat Spiritum amborum, scilicet Patris, & Filij, qui ab eis procedit. Idem homilia cōtra Sabellianos, & Arrium, & Anomaeos: *Coniunctionem quidem,* inquit, *quae cum Patre est, intellige, ex eo, quod ex Patre egreditur; quae verò est ad Filium, inde, quòd audio: Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si enim Christo coniunctus non est, quomodo Christo coniungit? Audio illum & Spiritum veritatis dici: Dominus verò veritas est. Quando verò audio, Spiritum adoptionis vocari, admoneor vnitatis, quam iuxta naturam habet cum Patre, & Filio.* Idem

Idem lib. de Spir. sanct. c. 18. eod. tom.

libro de Spiritu sancto: *Via est Dei cognitionem est ab vno Spiritu, per vnum Filium ad vnum Patrem. Ac rursus natiua bonitas, & naturalis sanctimonia, & regalis dignitas à Patre per vnigenitum ad Spiritum sanctum permanet.* Idem epistola ad Gregorium Nyssenum: *Qui Patrem intellexit, & ipsum in se ipso intellexit, & Filium simul ea intelligentia complexus est. Qui verò hunc loquitur, Spiritum à Filio non diuisit, sed iuxta ordinem quidem personarum consequenter, iuxta verò naturam coniunctam, trium personarum fidem eadem ratione contemperatam in se ipso expressit. Et qui de Spiritu solo loquitur, simul & ista confessione eam quæ illum concernit, cuius Spiritus est, coniungit. Et quoniam is Christi Spiritus, & teste Paulo, ex Deo est: fit, vt quemadmodum in catena qui vnius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul & alterum insertum attrahit: ita & hic qui Spiritum trahit, vt Propheta inquit, per ipsum & Filium, & Patrem vnà simul attraxerit. Et si quis verè Filium apprehendit, habebit & ipsum vtrinque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum vnà compactum. Neq; enim à Patre abscindi poterit, qui semper est in Patre, neque à proprio Spiritu seiungetur vnquam, qui in ipso operatur omnia. Consimiliter & qui Patrem assecutus fuerit, & Filium vnà cum illo, & Spiritum sanctum eadem virtute assecutus est. Non enim potest aliqua vllo pacto excogitari vel sectio, vel diuisio, vt siue Filius absque Patre cogitari, siue Filius à Filio seiungi queat, sed ineffabilis quædam in istis, & quæ nulla cogitatione apprehendi poterit, tam communio, quàm discretio deprehenditur. quæ neq; per differentiam τῶν ὑποστάσεων continuatio naturæ dissipatur, neque per eam, quæ secundùm οὐσίαν est communionem, proprietas notionum confunditur.* Hæc ille, validè ostendens, Spiritum sanctum à Filio procedere.

Idem epist. 4. ante medium tom. vlt.

1. Cor. 2.

Exemplum de Spiritu sancto perelegans Magni Basilij.

Psalm. 128.

Greg. Naz. propè initium

Gregorius Nazianzenus libro 5. Theologiæ propè initium, soluens argumentum eorum, qui dicebant: Si Spiritus ingenitus est, erunt duo sine principio: si genitus est à solo Patre, erunt duo Filij: si à Filio, erit nepos Dei: quod vltimum negans sequi, ait: *Etenim non, si sublimiori quadam ratione ipse Filius rectè dicitur Filius (cùm interim quod ex Deo existit, & eiusdem cum Deo est essentiæ, aliter atq; sic explicare nequeamus, continuò necessarium putandum est, crassas has, & nostræ propinquitatis appellationes* (id est, nepos, vel Filius Verbi) *in diuinam naturam transferre. Alioqui cùm dicatur & Deus, & Pater, quid non eadem ratione, & masculum nobis facis Deum, & si appellationem sequi vis, deitatem fœmininam? Tum πνεῦμα (sic enim Græci vocant) neutrum, vt quid sterile sit, & ex se nihil pariat.* Infrà: *Adam quid tandem erat? Figmentum Dei. Tum quid Eua? Sectum quiddam ex figmento. Quid autem Seth? Vtriusque proles. Non ergo idem tibi videtur, figmentum, sectum, & genitum? Quid ni? Sed ὁμούσια hæc? Aut dic, quid aliud? Quid ni? Confessum itaque est nobis, etiam ea quæ diuersè subsistant, eiusdem essentiæ reperiri. Dico autem hæc non hoc agens, vt fictionem, sectionemque aut quippiam eorum, quæ corporis sunt, tribuam deitati (ne aditus per hoc rursus ad me pateat contentiosis) sed vt hic velut in scena, ipsa intellectilia vt cumque considerem. Neque enim vlla imago tam est perfecta, quæ per omnia veram illam, & primam Dei formam refert, & non aliqua sui parte deficiat. Et quid hæc, inquiunt, ad rem? Neque enim vnius, & eiusdem, hoc quidem est genitum, illud verò aliud aliquid. Ergo quid Eua, & Seth, an non eiusdem, nempè ipsius Adam? Aut cuius alius? An ambo sunt genita? Minimè. Quid ergo? Hoc quidem est sectum, illud verò genitum: atqui hæc inter sunt eadem? Homo enim est vterque.* Hactenùs doctissimus ille Pater. Ex quibus habes, quòd genitum, & non genitum, possunt esse eiusdem naturæ: vt Eua, & Seth. Secundò habes, quòd ex vno possunt procedere duo, quorum vnum est genitum, alterum verò minimè: sicut ab Adam genitus est Seth, qui typus est Filij Dei, & Eua non genita, quæ est typus Spiritus sancti. Potest tertiò sumi exemplum Filij ab vno procedentis in Eua, & Spiritus sancti ab vtroque procedentis, in Seth.

Seth Adæ filius, Dei Filium repræsentat, sicut Eua ingenita Spiritum sanctum.

Didym. lib. 1. de Spir. sanct. post med. tomo 9. operũ.

D. Hier. Idem lib. 2. de Spiritu sancto, in princ.

Didymus in lib. de Spiritu sancto: *Neque enim vnum ex omnibus, sed aliud extra omnia per substantiam ex vtroque* (scilicet Patre, & Filio) *demonstratus est Spiritus sanctus.* Et infrà: *Ex his colligitur, quàm indiuisa sit substantia Trinitatis, & Patrem verè Filij esse Patrem, & Filium verè Patris Filium, & Spiritum sanctum verè esse Patris, & Dei Spiritum, & insuper sapientiæ, & veritatis, id est, Filij Dei.* Infrà: *Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo, & Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre, & me est, hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à Patre, & me illi est: Ego veritatem loquor, id est, inspiro quæ loquitur. Siquidem Spiritus veritatis est.* Et infrà: *Loqui ergo Patrem, & audire Filium, vel è contrario, Filio loquente, audire Patrem, eiusdem naturæ in Patre, & Filio, consensusq; significatio est. Spiritus quoque sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritusq; sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit, cùm hoc ipsum sit, quod profertur à Filio, id est, procedens à veritate, consolator manans de consolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens.* Infrà: *Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur,*

Ioan. 16.

Ioan. 8.

Ioan. 16.

quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur à Patre, neque alia est substantia Spiritus sancti, præter id quod datur ei à Filio. Et subiungit: *Deinde interpretationem inferens, quomodo dixisset, De meo accipiet, protinus subiecit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, De meo accipiet, & annuntiabit vobis, quodammodò loquens: licèt à Patre procedat Spiritus veritatis, & det illis Deus Spiritum sanctum petentibus se, tamen quia omnia quæ habet Pater, mea sunt, & ipse Spiritus Patris meus est, & de meo accipiet.*

Cyril. lib. 13. Thes. c. 1. to. 2 *Rom. 8.* Cyrillus in libris Thesaurorum, ponderans illud Pauli: *Spiritus Dei habitat in vobis.* Et, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic nō est eius,* ait: *Disce rursum à Paulo rectas de Spiritu sancto sententias: hic enim habes ex Saluatoris substantia Spiritum sanctum esse, nec alienum ab vnius deitatis essentia. Nam quum Spiritum Dei vocauerit, statim & Spiritum Christi appellauit, vt ostenderet, omnia quæ Patris sunt, in Filium suum dum ex eo nascitur, naturaliter pertransire.* *Ibidem.* Infrà: *Ipse,* inquit, *Spiritus contestatur Spiritui nostro, quia sumus Filij Dei: nam quia ex substantia Filij est, ideo Christus largitur ipsum sanctis hominibus.* *Luc. 11.* Et infrà ponderat, Spiritum sanctum dici digitum Dei; vt non alienus à natura, & substantia Filij ostendatur: Et multa ex illo loco in hunc sensum adduci possent. *Idem lib. de Spir. sancto post medium tom. eod.* Idem libro vnico de Spiritu sancto: *Igitur non est alius à Deo & Patre secundùm naturam, neque etiam alius est à Filio Spiritus sanctus, sed ex Patre per Filium transit ad creaturam, quia & super creaturam est.* *Damasc. lib. 1 de orthod. fide, c. 9.* Damascenus etsi interdum neget processionem Spiritus sancti à Filio, eam tamen vi veritatis, & traditionis coactus est aliquando confiteri. Nam libro de orthodoxa fide ait: *Quapropter quæcunq; habet Pater, Filij sunt, præter innascendi proprietatem: quæ non significat substantiæ differentiam, neque dignitatis, sed substantiæ modum. Sicut Adam ingenitus est, plasma enim Dei est, & Seth genitus, nam filius Adam; & Eua ex costa Adam procedens, non enim ipsa genita est, neque ipsa natura differunt inuicem, homines enim sunt, sed substantiæ modo.* *Ca. 10. & 18.* Idem infrà occultè asserit, Spiritum à Filio procedere, quia dicit Filium habere omnia præter innascendi proprietatem; & quia asserit Spiritum distribui, & participari per Filium: quod non fieret, si non etiam secundùm subsistentiam Spiritus à Filio procederet; & quia dicit Spiritum imaginem Filij, cùm imago ab exemplari deriuetur. *Idem.* Et in libro Barlaam & Iosaphat, si tamen is liber ei sit adscribendus, paullò antè medium, inquit: *Vnum scias, Spiritum sanctum ex Patre, Filioq; procedentem, Deum perfectum, & viuificantem, & sanctificationis largitorem, suæ voluntatis, suæq; potestatis substantiuum.* Et infrà: *Commune autem est & Filio, & Spiritui sancto, de Patre esse. Proprium est autem Patris, ingenitum esse: Filij verò, natiuitas: Spiritus verò sancti, processio.* *Conc. Eph. in epistola ad Nestor.* Concilium Ephesinum, vt habetur distinctione 5. cap. de Spiritu: *Attamen alienus* (scilicet Spiritus sanctus) *non est ab illo. Nam Spiritus appellatus est veritatis: & veritas Christus est.* *Ioan. 16.* *Vnde etiam ab isto similiter, sicut ex Deo Patre, procedit.* *Suprà 14.* *V. Synod. Iust. Epist.* Quinta Synodus sub Vigilio refert epistolam Iustiniani Episcopi Siciliæ ad Petrum Antiochenum, vbi habetur: *Macedonius autem spirat à Patre solo Spiritum sanctum.* *VII. Synod. Tharasius Episcop.* Septima Synodus refert Tharasij Episcopi Constantinopolitani epistola ad Patriarchas: *Credo in Spiritum sanctum Dominum viuificantem, qui ex Patre per Filium processit.* *Idem.* Et rursus: *Qui ex Patre, Filioq; procedit.* Quòd ergo Hilarius lib. de Trinit. dubitat, an ex Filio Spiritus procedat Paraclitus; & Rusticus libro in Acephalos negat Spiritum procedere à Filio, sicut à Patre, & Damascenus lib. de Orthodox. fide, vbi ait: *Spiritum verò sanctum, & ex Patre, & Spiritum Patris nominamus: ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed Spiritum Filij nominamus:* *B. Hil. lib. 8. de Trinit.* *Rusticus.* *B. Damasc. lib. 1. de Fide orthod. c. 2.* *Quid de ijs sentiendum qui à Patre solo, non autem à Filio dicunt procedere Spiritū sanctum.* Respondemus, eam rem illo seculo non satis fuisse exploratam, atque definitam; vel illos in hoc errasse; vel Spiritum non ex Filio procedere dixerunt, quia non ex Filio tanquā ex primo fonte, vel tanquam ex principio à Patre distincto. Quanquam Damascenus post damnatum hunc errorem contra Nestorium fuerit: quoniam Cyrillus in libro contra sacrilegam Nestorij expositionem induxit loquentem de Spiritu sancto: *Sed nec Spiritum æstimantes, neque per Filium sumpsisse substantiam.* *B. Cyrillus tom. vlt.* Hæc Cyrillus. *Theophyl.* Et Theophylactus posterior sequens dogma Photij in ca. 3. Ioan. conatur dissoluere locos Scripturæ, ex quibus Latini colligebant, Spiritum sanctum nō minus à Filio, quàm à Patre procedere. Sed certè inefficaciter id facit. *Tertullian. Basilius.* Perpende nōnullos ex Patribus, vt Tertullianū, Basilium, & alios ita loqui, vt asserant Spiritū ex Patre per Filium procedere. Sed hoc veritati dictæ nō obstat: quia vt testis est Basilius lib. ad Amphiloch. de Spiritu sancto, eandē vim habent illæ præpositiones Græcè, διὰ ἐκ, & παρὰ, cùm de diuinis Personis vsurpātur. *Idem.* *Præpositiones Græcè, διὰ ἐκ, & παρὰ, cùm de diuinis personis vsurpantur, eandem vim habent, teste Basilio.* *Ambrosius. Hieronymus. Augustinus.* Nostri verò Patres, vt Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus vsitatius dicunt ex, vel à Patre, & Filio procedere, ne duarū spirationū vel productionum vlla detur suspicio: quæ sanè absurda dicta esse facilè cognoscet, qui aduerterit, quod vt actus patris, & matris duas non efficiunt generationes, nec officia duorum

fabro-

Eorum qui vsitatius dicunt Spiritũ sanctum ex Patre, & Filio procedere, quã à Patre per Filiũ, duarum spirationum vlla ne detur suspicio, dictum improbatur. In diuinis, vt tres creatores, ita duos spiratores dicere, Catholica religione prohibemur.

fabrorum eandem nauim construentium duas fabricationes: sic etiam nec Patris & Filij duæ sunt spirationes, dum producunt Spiritum sanctum. Cęterum propter actionis vnitatem duo quoq; spirationum principia, vel duos spiratores negamus. Nam etsi in humanis agẽtibus pater & mater sint duo genitores, & fabri illi, quia nauim fabricant, sint duo opifices: tamen duo Spiratores in diuinis non magis cõceduntur, quàm tres creatores, ne detur suspicio cogitandi diuersam esse vnius ab altero actionem: quę actionis diuersitas facilè notatur in eadem naui: nam aliud in eadem naui operatur vnus opificum, aliud alter. In humana quoq; propagatione aliud pręstat pater, aliud mater: ille semen genitale, vt causam efficientem; hæc vasa generationis, & materiam sanguinis, & alia quæ ad causam materialem spectant. Nec tamen negandũ, Patrem & Filium habendum pro duobus spirantibus: sicut non inficiamur eosdem cum Spiritu sancto tres esse creantes: quia adiectiua, inter quę participia numeramus potius personas ipsas, quàm vel formam, vel formæ qualitatem delineant. Hinc Carolus Magnus lib.3. c.3. in septimam Synodum scribit: *Alteram vim habet, ex, præpositio, & alteram, per: & ideo quæri potest, vtrùm rectè dici queat Spiritus sanctus ex Patre per Filium procedere, ne, dum incautè hæc præpositio, per, in tanti mysterij professione ponitur, Arriani erroris virosum cuiq; poculum ministret, qui Spiritum sanctum creaturam esse: & per Filium, sicut & cætera, quæ creata sunt creatum esse blasphemet. Per Filium verò eum à Patre procedere, Synodicæ confessioni inusitatum est, quoniam Spiritus sanctus, vt à Patre procedat, non eget alterius auxilio vt per alterum procedat, cùm vtique sit tertia in eadem sancta Trinitate persona.* Sic ille. Et hactenus de hoc articulo dictum sit. Volui autem consultò tot Patrum sentẽtias producere, vt ex eis liceret colligere constantem Patrum de Spiritu sancto fidem; & quasi ex amęnissimo prato liceret decerpere varias diuinarum Scripturarum interpretationes, quasi gratos, & odoratos flosculos, quibus natura illa Diuinitatis nobis per se inaccessa, & incomprehensa, quodãmodò degustetur, ac delibetur, vt per hunc gustum digni efficiamur peruenire ad æternam eius fruitionem & possessionem in vita æterna, in qua perennes laudes decantemus Patri, & Filio, & Spiritui sancto in seculis sempiternis, Amen.

Caroli Magni catholica de Spiritu sancto doctrina.

Spiritum sanctum à Patre per Filiũ procedere, quid sonet secundùm Arrianos.

TRACTATVS LXV.

In quo de beata, ac sancta Trinitatis mysterio latè, ac fructuosè disseritur.

QVANQVAM libro secundo, in quo explicatum est primum illud caput Ioannis Euangelistæ, multa de generationis Diuinæ mysterio, Triumq; diuinarum Personarum Sacramento disputata nobis sint: poscit tamen suo iure hic locus, in quo apertè trium Personarum nomina, earumque distinctio continetur (dicitur enim: *Cùm venerit Paracletus: quem ego mittam vobis à Patre.* & paullò antè dixerat: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, &c.*) vt aliquid rursus, & alia ratione, quàm in alijs libris fecimus, tractationem de sacrosancta Trinitate instituamus. Ac de hac re quidem vtiliter & cum fructu contingit sermonem habere, & inutiliter. Cùm fructu quidem, quando loquimur, vt confirmemus fidem credentium, & consolemur eos, quibus primùm traditur sanctæ Crucis signum cum inuocatione Trinitatis, docemusq; eos cauere ab hæresibus à dæmone omnium zizaniorum, & errorum satore disseminatis; soluimusq; scrupulos, & quæstiones, quatenus rei natura patitur explicari. Inutiliter verò hæc tractatio suscipitur, quando hæretica admiscentur, & falsa scienter, vel imprudenter; vel quando Catholica traduntur quidem, sed ineptè, & obscurè, ita vt auditor proficiat in peius; vel quando propositas quæstiones in persuasionẽ auditorum non resoluimus, sed puteum, aut foueam apertam relinquimus, in quam bestiæ, id est simplices incidant: quod fodienti imputandum esse, in Exodo docet Dominus. Et aliter quidem tractandus est Catholicus, aliter Iudęus, & aliter Philosophus. Nam Catholicus, maximè catechumenus veniens ad baptismum, simpliciter instruendus est, & signum crucis illis instillandum, quod habet: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* instruendusque de primis Symboli verbis: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Filium eius Iesum Christum, & in Spiritum sanctũ.* Quòd si quærat, quomodo vnum & tria? Respondendum est illi, primùm apud nos fide hæc mysteria suscipi: deinde quæ creduntur, postea intelligi, secundùm illud: Nisi credideritis, non intelligetis; & præposterum esse currum statuere antè boues. Ingredere primùm lucis domum, id est Ecclesiam, per fidem, & Sacramentum: postea videbis, quod de illo mysterio hic videri potest, & comparabis tibi meritum, quo in

Ioan. 15.

Suprà 14.

De sanctissima Trinitate tractatio quatenus vtilis, & quatenus inutilis sit existimanda.

Matth. 13.

Exod. 21.

Qua ratione Catholicus hoc mysteriũ docendus sit.

Matt. vlt.

Quærenti Catholico, Quomodo vnum & tria? quid respondendum.

Esai. 7. iuxta LXX

Ecclesia domus lucis, & quomodo in eam pateat ingressus.

vita æterna hoc mysterium summa cum iocunditate intueri possis: quæ visio tota merces est; nam hoc est vita æterna, vt cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Quod si rursus obijciat, rationem huius mysterij se non posse comprehendere; Respondebo, verissimum esse, & propterea magis esse credendum: quia non potest esse gloriosior ignoratio, aut sapientior inscitia, aut doctior imperitia. Nam si caperetur ratione, non esset diuinum, hoc est inaccessum, incomprehensum, & supra hominum facultatem, & captum positum, sicut reuera est. Quicquid enim tu de Deo intellectu tuo potes capere, Deus non est, aut infinitum: proinde quo minus apprehenditur, eò magis esse diuinū agnoscitur. Deinde maius gratiæ diuinæ munus est, si quod ratione non capitur, tātùm fide apprehendatur. Melius autem est solido fundamento niti, quàm debili: at quod ratione capitur, nobis ipsis, & nostro intellectui nititur: *Quia cogitationes* (ait Sapiens) *mortalium timidæ, & incertæ prouidētiæ nostræ.* & alio loco: *Dominus scit cogitationes hominū, quoniam vanæ sunt.* At qui syncerae fidei nititur, ipsi Deo profectò dicenti, quasi solidissimæ basi innititur, & vt Apostolus ait: *Fides nostra non erit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Adhæc Deum nemo vidit vnquam: vnde sciri non potest, nisi quod ipse tantùm de se docet, & quis, & qualis, ac quātus sit, detegat. Quòd si quis paruo candelę lumine, Solis splendorem velit ostendere, sublata eius luce, ridiculū se profectò redderet: nā parum, aut nihil de Sole paruum illud lumen ostenderet, cùm Sol ipse per se, & suos radios satis se prodat. Et tamen minus potest humana ratio Deum per se ipsam attingere, quam valeat dictum lumē immensum hunc Solem ostendere.

Præterea Catechumenis, & his qui in fide initiantur, hoc præsertim est inculcandum; vt agnoscant quis sit ille, qui tantum hoc mysteriū nobis reuelauit, nempè Dei Filius, nuntius Patris, vita sancta, atq; irreprehensa, admirabiliq; sapientia præditus, signorum verò, & prodigiorum patratione cumulatissimus: Illi ergo credendum quicquid dixerit, etiamsi nos minimè capiam^s, cùm dignus sit, cui fidem omnifariam habeamus, si hominibus mendacibus credere consueuimus: si discipuli Pythagoræ silentium per quinquennium obseruabāt, & illi etiā sine ratione loquenti credebant, & instar solidæ, ac firmissimæ rationis erat: Ipse dixit. Hinc Hilarius lib. de Trinitate: *Soli Deo de se credendū est, qui se solus nouit.* Adhæc vt submissè de se quisq; sentiat, non debet ignorare, ea quæ certissima sunt in natura à nobis minimè, aut vix capi posse. Hinc Philosophus asseruit: *Vt oculus noctuæ se habet ad Solē, ita intellectus noster ad manifestissima naturæ:* Quomodo ergo ad diuina illa assurgemus, quæ tanto interuallo à naturę operibus distant? In Ecclesiaste dicitur: *Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone.* Et alio loco: *Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus in labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit?* Et paulò ante dixerat: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hæc tradenda putarem catechumenis, & ei qui se instituendum, & docendum in Fide exhibet, ne videlicet altiora se quærat, & fortiora se scrutetur.

At Catholicis iam magis prouectis possunt maiora tradi, quia semper debent esse parati ad satisfactionem omni poscenti de ea quæ in nobis est Spe, & Fide: non tamen vt quisquā putet sibi fidem rationibus demonstrandam. Nam cōtra rationem est, ea quę suprà rationem sunt posita, rationibus velle persuadere. Vnde cùm Augustinus libros de sancta Trinitate conscriberet, & circa mare deambulans puerum offendisset paruo cyatho aquam maris haurientem & interrogasset eum, cuius rei gratia id ageret, illeq; respondisset se velle metiri aquas maris, continuò sanctus Dei obiecit: *Qua ratione poteris immensum mare tam paruo cyatho metiri?* Respōdit puer: *Maius est opus quod tu moliris, dum mysterium Trinitatis intellectu tuo capere te posse ducis.*

Hæreticus verò, tùm Veteris, tùm Noui Testamenti testimonijs, vt à sanctis Patrib. sunt exposita, reuincendus est, & Ecclesiæ autoritate premendus, quam si nō audiat, habendus est sicut Ethnicus & Publicanus. Iudæus verò garriens, & vnitatem Dei obiectans, etsi Scripturis Veteris Testamenti possit aliquo modo ad Fidem adduci; non tamen, vt apertè, & planè tantū mysterium demonstretur. Et cùm Nouum Testamentum non recipiat, comprobandus est illi aduentus Messiæ: qui euidenter potest per Scripturas veteres, & gesta à Domino Iesu confirmari. Illo autem aduentu Messiæ posito, respondendum est, Messiam illum Dei Filium ac nuntium in hoc mysterium nobis credendum tradidisse apertissimè. Porrò Philosophus fidei reluctans, & ratiunculis, & syllogismis seipsum ad videndam implicans veritatem, veritatiq; Catholicæ contradicens, non est Scripturis, quas nōdum recipit, reuincendus, neq; rationibus est illi Trinitas demonstranda. Sed cùm Fides su-

Ioan. 17. Dei visio tota merces.

Idem mysterium cur nequeat comprehendi.

Si à nobis caperetur, quid inde.

Fidei nobis, et solido fundamēto, non rationi nitendum.

Sapient. 9.

Psalm. 93.

1. Cor. 2.

Ioan. 1. & 1. Tim. 6. Tantum scimus de Deo, quantum vult ipse. Simile.

Christianis neophytis inculcandū.

Pythagoras quinquennale à suis discipulis silentiū exigebat.

B. Hilar.

Arist. li. 2. Metaph.

Eccles. 1.

Sap. 9.

Ibidem. Corporis corruptio...

Eccles. 3. Quid Catholico [illegible] de mysterio Trinitatis.

2. Petr 3.

Aug. tom. 4. Quid respon sum Augusti no voluenti eo de tanto mysterio moliente.

Quomodo persuadendū sit mysteriū sanctissimæ Trinitatis hæretico.

Vt sit agendum cum Iudæo sanctissimæ Trinitatis fidem neganti.

Quemadmodum Philosopho sanctæ Trinitatis Sacramentum sit insinuandum.

Concil. Lateranens. II.

des suprà rationem sit posita, non autem contra rationem militet, vt definitum est in Concilio Lateranési, & verum vero aduersari nequeat: censendum est omnes eius rationes nihil concludere, sed deficere potiùs, & ideo solubiles sunt, & soluendæ: quemadmodum Patribus lumen ad omnia eiusmodi argumenta refelléda non defuit. Quòd si interdum à quibusdam eiusmodi solutiones ignorarētur, sicut interdum ignorantur: non propterea periclitaretur Fides, cùm fides Catholica in vno, aut altero non subsistat, sed in tota Ecclesia.

Assertiones fidei sanctissimæ Trinitatis. Prima. Secunda. Tertia.

His præmissis, præsentem Trinitatis tractationem, tribus tantùm Fidei assertionibus expediemus. Quarum prima sit: In Deo vnica est tantùm diuinitatis natura, atque substātia. Secunda assertio: In Deo est multitudo, non quidem rerum, sed personarū: non substantiæ diuinitatis, sed proprietatum, & relationum. Tertia: Hanc pluralitatem seu multitudinem personarum, & proprietatum ad ternarium numerū pertingere, eumq; minimè excedere. Prima assertio manifesta est etiam in lumine Naturæ, & apud sapientes communi consensu recepta, & potest multis Scripturarum testimonijs, & rationibus confirmari. Ait enim Dominus: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est.* & Moses: *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Et Paulus: *Et si sunt qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra* (si quidem sunt dij multi, & domini multi) *nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo.* Et alio loco: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & Pater omnium.* Et frater Domini: *Tu credis quoniam vnus est Deus. Benè facis.* Symbolum quoq; Athanasij egregiè tradit: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Et tamen non tres dij, sed vnus est Deus.* Aristoteles octo libris Physicorum vnum euincit primum motorē; & librum 12. Metaphysices ita concludit: *Entia nolunt malè disponi: non est bona multitudo principum, vnus ergo princeps.* Vnde mundi sapientes, vt Socrates, Plato, Cicero, atq; alij, etiāsi deorum multitudinem falsam esse non ignorarent, interdumq; tectè conuellerent, vnicum tamen Deum verum, ac mundi principem, & rectorem certò statuebant.

Vnitas Dei copiosè ostēditur, atque demōstratur. Ab Scripturis. *Deut. 6. Infrà 32. 1. Cor. 8. Ephes. 4. Iacob 2. Symbol. Athanasij.* Aristotelis de Dei vnitate sententia.

Vnitas Dei, & creaturarū in quo differat.

Est igitur Deus vnus, vt quæuis creatura vna est: & solus, vt Sol, quia non sunt plures Soles: nec tantùm est vnus, sed magis est vnus, quàm quæuis creatura: quia in creaturis semper est aliquod accidens distinctū à substātia; in Deo autem sola est substantia, accidentia nulla. Ad hæc in creaturis est cōpositio in quibusdam ex materia, & forma; in alijs verò omnibus ex substantia, & accidenti, ex genere, & differentia, ex perfectionibus, & eo quod perficitur. Nam potentia, sapientia, bonitas, non sunt vnum, quia est interdum potentia sine sapientia, vel bonitate in aliqua creatura; & in alia est sapientia sine bonitate; & in alia bonitas sine sapientia: in Deo autem hæc omnia vnū sunt, alioqui potentia non saperet, nec bona per se esset; & sapientia careret fortitudine, & bonitate: bonitasq; esset infirma, ac insipiens. Probatur ergo vnitas Dei rationibus: quarum prima depromitur ex parte Dei, secunda ex mundo, tertia verò ex nobis. Talis est prima ratio. Cùm Deus sit illud, quo maius, aut melius cogitari nō potest, & melius sit vt Deus habeat bonitatem singularem, cui alia inueniri possit in nullo par, & æqualis, quàm quod parem habeat: quemadmodum Sol, & Phœnix, quæ duo in genere suo singulares existūt: ergo Deus singularem habet excellentiam, ac bonitatem; præsertim cùm vnitas perfectio sit, quam omnes creaturæ appetunt, atq; tuentur, ergo illa est in Deo: qui cùm sit infinitus, omnia implet, & cum recta ratione pugnat, plura esse infinita. Quamobrem si alius esset Deus, esset permixtus cū isto, atq; confusus, & in hoc existeret, vel vt pars in toto, vel vt vna pars in alia; & tunc deficeret perfectio alterius, ac proinde non esset Deus. Vel vt alio modo idem explicem, Si dij essent plures: aut pares, aut virtute, & perfectione minimè pares existerent. Si pares, tunc nullus esset Deus; cùm Deus optimus Maximus sit, & parem non habeat. Si impares, tunc vnus esset maior, alius minor: & minor nō esset Deus; quia Deus est, quo maior, aut melior esse non potest. Secunda ratio: Totus mundus vnus est: vnum ergo rectorē exigit, & gubernatorē: quęuis etiam pars eius vna est: vt, vnus Sol, vna Luna, vnus Planeta. In vnitate, ignis, aër, aqua, & terra consistunt. Vna anima in corpore, vnum corpus, vnus intellectus in anima, vna memoria, vna voluntas, vna longitudo, latitudo, & profunditas in corpore; vnus Rex in Regno, vnus Imperator in exercitu, vnus in naui nauarcha, Rex vnus in gruibus, & in apibus. ita ergo in vniuerso mundo, qui maiore indiget vinculo, & maiori vnitate, vnus erit Deus. Tertia ratio: Melius se habet animus noster, atque adeo cor nostrū, quando est vnitum; quàm cùm est diuisum, & in varia distractum: melius autem vnitur, quando totum ad singula conuertitur, & singulis coniungitur: nam tunc totum cor intelligit, amat, & colit totis viribus, quàm si esset dispertitum in plures deos: quod facit, cùm ipsos, deos, qui

Rationibus idem euincitur. Deus quid.

Vnitatem appetunt omnes creaturæ. *Ierem. 23.*

I. Ratio.

Partium vniuersi vnitas.

II. Ratio.

qui in rerum natura non sunt, sibi fingit, creata plusquàm Deum diligendo, atque de illis cogitando. Hoc enim cuique est Deus, vt testatur Hieronymus, quod præcipuè cupit, & veneratur. Proinde magnã vtilitatẽ nobis adfert Dei vnitas, magnum exitium adferret multitudo; quia, vt Dominus dixit, nemo potest duobus dominis seruire: nisi ad seipsos ordinem mutuum habeant, vel vnum, & idem essent re ipsa, vt sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

Hieronym. in Psalm. 79. in fin. tom. 8. Hoc cuiq; est Deus quod præcipuè colit, & veneratur. *Matt. 6.*

Secunda assertio est. In hoc vno solo Deo inuenitur multitudo, siue pluralitas, non quidem substantiæ, sed proprietatum, hypostaseon, vel relationum, vel personarum: ita vt inter personas non sit tantùm distinctio nominum, aut rationum, vt Iudæus. Sabelliusque hæreticus asseruerunt: nec realis, quasi diuersarum rerum, & essentia discretarum, vt Pagani, & Arriani docuerunt, sed est realis distinctio proprietatum, siue hypostaseon, adeò, vt vna nõ sit alia, licèt sit idem quod alia, id est, sit distincta hypostasi, non essentia. Quæ quò maiori luce perfundantur, illud vt explorata, & certa fide compertum præmittendum, aliter scilicet in mysterio Trinitatis, atq; in illo Incarnationis sentiendum esse atque loquendum. Nam in priori dicimus alium atque alium, non aliud, & aliud, cùm vna sit natura, & substantia, plures verò hypostases, seu personæ. At in incarnati Verbi mysterio opposito modo loquimur: nã in illo non inuenitur alius, & alius, rectè autem dicimus aliud & aliud, quia plures & diuersæ sunt naturæ. Est enim in ea, natura humana, & diuina, siue natura corporis, & rationalis animæ natura, & item natura diuini Verbi: nõ est tamen alia persona Verbi, alia hominis, sed vna tantùm Verbi, & humanitatis hypostasis, quæ & naturam diuinam, & humanam subsistere facit. Porro hæc doctrina ex ipsis mysterijs apprehenditur, vt sine illa consistere in seipsis, aut rectè à nobis concipi non valeant. Prętereà ad ita credendum in Trinitatis Sacramento, cogit personarum confusor Sabellius, & Arrius essentiæ diuisor: ad ita verò sentiendum in altero, compellit Nestorius personarum discretor, & Eutyches naturarum confusor. ¶Potest etiam veterum Patrum testimonijs hęc doctrina corroborari. Et prior quidem prodeat Athanasius, quia in illo suo Symbolo, quo omnes sui temporis grassantes hęreses confutauit, ita Catholicè definiuit, de priori quidem mysterio dicens, Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas: asserens vnam esse substantiam, ac proinde non aliud & aliud; & aliam esse personam Patris, aliam Filij, & aliam Spiritus sancti: ergo alius, & alius. Inferiùs verò cùm verba facit de Verbi œconomia, contrarium sentire, & loqui docet: Perfectus, inquit, Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Qui licèt Deus sit, & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus. Ecce vnitatem personæ, quam magis declarando, subdit; Vnus omninò, non cõfusione substantiæ, sed vnitate personæ. Quis non videat in his verbis plures naturas esse in Christo, & vnam personam? Adhæc Gregorius Nazianzenus ab insigni, & pręclara Theologiæ notitia cognomentũ Theologi sortitus, in epist. 1. ad Clidonium de fide: *Atq;, vt paucis,* inquit, *rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Seruator, constat (nisi verò id quod cerni non potest, idem est cum eo, quod in oculorum aspectum cadit: & quod temporis expers est, cum eo quod tempori subest) non tamen alius atq; alius subsit, ambo enim hac copulatione vnum sunt, Deo nimirùm humanitatem, atque homine diuinitatem suscipiente, aut quocunque tandem alio verbo quispiam eam rem exprimendam duxerit. Porrò aliud atq; aliud dico, contra quam in Trinitate res habet. Illic enim alius atq; alius, ne personas confundamus: non autem aliud atq; aliud, quoniam tria quoad diuinitatem, vnum idemq́ue sunt.* Sic ille. Cuius posteriorem partem confirmat Bernardus epist. 140. ad Innocentium Papam his verbis; *Ille verò dignè pro sua possibilitate diuinam æstimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat dispar, vbi est totum summum: nil distans, vbi totum est vnum: nil hians, vbi totum est integrum: nil deniq; imperfectum, vel egens, vbi totum est totum. Totum nempè est Pater, quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod & ipse, & Pater, & Filius. Et totum vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum summumq́, bonum quod sunt, inter se particulariter diuidunt, quoniam nec participialiter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum verissimè dicitur, Personarum sanè designatio est, non vnitatis diuisio. Licèt namq; in hac ineffabili Deitatis essentia, alter & alter, id quidem requirentibus proprietatibus personarum, sobriè, Catholiceq; dicatur; non tamen ibi est alterum & alterum: sed simplex vnum: vt nec præiudicium faciat vnitati Trinitatis confessio, nec proprietatum sit exclusio, vera assertio vnitatis.*

Quòd sit in Deo distinctio personarum ostenditur.

De mysterio sanctæ Trinitatis, & Incarnationis q̃d & sentiendũ, & loquẽdum sit.

Patrum traditione confirmatur eadem veritas. *Athanasius.*

Gregor. Nazianz. Vnde Theologi cognomentum inuenit.

S. Bernar.

Dignè quis pro sua facultate diuinam æstimet magnificētiam, teste Bernardo.

Hæc sanè eleganter, & doctè Bernardus. Sic enim in humanis loquimur, genere enim masculino exprimimus personas, vt, Quis adest? Quis loquitur? & respōdemus Petrus adest, Paulus loquitur: neutro autem genere essentiam, siue naturam significamus. Quærimus enim, Quid est homo? & respondemus. Animal rationale. Quid Angelus? Natura quædam spiritualis intellectu prædita. Quis est Angelus? Michael, vel Gabriel. Accedit etiam Hilarius lib. 2. de Trinitate: *Est Filius ab eo qui Pater est, vnigenitus ab ingenito, progenies à parente, viuus à viuo. Vt Pater habet vitam in semetipso, ita & Filio data est vita in semetipso. Perfectus à perfecto, quia totus à toto, non diuisio, aut scissio, quia alter in altero, & plenitudo diuinitatis in Filio est. Incomprehensibilis ab incomprehensibili, nouit enim nemo nisi inuicem. Inuisibilis ab inuisibili, quia imago Dei inuisibilis est; & quia qui videt Filium, videt & Patrem. Alius ab alio, quia Pater, & Filius. Non natura diuinitatis alia & alia, quia ambæ vnum, Deus à Deo. Ab vno ingenito Deo, vnus vnigenitus Deus. Non dij duo, sed vnus ab vno. Non ingeniti duo, quia natus est ab innato. Alter ab altero nihil differens, quia vita viuentis in viuo est.* Hactenus Hilarius, doctrinam dictam de Trinitate asserens, licèt nil agat de ratione loquendi in mysterio Incarnationis, quemadmodum etiā Theophylactus in illa verba: *Et Deus erat Verbum,* docet his verbis: *Vt exemplo manifestius faciamus, Petrus & Paulus sunt alius, & alius, sunt enim personæ duæ, sed non aliud & aliud, vna enim eorum natura est humanitas. Sic igitur de Patre, ac Filio docendum. Alius enim sunt, & alius, duæ personæ; non autem aliud & aliud: vna enim natura eorum deitas.* Sic ille, vocans vnam naturam in Petro, & Paulo speciē; non numero, qualis est in Trinitate. Sed illa omninò caret exemplo, & ideo qualicunq; potuit exemplo, rem explicauit. Augustinus quoq; lib. de Ciuita. Dei, idem de persona Spiritus sancti ab alijs duabus persona siue hypostasi, non autem substantia, siue natura distincta, sentit, cuius hæc sunt verba: *Qui Spiritus Patris, & Filij, Spiritus sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris literis nuncupatur. Alius est autem quàm Pater & Filius, quia nec Pater est nec Filius: Sed alius dixi, non aliud, quia & hoc pariter simplex, pariterq; bonum est incōmutabile & coæternum.* Et de hoc hactenùs sit dictum.

Hilar. lib. 2. de Trinita. ante med. — *Ioan. 5.* — *Colos. 1. & 2.* — *2. Cor. 4.* — *Ioan. 14.* — *Ioan. 1.* — *Theophy. in Ioan. c. 2.* — *Aug. li. 11. de Ciuitate Dei, c. 10. initio, tom. 5.*

A Scripturis esse in Deo scilicet multitudinem personarum, & ordinem.

Hoc igitur modo intellecta pluralitas confirmatur ex Scripturis, atque rationib. explicatur. Prima igitur ex Scripturis ostensio fit per nomina, siue verba, quæ plurali numero de Deo in sacris literis enunciantur: Vt, *In principio creauit Elohim*, siue dij, *cælum, & terram.* Et, *Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est:* vbi Hebræa litera habet: *Quoniam dij sancti ipse.* Et, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Rursus dixit Deus: *Venite, descendamus, & confundamus, linguam eorum.* Et apertiùs in Nouo Testamento: *Ego, & Pater vnum sumus:* Et, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Cùm ergo populus Iudæorum carnalis esset, & ad idololatriam propensus, manifestè dedisset ei Deus occasionem colendi idola, si in Deo plures non essent personæ. Quod indicant prædictæ sententiæ, & illa: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu,* &, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis:* &, *benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* Et; *Quod nomen est eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?* Friuolum autem est dicere, quòd Elohim caret singulari numero, cùm plerunque Eloha in singulari inueniatur: vel quòd loquatur in plurali ob autoritatem sibi asserendam, vt Principes magni honoris gratia sibi defendi loqui solent: quia Deus de se in singulari solet loqui, & ad eum in singulari loquuntur Prophetæ, & dicunt illi, Tu. Nec in more est, vt quis dicat, Vos fecisti, vel Domini fecisti, sed, Domine fecistis. Et tamen Genes. oppositum docet. Nam cùm apparuit Dominus Abrahæ, dicitur quòd apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos adorans, ait: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis.* Et ille respondens: *Reuertens,* inquit, *veniam ad te tempore isto.* Et quia quantumuis loquens de se, loquatur in plurali; historicus tamen referens de illo aliquid, in singulari loqui solet, Non enim dicimus, Episcopus fecerunt, vel Imperator dixerunt; sed, fecit, vel dixit. De Deo autem ait Scriptura: *In principio creauit Dij,* Et, *Quia Dij sancti ipse.* Et ita illos locos intelligunt Patres, maximè verò Augustinus, qui libr. de Trinitate, sic ait: *Neque enim diceret veritas, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nisi Trinitas esset. Nec baptizari nos iuberes Domine Deus in eius nomine, qui non est Dominus Deus. Neque diceretur voce diuina: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, nisi Trinitas ita esses, vt vnus Dominus* DEVS *esses.* Idem docuit Theodoritus in Aporis, siue quæstionibus in Genesin: *Iudæi verò (inquit) ad aliam se conuerterunt insaniam. Aiunt enim,* DEVM *vniuersorum sibi ipsi dixisse, Faciamus hominem, eorum more, quibus imperia summa credita sunt. Nam & magistri equitum, & Imperatores plurali numero consueuerunt dicere, Iubemus, scribimus, & mandamus, & quæ sunt huiusmodi.*

Gen. 1. — *Iosu. 24.* — *Gen. 1.* — *Infrà 11.* — *Ioan. 10.* — *Infrà 14.* — *Psal. 2 & Act. 13* — *Psal. 109 & Matth. 22.* — *Psalm. 66.* — *Prou. 30.* — *Gen. 18.* — *Aug. lib. 15 de Trinit. c. vlt. tom. 3.* — *Matt. vlt.* — *Deut 16.* — *Theodor in quæst. 69 in Genesim, q. 19 pag 1*

At in-

At insani non animaduerterunt, quod plurima Deus omnium effari soleat singulari numero. Tempus enim, inquit, vniuersi hominis venit coram me. Et, Pœnitet me fecisse hominem. Item, non erunt tibi dij alij præter me. Et, Ecce ego facio noua, quæ mox oriuntur. Et, Aperiam in montibus fontes, & in herbis flumina. Et in vniuersa planè Scriptura diuina licet audire Deum omnium singulari numero loquentē. Rarò autem pluraliter sermonē format, nisi cū innuit numerū personarum Trinitatis. Etenim cùm linguas confunderet, non dixit singulariter, Descendam; sed, Venite, descendentes confundamus ipsorum linguas. Sic ille. Et posteà subdit, idē insinuari, cùm de homine formando ageret, quē sanctæ Trinitatis inuocatione nouerat baptizandum & reformandum, & mysterium Trinitatis illi credendum: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostrā*, obscurè identitatem substantiæ, & personarum numerum aperiens. Rursus nō vtitur plurali numero, ob multitudinem perfectionum, vt sapientiæ, iustitiæ, misericordiæ, vt Iudæus ait. Quia si hoc firmum esset, quisque hominum, qui pluribus virtutibus esset ornatus, diceretur plures homines. Igitur Deus eiusmodi sentētijs, quæ ipsi tribuuntur, tum pluralem, tum singularem numerum nominum, & verborum an indicandā vnam naturam, & plures personas insinuari voluit, & apertiùs in Nouo Testamento indicauit id ipsum.

Gen. 6 / Ibidem. / Deut. 32. / Esai. 43. / Suprà 41. / Deus quando tantum loquitur in numero multitudinis / Gen. 11. / Eiusmodi locutionis inepta ratio Iudæorum refellitur.

II. argum. Secundò, idem probatur ex nominibus relatiuis Patris, & Filij, & Spiritus procedētis. Relationes enim oppositæ non possunt esse in Deo sine distinctione personarum: vt cùm dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &, *Ipse inuocabit me, Pater meus es tu*, &, *Ego primogenitum ponam illum*, &, *Quod nomen est eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?* item, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Vnde vel verbum ad dicentem refertur, & imago ad eum quem repræsentat: nomen etiam Spiritus relationem habet ad eum, à quo spiratur, vt flatus ab animali, vnde & procedēs vocatur, in quo adhuc magis relatio detegitur.

Psal. 2. / Psalm. 88. / Prou. 30. / Esa. 9.

III. argum. Tertiò, idem probatur ex hoc, quòd vna persona est in alia, vel apud aliam, ait enim Dominus: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est.* Et, *Verbum erat apud Deum*; rursus: *Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Nemo autem propriè est in seipso, vel apud seipsum. Item, *Dominus possedit me*: alius enim est possidēs, & alius res possessa: rursus, *Cum eo eram cuncta componens*, nemo certè est sècum ad operandum, sed cum alio. Igitur vnam personam esse in alia, vel cùm alia, manifestè aliquid aliud indicat præter singularitatem. Et sicut esse in, rectè dicitur propter vnitatem substantiæ, quæ vna numero communis est tribus; ita esse ad, manifestè indicat relationes, & per consequens plures esse personas.

Ioan. 14. / Suprà 1. / Ibidem. / Prou. 8. / Ibidem.

IV. argum. Quartò, idem ostenditur ex processione Dei, quæ in Scripturis inuenitur frequenter. Vnus enim non potest à seipso procedere, quia esset à seipso distinctus; quod cùm recta ratione pugnat, atque absurdū est. Hinc dicitur: *Eructauit cor meum Verbum bonum: Ante omnes colles ego parturiebar: Nondum erant abyssi, & ego iā concepta erā: Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: Ab initio, & ante secula creata sum*, id est genita; &, *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*: Dauid etiam: *Ego hodie genui te*; Et Christus: *Ego ex Deo processi, & veni*, Et de Spiritu sancto dixit: *Qui a Patre procedit, & qui de meo accipiet.* Cum ergo nihil seipsum concipiat, aut pariat, neq; se gignat, aut à seipso egrediatur, vel procedat: cùm inter procedentem & processum vera sit distinctio; necessarium est, vt in diuinis multitudiuem constituamus personarum. Et profectò sine processu tres essent dij distincti, & tria infinita.

Psalm. 44. / Prou. 8. / Eccles. 1. / Ibidem. / Mich 5. / Psalm. 2. / Ioan. 8. / Infrà 15. / Infr. 16.

Generatio autem Deo tribuitur, semōtis tamen omnibus imperfectis, id est, motu, tempore, corruptione, atque substantiæ decisione. Neq; hic processus primi principij rationem personis procedētibus tollit: quia illis datur nō diuersum esse ab illo esse primo, quod est in Patre, sed est idem illud numero esse. Dices; Non satis capio. Quid mirum, si opera Dei non capis admiranda in natura? quāto igitur ipse est in seipso admirabilior?

Generatio qualis in De[o] sit. Et vnde cōprobetur humano li[cet] ingenio minimè co[m]prehēdatur.

I. exempl. Deinde si anima nostra, quæ certis naturę finibus circūscribitur, in toto est corpore, & in qualibet parte, & membro corporis vnicuiq; pro ratione sua esse communicat; quid mirum, si diuina substantia eadem numero Fillo à Patre cōmunicetur, nec tamen illam amittat Pater? rursus eadē numero à Patre & Filio cōmunicetur Spiritui sancto, retenta tamen ab illis duobus, & possessa?

Tertium. Prætereà, si ego possum conceptā cogitationē tecū communē facere, sine eo quòd ego illā amittam; deinde si vterq; nostrū contētus esset, vt eadē cogitatio detegeretur amico tertio, quē diligimus; iam ibi aliquo modo cernere liceret imaginem quandā Trinitatis. Nam vnus & idem conceptus numero esset in illis tribus: nec esset alia differentia, nisi quod in me à nullo esset, in te verò à meo, & in tertio esset à nobis duobus, eo posito, quòd ille qui est in me, esset causa tui, & vterq; esset causa eius quod est in tertio; & quòd conceptus sicut est accidens, esset vera substantia.

Exemplum Trinitatis.

Huic autem processui, in quo alia omnia, vt certa basi, nituntur, consonat ratio, Scripturis, Ecclesia, & Patribus illustrata. Constat enim, illud quod melius est, maius, & excellentius, Deo esse sine dubio tribuendum. Nam vt Aug. docet lib. de Doct. Christia. Deus secundùm omnes est illud, quo meliùs atque sublimiùs aliquid nõ est. Et in libr. Quæstio. Veteris & Noui Testamenti: *Plus est*, inquit (Deus scilicet) *quàm quicquid dici poterit, aut cogitari.* Ratio igitur ostendit, non esse impossibile, aut contra rationem, & contra diuinum honorem, in diuinis esse processum. Primùm, quia excellentius est, ac melius, esse simul, & operari, quàm esse otiosum, omniq; opere destitutum. Esse autem Dei esset otiosum, si ante mundi conditionem operaretur, aut produceret nihil. Deinde præstantius est, Deum non egere mundi productione ad fœcunditatis gloriam habendam, ne potentia Dei infinita, finita creatura egeat; cùm Deo dicimus: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges:* egeret autem, si tantùm producẽdo creaturam, esset nobis illustris, & conspicuus: quia ablata creatura infœcundus existeret. Tertiò, meliùs est, infinitum Dei esse habere parem operationem, id est, infinitam, quàm finitam: quia esset inæqualitas infinita inter esse, & operari ex parte rei productæ: quemadmodum præstantius est pictori producere filium parem, hoc est, viuum, & animatum, quam si eum tantùm pictum faceret. Ergo excellentius est Filium producere, quàm mundum condere. Quartò, prẽstantior est operatio natura, quàm artis, quæ naturam imitatur: & nobilius de propria substantia producere, quàm ex altera materia, maximè, quia ars non potest æquare naturam: nam incomparabiliter maior filius viuus, quàm filius pctus: cùm omnis natura simile sibi producat in specie, nec minori se cõtenta sit: vnde planta plantam, equus equũ, & homo hominem gignit. Ergo Deus Deum generabit, aliàs esset Deus creatura sua minor, & inferior; cùm tamen ipse per Prophetam dicat: *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem alijs tribuo, sterilis ero?* Quintò, melius est, Deum habere ab æterno potentiam expletam, quàm non expletam: si ergo Deus potuit ab æterno producere Filium consubstantialem, aut voluit, aut noluit. Si voluit, ergo & fecit: quia omnia quæcunq; voluit, fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Si noluit, inuidus ergo sibi extitit, & tantam gloriam sibi præripuit. Id em dicendum de potentia Patris & Filij in producendo Spiritu sancto. Sextò, iuxta Dionysij exploratam ac certam Theologiam, bonum est sui ipsius diffusiuum, & communicatiuum, & quo maius, eò plus se cõmunicat: quod si summum bonum fuerit, summè seipsum communicabit. Cùm ergo Deus, omnium sententia, summum bonum sit, nec possit seipsum creaturæ summo modo communicare, quia creatura finita non est capax infinitæ communicationis: consequẽs est, vt Pater intus producendo Filium, & Pater & Filius spirando Spiritum sanctum, summo modo, atque infinito se communicent. Septimò, tunc vnumquodque perfectum est, cùm potest sibi simile in specie generare: vnde nulla creaura aliam in specie minorem, & minùs perfectam producit. Deus igitur perfectus non esset, nisi posset sibi æqualem, & per omnia perfectam prolem edere: danda igitur est in diuinis productio. Nec Dei productio sistit in mundo condito: quia eiusmodi productio artificialis est, & quia esset perinde, ac si elephantus formicam, aut muscam gigneret. Possetque de Deo non ineptè dici illa sententia:

Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus.

Octauò, præstantius est, Deum esse sapientem, & amantem cum æterna fœcunditate, quæ addit productionem, societatem, charitatem, iocũditatem ac beatitudinem quàm si sine productione per essentiam saperet, & amaret. Vt melius est, sapientissimum, optimum, atque opulentum parentem omnia filio communicare, cunctis tamen sibi retentis: & rursus in amicum aliquem, vtrique condilectum omnia effundere, omnibus tamen sibi seruatis, quàm nihil communicare. Hoc igitur Deo tribuendum est, cùm sit excellentius: quemadmodum melius est, mentem, quæ simplicissima est substantia, producere scientiam, & amorem: sicut etiã maius, eandem etiam substantiam, fortissimã faciẽ ὁμοίωσιν, in speculo producere, & cũ ea ὁμοίωσιν, amorem cõdilectum. Nonò, melius est, in Deo inueniri fundamẽtũ creationis, & adoptionis, quã non inueniri, quia sine fundamẽto non constat ædificium: at fundamentũ operationis extrinsecæ operatio est intrinseca, vt fundamẽtũ operis artificialis interna est ars, quæ est operatio naturæ rationalis. Si Deus ergo Verbũ nõ produxisset, nec mundũ condidisset. Si nõ habet Filiũ naturalẽ, nec adoptiuos: si nõ est prima fœcunditas, quasi calor in primo calido p se, id est igne, creata omnia nõ essent, nec operarẽtur, sed sterilia essent, atq; infœcunda, queadmodũ sublato

Aug. lib. 1. de Doctri. Christiana, tom. 3. Deũ omnes intelligunt id, quo nihil melius.

Idē li. Quæst. Vet. & No. Test. q. 1. to. 4. Quòd sit processus in diuinis, multis ostenditur.

II. ratio.

III. ratio.

IV. ratio.

Esa. 66.

V. ratio.

Psal. 134.

VI. ratio. *Dionys.*

Axioma Theologorũ de boni natura.

VII. ratio.

Si nil Deus præter mundum genuisset, qualis videri posset.

Hor. de Arte.

VIII. ratio.

Exempla generationis diuinæ.

IX. ratio.

Nisi Deus Verbum genuisset, & Spiritũ Sanctum cũ eo produxisset, quid inde.

sublato calore ignis, piper, cinnamomum, vel alia similia, quæ calorem participiant, calida non essent: non esset vllus creaturarum amor, nisi esset calidum amoris Dei, ex quo procedit Spiritus sanctus, qui est causa amorum omnium naturalium honestorum. Erit ergo in Deo fœcunditas intellectus, & voluntatis. Decimò: Excellentius est, Deum esse talem, vt plus cognosci, & amari ab homine possit, quàm minus, cùm ad hunc finem potissimum creaturam ratione præditam condiderit, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur. Sed plus potest per productionem infiniti, quàm per mundi molitionem cognosci: quemadmodum homo per productionem veri hominis, quàm per fictionē hominis depicti magis agnoscitur, & oleæ substātia per productionem oleæ magis penetrabitur, quàm per hoc, quod est calida, viridis, tardeq; crescat, & similia accidētia. Si igitur posita productione personarū magis agnoscitur Deus, magisq; amari, & coli ab homine potest; pręstat igitur in illo ponere productionem, quàm tollere; & ex consequenti præstat Deum talem esse, ex cuius cognitione virtutes in nobis magis augeantur, & magis vitia imminuātur. Posito enim processu diuinarum personarum, roboratur fides in tam recondito, & alto mysterio, quo magnoperè captiuatur intellectus: incrementum sumit Spes in funiculo illo triplici diuinarum personarum, qui difficilè rumpitur: firmatur amor erga Deum, qui tantùm se nouit cōmunicare, ac tam varijs modis, & vbi agnouerit tanto se amore inuicem diuinas personas prosequi: crescit Prudentia, cognito Deo tam sapiēti, & oculato: augetur Iustitia, corā tam iusto iudice nos operari agnoscentes. Temperantia cōfirmatur, viso tantæ puritatis, & sanctitatis exemplo: Fortitudo corroboratur, vbi per Fidem agnouimus tantum, ac tantę potentiæ Dominum pro nobis constare, vt omnia possimus in eo, qui nos confortat. Corruunt vniuersa vitia: Superbia, cùm cogitamus Dominum se ad creandum, & adoptādum demittentem: Auaritia, agnita tanta liberalitate inter diuinas personas, & munificentia: Inuidia, in tanto mutui amoris argumento: Ira confunditur, cognita māsuetudine, & patientia tanti Domini, qui sustinuit cum multa patiētia vasa irę apta ad interitum: Gula, atque Luxuria, in tanto torrente spiritualium voluptatū, & purissimarum delectationum, quibus ad se inuicē diuinæ fruuntur personæ: nam gustato Spiritu, desipit omnis caro: Accidia, pigritiaque omnis exulat, agnita tanta numinis diligentia, & festinatione ad succurrendū nostris necessitatibus, nostramque salutem procurandam. Ædificantur ergo vniuersæ virtutes, & cuncta peccata destruuntur, si mysterium diuinarum personarum attentè inspiciamus. Est ergo productio in Deo, & multitudo hypostaseon.

[Marginal notes: Amoris omnis causa, Spiritus S. est. — X. Ratio. Rationalis creatura à Deo cur condita. *Aug. li. Med. inst. tom. 9. à med.* — Olea vnde melius perfectiusq; cognoscitur. — Processionis diuinarum personarum contemplatio, mirum in modum virtutes omnes ædificat. *Eccles. 4.* — *Philip. 4.* Per fidem S. Trinitatis omnia vitia destruuntur. — *Rom. 9.* — Gustato Spiritu desipit omnis caro.]

Quòd si obijcias, generationem necessariam esse, vt res quæ in indiuiduo non possunt diu subsistere, saltem in specie conseruentur; ac proinde Angelo, qui incorruptibilis est, non tribuimus generationem alterius Angeli: cùm igitur Deus æternus sit, & in eodem indiuiduo semper maneat, generatio in eo ponenda non est, maximè cùm generatio imperfecta multa contineat. Respondemus, Deo tribuendas esse perfectiones omnes, quas in creaturis inuenimus, eminenter tamen, & ablatis vniuersis imperfectionibus. Quia ergo in Angelo incorruptio, perfectio quædam est, erit ergo in Deo, sed excellentior: ita etiam generatio in his quæ corpore constant creaturis, excellentia quædam, & perfectio magna est. Vnde quæ nihil producunt, sed sterilia sunt: vt plantæ, animalia, & homines, maximè imperfecta iudicamus: imò tunc vnumquodque perfectum esse dicunt Philosophi, cùm simile sibi in specie producere valet. Erit igitur & in Deo. Maximè cùm Scriptura dicat: *Ego hodie genui te.* &, *Generationem eius quis enarrabit?* Et rursus: *Ego qui generationem alijs tribuo, sterilis ero?* Sed ita tribuenda est Deo generatio, vt defectus omnes, qui illam in creaturis comitantur, auferri debeant: vt sunt, motus, qui in Deo non est: qui ego Dominus, & non mutor; & qui immobilis manens, dat cuncta moueri: ita immutabilis existens ex se ipso generat. Debet & auferri tempus, extra quod Deus est, & in æternitate generat, secundùm illud: *Ego hodie genui te.* iterum: *Egressus eius ab initio, a diebus æternitatis.* &, *In principio erat Verbum.* Quibus testimonijs euincitur generatio æterna, cùm mundus ex tempore tantùm extiterit. Debet etiam tolli corruptio in diuina illa generatione; si arbor sine vlla corruptione edit fructum, & sanctissima Deipara incorrupta peperit Saluatorem. Denique debet auferri decisio, vel diuisio substantiæ: nam cùm natura diuina sit impartibilis propter summam, & infinitam eius simplicitatem, decidi, aut diuidi in partes non potest, sed tota integra communicatur. Idemque per omnia dicendum est de processione Spiritus sancti, quæ sine vllo motu, aut tempore, aut substantiæ diuisio-

[Marginal notes: Quid Deo immortali, & æterno opus sit generatione. Angeli cur nō generent. — Omnes perfectiōes creaturarum eminenter in se Deus cōtinet. — Philosophorum axioma. — *Psalm. 2. Esai. 53. Infrà 06.* Qualis Deo tribuenda generatio sit, quiq; ab eo defectus humanæ generationis tollendi sint. *Ezech. 3. Num. 23. Boet. de cōsol. Psalm. 2. Mich. 5. Ioan. 1.* — Natura diuina cur impartibilis.]

Idem lib. de Spir. sanct. c. 18. eod. tom.

libro de Spiritu sancto: *Via est Dei cognitionem est ab vno Spiritu, per vnum Filium ad vnum Patrem. Ac rursus natiua bonitas, & naturalis sanctimonia, & regalis dignitas à Patre per vnigenitum ad Spiritum sanctum permanet.* Idem epistola ad Gregorium Nyssenum: *Qui Patrem intellexit, & ipsum in se ipso intellexit, & Filium simul ea intelligentia complexus est. Qui verò hunc loquitur, Spiritum à Filio non diuisit, sed iuxta ordinem quidem personarum consequenter, iuxta verò naturam coniunctam, trium personarum fidem eadem ratione contemperatam in se ipso expreßit. Et qui de Spiritu solo loquitur, simul & ista confeßione eam quæ illum concernit, cuius Spiritus est, coniungit. Et quoniam is Christi Spiritus, & teste Paulo, ex Deo est: fit, vt quemadmodum in catena qui vnius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul & alterum insertum attrahit: ita & hic qui Spiritum trahit, vt Propheta inquit, per ipsum & Filium, & Patrem vnà simul attraxerit. Et si quis verè Filium apprehendit, habebit & ipsum vtrinque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum vnà compactum. Neq; enim à Patre abscindi poterit, qui semper est in Patre, neque à proprio Spiritu seiungetur vnquam, qui in ipso operatur omnia. Consimiliter & qui Patrem assecutus fuerit, & Filium vnà cum illo, & Spiritum sanctum eadem virtute assecutus est. Non enim potest aliqua vllo pacto excogitari vel sectio, vel diuisio, vt siue Filius absque Patre cogitari, siue Filius à Filio seiungi queat, sed ineffabilis quædam in istis, & quæ nulla cogitatione apprehendi poterit, tam communio, quàm discretio deprehenditur. qua neq; per differentiam τῶν ὑποςάσεων continuatio naturæ dißipatur, neque per eam, quæ secundùm ὀυσίαν est communionem, proprietas notionum confunditur.* Hæc ille, validè ostendens, Spiritum sanctum à Filio procedere.

Idem epist. 4. ante medium tom. vlt.

1. Cor. 2. Exemplum de Spiritu sancto petele gans Magni Basilij. Psalm. 118.

Greg. Naz. propè initium

Gregorius Nazianzenus libro 5. Theologiæ propè initium, soluens argumentum eorum, qui dicebant: Si Spiritus ingenitus est, erunt duo sine principio: si genitus est à solo Patre, erunt duo Filij: si à Filio, erit nepos Dei: quod vltimum negans sequi, ait: *Etenim non, si sublimiori quadam ratione ipse Filius rectè dicitur Filius (cùm interim quod ex Deo exiſtit, & eiusdem cum Deo est essentiæ, aliter atq; sic explicare nequeamus, continuò necessarium putandum est, crassas has, & nostræ propinquitatis appellationes* (id est, nepos, vel Filius Verbi) *in diuinam naturam transferre. Alioqui cùm dicatur & Deus, & Pater, quid non eadem ratione, & masculum nobis facis Deum, & si appellationem sequi vis, deitatem fœmininam? Tum πνεῦμα (sic enim Græci vocant) neutrum, vt quid sterile sit, & ex se nihil pariat.* Infrà: *Adam quid tandem erat? Figmentum Dei. Tum quid Eua? Sectum quiddam ex figmento. Quid autem Seth? Vtriusque proles. Non ergo idem tibi videtur, figmentum, sectum, & genitum? Quid ni? Sed ὁμόουσια hæc? Aut dic, quid aliud? Quid ni? Confessum itaque est nobis, etiam ea quæ diuersè subsistant, eiusdem essentiæ reperiri. Dico autem hæc non hoc agens, vt fictionem, sectionemque aut quippiam eorum, quæ corporis sunt, tribuam deitati (ne aditus per hoc rursus ad me pateat contentiosis) sed vt hic velut in scena, ipsa intellectilia vt cumque considerem. Neque enim vlla imago tam est perfecta, quæ per omnia veram illam, & primam Dei formam refert, & non aliqua sui parte deficiat. Et quid hæc, inquiunt, ad rem? Neque enim vnius, & eiusdem, hoc quidem est genitum, illud verò aliud aliquid. Ergo quid Eua, & Seth, an non eiusdem, nempè ipsius Adam? Aut cuius alius? An ambo sunt genita? Minimè. Quid ergo? Hoc quidem est sectum, illud verò genitum: atqui hæc inter sunt eadem? Homo enim est vterque.* Hactenùs doctissimus ille Pater. Ex quibus habes, quòd genitum, & non genitum, possunt esse eiusdem naturæ: vt Eua, & Seth. Secundò habes, quòd ex vno possunt procedere duo, quorum vnum est genitum, alterum verò minimè; sicut ab Adam genitus est Seth, qui typus est Filij Dei, & Eua non genita, quæ est typus Spiritus sancti. Potest tertiò sumi exemplum Filij ab vno procedentis in Eua, & Spiritus sancti ab vtroque procedentis, in Seth.

Seth Adæ filius, Dei Filium repræsentat, sicut Eua ingenita Spiritum sanctum.

Didymus in lib. de Spiritu sancto: *Neque enim vnum ex omnibus, sed aliud extra omnia per substantiam ex vtroque* (scilicet Patre, & Filio) *demonstratus est Spiritus sanctus.* Et infrà: *Ex his colligitur, quàm indiuisa sit substantia Trinitatis, & Patrem verè Filij esse Patrem, & Filium verè Patris Filium, & Spiritum sanctum verè esse Patris, & Dei Spiritum, & insuper sapientiæ, & veritatis, id est, Filij Dei.* Infrà: *Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo, & Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre, & me est, hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à Patre, & me illi est: Ego veritatem loquor, id est, inspiro quæ loquitur. Siquidem Spiritus veritatis est.* Et infrà: *Loqui ergo Patrem, & audire Filium, vel è contrario, Filio loquente, audire Patrem, eiusdem naturæ in Patre, & Filio, consensusq; significatio est. Spiritus quoque sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritusq; sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit, cùm hoc ipsum sit, quod profertur à Filio, id est, procedens à veritate, consolator manans de consolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens.* Infrà: *Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur,*

Didym. lib. 1. de Spir. sanct. post med tomo 9. operũ. D. Hier. Idem lib. 2. de Spiritu sancto, in princ.

Ioan. 16.

Ioan. 8.

Ioan. 16.

quibus

quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur à Patre, neque alia est substantia Spiritus sancti, præter id quod datur ei à Filio. Et subiungit: *Deinde interpretationem inferens, quomodo dixisset, De meo accipiet, protinus subiecit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, De meo accipiet, & annuntiabit vobis, quodammodò loquens: licèt à Patre procedat Spiritus veritatis, & det illis Deus Spiritum sanctum petentibus se, tamen quia omnia quæ habet Pater, mea sunt, & ipse Spiritus Patris meus est, & de meo accipiet.*

Cyril. lib. 13. Thes. c. 1. to. 2. Rom. 8.

Cyrillus in libris Thesaurorum, ponderans illud Pauli: *Spiritus Dei habitat in vobis.* Et, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic nõ est eius,* ait: *Disce rursum à Paulo rectas de Spiritu sancto sententias: hic enim habes ex Saluatoris substantia Spiritum sanctum esse, nec alienum ab vnius deitatis essentia. Nam quum Spiritum Dei vocauerit, statim & Spiritum Christi appellauit, vt ostenderet, omnia quæ Patris sunt, in Filium suum dum ex eo nascitur, naturaliter pertransire.* Infrà: *Ipse,* inquit, *Spiritus contestatur Spiritui nostro, quia sumus Filij Dei: nam quia ex substantia Filij est, ideo Christus largitur ipsum sanctis hominibus.* Et infrà ponderat, Spiritum sanctum dici digitum Dei; vt non alienus à natura, & substantia Filij ostendatur: Et multa ex illo loco in hunc sensum adduci possent. Idem libro vnico de Spiritu sancto: *Igitur non est alius à Deo & Patre secundùm naturam, neque etiam alius est à Filio Spiritus sanctus, sed ex Patre per Filium transit ad creaturam, quia & super creaturam est.* Damascenus etsi interdum neget processionem Spiritus sancti à Filio, eam tamen vi veritatis, & traditionis coactus est aliquando confiteri. Nam libro de orthodoxa fide ait: *Quapropter quæcunq; habet Pater, Filij sunt, præter innascendi proprietatem: quæ non significat substantiæ differentiam, neque dignitatis, sed substantiæ modum. Sicut Adam ingenitus est, plasma enim Dei est, & Seth genitus, nam filius Adam; & Eua ex costa Adam procedens, non enim ipsa genita est, neque ipsa natura differunt inuicem, homines enim sunt, sed substantiæ modo.* Idem infrà occultè asserit, Spiritum à Filio procedere, quia dicit Filium habere omnia præter innascendi proprietatem; & quia asserit Spiritum distribui, & participari per Filium: quod non fieret, si non etiam secundùm subsistentiam Spiritus à Filio procederet; & quia dicit Spiritum imaginem Filij, cùm imago ab exemplari deriuetur. Et in libro Barlaam & Iosaphat, si tamen is liber ei sit adscribendus, paullò antè medium, inquit: *Vnum scias, Spiritum sanctum ex Patre, Filioq; procedentem, Deum perfectum, & viuificantem, & sanctificationis largitorem, suæ voluntatis, suæq; potestatis substantiuum.* Et infrà: *Commune autem est & Filio, & Spiritui sancto, de Patre esse. Proprium est autem Patris, ingenitum esse: Filij verò, natiuitas: Spiritus verò sancti, processio.*

Ibidem. *Luc. 11.* *Idem lib. de Spir. sancto post medium tom. eod.* *Damasc. lib. 1 de orthod. fide, c. 9.* *Ca. 10. & 18.* *Idem.*

Concilium Ephesinum, vt habetur distinctione 5. cap. de Spiritu: *Attamen alienus* (scilicet Spiritus sanctus) *non est ab illo. Nam Spiritus appellatus est veritatis: & veritas Christus est. Vnde etiam ab isto similiter, sicut ex Deo Patre, procedit.* Quinta Synodus sub Vigilio refert epistolam Iustiniani Episcopi Siciliæ ad Petrum Antiochenum, vbi habetur: *Macedonius autem spirat à Patre solo Spiritum sanctum.* Septima Synodus refert Tharasij Episcopi Constantinopolitani epistola ad Patriarchas: *Credo in Spiritum sanctum Dominum viuificantem, qui ex Patre per Filium processit.* Et rursus: *Qui ex Patre, Filioq; procedit.* Quòd ergo Hilarius lib. de Trinit. dubitat, an ex Filio Spiritus procedat Paraclitus; & Rusticus libro in Acephalos negat Spiritum procedere à Filio, sicut à Patre, & Damascenus lib. de Orthodox. fide, vbi ait: *Spiritum verò sanctum, & ex Patre, & Spiritum Patris nominamus: ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed Spiritum Filij nominamus:* Respondemus, eam rem illo seculo non satis fuisse exploratam, atque definitam; vel illos in hoc errasse; vel Spiritum non ex Filio procedere dixerunt, quia non ex Filio tanquã ex primo fonte, vel tanquam ex principio à Patre distincto. Quanquam Damascenus post damnatum hunc errorem contra Nestorium fuerit: quoniam Cyrillus in libro contra sacrilegam Nestorij expositionem induxit loquentem de Spiritu sancto: *Sed nec Spiritum æstimantes, neque per Filium sumpsisse substantiam.* Hæc Cyrillus. Et Theophylactus posterior sequens dogma Photij in ca. 3. Ioan. conatur dissoluere locos Scripturæ, ex quibus Latini colligebant, Spiritum sanctum nõ minus à Filio, quàm à Patre procedere. Sed certè inefficaciter id facit. Perpende nõnullos ex Patribus, vt Tertullianũ, Basilium, & alios ita loqui, vt asserant Spiritũ ex Patre per Filium procedere. Sed hoc veritati dictæ nõ obstat: quia vt testis est Basilius lib. ad Amphiloch. de Spiritu sancto, eandẽ vim habent illæ præpositiones Græcè, διὰ ἐκ, & παρὰ, cùm de diuinis Personis vsurpãtur. Nostri verò Patres, vt Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus vsitatius dicunt ex, vel à Patre, & Filio procedere, ne duarũ spirationũ vel productionum vlla detur suspicio: quæ sanè absurda dicta esse facilè cognoscet, qui aduerterit, quod vt actus patris, & matris duas non efficiunt generationes, nec officia duorum

Conc. Eph. in epistola ad Nestor. *Ioan. 16.* *Suprà 14.* *V. Synod. Iust. Epist.* *VII. Synod. Tharasius Episcop.* *Idem.* *B. Hil. lib. 8. de Trinit.* *Rusticus.* *B. Damasc. lib. 1. de Fide orthod. c. 2.* Quid de ijs sentiendum, qui à Patre solo, non autem à Filio dicunt procedere Spiritũ sanctum. *B. Cyrillus tom. vlt.* *Theophyl.* *Tertullian.* *Basilius.* *Idem.* Præpositiones Græcè, διὰ ἐκ, & παρὰ, cùm de diuinis personis vsurpantur, eandẽ vim habent, teste Basilio. *Ambrosius.* *Hieronymus.* *Augustinus.*

fabro-

Eorum qui vsitatius dicunt Spiritũ sanctum ex Patre,& Filio procedere, quã à Patre per Filiũ,duarum spirationum vlla ne detur suspicio, dictum improbatur. In diuinis, vt tres creatores,ita duos spiratores dicere,Catholica religione prohibemur.

fabrorum eandem nauim construentium duas fabricationes: sic etiam nec Patris & Filij duæ sunt spirationes,dum producunt Spiritum sanctum. Cęterum propter actionis vnitatem duo quoq; spirationum principia, vel duos spiratores negamus. Nam etsi in humanis agẽtibus pater & mater sint duo genitores, & fabri illi, quia nauim fabricant, sint duo opifices: tamen duo Spiratores in diuinis non magis cõceduntur, quàm tres creatores, ne detur suspicio cogitandi diuersam esse vnius ab altero actionem: quę actionis diuersitas facilè notatur in eadem naui: nam aliud in eadem naui operatur vnus opificum, aliud alter. In humana quoq; propagatione aliud pręstat pater,aliud mater:ille semen genitale, vt causam efficientem; hæc vasa generationis, & materiam sanguinis, & alia quæ ad causam materialem spectant. Nec tamen negandũ, Patrem & Filium habendum pro duobus spirantibus: sicut non inficiamur eosdem cum Spiritu sancto tres esse creantes: quia adiectiua,inter quę participia numeramus potius personas ipsas, quàm vel formam, vel formæ qualitatem delineant. Hinc Carolus Magnus lib.3. c.3. in septimam Synodum scribit: *Alteram vim habet,ex,præpositio, & alteram,per: & ideo quæri potest, vtrùm rectè dici queat Spiritus sanctus ex Patre per Filium procedere, ne, dum incautè hæc præpositio,per,in tanti mysterij professione ponitur, Arriani erroris virosum cuiq; poculum ministret, qui Spiritum sanctum creaturam esse: & per Filium, sicut & cætera, quæ creata sunt creatum esse blasphemet. Per Filium verò eum à Patre procedere, Synodicæ confessioni inusitatum est,quoniam Spiritus sanctus, vt à Patre procedat, non eget alterius auxilio vt per alterum procedat, cùm vtique sit tertia in eadem sancta Trinitate persona.* Sic ille. Et hactenus de hoc articulo dictum sit. Volui autem consultò tot Patrum sentẽtias producere, vt ex eis liceret colligere constantem Patrum de Spiritu sancto fidem; & quasi ex amenissimo prato liceret decerpere varias diuinarum Scripturarum interpretationes,quasi gratos, & odoratos flosculos, quibus natura illa Diuinitatis nobis per se inaccessa,& incomprehensa, quodãmodò degustetur,ac delibetur,vt per hunc gustum digni efficiamur peruenire ad æternam eius fruitionem & possessionem in vita æterna, in qua perennes laudes decantemus Patri, & Filio, & Spiritui sancto in seculis sempiternis,

Amen.

Caroli Magni catholica de Spiritu sancto doctrina.

Spiritum sanctum à Patre per Filiũ procedere, quid sonet secundùm Arrianos.

TRACTATVS LXV.

In quo de beatæ, ac sanctæ Trinitatis mysterio latè, ac fructuosè disseritur.

QVANQVAM libro secundo, in quo explicatum est primum illud caput Ioannis Euangelistæ, multa de generationis Diuinæ mysterio, Triumq; diuinarum Personarum Sacramento disputata nobis sint: poscit tamen suo iure hic locus,in quo apertè trium Personarum nomina,earumque distinctio continetur (dicitur enim: *Cùm venerit Paracletus: quem ego mittam vobis à Patre.* & paullò antè dixerat: *Paracletus autem Spiritus sanctus,quem mittet Pater in nomine meo, &c.*) vt aliquid rursus, & alia ratione, quàm in alijs libris fecimus, tractationem de sacrosancta Trinitate instituamus. Ac de hac re quidem vtiliter & cum fructu contingit sermonem habere, & inutiliter. Cùm fructu quidem, quando loquimur, vt confirmemus fidem credentium, & consolemur eos, quibus primùm traditur sanctæ Crucis signum cum inuocatione Trinitatis,docemusq; eos cauere ab hæresibus à dæmone omnium zizaniorum, & errorum satore disseminatis; soluimusq; scrupulos, & quæstiones, quatenus rei natura patitur explicari. Inutiliter verò hæc tractatio suscipitur, quando hæretica admiscentur, & falsa scienter, vel imprudenter; vel quando Catholica traduntur quidem, sed ineptè, & obscurè, ita vt auditor proficiat in peius; vel quando propositas quæstiones in persuasionẽ auditorum non resoluimus, sed puteum,aut foueam apertam relinquimus, in quam bestiæ, id est simplices incidant: quod fodienti imputandum esse, in Exodo docet Dominus. Et aliter quidem tractandus est Catholicus, aliter Iudęus,& aliter Philosophus. Nam Catholicus, maximè catechumenus veniens ad baptismum, simpliciter instruendus est, & signum crucis illis instillandum, quod habet: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* instruendusque de primis Symboli verbis: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Filium eius Iesum Christum, & in Spiritum sanctũ.* Quòd si quærat, quomodo vnum & tria? Respondendum est illi, primùm apud nos fide hæc mysteria suscipi: deinde quæ creduntur, postea intelligi, secundùm illud: Nisi credideritis, non intelligetis; & præposterum esse currum statuere antè boues. Ingredere primùm lucis domum,id est Ecclesiam,per fidem,& Sacramentum: postea videbis, quod de illo mysterio hic videri potest,& comparabis tibi meritum, quo in vita

Ioan. 15.
Suprà 14.

De sanctissima Trinitate tractatio quatenus vtilis, & quatenus inutilis sit existimanda.

Matth. 13.

Exod. 21.

Qua ratione Catholicus hoc mysterio docendus sit.

Matt. vlt.

Quærenti Catholico, Quomodo vnum & tria? quid respondendum.
Esai. 7. iuxta LXX

Ecclesia domus lucis, & quomodo in eam pateat ingressus.

Ioan. 17. Dei visio tota merces.

vita æterna hoc mysterium summa cum iocunditate intueri possis: quæ visio tota merces est; nam hoc est vita æterna, vt cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Quod si rursus obijciat, rationem huius mysterij se non posse comprehendere; Respondebo, verissimum esse, & propterea magis esse credendum: quia non potest esse gloriosior ignoratio, aut sapientior inscitia, aut doctior imperitia. Nam si caperetur ratione, non esset diuinum, hoc est inaccessum, incomprehensum, & supra hominum facultatem, & captum positum, sicut reuera est. Quicquid enim tu de Deo intellectu tuo potes capere, Deus non est, aut infinitum: proinde quo minus apprehenditur, eò magis esse diuinū agnoscitur. Deinde maius gratiæ diuinæ munus est, si quod ratione non capitur, tātùm fide apprehendatur. Melius autem est solido fundamento niti, quàm debili: at quod ratione capitur, nobis ipsis, & nostro intellectui nititur: *Quia cogitationes* (ait Sapiens) *mortalium timidæ, & incertæ prouidētiæ nostræ.* & alio loco: *Dominus scit cogitationes hominū, quoniam vanæ sunt.* At qui syncerae fidei nititur, ipsi Deo profectò dicenti, quasi solidissimæ basi innititur, & vt Apostolus ait: *Fides nostra non erit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Adhæc Deum nemo vidit vnquam: vnde sciri non potest, nisi quod ipse tantùm de se docet, & quis, & qualis, ac quātus sit, detegat. Quòd si quis paruo candelę lumine, Solis splendorem velit ostendere, sublata eius luce, ridiculū se profectò redderet: nā parum, aut nihil de Sole paruum illud lumen ostenderet, cùm Sol ipse per se, & suos radios satis se prodat. Et tamen minus potest humana ratio Deum per se ipsam attingere, quam valeat dictum lumē immensum hunc Solem ostendere.

Idem mysterium cur nequeat comprehendi.

Si à nobis capi posset, quid inde.

Fidei nobis, vt solido fundamēto, non rationi nitendum.

Sapient. 9.

Psalm. 93.

1. Cor. 2.

Ioan. 1. & 1. Tim. 6. Tantum scimus de Deo, quantum vult ipse. Simile.

Christianis neophytis inculcandū.

Præterea Catechumenis, & his qui in fide initiantur, hoc præsertim est inculcandum; vt agnoscant quis sit ille, qui tantum hoc mysteriū nobis reuelauit, nempè Dei Filius, nuntius Patris, vita sancta, atq; irreprehensa, admirabiliq; sapientia præditus, signorum verò, & prodigiorum patratione cumulatissimus: Illi ergo credendum quicquid dixerit, etiamsi nos minimè capiamus, cùm dignus sit, cui fidem omnifariam habeamus, si hominibus mendacibus credere consueuimus: si discipuli Pythagoræ silentium per quinquennium obseruabāt, & illi etiā sine ratione loquenti credebant, & instar solidæ, ac firmissimæ rationis erat: Ipse dixit. Hinc Hilarius lib. de Trinitate: *Soli Deo de se credendū est, qui se solus nouit.* Adhæc vt submissè de se quisq; sentiat, non debet

Pythagoras quinquennale a suis discipulis silentiū exigebat.

B. Hilar.

ignorare, ea quæ certissima sunt in natura à nobis minimè, aut vix capi posse. Hinc Philosophus asseruit: *Vt oculus noctuæ se habet ad Solē, ita intellectus noster ad manifestissima naturæ:* Quomodo ergo ad diuina illa assurgemus, quæ tanto interuallo à naturę operibus distant? In Ecclesiaste dicitur: *Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone.* Et alio loco: *Difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus in labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit?* Et paulò ante dixerat: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hæc tradenda putarem catechumenis, & ei qui se instituendum, & docendum in Fide exhibet, ne videlicet altiora se quærat, & fortiora se scrutetur.

Arist. l. 2. Metaph.

Eccles. 1.

Sap. 9.

Ibidem. Corporis corruptio animo obest. Eccles. 3. Quid Catholico tradendum de mysterio Trinitatis.

At Catholicis iam magis prouectis possunt maiora tradi, quia semper debent esse parati ad satisfactionem omni poscenti de ea quæ in nobis est Spe, & Fide: non tamen vt quisquā putet sibi fidem rationibus demonstrandam. Nam cōtra rationem est, ea quę suprà rationem sunt posita, rationibus velle persuadere. Vnde cùm Augustinus libros de sancta Trinitate conscriberet, & circa mare deambulans puerum offendisset paruo cyatho aquam maris haurientem, & interrogasset eum, cuius rei gratia id ageret, illeq; respondisset se velle metiri aquas maris, continuò sanctus Dei obiecit: *Qua ratione poteris immensum mare tam paruo cyatho metiri?* Respōdit puer: *Maius est opus quod tu moliris, dum mysterium Trinitatis intellectu tuo capere te posse ducis.*

1. Petr. 3.

Aug. tom. 4. Quid responsum Augustino volumen eo de tanto mysterio molienti.

Hæreticus verò, tùm Veteris, tùm Noui Testamenti testimonijs, vt à sanctis Patrib. sunt exposita, reuincendus est, & Ecclesiæ autoritate premendus, quam si nō audiat, habendus est sicut Ethnicus & Publicanus. Iudæus verò garriens, & vnitatem Dei obiectans, etsi Scripturis Veteris Testamenti possit aliquo modo ad Fidem adduci; non tamen, vt apertè, & planè tantū mysterium demonstretur. Et cùm Nouum Testamentum non recipiat, comprobandus est illi aduentus Messiæ: qui euidenter potest per Scripturas veteres, & gesta à Domino Iesu confirmari. Illo autem aduentu Messiæ posito, respondendum est, Messiam illum Dei Filium ac nuntium in hoc mysterium nobis credendum tradidisse apertissimè. Porrò Philosophus fidei reluctans, & ratiunculis, & syllogismis seipsum ad videndam implicans veritatem, veritatiq; Catholicæ contradicens, non est Scripturis, quas nōdum recipit, reuincendus, neq; rationibus est illi Trinitas demonstranda. Sed cùm Fi-

Quomodo persuadendū sit mysteriū sanctissimæ Trinitatis hæretico.

Vt sit agendum cum Iudæo sanctissimæ Trinitatis fidem neganti.

Quemadmodum Philosopho sanctæ Trinitatis Sacramentum sit insinuandum.

des suprà rationem sit posita, non autem contra rationem militet, vt definitum est in Concilio Lateranẽsi, & verum vero aduersari nequeat: cẽsendum est omnes eius rationes nihil concludere, sed deficere potiùs, & ideo solubiles sunt, & soluendæ: quemadmodum Patribus lumen ad omnia eiusmodi argumenta refellẽda non defuit. Quòd si interdum à quibusdam eiusmodi solutiones ignorarẽtur, sicut interdum ignorantur: non propterea periclitaretur Fides, cùm fides Catholica in vno, aut altero non subsistat, sed in tota Ecclesia.

Concil. Lateranens. II.

His præmissis, præsentem Trinitatis tractationem, tribus tantùm Fidei assertionibus expediemus. Quarum prima sit: In Deo vnica est tantùm diuinitatis natura, atque substãtia. Secunda assertio: In Deo est multitudo, non quidem rerum, sed personarũ: non substantiæ diuinitatis, sed proprietatum, & relationum. Tertia: Hanc pluralitatem seu multitudinem personarum, & proprietatum ad ternarium numerũ pertingere, eumq; minimè excedere. Prima assertio manifesta est etiam in lumine Naturæ, & apud sapientes communi consensu recepta, & potest multis Scripturarum testimonijs, & rationibus confirmari. Ait enim Dominus: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est.* & Moses: *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Et Paulus: *Et si sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra* (si quidem sunt dij multi, & domini multi) *nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo.* Et alio loco: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & Pater omnium.* Et frater Domini: *Tu credis quoniam vnus est Deus. Benè facis.* Symbolum quoq; Athanasij egregiè tradit: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Et tamen non tres dij, sed vnus est Deus.* Aristoteles octo libris Physicorum vnum euincit primum motorẽ; & librum 12. Metaphysices ita concludit: *Entia nolunt male disponi: non est bona multitudo principum, vnus ergo princeps.* Vnde mundi sapientes, vt Socrates, Plato, Cicero, atq; alij, etiãsi deorum multitudinem falsam esse non ignorarent, interdumq; tectè conuellerent, vnicum tamen Deum verum, ac mundi principem, & rectorem certò statuebant. Est igitur Deus vnus, vt quæuis creatura vna est: & solus, vt Sol, quia non sunt plures Soles: nec tantùm est vnus, sed magis est vnus, quàm quæuis creatura: quia in creaturis semper est aliquod accidens distinctũ à substãtia; in Deo autem sola est substantia, accidentia nulla. Ad hæc in creaturis est cõpositio in quibusdam ex materia, & forma; in alijs verò omnibus ex substantia, & accidenti, ex genere, & differentia, ex perfectionibus, & eo quod perficitur. Nam potentia, sapientia, bonitas, non sunt vnum, quia est interdum potentia sine sapientia, vel bonitate in aliqua creatura; & in alia est sapientia sine bonitate; & in alia bonitas sine sapientia: in Deo autem hæc omnia vnũ sunt, alioqui potentia non saperet, nec bona per se esset; & sapientia careret fortitudine, & bonitate: bonitasq; esset infirma, ac insipiens. Probatur ergo vnitas Dei rationibus: quarum prima depromitur ex parte Dei, secunda ex mundo, tertia verò ex nobis. Talis est prima ratio. Cùm Deus sit illud, quo maius, aut melius cogitari nõ potest, & melius sit vt Deus habeat bonitatem singularem, cui alia inueniri possit in nullo par, & æqualis, quàm quod parem habeat: quemadmodum Sol, & Phœnix, quæ duo in genere suo singulares existũt: ergo Deus singularem habet excellentiam, ac bonitatem; præsertim cùm vnitas perfectio sit, quam omnes creaturæ appetunt, atq; tuentur, ergo illa est in Deo: qui cùm sit infinitus, omnia implet, & cum recta ratione pugnat, plura esse infinita. Quamobrem si alius esset Deus, esset permixtus cũ isto, atq; confusus, & in hoc existeret, vel vt pars in toto, vel vt vna pars in alia; & tunc deficeret perfectio alterius, ac proinde non esset Deus. Vel vt alio modo idem explicem, Si dij essent plures: aut pares, aut virtute, & perfectione minimè pares existerent. Si pares, tunc nullus esset Deus; cùm Deus optimus Maximus sit, & parem non habeat. Si impares, tunc vnus esset maior, alius minor: & minor nõ esset Deus; quia Deus est, quo maior, aut melior esse non potest. Secunda ratio: Totus mundus vnus est: vnum ergo rectorẽ exigit, & gubernatorẽ: quęuis etiam pars eius vna est: vt, vnus Sol, vna Luna, vnus Planeta. In vnitate, ignis, aër, aqua, & terra consistunt. Vna anima in corpore, vnum corpus, vnus intellectus in anima, vna memoria, vna voluntas, vna longitudo, latitudo, & profunditas in corpore; vnus Rex in Regno, vnus Imperator in exercitu, vnus in naui nauarcha, Rex vnus in gruibus, & in apibus. ita ergo in vniuerso mundo, qui maiore indiget vinculo, & maiori vnitate, vnus erit Deus. Tertia ratio: Melius se habet animus noster, atque adeo cor nostrũ, quando est vnitum; quàm cùm est diuisum, & in varia distractum: melius autem vnitur, quando totum ad singula conuertitur, & singulis coniungitur: nam tunc totum cor intelligit, amat, & colit totis viribus, quàm si esset dispertitum in plures deos: quod facit, cùm ipsos, deos,

Assertiones fidei sanctissimæ Trinitatis.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Vnitas Dei copiosè ostẽditur, atque demõstratur.
Ab Scripturis
Deut. 6.
Infrà 32.
1. Cor. 8.
Ephes. 4.
Iacob 2.
Symbol. Athanasij.
Aristotelis de Dei vnitate sententia.
Vnitas Dei, & creaturarũ in quo differat.
Rationibus idem euincitur.
Deus quid.
Vnitatem appetunt omnes creaturæ.
Ieremi. 23.
II. Ratio.
Partium vniuersi vnitas.
III. Ratio.

qui in rerum natura non sunt, sibi fingit, creata plusquàm Deum diligendo, atque de illis cogitando. Hoc enim cuique est Deus, vt testatur Hieronymus, quod præcipuè cupit, & veneratur. Proinde magnã vtilitatẽ nobis adfert Dei vnitas, magnum exitium adferret multitudo; quia, vt Dominus dixit, nemo potest duobus dominis seruire: nisi ad seipsos ordinem mutuum habeant, vel vnum, & idem essent re ipsa, vt sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

Hieronym. in Psalm. 79. in fin. tom. 8.
Hoc cuiq; est Deus quod præcipuè colit, & veneratur.
Matt. 6.

Quòd sit in Deo distinctio personarum ostenditur.

Secunda assertio est. In hoc vno solo Deo inuenitur multitudo, siue pluralitas, non quidem substantiæ, sed proprietatum, hypostaseon, vel relationum, vel personarum: ita vt inter personas non sit tantùm distinctio nominum, aut rationum, vt Iudæus. Sabelliusque hæreticus asseruerunt: nec realis, quasi diuersarum rerum, & essentia discretarum, vt Pagani, & Arriani docuerunt, sed est realis distinctio proprietatum, siue hypostaseon, adeò, vt vna nõ sit alia, licèt sit idem quod alia, id est, sit distincta hypostasi, non essentia. Quæ quò maiori luce perfundantur, illud vt explorata, & certa fide compertum præmittendum, aliter scilicet in mysterio Trinitatis, atq; in illo Incarnationis sentiendum esse atque loquendum. Nam in priori dicimus alium atque alium, non aliud, & aliud, cùm vna sit natura, & substantia, plures verò hypostases, seu personæ. At in incarnati Verbi mysterio opposito modo loquimur: nã in illo non inuenitur alius, & alius, rectè autem dicimus aliud & aliud, quia plures & diuersæ sunt naturæ. Est enim in ea, natura humana, & diuina, siue natura corporis, & rationalis animæ natura, & item natura diuini Verbi: nõ est tamen alia persona Verbi, alia hominis, sed vna tantùm Verbi, & humanitatis hypostasis, quæ & naturam diuinam, & humanam subsistere facit. Porro hæc doctrina ex ipsis mysterijs apprehenditur, vt sine illa consistere in seipsis, aut rectè à nobis concipi non valeant. Prætereà ad ita credendum in Trinitatis Sacramento, cogit personarum confusor Sabellius, & Arrius essentiæ diuisor: ad ita verò sentiendum in altero, compellit Nestorius personarum discretor, & Eutyches naturarum confusor. ¶Potest etiam veterum Patrum testimonijs hęc doctrina corroborari. Et prior quidem prodeat Athanasius, quia in illo suo Symbolo, quo omnes sui temporis grassantes hęreses confutauit, ita Catholicè definiuit, de priori quidem mysterio dicens, Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas: asserens vnam esse substantiam, ac proinde non aliud & aliud; & aliam esse personam Patris, aliam Filij, & aliam Spiritus sancti: ergo alius, & alius. Inferiùs verò cùm verba facit de Verbi œconomia, contrarium sentire, & loqui docet: Perfectus, inquit, Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Qui licèt Deus sit, & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus. Ecce vnitatem personæ, quam magis declarando, subdit; Vnus omninò, non cõfusione substantiæ, sed vnitate personæ. Quis non videat in his verbis plures naturas esse in Christo, & vnam personam? Ad hæc Gregorius Nazianzenus ab insigni, & pręclara Theologiæ notitia cognomentũ Theologi sortitus, in epist. 1. ad Clidonium de fide: *Atq;, vt paucis, inquit, rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Seruator, constat (nisi verò id quod cerni non potest, idem est cum eo, quod in oculorum aspectum cadit: & quod temporis expers est, cum eo quod tempori subest) non tamen alius atq; alius subsit, ambo enim hac copulatione vnum sunt, Deo nimirùm humanitatem, atque homine diuinitatem suscipiente, aut quocunque tandem alio verbo quispiam eam rem exprimendam duxerit. Porrò aliud atq; aliud dico, contra quam in Trinitate res habet. Illic enim alius atq; alius, ne personas confundamus: non autem aliud atq; aliud, quoniam tria quoad diuinitatem, vnum idemque sunt.* Sic ille. Cuius posteriorem partem confirmat Bernardus epist. 140. ad Innocentium Papam his verbis: *Ille verò dignè pro sua possibilitate diuinam æstimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat dispar, vbi est totum summum: nil distans, vbi totum est vnum: nil hians, vbi totum est integrum: nil deniq; imperfectum, vel egens, vbi totum est totum. Totum nempè est Pater, quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod & ipse, & Pater, & Filius. Et totum vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum summumq; bonum quod sunt, inter se particulariter diuidunt, quoniam nec participialiter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum verissimè dicitur, Personarum sanè designatio est, non vnitatis diuisio. Licèt namq; in hac ineffabili Deitatis essentia, alter & alter, id quidem requirentibus propietatibus personarum, sobriè, Catholiceq; dicatur; non tamen ibi est alterum & alterum: sed simplex vnum: vt nec præiudicium faciat vnitati Trinitatis confessio, nec proprietatum sit exclusio, vera assertio vnitatis.*

De mysterio sanctæ Trinitatis, & Incarnationis q d & sentiendũ, & loquẽdum sit.

Patrum traditione confirmatur eadem veritas.
Athanasius.

Gregor. Nazianz. Vnde Theologi cognomentum inuenit.

S. Bernar.

Dignè quis pro sua facultate diuinam ęstimet magnificētiam, teste Bernardo.

Hæc sanè eleganter, & doctè Bernardus. Sic enim in humanis loquimur, genere enim masculino exprimimus personas, vt, Quis adest? Quis loquitur?& respōdemus Petrus adest, Paulus loquitur: neutro autem genere essentiam, siue naturam significamus. Quærimus enim, Quid est homo? & respondemus. Animal rationale. Quid Angelus? Natura quædam spiritualis intellectu prædita. Quis est Angelus? Michael, vel Gabriel. Accedit etiam Hilarius lib.2. de Trinitate: *Est Filius ab eo qui Pater est, vnigenitus ab ingenito, progenies à parente, viuus à viuo. Vt Pater habet vitam in semetipso, ita & Filio data est vita in semetipso. Perfectus à perfecto, quia totus a toto, non diuisio, aut scissio, quia alter in altero, & plenitudo diuinitatis in Filio est. Incomprehensibilis ab incomprehensibili, nouit enim nemo nisi inuicem. Inuisibilis ab inuisibili, quia imago Dei inuisibilis est; & quia qui videt Filium, videt & Patrem. Alius ab alio, quia Pater, & Filius. Non naturæ diuinitatis alia & alia, quia ambo vnum, Deus à Deo. Ab vno ingenito Deo, vnus vnigenitus Deus. Non dij duo, sed vnus ab vno. Non ingeniti duo, quia natus est ab innato. Alter ab altero nihil differens, quia vita viuentis in viuo est.* Hactenus Hilarius, doctrinam dictam de Triuitate asserens, licèt nil agat de ratione loquendi in mysterio Incarnationis, quemadmodum etiā Theophylactus in illa verba: *Et Deus erat Verbum*, docet his verbis: *Vt exemplo manifestius faciamus, Petrus & Paulus sunt alius, & alius, sunt enim personæ duæ, sed non aliud & aliud, vna enim eorum natura est humanitas. Sic igitur de Patre, ac Filio docendum. Alius enim sunt, & alius, duæ personæ; non autem aliud & aliud: vna enim natura eorum deitas.* Sic ille, vocans vnam naturam in Petro, & Paulo specie; non numero, qualis est in Trinitate. Sed illa omninò caret exemplo, & ideo qualicunq; potuit exemplo, rem explicauit. Augustinus quoq; lib. de Ciuita. Dei, idem de persona Spiritus sancti ab alijs duabus persona siue hypostasi, non autem substantia, siue natura distincta, sentit, cuius hæc sunt verba: *Qui Spiritus Patris, & Filij, Spiritus sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris literis nuncupatur. Alius est autem quàm Pater & Filius, quia nec Pater est nec Filius: Sed alius dixi, non aliud, quia & hoc pariter simplex, pariterq; bonum est incōmutabile & coæternum.* Et de hoc hactenùs sit dictum.

Hilar. lib. 2. de Trinita. ante med. — *Ioan. 5.* — *Coloss. 1. & 2.* — *2. Cor. 4.* — *Ioan. 14.* — *Ioan. 1.* — *Theophy. in Ioan. c. 2.* — *Aug. li. 11. de Ciuitate Dei, c. 10. initio, tom. 5.*

Hoc igitur modo intellecta pluralitas confirmatur ex Scripturis, atque rationib. explicatur. Prima igitur ex Scripturis ostensio fit per nomina, siue verba, quæ plurali numero de Deo in sacris literis enunciantur: Vt, *In principio creauit Elohim*, siue dij, cœlum, & terram. Et, *Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est*: vbi Hebræ litera habet: *Quoniam dij sancti ipse*. Et, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Rursus dixit Deus: *Venite, descendamus, & confundamus, linguam eorum*. Et apertiùs in Nono Testamento: *Ego, & Pater vnum sumus*: Et, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Cùm ergo populus Iudæorum carnalis esset, & ad idololatriam propensus, manifestè dedisset ei Deus occasionem colendi idola, si in Deo plures non essent personæ. Quod indicant prædictæ sententiæ, & illa: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*, &, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: &, *benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus*. Et; *Quod nomen est eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?* Friuolum autem est dicere, quòd Elohim caret singulari numero, cùm plerunque Eloha in singulari inueniatur: vel quòd loquatur in plurali ob autoritatem sibi asserendam, vt Principes magni honoris gratia sibi defendi loqui solent: quia Deus de se in singulari solet loqui, & ad eum in singulari loquuntur Prophetæ, & dicunt illi, Tu. Nec in more est, vt quis dicat, Vos fecisti, vel Domini fecisti, sed, Domine fecistis. Et tamen Genes. oppositum docet. Nam cùm apparuit Dominus Abrahæ, dicitur quòd apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos adorans, ait: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis*. Et ille respondens: *Reuertens*, inquit, *veniam ad te tempore isto*. Et quia quantumuis loquens de se, loquatur in plurali; historicus tamen referens de illo aliquid, in singulari loqui solet, Non enim dicimus, Episcopus fecerunt, vel Imperator dixerunt; sed, fecit, vel dixit. De Deo autem ait Scriptura: *In principio creauit Dij*, Et, *Quia Dij sancti ipse*. Et ita illos locos intelligunt Patres, maximè verò Augustinus, qui libr. de Trinitate, sic ait: *Neque enim diceret veritas, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nisi Trinitas esset. Nec baptizari nos iuberes Domine Deus in eius nomine, qui non est Dominus Deus. Neque diceretur voce diuina: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, nisi Trinitas ita esses, vt vnus Dominus* D E V S *esses*. Idem docuit Theodoritus in Aporis, siue quæstionibus in Genesin: *Iudæi verò* (inquit) *ad aliam se conuerterunt insaniam. Aiunt enim,* D E V M *vniuersorum sibi ipsi dixisse, Faciamus hominem, eorum more, quibus imperia summa credita sunt. Nam & magistri equitum, & Imperatores plurali numero consueuerunt dicere, Iubemus, scribimus, & mandamus, & quæ sunt huiusmodi.*

A Scripturis esse in Deo scilicet multitudinem personarum, & ordinem.

Gen. 1. — *Iosu. 24.* — *Gen. 1.* — *Infrà 11.* — *Ioan. 10.* — *Infrà 14.* — *Psal. 2 & Act. 13* — *Psal. 109 & Matth. 22.* — *Psalm. 66.* — *Prou. 30.* — *Gen. 18.* — *Aug. lib. 15 de Trinit. c. xiij. tom. 4.* — *Matt. vlt.* — *Deut. 6.* — *Theodor. in quæst. 69. in Genesim, q. 19 pag 1*

At in-

At insani non animaduerterunt; quod plurima Deus omnium effari soleat singulari numero. Tempus enim, inquit, vniuersi hominis venit coram me. Et, Pœnitet me fecisse hominem. Item, non erunt tibi dij alij præter me. Et, Ecce ego facio noua, quæ mox oriuntur. Et, Aperiam in montibus fontes, & in herbis flumina. Et in vniuersa planè Scriptura diuina licet audire Deum omnium singulari numero loquentē. Raro autem pluraliter sermonē format, nisi cū innuit numerū personarum Trinitatis. Etenim cùm linguas confunderet, non dixit singulariter, Descendam; sed, Venite, descendentes confundamus ipsorum linguas. Sic ille. Et postea subdit, idē insinuari, cùm de homine formando ageret, quē sanctæ Trinitatis inuocatione nouerat baptizandum & reformandum, & mysterium Trinitatis illi credendum: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostrā*, obscurè identitatem substantiæ, & personarum numerum aperiens. Rursus nō vtitur plurali numero, ob multitudinem perfectionum, vt sapientiæ, iustitiæ, misericordiæ, vt Iudæus ait. Quia si hoc firmum esset, quisque hominum, qui pluribus virtutibus esset ornatus, diceretur plures homines. Igitur Deus eiusmodi sentētijs, quæ ipsi tribuuntur, tum pluralem, tum singularem numerum nominum, & verborum an indicandā vnam naturam, & plures personas insinuari voluit, & apertiùs in Nouo Testamento indicauit id ipsum.

Gen. 6. Ibidem. Deut. 32. Esai. 43. Suprà 41. Deus quando tantum loquitur in numero multitudinis. Gen. 11. Eiusmodi locutionis inepta ratio Iudæorum refellitur.

Secundò, idem probatur ex nominibus relatiuis Patris, & Filij, & Spiritus procedētis. Relationes enim oppositæ non possunt esse in Deo sine distinctione personarum: vt cùm dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &, *Ipse inuocabit me, Pater meus es tu*, &, *Ego primogenitum ponam illum*, &, *Quod nomen est eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?* item, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Vnde vel verbum ad dicentem refertur, & imago ad eum quem repræsentat: nomen etiam Spiritus relationem habet ad eum, à quo spiratur, vt flatus ab animali, vnde & procedēs vocatur, in quo adhuc magis relatio detegitur. Tertiò, idem probatur ex hoc, quòd vna persona est in alia, vel apud aliam, ait enim Dominus: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est.* Et, *Verbum erat apud Deum*; rursus: *Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Nemo autem propriè est in seipso, vel apud seipsum. Item, *Dominus possedit me*: alius enim est possidēs, & alius res possessa: rursus; *Cum eo eram cuncta componens*, nemo certè est sécum ad operandum, sed cum alio. Igitur vnam personam esse in alia, vel cùm alia, manifestè aliquid aliud indicat præter singularitatem.

II. argum. Psal. 2. Psalm. 88. Prou. 30. Esa. 9. III. argum. Ioan. 14. Suprà 1. Ibidem. Prou. 8. Ibidem.

Et sicut esse in, rectè dicitur propter vnitatem substantiæ, quæ vna numero communis est tribus; ita esse ad, manifestè indicat relationes, & per consequens plures esse personas. Quartò, idem ostenditur ex processione Dei, quæ in Scripturis inuenitur frequenter. Vnus enim non potest à seipso procedere, quia esset à seipso distinctus; quod cum recta ratione pugnat, atque absurdū est. Hinc dicitur: *Eructauit cor meum Verbum bonum: Ante omnes colles ego parturiebar: Nondum erant abyssi, & ego iā concepta erā: Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: Ab initio, & ante secula creata sum*, id est genita; &, *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*: Dauid etiam: *Ego hodie genui te*; Et Christus: *Ego ex Deo processi, & veni*, Et de Spiritu sancto dixit: *Qui a Patre procedit, & qui de meo accipiet.* Cum ergo nihil seipsum concipiat, aut pariat, neq; se gignat, aut à seipso egrediatur, vel procedat: cùm inter procedentem & processum vera sit distinctio; necessarium est, vt in diuinis multitudinem constituamus personarum. Et profectò sine processu tres essent dij distincti, & tria infinita.

IV. argum. Psalm. 44. Prou. 8. Ecclesi. 1. Ibidem. Mich. 5. Psalm. 2. Ioan. 8. Infrà 15. Infr. 16.

Generatio autem Deo tribuitur, semōtis tamen omnibus imperfectis, id est, motu, tempore, corruptione, atque substantiæ decisione. Neq; hic processus primi principij rationem personis procedētibus tollit: quia illis datur nō diuersum esse ab illo esse primo, quod est in Patre, sed est idem illud numero esse. Dices; Non satis capio. Quid mirum, si opera Dei non capis admiranda in natura? quāto igitur ipse est in seipso admirabilior? Deinde si anima nostra, quæ certis naturę finibus circūscribitur, in toto est corpore, & in qualibet parte, & membro corporis vnicuiq; pro ratione sua esse communicat; quid mirum, si diuina substantia eadem numero Fillo à Patre cōmunicetur, nec tamen illam amittat Pater? rursus eadē numero à Patre & Filio cōmunicetur Spiritui sancto, retenta tamen ab illis duobus, & possessa? Prætereà, si ego possum conceptā cogitationē tecū communē facere, sine eo quòd ego illā amittam; deinde si vterq; nostrū contētus esset, vt eadē cogitatio detegeretur amico tertio, quē diligimus; iam ibi aliquo modo cernere liceret imaginem quandā Trinitatis. Nam vnus & idem conceptus numero esset in illis tribus: nec esset alia differentia, nisi quod in me à nullo esset, in te verò à meo, & in tertio esset à nobis duobus, eo posito, quòd ille qui est in me, esset causa tui, & vterq; esset causa eius quod est in tertio; & quòd conceptus sicut est accidens, esset vera substantia.

Generatio qualis in Deo sit. Et vnde cōprobetur, humano licet ingenio minimè comprehēdatur. II. exemplū. Tertium. Exemplum Trinitatis.

ſublato calore ignis, piper, cinnamomum, vel alia ſimilia, quæ calorem participiant, calida non eſſent: non eſſet vllus creaturarum amor, niſi eſſet calidum amoris Dei, ex quo procedit Spiritus ſanctus, qui eſt cauſa amorum omnium naturalium honeſtorum. Erit ergo in Deo fœcunditas intellectus, & voluntatis. Decimò: Excellentius eſt, Deum eſſe talem, vt plus cognoſci, & amari ab homine poſſit, quàm minus, cùm ad hunc finem potiſſimum creaturam ratione præditam condiderit, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur. Sed plus poteſt per productionem infiniti, quàm per mundi molitionem cognoſci: quemadmodum homo per productionem veri hominis, quàm per fictionẽ hominis depicti magis agnoſcitur, & oleæ ſubſtãtia per productionem oleæ magis penetrabitur, quàm per hoc, quod eſt calida, viridis, tardeq́; creſcat, & ſimilia accidẽtia. Si igitur poſita productione perſonarũ magis agnoſcitur Deus, magiſq́; amari, & coli ab homine poteſt; pręſtat igitur in illo ponere productionem, quàm tollere; & ex conſequenti præſtat Deum talem eſſe, ex cuius cognitione virtutes in nobis magis augeantur, & magis vitia imminuantur. Poſito enim proceſſu diuinarum perſonarum, roboratur fides in tam recondito, & alto myſterio, quo magnoperè captiuatur intellectus: incrementum ſumit Spes in funiculo illo triplici diuinarum perſonarum, qui difficilè rumpitur: firmatur amor erga Deum, qui tantùm ſe nouit cõmunicare, ac tam varijs modis, & vbi agnouerit tanto ſe amore inuicem diuinas perſonas proſequi: creſcit Prudentia, cognito Deo tam ſapiẽti, & oculato: augetur Iuſtitia, corã tam iuſto iudice nos operari agnoſcentes. Temperantia cõfirmatur, viſo tantæ puritatis, & ſanctitatis exemplo: Fortitudo corroboratur, vbi per Fidem agnouimus tantum, ac tantę potentiæ Dominum pro nobis conſtare, vt omnia poſſimus in eo, qui nos confortat. Corruunt vniuerſa vitia: Superbia, cùm cogitamus Dominum ſe ad creandum, & adoptãdum demittentem: Auaritia, agnita tanta liberalitate inter diuinas perſonas, & munificentia: Inuidia, in tanto mutui amoris argumento: Ira confunditur, cognita mãſuetudine, & patientia tanti Domini, qui ſuſtinuit cum multa patiẽtia vaſa irę apta ad interitum: Gula, atque Luxuria, in tanto torrente ſpiritualium voluptatũ, & puriſſimarum delectationum, quibus ad ſe inuicẽ diuinæ fruuntur perſonæ: nam guſtato Spiritu, deſipit omnis caro: Accidia, pigritiaque omnis exulat, agnita tanta numinis diligentia, & feſtinatione ad ſuccurrendũ noſtris neceſſitatibus, noſtramque ſalutem procurandam. Ædificantur ergo vniuerſæ virtutes, & cuncta peccata deſtruuntur, ſi myſterium diuinarum perſonarum attentè inſpiciamus. Eſt ergo productio in Deo, & multitudo hypoſtaſeon.

Amoris omnis cauſa, Spiritus S. eſt.

X. Ratio. Rationalis creatura à Deo cur condita.

Aug. li. Med. inst. tom. 9. à med.

Oleæ vnde melius perfectiusq́; cognoſcitur.

Proceſſionis diuinarum perſonarum contemplatio, mirum in modum virtutes omnes ædificat. Eccleſ. 4.

Philip. 4. Per fidem S. Trinitatis omnia vitia deſtruuntur.

Rom. 9.

Guſtato Spiritu deſipit omnis caro.

Quòd ſi obijcias, generationem neceſſariam eſſe, vt res quæ in indiuiduo non poſſunt diu ſubſiſtere, ſaltem in ſpecie conſeruentur; ac proinde Angelo, qui incorruptibilis eſt, non tribuimus generationem alterius Angeli: cùm igitur Deus æternus ſit, & in eodem indiuiduo ſemper maneat, generatio in eo ponenda non eſt, maximè cùm generatio imperfecta multa contineat. Reſpondemus, Deo tribuendas eſſe perfectiones omnes, quas in creaturis inuenimus, eminenter tamen, & ablatis vniuerſis imperfectionibus. Quia ergo in Angelo incorruptio, perfectio quædam eſt, erit ergo in Deo, ſed excellentior: ita etiam generatio in his quæ corpore conſtant creaturis, excellentia quædam, & perfectio magna eſt. Vnde quæ nihil producunt, ſed ſterilia ſunt: vt plantæ, animalia, & homines, maximè imperfecta iudicamus: imò tunc vnumquodque perfectum eſſe dicunt Philoſophi, cùm ſimile ſibi in ſpecie producere valet. Erit igitur & in Deo. Maximè cùm Scriptura dicat: *Ego hodie genui te.* &, *Generationem eius quis enarrabit?* Et rurſus: *Ego qui generationem alijs tribuo, ſterilis ero?* Sed ita tribuenda eſt Deo generatio, vt defectus omnes, qui illam in creaturis comitantur, auferri debeant: vt ſunt, motus, qui in Deo non eſt: qui ego Dominus, & non mutor; & qui immobilis manens, dat cuncta moueri: ita immutabilis exiſtens ex ſe ipſo generat. Debet & auferri tempus, extra quod Deus eſt, & in æternitate generat, ſecundùm illud: *Ego hodie genui te.* iterum: *Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* &, *In principio erat Verbum.* Quibus teſtimonijs euincitur generatio æterna, cùm mundus ex tempore tantùm extiterit. Debet etiam tolli corruptio in diuina illa generatione; ſi arbor ſine vlla corruptione edit fructum, & ſanctiſſima Deipara incorrupta peperit Saluatorem. Denique debet auferri deciſio, vel diuiſio ſubſtantiæ: nam cùm natura diuina ſit impartibilis propter ſummam, & infinitam eius ſimplicitatem, decidi, aut diuidi in partes non poteſt, ſed tota integra communicatur. Idemque per omnia dicendum eſt de proceſſione Spiritus ſancti, quæ ſine vllo motu, aut tempore, aut ſubſtantiæ diuiſio-

Quid Deo immortali, & æterno opus ſit generatione. Angeli cur nõ generent.

Omnes perfectiões creaturarum eminenter in ſe Deus cõtinet

Philoſophorum axioma.

Pſalm. 2. Eſai. 53. Infrà 66.

Qualis Deo tribuenda generatio ſit, quiq́; ab eo defectus humanæ generationis tollendi ſint. Ezech. 3. Num. 23. Boet. de cõſol. Pſalm. 2. Mich 5. Ioan. 1.

Natura diuina cur impartibilis.

ne concipienda est. Et hæc de secunda assertione.

III. assertio.

Quod diuinarum personarum productio ternariũ non excedat, euincitur.

Sit tertia assertio: Hæc diuinarum personarum productio ternarium numerum non excedit: quæ facilè diuinis Scripturis, Ecclesiæ victorijs, ac testimonijs Patrum inuictis, atque rationibus plurimis confirmari potest. Nam in primis, vt ab Scripturis sumamus exordium, trina vnius nominis repetitio illud ostendit: *Audi*, inquit, *Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Id est, ô Iudæe, fide cape, quæ est ex auditu, mysterium Trinitatis: vt ex sapiente, qui nouit vnum esse Deum, sapientior efficiaris, tres personas in eadem natura agnoscendo, hoc est enim, quod tibi maximè expedit audire. Idem Dauid insinuat, cùm ait: *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* Et rursus: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Nam Propheta ad Christum Deum loquitur: vt illa trina repetitio nominis Dei mysterium adumbret tantum, sicut in alio Psalmo dicitur iuxta Hebræum: *Deus Deus Dominus locutus est, & vocauit terram.* Ob eandem caussam voluit vocari Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & ab Angelis acclamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Vbi vnitatis substantia est, & Trinitatis mysterium indicatur, & Incarnationis arcanum detegitur. Nam terna hac repetitione, *Sanctus, sanctus, sanctus.* Trinitas personarum declarata est, testibus Basilio lib. 3. de Spiritu sancto in Eunomium, & Epiphanio in Ancorato, & Dionysio Areopag. cap. 7. cœlestis hierarchiæ, & cap. 13. Athanasius lib. 1. de fide vnitatis, & Trinitatis, & Hieronymus in hunc locum, qui ait ob id ter clamare, vt mysterium Trinitatis in vna diuinitate demonstrent: & Augustinus lib. de fide ad Petrum, ca. 1. Incarnationis verò mysterium: nam omnis terra humanitas Christi est, quæ impleta est gloria Trinitatis. Nam in Christo erat Pater operans signa, & Spiritus sanctus loquens. Secundò, idem colligitur ex tribus diuinarum nominibus personarum, siue tectè, vt olim, siue apertè, vt in Nouo Testamento. Habet enim Scriptura: *In principio* (id est Filio, siue vt Chaldæa veritas habet, in Sapientia) *creauit Deus* (scilicet Pater.) Et cõtinuò subiunxit: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Dauid: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Idem significauit, sed tectè, alio Psalmo, cùm petit Spiritu principali confirmari, & Spiritu recto innouari in visceribus, & Spiritũ sanctum à se non auferri. Et Esaias quadragesimooctauo loquitur Verbum: *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* In quæ verba Hieronymus scribit: *Breui versiculo Trinitatis nobis ostenditur Sacramentum.* Verùm clariora sunt testimonia Noui Testamenti: vt, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Rursus: *Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo.* Iterum: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Adde quod post resurrectionem dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et Apostolus: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Amen.* Et iterum: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater.* Et Dilectus in Catholica epistola: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Hæc sunt planiora, & apertiora Scripturæ testimonia, quæ nomina, & numerum personarum clarè indicant. Non ignoro multa alia posse produci: sed in re aperta non putaui esse immorandum. Et qui his tam perspicuis testimonijs fidem non habet, neq; si innumera producerentur, haberet.

I. Locus Scripturarum. Deut. 6. Rom. 10. Prouerb. 1. Psalm. 66. Psalm. 44. & Hebr. 1. Psalm 49. Exod. 3. & Matth. 22. Esai. 6. B. Basil. to. 1. S. Epiphan. Dion. Areop. B. Athan. to. vlt. B. Hiero. to. 5. B. Aug. tom. 1 Plena omnis terra gloria Domini, apud Esaiam quid. *Ioan. 14.* II. Locus. *Gen. 1. Psalm. 32. Psalm. 50. Hier in c. Esai. 48. tom. 5. Ioan. 14. Ibidem. Infrà 15. Matt. vlt. 2 Cor. 13. Galat. 4. 1 Ioan. 4.*

III. Locus.

Tertiò, idem possumus probare à victorijs atque triumphis Ecclesiæ contra Fidei hostes, qui illi bellum semper intulerunt. Nam vnitatem Dei obtinuit contra Manichæum ponentem duo principia, bonum scilicet, & malum; & contra cœcas Gentes plures deos colentes. Personarum multitudinem euicit contra Sabellium, asserentem vnam tantùm esse personam, quę modò Pater, modò Filius, modò Spiritus sanctus diceretur. Diuinitatem Filij; & eiusdem substantiæ vnitatem cum Patre, contra Arrium, & suos euicit, atque extorsit. Diuinitatem Spiritus sancti, eiusdemque naturæ vnitatem cum Patre, ac Filio; ac proinde parem cum illis gloriam, & adorationem assecuta est contra Macedonium: Processum verò Spiritus sancti à Patre, & Filio, tanquam ab vno, & eodem principio, contra Græcos recalcitrantes in Concilio Florentino comparauit. Ecclesiæ igitur victoriæ fidem vnius Dei in Trinitate personarum apertissimè docent.

Contra Manichæum. Contra Sabellium. Contra Macedonium.

IV. Locus.

Quartò, idem ab Ecclesiæ testimonijs euincere licet. Et vt nunc omittam tot Concilia OEcumenica, quæ ab hac veritate stant, totque sanctorum, ac doctissimorum Patrum volumina, quibus pro veritate sanctissimæ Trinitatis gloriosè decertarunt, siue sint Græci, vt Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Damascenus; siue sint Latini, vt Hilarius, Ambrosius,

Athan. lib. de Trin. 7. to. vlt. Basil. li. 4. adu. Euno. tom. 1. Nazia. l. 5 de Theol. & ali. Cyr. l. Thes. et li. 4. de Trin. & alib. to. 2. Dam. lib. de orthod fide. Hilar. lib. 12. de Trin. & alijs in locis.

Ambr lib. de fide, & lib de Spir S. tom. 2. Aug lib. 15 de Trin. to 3. & alijs in locis.

brosius, Augustinus, ac permulti alij: illud satis sit producere, Ecclesiam Catholicam abundè suam fidem probare, dum cunctis qui Fidei mysterijs initiantur, primùm tradit signum sanctæ Crucis, quod expressam trium personarum inuocationem continet. Deinde Symbolum Apostolorum, quòd apertè in tres tantùm personas docet esse credendum: quemadmodum & Symbolum Nicenum auctum per Concilium Constantinopolitanum, quod in Missæ sacrificio de more decantari solet; & Symbolum Athanasij quod habet: *Hac est fides Catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur: Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Et infrà: *Vnus Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti: & in hac Trinitate nihil prius, aut posterius: nihil maius, aut minus, sed tota tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Verùm Ecclesia certam diem solennem adorationi sanctissimæ Trinitatis præfixit; vt nemo Catholicus esse intelligatur, qui Fidem de tanto mysterio Trinitatis non habuerit explicitam: & omnibus Psalmis adiungi voluit doxologiam illam: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, quò magis tantæ Fidei mysterium suorum cordibus filiorum imprimeret. Ita vt Trinitatis Sacramentum lac sit infantium, & panis proficientium, & solidus cibus perfectorum, & mensa illa Christi, in qua editur, & bibitur in regno Christi.

Symb. Apost. Symb. Nicen. Sexta Synod. act. 17. Symb. Atha.

In fine cuiusque Psalmi cur additum: Gloria Patri, & Filio, &c.

Luc. 22.

V. Locus.

Quintò, idem ipsi rationi ostenditur esse consentiens. Nam etsi lumen rationis per se ea, quæ suprà se posita sunt, attingere non valeat, tamen ratio per fidem illustrata habet se perinde atque nanus super humeros gigantis, vel vt Zachæus statura pusillus, ascendens super arborem Sycomorum, potuit videre Iesum. Principio igitur cùm Deus sit naturę intellectualis, oportet intellectu, & voluntate esse præditum (quia in voluntate executio est, iuxta illud: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit.*) Ergo in illis est fœcunditas, nempè per modum intellectus, & naturæ, quo Filius producitur, & per modum voluntatis, quo, medio Filio, producitur Spiritus sanctus. Et rursus: quia quæuis earum est Deus, quæ non potest esse, nisi vnus; quæuis illarum vnica tantùm erit. Diuina etiam omnia, vtpotè infinita, non possunt esse nisi vnica. Et de Patre quidem quòd sit vnus, confirmatur ex his, quæ dicta sunt ad probandum, quòd vnus sit Deus.

Humana ratio ad hoc mysteriũ inuestigãdum quomodo se habeat. Suprà 19.

Psalm. 134.

Filij autem, & Spiritus sancti si plures existerent, quilibet illorum non æquaret, nec totam vim generandi, neq; spirandi cõpleret, atque terminaret: quæ quia infinita est, infiniti quoque Filij, & infiniti Spiritus sancti esse possent: imò actu etiam essent, quia in Deo, qui purus est actus, quicquid actu esse potest, etiam actu necessariò est. Ergo vnicus Filius tantùm, & vnicus Spiritus sanctus tantùm est: quorum vterque quia infinitus est, & æternus, alter vim generandi, quæ solius est Patris, alter spirandi vim actiuam, quę propria est Patris, & Filij, perfectè terminat, atq; complet. Et vt Pater vnico verbo se, & alias personas, cæteraque omnia dicit: ita vnico Spiritu suam, & aliarum personarum summam, & perfectam liberalitatem perfectè explicat. Et vt Verbum, omne quod per viam intellectus produci potest, continet: ita Spiritus sanctus omne, quod ab eo per viam voluntatis produci valet. Etsi autem potentia generandi, quæ est in Patre, sit etiam in Filio, & Spiritu sancto (est etiam ipsa essentia diuina) quia tamen in Patre omne quod est generabile, produxit, in Filio, & Spiritu sancto, nihil vel generat, vel generare potest. Simili ratione vis actiua spirandi, quæ est in Patre, & Filio, quia in eo omne quod per viam voluntatis proferri potest, iam protulit, idcirco prout est in Spiritu sancto, nullam personam producit, sed quiescit Spiritus dum producitur. Itaque proprium ei est produci, & Filio generari: sicut Patri generare, & Patri & Filio spirare Spiritum sanctum. Vnde Ambros. lib. de Fide: *Non est naturæ, nõ est potentiæ in Christo aliqua quòd nõ generauit, infirmitas, quia generatio (sicut sæpè iam diximus) non ad sublimitatẽ potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* Et infrà: *Nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est: nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius: Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Et infrà: *Si enim ideo æqualis Patri Filius non est, quia non generauit Filium, & isti vtique fateantur, si non habent filios, qui ferunt eiusmodi quæstiones, suos etiam sibi seruulos præferendos, eo quòd habentibus filios æquales esse non possunt. Si autem habent filios, non putent sibi merito, sed filiorum iure deferri. Non consistit igitur hæc quæstio, quòd æqualis Filius Patri ideo esse non possit, quòd Pater generauerit Filiũ, Filius nullum ex seipso generauerit. Nam & fons fluuium generat, & fluuius fontem ex se ipso non generat. Et lux splendorem generat, non splendor lucem; & vna natura est splendoris, & lucis.* Hactenus Ambrosius, cuius sententiam mirificè Augustinus hoc idem argumẽtum soluens, confirmat in libro contra Maximinum, ad quem lectorem mittimus.

Plures Filij & Spiritus sancti si essent in diuinis, quid consequeretur.

Filius, & Spiritus S. cur non generẽt, sed Pater solus.

Ambr. lib. 4. de fide, cap. 4. tom. 2.

Idem ibidem.

Ioan. 16. Matth. 11. Idem ibidem. Aduersus Arianos æqualem Patri Filium esse negantes.

Aug l. 3 cont. Max c. 14. 10. 6. à med.

Cur intelligere in Patre generet Verbũ, ipsum verò in Filio nil gignat: velle quoq., in Patre, & Filio producat Spiritum S. & in ipso spiritu S. nihil producat.

Nec rursus quemquam permouere debet, quòd intelligere in Patre generet Verbum, & idem nil gignat in alijs personis: Velle quoque, in Patre, & Filio producat Spiritum sanctum, & in ipso Spiritu sancto nihil producat. Et hoc est, quia intelligere in Patre, & velle in Patre, & in Filio, iam produxit quicquid produci poterat: & ita in alijs producere personis, vt sic loquar, esset actum agere, quod in Deo impossibile est. Nec mirum, si idem intelligere, & velle diuinum, in distinctis personis distincto modo se habeat: quia videmus in creaturis idem circa diuersa diuersimodè operari: vt calor, ignis, & Solis, qui ceram liquefacit, & lutum indurat.

II. argumen. pro numero trium personarum.

Virg. Eclog. 8.
Aristot.
Deus coli ternario numero in sacrificijs cur voluerit secũdùm Philosophũ.

Comprobatur deinde numerus trium personarum: quia ternarius est perfectus numerus, Deo sacer, iuxta illud: *Numero Deus impare gaudet*: docetque Arist. lib. 1. de cœlo ex sententia Pythagoræ, Deum ternario numero in sacrificijs coli voluisse, eo quòd hic numerus perfect⁹ sit, vtpote qui constat principio, & medio, & fine, in quo est omnis perfectio. Et addit, totum, & omne de tribus primùm dici; nam de duob⁹ dicimus ambos. Continet etiam omnem numerum, scilicet parem, & imparem, hoc est, binarium, & ternarium; & ab vnitate, & binario, vt principijs ortus, velut apud Dialecticos cõclusio ex præmissis duabus: & præter quem in nullo potest inueniri tãta æqualitas vnius, & alterius, vnius etiam & duorum. Quæuis præterea persona infinita est: aut ergo infinitum principium producens, & nõ productum, aut productum, & non producens; aut productum, & simul producens. Nam quartum membrum, videlicet nec productum, nec producens, dari, inuenirique non potest. Producens autem improductum ipse Pater est: productum, ac producens, filius: productum, nec producens, Spiritus sanctus. Et quæcunque alia quarta, vel quinta persona, superflua esset, & in aliquot ex tribus dictis recideret. Tres igitur sunt tantùm Diuinæ personæ. Adhæc in tribus tantùm, quorum primum est à nullo, & secundum à primo, tertium æqualiter est à primo, & secundo, potest esse summa concordia, summaque propinquitas: quia quoduis talium cum alio propinquissimum est, quia vel ab illo procedit, vel illius est origo. Quoduis etiam æqualiter in medio est reliquorum: Pater enim in medio est Filij; Spiritusque sancti, in eisque quiescit, quia vtrumque producit: Spiritus etiam sanctus est in medio Patris, & Filij in quibus & quiescit, qa ab vtroque producitur: Filius quoque in medio est Patris generantis, & Spiritus sancti à se producti. Talis autem æqualis distãtia, quiesq; nec in maiori, nec in minori numero, quàm sit ternarius, inuenitur. Nam in binario nihil est in medio; in quaternario autem binarius minus distat ab vnitate quàm à quaternario, & ternarius minus à quaternario, quã ab vnitate. Quia ergo ternarius numerus perfectus est, & in eo solũ summa propinquitas, & quies, & à reliquis æqualis distantia, & in medio velut situs quidam, & positio reperiuntur: fit, vt hic numerus diuinis tãtùm personis sit adscribendus.

Cõfirmatur id triplici ratione.

III. argum.

Tertiò probat numerum personarum ternarium dicta processio vnius personæ ab altera, qua non existente tres dij essent: posito autem processu, prima à nullo potest procedere, quia nõ esset prima: nec à tertia vlla procedit, alioqui non esset tertia, vel vltima, nec secunda à tertia, quia nõ esset summè coniuncta cum prima: nec tertia à sola prima, aliter nõ esset summè coniuncta secundæ, ergo à prima & secunda oritur. Caussa ergo vnius deitatis in tribus est, quia eadẽ numero transfunditur: quod non fit sine processione, in qua innititur distinctio, sicut vnitas in eo, quod est de tota substantia.

IV. argum.

Singulis quæ diuinis personis conueniant.

Quartò idem numerus euincitur ex proprijs, & notionibus, & relationibus, & ex his, quæ vocantur attributa, siue appropriata. Dicuntur autem propria, quæ vni tantùm personæ conueniunt. Hæc autem quatuor assignantur, nimirùm Innascibilitas, & Paternitas; Filiatio, & Processio, seu, quod idem est, Spiratio passiua: ex quibus tres tantùm constituuntur personæ. Nam Processio soli Spiritui sancto cõpetit; Filiatio soli Filio; Innascibilitas, & Paternitas soli Patri conueniunt: nam hę duæ distinctæ sunt proprietates, vt testatur Augustinus lib. de Trinitate, dicens: *Non hoc est dicere ingenitum, quod est Patrem dicere: quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dicere ingenitum. Et si gignat quisq; Filium, non ex eo ipso ingenitus est, quia geniti homines ex alijs hominibus gignunt & sibi alios. Sicut autem Filius ad Patrem, sic genitus ad genitorem refertur, & sicut Pater ad Filium, ita genitor ad genitum. Ideoque alia notio est, qua intelligitur genitor, alia qua genitus.* Hæc ille.

Aug. lib. 5. de Trin. c. 6 & 7.

Sunt etiam Diuinarum personarum propriè tria, Generare, Gigni, & ex vtroque procedere, ex quibus tres desumuntur personæ. De quibus Augustinus libro de Fide ad Petrum: *Aliud est genuisse, quàm natum esse, aliudq; est procedere, vel natum esse: manifestum est, quoniã alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Trinitas itaq; ad Personas Patris, & Filij, & Spiritus S. refertur, vnitas ad naturam.* Et infrà:

Idem lib. de fide ad Petr. c. 1. eod. tom.

Idem c. 2.

Neque

Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris, quia nõ est natus ipse, sed vnũ filiũ genuit: neque proprium solius Filij, quia non genuit ipse, sed solus de Patris essentia natus est: neq; proprium Spiritus sancti, quia nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre, Filioq; procedit. Euthymius in illa verba Ioannis: *Non enim loquetur à semetipso,* aliter constituit hæc propria, ait enim: *Siquidem nihil vlli sanctæ Trinitatis personæ proprium est præter innascibilitatem, natiuitem, & processionem, sed omnia eis communia.* Sic ille. Idem numerus personarum colligitur ex his, quæ à Theologis Notiones dicuntur, id est, per quas personæ innotesunt: hæ autem quinque sunt, nempè Innascibilitas, & Paternitas, Spiratio actiua, & Filiatio, & Processio. Ex quibus cùm duæ primæ conueniant Patri soli, tertia Patri, & Filio sit communis, quarta soli Filio, & vltima soli Spiritui sancto quadrabit: ideo tres tantùm personæ. Præterea ex relationibus realibus, quæ in Diuinis quatuor tantùm sunt, ideo conflatur numerus personarum. Sunt autem, Paternitas, & Spiratio actiua Filiatio, & Spiratio passiua: nam prima ad tertiam refertur, sicut secũda ad quartam. Et cùm ex illis quatuor spiratio actiua communis sit Patri, & Filio: supersunt tres singulis personis propriæ. Quædam præterea relationes, quæ distinctionem includunt, in Diuinis inueniuntur: vt, æqualitas, concordantia, & similitudo. De prima ait Ioannes: *Æqualem se faciens Deo;* & Apostolus: *Non arbitratus est esse se æqualem Deo.* Cùm autem propriè nihil sit sibi æquale; inter duos ad minus ponenda est æqualitas, nempè Patrem, & Filium. Cùm autem non sint æquales in quantitate molis, aut temporis, quibus caret Diuina illa natura; ergo erit in substantia, & æternitate. Qui autem dicis æquale, dicit vnum alteri per æqualitatem conuenire. Nihil etiam propriè sibi concordat, sed cum altero: erunt igitur concordes duo p concordantiã, nec vnus sibi ipsi, sed alteri est similis per similitudinem. Et ita habes tres personas. Adhæc in vniuerso inuenitur pluralitas, inæqualitas, & diuersitas creaturarum, quæ cùm sint imperfecta, & priuationis, vnitatis, æqualitatis, & identitas, siue αὐτότητος, siue nexus: præcedent ergo habitus in Deo, id est, vnitas, æqualitas, & vt, sic dicamus, identitas, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Nec tantùm ex proprijs, & notionibus, & relationibus colligi potest Trinitas personarum, sed ex omnibus, & essentialibus attributis, quæ vel quidditatem substantię significãt, vt essentia, natura, substãtia, diuinitas, & huiusmodi, vel perfectiones alias extra quidditatẽ, quas adesse Deo præstãtius est, quàm abesse, vt potens, sapiens, bonus, iustus, misericors, æternus, & simles, quæ attributa vocari solent: quorum significata etsi in Deo ob eius simplicitatem idem sint cum ipsa diuina essentia, nõ tamen per modum substantiæ, sed diuinæ qualitatis, & perfectionis substantiæ ipsi aduenientis designantur, vel à nobis concipiuntur. Inter hæc autem attributa quædam sunt, quæ à Theologis appropriata vocantur, quæ etsi reuerà tribus personis conueniant, vni tamẽ personę, propterea adscribuntur, in cuius proprio habent nonnullam propinquitatem, & conuenientiam. Et quia hæc tria sunt, tres personas tantùm concludunt. Sunt tamen à diuersis vario modo assignata: Inter quæ primum locum habent potẽtia, sapientia, bonitas. Potentia Patri tribuitur, quia à nullo est, & ne impotens quasi senex existimetur: Sapientia Filio, qui per viam intellectus procedit, & ne imperitia illi tanquàm iuueni minus per ætatem experto tribuatur: Bonitas Spiritui sancto, quia per modum amoris, & dulcedinis spiratur, & ne impetuosus, ac durus, vt spiritus procellarum putetur. Deinde appropriãtur quoque personis substantia, vita, & salus. Substantia Patri; vita, quæ substantiam esse ponit, Filio; Salus verò, quæ in vita consistit, Spiritui sancto. De quibus Victorinus hymno 3. de Trinitate, dicens:

Tu Pater cunctis substantia es:
Tu Fili vita, tu spiritus saluatio.

Et suprà dixerat: de alijs tribus:

Existentia, vita, cognitio, O beata Trinitas.

Dare etiam esse, Patri adscribitur; Vitam dare, Filio; Scientiam dare, Spiritui sancto, Patri tribuit, imperare creationem; Filio, creare; Spiritui sancto, recreare. Patri, dare esse; Filio, formam; Spiritui sancto reformationem. Patri charitas adscribitur, gratia Filio, communicatio Spiritui sancto, teste Victorino:

Tu creari imperas, tu creas,
Tu creata recreas; O beata Trinitas.

Si charitas est, gratia est: Si charitas & gratia est, & communicatio est, ô beata Trinitas. Lumen Patri, lumen de lumine Filio, illuminatio Spiritui sanctæ. Status Patri, progressus Filio, Regressus Spiritui sancto. Semen Patri, arbor Filio, fructus Spiritui sancto. Inuisibiliis inuisibiliter Pater, visibilis inuisibiliter Filius, inuisibilis visibiliter Spiritus sanctus. Impassibilis impassibiliter Pater, passibilis impassibiliter Filius, impassibilis passibiliter Spiritus sanctus.

Præ-

Euth. in Ioã. c. 27. Ioan. 16.

Notiones in diuinis quid, & quænam illæ sint.

Relationes in diuinis quot, & quęnam illæ.

Ioan. 5. Philip. 2.

Inter quos vt minimũ ęqualitas sit.

Pater & Fili⁹ in diuinis quomodo inter sęquales.

Vnde etiam colligi possit ac debeat Trinitas personarum.

Alia Dei attributa, & quomodo designentur.

Potentia cur Patri tribuitur, Filio sapientia, & bonitas Spiritui S.

Victorin.

Proprietates diuinarum personarum ex Marij Victorini hymno.

2. Cor. 13.

Præstator Pater, minister Filius, diuisor Spiritus sanctus. Spiritus operationum Pater, spiritus ministeriorum Filius, spiritus gratiarum Spiritus sanctus. Quæ omnia dicto loco persequitur Marius Victorinus. Augustinus ad Fortunatianum exponens quid sit inuisibilem Deum inuisibiliter videri: hoc est per eam naturam, quæ in nobis quoque inuisibilis est, hoc est, mẽte vel corde. Hilarius libro de Trinitate infinitatem Patri, speciem Filio, vsum Spiritui sancto tribuit, sicut æternitatem Patri, imaginem Filio, munus Spiritui sancto. Ait enim: *Infinitas in æterno: species in imagine, vsus in munere.* Quæ Augustinus interpretatur lib: de Trinitate; *Æternitas Patri, quia à nullo est: Imago Filio, quia æqualitas, & similitudo nulla rediſsidẽs, & species dicitur ob pulchritudinẽ, & quia est complexus magnus, & gaudiũ, & beatitudo illu: tertiò ponit vsũ, vel munus, in quo Spiritus sanctus adumbratur.* Hæc ille ferè. Qui lib. de doctrina Christiana tria alia appropriata, proponit, dicens: *In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis, æqualitatisq́, concordia. Et tria hæc, vnum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.* Sic ille. Non tantum autem connectit personas Diuinas inter se, sed etiam omnia creata, teste Victorino, hymno 3. de Trinitate; qui conuertens sermonem ad Spiritu sanctum ait:

Vt connectas omnia, primùm connectis duos.

Adhæc: Vnitas. Veritas, & Bonitas Trinitatem repræsentant; sicut Ex quo, Per quem, & in quo sunt omnia: de quo Paulus ad Romanos, Ex quo tribuit Patri, qui omnium est principium: Per quem, Filio, quia omnium est exemplar: In quo, Spiritui sancto, quia omnium est finis. Quod explicans Augustinus libro de vera Religione: *Quare ipsum,* inquit, *donum cum Patre, & Filio æquè incommutabile colere, & tenere nos conuenit: vnius substantiæ Trinitatem vnum Deum, à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus, à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: Principium ad quod recurrimus; formam, quam sequimur; & gratiam, qua reconciliamur. Vnum Deum, quo autore cõditi sumus; & similitudinẽ eius, per quẽ ad vnitatem reformamur, & pacem qua vniti adhæremus.* Sunt etiam alia appropriata, nempè essentia, quæ Patri: mens, quæ Filio, & bonitas, quæ Spiritui sancto, iuxta quod tres sunt partes Philosophię, nempè Naturalis, Rationalis, Moralis, de quibus Clemens Alexandrinus ait: *Deus autem est expers principij, perfectum, & omni ex parte absolutum vniuersorum principium, principij efficiens: Et quatenus quidem est essentia, est principiũ loci efficientis, quatenus autem est bonum, moralis: Quatenus autem rursus est mens rationalis loci, & iudicantis. Infrà: Quin etiam mutua triũ virtutũ consequentia inuenitur in homine cognitione prædito, qui moraliter, naturaliter, & Logicè circa Deum versatur.* Hæc Clemens.

Quintò eiusdem Trinitatis ex vestigio eius in creaturis inuento, & ex imagine eius in homine inuenitur. Est enim vestigiũ in irrationali creatura; imago verò in rationali. Et vestigium quidem à gradiente, vel currẽte relinquitur; imago verò ab homine extenso in terram, & suam similitudinem figurante. Quia igitur tota Diuina essentia communis est tribus personis, ob infinitam eius simplicitatem; ideo in creaturis, quæ finitam, ac limitatam bonitatem sortitæ sunt, nulla perfecta Trinitatis similitudo inueniri potest. Quemadmodum neque inter formicas reperitur omnimoda ad elephantem similitudo: sed si quis vellet per illam elephantem delineare, opus haberet multa tollere à formica, & multa illi addere; nam oporteret addere magnitudinem, proboscidem, dentes eburneos, colorem, cruraque minimeq; flexibilia, quò ita in formica ostendere posses elephantem. Prętereà exempla, quæ ex creaturis assumuntur ad indicandam Trinitatem; non possunt omnes eius partes complere, sed vnam, aut alteram tantùm, vt propterea opus sit pluribus exemplis. Nam (v.g.) in hominibus, patre, filio, & nepote, est eadem natura specie, cum inæqualitate tamen temporis. In exemplo Solis, lucis, & caloris, est quidem æqualitas durationis; sed, cùm sint accidentia, non ostẽdunt eandem naturam. Et licèt aliqua ostenderent eandem durationis mensuram, & eandem naturam in specie; nõ tamen eandem naturam numero. Et in tribus hominibus dictis non est eadem numero natura, quia vnus non de tota sua substantia, sed ex parte generat alterum. Adhæc in exemplo Adam, Euæ, & Abelis, inuenitur ratio processionis: nam Adam à nullo est, vt Pater; Eua à solo Adam, vt Filius à Patre; Abel ab Adam, & Eua, vt Spiritus sanctus ab vtroque. Deficit tamẽ in hoc exemplo & æqualitas temporis, & ratio eiusdem naturæ numero: deest etiam in Adam efficientia Euæ, quia ipse in Eua cõdenda passiuè se habuit. Si autem suppleremus hos omnes defectus, & quòd Adam à se solo esset, & non ab alio conditus, quodque efficientiam habuisset in Eua condenda, & adiungeremus, eandem numero naturam esse in tribus, & nullum alterum duratione excedere, inuenire

Marginalia (left): *Aug. ep. 3. to. 1.* Deum inuisibiliter videri quid sit. — *Hil. l. 2. de Trinit. init. to. 2.* — *Aug. lib. 6. de Tri. c. 10. to. 3.* — *Id. l. 1. de doct. Chr. ca. 10. to.* — Patris, & Filij vinculũ, atq; adeò rerum omnium est Spiritus sanctus, teste Victorino. — Alia quoq; attributa Diuinarũ personarum. *Rom. 11.* — *August. li. de ver. Relig. ca. 55. in fi. to. 1.* — Aliæ item proprietates earundem. — *Clem. Alex. li. 4. Stro in fin. to. 2.*

Marginalia (right): V. locus ab vestigijs sanctiss. Trinit. — Vestigium, & imago differunt inter se. — Qualis creatura ad Creatorem comparatio. — Quod nulla res perfectè adæquat similitudinem sanctæ Trinitatis. — *Gen. 2.*

uenire possemus certum, atque perfectum Trinitatis exemplum. Quare Patres hunc exemplorum Trinitatis defectum agnouerunt. Athanasius enim Disputatione in Arrium, ait: *Quædam exempla generationis Verbi, vt quòd Filius sit paterni luminis splendor, & bonitatis eius imago: non quod ad Diuinas personas metiendas, corporalium satisfaciant exempla specierum.* Et Cyrillus lib. Thesaurorum: *In omnibus autem huiusmodi exemplis, debilem quandam similitudinem ad supremam illam naturam adducimus: quoniam omnis creatura in infinitum à Creatore suo distat.* Basilius epistola sua ad Gregorium Nyssenum post aliquot exempla Trinitatis producta ait: *Verbum quidem meum accipite quasi rudem delineationem, ac vmbram veritatis, non item vt veritatem ipsam rerum. Nequit enim fieri, vt per omnia, quod in exemplaribus consideratur, eis rebus adaptetur, ad quarum descriptionem exemplarium vsus assumitur.* Et infra de Iridis exemplo ait: *Nam & in Iridis exemplo, quæ multicolorem illum fulgorem illustrat, vna quidem est ἰριδα, per solarem radium reuerberata, ac refracta, floridus verò color qui visitur, multiformis est: qua in re per creaturam instruimur, ne inanis curiositate turbemur in examinandis dogmatis nostri rationibus, si quando inciderimus in ea, quorum difficilis est contemplatio, & in eorum quæ dicuntur, approbatione, consensioneue, quasi vertiginem passi æstimauerimus. Perinde etiam atque in illis, quæ oculis visa sunt, potior visa est experientia, quàm rationis redditio: ita & in superexcellentibus fidei nostræ dogmatis potior est fides quarumuis ratiocinationum complexione, quæ & distinctionem in hypostasi docet, & in vsia coniunctionem.* Gregorius Nazianz. lib. de Theologia: *Quanquam enim tenuis aliqua similitudo aliquoties obuenit, tamen bona eius pars fallebat, sic, vt infernè vna cum imagine relinqueret.* Hęc ille, vbi vides, exempla, etsi in aliquo similia sint, maiorem tamen habere dissimilitudinem, quàm similitudinem, Damasc. lib. de Orthod. Fide: *Impossibile enim est*, inquit, *in creatura compertam imaginem Diuinæ Trinitatis modum repræsentare.* Præterea B. August. lib. de Verbis Domini, agnouit istum exemplorum defectum: *Cum in quibusdã (ait) inueniatur diuersitas naturæ, in alijs inequalitas temporis.* Hactenus isti Patres. Potest ergo haberi aliqua similitudo, vel vestigium, quemadmodum ignis in fumo videtur: potest etiam esse aliqua imago in homine. Et de vestigio quidem multa tradit Aug. lib. de Trinitat. Primum quidem vestigium est: quia in omni creatura inuenitur mensura, pódus, & numerus: de quibus in lib. Sapientię fit mentio. In mensura, quia habet limitatum esse, Pater in numero, quia habet distinctũ esse, & numeri specie distinguuntur, Filius in pondere, quia ad finem suum quoduis refertur, ad quem suo pondere fertur, Spiritus sanctus relucet. Adhæc in modo, specie & ordine relucet Trinitas, de quibus Aug. lib. de ciuit. Dei: *Quoniam igitur homines sumus ad nostri Creatoris imaginem creati, cuius est vera æternitas, æterna veritas, & vera charitas: estq; ipse æterna, & vera, & chara Trinitas, neque confusa, neque separata: in ijs quidem rebus, quæ infra nos, quoniam & ipsa nec aliquo modo essent, nec aliqua specie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent, nisi ab illo facta essent, qui summè sapiens est, qui summè bonus est: tanquam per omnia quæ fecit, mirabili stabilitate currentes, quasi quadam eius alibi magis, alibi minus impressa vestigia colligamus: in nobis autem ipsis & imaginem continentes tanquam minor ille Euangelicus filius ad nosmetipsos reuersi surgamus, & ad illum redeamus, à quo peccando recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem: ibi nosse nostrum non habebit errorem: ibi amare nostrum non habebit offensionem.* Hæc ille in modo, specie & bonitate: quæ etiam in vnitate, veritate, & bonitate rerum perspici possunt. Quæuis enim res vna est, quia sibi eadem, & ab alijs distincta: & vera est, quia veram sui cóceptionem generare potest in intellectu: & bona, quia appetitum mouere valet. Adhęc quoq; pertinent vnitas, species, & ordo: quæ in rebus inueniũtur: de quibus Aug. lib. de Trinit. *Hæc omnia quæ arte diuina facta sunt, & vnitatem quandam & speciem in se ostendunt, & ordinem: quicquid enim horum est, & vnum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum, & ingenia animarum: & aliqua specie formatur, sicut sunt figuræ, & qualitates corporum, ac doctrinæ, vel artes animarum. Et ordinẽ aliquẽ petit, aut tenet, sicut pondera, vel collationes corporũ, atq; amores, aut delectationes animarũ.* Hactenus Aug. Inueniuntur etiam in creaturis multa alia vestigia, vt magnitudo, pulchritudo, vtilitas: quæ potentiã Patris Dei, Filij sapientiã; & Spiritus benignitatem indicant. Est etiam principium, medium, finis, vel progressus, status, & regressus: est magnitudo, dispositio, & ornatus: est potentia, & actus, & vtriusq; vnio: est ipsum posse, & esse, & operari: est potentia, obiectum, & actio. Principium innuit Patrem. Medium, seu status, Filium, secundã personam: Finis, siue regressus, Spiritum sanctum, qui est diuinitatis complementũ. Magnitudo, Patris potentiam signat: Dispositio, Filij sapientiam; Ornatus verò, Spiritus bonitatem. Potentia Patrẽ: Actus Filium: vtriusque vnio Spiritum sanctum, quia ab vtroq; procedit. Esse, Patrem: Posse, quod est ab esse, Filium à Patre: Operari

Marginalia (left): Athan. tom. 1. lib. 1. — Cyril lib. 2. Thesaur. c. 2. & sin. to. 2. — Basil epist 43. Nysseno post medium, to. vlt. — Gregor. Naz. lib. 5. Theol. ad finem. — Damasc. lib. 1. de orthodox. fide, cap. 9. in fin. — Aug. serm. 58. de verb. Dom. to. 10. — Vestigia Trinitatis quæ sint in creaturis impressa. — Aug. lib. 6. de Trin. c. 2. to. 3. I. Vestigium. Sapient. 11.

Marginalia (right): II. Vestigium. Idem Aug. lib. 11. de ciuit. Dei, c. 28. — Luc. 15. — III. Vestigium B. Aug. lib. 6. — IV. Vestigium Trinitatis. — Spiritus sanctus diuinitatis complementum. — Ioan. 15.

quod ab vtroque, Spiritum sanctum. Rursus obiectum, quod similem potétiam, Patrem: Potentia filium, qui similis est Patri: Operatio, quæ est ab obiecto, & potentia, Spiritum sanctum. Lógitudo, quæ est principium aliarum dimensionum in corporibus, Patrem insinuat: latitudo, quæ à lógitudine oritur, & in latum fluit, est typus Filij: crassities ab vtroq; in profundum pressa, typus est Spiritus sancti. Est in lumine Sol, radius, lux: De quo Nazian. lib. Theolog. *Rursus cogitaui Solem, radium, & lucem. Verùm & hic metus: primum, ne in simplici natura oborietur suspicio compositionis talis, qualis est Solis, & eorum quæ soli insunt. Deinde, ne Patri essentiam tribueremus, cætera verò subsistere negaremus. Quin potius faceremus quasdam Dei facultates, quæ non per se subsistant, sed alteri innitantur, inhæreantq́; siquidem neque radius, neque lux, alius est Sol, sed sunt velut quidam Solares riui, & essentiales qualitates.* Sic ille. In aqua quoque est inuenire fontem, fluuium, stagnum; siue oculum fontis, fontem manantem, & fluuium, de quibus Nazia. ibidem; siue fontem, flumen, irrigationem, de quibus Victorinus hymno 3. de Trin. Ad hæc in tribus hominibus inuenimus vnâ specie humanitatem: vnde admonemur triũ personarum habentium vnam numero essentiam: de quibus Nazia. ibidem. Sed hęc cómunitas vnum habet cogitatione tantum perceptum; singula verò plurimùm à se inuicem distant tempore, affectibus, facultateque. Adhæc est vir, vxor, & proles: licet, vt ait August. non aptè exprimitur in vxore Spiritus sanctus, quia nec Verbi est mater, nec vxor Patris. In humano quoque sensu vestigium est aliquod Trinitatis. In externo quidem, quia in visu est potentia videndi, & visio ipsa, & libera intentio vidé tibus in obiectum: de qua Augustinus lib. 11. de Trinit. cap. 2. *Ex visibili*, inquit, *& vidente gignitur visio, ita vt ex vidente sit sensus oculorum, & aspicientis atque intuentis intentio: illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore quod videtur.* Sic ille in sensu. Præterea in phantasia ipsa, est phantasma ipsum, siue species sensibilis: est cogitatio ipsa, quæ actus est phantasiæ, & est etiam intentio voluntaria in ipsum phantasma. In intellectu est species intelligibilis; intellectio, quæ est aciei mentis ad ipsam conuersio; est etiam intentio, seu voluntas, quæ mentem speciei cum amore coniungit. Ad hęc in ratione superiori, quæ in æternis versatur contemplandis, nó tantum vestigium, sed etiam nonnulla Trinitatis imago resplendet. Quod tam magnum donum est, vt dicat Augustin. *Eo quippe ipso imago est, quo eius capax est, eiusq́; particeps esse potest: quod tam magnum bonum nisi per hoc quod imago eius est, intelligi non potest.* Idem etiam explicat, nulla re magis ad Dei cognitionem nos accedere; quam nobis ipsis notis. Consistit ergo imago in memoria, intellectu, & voluntate, quæ & ordine, & numero, & ęqualitate sua Trinitatem referunt. Nam memoria intellectualis, siue fęcunda, quæ intellectus est, cum obiecto sibi præsenti Verbum gignit. Intellectus qui memoriam sequitur, Filium; sicut voluntas, quę tertia est, Spiritum sanctum; repręsentant: præsertim cùm hæ tres æquales sint facultates: ait enim Augustinus lib. 11. de Trinit. c. 11. *Neque enim tantum à singulis singula, verùm etiam à singulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem, & intelligo me intelligere, & velle, atque meminisse: & volo me velle & meminisse, & intelligere, totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini. Quod enim memoria mea non memini non est in memoria mea. Nihil autem tam in memoria, quam ipsa memoria est. Similiter cũ hæc tria intelligo, tota simul intelligo. Neque enim quicquam intelligibilium non intelligo, nisi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini, nec volo, &c.* concluditque: *Et hæc tria vnum, vna vita, vna mens, vna essentia.* Sic ille. Item est imago in esse, nosse, diligere mentis nostræ seipsam agnoscentis, & amátis: de quo August. lib. 12. de ciuitate Dei, c. 26. *Nam & sumus, & nos esse nouimus, & nostrum esse, ac nosse diligimus.* Et lib. 9. de Trinit. cap. 5. *In illis tribus, cùm se nouit mens, & amat se, manet Trinitas, mens, amor, notitia, & nulla commixtione confunditur: quamuis & singula sint in semetipsis, & inuicem tota in totis, siue singula in binis, siue bina in singulis.* Idem repetit paulò inferius. Et rursus imago Trinitatis in mente alia à se cognoscente, & amante: de qua lib. 15. de Trinitate, c. 22. & 27. Ponit præterea imaginem Trinitatis ingenium, doctrinam, & vsum. Rursus ponit imaginem Trinitatis in mente Dei, notitia Dei, & amore Dei. Hæc igitur Trinitas mentis est secundum Augustinum. Clemens verò Alexandrinus libro 7. Stromatum, imaginem Trinitatis ponit in mente renouata per gratiam, ait enim: *Imago valde diuina, & Deo similis, est viri iusti anima, in qua per præceptorum obedientiam ædificatur, & collocatur, dux mortalium, & immortalium omnium, Rexq́; & genitor omnium, bonorum re vera lex & præscriptum: & Verbum æternum, qui & priuatim singulis, & communiter omnibus est vnus seruator. Hic est reuerà vnigenitus, & omnium Regis, & omnipotentis Patris gloriæ figura, quæ ei, qui est cognitione præditus,*

Gregor. Naz. loco superiori, in fin.

Nazianz. Ibidem Victorinus.

Naz. ibidem ante medium

Aug. li. 12 de Trin. c. 5. to. 3

Imago item Trinitatis in homine, & multiplex quidem.
Aug. lib 14. de Trin. c. 8.

Idem lib. 14 de Trin. c. 8. [illegible]

Idem.

Idem August. tom. 5.
Idem.

Cap. 8 & 12. & lib. 10. de Trin. c. 12.
Idem.

Idem li. 10 de Trin. c. 11. & li. 14. de Trinit. c. 12.
Clem. Alex. li. 7. Strom. paulo remotius à princ. tom. 2.
Imago valde diuina, & Deo similis, quæ sit.

præditus, imprimit perfectam contemplationem ad suam imaginem, vt sit iam tertia diuina imago, quæ quoad eius fieri potest, assimulatur caussæ secundæ, ei quæ est re vera vita, per quam veram vitam viuimus. Hæc ille, secundum quem imago ponenda est in iusto, vestigiũ in peccatore. Et hactenus de imagine.

Aliud vestigium Trinitatis multiplex in vniuerso.

Denique si rectè consideres, vestigium, siue imaginem Trinitatis inuenies in mũdo, in homine, in Christo, & in omni virtute. Mundus est triplex: Angelicus, cœlestis, elementaris. Angelicus in tribus consistit hierarchijs, & quælibet in tribus ordinibus, & quolibet Angelo inuenitur natura, gratia, & gloria. Et de tribus Angelis fit mentio in Scripturis Canonicis, Michaele, Gabriele, & Raphaele. Cœlestis mundus, in Sydereum, Crystallinũ, & Empyreum distinguitur, & ad tertium cœlum fuit Paulus euectus. In cœlis est triplex motus, nempè raptus, & proprius cuiusque, ac trepidationis, saltẽ in octaua sphœra. Sunt in cœlis, Sol, Luna, & Stellæ: in Sole, est substantia, lux, & calor, siue splendor. In aëre triplex regio, suprema, media, infima: in Iride est triplex color, rubeus, viridis, albus: in terra, est Africa, Asia, & Europa. Creatura, triplex est: aut purus spiritus, aut purum corpus, aut ex vtroq; mixtum. Quælibet creatura constat essentia, potentia, & actu: habet mensuram, numerum, & pondus. Motus, aut est naturalis, aut violentus, aut liber. Rursus naturalis, aut est sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, & sinistrorsum. Adhæc duratio, aut æternitas est carens principio, & fine, aut saltem carens fine, aut æuum cum principio sine fine, aut tempus cum principio, & fine. Tempus quod sequitur motum, aut præsens est, aut præteritum, aut futurum. Omnes homines propagati ex tribus filijs Noe, Sem, Cham, & Iaphet. Habent triplicem animam vegetantem, sentientem, & intelligentem; vel potius vnam, trium officia præstantem. In anima rationali sunt tres facultates: habet homo scientiam triplicem, sermocinalem, naturalem, & moralem. Sermocinalis constat Grammatica, Rhetorica, ac Dialectica. Grammatica habet tres personas: quarum prima à scribitur, secunda à prima, ad quam loquitur, & tertia, de qua prima ad secundã loquitur. Rhetorica versatur circa genus demonstratiuũ, deliberatiuum, & iudiciale. Dialectica habet syllogismum triplicem, topicum, demonstratiuum, sophisticum. Et omnis syllogismus constat ex trib⁹ propositionibus; quarum maior est per se nota, & à nullo, minor à maiori pullulat, cùm sub ea accipiatur: conclusio ab vtraq; infertur. Naturalis sciẽtia distribuitur in Physicam, Metaphysicã, & Moralem. Physica tria habet principia naturalia, materiam, formam, & priuationem. Metaphysica considerat entis, & substantiæ, & accidentis proprietates. Moralis quoq; triplex est, Ethica, quæ instituit hominem in se ipso: Oeconomica, quæ instruit ad domesticum conuictũ; Politica, quæ format ad ciuilem pacem, & iustitiam. Et quemadmodum Oeconomica versatur præcipuè circa seruos, & dominos, filios, & parentes, vxores, & viros inter se; ita politica maximè erudit senatores, artibus, & agris, colendis vacantes. Lex omnis triplex est, aut Naturæ, aut Moysi, aut Christi. Vetus lex habet præcepta moralia, iudicia, & cæremonias: habebat templum in quo atrium, & Sanctum, & Sanctũ sanctorum: apparebat omne masculinum coram Domino ad tria solennia festa: habebat tres Leuiticas ciuitates perfugij, ad quas confugere possẽt homines innocentes. Lingua triplex, Hebræa, Græca, Latina, sanctificata in cruce; & in illis sacra Biblia scripto commendata. Christus habet tres naturas, corporis, animæ, & diuinitatis: tres dignitates, Regis, Sacerdotis, & Prophetæ: tres gratias, primam illam, vnionis; secundam, gratiæ capitis; tertiam, summam habitudinem, & animæ suæ propriã, quatenus singularis est. Habet tres tesseradecadas Patrum in genealogia Matthæi: à tribus Magis reuerenter adoratus, & triplici munere cohonestatus. Tres tentationes hostis superauit in deserto: tres mortuos suscitasse legitur: tres dilectos Discipulos habuit, Petrum, Ioannem, & Iacobum, qui triplici Christi operi, vt familiares adfuerunt, nempè suscitationi puellæ; transfigurationi, & orationi in horto: ter orauit in horto eundem sermonem: estq; ille amicus homo, qui media nocte surrexit de lecto, & accommodauit illi tres panes, & illa mulier sapiens, quæ commiscuit farinæ sata tria: tribus horis pependit in Cruce, triaq; regna expugnauit, cœlestiũ, terrestrium, & infernorum: tribus diebus & tribus noctibus, sicut Ionas, stetit in sepulcho ad placandam Trinitatem. Sacramenta eius cõstant tribus, materia, forma, & ministro intendente. Triplex est eius baptism⁹, fluminis, flaminis, sanguinis. Eucharistia complectitur tria, corpus, & animam, & diuinitatem & gratiam quam impertitur. Pœnitentia iter est trium dierum, id est, Contritiõis, Confessionis, & Satisfactionis. Contritio est de triplici delicto: aut in Patrem per infirmitatẽ, aut per igno-

Marginal notes: 2. Cor. 12. — Gen. 10. — Exod. 34. — Deut. 19. — Matth. 1. — Infrà 2. — Infr. 4. — Matth. 9. — Luc. 7. — Ioan. 11. — Matt. 9. — Infrà 17. — Infrà 26. — Ibidem — Luc. 11. — Matth. 27. — Luc. 13. — Matth. 12. — Ion. 2

rantiam in Filium; aut per malitiam in Spiritum sanctum. Confessio est de peccatis, cordis, oris, & operis. Satisfactio, eleëmosyna, oratiõe, & ieiunio peragitur. Triplex est virtus, Intellectualis, Moralis, aut Theologica: atque hæc postrema diuiditur in Fidem, Spem, & Charitatem. Fides debet esse in tria symbola; Apostolorum, Nicænum, & Athanasij: debetq; credere non tantùm Deum, & Deo, sed & in Deũ. Debetque quis corde confiteri Fidem, contra tres Petri negationes; ore, contra hostes Fidei; operibus, ad ædificandos proximos, & tormenta, atque cruciatus pro illa sustinẽdo. Spes, de tribus esse debet, de venia peccati impetranda, gratia obtinenda, & vita æterna adipiscenda. Charitas esse debet de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta: debetq; Deum propter ipsum & proximũ, ac seipsum diligere propter Deum. Prudentia habet tres partes, intelligentiam præsentium, memoriam præteritorum, prouidentiam futurorum. Iustitia triplex est, aut illa, quæ communis est virtus, aut distributiua; aut commutatiua. Fortitudo contra hostes esse debet, carnem, mundum & diabolum. Castitas, aut coniugalis, aut vidualis, aut virginalis: repræsentata in illa triplici terra bona, quæ fructum edit trigesimum, sexagesimum, & centesimum. Obedientia non tantùm opere præstanda, sed & voluntate, & iudicio. Humilitas vera, nõ tantùm se superiori, sed etiam æquali, & inferiori se subijcit. Precatio sancta, aut vocis, aut mentis, aut mixta ex vtroq; sicut vita est triplex, actiua, contemplatiua, composita, quæ contemplata alijs tradit. Religio constat votis tribus, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; contra triplicem concupiscentiam carnis, oculorum, & superbiæ vitæ, repræsentatam in illa triplici terra, secùs viam, petrosa, & spinosa. Beatitudo, vt pleraque alia omittam, tribus partibus essentialibus constat, visione, possessione, atque fruitione: tres etiam habet aureolas, Martyrum, Doctorum, & Virginum. Et quisque habet gloriam de Deo, in se, & propriam suam in Deo, & extrinsecã de sancta Humanitate Christi, Virginis matris, & aliorum sanctorum. Cogimur ergo tot vestigijs Trinitatis, & alijs propemodùm infinitis, in vnam illam increatam, & per se beatam Trinitatem credere: siquidem illam scrutari velle, temeritas; credere, pietas, nosse, vita æterna est. Fides enim est, credere quod nondum vides; cuius merces est videre, quod credis. Et curandum, vt habeamus fidem, à Filio illuminãte; Spem, a Patre roborãte; amorem, à Spiritu sancto, qui est Patris, & Filij amor. Timendum deinde, ne offendamus Patrem, & excusemus peccatum per impotentiam; aut Filium, per ignorantiam; aut Spiritum sanctum, excusando delictum, per malitiam. Time Patrem, qui potest mittere in gehennam: time Filium, cui Pater dedit omne iudicium: time Spiritum sanctũ, quia arguit mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio, & qui deserit derelinquentes se. Curandum etiam diligenter, vt illa tria in nobis concordent, intelligere, amare, & operari, & in operibus bonis resplendeat Spiritus sancti bonitas per simplicem oculum, & sinceram mentem; Filij sapientia illustretur in mensura, & prudentia operationis; & robur Patris inclarescat in nostra perseuerantia. Postremò imitanda Patris fœcunditas, qui non est sterilis: nam ficus, quæ non habebat fructum, maledictioni subiacuit, & tu debes Patri dicere: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* & cum Rachele: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Imitare Filium, in veritate amanda, prædicanda, operibusque confirmanda. Imitare Spiritum sanctum in charitate, & Spiritus dulcedine, non diligendo verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate: vt ita illa supersubstantiali, & increata à nobis cognita Trinitate cum omnium cœlitum societate potiri, perfruique detur in secula seculorum, Amen.

Matth. 26. 1. Tim. 1. Matth. 13. 1. Ioan. 2. Matth. 13. Triplicis concupiscentiæ figura. Ioan. 17. Aug. serm. 27 de verb. Apost. el. sustio, tomo 10. Fides qui ſcius; merces Augustino. Matth. 10. Ioan. 5. Infra 16. 2. Paral. 15. & 24. Esai. 66 Matth. 21. Psalm. 142. Gen. 30. 1. Ioan. 3.

TRACTATVS LXVI.

In illa verba: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis: quia non nouerunt Patrem, neq; me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorũ reminiscamini, quia ego dixi vobis, etc.* Ioan. 16.

STATVS sublimitas, & gloria, in quam plerumque DEI gratia, pauperes euehuntur, solet inuidiam, & odium inferiorum excitare, vnde rectè de inuido dictum est:

Inuidus, alterius macrescit rebus opimis.

Item Christus tanto honore, & gloria à populo habitus, Pharisæorum, & Scribarum inuidiam non euasit, sed ab illis, tanquam fabri filius, & pauper contemptus iudicatus est, vt extinctus. Cùm ergo Apostoli a Christo essent electi, vt testes essent, & prę-

Status sublimitas hominũ inuidiam non euadit. Horat. lib. 1. epist. 2. Persecutiões Apostolis cum Christus prænuntiauit. Matth. 13. Apostoli ad quod munus

cones vitæ, mortis, atque doctrinæ suæ per vniuersum orbem disseminandæ, ingētem sibi inuidiæ fomitem, & persecutionis flāmam concitaturi erant apud vniuersos homines, tùm quia Iudęi, hominū genus exosum, atq; despicabile, tùm quia Christum Crucis supplicio affectum prædicabant; propterea Dominus præmuniendos eos esse existimauit his tantis verbis: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* Conueniunt autem hæc cum præcedentibus. Nam cùm dixisset, eos à mundo odio habendos esse, solatusque eos fuisset, quia neque primi, neque soli futuri essent, sed ipse esset antè eos odio habitus à mundo: cumque dixisset, eos è mundo erutos, neque debere velle seruos domino suo esse superiores, neque illos futuros propterea excusabiles, qui eos persequerentur, atque ita implerent Scripturam, dicentem: *Odio habuerunt me gratis*, & quòd tandem Paracletus rem aperiret, & testimonium redderet veritati, & inter hæc aduersa eos confirmaret: tandem aduersus aliam tentationem eos roborat, & consolationem adducit. Non enim à mundo odio habendi erant tantùm, sed etiam ab his qui habebantur sancti, & qui se, dum mortem illis inferrent, præstare obsequium Deo arbitrarentur. Hinc ait: *Hæc locutus sum vobis*: vel de aduentu Spiritus sancti, & testimonio eius, per quem Apostoli confirmati testimonium Christo erant perhibituri, vt exponit Augustinus, & Euthymius: vel de futuris scilicet tribulationibus, & Dei subsidio, vt videlicet non excidant animis vestris; quia non est præsentius remedium verbo Dei, quod promittit ab illis liberationem, vt Christus apud Matthæum, contra diabolum ostendit. Et vobis, inquit, testātibus de me cum Spiritu sancto, vt diuino, & humano testimonio nixi loquamini. *Vt non scandalizemini.* Non dixit; Vt accumulent tristitiam, aut metum; sed ad vestram vtilitatem, & cautelam, ne superuenientibus his odijs & persecutionibus offendaris, ac perturbemini. Sed quomodo ait, *Vt non scandalizemini*; cùm eadem nocte dixerit: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte?* Respondemus, hæc verba in Ioanne paulò antè dicta fuisse, quàm illa apud Matthæum, in quibus quod reuera euenturū erat, Christus prædixit, hîc autem loquebatur exhortans ne in scandalum illud inciderent, sicut & iure illud declinare debebant. Simili enim ratione aliàs cùm dixisset, *Oportet exaltari Filium hominis*: & tamen postea subiunxit: *Verebuntur forte Filium meum*, magis ad rei naturam, quàm ad euentum respiciens: ita etiam hîc hortatur, vt non scandalizentur, vel vt non ampliùs quàm illa nocte, vel vt non omnino, sed ex parte: scandalum enim omnino passuri erant, si à Fide omnino defecissent: sed fides intus mansit, licèt foras in confessionem non prodierit propter timorem. Hinc Dominus superiùs dixit: *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.* Id est, perturbatio tanta non sit, vt à fide in me credendi excidatis, etiamsi exterius vox turbetur. De scandalo autem non confitendi, putāt aliqui non debere intelligi quod prædixit Dominus: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.* Sed certè Deus multa præscit, quæ non ordinat, vt Damascenus ait, imò contraria ex se plerunque ordinat, licèt illa absolutè non statuat, quia non possent aliter euenire. Præscit enim cuncta peccata, & damnationem reproborum, ex se tamen decreuit elicere fugam peccatorum, & salutem, vt remedia parata testantur. Nec sequitur, quòd si Deus aliquid velit, id statim fiat: quia non omnia vult absolutè, sed aliqua vult pendere à voluntate nostra. Ideo si pſciuit scandalum, verū fuit scandalum, & peccatū, & per consequēs vitari poterat, quia præuidit, quòd liberè, & cōtingenter à nobis fieret: ergo Deus vt nō fieret, sua gratia, & prædicendo adiuuabat. Ac licèt quando hæc diceret, scandalum pſciret futurum in se, quia tunc ęternitas scādali tempori coexistebat; vt tamen tempori huius exhortationis coexistebat, nempè in caussa, scandalum futurū nesciebat, quia futurum contingens, vt tale est, certò cognosci non potest. Et licèt præsciret, non obstabat, quo minus Deus vtatur benignitate sua. *Væ, inquit, mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala.* Vel ob præscientiam suam, vel ob corruptos hominū mores, vt malitia sit ex nobis, non ex opis eius defectu. Stat enim, Christum seminare in terram sua culpa non bonam. Non ergo scandalizemini in me moriente, quia beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me, scandalum ex me non dante; ita vos ex vobis neminem scandalizantes, eritis occasio scandali, prædicantes Christum crucifixum, Iudæis scandalum, & Gentibus stultitiam. Et ideo non dico vobis, vt alijs non sitis scandalo; nam prædicatio vestra multos adeo offendet, vt vos propterea sint persecuturi. Curandum ergo nobis, ne quenquam offendamus; aut scandalum ab alijs datum suscipiamus.

Absque synagogis facient vos. Græca vox est significātior, habet enim ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, hoc est, excludemini ab ingressu sy-

erāt à Domino electi.

Quemadmodum cum superioribus ista cohæreāt.

Psalm. 34.

Apostoli à quibus odio habendi erāt

Quare Christus Apostolis locutus sit vt non scandalizaretur.

Aug. tract. 93 in Ioan. to. 9.

Euthym.

Matth. 4.

Quid est: vt non scandalizemini.

Infrà 26.

Id quomodo verū sit, cùm Apostoli scādalū passi fuerint Domino patiente.

Ioan. 12.

Matth. 21.

Ioan. 14.

Quid est: creditis in Deū, & in me credite.

Altera solutio quorundam de scandalo, sed minus idonea.

Matth. 26.

Damasc. li. 2. de orthodoxa fide, c. 30.

Multa præscit Deus, quæ non ordinat, teste Damasceno.

Scandalum quatenus eueniat voluntate diuina.

Matth. 18.

Vt verum sit illud: Necesse est vt veniant scandala.

Matth. 13.

Suprà 9.

1. Cor. 1.

Explicatur: Absq; synagogis facient vos.

su synagogæ. Non meminit odij mundi, de quo suprà dixerat, vel ablationis bonorum temporalium, de quo ad Hebræos Apostolus ait: *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Hæc enim quasi meliora non commemorat: duo tantùm proponit, quæ maximè affligunt, & animum religiosum cruciare solent, nempè excommunicationem, quæ peccatum lethale ponit, & pertinaciam in eo, spiritumque maximè torquet; & interfectionem, quæ corporis summum est malũ.

Hebr.10.

Quę duo maximè animũ excruciare soleant.

Est autem excommunicatio, siue eiectio, & proscriptio de synagoga, genus pœnæ grauissimum, de quo Christus: *Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus,* & Paulus: *Tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis.* & B. Augustinus tradit grauius esse supplicium, quàm gladijs dilaniari, aut à bestijs deuorari, aut flammis exuri. Huic pœnæ respondet ciuilis relegatio perpetua in insulam, quam passus est Ioannes Euangelista, vt testatur ipse initio Apocalypsis, siue interdictio ignis & aqua: terribile enim est ex domo Dei, & consortio populi sancti eijci. Ita dicitur apud Ioannem: *Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret*; & de cæco nato dicitur, quòd eiecerũt eum foras. Idem etiam inquit: *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur.* In quibus locis dictio eadem Græca ἀποσυνάγωγος ponitur.

Excõmunicatio quàm graue sit supplicium.
Matth.18.
1.Cor.5.
B. Aug lib.2. co. 8. aduersarium legis, & Prophet. c. 9 tom 9.
Apocal.1.
Ioan 9.
Ibidem.
Infrà 12.

Istud autem eijci à Synagoga Apostolis carnalibus videbatur graue, ac permolestum, ob autoritatem, & honorem; at spirituales, quia illi, qui eijciebant, perdebantur, & fiebant Synagoga Satanæ, non tam propter se, quàm propter illos mœrore afficiebantur. Hinc Paulus dicebat: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem:* renuebant enim doctrinam Apostolicam, & eius professores à synagogis suis expellebant.

Apostolis è Synagoga eijci quàm graue, durumq; videbatur.
Rom. 9.

Sed dices, Cur Dominus voluit, Apostolos non timere tale excommunicationis telum; cùm parendum esse principibus iusserit in Deuteronomio? & excommunicatio pastoris etiam iniusta timenda sit, cùm ea contempta, Deus contemni videatur? Vna & eadem est solutio: Prophetas suos mittens Deus, nullis subiecit, sed per eos, & Reges, & populos, & Sacerdotes aut docet, aut corripit, aut iudicat, vt qui nuntij sint, in quibus loquitur Deus. Hinc Ieremias: *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Quare toto mundo scandalizato, voluit ne ipsi offenderentur, nam & hoc periculum erat, ne ipsi de suo ipsorum ambigerent spiritu, quandoquidem zelum Prælatorum, in quibus Spiritus Dei esse credebatur, contra se excitatum erant visuri. Metuenda ergo conuersatio cum excommunicatis, ne eis, & nobis, & Prælatis nostris noceamus, & ne Deus contemptus acriora intentet flagella, & tamen hic periculosum erat abstinere à talibus excommunicatis, nam cum Deo coniuncti erant, & cum Deo loquebantur, & operabantur, & excommunicati erant à Deo, qui excõmunicabant Christi Apostolos.

Cur Dominus Apostolis suaserit ne Synagogã timerẽt, cùm alibi parendũ esse principibus edixerit.
Deut.17.
Ierem.1.

Ab excõmunicatis cur cauendum.

Sed mirũ est profectò, cùm zelum Dei haberent Apostoli, & illi qui eos persequebantur, zelo præditi essent, vt hic ait Dominus, & Paulus ad Romanos; quid est igitur quòd Deus ita patitur mundum errare, & permittit vt Apostoli sui tam dura patiantur? Nam primò vtraq; pars pro honore Dei decertans, digna non erat quæ persecutionem pateretur, & multò minus quæ persecutionem in sanctos Dei intentaret. Et tandem si necesse est aliquem pati, iustius, & consultius est, vt pars ea, quæ errat, patiatur magis, quàm illa quę nõ errat. Non ita tamen Deo visum est: & hoc fortè voluit Deus, vt notum sit nobis quòd viuere non debemus sensu nostro, vt nemo faciat quod bonũ est in oculis suis tantùm, sed quod inspiratur à Deo. Ideo accurrendum est ad perfectos viros, & Prophetas Dei, vt nobis suadent Moses, & Esaias, ne confidamus nostræ bonæ menti, aut seculi prudentibus, aut ne ministris quidem Dei quales erant illi, qui errant, de quibus Iob, liber Regũ, & Ezechiel: Sed subiecti simus Deo, & non solùm legem Dei diligenter audiamus, & meditemur in ea, sed etiã frequenter, vt ipse regat nos, deprecemur. Vel etiam hoc fecit ad detegendam virtutem suam, vel ad suos humiliandos, & alios confundendos, vel quia misericordia eius est in æternum; voluit ea ratione suos, suaque probari, vt esset futuris seculis testimoniũ tanquam aurũ multo igne probatum: idq; semper fieri debet, ne amantes mundum, in hoc seculo sordescamus.

Quid est q Deus Apostolos zelũ Dei habentes adeo vexari permittit, mundumq; in suo errore persistere.
Rom.10.
Deu.17. et 18
Esai. 8.
Iob 12.
3 Reg.22.
Ezech.14.
Altera solutio.

Verùm obijcies, hæreticos omnes his verbis exultare, atq; hęc pro se ipsis producere. Nam aiunt se & propter fidẽ Christi, quam tuentur, excõmunicari ab Ecclesia, atque igni dari. Sed profectò valdè hallucinãtur. Nam Apostoli poterant tũc primoribus contradicere, quia venerat tempus

Hinc locum sæpè admodum, & ridicule hæretici ad se ipsos cõtra Catholicos detorquent.

prædi-

prædictum, quo Meſſias erat audiendus, vt Moſes prędixerat, & ceſſabant omnia legis munia, atque miniſteria, & lex Spiritus allata iam erat. At hæretici modò non poſſunt dicere ceſſaſſe Papæ authoritatem, & Epiſcoporum Chriſti: cuius Sacerdotium æternum eſt, & contra illud nonniſi pſeudoprophetæ expectantur: nec in Scripturis vlla eſt promiſſio facta, quod poſt nonnulla ſecula aliter ſint interpretandæ Scripturæ, ac legitimus Sacramẽtorum vſus reſtituendus: neque nos alium Scripturarum diuinarum ſenſum, aut alium ritum Sacramentorum habemus, quàm illum ipſum, quem Apoſtoli habuerunt, & Eccleſiæ obſeruandum tradiderunt.

Deut.18. Hebr.7.

Cur Deus hæreticos zelũ Dei habẽtes, vt iactitant, nequaquã tamen illuminat, ac docet veritatem.

Dices; Sed nonne hic eorum zelus dignus erat, vt docerentur veritatem? Sed profectò propterea ſinebantur furere; vt videntes Dei virtutem, ſcirent nõ in finem eſſe repugnandum, ſed tandem aliquando dandas manus Euãgelio: ideo dixit, Vt nõ ſcandalemini, quaſi Deum contrarium habeatis, vidẽtes viros probos, & zelo Deo prǫditos in exitium veſtrum armatos: nam zelus eorum abſque ſcientia eſt. Sed vertet Deus in bonum Eccleſiæ meæ. Scandalum enim magnum Crucis imminebat, dicturi enim erant omnes: Si hæc res eſſet à Deo, nunquàm Deus permiſiſſet Filium ſuum, ac nũtium tam diris modis tractari, ac ſaltem ilicò perſecutio finem haberet, & miniſtri eius eſſent in gloria, & honore habiti: nũc autem Deus & ipſum, & omnes qui eũ perſequuntur, perſequitur, & à bonorũ cõſortio eijci permittit. Verũ hoc Dei conſilium erat: volebat enim Deus ſuos nullo in loco diù conſiſtere, ſed ſpargi eorum multos, atq; ita diſſeminare Euangelium, vt in Actis fieri cœptum eſt; & Iudæi hoc præceperunt, ne Apoſtoli congregarentur. Adhæc quò ſcandalum maius erat, eò & maior honor: & niſi tam grauis eſſet perſecutio, non tam benè examinata religio noſtra videretur: nunc autem omnia conſtant, & ſtat teſtimonium eorum. Gentiles quidã, & hæretici inſani florẽt, quia de falſis eorum rationib⁹ nemo dubitat. De Mahometo loquor. At Iudæi, & Pagani, vel periẽre, aut iram Dei portant: nam & pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ venturi dicti ſunt. Vide autẽ mundi cęcitatem, quod pios pati nõ poteſt; ſed eos, quorum beneficio viuit, eijcit, atq; perſequit̃. Quòd autem Deus non ſtatim animaduertat in impios; id fit, ne eradicetur ſimul & triticum. Propter pios, qui in mundo ſunt, parcitur mundo: poſtquàm autem fuerint ſeparati à malis, iudicium Dei irruet in illos: vt patet

Rom.10.

Act.8.& ſeq.

Altera ratio.

Matt.24.

Cur Deus nõ ſtatim animaduertat in impios.
Suprà 13.

Gen.7.

in Noë, Lot, Iſraëlitis, atque Chriſtianis. Quãprimùm enim Noë ſe ſeparauit ab impijs, Lot à Sodomitis, vſraëlitę ab Ægyptijs, Chriſtiani qui erant Ieroſolymis, Angeli monitu exierunt de vrbe, impij horrendo iudicio perierunt.

Infrà 19.

Exod.14. & ſeq.

Sed venit hora. Venit, præſentis eſt temporis: & vox Græca, horam, vel tempus ſignificat. Et hoc loco etſi magis quadret tẽpus, tamen hora pro tempore vſurpari ſolet. Et apte per horam innuitur breue tempus perſecutionis, de quo; *Non relinquet Dominus virgã peccatorum ſuper ſortem iuſtorum:* cùm conſolatio ſit æterna. Cœpit autẽ hoc tempus à paſſione Domini, quæ durauit ad breue tempus, id eſt, vſque ad euerſionem Ieroſolymæ, & templi, quo tempore habuerunt Iudæi poteſtatem excommunicandi, & interficiendi. Nam Stephanum, vt contrarium legi Dei, & templo, lapidârunt, & Iacobum occidit Herodes. At idololatræ plus quàm per horam perſecuti ſunt, & propter idola, nõ propter Deum: ideo in priori parte de Iudæis loquitur. Circa literam, aduerſatiua illa, ſignificare videtur aliquid conſolationis contra eiectionem de ſynagoga obuenturam: & tamen quæ ſubiungit, malum potiùs exaggerant, & tribulationem ſuper tribulationem venturam enotant. Cyrillus coniunctionem Græcam ἀλλά interpretatur quinimò, aut, quinetiam, habet enim: Sed non hæc aduerſus vos tantũmodò facient, verumetiam ad tãtum atrocitatis prorumpent, vt ſacrificij vim in cæde veſtra poſitam putent. Beda verò aliter hæc accipit, dicens: *Bella quidem tribulationum à contribulibus eſtis paſſuri; ſed eò tolerabilius hæc ſuſcipite, quod non tam odio veſtri, quàm diuinæ legis æmulatione vobis ingerentur.* Sed pręſtat prior expſicatio, & coniunctio, ſed, poteſt accipi pro, ſed &, vel quod eſt idem, pro imò, in editione noſtra. Itaque coniunctio aduerſatiua, ſed, ad quantitatẽ paruam antedicti mali, ſcilicet excommunicationis ex Synagoga referatur: quaſi diceret: Si hoc parum eſt, veniet tamen tempus, &c. Tolerabile eſſet proſcribi, niſi & impij pios interficerent beſtijs immaniores, qui nonniſi ſanguine eorum, quos oderunt, ſatiantur. Tolerabile etiam eſſet occidi, ſi mundus agnoſceret aperta fronte ſe impiè agere: ſed vult videri occidẽdo pios, ſe benè agere, Deoq; cultũ pręſtare. ¶*Vt omnis qui interficit vos, abitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Ponderat Cyrillus, quod de morte, & interfectione loquitur, vt eo quod maius eſt, cõtempto, cætera vt minora nõ curentur. *Omnis,* inquit, *qui interficit vos.* Siue clã, ſiue

Quando primũ venit hora impiorum Apoſtolos interficiendi, & alios Chriſti ſectatores.
Pſal.124.

Act 6.& Infrà 7.

Infrà 12.

Cyrill. lib.10. in Ioan.c.35. tom.1.

Beda in Ioan. tom.5.

Ingeniũ impiorum.
Quis ſenſus horũ verborũ: Vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequiũ ſe præſtare Deo.
B.Cyrill.lib. 10.in Ioan.c. 35.tom.1.

Qui seruos Dei persequebantur, vt ei gratificarentur, quid assecuti fuerint: quid contra ij, qui tanquã Deo odiosi mortem perpessi sunt.

apertè, siue iure, siue iniuriã videatur sibi, & alijs pro cultu Dei stare, vt Dei testimonium magis inclaresceret. Cùm autẽ videamus, eos, qui persequebantur, vt Deo gratificarẽtur, sic fuisse deceptos, vt tamen viles, cõtempti, ac nulli prorsus euaserint; at verò illos, qui persecutionem, & mortem velut Deo odiosi patiebãtur, magno in honore habitos esse: intelligamus quantũ fuerint illorum consilia inania atq; irrita, atq; in illis impletum: *Odio habuerunt me gratis*, id est, sine caussa: sed cum caussa vos persequentur, nempè putantes se obsequiũ prę-stare Deo. Viuo enim Christo, cùm nondũ prædicaretur legis antiquatio, & cessatio, nec de illo fieret satis aperta mentio, nõ erat cur zelo Dei Christũ persequerentur: sed ob id odio habebãt Christũ: quia inuidebant ei; itaq; innocente mori voluerunt. At verò postquã Christus resurrexit, & lex per Apostolos antiquari cœpit, & Christus etiam Deus prædicari, & mysterium Trinitatis explicari, tunc verò qui hæc nondũ intelligebant, obsequium sese Deo præstare putabant, si tales interficerent. Vnde Moyses interficientibus idololatras Leuitis: *Cõsecrastis*, inquit, *manus vestras hodie Domino, vnusquisq; in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio*: vbi Chaldæus paraphrastes habet: *Obtulistis oblationes vestras hodie coram Domino*. Idem Deuteron. 13. præcipit pseudoprophetas occidi sine omni misericordia: & zelo excitati Stephanum, vt impium & blasphemum lapidàrunt; & quadraginta viri se deuouerant, dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Primi ergo illi, qui Iesum pro nuntio Dei non agnoscebãt, cùm ipse plura suæ legationis signa daret, inexcusabiles extiterunt, quia zelum Dei habebant, sed non secundùm scientiam. Qui verò non erant illuminati, sic persequendo non tam peccabant, vt alij. Ideo ait, Deo: quia videtur loqui de Iudæis, qui vidẽtes per Apostolos abstrahi homines ab cæremonijs, zelùm Dei scientia destitutum habẽtes, putabant id esse gratissimum sacrificium. At viri spirituales vtrunque esse donum Dei putabãt, & eijci à synagoga, & interfici pro Christo. Similia etiam fecerunt Gentiles: nam, teste Tertulliano, omnia imperij Romani dispendia impij Christianis Romæ habitantibus tribuebant, & dicebant, Christianos ad leonem: & Suetonius in vita Neronis, in c. De rebus benè gestis per eum, recenset persecutiones in Christianos factas. Vt proptereà Paulus Orosius hortatu B. Augustin. librum de Ormesta mundi conscribere persuasus fuerit, quò ostenderet, res Romani imperij nõ minoribus persecutionib⁹ obnoxias extitisse ante aduentum Christianorum, quàm posteà fuerint. Erant igitur eorum persecutiones sine caussa, & contra conscientiam, etiamsi foris sibi ipsis, vel alijs viderentur Deo gratificari, & innumeris iniurijs Christianos aspergerent, vocantes eos impios, maleficos, magos, asinarios, infanticidas, Christianos. Quod autem dici solet cõmuniter, rectam mentem, siue intentionem opus bonum efficere; & Ambrosius: *Intentio imprimit speciem operi tuo*: intelligendum est de intentione operi respondente, non de intentione operantis duntaxat. Non enim excusatur qui hostem occidit, vt viuat pacificè; vel qui mentem adhibent extortam atque corruptam, quam etiam rectis per se actionibus possunt adiungere.

Ioan. 15. Psal. 34.

Cur Iudei odio Christũ habuerint.

Exod. 32. Leuitæ vt cõsecrauerint manus suas coram Domino.

Act. 7. Infrà 23.

Rom. 10.

Romani etiã vt putauerãt obsequium se præstare Deo, si Christianos interficerent.

Tertulian. Apologetico. Sueto. in vita Neronis c. 16.

Qua ratione ductus Orosius librũ de Ormesta mũdi conscripserit.

Recta mens, siue intentio opus bonum efficit, & quomodo

B. Ambros.

Et hæc facient vobis: quia non nouerunt Patrem, neq; me. Ratio persecutionum ponitur ignorantia: verùm illa neminem excusat, quia potuissent, si animum adhibuissent, illam à se expellere. Quia non nouerunt, inquit, Patrem, quatenùs Pater est, id est, non nouerunt mysterium Trinitatis: neque me Deum, & hominem, hoc est, mysteriũ Incarnationis pro salute mundi peractum. Israëlitæ enim etsi non ignorarent Deum conditorem, arcanum tamẽ Trinitatis, & Incarnationis, quæ duo Iesus mundo prodidit, non agnouerunt. Non ergo nouerunt Patrem, neque me. Si enim nouissent, timerent talem Patrem, & talem fratrem primogenitum offendere; &, non cognoscere potentiã & sapientiam eorum, quorum est iusta decernere, & exequi, ad eos spectat, qui confisi de Dei bonitate peccant. Non cognoscere etiam quantum bonum sit habere Deum, & Christum fratrem, est occasio certa nobis omnis peccati. Et consolatio est, quòd prius fiat iniuria Deo, quàm nobis: quia non est seruus maior domino; sufficit ergo vobis quòd propter me, & Patrem meum patimini. Secundò non nouerunt, id est, ex odio nõ approbàrunt, quemadmodum ad Romanos dicitur. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia: quia etsi peccarent ex malitia, tamen cùm operabantur, non spectabant ad malum. Tertiò non nouerunt Patrem: quia putabant præclarum esse, vt oues, & vituli pro peccatis offerantur, & staret templi magnificentia; & idcirco putabant impium, & ingratum Deo, si contra prædicetur. Sed non nouerunt paternam bonitatem, quæ non vult eos esse sub lege, sed dominos legis, & filios. Non nouerunt Patrem, vt Pater est, qui hæc spernit, teste Daui-

Ignorantia quæ minimè peccãtes excusat, & cur Iudæi inexcusabiles.

Israelitæ etsi Deum vt cõditorẽ agnouerint: Trinitatis tamen, & Incarnationis mysteriũ ignorãrunt.

Cur Iudęi Patrem Deum, eiusq; filium Iesum Christum nõ nouerint infelices.

Ioan. 13. & 14.

II. ratio.

Rom. 1.

III. ratio.

Psalm. 49.

Dauide. Non nouerunt etiam me, qui pro illis veni, vt sint mihi cohæredes, non nouerũt me, qui putabãt me ambitiosum esse, & gaudere ruina maiorum, vt in ea ego crescerem. Quanquàm id quidem fuerit, sed aliter atque ipsi putabant; nam in persecutionibus Christi cultores crescunt. Putabunt etiam, me nolle antiquare cæremonias, sed vos vestro iudicio id agere; & ita etiã Christiani vos persequentur. Oportet igitur vos eos cõmiserari, atq; operam dare vt illuminentur. Itaq; perhibete de me testimonium, & Spiritum sanctum de me testificantem id temporis adiuuate: quòd lex spiritualiter sit seruanda: & ego huius rei inquisitionem vel acerrimã fieri procurabo, vt res tanta decidatur, cùm Spiritum Dei esse in hominibus apertè constiterit: sicut factum est. Non enim semper manifestus Spiritus Domini esse in hominibus debebat, sed initia religionis erant consecranda, & solidissima fundamenta iacienda. Non ergo vos miremini, cùm pro bono opere lapidamini, aut si nos aliquem benè operãtem persequamur: quia id inde proficiscitur, qui Deum vti debemus, non agnoscimus.

Persecutionibus crescũt Christi cultores.

Act. 15. & seq.

Vnde in pios persecutio oriatur.

Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Vult Christ⁹ in aduersis nos cogitare, quòd hæc omnia ipse prædixerit: tum vt eum Deum agnoscamus, qui futura prescìuit; tũ vt leuiùs feramus præuisa iacula; tum vt ex euentu eorum, quæ aduersa sunt, nõ dubitemus, ea etiam bona implenda, quæ promisit; postremò vt agnoscatur quòd deceptor non extiterit. Solent enim seductores ea, quæ à deceptione abducunt minimè prædicere, sed ea tantùm, quæ eos alliciant atque trahant: & magnum est remediũ his qui pro virtute decertant, cognoscere, pro quo sit certãdum. Reminiscamini, inquit. Vnde & Angelus dixit mulieribus: *Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset*, & quæ sequuntur. Sic ergo vos ipsos cõfirmate, quoniã ad hoc electi estis, vt non animo deficiatis, & dicamus: Benè agimus, & mala patimur: quæ iustitia est hæc? quia in hoc positi estis, vt mũdus examinet vos p omnia, sicut & me per omnia tentauit, vt sentiant quæ in vobis sit diuina virtus. Porrò aduersaria coniunctio, Sed, referenda est ad tristitiam, quæ in Apostolis generari posset audita malorum imminentium prædictione. Et significat Dominus se non ob ingerendam tristitiam hæc illis dixisse. ¶*Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* Hęc non videntur de persecutionibus, sed de Spiritu sancto intelligenda, quasi diceret, Ego fungebar vice consolatoris, & necdum reconciliati eratis cũ Patre; ideo nihil dixi de Spiritu sancto ab initio, sed modò instãte morte, quæ caussa est aduenientis Spiritus sancti, & proptereà non dixi, quia vobiscum eram vt consolator. Ita hæc verba interpretatur B. Augustinus. Alij verò de persecutionibus hæc intelligunt, de quibus ab initio nihil dixit Christ⁹ Apostolis, primò, quia paruulis lacte opus erat, nõ solido cibo, ne dicere possent, *Durus hic est sermo*; deinde quia vobiscũ eram, nolui ante tempus vos contristare, satis est quòd nunc tristabimini. Non enim possunt filij Sponsi, quandiu cum eis est Sponsus, lugere: nunc tempus est vos ablactandi, & maius robur sumendi, ne sitis vt pueri, qui semper pendent ab vberibus matris. Tertiò vobiscum eram, & ideo totum tempus prælij contra me vertebatur: nihil vos molestiæ passi estis. Nunc imminent vobis pericula; ideo præmoneo ne putetis vobis verba data, vosque vana spe à me lactatos fuisse: vt falsi prophetæ faciebant, dicentes, *Pax, pax, & non erat pax.*

Prædictæ à Domino persecutionis in Apostolis caussæ.

Luc. 24.

Quænam illa, quæ Apostolis, vt ipse ait, Christus non dixit: & quid illud: Quia vobiscum eram.

Altera sententia.

B. August. tract. 94. in Ioan. tom. 9. 1. Cor. 3. Ioan. 6.

Matth. 9.

Ierem. 6.

Sed hic obijcit Euthymius, Dominum hæc ab initio Apostolis dixisse. Nam apud Matthæum dicitur: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Et, *Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsides, & ad Reges ducemini propter me, in testimonium illis & Gentibus*, &, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*: quomodo ergo ait, *Hæc ab initio non dixi?* Respondet idem Pater, quòd hęc scilicet de excõmunicatione, & eiectione à Synagogis, & de interfectione vestra, putãdo se in ea re Deum colere, ab initio non dixit: hæc enim formidabiliora sunt omnibus alijs. Pati enim vt Dei hostem, & religiosi contrarium à putantibus se in eorũ sanguine Deum placare, durissimum est, & grauissimum. Qua in re illud addiscimus, verbum Dei cum prudentia dispensandum: nec enim omnia omnibus, & omni tempore prædicãda sunt. Discamus deinde non zelare ex aliqua animi peturbatione, qua cæcatur oculus mentis, ne aspiciat veritatem: nam talem zelum habuerunt Iudęi omnes in Christum & Apostolos, & omnes hæretici, maximè verò Arriani, & modò Lutherani, & Sacramentarij pro Christi gloria vindicanda, & gratia eius asserenda pugnare se iactant contra Sanctos, & Sacramenta, & bona opera, quæ ex libero arbitrio Spiritu Dei ornato proficiscuntur. Demus igitur operam, ne simili affectu abducti veritatis lucem amittamus, & verum ignoremus Dominum

Vt verũ sit, Christum Apostolis persecutiones non dixisse ab initio. Euthym. in Ioan. c. 17. Matt. 10. Ibidem.

Eiusdem Euthymij solutio.

Verbum Dei quomodo dispensandum.

Vt minimè pro Domino zelandum.

nostrum

nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu sancto semper viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

TRACTATVS LXVII.

In illa verba: *Et nūc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ioan.16.

Qualis Dei erga electos prouidentia.

QVemadmodum vita hæc, quæ nobis communis est cum cæteris animantibus, admirabili Dei prouidentia gubernatur, & nunc quidem luce, nunc verò nocte, modò calore æstatis, modò hyemis rigore regitur, atque hæc mutua vicissitudo temporum, atq; varietas pergrata solet esse naturæ nostræ atq; plausibilis; ita vitā spiritalem electorū suorum mirabili quadam sapientia disponit, & nunc quidem tristibus, nunc verò lætis, interdum bello, quandoque pace, modò gratiæ diuinæ copiosa visitatione, modò verò magna ariditate, & siccitate spiritus pro sua sapientia, suauitateq; moderatur. Quia vt Propheta testatur: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Hinc Domin⁹ cùm prædixisset discipulis quæ illis imminebāt tribulationes propter Apostolicā Euangelij prædicationem, & simul multas addidisset consolationis rationes, nimirū quòd propter Deum paterentur, quòd ex ignorantia homines contra eos delinquerent, & neq; Patrem, neque se Christum agnouissent; modò aliā Apostolis aduersitatem impendentem, nempè de abitu, atque obitu suo prænuntiat; atq; hîc persecutionis medelā subiungit, declarando fructū, quem ex eo consequerentur, id est, missionem Spiritus sancti, quem etsi aliàs pollicitus fuisset, modò fusiùs de eo, & copiosiùs de fructibus eius philosophatur, dicens: *Et nunc vado ad eū qui misit me.* Et nunc, inquit, quando ampliùs non ero vobiscū, vel, vt Græca habent, nūc autem, & ita legit Augustinus. Et quo propiùs instat crux, eò apertiùs de ea loquitur. Vado, inquit, ex obedientia Patris, & spontè, & per viā vniuersæ carnis, sed in ea non detinendus, & iter trium dierum erit mortis, & resurrectionis, & ascensionis. Et prima dicta solet esse omnium maxima, & vt dici solet, magnum est è domo egredi: quæ pulchrè nobis mortē repræsentant. Et vado de præsenti, quia iam instabat mors, & actu ad patiendum ibat ad locum, vbi iam venditus à Iuda comprehendendus erat, moxq; in manus peccatorū tradendus. Et mors Christi meritum Spiritus sancti fuit, ideo quāprimùm est suscitatus, insufflauit in eos dicēs, *Accipite Spiritum sanctum: quorū remiseritis peccata, remittuntur eis,* & reliqua. Granum ergo frumenti cadens in terram, fructum Spiritus sancti nobis attulit. Subdit: *Ad eum qui misit me.* Ibat ergo vt homo non ad inferos, vt reliqui homines, diu ibi moram tractaturus sed ad Patrem, à quo & fuerat missus: sępeq; hoc inculcat, quia volebat eos certissime scire, Patrem glorificaturum Verbum suum, tametsi mundi iudicio dānetur; & qui Verbum Dei prædicant, tametsi interficiantur, intelligāt se ad Patrem pergere. Nec inquit, Vado ad mortem, sed ad eū qui misit me, quasi diceret: Quātumuis aspera, & angusta sit via crucis, per quam transeō, finis tamen certus est, & ad certam gloriam pergo: quia non dubiū est quin Pater honorificet honorantes se. Et ita cōsolatur Apostolos, vt sciant se certò per crucem peruenturos ad gloriā. Deniq; sic loquitur, vt crucis vitet scandalum dulci nomine illam tegens: & indicat quòd mors sit pijs omnibus ad meliorem vitam transitus; & mundus hoc verbo reprehendatur, qui beatos eos dicit, qui longè absunt ab aduersis. Sic Iob dum tētaretur, iniustus fuit ab amicis iudicatus, & Paulus à vipera inuasus, homicida est existimatus, Christus verò pendens in cruce, reputatus est vt lepros⁹, percussus à Deo, & humiliatus: crux ergo, quæ mundo est scandalum, pijs iter est ad Patrem; Ideo commilitones, discipuli, atq; membra Christum ducem, magistrum, & caput sectari ne molestè ferant. *Et nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?* Quomodo Dñs audet dicere: *Nemo ex vobis interrogat me. Quò vadis?* cū & Petrus interrogauerit, *Domine quò vadis?* Et B. Thomas Apostolus superiùs dixerit, *Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire?* Vbi latenter de fine, & via petit erudiri. Philippus quoque dicendo: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis,* tacitè interrogauerit, *Domine quo vadis?* Respondemus primò ex Augustino sic locum hunc intelligendum: Ego vado per ascensionem, quod tam palàm fiet, vt etiā visu corporis cernatis me ascendentem in cœlum: quia vt dicitur in Actis: *Videntibus illis eleuatus est;* atq; ita non erit opus vobis me interrogare, *Quò vadis?*

Psalm. 93.

Christi iter ad Patrē per crucē ac mortem.

Matt.26.

Christi mors aduentū Spiritus sancti promeruit. Ioan.20.

Suprà 13. De suo Christus ad Patrē abitu cur sæpius meminisset.

Quid est: Vado ad eū qui misit me. 1.Reg 2.

Vulg: indico, insipienti videlicet, qui beati.

Iob 4. Act.28.

Esaia.53.

Quomodo verū sit. Nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis, cum & Petrus, & Thomas de hoc Christū interrogauerint.

Ioan.13 & infra 14. Lectio... sed incongruus.

August. ibid.

Act.1.

Vera

Vera quidem, at durmfcula expofitio. Ná dicendum erat, Ego vadam, & nemo ex vobis interrogabit me, Quò vadá: nam afcenfio fuit poft quadraginta dies; mors verò fequenti die peracta eft, atque poft modicũ temporis erat ad illam comprehẽdendus.

Deinde minus cohæret fequẽtibus verbis, quæ habent: fed quia hæc locutus fum vobis, triftitia impleuit cor veftrũ: fed in afcenfione nulla triftitia, fed gaudium impleuit cor eorum. Nam afcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ: qua afcenfione perfpecta reuerfi funt Apoftoli in Hierufalem cum gaudio, vt ait Lucas. Secundò dici poffet, Dominum Apoftolis indicare voluiffe, quid in hac via ad crucẽ ipfis euenire debebat, nempè vt fuga fibi confulerent, & Dominum folum relinquerent: & tempus fugæ non erat aptum ad interrogandum, *Domine, quò vadis?* Sed certè etfi hæc interpretatio pia fit, non videtur tamẽ ad rem: quia debebat dicere, Nemo ex vobis interrogabit me: & textus ait, *Nunc vado, & nemo ex vobis interrogat me, &c.* Chriftus etiam fatis apertè indicabat fe ire ad Patrem, & ad eum, qui miferat illum.

Pfal. 46. *Luc. vlt.* II fenfus etiã ineptus. *Matth. 26.*

Tertiò igitur pro vero fenfu ftatuendum Dominum his verbis interrogari de loco, quò ibat, vel de perfona, ad quã pergebat, quam ipfe expreßè dicebat effe Patrem qui miferat eum, non voluiffe, fed de cauffa, & fcopo, fiue inftituto, propter quod ibat, quemadmodũ volenti nauigare ad Indos, vel proficifci ad bellũ, foliti fumus dicere, Quò vadis ad Indos? vel quò proficifceris ad bellum? Id eft, Ob quam cauffam, quorfum, & propter quem fructum? Quemadmodum Petrus, vt exẽplo aliquo illuftrem, Chriftum fibi occurrentem non longè ab vrbe, interrogauit, Domine, quò vadis? (quo in loco extat hodie facellum cum pictura Petri, & interrogatione Domini, Quò vadis) Dominus autem nõ ignorans mentem interrogantis, refpondit non tam de loco, quàm de cauffa, dicendo: *Vado Romam iterum crucifigi*: ita modò hic, *Quò vadis?* Et cùm in difceffu Chrifti duo effent, primùm, abitus eius amarus, fecũdum, fructus difceffus eius falutaris, Apoftoli hærebant primo fine fecũdo, hinc triftabantur: Chriftus verò, vt medicus ad vtilitatem amaræ medicinæ refpiciens: volebat fuos idem refpicere: quafi diceret, Enfem capulo prehendite; nõ cufpide, vel acie. Ideo interrogari volebat, *Quò vadis?* id eft, vt Euthymius egregiè exponit, Quid agis te morti dãdo, & nos relinquendo? Quæ tua, & Patris tui gloria erit hæc? Vis ne te, & Patrem tuum inhonoratũ haberi, & nos difcipulos tuos,

III. aptus nimirum & congruus. Illuftratur exemplis. *Euthy. ibid.*

vt impios interfici? quod tuũ, vel noftrum commodum hoc erit? Volebat ergo interrogari ab eis, quorfum per mortẽ recederet ab eis ad Patrem; vt inde haberet occafionem, declarãdi quàm falutaris effet paffio fua, atque crux, & quàm fructuofæ illorum perpeffiones & mortes. Vox Iacobi eft: *Sufferentiam Iob audiftis, & finem Domini vidiftis*; eius fcilicet, qui tefte Apoftolo, propofito fibi gaudio fuftinuit crucem, confufione contempta. Serpens enim à Moyfe per caudam acceptus, fit virga, fiue bacul⁹: id eft, tribulationis finis infpectus confolatur, & fuftentat nos. Ideo quifque in omni actione & negotio interrogare debet feipfum, *Quò vadis?* id eft, Quorfum operari vis, pro gloria Dei ne, & pro vtilitate Ecclefiæ, an pro tua gloria, vel compendio tuo? num quò te conducit peccati fuauitas, an quò labor virtutis? Nam peccator nõ videt præcipitium inferni, quò vadit, benè viam fuauem, & amœnam: iuftus autem non videt breuitatem laboris, & crucem non cernit, fed fructum fempiternæ gloriæ bonum opus confequentis, fecundùm illud: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, fed quæ non videntur.* Quæ enim videntur, temporalia funt: quæ autem non videntur, æterna funt. Hũc autem verum & germanum fenfum cõfirmant fequentia: Sed quia hæc locutus fum vobis, triftitia impleuit cor veftrum. Sed ego veritatem dico vobis, Expedit vobis, vt ego vadam. Vbi declarat ingẽtem mortis fuæ fructum effe. Addit quoq; Euthymius, quod quia Petrus interrogauerat, nec acceperat refponfum, & alij Apoftoli nonnihil petierant, volebat Dominus ampliùs interrogari, & tamdiù, donec redderet refponfum eis. Nemo ergo ex vobis perfeuerat interrogando, vt perfeuerantia fua mereatur obtinere à me explicatam cauffam, propter quam recedo.

Iacob. 5. *Hebr. 12.* *Exod. 7.* In cunctis actionibus finis infpiciendus eft. *2. Cor. 4.* *Euthy. ibid.*

Sed quia hæc locutus fum vobis, triftitia impleuit cor veftrũ. Id eft, triftitia huius tam falutaris rei interrogatione, atque loquela vos fpoliauit. Solet enim nimia, ac vehemens triftitia mentem abforbere, & rationis, atq; linguę vsũ eripere, vt Iob percuffum à Deo per feptem dies fpoliauit loquela, & mutũ reddidit. Perpende hîc Domini benignitatem, id quod repręhenderat, excufantis; nõ tribuentis aut malitiæ, aut negligentiæ, fed immenfitati triftitiæ vfu rationis, & linguæ priuantis. Duo funt hominum genera, quæ in hoc peccare videntur: alterum eft eorũ qui contenti fimplici fide eorum omnium quæ tradit Ecclefia credẽda effe, fugiũt habere peculiarem cognitionem eorum, quæ credere & agere debent pro ratione fui

Quare triftitia impleuit cor Apoftolorum vt Chriftus inquit. Triftitiæ effectus. *Iob 2.* Chrifti in Apoftolos mira benignitas. Duo hominũ genera in ijs quæ Fidei funt, peccantium.

quifque

quisque status, & ita in multa prolabuntur peccata, quæ vitare facilè potuissent, si studium discendi, & interrogandi, & audiendi verbum Dei adhibuissent: contra autem sunt alij curiosi scrutatores maiestatis Dei nolentes sæpè ad sobrietatem, & plusquàm oportet nitentes sapere, vt sunt hæretici, & curiosi, qui altiora seipsis rimantur, & in errores, & vitia sibi fidentes prolabuntur, & vtrumque extremum, qui suæ salutis desiderio tenetur, declinandum est. *Sed ego veritatem dico vobis.* Vt verus amicus; imò veritas ipsa non iocunda, sed vtilia loquor, & veritatem, quæ dulcis est perfectis, amara, odiosaque imperfectis, sed neutris iniusta aperio; ideo non est silentio supprimenda, & quæ etsi ad tempus dolorem infligat, postea tamen sanat, ac consolatur. *Expedit vobis vt ego vadam.* Id est, ad eligendam mortē vestro compendio moueor, atque vtilitate, vt nihil dicam de mea, & Patris mei gloria, vt sic meo sanguine de captiuitate peccati, ac dæmonis vos redimam, vt deleam chyrographum decreti, vt portas cęli clausas aperiam. Vt, quàm sit peccatum horrendum, quanti Patris mei obedientia facienda, quam vili in pretio habenda propria vita, si occurrat articulus gloriæ Dei vendicandæ, atq; illustrandæ, vel spiritualis salutis hominum asserendę, vt insignē erga vos amorē testatissimum toti mundo prodam.

Christus qualis veritas.

Cur expediebat Christus vt ad Patrem vaderet.

Coloss. 2.

Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. In primis illud considera, proponi aduentū Spiritus sancti per negatiuam, & affirmatiuam enūtiationem: vt moris est Ioanni alibi dicere; *Et confessus est, & non negauit*; & alibi, *Qui nouit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos.* Et iterū, *Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: Et omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo nō est.* Estq; maior affirmatio, & asseueratio eius quod dicitur. Deinde perpende, quòd potuisset Christus multos alios mortis suæ fructus enarrare: quia mortuum granum frumenti multos fructus erat allaturum; vt, peccatorum remissionem, iustificationem, corporis glorificationem, ipsamq; adeò vitam æternā, de quibus prius ex parte dixerat: sed hic vnum solum recenset fructum, qui vnus omnibus malis ferēdis sufficit, id est, Spiritus sanctus, qui ad rem erat, id est, ad cōsolandos mœrore affectos Apostolos, & tāquàm orphanos Christi præsentia destitutos, & ad eas persecutiones, & cruciatus, mortisq; supplicia, quæ Apostolos manere prædixerat, fortiter perferenda, imò cum summo suo ipsorum fructu, & aliorū ædificatione ad gloriam Christi toleranda,

Quid est quod Ioannes per negationem iuxta & affirmationē (vt sæpe aitas) ad uentum Spiritus sancti proponit.

Ioan 1.

1. Ioan. 4.

Ibid.

Cur potiùs hunc, quàm alios mortis suę fructus Christus expresserit.

Ioan. 12.

accommodatus. Tertiò perpende, Dominum ita hæc verba temperasse, vt per ea, & significaret, Spiritū se non esse minorē, & se non esse illo inferiorem, sed æqualē illi per omnia. Nam si expediebat abire, quò veniret Paracletus, certè in eo excellentia Spiritus sancti denotatur, vt Chrysostomus cōtra Macedonianos expendit. Ne verò per hoc putetur Paracletus maior Filio, subdit: *Mittam eum ad vos.* Quartò aduerte, Spiritū sanctum tale donū existere, vt nisi ipse sese nobis insinuet, atq; aperiat, à nobis capi nō possit, qui sicut Sol ipse sine sua luce nō videtur. Est enim verus Deus, Patri, & Filio cōsubstātialis, atq; ab vtroq; procedens, vt amor, vt vinculū, & nexus, quo Pater, & Filius infinitè, & substantialiter inuicē vniuntur, quò etiā voluit colligi nobiscum, ita vt qui Spiritum Christi nō habeat, hic non sit eius. At quæ ad eum accipiendū præparāt, multa, & magna sunt, vt, Angeli, Lex, & Prophetæ, vita, mors, ascensio, & oratio ipsius Christi: nondum enim erat Spiritus datus; quia Iesus nondū erat glorificatus. Effectus verò eius innumeri propè atq; admirabiles existunt: quia repleuit nō minus orbem terræ, quàm omnium cordium desideria, & plus vno momēto iuuit Apostolos, quā triennio integro Humanitas Christi. Nam vt, teste Euthymio, Pater trahit homines ad Christum; ita Christus ad Spiritū sanctum ducit, vt perfectorem, & consummatorem; Spiritus sanctus ad Patrē trahit, quē reuelat, ita vt faciat clamare, Abba Pater, & ad clarificandum Christum, de quo dixit; *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Est enim Humanitas Christi, scriptio paulatim facta; Spiritus sanctus vt sigillum simul omnes literas imprimens, quia nescit tarda molimina: ita vt in temporis puncto Apostolos ex ignorantibus ita doctos reddiderit, vt nemo eorum sapientiæ, & Spiritui posset resistere; ex ambitiosis humillimos, & omnium ex charitate seruos; ex timidis fortissimos, atq; inuictos, non cedentes vllis aut Iudæorum, aut Gentium, aut dęmonum machinis; ex balbis eloquētissimos, mundum ad Christum breui tēpore conuertentes: ex rudibus, & barbaris politissimos, & ciuilissimos, vtpote qui essent ciues Sanctorū, & domestici Dei, effecerit. Egebat autem mundus, & maximè Christi Apostoli, hoc Diuino Spiritu. Primò quidē, vt spiritualiter viuerent. Vt enim Deus in primū hominē spirauit spiraculum vitæ, & factus est homo in animā viuētem, & sic condita est nobilissima in mundo creatura: ita Deus hoc donum in faciem Apostolorum atque fidelium tacitè insufflans,

Christi in recedendo Spiritus sancti diuinitate, pradenta.

Quale sit Dei donum Spiritus sanctus.

Rom. 8.

Ad sancti Spiritus susceptionem que conferant.

Ioan. 7.

Effectus Spiritus sancti.

Sapient. 1

Apostolis plus vno momento Spiritus sanctus profuit, quam trien nio integro Humanitas Christi.

Ioan. 6

Euthym. hoc citato.

Rom. 8.

Galat. 4.

Ioan. 16.

Luc 21.

Ephes. 2.

Cur necesse fuerit mundo Spiritum sanctum accipere.

1 ratio.

Genes. 2.

factus

factus est homo per Spiritum viuificātem suprema in cœlo & in terra creatura. Deinde, hic mundus instar pueri mortui, & ab Helisæo suscitati septies oscitauit; ita suscitatus à peccato per Helisæum, id est, Christum, salutem Dei, per septem Spiritus sancti dona oscitauit. Tertiò, vt pro carne, quam à nobis accepit, & in cœlū introduxit, vt testatur Tertullian*, sui Spiritus compensationem daret. Et ita, quò nos magis carnem Deo sacrificamus, tanto ille maiori Spiritu nobis succurrat. Quartò, vt Spiritus sanctus quasi Christi sine liberis mortui, vt sic dicam, frater, Ecclesiam sanctam sibi despōsans, pro qua ille sanguinē fuderat, Christo mortuo semen suscitaret; atq; ita tam per Apostolos, vt parentes, & matres, animas Christo susciperet, & iterū parturiret, & in ipsis animab* fructus Spiritus sancti, de quibus meterent vitā æternam, ederent. Quintò, vt Spiritū Satanæ immundum in peccatoribus regnātem digito Dei eijceret, & à sanctis, & pijs hominibus vexantē eos, & perturbantē dæmonem longè propelleret. Sextò, vt humanū Spiritum in Diuina ingredi nescentē, quasi eques equū regeret, atq; instar columnæ nubis & ignis in terrā rectam, seu in terram promissam, hoc est, in cœlū ipsum deduceret, secūdùm illud; *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Septimò, vt Diuina Christi mysteria tanquàm lingua quędam spiritualis degustari, intelligi, atque amari faceret, gratiasq; pro illis agere doceret: ideo in forma linguæ, quæ gustui, & doctrinæ deseruit, venit; nam inter edentem & cibum aliqua debet esse proportio: hinc infans edētulus, ad lac, nō autem ad solidum cibum proportionem habet. Octauò, vt quemadmodum Spiritus creatus in homine ex varijs ac diuersis membris vnū tantùm efficit corpus, ita Spiritus sanctus ex varijs linguarum, nationum, atq; conditionum hominibus vnum Christi corpus conflaret, & in vnitate fidei, & vinculo amoris, & pacis colligaret. Nec enim aliter est Ecclesia vna, vnum ouile, vna spōsa, vnum corpus, vnus panis, quàm per Spiritum sanctum. Nonò, vt vera amicitia tum inter Deum & hominem, tum inter hominem & hominem conciliari posset. Vbi enim non est communis vna lingua interpres animi, conciliatrix beneuolentiæ, non potest vera constare amicitia, vt inter Italum & Germanū, quorum quiuis alterius linguā ignorat. Hinc Deus dedit cōmunem linguam, Spiritū scilicet sanctum, quo Deus ad nos loquitur, & quo nos Deum precari pro nobis, aut pro alijs interpellare, aut pro beneficijs agere pos-sumus, & per quem amicitiam in Christo inirent omnes homines; qui aut diuersis linguis, aut distinctis moribus, aut disiunctissimis morantur regionibus, mutuoque se amore prosequerentur. Decimò, vt quemadmodum Spiritus sanctus, per quē loocuti sunt Prophetæ, & Apostoli, quibus dixit Dominus: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis;* fuit hactenùs textus, fiat similiter & glossa, id est, lingua viua explicās quicquid per Prophetas, Christū, & Apostolos dictū est, ne dubitare quisquam valeat de sensu per Spiritum sanctum in Ecclesia reuelato.

[Margin: II. ratio. — 4. Reg. 4. — III. ratio. — Tertul lib. de carne Christi. — IV. ratio. — V. ratio. — Luc. 11. — VI. ratio. — Exod. 13. — Psal 142. — VII. ratio. — Act. 2. — VIII. ratio. — IX. ratio. — Quos inter vera, atq; perfecta nō constet amicitia. — X. ratio. — Matth. 10.]

Dicitur prætereà hoc loco Paraclitus mitti loco Christi. Ex quo colligitur quòd non sit illo inferior, aut eius seruus, vt docet Theoph. Et quia infrà ait, *De meo accipiet*, sequitur quòd non sit illo maior, sed Deus tantùm verus, Filio neque maior, neque minor, sed p omnia illi æqualis: quod etiam multa, quæ hîc dicuntur, cōprobare possunt. Nam arguet mundum de peccato etiā incredulitatis, ducet in omnē veritatē: ergò omnia nouit Spiritus: *Non loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet, loquetur*, quemadmodum nec est à seipso, sed à Patre, & Filio: Futura annuntiabit, Christumq; clarificabit, quibus verbis apertè prodit se diuinos effectus in creaturis operari. Paraclitus autem, interpretatur consolator, quia peccata per Christi sanguinē remissa ostendit, Deū propitiū vt parentem, Filiū vt redemptorem, fratrem, & amicū, seipsum vt doctorem, rectorē, sanctificatorem, inhabitatorem, & cum Spiritu nostro testificatorē quòd sum* Filij Dei, indicat. Deinde interpretatur adhortator, nimirū ad bellū contra hostes nostros; & ad bona opera, vt simus Patri nostro, fratrique primogenito Christo persimiles, nō obstante infirmitate carnis; ignoratione atq; malitia nostra. Tertiò interpretatur aduocatus, siue patronus: quia quacunq; ratione delinquamus, siue nos benefacere omittamus, causam nostram agit apud Deū, docens nos accurrere ad orationem, & ad Sacramenta Ecclesiæ: reddens quoq; nos aliorum consolatores, adhortatores, & aduocatos, vt corde illis succurramus, eosque lingua, opere, & precatione apud Deum subleuemus.

[Margin: Quo etiam Christi verbo Spiritus sanctus denotetur illi æqualis per omnia. — Theophyl. — Spiritus sancti diuinitatis argumenta non obscura à Christo. — Paracletus quòd tria significat. — Rom. 8. — Ad quid nos Spiritus sanctus adhortetur. — Idē cur aduocatus noster.]

Expendenda item caussa cur nō mittatur Spiritus sanctus nisi post Christi mortem, vt hîc dicitur, & post ascensionem, dicitur enim: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Respondemus enim, Spiritum sanctum dari nō decuisse, nisi post Christi mortē. Tum quia nemo illius doni capax erat, nisi Deo perfectè re-

[Margin: Quare Spiritus sanctus, nonnisi post Christi mortem fuerit missus. — Ioan. 7.]

conciliatus, & ablatis inimicitijs peccatorum: at nemo per omnia reconciliari Deo poterat, nisi per Christi sanguinẽ, vt ait Paulus: *Qui traditus est propter nostra delicta, & resurrexit propter iustificationẽ nostrã.* Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnũ, & mediũ parietem maceriæ soluẽs inimicitias in carne sua: tũ vt agnoscamus pretiũ aduẽtus Spiritus sancti esse Christi mortẽ, & ita magni pendamus donum tãto pretio redemptum. Etsi enim Spiritus sanct⁹ purum respectu nostri sit donum, respectu tamen Christi iustitia est, atq; aliquo modo debitum. Tum deniq; ne quis miretur, Spiritũ sanctũ dignari corda tenebrosa, spurca, & quę olim habitacula dæmonũ, serpentum, & basiliscorũ extiterãt, inhabitare; quia etsi in se infinita puritas, & sanctitas sit, ipse tamen ex habitatione minimè inquinatur: sic nec radij Solis immunda quæq; tangentes inquinãtur, imò sicut Sol sua præsentia pellit tenebras, fœtẽtiaq; loca expurgat, ita Spiritus sanctus suis donis pectora nostra sanctificat, mũdat, ornat, atq; ditat. Quemadmodum ipse Christus per Spiritum sanctum offerens semetipsum Deo, non obstante tanta absurditate, & indecoro, quòd ipse iustus, & innocens; imò ipsa innocentia, atque iustitia, cruci morti, atque latronibus fuit cõiunctus ob Spiritum sanctum impellentem: ita nec mirum, si Spiritus sanctus inhabitet illorum corda, pro quorum sordibus abluendis Christus suum sanguinem profudit.

Rom. 4. Ephes. 2. Quomodo Spiritus sanctus sit donum Dei. Mira Spiritus sancti dignatio. Idem soli per similis in quo. Hebr. 9.

Deinde Christus Spiritum sanctũ impertiri nõ debuit ante suam ascensionem, & in dextera Patris glorificationem: tũ primò, vt agnosceretur fons, vnde ille oritur, & promanat: nam, quantum ad deitatem, à Christo Deo est, & quod ad missionem attinet, à Christo homine est, qui eius aduentum nobis promeruit. Deus enim etsi quędam donat non rogatus, quędã tamen vult nos ab ipso petere, vt agnoscam quod ipse donat, aliàs propter bonũ nostrum nõ daturus. Tũ secundò, quia decebat clarificari Christi membra in terra per Spiritum sanctum, ipso Iesu capite nostro sine specie, & decore manẽte, & in terris mortali atq; passibili existente. Ipse enim vt fons debebat prius impleri, & canalis cõmodus, per quẽ ad nos descẽderet hæc aqua Spiritus, id est, caro eius glorificari, ante quã reliqui Spiritus dona participarent. Tũ deniq; propter Apostolos multis rationibus expediebat, sed in primis vt à Christi carne, & humanitate ablactarẽtur. Nã vt olim Deus Iudæos à cultu Idolorũ ad se traxit, nonnisi intermedijs bonorum temporalium promissionibus, & præsentium flagellorum comminationibus; deinde traxit ad Euangeliũ, & ad spiritalia promissa, vnde vnus tractus in persona Apostolorũ dicebat: *Et si cognouim⁹ secundùm carnem Christum* hoc est, dantẽ carnalia bona, & temporalia) *sed nunc iã non nouimus.* Et vt Augustinus in Confessionibus de B. Ambrosio testatur, *Cœpi amare hominem, nõ tanquàm doctorem veritatis, sed tanquã beneuolum in me:* ad hunc modum Christus à principio cœpit à mundo ad Humanitatem suam dulcem attrahere: nam

Idẽ Spiritus cur ante Christi ascensionẽ mundo dari nõ debuit. II. ratio. III. ab Apostolis desumpta.

——— *Pueris olim dant crustula blandi*
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Hinc dicebãt: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Porrò ab Humanitate eius erant ablactãdi, & ad diuinitatem euehendi; ideò ait: *Expedit vobis vt ego vadam.* Quemadmodũ si Rex opulentus animaduerteret se tantùm propter vestẽ in honore haberi, illamq; deponeret, vt propter se ipsum regiũ honorem reciperet; & vt filius, qui nutrici assuetus matrem suam pro matre non agnosceret, atq; ea de causa mater, vt totum in se infantis, quem ad nutricem habet, amorem conuerteret, nutrice illum spoliaret: eodem modo Apostoli à lacte illo blandæ Christi carnis ablactandi erant: quò solidum Spiritus cibum ederent: opusq; erat farinam Humanitatis Christi deficere, vt manna de cœlo promerentur accipere. Expediebat etiam, aquilam nostram cibum suum pullis subtrahere, & ex longinquo ostendere, vt prouocarentur ad volandum, quò caro Christi purius amaretur. Nã vt doctè ait Bernard⁹: *Vbi vasa vacua desunt, oleũ Spiritus stare necessum est.* Expedit ergo vobis vt ego vadã, quasi diceret: Hactenùs tãtùm carnalia, & terrena cogitatis, quæ sunt Spiritus Dei non attingitis: petitis dexteram, & sinistram in regno meo: propterea expedit vobis, vt corpus meum vestris oculis subducam, quò Spiritũ meũ vobis donem, & ea, quæ Spiritus sunt, intelligere valeatis. Et hæc est causa, cur nõ possitis duos paraclitos habere, id est, Spiritum sanctum, & Christum, id est, consolationem in Spiritu, & in carne: nam habent se vt situlæ è fastigio putei pendentes, quarum vna ascendente, altera descendit, & contrà: mutuò ergo se excludunt illæ duæ consolationes ob imbecillitatem nostram. Exercitium enim sensus impedit illud intellectus, & fidei: secùs erit in gloria. Ideò si abiero, & exercitium sensus vobis subtraxero, manebit vsus fidei, quò me magis, vtiliusque agnoscatis. Quòd si caro Christi, quæ tota diuina erat, & sine peccati macula talis erat, vt præsentiã gratiæ impediret;

2. Cor. 5. August. lib. 6. Confess. c. 13. tom. 1. Horat. 1. serm. Satyr. 1. Matth. 19. Quomodo expediẽs fuerit Apostolis Christũ subtrahi, vt Spiritum sanctum acciperent. Bernar. Matth. 20. Qua ratione Apostoli Spiritum sanctũ ante Christi in cœlos ascensum habere nequiuerint.

Qualis hominum caro. Gen. 6.

diret; quantò magis aliorũ caro peccatrix, atq; corrupta, de qua dicitur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Nam copia bonorum temporalium, & mundi huius consolationes, quib' caro impinguatur, & alitur, Spiritus sancti excludent præsentiam. Vt enim omne malũ à carne est, velut Adæ ab Eua, ita bonum omne à Spiritu proficiscitur in carnem. Ideo timorem incutere debent honores, diuitiæ, carnisq; deliciæ, ne nobis dicatũ, *Recepisti bona in vita tua.* Quòd si obijcias, Quorsum ergo Christus corpus suum, siue carnem, & sanguinem nobis offert in Eucharistia, præsertim cùm ipse dixerit: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam?* Respondemus: Et in Eucharistia vera & propria caro Christi existat, est tamen modo diuino, & spirituali, vt nullo prorsus sensu in seipsa percipi possit, solis Spirit' oculis cernitur, solis charitatis dentibus atteritur fructuosè, & manducatur, vsque adeò, vt qui tantùm parat ventrem, & dentem, ac oculum corporis, illi tali caro Christi nõ profit quicquam: vbi autem Spiritu cogitatur realis Christi præsẽtia, & Spiritu Fidei sumitur, mirificè iuuat, atque viuificat, vitamque gratiæ impertit, facitque Christum manere in nobis, & nos in Christo. Confert etiam vitam æternam, & suscitabit nos in nouissimo die. Idem dicendum de Sacramentis alijs, de cæremonijs Ecclesiæ, de imaginibus, cantibus, reliquiis Sanctorum, sine quibus infirmi ad montẽ Domini non ascenderẽt: & vt paruulus ante tempus lac deserens, & solido ineptus cibo periret; auiculaque implumis ante pennas natas exire tentãs de nido, manifesto periculo interitus se exponit, debet enim tantum ille, qui solido cibo est aptus, lac relinquere, & auis non nisi pennis, ac plumis idoneè vestita volatum aggredi: quod, dũ viuimus in mũdo hoc, vix paucis potest contingere.

Luc. 16. Si expediens erat Christi Humanitatẽ nobis subtrahi, cur eã reliquit in Eucharistia. Ioan. 6.

Carnis Christi efficacia.

Ibidem.

Quib' veluti deuiis Christi Ecclesia ad progressum in via salutis animetur.

Si ergo abiero, mittam eum ad vos, si nõ abiero, non mittam. Cùm ergo dixit, *Venite ad me omnes*; Et, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat:* intelligebat si ipse prius abiret, & misso Spiritu cœlitùs, nos reficeret: non quòd corpore à Christi præsentia ex se impedires Spiritũ sanctum, cùm esset Christi caro sancta ex Virgine per Spiritũ sanctum formata, deinde Christo præsente Apostoli Spiritum sanctũ habebãt, quibus Christus dixerat: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quẽ locutus sum vobis.* Deniq; si corpus nostrũ Spiritũ sanctum quò minus nos inhabitet, non impedit, quomodo Christi caro deriuãdo in nos Spiritui sancto obstare potuisset? Ergo per accidens, & ob imperfectos

Matth. 11. Ioan. 7.

Ioan. 15.

adhuc Apostolorũ animos, & imbecillitatem nostrã impedimentũ erat Iudæis à carne Christi, & Apostolis ab eius suaui cõuersatione, qua spoliari molestè ferebant.

Sacramentarij ex hoc loco errorẽ tuentur suum. Si expediuit, inquiunt, vt Christus corpore abiret, quomodo potest corpore præsens esse? Aut si corpore præsens est, Paraclitus non est presens. Sed certè leuis est hæc ratio: non est enim corpus Christi Spiritui sancto cõtrarium, vt simul esse non possint, aut vnum alteri cedere cogatur. Deinde Sacramentarij ignorant quomodo Christus abierit: non enim sic abijt, vt planè non sit nobiscum, sed subduxit se vt sedens ad dexterã Patris omnia impleat, vt veriùs ac præsentiùs nobis sit, quàm si oculis cerneretur. Tertiò nesciunt isti, cur Spiritus sanctus venerit: nõ enim ideo venit, vt nihil corporeum in Ecclesia sit, sed omnia spiritualia. Neq; enim Spiritus sanctus aufert nobis corpora nostra, aut verbum corporale ex Ecclesia sustulit, vel suã Humanitatem in Ecclesia collocatam, vel Sacramenta sensibilia: sed tantũ docet quid in his rebus quærẽdum sit, nempè in Christo homine deitas, in Eucharistia vita Spiritus, in Sacramentis alijs gratia & remissio peccatorũ, in cæremonijs Spiritus, in imaginibus prototypa, in cantibus psalmodia Spiritus, in Verbo Christi intelligentia spiritualis. Curemus igitur, & omni studio enitamur, vt carni nostræ vim inferamus, quò Spiritum sanctum promereamur accipere. Nam sine illo quid est fidelis quisque, aut pastor, nisi vmbra sine corpore, aut corpus sine anima, aut anima sine sẽsu, aut sensus sine ratione, aut ratio sine virtute, aut virtus sine gratia? Quòd si Spiritum ex alto induamus, dabitur per eum & illuc redire, & per eũ in vita æterna apprehẽdere Christum, cui cum Patre, & Spiritu sancto, perpetuæ reddendæ sunt laudes, atque gratiarũ actiones in seculis sempiternis. Amen.

Ineptè Sacramentarios hunc locum. Si enim non abiero, Paracletus nõ veniet ad vos, cõtra Eucharistiam detorquere. II argum. Ierem. 23. Ephes. 4.

III. argum.

Sine Spiritu sancto esse, quid. Luc. vlt.

TRACTATVS LXVIII.

In illa verba: *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidẽ, quia non crediderunt in me. De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio verò, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Ioan. 16.

AD huius propositæ clausulæ intelligentiam, præmittenda quædam esse

existimaui. Primùm explicabimus quorsum hæc dicuntur; deinde quando arguit Spiritus sanctus; tertiò, quorsum arguit, & per quos; quartò, quẽ mundum; postremò quomodo de peccato, iustitia, & iudicio. Hęc enim cùm multiplicẽ sensum recipiãt, nõ satis perspicua, & aperta esse se produnt.

Quorsum hæc dixerit Christus.

Quantum ad primum, cùm superius summè expedire Spiritus sancti aduentum docuerit, qui eos cõsolaretur de discessu suo, docet quid erga eos, qui Spiritui sancto de se testificanti restiterunt, facturus sit. Qui enim consolatorem à se expulerunt, digni sunt qui ab eo arguantur, quò intelligant vniuersi iniustè egisse mundũ in Christum nõ credendo, quem potiùs condẽnare voluit, & iniustè adhuc agere Apostolos persequendo, atque Christi sectatores interficiendo. Itaque Dominus Apostolos cõfirmat, de morte sua imminente, & de prædictis illorum persecutionibus affectos mœrore: quia mundi reprehensio gloria erit, & consolatio Apostolorum.

Quando Spiritus sanctus arguerit mũdum.

Ad secundum, quando scilicet Spiritus sanctus arguet mundũ: respondet, cùm venerit, id est, quamprimùm venerit, vbi significantur distincta persona à Patre, & Filio, quia hypostasis est venire: & liberè veniet, & ex gratia, etiamsi à me, & Patre meo mittatur super merita vestra: & ita veniet vt non lateat, & vt certis argumentis, manifestisque indicijs se prodat. Nam consolabitur pios, ducetque illos in omnem veritatem: clarificabit Christum in illorum cordibus, impios verò redarguet: denique vicarias operas meas præstabit in absentia.

Aduentus Spiritus sancti qualis, eiusq; officia. *Ioan.16.*

Nam vt ego dum viuerem, solabar vos, & protegebam, & dicebam, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum; & arguebam mundum de peccato incredulitatis, dicendo: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*; & iterum, *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, & de iustitia, dicendo, *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*, Et, *Attendite ne iustitiam vestrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*; & de iudicio, cũ dicebam, *Nolite iudicare, & non iudicabimini*; Et, *Nolite iudicare secũdùm faciem, sed iustum iudicium iudicate*: Ita Spiritus sanctus consolabitur vos, confirmabitque, impiosq; de illis tribus reprehendet.

Christ' quando mundum arguebat de peccato, & de iudicio. *Luc.12.* *Ioan.8.* *Infrà 15.* *Luc.16.* *Matth.6.* *Infrà 7.* *Ioan.7.*

Ad tertium, arguet Spiritus sanctus mundum. Primò, quia lingua est, quæ sicut illa canis, sanat, & latrat; & cùm ignea esset, vrit, & illuminat. Deinde hoc facit, ad differentiã Spiritus mendacij, qui palpare, & blandiri suis solet, qui dicit: Pax pax; vbi nõ est pax. Vnde Propheta illis interminans, ait: *Væ qui consuunt puluinos sub omni cubito manus, & faciũt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas*, & Esaias: *Popule meus qui te beatum dicũt, ipsi te decipiũt, & viã gressuum tuorũ dissipant*; & Apostolus de quibusdam falsis Prophetis; *Qui per dulces sermones & benedictiones, seducunt corda innocentium. Christi tamen Spiritus dissipat opera diaboli, & testimoniũ perhibet de mũdo, quòd opera eius mala sunt*: & ad Prophetas suos ipse dicit: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuã, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*, & per Apostolum: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Ponderat Rupertus, quòd olim ante datũ Spiritum 70. senioribus, murmurauerant quidã de Israel, vt est in Exodo; non tamẽ eos Dñs punierat, donec datus est Spiritus Moysi, & per illũ 70. senioribus; tunc enim nec Mariæ sorori Moysi pepercit: ita puniuntur Iudæi Spiritui sancto testificanti de Christo resistentes. Nam delinquentes in Spiritũ sanctum, puniuntur hic, & in futuro seculo; peccantes verò in Filium, acceperunt remissionẽ peccatorum, pro quibus Christus orauit: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Quare Spiritus sanctus mundum arguet. *Act.2.* *Ierem.8.* *Ezech.13.* *Esai.3.* *Rom.16.* *Esa.58.* *1.Tim.4.* *Rupertus.* *Exod.15. & 16.* *Num.11.* *Infrà 12.* *Matth.12.* *Luc.23.*

Arguit autem Spiritus sanctus non tam per se, quã per Apostolos de Christo testificantes, quorũ vox magis erat Spiritus sancti, quàm sua, secundùm illud: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, & illud: *Surrexerunt quidam de Synagoga disputantes cum Stephano: & non poterãt resistere sapientiæ, & Spiritui qui loquebatur.* Non enim Spiritus sanctus in aliqua assumpta creatura est locutus, quia solus Filius inter diuinas personas vnitus est homini; sed Spiritus sanctus in Apostolis, & per Apostolos loquebatur, & cum illis simul reddebat testimonium, iuxta id: *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis simul cũ eo, & ille vobiscum.* Arguebat ergo Spiritus sanctus per Apostolos nõ tantùm loquentes, sed etiam signa & prodigia in Spiritu Dei, vel digito Dei operantes, secundùm illud Apostoli ad Hebræos; Contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. Per eos etiã deprecantes, & in Spiritu Dei preces fundentes, omniaque à Deo obtinentes: per eos etiam patientes, & morientes sanguinemq; pro fide fundentes, Spiritus sanctus aderat, qui multos ad Fidem trahebat, & illis tractis, alios venire nolentes tacitè redarguebat. Vt enim solus tubæ non tam

Per quos etiã mundum arguet Spiritus sanctus. *Act.6.* *Ioan.15.* Varijs modis Spiritus sanctus per Apostolos mundum arguebat. *Act.5.* *Hebr.2.* Apostoli tubæ tantùm.

tam tubæ ipsi, quàm tibicini tribuēdus est; ita reprehensio Apostolorum, quam erga incredulos, & impios exercebant, magis est Spiritus sancti per eos loquentis, quàm ipsorum. Speculatur Augustinus, non posse dici Christum præsentē Iudæos redarguisse, Spiritum verò sanctum gentes vniuersas, propter illud: *Eritis mihi testes in Ierusalē, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimū terræ:* quia quos arguebat Paulus, Christus quoque in eo loquens reprehendebat, secundùm id: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et quos arguebat Spiritus sanctus, proculdubiò & Christus redarguebat. Ergo intellige quòd arguet ille; quia diffundet in cordibus Apostolorum charitatem, intellige timore depulso, vt arguendi libertatem, & scientiam, & modum habeāt: nam nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.

etiam, fons verò Spiritus sanctus.

B. Aug. tract. 59. in Ioan. tom. 9.

Act. 1.

2. Cor. 13.

Rom. 5.

Eccles. 7.

Ad quartum, nomine mundi, intelligit mundi dilectores, siue Iudæi sint, siue Gentiles, de quibus: *Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quòd opera eius mala sunt.* Et, *Si mundus vos odit, scitote quia me priorē vobis odio habuit.* Et, *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Vbi nomine mundi, Iudæos intelligit mundi dilectores, & qui sequuntur concupiscentiam oculorum, carnis, & superbiæ vitæ. Idem dicendum de Gentilibus, qui diuino lumini, & prædicationi Apostolicæ restiterunt. Boni autem, Deique cultores, atque dilectores, nomine mundi non veniunt, & illi seipsos corripiunt, & iudicant, si quid interdum ab eis peccatur, secūdùm illud: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique dijudicaremur.* Idcirco Iob dixit: *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Et Dilectus de Christi cultoribus: *Si reprehenderit nos cor nostrum; maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* Nam vt perdelicatus, vel minimum scrupulum sentit, eiq; negotium facessit, secùs ille, qui nudis pedibus consueuit ambulare; quia ille callum obduxit, neque spinam, aut scrupum offendens quicquam ferè sentit: idem de iniustis, & impijs, qui occalluerunt in peccatis, dicendum. Mundus etiam non nouit artem corrigendi, aut cum fructu arguendi: tum quia non agnoscit peccata sua, sed plerunq; quæ vitiosa sunt pro virtutibus colit: vnde doctrina est Spiritus sancti, dicentis: *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducūt ad mortem.* Mundus etiam timore Dei, atque pudore destitutus est, & illi dici potest: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* &, *Non est timor Dei ante oculos eorum:* quare externo eget monitore, reprehēsoreque, qui liberè & palàm viuum eius tangat, quo à peccatis excitari possit. Proprium autem est Spiritus sancti, qui nouit omnem veritatem, & qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, & qui nouit vtile dulci admiscere, salubriter arguere. Est autem arguere, siue Græcè ἐλέγχειν, vt August. lib. Quæstionum Vet. & Noui Testamenti indicat, ostēdere, siue euincere vera esse quæcunq; mundus de Christo credere noluit; vt propterea meritò reprehensione sit dignus: Ita accepit Dominus, cùm ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Poëta:

Quis sit ille mundus per Spiritum sanctum arguendus.

Ioan 7.

Infrà 15.

Infrà 16.

1. Ioan. 2.

Qui mundi vocabulo haud veniant in Scripturis.

1. Cor 11.

Iob 42.

1. Ioan. 3.

Quales sint homines iusti, quales verò iniusti.

Cur mundus nequit arguere delinquentes.

Prouerb. 16.

Ierem. 3.

Psalm. 13.

Mundum arguere, propriè ad Spiritum sanctū pertinere.

1. Cor. 2.

Arguere hoc loco quid.

Aug. li. quæst. Vet. & Nou. Test. quæst. 89. tom. 4.

Ioan. 8.

Virg. 4. Æn.

Degeneres animos timor arguit.

Est ergo arguere hoc loco, vel reprehendere, vel certis argumentis conuincere.

De peccato, & de iustitia, & de iudicio. Recta est hæc distributio: arguet mūdum de peccato suo, de iustitia Christi, de diaboli iudicio, vel de peccato commisso incredulitatis iustitia omissa, & contempto iudicio Dei. Nam qui credit in Christum, & iustitiam eius induit, & ex parte sua saltem dæmonem iudicat, illi renuntiando, de mundo eruitur, & fit membrū Christi. Ad hæc hoc opus est Spiritus sancti, vt homo credat quòd peccator sit; & quòd Christus iustitia ipsa sit, & quòd dæmonē certa manet damnatio; vel saltem cōuincitur mundus, & ostenditur inexcusabilis quòd non crediderit in Christum, quòd iniustè egerit, non solùm eum fugiendo, sed etiam ipsum adiudicando cruci, & quòd malè fecerit sectando diabolum, & quòd ita in Spiritum sanctum peccando, & veritatem agnitam spuendo, atq; respuendo, peccatum remissione indignum incurrerit. Sed iam singula membra persequamur.

Quid est, Spiritum sancti de peccato, & de iustitia & de iudicio mundum arguere.

Spiritus sanctus quid maximè velit, & in quo magis elaboret.

1. Cor. 1.

De peccato quidem, quia non crediderunt in me, vel, vt Græcè dicitur, non credunt in me, id est, adhuc veritati agnitæ resistendo perseuerāt, nolendo illam fide amplecti. Et peccatum non credendi grauissimū est: quia post tot verba ad persuasionē habita, & ostensam per Scripturas necessitatem in me credēdi, & post edita signa per me, & Apostolos meos, quib' tanta veritas confirmatur, & post tantum lumen atque inspirationem Dei iuuantis ad credendum tantumque vitæ sanctæ atque irreprehensæ exemplum, adhuc tamen non credunt; cùm tamen dici possit illud: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* &, *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus;* & illud, quod quidā ex nostris de mysterio Trinitatis agens dixit: *Domine si error est, à te ipso decepti sumus: nā ista in nobis tantis signis & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt.* Sic ille sapienter. Quamobrem inexcusabiles

Quomodo Spiritus sanctus mūdum arguerit de peccato incredulitatis in Christū.

Psalm. 18.

1. Tim. 1.

Richar. de S. Victore lib. 1 de Trin. c. 2

In Christum non credentes planè inexcusabiles videri. Matth. 11. Infrà 13.

biles sunt credere nolentes, nec possunt, vt olim, dicere: *Ecce homo vorax, & potator vini, Publicanorum, & peccatorum amicus, fabri filius, & Mariæ*, maximè Iudæi, qui ex Prophetis nosse poterant tempus Messiæ, & signa illius aduentus, & genus mortis quod erat illi subeundũ. Vnde habetur in Actis: *Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum* (id est, crediderit in eum; hoc enim est in Scripturis audire) *exterminabitur de plebe*. Et Esaias: *Domine, quis credidit auditui nostro?* id est, fidei prædicatæ: quasi dicat, pauci. Non solùm ergo peccata priora sua, & antiqua noluerũt dimittere, quod per fidẽ facere poterant, quæ remissionem peccatorum, purificationem cordium, & iustificationem confert, sed etiam odio lucem habuerunt, & incredulitatis peccatum grauissimum addiderunt.

Act. 3. Deut. 18.

Audire in Scripturis, sępè credere significat. Esai. 53.

Fides quid conferat.

Impium dogma Lutheri.

Dices; Quomodo Spiritus sanctus de solo peccato incredulitatis arguit? An sola infidelitas damnat, & sola fides saluat, vt ait Lutherus? Minimè Gentium: quia non tantùm de incredulitate, sed etiam de iustitia, & iudicio arguet. Vnde per Paulum ait: *Omnino auditur inter vos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat*: & Petrus Ananiam reprehendit de violata promissione: *Cur tentauit*, inquit, *Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* & immisericordes mittuntur cum diabolo, & Angelis eius in ignem æternum, & simpliciter ait Apostolus: *Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt*. Sed peculiariter hic de vitio infidelitatis mentionem facit Dominus, quia illa radix est omnium peccatorum, & peior omnibus peccatis. Præstat enim cum fide habere omnia peccata, quàm omnes morales virtutes sine fine: vt docet Augustinus libro de Natura, & gratia. Et idem in hunc locum ait: *Hoc peccatum quasi solum sit, præ cæteris posuit: quia hoc manente cætera detinentur, & hoc discedente cætera remittuntur.*: & rectè ille quidem. Nam vt Propheta inquit: *Qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Ad hæc Christus maximè fidem in se exigebat: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro: Creditis in Deum, & in me credite: Pœnitemini, & credite Euangelio.* Quę enim Dominus de se, ac Patre suo, & Spiritu sancto, de morte sua, resurrectione, ascẽsione, reditu ad iudicium docebat, fide tantùm accipi poterant. Vnde minatur incredulis: *Qui non credit*, inquit, *iam iudicatus est: qui non crediderit, condemnabitur: quare loquelam meam non cognoscitis?* Est enim non credere,

1. Cor. 5.

Act. 5.

Matth. 25. 1. Cor. 6.

De qua infidelitate hic sermo fit.

Infidelitate nihil deteri*.

Aug. lib. de Natura & grat. tom 7. Idem tract. 95 in Ioan. tom 9. Habac. 2. Ioan. 8.

Infrà 14. Marc. 1.

Ioan. 3. Marc. vlt. Ioan. 8.

dicere Deum mendacem, & Christum eius nuntium, atq; Apostolos eius legatos, omnique exceptione maiores arguere falsitatis. Est igitur primùm à mundo fides exigenda: ita in libris Regũ quoties impij Reges mortui dicũtur, addi solet, quod mortui sunt in peccatis, quibus peccare fecerũt Israël; quod de peccato infidelitatis, idololatriæque intelligendum est. Vnde de Iehu dicitur, quod non recessit à peccatis Ieroboam, filij Nabat, qui peccare fecit Israël; quod esse de idololatria intelligendum, explicat quod sequitur: *Nec dereliquit vitulos aureos qui erant in Bethel, & in Dan.* De Manasse quoque scribitur: *Fecitq́, malum in conspectu Domini.* & declarans quod malum, subdit: *Iuxta idola Gentium*. Et infrà: *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os: absque peccatis suis, quibus peccare fecit Iudam, vt faceret malum coram Domino.* Et ita peccatum absolutè in Veteri, & Nouo Testamento est crimen affectatæ incredulitatis. Adhæc mundus, & lex Moysi interna quidem vitia non curat, nec infidelitatem, vel alia peccata, nisi quatenùs honore, & bonis temporalibus priuant, aut pœnas tẽporales infligunt. Lex verò naturæ indita mẽtibus ampliùs progreditur: nam arguit internas concupiscentias, & interioris hominis adulteria, furta, & homicidia: sed ea tantùm ratione, quatenùs sunt contra hominis naturam, id est, in quantum ipsi rationi, honestati, & virtuti aduersantur. At Spiritus sanctus omnia peccata interna, sed præcipuè infidelitatem redarguit, eo quòd contra Deum creatorem, & redemptorem sint, & quia priuant æterna vita, vel conducunt ad gehennam. Ob quã caussam vbi est incredulitas, ibi est malorũ omnium lerna, & conscientiæ carnificina, peccatorumq́ue fœtentium sentina: quæ etsi extrinsecùs nõ appareant, intus tamen in carne delitescunt, & iudicio Dei sunt obnoxij. A Spiritu ergo conuincitur mundus de peccato infidelitatis suæ, quia Spiritus sanctus sua luce cernere facit oracula Prophetarum cum euentis consentire, cùm facit videre tot millia hominum profiteri nomẽ Christi, credentes Spiritu sancto repleri, variisq́ue linguis loqui, miracula edere, à lege Moysi ad Euangelium deficere, inculpata vitæ, ac morum sanctimonia Deum Patrem colere, atque inuocare, terrena omnia commoda contemnere, & totos ad cœlestia rapi. Quem igitur mundus suæ obstinatæ incredulitati obtẽdere poterit prætextum? nihil enim eorum quæ ad veram salutem spectant, Pater, qui misit Christũ, omi-

Non credere quidnam sit. Quid etiam Reges Israëlitas mortuos esse in peccatis, quibus peccare Israël fecisse dicuntur. 4. Reg. 10.

Infrà 21.

Aliter lex Moysi, aliter naturalis lex, aliter Spiritus sanctus peccata redarguunt.

Vbi adest incredulitas, ibi est malorum omniũ lerna.

Spiritus sanctus mũdum de incredulitate dupliciter arguit.

Mundi inexcusabilitas ab Dei, atq. salutis ignorantia vnde.

omisit: nihil prætereà à Christo Dei nuntio prætermissum est, sed omnia, quæ placita sunt Patri, fecit semper: nihil rursus à Spiritu sancto omissum, quem Pater & Filius miserunt: nihil prætereà ab Apostolis, quibus vt organis vsus est Spiritus sanctus ad benè, & sanctè functionem suam complendam, prætermissum est, sed doctrinam hanc cœlestem cum vitæ tutius sudore, atque sanguine nobis profuderunt.

Ioan.8.

Quid est: Spiritus sanctus mũndum arguet, &c. quia ego ad Patrẽ vado.

Sequitur secũdum membrum: *De iustitia verò, quia ad Patrem vado. Et iam non videbitis me.* Græcè de præsenti dicitur: *Et iam non videtis me.* Quoniam iustitia potiùs est laudis, quàm reprehensionis materia; idcirco hoc verbum intelligendum est de aliqua iustitia falsa, vel imperfecta, aut de aliqua perfecta quidem, & sancta iustitia, sed ab eis prætermissa, atque contempta. Atque ita huic literę plures sensus accommodari possunt. Sit ergo primus: Spiritus sanctus redarguet mundum, id est, Iudæos & Gentiles de iustitia falsa, & per hypocrisim tecta, quæ prætextu legis violatæ à me, & zelo iustitiæ me in crucem adigendum iudicàrunt. Dicebant enim: *Nos legem habemus: & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit,* &: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & probibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse;* Et iterum: *Non die festo, ne fortè tumultus fieret in populo:* Rursus: *Ipsi non introierunt in prætorium, vt nõ contaminarentur, sed vt manducarent Pascha;* cùm tamen iustitia in eorum manibus corruptissima extiterit. Nam fragrabant inuidia, quam etiam iudex Pilatus Gentilis agnouit (sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes) feruebant auaritia: hinc illa vox scelerata: Venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem: vnde & pecunia à Iuda proditore capturam eius redemerunt; falsis testibus, & minimè inter se consentientibus egerunt; indignis, & hostilibus modis eum tractauerunt, iudicem pene inuitum, ac toties reluctantem, ad sententiam contra eum pronuntiandam clamoribus, & minis compulerunt: postremò milites resurrectionis eius testes pecunia ad mendacium testãdum de furto Apostolorum (ipsis dormientibus) corruperunt. Illa ergo falsissima, & corruptissima iustitia me ad necem dantes, ad Patrem ire fecerunt me, & sedere cum eo ad dexteram: nec enim ille, aut acceptasset, aut honorasset hominẽ blasphemum, & diuinitatis & regni vsurpatorem, vt opponebant Iudæi.

I. sensus horum verborum.

Ioan.19.

Luc.23.

Matt.22.
Infrà 26.
Ioan.18.

Marc.15.

Ioan.11.

Matth.27.

Marc.14.

Ioan.19.
Matth.27.

Et iam non videbitis me. In carne mortali, vt antè, quia omninò ero gloriosus, & immortalis, & pro arbitrio videbor, si voluero, & si noluero, non videbor. Quare hæc falsa iustitia toti mundo prædicanda est per Apostolos, & literis consignanda, vt intelligant vniuersi, simulatam sanctitatem, & iustitiam grauissimum esse flagitium, quod Christum cruci suffixit; terreanturque quotquot prętextu religionis, & publicæ Iustitiæ vos insectabuntur, tanquàm Reipublicæ capitales hostes, & pacis communis perturbatores, etiã si maximè existimẽt se, vos interficiẽdo, gratissimum Deo cultum præstare.

Ioan.19. Quomodo verùm sit: Et iam non videbitis me.

Secundò potest intelligi de iustitia legis imperfecta: non enim tantùm Spiritus sanctus reprehendit de peccato, & iniquis operibus, sed etiam de bonis, quæ homo sibi tribuit, nec ea ex Deo esse vult agnoscere. Hinc dixit: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo;* &, *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Erant igitur Gentiles tumidi, & eam, quæ ex actibus est moralibus, honestisque officijs cognitioneque Philosophiæ, iustitiam sibi ipsis adscribebant. Erant & Iudæi iustitia legis, iudicijs, atq; cæremonijs contenti illis peccata deleri, amicitiamque Dei comparari putantes.

II. sensus.

Psalm. 74.
Matth.6.
Quænã Philosophorum Iudæorumq; sua de iustitia confidentia

Verùm hanc iustitiam, etsi olim bonam, per Apostolos detexit esse imperfectam, & minùs ad iustitiam, & salutem æternam idoneam. Nam veniente Christo, & luce Euangelica per ipsum coruscante, iustitia fidei, siue iustitia Euangelica, quæ coram Deo iustum reddit, mundo primùm detecta cognita est: vnde Christus dixit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quã Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum:* & Paulus iustitiæ legis nuntium mittens, ait: *Vt & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est iustitia in fide:* ita vt Gentes absque Christo dicere possent: *Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ;* &, *Per legem cognitio peccati;* &, *Nihil ad perfectum adduxit lex;* &, *Impossibile est sanguine taurorum, & hircorum, auferri peccata;* &, *Si ex lege esset iustitia, gratis Christus mortuus esset.* Vt ita omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia non habet ex se, vel libero arbitrio, vel ex lege Naturæ, vel Moysi iustitiam, qua comparere possit coram Deo, nisi accipiat Euangelicam Fidei iustitiam, quam Christus suo sanguine emit, & clemẽter suis impertitur. Ego igitur ad Patrem vado, quo osten-

Vtriusq; impotentia & defectus.

Matth.5.

Philip.3.

Esai. 64.

Rom.3.
Hebr. 7.
Infrà 10.
Galat.2.
Rom.3.

Christianæ iustitiæ necessitas.

ostendam illam iustitiam esse imperfectã, & minus idoneam ad salutem, & hanc fidei esse veram atque perfectam: & vt impertiam Spiritum sanctum, in quo illa datur, & quæ signis editis declaratur esse vera, & grata Deo, sicut altera imperfecta.

Triplex item sensus huius loci: Et iam non videbitis me.

¶*Et iam non videbitis me.* Quia ampliùs non cõuersabor sensibili præsentia vobiscum. Potest etiam exponi, quia ad Patrem vadò, ad quem nullus nisi per me potest peruenire; non per Moysen, vel per quamuis aliam iustitiam, quæ mea non sit. *Ioan.6.* Et si alicui in Christum credenti videretur esse iustum, non prædicari Gentibus Euangelium, tum quia Iesus Iudæus fuerit, & legem seruauerit, tum quòd testatus sit se non venisse, nisi propter oues quæ perierunt domus Israel: *Matth.15.* verùm reprehendet hanc iustitiam Spiritus sanctus, vt in Actis fecit cùm dictum fuit Petro: *Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* *Act.11.* Et Christus dixit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ*; *Marc.vlt.* Et Apostolus: *Et si cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* *2.Cor.5.* Et quia Christus ad Patrem vadit, omnibus generaliter possidebit, ita vt tanquàm Rex omnium sedeat ad Patris dexteram, & erga omnes potestatem exerceat, nec sit ampliùs à nobis videndus. Potest etiam si accipi illud: Iam non videbitis me, oculo scilicet corporis, sed incipietis viuere ex fide, non ex præsentia temporalium, & corporeorum bonorum, sed ex æternorum, & spiritualium expectatione.

III. sensus eius dicti: De iustitia verò, quia ego ad Patrē vado.

Tertiò iustitia hoc loco potest accipi pro vera perfectaq; iustitia: quæ duplex est, vel illa Christi, vel illa Apostolorum, atque fidelium in Christo credentium. Dicamus primùm de illa Christi purissima, consummatissimaque, atq; innocentissima iustitia, quam verbis & miraculis confirmauit, de qua dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* *Ioan.8.* Ipse enim Christus factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, *1.Cor.1.* & in scientia sua (ait Esaias) iustificabit ipse seruus meus multos. *Esai.53.* Atque hunc sensum sequuntur Chrysostomus, & Theophylactus. *Chrys.ho.77. in Ioan.to.3. Theophylact.* Arguet ergo Spiritus mundum de iustitia: id est, comprobabit mundo me verè esse iustum, atque innocentem, imò iustitiam ipsam, & innocentiam, mundique iustificatorem, & sanctificatorem: etiamsi Iudæi me calumnientur iniustum, legis, & Sabbati præuaricatorem, diuinitatis vsurpatorem.

Iudęorum de Christo calumniæ.

Et arguet illos, quòd non solùm fide & imitatione me non susceperint, verùm etiam propterea me ad mortem adegerint. Quo argumento id probabit? *Quia vado ad Patrem.*

Cur Christus iret ad Patrē.

Ego per mortem mea innocentia, & iustitia vestitus ad Patrem vado cum eo regnaturus, ad dexteramque consessurus, non ad tempus, sed semper: *Et iam non videbitis me*, scilicet mortalem, aut in sepulchro, ac corruptione detentum. Quòd si ego iniustus essem, & legi contrarius, nequaquàm Deus cum tanto honore me reciperet ad se. Et si ego similis essem vobis peccator, à mortuis non resurgerem, sed in tumulo sepultus corrumperer, vbi me, si velletis, videre possetis.

Variæ ostensiones Spiritus sancti de Christo in mundo factę.

Ostendet ergo Spiritus sanctus me iustum, & innocentem mortem perpessum; vt sicut per vnum hominem peccantem peccatores constituti sunt multi; ita per vnum Christum Deum, & hominem iustum iusti constituantur multi, *Rom 5.* & nemo ascendat in cœlum, nisi cum eo qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo. *Ioan 3.* Ostendet etiam signis me iam suscitatum, & immortalem ad dexteram Patris sedentem, *Marc.vlt. & Coloss.3. Hebr.1.* & inde Spiritum ad docendum, & consolandum iustos mittentem. Ostendet quoque, contemptores huius tanti iusti & iustitiæ prorsus sine excusatione peccare. Et hoc, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me, vt vos, qui creditis in Diuinitatem meam, subtracta præsentia sensibili credatis in Humanitatem sublatam, & non visam: quemadmodum facimus in Eucharistia, sub qua Diuinitatem & Humanitatem adesse fide apprehendimus. Sic enim exponit Augustinus, qui ait, Christum descendisse ex misericordia, ascendisse ex iustitia: *Aug.trac 95. in Ioan.to.9.* propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. *Philip.2.* Iustitia igitur Christi est ire ad Patrem per mortem, & resurrectionem, ita vt ampliùs non videatur: quia traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. *Rom.4.* Et habitat in tabernaculis gloriæ longè remotus à conuersatione sensibili cum Apostolis. Et per reditum probat se inde venisse.

IV. sensus.

Quartò, beatus Augustinus, & Cyrillus interpretantur de iustitia fideliũ in Christum credentium, *Idem ibidem. Cyrill.li.10.c.40.in Ioan.* quæ & ipsa radius quidam est, ac riuulus Solis, ac fontis ipsius iustitiæ Christi. *Item 1.* Ipsa quippe fidelium comparatio in vita & religione infidelium est vituperatio, & vt Petrus ait: *Obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*; *1.Petr 2.* & rursus: *Vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* *Infrà 3.* Et paullò antè dixerat: *Vt in eo quod detrectant de vobis tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos* *Suprà 2.*

conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Probat autem Auguſtinus hũc ſenſum ex eo quòd non dixit, vt de peccato dixerat: Quia non crediderunt in me, ita de iuſtitia; quia non videbunt me, ſed ſermone ad Apoſtolos conuerſo: *Iam nõ videbitis me.* Loquitur enim de iuſtitia Apoſtolorum, & fidelitate quæ eſt per fidem, conſiſtens in eo quòd credant in eum, qui iam abiit, & non videtur. Beati enim, qui non viderunt, & crediderunt. Ideo mundus arguetur de proprio peccato; de iuſtitia verò aliena, ſicut tenebræ lumine arguuntur. Eſt enim malum non credere in Chriſtum, etiam ex iuſtitia, & ſanctitate eorum, qui Chriſto crediderunt. Et quia iuſtitia fidei eſt argumentum non apparentium; propterea ſubiunxit: Et iam non videbitis me.

Aug. ibidem.
Ioan. 20.
Hebr. 11.

Vt verum ſit quod Chriſt' ait: Et iã non videbitis me, cùm ſæpè Apoſtoli poſt reſurrectionem eum viderint.

Sed obijcies; Quomodò ait: *Non videbitis*, cùm viderint ſępè poſt reſurrectionem? Nam de illis dicitur: *Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino*, & iterum: *Vidimus Dominum*, & in Aſcenſione: *Quemadmodum*, inquit, *vidiſtis eum euntem in cœlum*, & Stephanus vidit cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei; & Paulus: Nouiſſimè omnium tamquam abortiuo viſus eſt & mihi. Reſpondemus intelligendum, non videbitis me, niſi ex priuilegio. Corpora enim immortalia & glorioſa non niſi à quibus volunt, videntur. Vel, non videbitis me, mortalem ſcilicet, & paſſibilem, quemadmodum humilem atq; abiectum, vt antè, vidiſtis. Sequitur tertium membrum.

Ioan. 20.
Ibidem.
Act. 1.
Infrà 7.
1. Cor. 15.

Corpora glorioſa à quib' cernantur tãtummodò.

Matth. 28.

Spiritus ſanctus quibus modis arguet mundum de iudicio.

De iudicio: quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Tertiò arguet Spiritus ſanctus iniquum iudicium, quo Principes Sacerdotum ſecuti, Chriſtum innocentem morti adiudicârunt. Nam interrogante Summo Sacerdote: *Quid vobis videtur?* Illi reſpondentes dixerunt: *Reus eſt mortis*: & quo eum peiorem, maioriq; ſupplicio dignum iudicârunt, quàm Barabbam, de quo in Actis Petrus inquit: *Petiſtis virum homicidam donari vobis, autorem verò vitæ interfeciſtis.* Ex quo iniquo, & ſcelerato iudicio elicuit Deus bonum iudicium, quo Chriſtus mundi principem, qui in ipſum manus inijcere auſus erat, damnauit. Erat etiam iniquum iudicium; quo iudicabant Chriſtum, ſocium & amicum eſſe dæmonis. Dicebant enim: *Dæmonium habet, & inſanit, quid eum auditis?* Et, *Hic non eijcit dæmones niſi in Beel-zebub principe dæmoniorum.* Hæc omnia oſtendentur vana, & falſa iudicia, &c. Spiritus ſanctus teſtatum relinquet, me iuſtum eſſe, victorem, ac cõdemnatorem dæmonis: vincere autem dæmonem quî poſſem, niſi immunis eſſem ab omni peccato, & illo fortior, eum vt fortem alligaſſem? Demùm Spiritus ſanctus me victorem Satanæ confirmabit per Scripturas: *Pſeudoprophetas*, inquit Zacharias, *& Spiritum immundum auferam de terra*: per ſigna edita ab Apoſtolis, in teſtimonium innocentiæ meæ, & in nomine meo dæmonia eijcientibus, in teſtimonium quòd dæmonia pello de animabus per cultum idolorum vbiq; ſublatum; per hoc quòd omnes baptizandi renuntiant dæmoni, pompiſque, ac ſocietati eius; Denique mundi ſectatores de conculcato, ac iudicato mundi principe, & quòd eum audiant, & ſequantur, redarguet. Eſt enim dignum reprehenſione, quòd cùm diabolus per meam mortem iuſtè, & potẽter ſit deuictus, ſuaque ſpoliatus poteſtate, ita vt iam nihil iuris habeat in eos, qui ab eius ditione voluerunt diſcedere: ipſi tamẽ per infidelitatem, & cætera peccata adhuc ſub eius tyrannide ſponte eligunt permanere. Et hactenùs de Spiritu ſancto Iudæos redarguente.

Infrà 27.
Act. 13.

Mira Dei ſapientia, & potentia.

Ioan 10.
Matth. 12.
Ibidem.
Zachar. 13.
Marc. vlt.

De quib' arguit Gentiles Spiritus ſanctus.

Gentiles autem, hoc eſt, omnes homines, ſiue quemlibet in ſingulari arguet Spiritus ſanctus de peccato originali commiſſo in Adam, in quo dum volunt manere, fidei explicitæ de Chriſto prædicatæ reſiſtentes, non ſolùm pœnam damni, ſed etiam ſenſus incurrent. Et oſtendet Spiritus ſanctus, quòd ſumus ſub Adam; tum ex eo quòd corpus eſt mortale, & ſub anima immortali; tùm quia fructus corporis, & non ſpiritus inſiti homo contra naturam profert: tum denique ex eo, quòd homo non poteſt implere legem quam natura ſibi dictat, cùm animantia cuncta ſibi pręſcriptas leges obſeruent. Deinde arguet de iuſtitia nouæ vitæ non exhibita, vel à credentibus omiſſa, id eſt charitate, & operib' eius: quia opus eſt hominem in ſtadio baptiſmi poſitum currere ad brauium, ideo dicitur: *Accipe veſtem candidam & immaculatam, quã perferas ante Dominum*, & reliqua. Nec tales iuſtè conqueri valent, eo quòd non poſſunt ſeruare, vel implere: quia ego ad Patrem vado interpellator, datur' Spiritum ſanctũ, quo lex ſeruetur, de quo: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Et exemplo meo docui vos pro ea vſque ad mortẽ ſeruanda decertare. Væ ergo illis, q ſibi de fide ſola blandiuntur, & charitatis opera negligunt. Tertiò arguet de Chriſti iudicio quo benè vti noluerũt, id eſt, de fructu paſſionis, quo mundi princeps dãnatus eſt: ſub quo decernunt manere, ne Chri-

Gen. 2.

Quid ſignificet quod Spiritus ſanctus arguet mundum de iuſtitia.

1. Cor. 9.

Verba Sacramenti Confirmationis.

Ezech. 36.

Quemadmodum & arguet mundum de iudicio.

ſto ſub-

Ioan. 5. sto subsint, de quo dixit: *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Estq; frustrari Christi mortem, & fructum: nam ille nos soluit, dæmonem ligauit, liberauit nos, illum dānauit, vt contra eum militemus, nos verò eum soluimus, & peccatis nos ipsos ligamus, & tamen suscipiens relegatum atque extorrem aqua, & igni interdictum, fit & ipse relegatus, siue extorris. Et quæ erit punitio eorum, qui impunitatem sibi promittunt, cùm Deus Angelis non pepercerit? Adhæc ita arguet Spiritus sanctus principio quidem de infidelitate, quia credere non vult, & ex fide viuere. Deinde in vitæ processu arguet de iustitia bonorum operum omissa, vel neglecta misericordia, vt illi, qui in ignem æternum detruduntur ob omissa misericordiæ opera. Tertiò in egressu vitæ, vel mundi de iudicio, quo quisque impius iudicat de se actum esse propter infidelitatem, qua Christum abnegauit, & iustitiam bonorum operum, quam neglexit, & sequelam dęmonis principis mundi, quem proscriptum atq; damnatum à Christo secutus est. Si ergo mundum arguet Spiritus sanctus de peccato, iustitia, & iudicio; sequitur, eos de Spiritu sancto non loqui, qui aut peccatis conniuent, aut iusta, & bona opera præstare negligunt, aut Dei iudicium paruifaciunt. Detegitur etiam eorum imperitia, ac inscitia, qui molestè ferunt peccata sibi pro concione exprobrari; cùm Spiritus sancti munus sit vitia reprehendere, & salutares plagas in eos, qui dormiunt in peccatis, infligere. Quamobrem expedit vt quisque fidelium reprehensiones Spiritus sancti, quæ in conscientia fiunt interdum, & per prædicatores, æquo animo ferat. Expedit vt & concionatores sui muneris admoneantur, ne peccantibus indulgere videantur: sed antè omnia expedit, vt fidem amplectamur, iustitiam colamus, iudicium verò futurum Dei pertimescamus, præteritum verò, & antiquum, quo dæmonem salutis nostræ caussa damnauit, ante oculos habeamus, vt opera tenebrarum fugientes, arma lucis induamus, quę nobis pręstare paratus est Dominus noster IESVS Christus, cui est cum Patre simul & Spiritu sancto gloria, in sempiterterna secula, Amen.

Frustrari qui passionem & mortē Christi videātur.

2. Petr. 2. & Iob 4.

Matth. 25.

De Spiritu S. non loqui, qui deprehendantur.

Spiritus sancti munus quodnā sit.

Rom. 13.

* * *

TRACTATVS LXIX.

In illa verba: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annūtiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ioan. 16.

EXCELLENTIA præceptoris, atque magistri in eo primùm videtur consistere, vt omnia quæ ad suam professionem & munus spectant, rectè nouerit, facultatemque habeat, & facilitatem tradendi, & in alios commodè deriuandi. Vnde magnus ille Philosophus rectè pronuntiauit: *Scientis esse posse docere:* & acutus quidā Poëta eleganter dixit:

Doctoris præstantia vnde apparet.

Arist. lib. 1. Metaphys.

Horat. in arte, sub init.

——— *Cui lecta potenter erit res,*
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Postremò oportet, vt prudens sit in tradendo, debitamque methodum obseruet, discipulisque se accommodet, ne antè tempus docendo ea, quæ postea tradenda erāt, nihil proficiat. Hinc Christus Dominus omnibus his rationibus excellentissimus, atque optimus Doctor fuisse comprobatur: egregiè ipse nouerat quæ docebat; cùm in ipso essent omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Præditus etiam erat facultate, & gratia docendi, cùm in eius labijs diffusa esset gratia, & omnes mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. Adhæc prudenter doctrinam administrabat, vt vnumquodque suo tempore, & loco doceret, quod in propositis verbis indicat, dicens: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Plura namque eorum, quæ Dominus docuerat, Apostoli obliti erant: plura etiam non intellexerant, vt constat ex Luca, & Ioanne: nonnulla quoque per parabolas, & ænigmata obscura concionatus fuerat, quæ poterant in falsum sensum trahi, vt est ab hæreticis interdum factum. Dixerat de Spiritus sancti testimonio, & operibus, & quomodò mundum de peccato, & iustitia, & iudicio reprehensurus esset: quæ discipuli audierant quidem, fortasse tamen non apprehenderant: ideo necessa-

Christus sapientissimus Doctor, atq; omnibus partibus absolutissimus magister extitit.

Coloss. 2.

Psalm. 44.

Luc. 4.

Luc. 18. Ioā. 2. & 12.

Spiritus sancti Apostolis pręsentia quā erat necessaria.

necessarius erat Spiritus sanctus, qui & ea quæ effluxerant, in memoriam reuocaret; & minus intellecta elucidaret, & obscuris verum sensum redderet, & parabolas euolueret, & ænigmata quæq; explicaret. Ait igitur: *Adhuc multa habeo vobis dicere.* Verbum Græcum ἔχω, cum infinitiuo significare solet, possum; vt sit sensus: multa possum vobis dicere; sed quorum vos non estis capaces, nec potestis intelligere, aut cum fructu audire, ob vestram imbecillitatem. Nã alioqui si iuxta nostram literam habebat illis multa dicere, debuisset illis ea explicare. B. Augustinus in Ioan. in hæc verba scribens, interrogat quæ sunt illa, quę Apostoli ferre non poterant: *Vultis,* inquit, *forsitan scire. Sed quis nostrum audeat se eorum dicere iam capacem, quæ illi capere non valebant? Ac per hoc nec à me expectanda sunt vt dicãtur, quæ fortè non caperem, si mihi ab alio dicerentur: nec vos ea portare possetis, etiamsi ego tantus essem, vt à me ista, quæ vobis altiora sunt, audiretis.* Et infrà: *Sed quænam sint ista, quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere, & dicere. Nam & mori pro Christo nondum idonei erant tunc Apostoli, quibus dicebat: Nõ potestis me sequi modo: vnde primus eorum Petrus, qui hoc iam se posse præsumpserat, aliud expertus est quàm putabat: & tamen postea & viri, & mulieres, pueri, & puellæ, iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus innumerabiles martyrio coronati sunt, & posse inuentæ sunt oues, quòd tunc, quando ista Dominus loquebatur, nondum poterant portare pastores.* Hæc ille.

Quid est: Adhuc multa habeo vobis dicere.

B. Aug tract. 106. in Ioan. tom. 9.

Quænã sint illa, quæ Apostoli ferre nõ poterant, teste August.

Idem ibidem.

Ioan. 13.

Deinde interrogat Augusti. quomodò ait Dominus: *Multa habeo vobis dicere*, cùm paullò antè dixerit: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis?* Sed respondet, more Prophetico positum pręteritum pro futuro, ob certitudinem Prophetiæ, vt quod nondum fecerat, tanquàm fecerit, describatur; cùm Scriptura testetur, dicens: *Qui fecit quæ futura sunt.* Ita dixit: *Opus cõsummaui, quod dedisti mihi vt faciam:* necdum tamen consummauerat, quia nondum erat in crucem exaltatus. Deinde reuera Christus omnia ad salutem spectantia, ac necessaria nobis prodiderat per Euangelium, quod est fons omnis veritatis. Nam veritas illa de cessatione legalium ab Apostolis definita, ex ipsius Euangelij visceribus oritur, in quo Christus apertè ostendit fide in seipsum nobis salutem contingere, non ex operibus legis; ita definitio, qua Verbum declaratum est ὁμούσιον esse Patri, ex illo verbo nata est: *Ego, & Pater vnum sumus,* & ita reliqua omnia ex Euangelio originem ducunt: *Sed non potestis portare modò.* Alludit ad onus graue, ac minimè ferendum, quod humeris alterius imponitur: ita sunt intelligibilia mysteria, quæ ab auditoribus non capiuntur.

Idem ibidem. Infra 25.

Quomodo verũ sit: Multa habeo vobis dicere, cũ paullò antè dixerit Dominus: Omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.

Ioan 17.

Supra 3. et 12

Act 15. & se.

Euangelium fons est omnis veritatis.

Ioan. 10.

Cur Apostoli plura Christi documenta ferre non poterant.

Didymus enim lib. de Spiritu sancto, tractans hoc verbum, scribit: *Adhuc enim typo legis, & vmbræ, & imaginibus seruientes; non poterant veritatem, cuius vmbram lex portabat, inspicere, vnde nec spiritualia possidere. Ipse ergo Spiritus veritatis ingrediens puram, & simplicem mentem, signabit in vobis scientiam veritatis: & semper noua veteribus adiungens, diriget vos in omnem veritatem.* Hæc ille. Ex quibus habes, verbum externè auditum, nihil prodesse, imò neque rectè intelligi, nisi adsit Spiritus sanctus homines renouans, & sensum aperiens, vt intelligantur Scripturæ, secundùm illud, quod in parabola tectè dixit: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres.* Deinde, cùm essent pleni tristitia, non portabant quæ dicebãtur. Solent enim vehemẽtes affectus impedire rationis vsum, & Iob cum Deo disserens, dicebat: *Loquar, & non timebo eum, neque enim possum metuens respondere.* Tertiò, monentur hoc verbo prædicatores imitari Christi prudentiam, vt non tantùm attendant quid, sed etiam quibus, & quo tempore dicant quodcunque, more boni pręceptoris, auditorum captui se accommodantis, ne fortè in ventum effundant verba: Nam est tempus loquendi, & tempus tacendi. Hinc pastor Iacob dixit fratri suo Esau volenti eum in comitatu suo habere: *Nosti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & boues & oues fœtas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paullatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse, donec veniam ad Dominum meum in Seir.* Instituit his verbis Iacob, quam rationem docendi, & præcepta Dei exigendi ab inferioribus præstare debeant pastores ratione præditi. Hanc prudentiam imitati sunt Apostoli, quorum Princeps dicebat: *Sicut modò geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem,* & Apostolus: *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* Ad hunc modum Iudæi, autore Origene, antequam quis attingat quadragesimum annum, non permittunt, aut Genesis principium, aut Cantica Canticorum, aut Ezechielis initium, & finem legere. Christus cùm turbam alloqueretur, & sciret ab omnibus quædam capi non posse, dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat:* at modò necdum essent capaces aures, admonet Spiritum sanctum expectandum esse.

Dydim. lib. de Spir. sancto, post med.

Hebr. 17.

Verbum Dei externè auditum, quando prosit audienti, ab eoq; intelligatur.

Luc. 5.

II. Ratio.

Iob 9.

III. ratio, & qualẽ Christi prudentiam prædicatores imitari debeant.

Eccles 3.

Gen. 33.

Iacob elegãs pastorum typus.

1. Petr. 2.

1. Cor. 3.

Iudęis lectio Genesis, Cantici Canticorum, & Ezechielis quando permittebatur, secundùm Orig.

Orig. in prolo Cantici Cant initio.

Matth. 13.

Peccant

In hęreticos dicẽtes nihil esse, aut credendum, aut in cultu Dei recipiendum nisi sit in Scripturis expressum, animaduersio.

peccant igitur, qui altiora prędicant, quàm quę capi possint, aut qui perfectiora ab incipientibus, & imperfectis exigunt. Quartò colligimus futile esse, ac inane hęreticorum fundamentum, qui nihil esse, aut credẽdum, aut in cultu Dei recipiendum docent, nisi sit in Scripturis expressum, & apertis verbis traditum. Sed hoc est in primis Spiritum sanctum magisterio suo spoliare, qui pro tempore varias, & ad saluté necessarias veritates in Scripturis, aut non positas, aut non satis expressas reuelauit, & etiamnum reuelat: vt, tres esse personas, vnum tamen Deum: Filium Patri, & Spiritum sanctum Patri, & Filio ὁμόουσιον, duas perfectas naturas, ac proinde duas distinctas operationes, duasque voluntates fuisse in Christo: beatam Virginem DEI matrem, & virginem etiam in ipso partu incorruptam, atq; inuiolatam permansisse: Baptismum paruulorum necessarium esse: Symbolum Apostolorum, Nicęnum, & Athanasij recipiendum, numerũ librorum Canonicorum tam in Veteri, quàm in Nouo Testamẽto recipiendum: editionem, siue versionem vulgatam Veteris, & Noui Testamenti germanam esse, sensumque eius legitimum existere, quem Ecclesia probauerit: numerum Sacramẽtorum, & materias, & formas quorundam; vsumque imaginum, & venerationem retiuendam.

Veritates Ecclesiæ reuelatæ, quænam illæ.

II. argum.

Deinde, asserere, nihil esse accipiendum extra Scripturas, est negare ipsas Scripturas, quæ multa miracula non scripta Christum edidisse tradunt, teste Ioanne. Ait enim Apostolus: *State, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Quædam etiam addit Paulus non expressa in Euangelio, vt Iesum solitum dicere: *Beatius est magis dare, quàm accipere:* & Iesum suscitatum apparuisse B. Iacobo. Illud quoq; est confessum apud omnes, omnia Apostolorum dicta & facta nõ fuisse ab Apostolis conscripta: vt sunt illæ traditiones, de quibus in Actis fit mentio, & de his, de quibus Apostolus pollicitus est Corinthijs, ad quos scripsit: *Cætera, cùm venero, disponam.*

Ioan. vlt. *2. Thess. 2.*

Act. 20. *2 Cor. 15.* Omnia Apostolorum dicta, & facta non fuisse ab Apostolis cõscripta, & quę sint illa. *Act. 15. & se. & Infrà 16. & seq.* *1. Cor. 11.*

III. argum.

Tertiò, si hæc hæreticorum doctrina vera esset, minus prospectum fuisset Ecclesiæ Catholicæ nunc, vbi omnia relicta sunt magisterio Spiritus sancti, quàm olim Synagogæ, vbi omnia expressa, etiam ad minutissimas circumstantias.

IV. argum.

Quartò, si omnia in Scripturis fuissent exprimenda, & omnes conscientiæ casus tractandi, qui varij sunt, ac propemodum infiniti, & quos Christus benè nouerat, profectò debuisset ingens volumẽ Scriptura Sacra exposcere, quod vel summam Syluestrinã magnitudine superaret. Quod præterquam quòd à maiestate Christi fuisset alienum, & à verbo Euangelico abbreuiato, minus gratum, & suaue fuisset nobis: & satis fuit, Spiritum sanctum magistrum relinquere, qui tempore suo vniuersa doceret.

Esa. 18. iuxta LXX & Rom. 9.

V. argum.

Adhæc non est minoris autoritatis Scriptura, quam Deus per seipsum in cordibus credentium scribit, quàm quæ in charta per amanuensem hominem conscripta est: nam hæc tempore posterior est, & ad illam priorem, vt digniorem, refertur. Et ita multæ hæreses per illam, quam scripsit Spiritus sanctus in mentibus Doctorum, sunt iugulatæ, cùm non possent per illam, quæ scripto nondum consignata erat, confutari. Quòd si hic Canon fixus non esset, atque stabilis, profectò vniuersæ damnatæ iam redirent hæreses.

VI. argum.

Postremò, malæ fidei possessor esset, qui probaretur retinere aliquid per testes summa & grauissima autoritate præditos, & tamen ille vrgeret ostendi sibi instrumentum, quo malè possidere conuincatur: cùm perinde sit velis, aut remis portum attingere, atque aliquid in iure, aut instrumentis, aut testibus comprobare: imò certa veritas instrumentorum non nisi per testes fide dignos, & rogatos statuatur.

August. Gnosticorũ in dicta Domini verba blasphemia.

Abutebantur olim hoc loco, teste Augustino, hæretici quidam dicti Gnostici, docentes multa falsa, & à fide Catholica aliena, & abominabilia, quæ aures Catholicorum sustinere non poterant, docentes illa sua dogmata esse ea, de quibus hic Dominus dixit; Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Sed ita omnes hæreses se possent tueri, etiam inter se contrariæ, & falsæ. Quare beatus Augustinus tribus sermonibus huius sententiæ tractationem explicat, ne quis facilè decipiatur. Sed de his satis hoc loco.

Explicatur ad literam: Cùm venerit ille Spiritus veritatis, & reliq.

Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. In primis perpende, pronomen ille, tam Græcè, quàm Latinè masculini esse generis, & non potest referri ad Spiritũ, qui Græcè neutrius est generis, ita enim habetur: ὅταν δὲ ἔλθει ἐκεῖνος τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Id est, cùm aũt venerit ille, qui est Spiritus veritatis. Quare pronomen ille, referendum est ad, Paracletus, qua voce ter eum appellauerat in hoc eodem sermone.

Ioan. 14. Infrà 16.

Quomodo venire dicatur Spiritus sanctus, qui vbique est.

Quomodò autem possit venire, qui vbique est, & omnia implet, non est difficile intelligere. Vt enim Christus dicitur venisse in carnẽ sine motu vllo vllo operãdo incarnationem, ita Spiritus dicitur venisse in forma sensibili venti vehemen-

Act.2. Idem Spirit' vt dicitur venisse, qui locutus est per Prophetas. *2.Petr.1.*

tis,& linguæ igneę,& ratione nouorum effectuum, quos in mentibus eorum, ad quos venit, operatur. Dices; Quomodo dicitur venisse; qui locutus est per Prophetas, vt Petrus ait? Dicendum, Spiritum sanctum in omnibus esse per essentiam, potentiam, & præsentiam, vt Deus est, quemadmodum Pater, & Filius, sed peculariter in omnibus iustis per gratiam; singulariter tamen in Prophetis, fuit per prophetię donum, quo annuntiabant futura, singularissimè tamē in Apostolos venit per excellentiam, & per multa noua dona, quibus eos ornauit ad prædicandum Euangelium, & ad instituendam, atque gubernandam Ecclesiam.

Quā parcè olim Iudęis datus Spiritus sanctus.

Cumque prius parcus esset in dando Spiritu sancto, & quasi guttatim, & per angustum vasis orificium illum funderet; cum tamē in summa donorum plenitudine in Apostolos effudit. Quod insinuat illud verbum: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Et rursus vocat eum Spiritum veritatis, vt eum magnipendamus, & agnoscamus esse Deum.

Ioel 2. *Act.2.* Spiritus itē S. cur dict' Spiritus veritatis

Solius quippe Dei est perfectè consolari, & omnem docere veritatem, vt agnoscatur Spiritus sanctus non esse à substantia Filij alienus, vt hoc loco docet Cyrillus. Subdit: *Docebit vos omnem veritatem.* Græcè dicitur, ducet vos in omnem veritatem, & Ecclesia quodam in loco canit: Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem.

Cyr. lib.10 in Ioā.c.41.to.1. Idē vt doceat omnem veritatem.

Aug. testatur quosdam codices habere: *Deducet vos in omni veritate:* & Dauid ad hanc phrasim alludens: *Deduc me* (ait) *in via tua, & ingrediar in veritate tua.*

Aug.tract. 97.in Ioan.

Docere oēm veritatem, & in eam ducere, quid differat.

Non solùm igitur in illa multa, quæ non potestis portare modò, sed etiam in omnem veritatem æternæ saluti comparandæ necessariam, Estque sermo de ductu interno, quod plus est, quàm docere: docere namque sistit in intellectu; ducere verò in omnem veritatem, pertinet ad vniuersas partes animæ, intellectum scilicet, memoriam, & voluntatem, & ad omnes vires, quę executioni deseruiunt, vt factis ipsis veritas agnoscatur in aliorum exemplum.

Apostolorū ad accipiendum promissum Spiritū S. pręparatio.

Veniente enim ad Apostolos Spiritu sancto, expulsoque more, quo erant confecti, sedati à seipsis, atque à turba semoti, orationi vacabant; & ita veritatis omnis fiebant capaces, & illius quàm Christus prædicauerat, sed ipsis aut memoria exciderat, aut intelligentia. Abolitæ sunt figuræ legis, quia lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est: atque illa quę olim obscura fuerant, & dubia, explicabat Spiritus, & omnem veritatem docebat:

Ioan.1.

Ingeniū hæreticorum in docendo vulpinum.

non sicut hæretici, qui vnam, aut alteram veritatem ienulcant, reliquis (quę non minus sunt necessariæ) prætermissis. Cùm autem hæc sit magnifica Christi promissio; dubitant Patres, an cuiquam in hac vita contigerit. Augustinus ait: *Non arbitror in hac vita in cuiusquam mente posse compleri, quis enim viuens in hoc corpore, quod corrumpitur, & aggrauat animam, possit omnem cognoscere veritatem, cùm dicat Apostolus: Ex parte scimus?*

Aug.trac. 9[illegible] in Ioan.to.9. *Sap.9.*

Ideo respondet Augustinus, tunc demùm nos cognoscere omnem veritatem, cùm suscipimus pignus Spiritus sancti, vt perueniamus ad perfectionem, & videamus de facie ad faciem, tūc enim intelligemus omnem veritatem.

1.Cor.13. An cuiquam in hac vita cōtigerit cognitio omnis veritatis, vt Christus promisit. *Ibidem.*

Cyrillus verò respondens, sentire videtur, quod etsi imperfecta sit in hac vita omnis ista, quæ de veritate suscipi potest cognitio, tamen in ea quoq; quantumuis minima notitia veritas illa imperfecta non est. Sicut enim in speculo etiam minimo faciem tuam contemplaris totam, quamuis imperfectius, & aliquādo minus, quàm in magno: ita quam hic cernis in modico fidei speculo trium personarum vnam essentiam, ipsam illam videbis in vita æterna, in illo immenso, & ineffabili diuinæ essentiæ speculo.

Cyril.10. in Ioan.41. II solutio, e[legantem] sane comparationem continens.

Potest & alio modo explicari hic nodus, vt dicamus, Spiritum sanctum omnem veritatem docere ad salutem necessariam nempè credendam, sperandam, amandam, agendam, atque fugiendam; non autem alias veritates humanarum disciplinarum, vt Geometriæ, Mathematicæ, Physicæ, ac Metaphysicæ.

III. solutio.

Rursus etiam dici potest, Dominum locutum ad Apostolorum collegium, quod totam Ecclesiam Catholicam repręsentabat: quemadmodum Patres in Concilio totam Ecclesiam referunt. Quod ergo hîc promissum fuit Apostolis, quia personale non fuit, toti simul Christi Ecclesiæ Dominus est pollicitus. Quod maximè consolari debet in omni pullulantium hæreticorum prouentu: quia conterentur tandem ab Spiritu sancto ducente Ecclesiam in omem, suo tamen tempore, ac loco, veritatem.

Quarta.

Sicut enim Christus, cùm dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi,* nō solos Apostolos est allocutus, sed oēs eorū, qui futuri sunt ad finem vsque seculi fidei successores: sicut Spiritus sanctus ducet vos Apostolos cum omni posteritate vestra in omnem veritatem necessariam. Nam alia alijs temporibus reuelantur, modo prioribus veritatibus non dissentiant.

Matth.vlt.

Quinta.

Non incōgruè etiam aliquis exponeret: Ducet in omnem veritatem, id est, in totum Iesum, qui veri-

Ioan.14.

Infrà 17.
Coloss. 2.

tas est, vt ipse dixit, cuiusque cognitio vita æterna est: in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Itaque veritatem opponit fictioni, hypocrisi, & mendacio, quę in mundi regno dominantur; aut vmbris, & figuris, quæ in lege erãt, & veritati humanarum disciplinarum, quæ ad salutem non faciunt, & quæ Spiritui san cto magistro non indigent, cùm suos peculiares habeant magistros.

Hebr. 11.

Quorsum dicitur: Non enim loquetur Spirit⁹ S.) à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur.
Chrys. ho. 77. in Ioan. to. 3.

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur. Hoc addit, secundùm Chrysostomum, ne putarent, maiorem esse Spiritum ipso Iesu, eo quod maiora quã Iesus in cordibus fidelium esset facturus; & cum eo portare valerent, quæ modò cum eo non poterant. Propterea subiunxit, *Non enim loquetur à semetipso*; quasi diceret, mea tantùm dicet, mea tantùm tradet; qui enim non est à seipso, nec à se dicit, vel loquetur. Loquitur enim Dominus de Spiritu sancto, vt de nuntio aliquo aut legato, cuius fides in eo consistit, vt nihil à seipso dicat, sed tantùm ea, quæ habet in mandatis. At secundùm Cyrillum, hoc dicit, ne quis putet, Spiritum sanctum nouam aliquam fidem allaturum, aut alias ab illis Christi promulgaturum leges. Probat insuper, ipsum esse Spiritum veritatis, eo quòd à seipso nõ loquatur. Qui enim à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, vt dæmon, qui cùm ex proprijs loquitur, mendacium loquitur, quia mẽdax est, & pater mendacij. Vnde & Prophetas, qui de corde suo vaticinantur, quod Dominus non est locutus, Satanas illos misit. *Sed quæcunque audiet, loquetur.* Non dicit, Quæcunque scierit loquetur; sed, quæcunque audierit; ad similitudinem nuntij ab aliquo Principe missi, qui à seipso non loquitur, sed quæ audiuit à mittente. Propterea præmisit Dominus, Mittam eum ad vos; vt intelligamus quod de Spiritu sancto, vt nuntio mittendo, vel misso loquitur. Non est autem propriè auditio corporalis inter personas diuinas, quasi vna aliquid modo audiendo intelligat, quod prius ignorabat: sed quæ audiet, loquetur, id est, quæ Pater voluerit reuelari, reuelabit; & quæ explicari, explicabit, & quæ celari, celabit, dictis vllis meis, aut Prophetarum non contradicens, quia per me, & illos locutus est Spiritus sanctus, neque pugnans cum verbis, & scriptis vestris, qui estis mei Apostoli, quia esset sibi ipsi aduersari: Benè tamen potest addere, non quidem dictis contraria, sed illis consentientia. Hanc tamen Spiritus sancti à Filio auditionem, Patres referunt ad Diuinam naturam, quam non nisi à Patre

II. sensus.
Cyr lib. 10. in Ioan. c. 41.
Ioan 7.
Infrà 8.
Dæmon qualis nuntius.
Ezech. 13.
Ierem. 14.
Nuntij, vel Legati mun⁹ quod sit.
Quemadmodum quæcunque audiet Spiritus S. hæc loquetur.
Audire Spiritum S. à Patre, & Filio, quid secundùm alios.

per Filium accipit Spiritus sanctus. Vnde Ambrosius lib. de Spiritu sancto: *Non enim loquitur à se, hoc est, non sine meа, & Patris communione. Neque enim diuersus, ac separatus est Spiritus, sed quæ audit, loquitur, audit videlicet per vnitatem, substantiam, & proprietatem scientiæ.* Didymus libro de Spiritu sancto: *Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine meo, & Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate, quia non ex se est, sed ex Patre, & me est, hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, à Patre, & me illi est: Ego veritatem loquor, id est, inspiro quæ loquitur, siquidem Spiritus veritatis est. Dicere autem, & loqui in Trinitate, non secundùm consuetudinem nostram, qua ad nos inuicem sermocinamur, & loquimur, accipiendum, sed iuxta formam incorporalium naturarum, & maximè Trinitatis, quæ voluntatem suam inserit in corde credentium, & eorum, qui eam audire sunt digni, hoc est, dicere, & loqui.* Hactenùs ille. Discamus igitur quid in Ecclesia docendum sit; alioqui audiemus: *Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabãt.* Debemus enim docere quæ Spiritus per Patres antiquos Scripturam sacram exponentes, & per sacra Oecumenica Concilia audiuimus. Nam qui hunc clauum in exponenda Scriptura non tenet, in scopulos impinget innumeros, & naufragium faciet in fide. Nam vt in alijs scientijs valet ingenium, industria, & sagacitas, ita in diuinis libris auditio, & acceptio traditionis, & precatio plurimum confert. Quam tam pulchram veritatem docens Basilius, ita scribit ad Ecclesiam Antiochenam: *Fidem autem nos neq; recentiorem ab alijs conscriptam acceptamus, neque ipsi mentis nostræ fœtus alijs obtrudere audemus; ne humana putentur pietatis verba, sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea rogantibus nos annuntiamus.* Sic magnus ille Ecclesiæ Doctor scripsit. Audiant deinde hoc loco illi, qui prius volunt alios docere, quàm audire; ne falsa pro veris tradentes, se ipsos fallant, & alijs imponant.

Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Hoc dixit Iesus ad Apostolorum consolationem, qui hoc honore erant afficiendi, vt non solùm auditores, & interpretes Prophetarum antiquorum, sed etiam vaticinandi Spiritu hausto Prophetæ fierẽt. Addit deinde hoc pro signo, quo spiritus veritatis à falso internosci queat. Nam hoc signum posuit Deus de Propheta agnoscendo, in Deuteronomio. Docebit igitur spiritus quid in Ecclesia sit futurũ. Vnde Ioannes in Apocalypsi: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.* Agabus per spiritum prędixit famem futuram, & Paulum alligãdum Ierosolymis, & Paulo dixit Spiritus

Amb. li. 2. de Spir. S. ca. 12. porp. tom. to. 2.
Didym. 2. L. de Spir. S. post med. to. 9. op. D. Hier.
Dicere, & loqui in Trinitate, quid sit.
Quæ docenda sint tantù in Ecclesia.
Ierem. 23.
Clauus in Scripturis interpretandis quis tenendus.
Basil. ep. 60. to. vlt.
Quid cauendum doctoris officium ambientibus.
Cur Christus dicat, Apostolis Spiritũ S. quę ventura sunt, annũciaturum eis.
Deut. 13. & 18.
Apoc. 2.
Act. 21.
Infrà 21.
Suprà 16.

ritus sanctus, ne iret in Bithyniam, vel Asiam, sed in Macedoniam: Petro dixit Spiritus: *Ecce viri tres quærunt te. Surge itaq; & descende, & vade cum eis, nihil dubitãs.* Et præuidit fatum suum, de quo 2.Pet.1. habes: Paulus prçuidit futura, 1.Tim.4.2.Tim.3.Act. etiam 21. Multa passim inuenies ab Apostolis dicta de iudicio vniuersali, de Antichristo, & Apostasia Romani imperij, de periculis temporum. Dices; Nõne Spiritus mendax potest multa vera prædicere? Maximè: sed seruis Christi per ea imponere haud potest, quia deteguntur falsa per ipsum Spiritum sanctum scrutantem profunda Dei, & habitantem in electis suis.

Act.10.

Mendax Spiritus licet vera prædicere possit interdum, nunquam tamen Christi seruis imponere. Vnde Spiritum S. agnoscas Spiritum veritatis. *Ioan.7. & 8. Philip. 2.*

Ille me clarificabit, vel glorificabit. Ostendit: Spiritum sanctum Spiritum esse veritatis quia gloriam propriam non quærit, sed mittentis Christi. Quia enim Christus gloriam propriam nõ quæsiuit, verùm exinaniuit semetipsum, & in infima quæque vt fundamentum se deiecit, idcirco glorificatus nõ ex alienis laudibus sibi ab alijs emendicatis, sed ex proprijs, & suæ naturæ debitis. Et hoc est potissimùm Spiritus sancti opus, ad quod cætera omnia referenda, vt scilicet Christus agnoscatur, & glorificetur tanquàm Filius Dei, & mũdi Saluator, & quod non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Clarificabit autem tum in cordibus Christi cultorum, vt eum agnoscant, & suauiter degustent, tum in linguis vestris per prædicationem, qua toti mundo annuntiabitis victoriosam gloriam in peccatum, mortem, diabolum, mundum, & quòd mihi data sit omnis potestas in cœlo, & in terra. Tertiò, dçmonum expulsionibus, atq; miraculis, per inuocationem nominis mei per vos edendis. Postremò admirabili vitæ sanctitate, inculpatisque moribus, quibus infinitam hominum multitudinem ad me perducatis; quod magnum erit gloriæ meæ argumentum. *Quia de meo accipiet.* Meum non accipitur possessiuè, quomodo dicitur ager meus, & domus mea, scilicet à me possessa, sed eo modo quo anima est mea, corpus est meum, natura est mea; & ita de meo accipiet, hoc est, de mea essentia, & sapientia. Est enim hic duplex ordo: alter accipientis ad rem, quæ accipitur. Et ita ostendit quod Spiritus sanctus accipiet essentiam, & sapientiam Filij, non filiationem; ideo non dixit: accipiet de me, vel meum, sed de meo. Alter ordo originis inter dantem, & accipientem, ostendit, Spiritum sanctum ab eo, quod est Filij, vt principio, quo Filius producit ipsum, procedere: vt enim Filius generatur ab essentia Patris, vt principio, quo Pater Filium generat, & quam essentiam Filius per generationẽ accipit; ita Spiritus sanctus producitur ab essentia Patris, & Filij, vt principio, quò Pater, & Filium ipsum producunt; per quam productionem Spiritus sanctus accipit eandem essentiam, potentiam, sapientiã, & bonitatem, & reliqua omnia absoluta. Accipere igitur non eodem modo intelligitur in Diuinis personis, sicut in creaturis, vbi aliud est accipiens, aliud is, à quo accipit: at in Diuinis personis non est aliud, & aliud, sed alius & alius: quia personæ simplicissimæ sunt, & eiusdem inter se substantiæ. Item in creaturis accipit aliquid ab alio, ille qui accipit, quod non habebat: at qui dat amittit, & desinit illud habere: secùs in Diuinis, vbi dans, & communicãs alteri personæ, non propterea tamen ipse definit habere, aut minus habere: quemadmodũ scientia, quam ego alteri communico, ità etiam illi trado, vt etiam communicata in me remaneat. Docet hoc loco egregiè B.Thomas, relationes in Diuinis dupliciter posse comparari: Vel ad essentiam, & sic relatio non est alia res, quàm essentia: nam paternitas aliud nihil est quàm ipsa essentia; at verò, si relatio ad oppositam relationem comparetur, puta paternitas ad filiationem, tunc paternitas relatio est realis re ipsa à filiatione distincta. Si ergo referatur paternitas ad essentiam Patris, tunc omnia, quæcunque habet Pater, habet & Filius, quia paternitas non est res alia ab essentia Patris distincta. Si verò conferatur ad oppositam relationem, tunc Filius habet omnia quæ Pater, seclusa paternitate: & Pater omnia quç Filius seclusa filiatione. Et idem dicendum de spiratione actiua, & passiua, quæ inuicem opponuntur.

Potissimum Spiritus S. opus quodnã sit

Act 4.

Spiritus S. quomodo Christum clarificet.

Matth. vlt.

Illud: Quia de meo accipiet, quẽ sensum habeat.

Accipere Diuinarum personarum, ab eo creaturarum quid dif ferat.

Exemplum

B.Tho. Lect. 4. in Ioan. c. 16 to, 14.

Relationes in diuinis dupliciter accipi possunt.

Quod autem de futuro ait, de meo accipiet; non probat Spiritum sanctum nondum accepisse substãtiam à Filio, sed quod semper accipit, accipit, & accipiet. Quia actio æterna est, vt propterea meritò dicamus, Pater Filium generat, generauit, & generabit: Filius generatur, genitus est, & generabitur: Pater & Filius spirant, spirârunt, & spirabunt Spiritum sanctum: Spiritus sanctus spiratur, spiratus est, & spirabitur: quia verba nostra, quç cum tempore significant attributa rebus diuinis, quæ tempore prorsus carẽt, ad omne sunt tempus amplianda, ita vt futura nõ excludant prçterita, vel præsentia, & præsentia, præterita, vel futura, & prçterita præsentia vel futura nõ excludant. Quanquã hic dici potest, q lo-quitur de futuro accipiet, loquitur, clarificabit, annuntiabit, quia etsi processio Spiri-

Cùm ab çterno Spirit' S. diuinã essentiã acceperit cur de futuro dicitur, accipit

Altera solutio.

tus sancti æterna sit, sicut & locutio, nos tamen qui tempore inclusi sumus, nec valemus æternitatem apprehendere, cogitamus, & dicimus Deum, eo tempore aliquid fecisse, quo factum videmus, quia effectus in tempore sunt. Scriptura autem demittit se ad nostræ captum intelligentię tempore inclusæ. Est ergo planus literæ sensus: Ille me clarificabit, quem ego mittam, quia de mea sapientia, & sensu accipiet, tanquàm nuntius; ad differētiam humanorum nuntiorum, qui mittūtur quidem, & audiunt, quæ mittentes dicunt, sed prudentiam, sapientiamque mittentis non accipiunt iuxta commune dictum: Datur quidem magistratus, at non prudentia. Tamen semper quos Deus mittit, facit idoneos ministros, vt Paulus ait: quia sic oportebat fieri ab eo, qui primos faciebat, vt posteri qui nō possunt eos bonos facere, mittant tātùm quos idoneos Deū fecisse repererint.

Datur magistratus, sed non prudentia, vt dici cō sueuerit.
2. Cor. 3.

III. solutio.

Potest etiam hic locus interpretari sic: De meo accipiet, non omnia mea, sed partem, quia impossibile erat omnia capere. Nam quæ de me scripta sunt, in lege, & Prophetis, plurima sunt: quorum partem Spiritus sanctus explicuit: vt illud, *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, &c.* De meo etiam, quia Spiritus nō autoritate, aut eloquentia me clarū reddet, sed tantùm, quæ ego abscondi, ipse palàm deteget.

Psal. 2. & Act 13.

Quorsum id Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.

De quibus subdit: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Hoc addit, in primis, ne Spiritus S. videatur alienus à Patre: q̄a enim superiùs dixerat, *Qui à Patre procedit*, & Filius dixerat quod de suo acciperet, ostendit Dominus, quòd hæc inter se non pugnant: quia cùm omnia quę Pater habet, Filij sint, ostēdit, Spiritum ab vtroque procedere, & produci. Sed vis producendi primò est in Patre, deinde per Patrem communicātem illam, in Filio. Hinc Didymus libro de Spiritu sancto hunc locum interpretans, scribit: *De Spiritu veritatis, qui à Patre mittatur, & sit Paracletus, Saluator, qui & veritas, ait: Non enim loquetur à semetipso; non sine me, & sine meo, & Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate, Quia non ex se est, sed ex Patre, & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à Patre, & me illi est.* Sic ille, pulchrè subiungens, expositionem illorum verborum, Omnia quæ habet Pater, mea sunt, intelligi de his, quæ spectant ad substantiam, æternitatem, immutabilitatem, & similes perfectiones præter paternitatem, & esse Patrem, vt ex hoc loco impiè colligebant Sabelliani. Ad hæc meminit Patris, ne solus videatur exclusus ab opere nostræ salutis.

Didym. l. 2. de Spiritu S. aliq. à med to 9. ep. C. Hier.

II. ratio.

Tota namq; Trinitas ad iustitiam, & redemptionem nostram operata est, & nos vicissim in salutis nostræ negotio cooperari illi debemus. Demùm hoc addidit, vt sciamus, magna esse, ac planè Diuina, quæ per Spiritum sanctum de Christo reuelanda erant. Omnia enim Patris bona Filius habet, & ita Filius Deus est, omnipotens, conditor, conseruator, redemptor, & glorificator.

Tota Trinitas iustitiam & redemptionem nostrā operata est. III, & postrema.

Matth. 1.

Et nomine omniū quæ Pater habet, non comprehenditur relatio paternitatis: omnia etiam quæ sunt Filij, habet Pater, excepta filiationis relatione. Atque ita communicare in omnibus Patrem, & Filium inter se distinctos, nihil aliud significat, quàm non habere aliquid Patrem, quo careat Filius, vel Filium, quo careat Pater, sed omnia aliter habere Patrem, scilicet à seipso, & non ab alio, & aliter habere Filiū, scilicet à Patre solo, & aliter habere Spiritū sanctū, scilicet à Patre, & Filio.

Quomodo omnia quæ Patris sunt, Filij sint, & è conuerso.

Quod vt magis perspicuum reddatur, finge in primis virum aliquem strenuum, qui prudentia, & fortitudine sua castrum benè munitum, & opulētum suæ ditioni adiecerit, atque ita illud possideat: finge deinde virum hunc filio à se genito, eiusdem castri dominium, possessionemque tradidisse, non tamen se ipsum eiusdem proprietate, ac possessione spoliando: demùm finge hos duos parentem, & Filium, amicum quendam, quem summo amore prosequuntur, habere, communique vtriusq; consensu, & voluntate eiusdem castri ditionem in illum conferre, ita vt non minùs ad illum spectet, quàm ad illos duos: Ecce tibi Trinitatis imaginem vtcumque delineatam: nam hi tres vnam & eandem numero substantiā habent, nempè dictum castrum, atq; in solidum, & vt dici solet, in indiuiso possident. Differunt tamen in modo habendi: nam vir ille strenuus à se solo, & non ab altero habuit, filius verò, à parēte suo singulari per generationem; amicus tertius ab vtroque habuit ex dono, & liberalitate.

Exemplum seu imago Trinitatis.

Ad hunc sanè modum tres in Diuinis personę eandem numero Diuinam essentiam in solidum possident, & aliud non possidet vna persona, quòd non possideat alia: quanquā aliter, & aliter à qualibet possideatur persona. Nam Pater à seipso illam habet, non ab altero; Filius à Patre per generationem; Spiritus sanctus ab vtroque per viam liberalitatis, ac amicitiæ. Sequitur in textu.

Qua ratione Diuina essentia à tribus diuinis personis possideatur.

Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Reddit rationem cur dixerit de Spiritu sancto, quòd de meo accipiet. Ex quo habes, Spiritum sanctum ideo à Filio procedere: quia cùm omnia, quæ Pater habet.

Ratio eius dicti, Quia de meo accipiet.

habet, ad Filium spectent, cùm Pater habeat esse principium productiuum Spiritus sancti, Filius quoque principium est eundem spirandi. Habes etiam regulam vniuersalem, quòd Pater, & Filius in omnibus sint vnum: salua sola distinctione, quæ est inter Patrem, & Filium; imò quòd in beata Trinitate omnia sunt vnum, salua distinctione, quæ sumitur à relationib[9] paternitatis, filiationis, & spirationis actiuæ, quæ est in Patre, & Filio, & passiuæ, quæ est in Spiritu sancto. Iesus prætereà caussam suæ gloriæ adfert, cùm sua esse dicat omnia quæ Pater habet, & Spiritus S. non ex se sed quæ audiat, sit locuturus, auditurus autem sit à Patre ea, quæ sunt Filij; fit vt Filius seipsum hic laudet. Et signum Prophetæ à Deo missi magnum, & euidens profitetur: non modò enim in nomine Domini se venisse asseruit, sed & quæ Dei sunt, sua nunc esse docet. Vnde si Spiritus, quem prædixit, venit, signum quod dederat, præstitit, ac proinde in nomine Domini locutus est, vt habes in Deuteronomio. Constans igitur est per omnia doctrina Christiana, quã Pater Filio dedit, & Filius ab eo audiuit: *Omnia*, inquit, *quecunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et Filius per seipsum primò, deinde per Spiritum sanctum docuit, qui in pectora Apostolorum illapsus, docet quæcunque audiuit, Apostoli rursus eiusdem Spiritus sancti ope, quæcunq; à Christo audierunt, in nos transfuderunt, vt ita certam atque indubitatam fidem habeamus doctrinæ cœlesti nobis traditæ per Dominum nostrum Iesum Christum, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit omnis gloria, imperium, & honor, in sempiternum, Amen.

(Margin: Personarum distinctio Diuinarum vnde sumatur. — Christ[9] quòd verax sit nunc us Patris, argumentum eiusdem. — Ioan. 15. — Deut. 18. — Ioan. 8. & 15. — Christianæ doctrinæ firmitas atque constantia.)

TRACTATVS LXX.

In illa verba: *Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum, & non videbitis me: Et, iterum modicum, & videbitis me: Et, quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, &c.* Ioan. 16.

MVNDVM hunc, quantum ad impios, & scelestos spectat, tragœdiæ persimilem non immeritò esse dixerim: nam vt in illa à principio omnia sunt læta, atque iocunda, finem tamen postea luctuosum, & calamitosum sortiuntur; ita hic impij opibus atque honoribus florere videntur, & omni delitiarum genere abundare: cæterum quem finem atque exitum hæc tanta huius mundi felicitas habeat, declarauit ille diues Epulo, qui cùm esset in tormentis, vel aquæ stillam ad refrigerationem postulauit, nec obtinuit tamẽ At verò mundum, quantum ad pios, & iustos attinet, haud absimilem comœdiæ facere possumus; in qua cũ omnia sint à principio turbulenta, tumultuaria, rixisque, ac contentionibus vndique referta, fausto tamen, ac læto exitu concluduntur. Talis est bonorum, ac piorum fidelium vita: nam hic cùm molestijs, & laboribus premantur, cumque hostibus validissimis, atque adeò secum confligentur, pacatissimum tamen iustitiæ fructum, hoc est, vitæ æternæ requiem cum Lazaro olim mendico, in sinu tamen Abrahę quiescẽte nanciscuntur. Cũ igitur Christus solatus esset Apostolos suos promissione de aduentu Spiritus sancti, & effectibus, quos in eis, & pro eis, & contra aduersarios erat factur[9]; modò sub ęnigmate, & verborum inuolucro prędicit illis suũ per mortem abitum; rursusq; eos erigit, atque corroborat, narrando in breui consolationem resurrectionis affuturam.

(Margin: Qualis mundus iste sit impiis, qualis verò bonis, & iustis. — Luc. 16. — Qualis bonorum sit, ac piorum fidelium vita. — Hebr. 12. — Luc. 16.)

Modicum, inquit, *& iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem*, Quemadmodum Prophetę secreta Diuinæ voluntatis, & humanæ prædicant, illaque confirmant aut vitæ sanctitate, vt Helias, ac Ieremias, vel rerum à se prædictarum euentu; vt Esaias, qui prędixit Ezechiæ instãtem mortem; vel signis, vt Moyses, vel Scripturis, vt Ioannes Baptista: Ita Christus prędixit passionem, & resurrectionem, quæ à Dei voluntate, vel peccatum crucifigentium permittente, & ex cruce salutem omnium eliciẽte, & resurrectionem faciente, vel ab hominis etiam voluntate pendebant, quæ inferendæ necis Christo caussa extitit. Illa autem vera esse comprobauit, non tantùm signis quæ ediderat, vita sancta, atque irreprehensa, quam ducebat, sed etiam ex Scripturis, & rerum ipsarum quas prædixit, euentu. Prædixit autem, vt fidem eorum nutãtem firmaret, & antidoto turbationem præueniret. Prædixit autẽ prudẽter, hoc est, obscuris, ac tectis verbis, quò minùs offenderentur, & audita morte examinarentur. *Modicum*, inquit, *& iam non videbitis me*, vel Græcè, *non videtis me.* Id est, Exiguum est, & breue temporis spacium, hoc est, per triduum sepulturæ, quo me nõ

(Margin: His verbis Dominus: Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, &c. quàm verum sit Prophetã ostendit. — Esai. 38. — Exod. 7. & seq. cap. — Ioan. 1. — Cur id Christus Apostolis præsignificauerit.)

Qu. (?) est: Modicum, & iam non videbitis me, & iterum & videbitis me.

videtis. Et ponitur more Hebræo præsens pro futuro: Et non videbitis me, siue, videre non poteritis. Et ita modicum accepit Christus alijs locis, cùm superiùs dixerit, *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt.* Et cap. 7. Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & ita etiã hoc loco accepit. Rursus modicum, & videbitis, id est, post triduum, nam per quadraginta dierum spatiũ ante ascẽsionem, pluries eum suscitatum à mortuis viderũt. Et rationem subdit: *Quia vado ad Patrem.* Per ascensionẽ scilicet. Quo modo non viderint eum ampliùs, explicat Augustinus: Id est, non videbitis me mortalem vt modò; & rursus videbitis immortalem gloria, & honore affectum. Quia ob id Christus non versabatur, vt prius cum Apostolis, sed ad tempus tantùm, & per internalla; vt, post dies octo apparuit illis Iesus, quatenus ostenderet se resurrexisse ad vitam immortalem, & priori dissimilem; ostenderetque spiritualiter à peccati morte suscitatos non debere passim, & indifferenter versari cum mortuis, hoc est, cum peccatoribus, sed cum viuentibus gratiæ Dei. Hinc dixit Angelus: *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* Denique quò Apostoli discerent, separationem omnimodam à Christo magno animo perpeti.

Act. 1.

Christus quã do iuit ad Patrem.

Aug. trac. 101 in Ioan. to. 9.

Ioan. 20.

Quibus cum Apostoli post Christi resurrectionem versari debebant.

Luc. 24.

Alius sensus, & fortassis melior est: *Modicum, & iam non videbitis me,* scilicet naturaliter, & viribus humanis; quia impossibilis est naturæ resurrectio, & impossibile corp^{9} glorificatum videri ab homine mortali, nisi ipso volente. Iterum ergo modicum, & videbitis suscitatum, quia ego supra naturam, & possum quæ naturæ superant facultatem, præstare, si naturam condidi: & possum ex priuilegio dare oculos, quibus cernar à vobis: *Quia ad Patrem vado.* Nimirùm per mortem: & seruit priori clausulæ, *Modicum, & iam non videbitis me.* Vado etiam post resurrectionem, seruitque secundæ clausulæ: *Et videbitis me.* Et ita est ratio vtriusque clausulæ, in posteriori sensu, quia ego ad Patrem vado, & inde vobis oculos ad me vidẽdum impetrabo. Quia item vado ad Patrẽ, non potestis me videre, quia mecum non venitis, cùm me sequi modò non possitis: & ita loquitur de spiritali, & corporali visione. Si verò illud aduerbium, Quia quod Græcè est ὅτι, trãsferatur, quod, sensus erit: Modicum, & non videtis me, quod ad Patrem vado: Et rursus modicum, & videtis me, quòd ad Patrẽ vadã. Cũ enim Apostoli, Christum ad mortem ire viderent, ipsi iter multum diuersum ab eo, quod est ad Patrẽ tendere arbitrabãtur: at cùm post resurrectionem ascẽdere ipsum versus cœlum viderent, tunc & oculis, & mente ad Patrẽ ire arbitrati sunt. Cyrillus hoc loco cõsiderat, ꝙ de passione modicum dixit; & non videtis; & de resurrectione rursus, *Modicũ, & videtis me.* Cùm verò dixit, *ad Patrem vado,* nõ dixit quãdo, vel quanto tempore ad Patrẽ sit mansurus, vel quãdo ad nos sit reuersurus: qa non est nostrũ nosse tẽpora, vel momẽta, quæ Pater posuit in sua potestate. Per tres dies aũt voluit animã à corpore separari, nec vĩderi, vt vera mors, & vera resurrectio probaretur, & Trinitas tãta obedientia, humilitate, atq; charitate Christi pro omnibus hominib^{9}, qui spectãt ad Legẽ Naturæ, & Moysi exhibita, placaretur; corpus aũt sepulchũ, vt semen corporũ nostrorũ, & vt Christi charitas, & liberalitas donans suũ corpus charis amicis ostenderetur, nõ vltra triduũ distulit resurrectionẽ, ne languesceret nostra spes, fides q; deficeret. Fortitudo aũt, & amor Iesu fecit, vt horrẽdam passionem, & mare humiliationis, & afflictionis calicẽ, & modicum vocaret, Modicũ etiam vocat resurrectionẽ, quia demisit se venientis cum plagis, quæ tangi possent, edens cũ Apostolis, & bibẽs, vt ferre possent. Adhæc in modico tribulationis, & tentationis, qua tentamur, non videtur Dñs, quia turbatur piscina conscientiæ, & aër nubibus tegitur, & putamus nos omnibus derelictos nõ vidẽdo eũ: verũ ille nobis adest, nos consolãs, & prǽmium pollicens ęternũ. *Cum ipso sum,* inquit, *in tribulatione, eripiã eum, & glorificabo eum.* Eripit autem, cùm restituit serenã conscientiam, & speculum tersum animæ reddit, in quo tanquàm in pura, & cõspicua aqua Christus amicus videatur, & sponsus. In modica etiam peccati voluptate Christ^{9} perditur, & non nisi post triduum dolentes inuenimus, & delectationes, quas cum lacrymis, vt porrum, & cæpe Ægypti, ob morsum conscientię edimus, pẽitamus pœnitentia. Post modicum etiam pręsentis vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, vt ait frater Domini; videbimus Christũ non ad modicum, sed in æternum, secundùm illud Esaiæ: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in congregationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.*

III. sensus.

Cyrilli consideratio. Cyr. li. 11. in Ioan. c. 4. to. 4.

Act. 1.

Tridui spatio cur Christus iacuerit in sepulchro.

Matt. 26. & 26.

Quare non videtur à nobis Dominus tempore tribulationis.

Psal. 90.

Idem quando eripit nos à tribulatione, atque glorificat.

Num. 11.

Quo tempore etiam modico Christ^{9} à nobis non videtur.

Iacob. 4.

Esa. 54.

Dixerunt ergo Discipuli eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & iam, &c. Quia si Apostoli olim mortem Domini apertè, & sine omni parabola prędictam, teste Luca, non intellexerunt, mirum esse non debet, si nunc mortis eius decessu conturbati, & mœrore confecti parabolam propositam non intellexerint. Christus

Luc. 18.

inter-

interdum obſcuris verbis agebat, vt nõ ſolùm excitaret ad quærendũ, ſed etiam torporẽ excuteret: vnde hic excitati ſunt vt eũ interrogarent. Deinde docemur, carnẽ ad Chriſti prædicationẽ eſſe ſurdã, quemadmodũ aliàs erat verbum crucis abſconditũ. Quare non ſatis eſt externè doceri, niſi adſit illuſtratio interna Spiritus ſancti, iuxta illud: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuã, & cuſtodiam illã in toto corde meo.* Tertiò ſingulariter perturbabat Apoſtolos illud Modicũ: quia qui in lõga afflictatione ſunt, plerunq; dubitant de promiſſa eis conſolatione, & vel in breui cum adſit, illis tardare videtur. Adhæc confitentes ſe neſcire, & quærentes diſcere, digni ſunt qui Dñm videãt: vt Athenienſes ponẽtes aram Ignoto Deo, Pauli prædicatione vt illuminarentur digni ſunt habiti: ſicut Eunuchus legens, & eorum quæ legebat, intelligentiam nõ aſſequẽs, Philippum euangelizantẽ habere promeruit. Vnde & nos etiã verba Chriſti non intellecta, tanquã reliquias, & ſemina quædam ſpiritualia retineamus, ſperantes eorũ intellectũ, & fructum ſuo tẽpore, id eſt in Pentecoſte, ſiue aduentu Spiritu ſancti ad nos.

Caro ad Chriſti prædicationẽ ſurda. *Luc 9. & 18.* *Pſalm. 118.* *Act 17.* Qui digni ſint Dominũ videre. *Suprà 8.*

Cognouit autẽ Ieſus, quia volebant eum interrogare. Vnde exemplum ſolicitè præueniendi eos ſua reſponſione, antequam interrogẽt, dedit. Ita quotidie Deus nõ ceſſat nobis benefacere, etiamſi nos minimè petamus, iuxta illud Eſaiæ: *Erit́q; antequam clament, ego exaudiã, adhuc illis loquẽtibus, ego audiam.* Vel dignitatis Chriſti eſt, quòd tardos & ſtupidos ad intelligendum nõ reijciat, nec duriter eos tractat, ſed mãſuetè eos erudit. Cognouit ergo Chriſtus quòd vellent ipſum interrogare, tũ ex animo eorũ ſibi ignoto, tũ ex collatione inter ſe, & murmure illorum. Rectè dictũ eſt: *Sapientia præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, vt prior ſe illis oſtendat.*

Chriſtus vnde cognouerit Apoſtoli quod eũ vellent interrogare. *Eſai. 65.* Quid proprium Chriſti. *Sapient. 6.*

Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus aũt gaudebit. Explicat Dñs ænigma propoſitum: non quidẽ quid ſit modicum, & iterũ modicum, quòd res ipſa mox eſſet declaratura, cùm poſt aliquot horas eſſet ab illis occidendus, & crucifigendus. & ſic eſt impletum: *Modicum & iã non videbitis me,* & expectare debebant implendum quod ſequitur: *Et iterum modicũ & videbitis me:* explicauit tñ ſuo more, nouam ſubinferẽdo adiectionem, qua quod dixit, firmiùs aſſeuerauit: & ex ea intelligendum reliquit, Non videbitis, & videbitis, dicens: Amen, amẽ dico vobis, id eſt, veriſſimum eſt quod dixi, & ex his quæ ſubiungo, vt intelligere poteſtis, quia tempus inſtat, in quo vos plorabitis, & flebitis, & quo me non videbitis, neſcientes quòd ad Patrem iuerim: quia ſi ſciretis, gauderetis vtiq;, quia vado ad Patrẽ, quia Pater maior me eſt. Putârunt.n. Apoſtoli Chriſtũ omnino ſibi periiſſe per mortem, & ſibi in eo omnia adempta bona.

Quis ſenſus huius parabolicæ locutionis.

Plorabitis, & flebitis, id eſt internè, & externè, vel illud flebitis, quod Græcè dicitur θρηνήσετε, hoc eſt lamentabimini, ſiue voce querula, ac triſti oratione damnum, ac dolorẽ teſtabimini: quo ex verbo Græco Threnorum vox eſt deriuata, qua vtitur in ſuis lamentationib' Hieremias: & fœminę Threniſtæ dicũtur, quæ luctui ſunt, ac fletui deputatæ. Hinc Hieremias dixit: *Nõ plangent eum, væ frater, & væ ſoror, non concrepabunt ei, væ domine, & væ inclyte.* Nec mirũ, mentẽ aliquo affectũ turbatã neſcire quid dicat. Vnde illi lamentũ de morte Ioacim facientes, dicebant: *Væ frater, & væ ſoror.* Pij igitur quãdiu in hoc mundo verſantur, niſi mœroris & lamentationis materiam nõ habent, ſiue dũ in ſe ipſos, & peccata ſua flectũt oculos. *Ad meipſum,* inquit, *anima mea conturbata eſt,* ſiue dũ aliena conſiderant: *Quoniam* (inquit Paulus) *triſtitia mihi magna eſt, & cõtinuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Nam pro incolatu, & futuræ gloriæ dilatione triſtantur, nec interim eſt aliquis Ioãnes Baptiſta, qui eos ad fletum excitet, & pœnitentiã; & qui poſſit dicere: *Lamẽtaſtis vobis, & nõ planxiſtis.*

Apoſtolorũ ſtudis de Chriſto ſenſus. Idem quãdo fleuerunt, atq; plorauerũt. Threni vnde dicti. Threniſtæ fœminæ quæ dicantur. *Ierem. 22.* Effectus mẽtis perturbatæ. *Pſalm. 41.* *Rom. 9.* *Pſalm 119.* *Matth. 11.*

Mundus autem gaudebit. Id eſt, Impij exultant & proſperantur: videtur Deus illis fauere, & eorum cauſam agere. In quo ſignificatur mors Chriſti violenta: nam quando hoſtẽ ſuum quis interficit, ſolet vehemẽter ille lætari, non autem ita de morte naturali gaudet. Ita exultabant & triumphabant Iudæi, Chriſto cruci ſuffixo, quaſi ipſorum cẽſore, atq; redargutore extincto, ac de medio ſublato. Dicebant enim: *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalua temetipſum: Si filius Dei es, deſcende cruce. Confidit in Deo, liberet nunc eum, ſi vult, &c.*

Quale gaudium mundi ſit. *Infrà 21.* *Sap. 2.* *Ioan. 2.*

Vos autem cõtriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudiũ. Non quęlibet triſtitia, ſed veſtra: piorũ enim triſtitia in conſolatione terminatur: *Beati,* inquit, *qui lugent, quoniam ipſi cõſolabuntur.* &, *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationib. magnis congregabo te.* Et hoc dictũ eſt in reſurrectione, quãdo gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino, & in aſcenſione, quando reuerſi ſunt gaudẽtes, & miſſione Spiritus ſancti Paracleti. Et omnis quidem piorum triſtitia, vel propter Chriſti fidẽ confitendã, vel propter triſtitiam ſectandam, vel propter propria aut aliena peccata lugendo, in gaudio terminari ſolet.

Quæ triſtitia vertatur in gaudium & exultationẽ in Apoſtolis & Sanctis. *Matth 5.* *Eſai 54.* *Ioan. 20.* *Luc vlt.* *Act. 2.*

Mulier cũ parit, triſtitiã habet, quia venit hora eius. Triſtitiã Apoſtolorũ in gaudium ac conſo-

Quid significet hac parabola Christus: Mulier cùm parit, tristitiā habet, quia venit hora eius. *Gen.3.*

cōsolationē fore terminandā, metaphora, siue similitudine mulieris parientis confirmat, q̄ optaret quidem filio potiri sine dolore, si fieri posset, sed id nō contingit, quia lata est sentētia, *In dolore paries filios*: quare si gaudiū ex filio habere cupit, oportet ipsam prius mœrore affici, ac dolore, quia hāc sibi nouit horam p̄stitutam, q̄ præteriri nō potest. Sed hunc eius dolorē mitigat, q̄ scit nō fore diuturnū, & q̄ ingentē & solidā de filio nascituro voluptatē sperat. Ita nunc vestris animis adluberet, vt regnū meū, & gratia, & gloria Spiritus sancti, & q̄cunq; promisi vobis, citra vllā meam mortē, & vestrā desertionē obuenirent. Verū hoc fieri nequit, q̄a stat sententia: *Percutiā pastorē, & dispergētur oues gregis.* &, *Nonne hæc oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriā suā?* Sed firmādus animus, quia nō diu durabit dolor, sed est hora tantū, seu paruū tēpus, seu triduū: deinde q̄ ingens fructus, & gaudiū exinde cōsequetur. Vos eñ more parturiētis mulieris dolebitis, nesciētes quo exitu sim clausurus mea, sicut parturiens ignorat quē successum habebit part⁹. Nescitis quod ex medio vestri, seu ex vobis, quasi ex vtero matris egredior, &ad Patrē vado, quasi puer in lucē mundi. Et hoc est primū illud modicū, quo nō videbitis me: sed iterū me videntes quasi fętū enixi in resurrectionis die cū gaudio videbitis: & hoc est secundū modicū, in quo videbitis me. Est.n. Christi resurrectio, quasi natalis eius, in qua Paulus impletum esse dicit illud: *Ego hodie genui te.* Et gaudium bonæ cōscientię natum ex fide, & gratia Spiritus S. nemo per vim aut fraudē à nobis tollet, sed quisq; sibi per liberum arbitrium. Ponderat Aug. dictū, cùm peperit puerū; q̄ maior sit lætitia ex nato masculo, quā ex fœmella, etsi Gręcè τὸ παιδίον ad vtrūq; sexū se extendat, vt nomē pueri apud Latinos. Hic est sensus p̄dictæ parabolæ, siue metaphoræ ad literā. Si verò p̄dicta verba ad totā Ecclesiā, & ad quamlibet animā per ampliationē extendere voluerimus, p̄mittendū est quod annotat Chrysost. hanc parturiētis metaphorā ad significādos piorū & iustorū dolores frequenter esse à Prophetis vsurpatam. Vnde Dauid: *Ibi dolores vt parturiētu.* Et Esaias: *Venerunt filij vsq; ad partū, & virtus nō est pariendi.* & rursus: *Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partū, dolens clamat in dolorib. suis: sic facti sumus a facie tua Domine.* Lege Ieremiam, Ezechielē, & Michæam, vbi Spiritus S. eadē vtitur similitudine. Nam etsi alij dolores magni sint, afflictionib⁹ tñ piorum explicādis hic est accōmodatior. Primò, quia dolor notissimus est tum fœminis omnibus, tū maribus, qui illū nascēdo vel nolentes matribus suis inferūt. Deinde vehemēs est dolor, vnde & in pœnā peccati datus est; quia magna solutio cōtinui, & nō procul à morte: vnde Rachel in partu periclitata est, & filiū vocauit Benioni, id est, filiū doloris, & mulier Christiana non secùs ad partū, ac ad ipsam mortē per Sacramenta, & cętera subsidia se p̄parare ac præmunire debet. Tertiò dolor est ineuitabilis, & cui nulla hominū sapientia mederi potest, pręter B. Virginem solā, quā ab omni dolore singulari priuilegio seruare voluit. Quartò, quia hic dolor adiūctum habet timorē: nescit enim an fętus sit mascul⁹, an fœmina, integer, an mōstrosus, validus, an infirmus, ad vitā, an ad mortē; quare inter spē & metū non pōt magna nō adesse tristitia. Hinc Rebecca geminos habens in ventre inter se collitigantes, cōsuluit Deum, & dixit: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit me concipere?* & Thamar præ tristitia dixit, quòd propter eā diuisa esset maceria. Quintò, hic dolor vicinus est gaudio, & lætitiæ ob natū puerū; vnde Eua nato Cain dixit: *Possedi hominē per Deum.* Est ergo lætitia quidem in cōcipiendo, labor in gestando, sed qui spe toleretur; dolor verò, labor, atque metus in pariēdo, gaudium verò enixo iam fętu. Ita ergo piorū afflictiones omnib. notæ sunt, de quib⁹ ad Tobiā angelus: *Qui acceptus* (inquit) *eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Magnæ sunt, & nō procul interdum à morte, interdū verò non longè à desperatione: vox Pauli est; *Supra modum grauati sumus, supra virtutē, ita vt tæderet nos etiā viuere.* Hinc Helias & Ionas petierūt animę suæ vt morerentur. Illis solus Deus mederi pōt, iuxta illud: *Quoniā Pater meus & mater mea dereliquerūt me, Dominus aūt assumpsit me.* Habent p̄terea piorū afflictiones infirmitatē carnis ad malum solicitantis, & nesciunt an peccauerint, necne, quia verētur omnia opera sua, & nesciunt an in bono opere cępto sint perseueraturi; ideo semper timent. Deniq; vexationes pios ad cōsolationē traducūt. *Transiuimus*, inquiūt, *per ignē, & aquā, & eduxisti nos in refrigeriū.* Aqua lacrymarū in vinū conuertitur consolationis, & in panem confirmantē, secundùm illud: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

Deinde præmittendum, duplicem esse Christum, alterum verum & naturalem, alterum mysticum. Primus ille verus editus est in lucem ab initio ab Ecclesia Angelorum, & hominū, nempè vt Abraham, Mose, & Prophetis; vsque quo tandem venit, & quæsitus ad mortem, & cum dolore cruci suffixus, post mortem verò suscitatus, quasi natus est in salutem mundi, & de tene-

Left margin notes: *Zach. 13.* *Matth. 26.* *Luc. vlt.* — Quodnā primū illud modicum, quo Apostoli nō viderunt Dominū, quod verò secundum illud modicum, quo viderunt illum. *Act. 13.* — Altera interpretatio. *Chrys. ho. 78. in Ioan to. 3.* Dolores partus quanti sint. *Psalm 47.* *Esai 37.* *Suprà 26.* — *Ierem. 6. & 30* *Ezech. 30.* *Ose. 13.* *Mich. 4.*

Right margin notes: Iustorū afflictiones in doloribus partus quā apte designentur. II. Ratio. *Gen. 36* Benioni quid. III Ratio. B. Virginis priuilegium singulare inter omnes mulieres. IV Ratio. *Gen. 25.* *Infrà 38.* V. Ratio. *Gen. 4.* Piorum afflictiones quales quantæq; sint, ex quibus cognosci potest. *Tob. 12.* *2. Cor. 1.* *3. Reg. 19.* *Iona 4.* *Psalm. 26.* *Iob 9.* *Psalm. 65.* *Psalm. 41.* Christus duplex, naturalis & mystic⁹. Naturalis Christus quādam ille sit.

tenebris, & angustijs huius seculi, quasi ex obscuro, & angusto ventre, in amplitudinē & lucem gloriæ editus est. Causa verò afflictionis & doloris fuit, quia draco se opponebat, vt deuoraret filium masculū ex muliere, q̄ cruciabatur vt pareret, natum. Hinc ortum draconis bellum cum Michaële, & Angelis eius; cum Adam, & hominibus ante diluuium; cum ædificantibus turrim Babel, Ægyptijs in filios Israël insurgentibus propter Iudam, vnde Christus oriundus erat. Prȩterea cum Regibus Chaldȩorū, Persarum, Græcorum, Romanorum, Iudæorū animo occidentium, vt Herodes testatur, post etiam facto natiuitatē impedientium, & Euangelio resistentium, & post resurrectionē mendacium pecunia redimentium. Sed vicit sapientia, & veritas, atq; de mēdacio, & malitia triumphū egit: quia natus est homo perfectus masculus, non puer, vt olim natus est, quēadmodū ponderat Chrysost. & tunc gaudium fuit plenū, quia spirituale, & ꝙ nemo, id est, nullus homo tollet à vobis p̄ter vosipsos. Sic ergo Christus per resurrectionē dicitur primogenitus mortuorū, & Paulus Act. 13. docet eius in reditu ad vitā verbum Prophetȩ impletū: *Ego hodie genui te.* Alter Christus mysticus est corpus eius, ꝙ editur in lucē à muliere, id est, Ecclesia sancta, vel anima quauis faciente voluntatē Patris, & q̄ promisit Apostolis: *Faciam vos fieri piscatores hominū.* Sed antequam illos pariat, id est cōuertat, pressurā patitur, nā tam conuersi quā conuertentes sponsa sūt Christi, & spē concipiunt alios pariēdi. Nā vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo. Quilibet fidelis Christi est spōsa, & in se semen Christi habet: nā vt ait Dilectus: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatū non facit: quoniā semen ipsius in eo manet, & nō potest peccare, quoniā ex Deo natus est.* Semen intelligit, fidē viuā, per quam vt semē immuteralios hoīes, ac de filijs diaboli filios Christi efficiat. Sed Apostolorum & pastorū est hoc, qui dicere possunt: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Singulorū verò est, vt alios exemplo lucrifaciāt: vnde & mulieres per bonā conuersationē conuertūt eos, q̄ verbo Apostolorū non credūt. Hinc dixit: *Quicunq; fecerit voluntatē Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est.* Hic ergo modò parturitur cum doloribus post Christi in cœlū ascensum: q̄a Iudæi pseudoapostoli, tyranni atq; hæretici, hypocritæ, falsiq; Christiani cruciāt bonos, & impediunt ne pariant in cordib. eorū Christū, vel ne resurgat in eorū cordib⁹, corporibusq;. Sed saltē nascitur Christus iā perfectus homo quātū ad singulos in hora mortis eorū,

Apocal. 12. — *Ibidem.* — *Matth. 2.* *Luc. 13.* — *Matth. 28.* — *Esai. 9.* *Luc. 2.* *Chrys. ho. 78. in Ioan.*

Christus mysticus quis ille, & quanā à muliere, & quomodo pariatur.

Coloss. 1 & Apoc. 1. Act. 13. & Hebr. 1. & 5. Matth. 4. — *Eccles. 17.* — *1. Ioan. 3.*

Per quod semen Dei iustus non peccet.

Galat. 4. — *Matth 12.*

Fideliū partum Christi in cordibus qui impediāt.

in die verò iudicij, ꝙ attinet ad oēs electos, ac filios. Nā egredientur electi de valle miseriæ, & tenebris huius mūdi in alterū seculū, & ꝙ erit plenū, & quod nemo vnquā tollere poterit. Tūc etiā nemo amplius interrogabit eū, quia cuncta videbūt in Christo aperta. Et hoc tēpus vsq; ad iudiciū potest dici illud secundū modicū: quia mille anni ante oculos Dei, tāquam dies hesterna, quȩ præterijt. Post peccatū ergo non est partus bonorū operū ad lucē gloriæ sine dolorib⁹ quos pro pueris Christus ꝑpessus est: hinc dies agonū, & mortis martyrum, dicuntur dies natalitij. Et quēadmodū nemo nisi prius patiatur, parturit Christū, quatenus spectat ad secundū aduentū gloriosum, ita hîc nemo in se, vel in alio gignit Christum, nisi patiatur, agēdo pȩnitentiā pro suis peccatis vel alienis gemēdo, moriaturq́; cū Rachele carni, ac periclitetur. *Mortui estis,* inquit Paulus, *& vita nostra abscōdita est cū Christo in Deo.* Aug. hîc ait: *Nunc totius laboris sui fructū Ecclesia parturit gemendo, tunc paritura lætando: nunc parturit desiderando, tunc paritura cernendo: nunc parturit orando, tunc paritura laudādo.* Sic ille, eleganter sanè.

Et vos igitur nūc tristitiam habetis. Applicat parabolā: Vos, inquit, qui me cōcepistis in corde vestro per fidē, tristitiā habetis, ob eā q̄ mihi impēdet passionē; sed parietis in die resurrectionis meæ cū gaudio: & vos q̄ concepistis ex me, parietis me in cordib. hominum ꝑdicando, signa edendo, fortiter disputādo, sanctè viuēdo, persecutiones forti animo tolerādo; ita vt nouus mūdo populus nascatur, & vos pressuræ obliuiscamini, vel nunc toto tēpore vitæ præsentis, q̄ comparatione vitæ futuræ vix est momentum.

Iterum aūt videbo vos. Pro, videbitis me: sed vos non poteritis me videre, nisi ego prius vos videro. Ostendā igitur vobis me, quasi ex cœlo natum, & vos videbitis partem gloriæ meæ. *Et gaudebit cor vestrum.* Nam gauisi sunt discipuli viso Domino, & vidente eos Domino. Tristitia autē vertitur in gaudiū, quando de tribulatione gaudemus, & gaudium semper vincit tristitiam; quia tristitia tridui est lætitia quadraginta dierū. Et gaudium piorū eorum eò vsq; progreditur, vt in ipsis contumelijs & glorientur, & gaudeant. Vnde ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Præterea gaudium piorum cùm intimum sit, ac de virtute, seu de bono testimonio cōscientiæ ortum, non solet perire tam citò. Vnde subdit: *Et gaudium vestrū nemo tollet à vobis:* quia nullus homo, aut dȩmon, aut vlla tribulatio potest illud nobis inuitis eripere:

Psalm. 98.

Quādo quis in se, vel in alio gignat Christum.

Coloss. 3. — *Augustinus tract. 1.*

Propositæ Domini parabolæ masculum pariēte de muliere applicatio.

Ioan. 20.

Tristitia in electis in gaudium quādo vertatur.

Act. 1.

Quale gaudium piorū sit, & quàm firmum, & constans.

Infrà 5. 2. Cor. 1.

quem-

quemadmodum nec gratiam, nec charitatē Dei, ex qua nascitur, nobis nolentibus nemo valet excutere. Hinc Pauli vox ad Romanos: *Certus sum enim, quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, &c. neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* De qua re vaticinatus est Epicurus, dicens, sapientem, etiamsi in Phalaridis tauro ponatur, dicturum: Quàm suaue. Quòd si obijcias, Apostolos sæpè contristatos, & illacrymatos fuisse præ dolorum ac tentationum magnitudine, ac multitudine; dicendum est, Spiritu sancto eos intus consolante, atque vngente, gaudium non amisisse. Nam illa Apostolorum vox est: *Quasi tristes, semper autē gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes.* Cyrillus in hæc verba scribit: *Gaudentes enim*, inquit, *mirabilem mundo atq; incorruptibilem natum conspexeritis puerum, & hoc gaudium nullus vnquam à vobis auferet. Semel enim mortuus*, vt ait Paulus, *non amplius moritur. Stabile igitur & perpetuum gaudium est, nec id iniuria.* Nam si Christi mors mœstitiam credētibus attulit, quis gaudium tollat nostrum, cùm sciamus illum viuere semper, & spiritualia nobis bona largiri? Sed à Sanctis quidem gaudium auferri non potest. Ablatum autem ab ijs statim post resurrectionē fuit, qui crucifixerunt eum: nam qui morte illius gaudebant, illis necessariò per resurrectionem mœror infertur.

Rom. 8.

Dictum Epicuri.

Illud Apostoli dictum: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis, quomodo verum.

2. Cor. 6.

Cyril Lib. in Ioan. c. 6.

Rom. 1.
Rom. 6.

A quibus fuerit gaudium sublatum.

Et in illo die me non interrogabitis quicquam. De Resurrectione, quam tam claram reddam, vt non opus sit interrogare. Ideo Ioānes ait: *Nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia Dominus est.* Quidam tamen sunt, inter quos est Augustinus, qui totum hunc locum ab illo verbo: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum,* ad secundum Christi referunt aduentum, quia verè lętificabit pios: *Respicite*, inquit, *et leuate capite vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, & illis dicitur: Intra in gaudium Domini tui. Et gaudium illud nemo potest tollere, quia æternum & immutabile.* ¶ *Et in illo die*, qui noctem non habet, non opus est quicquā eum interrogare: quia Deum coram videbitis, & tanta vobis suppetent bona, vt quidquam petere non sit opus. Nunc autem quamdiu hic sumus, non habemus diem perpetuum, sed interrumpitur nocte tribulationis, vel ignorantiæ: ideo necesse habemus multa interrogare, & in multis eius fauorem ambire. Vnde etiam post resurrectionem Petrus interrogabat Dominum de Ioanne: *Hic autem quid?* & discipuli in die Ascensionis, de quo ait Lucas; *Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* Sed reuera præstat prior intellectus, & simplicior est: quia postquam aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, pauca interrogarunt. Post diem ergo resurrectionis, maximè post aduentum Spiritus sancti quicquam non interrogarunt, cùm omnia iam per Spiritum intelligerent. In illo ergo die, de quo Ioannis 14. *In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo.* Et infrà dicitur: *In illo die in nomine meo petetis.* Et verbum Græcum ἐρωτᾶν significat, teste Augustino, & interrogare & rogare, de quo dicitur infrà: *Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis:* vbi idem est verbum Græcum: sed hic prior significatus congruit magis.

Ioan. 21.
Alter sensus, minus tamē ad rem.
Aug. tract. 101. in Ioan. tom. 9.
Luc. 21.
Matth. 25.

Ioan. 21.
Act. 1.
Luc. vlt.

Aug. tract. 102.

Sciendum igitur, nobis parturiendum esse; tantùm caueamus, ne ex semine dæmonis concipiamus, de quo Psaltes: *Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Quem locum Hieronymus vertit, vt seruet ordinem prius cōcipiendi, deinde parturiēdi, postremò pariendi, in hūc mundum: Ecce parturijt iniquitatem concepto dolore. Sic etiam vertit Felix Pratensis. Vt enim Cain visis hostijs fratris sui Deo acceptis, & igne assumptis, & suis à Domino despectis, concepit malignum contra fratrem inuidiæ dolorem, ex quo processit vt iniustitiam meditando velut parturiret, ac diceret fratri: *Egrediamur foras,* postremò factus est homicida, vel fratricida, & ita peperit iniquitatem: ita Rex Saul videns se à Deo contemptum, ac Dauidi in choris canentium data decem millia, sibi verò mille, concepit in corde afflictionem inuidiæ indignantis, ex qua vt seminario cœpit iniustam innocentis Dauidis mortem meditari; quam postea proijciendo lāceam, & quærendo in montibus & speluncis, & ad mortem perducere tentando, iniquitatem peperit. Ad eum modum diabolus videns hominem possessurum quas ipse perdiderat cœli mansiones, felicitati eius inuidens, primò in se concepit inuidiæ dolorem, mox parturire cœpit in genus humanum peccatum originale: quod in deceptione primorum parentum peperit primò, deinde in nobis. Ita quoque Iudæus in Christum prædicantem, & signa præstantem dolorem concepit; mox parturijt iniquitatem in concilio, dicens: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit.* Deinde mortis iniustæ atq; truculentæ iniquitatem peperit. Omnis ergo, qui peccat, ex diabolo est, & ex semine diaboli cōcepto parit, nec nisi monstra parere potest, quæ ipsa peccata sunt, & homine indigna, & omnino ab spe-

De semine dæmonis quis concipiat.
Psalm. 7.
Hieronymus tom. 8.
Felix Prat.
Gen. 4.

1. Reg. 18.

Ibidem.

Dæmonis aduersus hominem inuidia atq; odium.

Psalm. 7.
Iudæorum mens in Christum inuidia atque maleuolentia.

Ioan. 11.
Semen diaboli quodnam sit.
2. Cor. 11.
Christum parituris cauenda sunt mala.

ab specie humana aliena. Omnis etiam homo audiens hæreticum, ex falso Christo concipit, vt ait Apostolus, vel potius ex diabolo. Cauendum deinde, ne post conceptum Christum, abortiamus, cōceptumque fœtum, ac animatum per fidem, ex qua viuimus, eijciamus; aut verbo negantes propter timorem, vt Petrus, aut factis, vt illi, de quibus Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Nobisque perinde est faciendum, atque grauidæ fœminæ, quæ ab omni nimio motu se custodit, neque saltare audet, ne conceptum perdat: ita & nos Christum custodiamus diligenter, & ab omni distractione, & discursu amoris per creaturas tendentis abstineamus. Caueamus etiam ne bellis, aut mutuis odijs, & dissensionibus vterum matris Ecclesiæ, in quo vsque ad gloriam consistimus, dirumpamus: quemadmodum gemini in vtero Rebeccæ: & ne peccato mortui in lucem alterius seculi edamur. Ne grauemur etiam aliorum mores ferre, & quasi in ventre gestare, iuxta illud: *Alter alterius onera portate*, siue vt verbum Græcum elegantiùs habet, βαστάζετε, id est, more baiulorum gestare. Tertiò caueamus, ne edito partu in lucem, eo priuemur, opprimendo puerum natum. Opprimimus autem bonum opus peccato vanæ gloriæ, quemadmodum gallina, quæ editum ouum cantu prodit, & amittit; vel retrocessione, vel dæmonis persuasione decepti, Satanæ offeramus, ne de nobis dici possit: *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs.* Agnoscamusque Deum in nobis operari & velle, & perficere, pro bona voluntate; laborandumque est vt opera nostra sint mascula, fortiaque, vt & ipsa alios suo exemplo ad benè operandum prouocent, eaque ratione videre possimus *Filios filiorum nostrorum, pacem super Israël*, in gloriam fratris nostri primogeniti Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto perpetua sit laudatio, honor, & gratiarum actio ab vniuersa creatura, in secula seculorum, Amen.

* *
*

Habac. 2. Rom. 1. Matth. 26. Tit. 1.

Christus vt nobis custodiendus.

Gen. 25.

Galat. 6.

Opus bonū quomodo opprimatur.

Psalm. 105. Philip. 2.

Opera nostra qualia esse debeant.

Psalm. 127.

TRACTATVS LXXI.

In illa verba: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Ioan. 16.

QVEMADMODVM grauiores corporis morbi, & aliæ plagæ excitare nos solent, & interdum extra domum exire, & prouinciam cogunt, quò medicum, & medicamenta pro pellendo morbo accommodata, balneaque salutaria quæramus, qua in re nec diligentiæ, nec pecuniæ, nec labori parcitur, modò sanitatem consequamur: ad eum propè modum animus, qui conscientia suarum infirmitatum spiritualium premitur, medicum Deum quærere cogitur, & fide, votis, atque precibus eius opem implorare, & cum Propheta dicere: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Quia verò oratio frustrà ad Deum funderetur, nisi de bona voluntate Dei exaudire nos dignantis constaret; hinc Dominus ad precandi studium inuitans, ait: *Amen amen dico vobis*, & reliqua.

Animi languentis ad corpus languens, atque ægrum comparatio.

Psalm. 6. Preces ad Deum quando inutiles & vanæ.

Quadrant autem hęc cum superioribus: vel quia, vt Euthymius testatur, dixerat Christus: In illo die me non interrogabitis quicquam; id est, Non necesse habebitis mecum corporaliter versari, quia promiserat omnium post reditum suum cognitionem: satis erit vos, nomine meo inuocato, cuncta quæ volueritis, à Patre meo accipere; vbi pollicetur certam omnium quę petent impetrationem: vel hoc verbo concludit quæ de Apostolorum tribulatione superiùs dixerat, quasi dicat, Quid opus est multis? Vnum hoc ad consolationem vestram sufficiat subsidium, etiamsi alia omnia deessent perfugia, quòd Patrem habetis, qui omnia potest, quem securè inuocare potestis, qui & certò exaudiet vos: nihil enim suis filijs denegare poterit. Nā si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quanto magis Pater vester cœlestis de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se? Nihil meis amicis, meo præsertim nomine petentibus largiri detrectabit. Quamquam autem hanc promissionem non semel, sed pluries in superioribus proposuerit, vt cùm dixit: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Et iterum: *Posui vos vt eatis, & fructum adferatis, & fructus*

Ordo præcedentium cū istis, atque connexio. *Euthym. in Ioan. c. 17.*

Luc. 11.

Ioan. 15.

Ibidem.

vester maneat, vt quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Item: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam:* Tamen hic illam pollicitationem repetit. Primùm, quòd nullum sit tam præsentaneum perfugium existentibus in tribulatione, quàm ad Deum per precationē respirare, hinc Rex ille Iosaphat prudenter dixit: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Vbi rectè ait; nos ignorare modum euadendi tribulationes, ac proinde ignorare quid agere debeamus; cùm manus nostræ debiles sint atque imbecillæ, Dei autē manus potentes sint ab omni nos aduersitate eripere. Deinde pondera verba oculos dirigendi ad Dominū. Oculi enim, qui in tribulatione alio quàm ad Deum diriguntur, obliqui sunt, & non recti. Nihil ergo nobis, aut viribus nostris, sed soli diuinæ virtuti, & gratiæ fidendum. Deinde inculcat eandem promissionem, quò ostendat habere nos mediatorem inter nos & Deum, vt quemadmodum nemo ad Patrem venit nisi per ipsum (iuuātibus tamen Angelis, Sacerdotibus, & Sanctis omnibus tanquam eius administris) ita nemo quicquam à Deo impetrat, nisi per ipsum, prædictis tamen qui in Christo, & per Christum adiuuāt, subseruientibus. Adhæc hoc meritò replicat, quia paulò ante de Spiritu sancto dixerat, qui potissimùm ad orādum nos impellit, vt à Paulo dicatur clamare in cordibus nostris, Abba (Pater) est enim oratio Spiritus sancti donum, de quo Zacharias dixit: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ, & precum.* Ex quo habes, gratiam Dei esse singularem benè precari. Postremò, oratio magnas habet difficultates. Nam vel nemo respondet, vel diu differtur exauditio, vel interdum accidit contrarium eorum quod petebamus, vel ipsa mentis euagatio, leuitasq;, & corporis necessitates, dæmonumq; insidię à precandi studio nos auocare consueuerunt, vt secum ipse homo colluctari debeat, & conflictare: propterea larga, & sæpè inculcata est Dei promissio, ne propter dicta impedimenta ab oratione cessaręmus.

Ioan. 14.

In tribulatione cōstitutis, nullū magis refugiū præsentaneum diuinæ opis imploratione.

2. Paral. 20.

Verba Regis Iosaphat ad Deum pia admodum ac religiosa.

II. ratio.

Ioan. 6.

III. ratio.

Rom. 8.

Galat. 4.

Zach. 12.

Spiritus sancti donū est precatio, eaq; quantas habeat difficultates, & quales.

Quoniam autem Euangelium hoc loco de oratione sermonem facit, ea mente, vt tristes & orphanos Apostoos solaretur, quòd per ea omnia, quæ eos confirmare & lætificare possent, impetrarent; propterea ab re non erit, si nos quoque de eius multiplici excellentia ac fructuoso modo eā fundendi ex Euangelio dicamus. Est enim eius præstantia elicienda, tùm ex eo, ad quem fit, & qui eam petit, tùm ex eo, in cuius nomine exaudimur, tùm ex eius doctore atq; magistro, & qui eam format in nobis, tùm ex virtutum comitatu, qui eam ornat, tùm denique ex multiplici eius fructu, ac rerum quas impetrat, magnitudine, atque copia.

Orationis dignitas & excellentia quibus ex capitibus pendeat.

Prima igitur dignitas attenditur penes eum, ad quem effunditur, scilicet Deum Patrem: nam adorantes, & orantes in spiritu & veritate quærit Pater, qui facilè præbet nobis aures attentas, de quo dicitur: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum:* gratamq; ac promptam audientiam præstat, quam tamen à magnis principibus vix etiam pretio familiaribus eius oblato, impetramus. Vnit autem oratio cum Deo ipso, estque cum eo colloquium spirituale: non quidē, vt illum ignarum necessitatum nostrarum doceamus, aut illum flectamus, & ad nos trahamus, sed potiùs vt nos ipsos ad ipsum conuertamus, feramusque. Nam quemadmodum si quis funem in tectum ascenderet, tectum ad eum non descenderet, sed ipse potiùs, qui mouetur ad tectum, non tectum ipsum quod immobile manet: & vt exemplo Dionysij vtamur, nauis alligata scopulo à nauigante trahi nō videtur ad scopulum, sed potiùs scopulus trahi ad nauem, cùm tamen oppositum verum sit. Ita dum orationem fundimus, videmur quidem Deum ad nos inflectere, cū tamen nos simus, qui ad eum flectimur.

Prima orationis dignitas.

Ioan. 4.

Psalm. 33.

Dionys. lib. de diuin. nomin. cap. 3.

Orando trahimus nos ad Deum, nō Deum ad nos, autore Dionysio.

Secunda eius dignitas accipitur ex eo à quo fit, & qui in nobis semper exauditur, hoc est, à Christo: sicut alibi apud Ioannem inquit: *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Nam secundùm Rupertum in Angelis, & hominibus, qui benè precati sunt, Christus semper est auditus. Vnde Ecclesia hoc non ignorans, preces terminat in illis verbis consuetis: *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et propterea hic dicit: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo.* Si enim à nobis tantùm prodiret precatio, parum posset ascendere: si autem à Christo, facilè cœlos penetrat, & auditur: quemadmodum aquā tantum ascendere, quantum descendit, cōpertum est. Et quemadmodū in aulis principum filij merita parentum suorum, qui longo tempore Imperatori operam dederunt in bello, & fortiter dimicarunt, ac pro eo strenuè ceciderunt, Principi proponunt & per supplicem libellum præmium aliquod postulant, vt in ipsis fortia parentum

Secunda dignitas orationis.

Ioan. 11.

In quibus Christus à Deo est semper auditus, teste Ruperto.

Aquæ ingenium.

In nomine Christi Deū orantes, quales merito videantur.

gesta

geſta remunerentur : ita nos in oratione, Chriſti heroica facta in Dei Patris gloriam præſentamus, vt propter eius Incarnationem, mortis obedientiam, & ſepulturam exaudiri mereamur. Atque hoc eſſe videtur, quod dicit: *In nomine meo.*

Tertia excellentia.

Tertia excellentia, ex doctore, qui orationem in nobis format, deſumitur: hic eſt autem Spiritus ſanctus, de quo teſtatur Apoſtolus: *Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Etſi enim Chriſtus homo, Angeli, atque Sancti orandi rationem tradiderint, & Ioannes Baptiſta ſuos precari docuerit, & Eccleſia breuiter & grauiter precari doceat, vt ex eius precibus conſtat, quibus quotidie in officio Miſſę vtimur; illæ tamen orationes inſipidæ ſunt, & ingratæ apud Deum, niſi in ſpiritu effundantur. Vt enim organum pulſatum niſi propter ventum, vel aërem incluſum non reſonat; ita animæ noſtræ organum niſi adſit flatus Spiritus ſancti, gratam muſicā coram Deo efficere non poteſt.

Rom. 8.
Orationem quis in nobis formet, atq; perficiat.
Luc. 11.
Preces quæ Deo ſint ingratæ, ac minus efficaces.

Quarta dignitas.
Oratio perfecta cui debe at omnibus eſſe virtutib⁹ inſtructa.

Quarta excellentia orationis ſumitur à virtutum comitatu, quibus ornatur. Nam precatio ſi ex charitate prodeat, habet meritum; ſi cū fide fundatur, impetrationem; ſi cum attentione, guſtum, & deuotionem; à labore verò, & difficultate, qua funditur, vim obtinet ſatisfaciendi. Adhæc in ſe virtutum omnium exercitium includit. Eget enim fide, quomodo enim aliàs inuocabūt in quem nō crediderunt? Indiget ſpe, quæ teſte Apoſtolo, non confundit. Et nonniſi benè de Dei bonitate ſperantis eſt preces fundere. Indiget etiam charitate, qua nos ipſos, vel proximos propter Deum diligamus, & ea, quæ illuſtrant Dei gloriam, petamus. Debet habere patientiam adiunctam, ſi non tam citò exaudiri contingat. Obedientiam ad Dei mandata præcipientis precari, & inſtanter petere, ac perſeuerant er; humilitatem, vt de ſe ſubmiſsè ſentiens dignus ſit exaudiri. Quia oratio humiliantis ſe, cœlos penetrabit. Vult ſibi adeſſe temperantiam, qua motus carnis rebellantes, & ab oratione auocātes comprimat. Fortitudinem, qua, non obſtante peccato, & diffidentia de Deo à ſe offenſo, ſeipſum euincat; iuſtitiam, qua tum Deo, tum ſibi, tum proximo, quod debet, reddat; prudentiam, qua videat quid, & quomodo ſit petendum, & quis ſit is, qui petit, & ille, à quo petit, conſideret. Complectitur plenā ſui ipſius, ac Dei cognitionē; dum agnoſcit ingētem ſyluam humanorum defectuum, & diuinarū miſerationum multitudinem. Comprehendit diuinas laudes; quas orationi interdum præmittimus. Atque hoc hoc precandi ſtudium & exercitium, vniuerſas doctrinæ Euangelicæ virtutes comprehendit, excolit, atque perficit; ita vt qui orationem fugiunt, à cultu virtutum fugere, & vitia contraria amplecti velle videantur.

Rom. 10.
Suprà 5.
Eccli. 35.

Orandi virtutem fugientes, quid fugere videantur.

Quinta excellentia.
Nihil nō bōni à Deo optimo maximo precatiō ſancta conſequitur.

Quinta excellentia à multiplici eius fructu colligitur. Nam quid eſt obſecro, ſiue paruum, ſiue mediocre, ſiue ingens bonum ſit, quod precatio ſancta non impetret, & accipiat? Nam etſi mundi, vel Angelorum creationem nullę preces præceſſerint, quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus per ſe nō orant, cùm habeant idem velle, idem ſcire, ſicut & idem eſſe; ſemper autem qui petit, diſtinctus ab eo eſſe debeat, à quo petit, vnde fit, vt homo nihil à ſeipſo petat; ac ideo mūdus mera Dei benignitate ſit creatus, & Angeli ſine ſuis vllis precibus ſint conditi, quia alioqui fuiſſent antequam eſſent. Tamen cùm conſtet illos ante hominem conditos, ſicut in creatione hominis concurrere potuerunt ad corpus formandum in his, in quibus poterant, & in reſurrectione ad colligendos electorum cineres operam ſuam impendēt, ita oratione hominis creationem iuuare potuerunt, vt plus hominem diligerent, ac cuſtodiæ ſuæ deputatū ſeruarent. Deus enim non eſt inuidus, ſed libenter vtitur facultatibus, quas cuilibet creaturæ communicauit: ita fortè vſus eſt miniſterio Angelorum in hominis creatione; & fortè in aliarum rerum molitione, quæ poſt Angelos ſunt factæ, quatenus eorum vires protendebantur. Vnde rectè dicitur in Iob: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, &c. Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Vocat Angelos aſtra matutina; quorum comparatione nos ſumus veſpertina, ſicut etiā piè creditur, eos in formando corpore Chriſti, ac diuæ Virginis matris miniſterium ſuum quod poterant, exhibuiſſe, quo maiori amoris vinculo Chriſtum, & membra eius diligerent. Porrò Chriſti incarnatio nonniſi Patrum prçcedentibus obſecrationibus obtenta eſt; & ſanctiſſimæ Deiparæ precibus, dicentis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Et prece præmiſſa, vt eſt rationi conſentaneum, in Bethleem Chriſtum in lucem edidit. Chriſti vita continua quædam iugiſque deprecatio ad Deum extitit, vnde plerunq; pernoctabat in orationibus, maximè cùm Apoſtolos voluit eligere: aquas in vinum conuertit ad preces ſanctiſſimæ Matris Mariæ: Lazarum ſuſcitauit nonniſi prece prçmiſſa ad Patrem: ad Paſſionem nōniſi precatione muni-

Matth. 24.

Deus cū minimè inuid⁹ ſit, libenter vtitur facultatibus, quas cuilibet creaturæ commūnicauit.
Angelis vt adminiſtris in rerū creatione Deum fuiſſe vſum, vnde intelligi poteſt.
Iob 38.
Quænā ſint aſtra matutina, quęverò veſpertina.

Luc. 1.
Omnia Chriſti myſteria oratiōe perfecta ſunt.
Infrà 2.
Infrà 6.
Ioan. 2.
Infrà 11.

munitus accessit: Nam factus in agonia prolixius orabat, & dicebat: *Pater, si vis, transfer calicem istum à me; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*: demùm cum clamore valido, & lacrymis, preces, supplicationesque offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Resurrectio, Patrum, & Filij precibus impetrata, dicebant enim Sancti; *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Et iterum: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua.* Filius etiam dicebat: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ascensio Domini nonnisi Christo orante, & discipulis benedicente celebrata est; & inde reuersi sunt Apostoli cum gaudio in templum, & orabant. Missus est Spiritus sanctus ad fideles in oratione cõgregatos: vnde Ecclesia canit: *Orantibus Apostolis Deum venisse nuntiat*. Sedet Christus ad dexteram Patris, vt interpellet pro nobis, & vt suo exemplo nos ad interpellandum prouocet. Remissio omnis peccati oratione impetratur, vt docet exemplum peccatricis, lacrymis & verecundo silentio tanquam clamosis verbis veniam deprecantis, & Publicani simplicibus verbis, dicentis: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Denique, vt multa paucis complectar, omnia noui Testamenti Sacramenta oratione celebrantur: iustificatio omnis, diuinæ gratiæ adeptio, atque virtutes humili prece impetrantur; omnia diuina flagella, syncera oratione amouentur; signa etiam supra naturam posita, fideli deprecatione ad Deum profusa peraguntur; naturæ quoque opera, siue in cœlo, siue in igne; siue in aëre, in aqua, & terra, siue sub terra, pro voluntate orantis aut mutantur, aut impetrantur. Nam Sol & Luna steterũt tempore Iosue; de aëre, descendebat mãna de cœlo, seculo Moysi, & fulgura, & tonitrua tẽpore Samuelis; ignis in fornace tres pueros orantes, & benedicentes nõ tetigit; mare ad preces Moysi virga illud tangentis iter præbuit populo Dei, atque operuit eius hostes; terra hiatu suo deuorauit Core, Dathan, & Abiron: viuentes oẽs in terra, & sub terra, qui purgantur, oratione mutua adiuuari possunt, atque iuuantur; ita vt nihil sit, quod ab orationis virtute, ac potestate sit alienum.

Luc. 12. Hebr. 5. Psalm. 56. Psalm. 131. Psalm. 15. Act. 25. Luc. vlt. Act. 2. Hebr. 7. Luc. 7. Infrà 8.

Orationis quot, quantaq; beneficia.

Iosue 10. Exod. 26. 1. Reg. 13. Dan. 3. Exod 14. Num. 16.

Postrema orationis dignitas.

Precandi formula ex Euãgelicis verbis elicitur.

Postrema excellentia sumitur ex modo fundendi precem, quæ in verbis Euangelicis continetur. Ait enim, *Amen, Amen*, id est, certissimè: est enim species iureiurandi, aut asseuerationis certissimæ. Quo verbo docemur primùm, vt nonnisi præparati ad orationem accedamus, iuxta id: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*: quemadmodum lyræ chordæ priùs temperantur, quàm resonent; & pro mensura præparationis maiorem, aut minorem fructũ edit oratio. Maxima autem præparatio est attentio, quæ his verbis insinuatur: qua quisq; considerat quis sit qui petit, & quis ille à quo petit, & quid sit illud quod petit, & quomodo petit: id est, quibus verbis, qua reuerentia & humilitate, quo affectu ac desiderio, qua constantia, ac perseuerantia: quia orationi dæmon bellum indicit, caro inquieta resistit, & spiritus celeri sua natura vagabundus, sistere in aliquo vno non valens, illi aduersantur. Vnde Pater quidam sanctus, nomine Agatho, dicebat, nullum esse parem laborem, perinde atque Deum orare. Significant etiam illa verba, Amen, amen, fiduciam, qua quis ad orationem debet accedere; egrè enim diffidentia humanæ mẽtis exui potest. Subdit: *Dico*. Ego veritas, qui fallere vel falli non possum. Ideo fides necessaria est ad orationem, qua sine beneficium acceptum non agnoscitur; & bonitas, & fidelitas Christi promittentis nõ capitur. Credere debemus ergo, quòd nihil indignum facimus, ab eo quidquam petendo, quia ad ipsum vt Deum spectat nostros omnes defectus supplere: credere etiam quòd ipsi minimè importuni esse possumus, & qui ipsa importunitate, si qua est, gaudeat. Magna est autem consolatio, reo dicere Regem; Pete, & dabo tibi. Secundò ait, *Vobis*; id est, in his quæ pro vobis petitis: quia interdum pro alijs deprecantes non audimur: quod ex defectu illorum, qui imparati sunt, prouenit. Vnde ait Dilectus: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis*. Quidam etiam cùm se precibus cuiusdam sancti patris commendaret: Leua, inquit, hanc sarcinam à terra: quam dum alter leuare vellet, ipse pater deprimebat in terram. Sic ego oro pro te, inquit, sed tu deprimis orationem, ne efficax sit apud Deum. Hinc Chrysostomus homilia ad populum Antiochenum: *Bonum est igitur Sanctorum oratione frui: sed cùm & nos simus cooperatores; quod si non adfuerit, nihil aliorum prodest auxilium, verùm & cum illo perimus. Quid enim Iudæis profuit Ieremias? nonne ter ad Deum accessit, & ter audiuit: Ne ores, neque petas pro populo isto, quoniam te non exaudiam? Quid Sauli profuit Samuel ad vltimum vsque diem orans, & pro eo lugens? Quid autem & Israëlitis profuit? nonne dicebat: Mihi autem absit peccare, pro vobis orare cessanti. Nonne cuncti perierunt? Nam Deum audi dicentem per Prophetam: Si steterint Noë, Iob, & Daniel, non liberabunt filios suos & filias, quoniam inualuit eorũ malitia.*

Ecclesi. 18.

Præparationis ad orationẽ necessitas & vtilitas.

Oratio quæ requirat.

Nullum esse parem laborem, atque Deum orare, sanctus Agatho sensit.

Ioan. 14.

Fides, & fiducia orandi necessaria duplici ratione.

Importunitate Deus orantis gaudet, nedum offenditur.

Si quando pro alijs orantes non audimur, id vnde fit.

1. Ioan. 5.

Cuiusdam viri sancti documentum.

Chrys. hom. 19 ad pop. Antiochen. propè fin. tom. 5.

Quibus tandem prosint sanctorum preces, teste Chrysost.

Ierem. 7. 1. Reg. 12. Suprà 12.

Ezech. 14.

Prosũt nobis orationes & quamplurimũ quando.

malitia. Quid ergo, nihil prosunt orationes? Prosunt & quamplurimum, sed cùm nos quoque cooperamur. Tertium verbum, *Vobis*, Apostolis, scilicet in gratia existentibus; designat aliam gratiæ conditionem, aut saltem eius votum, aut quod opus est peccata relinquere. Exauditur tamen interdum peccator, non tanquam gratiosus, sed vt reus impetrans gratiam, vt sibi condonetur. Iustus igitur sit oportet, qui pro alijs interpellat, ac proinde gratus Deo vt exaudiatur. Nam vt dicit Dauid: *Voluntatem timentium se faciet*. Et Ecclesiasticus: *Qui conseruat legem, multiplicat orationem*: scilicet tam pro se, quã pro alijs. Quartum verbum, *Si quid*, vel vt Græcè dicitur, *quæcunq;* Si quid, inquit, bonum solidum aut salutiferum. Peccata nihil sunt omninò, & terrena bona vix aliqd sunt, nec nisi sub conditione petenda, ne materiam peccandi præstent. Vnde Augustinus de verbis Domini scribit: *Cum petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, vt si prosint, det: si scit obesse, non det. Quid autem & quid obsit, & quid prosit, medicus nouit, nõ ægrotus.* Sic Augustinus. Igitur quid, vel quęcunq; sunt res spirituales. Vnde secundùm leges ciuiles, nullę preces, nisi quę sunt cum ęquitate coniunctę, Imperatori terreno sunt porrigendæ: vt habetur in C. de precib. Imper. offer. l. Nec damnosa. Vnde Dominus apud Matth. in oratione Dominica expressit quæ sint à Deo petenda; nempè, diuini nominis sanctificatio, regni Dei aduentus, diuinæ voluntatis perfectio, Panis noster quotidianus; peccatorũ remissio, & cor remittẽdi proximis nostris tentationum victoria, & ab omni malo liberatio, & quæcunque his sunt similia, aut quæ hæc ad aliquo modo referri possunt.

Psalm. 144. Eccli. 35.

Quæ sint à Deo petẽda.

Aug. ser. 13. de verb. Domini, tom. 10.

De quibus rebus Imperatori supplicãdum secundùm leges.

Matth. 6.

Quintum verbum, *Petieritis*: in quo noua orandi conditio detegitur, nempè, egestatis propriæ petitio, desideriumq; aut vitia extirpandi, aut virtutes inserendi: nam oleum diuinæ gratiæ non in plena, sed in vacua vasa funditur, iuxta illud: *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Et quia verbum est futuri temporis, significata est instantia, & perseuerantia deprecandi: quam exemplo suo Chananæa pro filiæ suæ liberatione à dæmonio ostendit, & Dominus in parabola petẽtis tres panes nocte ab amico suo, & in parabola Viduæ ab iniquo iudice petentis vindictam de aduersario suo iudicauit. Quoniam oporteret semper orare, & non deficere.

Noua Deum orandi conditio à Christo insinuata. Oleum diuinæ gratiæ in quænam vasa fundatur. Psalm. 18.

Matth. 16. Luc. 11. Infrà 18.

Sextum verbũ est, *Patrem*. Quo fiducia in petendo necessaria detegitur. Ideo in Oratione Dominica pręmittit, *Pater noster qui es in cœlis*. Orandum ergo fidẽter apud eum qui pater est, & qui ad petendum se inuitat, cuiq; maiora promptius est dare quàm minora, & qui Filium suum dedit iam, & Spiritum suum sanctũ, vt nihil prorsus denegari queat nobis, nisi quãdo ipsa denegatio vtilior est, ac nobis magis salutaris: ita vt tunc exauditos nos esse, asserere maximè possimus: siquidẽ nunquam filiorum Dei deprecatio repulsam patitur.

Cur Patrem Deum orare debeamus, & quomodo, vt exaudiamur. Matth. 6.

Rom. 8.

Deneget nobis Deus quã do quod postulamus.

Septimum verbum, *In nomine meo*: id est, in persona mea; quemadmodum procurator in nomine principalis petit, & nos in nomine Christi, cui ex iustitia debetur, nobis verò ex misericordia. Et olim quidem in nomine Dei Abrahã, Isaac, & Iacob preces fundebãtur, nunc autem in nomine & fide Mediatoris. Vel petere in nomine Christi, est petere cũ inuocatione nominis sui, id est, potentiæ, & meritorum eius, vt cùm Dauid orabat: *Propter Dauid seruum tuum nõ auertas faciem Christi tui.* & iterum: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciẽ Christi tui*: quod est intuitu meritorum Christi exaudiri. Beatus Franciscus ostensa sacra Eucharistia in mysterio Missæ, orare solitus erat, *Domine Deus cœlestis Pater, respice in hanc gloriosam Christi tui faciẽ, & miserere mei.* Hinc Ecclesia omnibus suis orationibus addere solet: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, non dicit: Propter Dominum nostrũ, sed, *Per Dominum nostrum*; vt intelligamus, Christum in his quę à Patre accepimus, non tãtùm concurrere tãquam eum qui promeruit, sed etiam tanquam eum, per quẽ omnia Pater præstat, sicut per eum condidit secula, & portat omnia, & moderatur. Deniq; postulare aliquid per illum, est tanquã per Mediatorem inter Deum, & homines, cuius Mediatoris gloriæ non aduersatur q̃ interdum per B. Virginis, vel Sanctorum merita audiri petimus: quia illorum merita Christi Domini tanquam per membra sua operantis existant. Quòd si obijcias, etiam olim in nomine Dei preces fusas; non negabo, sed in nomine Dei confuso, nondum explicito. Vnde Patres orabant: *Deus in nomine tuo saluum me fac.* rursus: *In nomine tuo leuabo manus meas*. iterum: *Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos*. Vbi idem esse ostenditur, DEVS & nomen ipsius. At modò in nomine distincto Filij DEI, & Mediatoris IESV, quod est nomen clarissimum, potentissimum pariter, ac dulcissimum, in quo exaudiri debẽt omnes noui Testamenti preces. Nomen etiam Iesu admonet, vt nõ nisi quę cõsona sunt Dei nomini sanctificando illustrandoque, & animæ, & corpori salutaria, & ad salutẽ æternam faciunt, nostris

In nomine Christi petere, quid sit.

Exod. 32.

Alter sensus.

Psalm. 131.

B. Francisci orat ad Deũ Patrem.

Cur Ecclesia in precibus: Per Dominũ nostrum, &c. inquit, & nõ Propter Dominũ nostrũ.

Hebr. 1. Ibidem.

1. Tim. 2. Tertius sensus.

Aliter olim preces fundebantur in nomine Dei, aliter modò. Psalm. 53. Psalm. 62. Ierem. 14. Deus, & nomen ipsius idem sunt in sacris literis.

Quæ sint à Domino postulanda.

Qui non potant in nomine Iesu.

precib⁹ postulemus. Qui igitur, quæ noxia sunt saluti, postulant, in nomine Iesu non petunt. Neq; propterea quòd dicat in nomine Iesu petendum, propterea excludi voluit aut Sanctos in mundo degentes, aut in gloria cũ Christo conregnãtes: quia Christus sanctis suis non est oppositus, sicut nec caput membris, aut suo exercitui Imperator, qui nonnisi ducis virtute operatur, nec membra nisi ex influxu, vel spiritu à capite deriuato. Nec adhibere interpellatores debiliorem fidem arguit, si Centurio, qui seniores, & amicos ad Christũ misit pro obtinenda sanitate pueri sui, de fide tantoperè à Domino laudatur: nec derogat dignitati Mediatoris Christi, quia non nisi sub eo, & in eo, & per eum impetrant.

In nomine Sanctorum, vel B. Virginis à Deo quicquam rogare, in nomine Christi petere est. *Luc. 7.*

Postremum verbũ est, *Dabit vobis.* Cùm videlicet opus fuerit ad Dei gloriam, vel salutem vestram. Intellige, si rectè petatis, quia vt docet frater Domini, multi petunt, & non accipiunt, eo quod malè petant: vt sunt, qui pro magnitudine eius quẽ orant, & rei quam petunt, non ardenter, reuerenter, & instanter, & cum firma fiducia petunt: & nõ rectè in nomine Christi petunt, qui indigna Christi nomine postulant, vel temporalia bona absolutè, & non sub conditione ordinis ad Dei gloriam, & propriã salutem. Adhæc longanimitate opus est in deprecãdo, licèt interdum videatur nostris oculis effectus Diuinæ executionis tardare. Sed vt ait Propheta: *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Nam vt Medicus nouit quo tempore inuisendus sit infirmus; ita ille nouit, quo tempore fructus exauditionis sit nobis impertiendus.

Quæ petimus, Deus det nobis quando. *Iacob. 4.*

Qui non rectè in nomine Christi petant.

Precatio quid necessariò requirat. *Habac. 2.*

Simile.

Vsq; modò nõ petistis quicquã in nomine meo, Annotat Gregorius Nyssenus, addendum esse: *Non petijstis quicquam in nomine meo,* scilicet, à Patre: quia iam dixerant Apostoli, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Et, *Domine, adauge nobis fidem.* Et, *Domine, edissere nobis parabolam.* Et, *Dic nobis, quando hæc erunt? Et quod signum aduentus tui & consummationis seculi?* Et, *Quid est hoc quod dicis nobis modicum?* Petere autem intelligẽtiam Scripturarum, aliquid petere est. Sed quamdiu Christus cum illis fuit in terra, ad ipsum in dubijs, & difficultatibus accurrebant; at postquam in cœlum se subduxit, tunc cęperunt Patrem in nomine Iesu inuocare. Quædam etiam parua petierant Apostoli ab Iesu, vt illud: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Et, *Quis putas, maior est in regno cælorum?* Et dum in naui periclitantes dixerunt, *Domine, salua nos, perimus.* Et quando pro Socru Petri febricitãte rogauerunt, & cùm de Chananæa dixerunt: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Verùm hæc, & his similia, exigua, & modica erant, quia temporalia bona, quæ collata hominem felicem non reddunt; nec ablata, infelicem. Quid enim prodest homini, si Imperio, aut summo Pontificatu, fruatur, affluatq; opibus atque delicijs, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Nec hæc à Patre exegerant in Christi nomine. Etsi verò Apostoli in nomine Christi eatenus dęmonia eiecissent, morbos etiã propulsassent: nõ tamen in nomine Christi Patrem rogauerant, quia hęc noua orandi ratione precari Deum edocti non erãt, priùs namq; Dominus docuit orare Patrem, sed in fine vitæ, quando nomen Christi Iesu illustrandum erat, docuit in illo nomine ad Patrem accedere. Hinc Cyrillus scribit in hunc locum: *Hic orandi modus priscis omnino fuit ignotus: constituitur autem modò à Christo, quando emendationis tempora effulserunt, & omne nobis bonum per ipsum absolutè concessum est. Nam sicut nihil à lege consummatum fuit, sicut iustitia eius semper perfecta, sic & orandi modus mancus in ea inueniebatur.* Sic bonus ille Pater.

Quomodo accipiendũ: Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. *Greg. Nyssen. Ioan. 14. Luc. 17. Matth. 13. Infrà 24. Ioan. 16.*

Quando Apostoli cœperint petere à Patre in Christi nomine. *Matth. 20. Suprà 18.*

Quænam illi petierint olim à Christo, sed leuia tamen, ac minuissima.

Matth. 8. Ibidem. Infra 15.

Matth. 16. Supra 10.

Modus orandi quis antiquæ legis Patribus ignotus extiterit, teste Cyrillo. *Cyril. lib. 11. in Ioan. c. 7. in fine. tom. 1. Hebr. 7.*

Petite, inquit, & accipite: vt gaudium vestrũ sit plenum. Hoc verbo indicat patere nobis aditum ad Deum; & nihil aliud in causa esse, quo minùs omnia bona Dei in nos deriuẽtur, quàm quòd nos petimus. Et si enim multa det non rogatus, vult tamen à nobis rogari, & à nobis vt fons omnium bonorũ agnosci. Vt ergo omnia opera nostra, ita & orationes exigit nostras. Qui enim creauit te sine te, non saluabit te sine te. Quare petite vt accipiatis, vt gaudium vestrũ sit plenum. Iussi vos petere: promisi vos exaudire. Gaudium vestrũ cœpit, cùm bona promisi; perficietur, cùm ceperitis ea, acceptiq; muneris non immemores digni efficiemini maioribus donis; donec tandem ad perfectum illud gloriæ gaudium perueniatis, quod totam animam implet, & de quo dicitur: *Intra in gaudiũ Domini tui.* Vbi per summam summæ nostræ facultatis cũ summo delectationis obiecto Deo cõiunctionem, ineffabile illud, & perpetuum gaudium orietur, de quo ait Propheta: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* & Dominus: *Euge serue bone, & fidelis, &c. Intra in gaudium Domini tui.*

Vnde omnia Dei dona in nos deriuentur, teste Saluatore.

Matth. 25.

Psalm. 16.

Diligamus igitur orationis studium, & ad illud in omnibus difficultatibus, tanquam ad asylum confugiamus, & cum perseuerãtia illud amplectamur: & quotidie tantum orationi incumbendum, quantum ad nutriendam vitam spirituale͂ illo die sit satis; ea ratione qua manna colligebatur quotidie, ni-

Ad orationis studiũ in nostris difficultatibus tanquã ad asylũ confugendum. *Exod. 16.*

die, nimirùm vt in diem sufficeret. Et ex orationis matutinæ successu, vt testatur Ioãnes Climachus, cursum totius diei, qualis futurus esset, diuinabant sancti illi Patres. Et vt horologium ferreum matutina hora subleuatis in altum ponderibus benè dispositum est, vt rectè horas indicet suo tempore: ita sanè seruus Dei, qui ante omnia partem temporis matutini orationi impendit, rectè est in se ipso compositus, vt actiones omnes, & cogitationes ad Dei gloriam & proximi ædificationem referre valeat, & maiores progressus in excolendis, atque perficiendis virtutibus facere possit, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cũ Patre, & Spiritu sancto perpetua sit benedictio, virtus atque laudatio in secula seculorum, Amen.

Ioan. Climac. in vitis Patrum.

Diligens Dei seruus vti ad orandum se coparet statim euigilãs.

TRACTATVS LXXII.

In illa verba: *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis: venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & nõ dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundũ, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis, &c.* vsque in finem cap. 16.

MAGNAM meritò in Medico exigimus prudentiam, quò ægrotantem sustentare, & subleuare valeat, maximè si tædio, & nausea ciborum laboret: nam interdum frigidis, interdum & calidis, nunc dulcibus, modò acerbis, interdum mediocribus ac moderatis famem excitare debet, vt rectè suo munere defungi valeat. Magnam proinde in Christo agnoscimus sapientiam, qui tanquàm Medicus missus nõ ad valentes, sed ad malè habentes famem Spiritus mira varietate allicere, ac irritare nouit. Nam intellectum nostrum non semper claris, & apertis, ne vilescerent, nõ semper obscuris, & perplexis, ne ob difficultatem despicerentur: sed magna cum prudẽtia modò apertis, modò difficilibus, modò nouis, modò antiquis, modò popularibus, modò recõditis, & abstrusis orationẽ suam temperabat, vt & auditores alliceret, & in his quæ minimè capiebant, discendi cupidos redderet. Hac enim vicissitudine, & temperamento infirmitas nostra curanda erat: Propterea rectè ait Dominus: *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis: venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis*, & reliq. Ad cuius loci intelligentiam præmittẽdum, quid sit prouerbiũ: quorsum prouerbijs vteretur Dominus Iesus: & quæ sint illa, quæ asserit se in prouerbijs locutum fuisse, significata per pronomẽ, *Hæc.* Prouerbium igitur dictum, quasi porrò verbũ, Grçcè dicitur παροιμία, id est, dictum commune, & vulgatũ, & quasi iuxta viam positum, sed obscurum: Vel est celebre dictum scita quadam nouitate insigne: siue sententia, quæ in ore omnium versatur: quæ aliquando quidem aperta est, & simplex: vt, *Obsequium amicos, veritas odiũ parit*; aliquando obscura, & aliud significãs, quàm verba prima facie videantur porrigere; Vt, *Annulo aureo piscari. Festina lentè. Medice cura te ipsum.* Vt enim metaphora est in verbis, ita prouerbiũ, siue adagium in rebus. Differtque à similitudine, siue comparatione, quæ Græcè dicitur parabola, sicut etiam à paradigmate, siue exemplo, & ab apologo, siue fabula. Nã prouerbium, breuis quædam est sententia, at parabola longam texit narrationem. Hæ tamen voces plerunq; inter se confunduntur. Vnde liber à Salomone inscriptus Hebraicè Misle, à Septuaginta, liber Parabolarũ est inscriptus; à Hierony. liber Prouerbiorum. Hoc tamen loco prouerbiũ vocat omnẽ obscuram, siue abruptam locutionem, parabola, aut ænigmate tectam, vbi quicquam aliud delitescat, quàm verba prima facie sonant: aut cùm celeriter, & repentè quid dictum fuerit, vt non à quouis intelligatur. Hinc Basilius in principium Prouerbiorum: *Prouerbium*, inquit, *vox apud Græcos parœmia, extra Scripturæ vsum de sermonibus vulgatioribus vsurpatur, & de ijs, quæ in vijs plerumq; dicũtur. Oemos enim apud externos via nominatur. Vnde etiam parœmiam definiunt verbum ad viam vulgi vsu tritum, & quod à paucis ad multa transumi potest. Apud nos autem parœmia est sermo vtilis cum moderata obscuritatè editus, multam quidem per se vtilitatẽ complectens, multam verò, & in profundo intelligentiam occultans. Vnde etiam Dominus: Hæc in parœmijs locutus sum vobis: venit tempus, quando non amplius in parœmijs, sed liberè loquar vobis, tanquam parœmiacus sermo liberum & apertum dicendi modum nõ habeat, sed obliquè suam sententiam acutioribus manifestet.* Sic ille. Cyril. ait: *Prouerbium modò occultiorẽ, & obumbratum sermonem appellauit, qui cùm obscuritate texatur, nõ facilè audientibus capitur.* Sic ille ferè. Vsus est autẽ Dominus prouerbijs, & obscuris locutionibus, tũ vt sanctum canibus ne daret, & minus ca-

Prudentis medici munus quod sit.

Matth. 9.

Quanta cum prudentia ac sapientia doctrinã suam dispensaret Christus.

Prouerbium quid, & vnde dicatur.

Teren. in Andria, act. 1. scen. 1.

Luc. 4.

Prouerbium à similitudine seu parabola quid differat.

Hieronymus.

Basil. hom. 12 initio, tom. 1.

Parœmia quid.

Cyril. li. 11. in Ioan. c. 8. to. 1.

Cur Dominus prouerbijs vsus fuerit

Matth. 7.

paces à se repelleret; tũ vt electos suos hac ratione magis exerceret, magisq; humiliaret,& ad se illos per orationem cogeret accurrere,& ita intellecta magis oblectarent; quemadmodum aper nostra industria captus,ac mensæ appositus magis sapit,quam pretio emptus;& ad hunc modum discipuli discerent non fidere proprio intellectui. His de causis Dominus obscurioribus verbis,aut longè petitis metaphoris res inuoluebat. Cæterùm per illud pronomen, Hæc, ostendit, omnia dicta à verbo illo, *Surgite, eamus hinc*,id est,à cap.15.hucusq; nam inde tũc cœpit illã parabolam: *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Vos palmites*: & persecutus est eam declarando primum mansionem palmitum fructificantium in vite per præceptorum, & charitatis obseruantiam,& hoc fecit vsq; ad eum locũ: *Hæc mando vobis, Vt diligatis inuicẽ. Si mundus vos odit; scitote quia me priorem vobis odio habuit, &c.* Porrò ab his verbis tractat eandẽ metaphoram, quantum ad purgationem eorundem palmitum, vt fructum plus adferãt:& protenditur ea tractatio in præsentem vsq; locum. Vnde finem parabolæ ponens subiungit: *Hæc in prouerbijs*, aut metaphoricis locutionibus de vite,& palmitibus,de seruo, q. non est maior domino suo, de eo,quod dixit: *Modicum,& iam nõ videbitis me, & iterum modicum,& videbitis me.* Et iterum: *Mulier cũ parit,tristitiam habet, quia venit hora eius, &c.* Hactenus vobis sum locutus. Atq; ex hoc apparet, Apostolos ad plenum nihil adhuc intellexisse, sed seminabat Dominus,q̃ suo tempore,id est, in Pentecoste meteret. Et in vniuersum hæc verba: *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis*, de toto Veteris Testamenti statu intelligi possunt,quasi dicat Dñs; Hactenus nihil,nisi vmbras, & figuras habuistis, iã tempus est vt nuda succedat veritas, in cuius signum velum templi scissum est.

Quæ nam in prouerbijs locutus fuerit Christus Apostolis, vt idẽ insinuat.

Apostolorũ imperitia.

Act.1.

Matth.27.

Venit hora, cùm iam nõ iam prouerbijs loquar vobis. Cyrillus hoc referendum censet ad tẽpus, quo datus est Spiritus sanctus, aut ad diem iudicij, in quo Christus electis suis apertè seipsum conspiciendũ exhibebit: videbimus enim sicuti est, & tunc prophetia omnis,& fides euacuabitur, quæ scilicet ex parte est,& in qua,quasi in speculo videm[9]. Vt enim nocte serena conspicitur stellarũ splendor,ac pulchritudo,quæ Sole oriente euacuatur, ita cognitio hæc præsens per fidem tempore illo desinet,cùm perfecta nobis adfuerit, & tunc nobis capacibus liberè de Patre suo annuntiabit,cũ modò per exẽpla, & similitudines quasi per vmbras propter imbecillitatem nostrã doceat. Verum Aug. hunc posteriorẽ Cyrilli sensum reprehendit,& vult esse sermonẽ de hora instante,& imminente, id est,de resurrectione,in qua Dñs aperuit illis sensum vt intelligerẽt Scripturas,&per quadraginta dies apparuit eis loquens de regno Dei; & tunc aperto sensu ad intelligendas Scripturas,&sublato metu Iudæorum capaciores redditi sunt ad intelligendã doctrinã clarã de Patre, Filio, & Spiritu sancto, sed perfecti[9] multo in die Pentecostes,quando misit Spiritũ,qui Euangelium illustrauit in cordibus eorũ, & fecit clamare, Abba, Pater. Et cùm ille scrutetur etiam profunda Dei; explicauit eis immensam illã Patris ad mũdum dilectionẽ, qua Filiũ suũ misit in hunc mundũ ad eius salutem, & quanto affectu singulos quosq; fideles, qui membra sunt Christi, foueat, amplectatur,atq; exaudiat. Nõ ergo de futuro seculo loquitur, sed de præsenti, quia dicit, Venit hora, &, In illo die in nomine meo petetis:in cœlo autẽ nulla erit indigẽtia pro seipsis. Neq; opus erat promittere, quòd non amplius rogabit pro Apostolis iam beatis:quis enim de ea re dubitare posset? Quod ergo dicit,palã; non significat visionẽ clarã, & immediatã, & quã vocat Apostolus per speciem, sed clarã, & singulariter euidentẽ,per fidem tamen, de qua Apostolus: *Nos verò omnes, reuelata facie, gloriã Domini speculantes, &c.* Quòd verò promittit se palàm locuturum de Patre intellige, Christum per linguam Spiritus sancti dicturum de Patre, quia superiùs dixerat: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Cyril. loco præcitato.

Quãdo Christus non iam in prouerbiis, sed palàm de Patre suo Apostolis annuntiauerit.

Act.2.

1. Ioan. 3.

1. Cor.13.

Ibidem.

Quale fidei sit, quale gloriæ lumen.

Aug tract. 102. in Ioan.

Alter sensus Augustino probabilior.

Luc vlt.

Act.1.

Quid Apostolis profuerit Spiritus sanctus in die Pentecostes.

Rom 8.

Galat.4.

1. Cor.2.

Ioan. 3.

Palam annũtiare hoc loco quid.

1. Cor.13.

2. Cor.3.

Ioan.16.

In illo die in nomine meo petetis. Id est, in illo reuelatæ gratiæ,& salutis die,in quo Spiritus sanctus docebit vos omnia, petetis in nomine meo, agnoscetis vestros defectus, & me Mediatorem esse verum inter Deum & homines: ostium & viam ad Patrem, & Patrem libenter exaudire propter nomen meum. Docebitque in nomine meo confidenter petere:quia non est aliud nomẽ sub cœlo datum hominibus, per quod saluari & exaudiri digni simus, & propter quod quæ necessaria sunt ad salutem, impetrare valeamus. Ex his patet, quòd ante non petierant quicquam in nomine suo,vt etiã suprà dixit: *Vsq; modò*, inquit, *non petistis quicquam in nomine meo*: quomodo enim in eius nomine petijssent, quem nondum perfectè nouerant? Quomodo etiam nomẽ eius scire possent, cùm ipsum nesciant? Nomen enim est rei definitio,quę plenè rem explicat;& nemo ad Filiũ accedit,nisi trahatur à Patre. Et Apostoli quidem tracti erant à Patre ad Filium aliquãto minus ignotum, nisi quate-

Explicatur In illo die in nomine meo petetis.

1. Tim. 2.

Act 4.

Cur Apostoli ante Christi passionẽ & mortem nihil a Patre petierant in nomine eius.

Ioan.6.

quatenus eis nonnihil reuelauerat Pater: at vbi per Filium Pater fuerit reuelatus, tunc in nomine eius petent, vt cùm iam nouerint per Patrem, quantæ sit virtutis,& gratiæ Filius, per illum audeant omnia à Patre petere. Hic est ordo in Deitate: Pater, vnde omne principium, trahit ad Filium, nõdum tamen reuelatum, sed carne velatum: Filius nos nutrit, & pascit, & suo discessu, quid obtinere debeamus, dando expectantibus Apostolis Spiritum suum, ostendit: Spiritus testimonium perhibet de Filio, secundùm illud: Ille me clarificabit,& annuntiabit vobis. Filius ostendit Patrem, quia vno relatiuo cognito, alterum cognoscitur, & sic omnia ad suum principium reuertuntur. Hinc Apostoli post aduentum Spiritus sancti, & in nomine Christi crebrò preces fundebant; vt Petrus, *In nòmine Iesu Christi Nazareni surge & ambula*; rursus in Actis; *Nunc Domine respice in minas eorũ,& da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam ostendas ad sanitates & signa, & prodigia fieri per nomen sancti Filij tui Iesu.* Et, *Non est alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Rursum, Conuocantes Apostolos, cæsis denuntiauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu,& dimiserunt eos. In illo ergo die petetis. Nunc etiam vbicunq; est dies gratiæ,& Spiritus, ibi crebræ orationes fiunt in nomine Iesu, vbi verò abest, raræ, aut nullæ.

Ordo in Deitate circa illuminationem hominis.

Apostoli quã frequenter post acceptũ Spiritum S. in nomine Christi precarentur. *Act.3.* *Infrà 4.* *Ibidem.* *Infrà 5.*

Vbi crebrò rogetur in nomine Iesu.

Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Videtur hæc sententia cõtraria priori illi, quæ habet: *Et ego rogabo Patrem,& alium Paracletum dabit vobis.* Contradicit etiam sequentibus, nam paullò post Christus orat pro eis, imò & pro omnibus, qui credituri sunt per verbum eorum in ipsum. *Pater sancte*, inquit, *serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*; Et, *Sanctifica eos in veritate, Sermo tuus veritas est.* Caussa quoque cur non rogabit pro Apostolis, videtur habere difficultatem: quia subdit, *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis*; quod videtur repugnare illi verbo: *Ipse prior dilexit nos.* Respondemus dupliciter: Primò, non excludẽdo interpellationem pro Apostolis, sed admittendo eos in suam cõmunionem, vt simus ipsius fratres, cohæredes & membra: Hactenùs solus rogaui, deinceps non solus ego, sed & vos mecum rogabitis. Estq; sensus, vt Euthymius exponit: *Et non dicam vobis tunc, Precabor Patrem pro vobis, nam ipse Pater tunc vos amabit, sicut ego, permanentes videlicet in amore ac fide erga me.* Sic ille. Secundò potest esse sensus: In hoc die humilitatis,& passionis meę ego rogabo pro vobis,& impetrabo Spiritum, in illo autem die reuelatæ gratiæ non opus erit oratione vocali, vt nũc, seu oratione,& noua intercessione reconciliatoria, quia estis amici:& ponitur ꝙ peccare non debeãt, benè autem oratione eos confirmante, & sanctificante, sed astabo vultui Dei, & repræsentabo passionẽ meam vt iuuantem orationes vestras, quæ gratæ Deo erunt, quia Pater vos amat, vt possitis securè orare, quia vos me amastis; in illa etiam die me agnoscetis Deum verũ, & agnita Diuinitate mea, adorabitis me,& me simul cum Patre exaudientẽ preces vestras,& largientem quæ petitis, habebitis.

Vt verum sit hoc: Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. *Ioan.14.* *Ioan.17.* *Ibidem.* *1. Ioan.4.* I. solutio. *Euth. cap.16. in Ioan.* Altera. *Hebr. 7.*

Potest etiam hic esse simplex, & germanus sensus: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Id est, Taceo, siue prætereo munus meum rogandi de vobis, id est, pro vobis Patrem (id enim interdum valet præpositio Græca περὶ) quia ipse Pater amore est affectus ad vos. Nihil dico nunc pro intercessione mea ad Deum pro vobis: plus satis enim cognoscitis me interpellatorem,& mediatorem vestrum. Vt intelligerent Apostoli seipsos diligi, non solùm à Iesu, sed etiam à Patre, ac simul se habere non solum Iesum rogãtem, sed etiam Patrem amantem. Vel, Ne existimetis Patris ex se nullum esse erga vos affectum, nisi quantum ego pro vobis deprecans ad vos ipsum inflecto. Nolo iam hoc vobis dicere quòd ego Patrem meum sim pro vobis deprecaturus, quasi vos ex seipso Pater non diligat, aut quasi, nobis non liceat etiã proximè ad ipsum in Spiritu accedere: sed hoc dico, quod ipse vos ex semetipso Pater diligit,& non solùm ex me inductus: propter quod & ipse ex semetipso paratus est exaudire, etiamsi ego pro vobis nõ intercederẽ. Quod ideo dico, vt maiorẽ vobis prę̃stẽ, ac magis familiarẽ amicitiã accedẽdi Patrem, ipsumq; in nomine meo deprecãdi. Quod verò subiũgit; *Quia vos me amastis*: loquitur de amore subsequentis gratiæ, qui efficitur ex merito, quo discipuli Dominum Iesum amauerant,& secuti fuerant. De amore autem gratię præueniẽtis dictum est: Quoniã ipse prior dilexit nos. Prudenter verò intellige Patris amorem genitum ex amore discipulorũ erga Iesum: nõ est enim sermo de actu amandi secundùm se, sed secundũ effectum subseqũetium donorũ, ob quæ dona Pater amauit Apostolos, ex eo ꝙ ipsi amauerũt Iesũ, iuxta illud, quod superius dixit; *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*; Et, *Ego diligentes me, diligo.* Quemadmodum agricola colit arborem, vt reddat fructum; quem vbi reddiderit, ampliùs colit, vt vberiores fructus proferat. Dignus autem erat amor

III. sensus.

Id: Quia vos me amastis, quomodo intelligitur.

Quo de amore sit sermo, cùm dicitur: Quoniam ipse prior dilexit nos. *1. Ioan. 4.*

Qualis amor Dei Patris in discipulos amatores Christi. *Ioan.14.* *Prou.8.*

Ioan. 15.

Aug. trac. 102 in fin. to. 9.

Apostolorum tanto prçmio; cùm alij, quos beneficijs obruebat, gratis odio illum prosequerentur. Hinc Augustinus: *Amorem*, inquit, *nostrum pium, quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit quod bonũ est. Ideo quippe amauit ipse quod fecit sed in nobis nõ faceret, quòd amaret, nisi antequàm id faceret nos amaret.* Hactenùs ille. *Et credidistis, quia à Deo exiui.* Fuit amor Apostolorũ nixus in vera fide de Christo, & nõ satis est credere, sed etiã diligere, etiamsi aliter somnient Hæretici. *Exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundũ, & vado ad Patrem.* Iterum ad imbecillitatem intelligẽtiæ Apostolorum se demittit Dominus. Est autem summa fidei Chrristianæ credere, Christum à Deo exisse per generationem æternam; & in tempore exijsse per incarnationem ad mundum reconciliandum & illuminandum. Quasi enim locus omnium rerum Patris natura est à qua exire dicuntur, cùm aliud quid, quod non habebant, assumunt, & cũ videntur: quemadmodũ dicitur Rex, aut Papa exire, quando alijs se in aspectum dare solet. Sic tamen exiuit à Patre; vt remanserit in cœlo, & in sinu Patris: vt cogitatio egreditur à mente, cùm alteri cõmunicatur, & manet in mente. Venit autem in mundum per carnẽ assumptam, in quo per Diuinitatem prius erat. Iterum relinquo mundum per mortẽ, præsentiam sensibilem nobis subducendo; manẽdo tamen nobiscum iuxta Spiritum, iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Et vadit ad Patrem per resurrectionem, & ascensionem, vt ita hæc Apostolorũ fides includat mysteriũ Trinitatis, incarnationis, prędicationis, mortis, resurrectionis, & ascẽsionis. Exiuit ergo Christus à Patre, & venit in mũdum, quem relinquit: vt reuertatur ad Patrem: quẽadmodum ciuis à patria peregrinatur Romam ad limina Apostolorum videnda; cõpleta aũt peregrinatione reuertitur ad patriã; & vt Sol exit ab Oriente, ac per Meridiem pergit in Occidentẽ, & rursus pergit in Oriẽtem, vnde primùm exierat. Et vt aqua omnis secundùm sentẽtiam Salomonis, occultè egreditur de mari in fontes, & flumina implenda, & terram irrigandam ad herbas, & plantas alendas, redit tamẽ aperto cursu in mare: ita Christus secretã Virginis viam ingressus venit in mundum occultus, illumq; doctrina & sanguine irrigauit suo, redijt tamẽ conspicuus ad Patrem: quia videntibus Apostolis in cœlũ eleuatus est. In prima via charitas Filij Dei ad nos ostenditur; in secunda, obedĩetia Filij erga Patrẽ: ita nos à Deo eximus per esse Diuinum communicatum vt filijs suis, &

Fides discipulorũ in Christum vera, cõtra Lutheranos.

Christianæ fidei summa quæ sit.

Christũ exisse à Patre quid.

Ioan. 1.

Quomodo exiuit in mũdum.

Matth. vlt.

Fides Apostolorũ in Christum amplissima.

Qualis item Christi exit' in mũdum à Patre, & ad eundem reditus.

Eccles. 1.

Act. 1.

Duæ illæ viæ Christi quid denotent.

venimus in hunc mũdum, vt notitiam Dei alijs communicemus, cæterisq; cũ Deo reconciliandis administri simus: non autem venimus vt hic moremur, tanquã in patria, sed vt tanquàm peregrini per mũdum transeuntes ad Patrem per obedientiam mortis spontè susceptam redeamus.

Nos etiã quẽadmodũ exeamus à Deo, ad eumque redeamus.

Dicunt ei discipuli eius, Ecce, nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi vt quis te interroget. Discipuli, qui paullò antè ex tristitia muti erant effecti, auditis sermonibus Domini Iesu consolatorijs, tum ex promisso Paraclito, tum ex iterata visione ipsius, tum ex efficacia impetrandi precibus promissa in nomine eius, tum ex commendato amore, & fide ipsorum erga se, animatiores facti respondent tria. Primum, modum loquendi promissum à Iesu sine parabolis, & metaphoris iam impleri, & illos experiri claritatem sermonis sui: & dicunt, Ecce, nũc palàm loqueris: quia quod obscurè dixerat: Modicum & iam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me, nunc apertè dicit. Exiui à Patre, & veni in mundum, & reliqua. Secundum profitentur, illum omnia scire; Nunc, inquiunt, scimus quia scis omnia, non tantùm futura, sed etiam intima cordium nostrorum. Quia Dominus in hac consolatoria admonitione omnęs eorum tetigerat affectus, omnibus eorum dubijs satisfecerat, omnia desiderabilia ad vitam spiritus, & gaudium internum spectãtia pollicitus fuerat. Et adeò, inquiunt, scis omnia, vt nõ sit opus, vt quis te interroget. Si scire omnia, significaret hoc loco, Dominum omnia, quæ dici possunt, nosse, inferendum fuisset potiùs opus esse interrogatione; quia ratio dictat, vt interrogemus homines scientes, non autem ignorantes: quia Iesum scire omnia, referendum est ad omnia futura contingentia, & omnia intima desideria, ignorantiasq; singulorum; ideo quadrat quod dicitur, Et non opus est tibi (ex parte scilicet tua) vt quis te interroget, vt qui absque vlla interrogatione omnes, & singulas ignorantias nostras noueris, votisque nostris, atque euentis prospexeris, tacitisque cordium cogitationibus respõderis. Tertium quod respondent est: *In hoc credimus quia à Deo existi.* Quasi dicerent, hoc validum est ad firmandam fidem nostram, quòd à Deo exiueris, & missus fueris ab eo vt nuntius, & legatus eius; cùm experiamur in te tantam sapientiam. Dico autem ad firmandam fidem: quia iam teste Iesu crediderant: *Et credidistis*, inquit, *quia à Deo exiui.* Ideo cùm dicunt: *In hoc credimus*, firmi-

Apostolorũ ad Christum consolatorẽ suum, non omninò humilis illa quidem & modesta responsio.

Christi omni scientia ab Apostolis cognita, & confessa qualis.

Quinã interrogati cõueneunt.

Quid est q Apostoli dicunt: In hoc credimus, quia à Deo existi.

Ioan. 13.

firmitatem suæ fidei ostendunt. Fuit autem hæc Apostolorum responsio cum aliqua arrogantia coniuncta, quam Dominus in Petro reprehenderat. Caro quippe semper magna audet, neque propriam infirmitatem ante omnia agnoscit: ita Apostoli hoc loco sibi placebant, & magna sibi pollicebantur, quasi probè intellexissent verba Christi, omniaque plana essent. Sed vt exponit Augustinus, longè aliter eos sapere illa nocte res ipsa indicauit. Nam cùm dixissent singuli: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo, omnes tamen à fide, aut potiùs à fidei cõfessione defecerunt. Et vt Augustinus ait, Apostoli non intellexerant verba Christi, quibus se dixit à Patre exisse: quia etsi crederẽt illum à Deo missum in mundũ vt Prophetam, & nuntium suum, non tamen exitum generationis diuinæ. Vnde Dominus eos aliquo modo increpans subiungit: *Modò creditis? Ecce, venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.* Interrogatiuè legendum est, Modò creditis? intorquendo in eos infirmitatem propriæ fidei ipsismet ignotam: hoc est, vos estis firmi in fide? quia ego audio? Ecce, Venit primum est præsentis temporis, secundum Venit, præteriti est: instat tempus, & adest, seu in propinquo est, vt possit dici iam esse, in quo infirmitas fidei vestræ detegetur; nam dispergemini in propria, & me solùm relinquetis. Prædicit eorum instabilitatem, vt rursus agnoscant Christum Deum esse, & prænosse omnia, & vt humilientur, & agnoscant, quàm parùm possint humanæ vires, si non adsit virtus cœlitùs sustentans, atq; corroborans. Quasi diceret, Arrogatis vobis ante tempus firmitatem fidei, vt vos posse præsidio humano fultos perseuerare mecum, cùm hoc totum ab Spiritu sancto sit vobis per me communicãdum. Visa enim mea captura, futurum est, vt turpiter me deseratis, partim ab negetis, & de doctrina mea hæsitetis: tunc me à Patre non recordabimini exiuisse, neque ad Patrem ire per tantam crucis viam putabitis, sed ingenti metu perculsi dispergemini in propria, id est, in latibula, & habitacula, vbi tuti, & securi esse possitis, vitæ vestræ, ac saluti consulentes, & à salute abhorrentes. Quia scriptum est: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregũ.* Propria autem hoc loco, quæ Græcè τὰ ἴδια vocat, non significat proprias domos: cùm enim essent Galilæi, non habebant proprias domos in illis locis prope Ierusalem, ad quas diuerterent. Vocat ergo propria, eo quod timore acti quisque per seipsum, nullo comite, ad latibulum confugeret, timens videlicet ne alterius indicio proderetur Christi esse discipulus. Sixtus III. Pontif. Max. in lib. de Diuitijs ponderat Dominũ non dixisse: *Vt reuertamini vnusquisque in sua,* sed, vt dispergamini: *De fuga, nisi fallor, illo in tempore agebatur, non de alicuius, aut auaritiæ, aut concupiscentiæ occasione: Nam satis absurdum est, vt eos ad propria, quæ iam non habebant, redysse arbitremur, quos ante Domini resurrectionem magis vno in loco timoris caussa clausos fuisse legimus, quàm vnumquemque in propria domo, vel possessione habitasse: quia etiã si sua recuperare voluissent, temporis spatium defuisset. Quantum enim interuenit temporis inter Domini passionem, & resurrectionem, vt recipere sua potuisse credantur, vel ad propria remeasse? præsertim cùm centum quinquaginta ferè millibus passuum illorum prouincia ab eo loco, quo Dominus passus est, sequestrata noscatur, Galilæa scilicet.* Hæc ille.

Carnis ingenium.

Aug. trac. 103 in Ioan. to. 9.

Matth. 26.

Aug. ibid.

Quare Christus discipulis prædixit fore, vt ab eis derelinqueretur.

Disciplulorũ de seipsis cõfidentia à Christo reprehẽsa

Matth. 26.

Zach. 13.

[in] quæ propria discipuli dispergendi [er]ant, vti eis Dominus prædixerat.

Sixt. III. Pont. Max.

Act. 4.

Ioan. 20.

Et me solùm relinquatis. Quia sine vestro comitatu, quo solitus eram cingi; non tamen omninò solum, quia comitatum cohorte, solùm tamen ab Apostolis, siue ab amicis, & notis, secundùm illud: *Longè fecisti omnes notos à me, posuerunt me abominationem sibi,* & iterum: *Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria.*

Et non sum solus, quia Pater mecum est. Græcè cum aduersatiua dicitur: *Et tamen non sum solus,* quod magis perspicuam reddit orationem: quòd si non adderetur, supplenda esset. Sensus ergo est: Videbor ab omnibus derelictus: iudicabitis Deum mihi aduersari, & omnes creaturas in me insurgere; sed tamen non sum solus, quia Pater, & Spiritus sanctus inseparabiles sunt natura, siue essentia, ac proinde operatione, & voluntate. Quanquàm autem Pater in passione mea videatur ad tempus mei oblitus, ac in caussa mea tacere, ita vt cogar dicere: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* sed non longè faciet auxilium suum à me, & ad defensionem meam conspiciet. Eruet à framea animam meam; & de manu canis vnicam meam. Erit Deus Pater adiutor, & liberator in omnium virtutum stabilitate me hominem seruans, meque à morte ad immortalitatem gloriosum celeriter reuocans. Eruntque signa in Sole, & terrã motu, & lapidibus, & velo templi, & sepulchris apertis, quo meam innocẽtiam atque iustitiam toti mundo testatam reddat. Hinc per Esaiam dictum erat: *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus.* Et infrà: *Iuxta est, qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul; quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator*

Discipuli vt rel. quererint Christum solum.

Psal. 87.

Ibidem.

Quid est: Et non sum solus, quia Pater mecũ est

Psalm. 21.
Matth. 27.

Psalm. 21.

Matth. 20.

Esai 50.

tor meus, quis est qui condemnet me? Qui etiam à parte sua Patrem stantem habet; simul etiam habet omnium Angelorum fauorem: *An putas quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plus quā duodecim legiones Angelorum?* Ad hunc modum pius homo per fidem Christum habens, etsi videatur ab omnibus derelictus, omnique auxilio creaturarum destitututus, non tamen est solus, quia Deus est cum illo, iuxta Prophetam: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ita Israelitæ habebunt in deserto olim Deum comitem indiuiduum in omnibus tribulationibus: & Helisæus dixit ad puerum suum hostium multitudinem spectantem: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Protulit autem Dominus hæc verba: *Et non sum solus*, ne intelligerent discipuli ipsum hęc dixisse quasi quærulum quòd ipsum essent deserturi: declarat autem Dominus, quòd fuga eorum, & dispersio ipsis tantùm, & non sibi, qui solus non erat, nocitura erant. Et licèt per mortem iret ad Patrem, iam tamen Pater cum eo erat in morte, & ad exeundam mortalitatem, & ad induendam adiuuans immortalitatem.

Matth. 26.

Psal. 90.

4. Reg. 6.

Discipulorū Christi derelictio, & fuga quibus tantū dāno fuerit.

Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. Possunt hęc referri, vel ad prędictam dispersionem, & fugam Apostolorum, quasi diceret; Ego hæc vobis locutus sum, nō vt comites meæ passionis habeam, quia vos nō potestis me sequi modò; sed vt cùm videritis me multa indigna, ac grauia pertulisse, minus contristemini, & viribus vestris diffisi, in me vno, & in verbis meis, quibus prædixi me per mortem crucis ad Patrem pergere, pacifici conquiescatis. Aut potiùs secundùm sententiam Cyrilli, hæc verba peroratio sunt, & conclusio totius præcedentis sermonis: ideo enim tam prolixam exhortationem, & consolationem exhibui, vt sciatis in me, & per me solum quærendam pacem conscientiæ, & per me, tanquàm per mediatorem ad Deum, pacem habere, & in verbo meo, ac promissionibus factis tranquilli sitis: quoniam eruam vos à tribulatione, & glorificabo vos, exemploque meo eadem perpeti magna patiētia dilectis cum gratiarum actione erga Deum, & charitate aduersus persecutores.

Duplex sens⁹ botum verborum: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. Ioan. 13.

Alter Cyrilli. Cyr. l. 11. in Ioan. c. 13. to. 1.

In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Ne putarent Christi pacem, pacem quoque cum mundo includere; declarat pacem Christi non esse sine irreconciliabili ad mundum bello. Nam ille, qui totus in maligno positus est, tanto pacis Christi bono nos spoliare conatur, inferque nobis, quasi peregrinis detractiones, irrisiones, afflictiones, atque persecutiones. Hinc in mundo periclitatur conscientia, ne peccato obruatur: periclitatur quoque corpus nostrum, vita, fama, gloria, opes: denique mundus Satanæ est aula in pios sæuientis. Potest quoque sic interpretari: *In mūdo pressuram habebitis* (sic enim Græcè legitur de præsenti) vt etiam scandalum sitis passuri, & peccaturi, & propterea à mundo estis hac nocte vincendi: sed confidite, ego vici mundum, & vincam, vosque à mundi pressura redimam, & à scādalo peccatisq; liberabo, modò in me spem, ac fiduciam collocetis. Sed quæritur, an valeat ista consequentia, dicere pauperi petenti eleēmosynam: Confide, ego sum diues: quid hoc ad pauperem? Respōdemus; in paupere, & diuite etsi consequentia illa nullam vim habeat, in Christo tamen, & in nobis firma, ac valida est: quia omnis Christi victoria nostra est, qui nos fecit cohæredes fratres suos. Vt enim Christus peruicit hostes suos vniuersos, hoc est, peccatum, mundum, crucem, mortem, Satanam, atque infernum: ita, qui per fidem, & dilectionem Christo hærent, omnes superabunt, atque adeò seipsos euincent, quia videlicet per ipsam victoriam Christus nobis Spiritum sanctum impetrauit, quo nos vincere possemus. Deinde, quia ipsa Christi victoria, in nos tanquàm eius milites transfusa est. Nam sicut Adam victo, omnis nostra condemnata natura est, ita Christo vincente, omnis eius victoria nobis communicatur, & virtus etiam data calcandi super serpentes, & scorpiones. Nam vt ait Apostolus: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Mundus etiam à Christo victus nihil in nos poterit, nisi quantum illi à Deo permittitur. Christus quoque in suis mundum vicit, nam quicquid est victum ab initio mundi, & quicquid vsque in finem seculi vincetur, suum est: ita hic dicit; Confidite: nam ego vici mundum in vobis, & ampliùs videbitis à vobis mundum vinci, si in me confidatis. Ex duobus igitur capitibus Apostolorum fouet fiduciam: alterum est, quia mundus est victus à se: victo enim aliquo regno per Imperatoris exercitum, fidentiores redduntur milites ad debellandas particulas quæ supersunt: alterum est, quia ipse Iesus eorum caput mundum vicerat, non solùm vt ab exemplo victoriæ, sed etiam à præsidente victoriæ confidant, qui per ipsos milites prælia-tur. Dicit autem de præterito vici: quia etsi victoria nō erat actu consūmata, erat tamē certa

Apostoli quales mundi pressuras perpessuri erant.

1. Ioan. 5.

Mundi huius incommoda.

Altera sententia eorum verborum: In mundo pressuram habebitis.

Cur Apostoli, & omnes Christ ani confidere debent in Christo, quia ille mundum vicit.

II. ratio.

Luc. 10.

1. Cor. 15.

Mūdi in nos vires quò tantùm progredi valeant.

Vnde milites animentur ad pugnandū ardentius.

Expenditur dictum de præterito. Ego vici mundum.

certa, & quod parũ aberat, iam abesse censeri poterat. Per mundum verò hoc loco Euthymius intelligit mundi patrem, & principem, de quo dixerat: *Princeps huius mundi iã iudicatus est.* Victoria igitur capitis, Ducis, ac magistri, ad membra, milites, ac discipulos eius spectat: vt propterea erubescendum nobis sit, si nos sinamus vinci à mundo victo, alligari ab alligato, occidi à mortuo, damnari à damnato per Christum hominem. Per patientiam igitur curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis gloria reddenda est, honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

Euth. c. 16. in Ioan. Qualẽ mundum vicerit Christus.

Hebr. 12.

TRACTATVS LXXIII.

In illa verba: *Hæc locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cœlum, dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuũ, vt Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti mihi, det eis vitam æternam.* Ioan 17.

LAVDABILE est profectò, & pernecessarium in Republica. Aduocatorum officium, si tamẽ cum fidelitate, & iustitia eius vsus sit coniunctus, nec enim omnes vniuersas iuris vtilitates, & cautelas nouerunt, nec omnes verbi gratia vigent, vt possint suam caussam agere, ac tueri, sed illud ante omnia cauere debent, ne iniustas caussas scienter defendẽdas suscipiant, qua de re iuramentum præstare Aduocati coguntur, vt etiam cautum est in L. Cùm & iudices. C. de iureiurando: ad hunc modum in Ecclesia necessarium est Sacerdotum munus, qui tãquàm patroni commissorum sibi populorum, quasi clientulorum caussas sacrificando, deprecandoque apud Deum agere debent. Vnde Propheta dixit: *Inter vestibulum & altare plorabant Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuum in opprobrium, vt dominentur eis nationes:* tantùm caussas obstinatorum, & ad mortem peccantium non foueãt, sed in omnibus Christum summum, & iustum aduocatum imitentur: qui etsi pro mundo non rogat, id est, pertinacibus, & veritatem agnitam respuentibus, rogat tamen pro suis omnibus electis, & maximè pro Apostolis primarijs Ecclesiæ fundamentis, vt hæc ipsa oratio apertè ostendit, quàm explicare aggredimur.

Aduocatorũ in Republica munus laudabile, ac pernecessarium.

A quib[9] caussis aduocati abstinere debeant.

Quàm necessarium in Ecclesia Dei sit Sacerdotum officium. *Ioel. 2.*

Pro quo Christus mundo non roget. *Ioan. 17.*

Non est autem ignorãdum, quòd superiùs admonuimus in illis postremis verbis: *Surgite, eamus hinc*, ab eo loco sermonem fuisse habitũ à Christo stante, in cœnaculo tamen, vbi etiam hanc Domini precationem intelligimus fuisse habitam: nec enim probabile est Christum ambulantem per vicos Ierosolymæ talem, ac tantam orationem ad Patrem effudisse. Dicendo autem: *Hæc locutus est Iesus*, insinuat, tempus orationis cõtiguum fuisse verbis antedictis: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, Ego vici mundum*, vt à sermone statim ad orationem transierit, quò Spiritũ auditoribus impetret, vt perficiãt quæ audierunt. Vt enim agricola postquàm aratro fidit terrã, eamque seminauit, à Deo precibus postulat, vt mandet pluuiam, gelu, Solem, & reliqua ad germinandum semen adminicula necessaria; ita concionator, præparatis hominum cordibus, & verbo Dei quasi semine iacto Deum rogare debet, vt ipse quod muneris sui est, in illorum mentibus præstet. Nam neque qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementũ dat, Deus. Debent etiam concionatores orare, vt petant veniã errorum, quos inter concionãdum admiserunt: vt sunt interdum frigiditas cordis, & ariditas, subtilitas, aut nouitas, aut obscuritas eorum, quæ non aptè populo proponuntur; aut prolixitas, aut vanitas, aut impatientia cõcepta ex strepitu, & somnolentia auditorum, eorumque fastidio, aut recessu. Debet etiam oratio prædicationem præcedere: vt Petrus in nomine Apostolorum dixit: *Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus:* vt homo tanquàm cithara ad sonandum temperetur, & discat à Deo, quę debet docere; atque vt Deus, nõ autem aliquid vanum, aut humanum, sit scopus prędicationis, vt aliàs diximus. Docet igitur suo exemplo cõciones interdum precatione terminandas esse, vt multi cum fructu obseruant. Cùm autem tria existant Sacerdotum præcipua munera, quorũ primum est docere, secundùm illud: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius:* quia Angelus Domini exercituum est: alterum est, preces fundere ad Deum pro populo sibi commisso; hinc dicitur apud Leuiticum: *Rogabit pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.* Tertium est, pro populo sacrificium offerre, vt Paulus rectè definierit, Sacerdotem eum esse, qui offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Cùm igitur Christus verus esset Sacerdos, & Sacerdotium suum secundùm ritũ, siue ordinem Melchisedec, in cœna ostendisset, ostendẽdo sacrificiũ corporis & sanguinis sui sub specieb[9] panis, & vini, statim se ad

Suprà 14.

Cur Ioannes insinuet, Christi hanc orationem ad Patrẽ fuisse præcedentem sermonẽ proximè consecutam.

Prædicator verbi Dei, seminanti cõparatur.

1. Cor. 3. Pro erratis, & defectibus concionatoris quibus Deum auditores orare debeant.

Cur præuia prędicationi precatio esse debeat. *Act. 6.*

Sacerdotum triplex officium *Malach. 2.*

Leuit. 5. Sacerdos q̃d penes Apostolum. *Hebr 5.*

Infrà 9.

Matth 26.

Quęnam huius sermonis pars pronunciata fuerit à Christo stãte

ſed ad docendum contulit, habuitque ſermonem illum elegantem, quem hactenus expoſuimus: nunc pro illis, & pro ſeipſo orationem fundit, poſteà iterum ſeipſum ad ſacrificium immolandum obtulit in horto. Conuenit autem Chriſto precari, non quidem ſecundùm diuinam naturam, qua æqualis eſt Patri, & cuius eſt orationes oblatas recipere, atque exaudire, ſed ſecũdùm humanam naturam, in qua Chriſtus inferior eſt Patre, & homo egẽs aliquo, videlicet corporis gloria, & ſui nominis clarificatione. Voluit igitur orare, tùm vt ſe hominem verum indicaret, & ſe legatum in hũc mundum à patre deſtinatum oſtenderet, & vt ampliùs teſtatam redderet ſuam erga ipſos charitatem, curam, & prouidentiam. Vnde ſuſcitaturus Lazarum, propter populum, qui circumſtabat, dixit verba orationis: *Vt credãt*, inquit, *quia tu me miſiſti*. Deinde vt nobis in calamitatibus poſitis exemplum orandi præberet: nullum enim eſt adeò præſentaneum remedium ad difficultates omnes ſuperandas, & tribulatione, conſtanti animo ferendas, atq; orationis ſtudium. Tertiò, voluit ſuis precibus dona Apoſtolis impetrare, vt nos quoque intelligamus, omnia diuina chariſmata per Chriſti merita ad nos promanare: nam ille, qui Filius Dei eſt, pro ſuã reuerentia ſemper exauditur. Quartò, pręmonuerat anteà in nomine ſuo petendum, & ad Patrem accedendum: accedere autem non poſſumus, niſi via fuerit ante munita, nec orare licet, niſi ianua eundi ad Patrem fuerit aperta. Hinc Dominus ſua hac precatione viam nobis parat, aperitque ianuam, vt de impetrandis donis, quæ expetimus, certi reddamur. Quintò docet, tempus commodum orandi eſſe ante inſtantem paſſionem, ſiue tentationem, vt illa muniti euadamus victores: quemadmodum etiam in horto, orationis ſe præſidijs inſtruxit. Rectè enim dictum eſt: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*: nam excubię animæ, vigilantia eſt: arma, quibus inſtructi pugnemus, oratio eſt. Poſtremò, ſuperiùs docuerat ſe eſſe vitem, & diſcipulos palmites: atque hanc metaphoram multis verbis explicuerat, nunc facto ipſo precandi, & petendi pro Apoſtolis ea præſidia, quibus in ſe manerent, & fructum copioſiorem producerẽt, impetrat, vt in ſe vite tanquàm palmites maneant. Docuerat namque Apoſtolos modum fructum ferendi, media fieri oratione: cumque hoc pluribus verbis replicaſſet, nunc tandem opere ſuo comprobat.

Christo quatenus precari conueniat. — Cur Christus precari voluerit. — Ioan. 11. — II. ratio. — Optima ratio vincendi tentationes, & aduersa sustinendi, quę sit. — Tertia. — Hebr. 5. — Quarta. — Quinta. — Excubię animæ nostræ quęnam sint. Marc. 14. — VI. & vltima. Ioan. 15. — Cur Christus sublatis in cœlum oculis Patrem orauit.

Et ſubleuatis oculis in cœlum, dixit. Quẽadmodum internos oculos in Deum Patrem intentos habebat, ita quoque externos ſuſtulit, docẽs nos oratione animum in Deum eleuare: Vnde & oratio definitur, eleuatio mentis in Deum. Nam qui in terrenis oculos defixos habent, opus habent oculos in cœlum erigere: quod Propheta docuit, cùm dixit: *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis*: *Leuaui oculos meos in montes*: *Oculi mei ſemper ad Dominum*, & alter: *Leuemus corda noſtra cũ manibus ad Dominũ in cœlos*, & Apoſt. *Volo viros orare in omni loco: leuantes puras manus*, & Dominus exordiendum nobis in oratione eſſe voluit ab illo pulchro procœmio: *Pater noſter, qui es in cœlis*. Vbi ergo nulla eſt animi erectio in Deum, nulla eſt vtilis deprecatio. Docuit etiam non pro terrenis, ſed pro cœleſti hæreditate orationem fundendam. Annotat verò Euthymius, Dominum hic oculos eleuare, vt doceat intentionem, ac indiſtractionem in orationibus. Alibi verò procidit in faciem, ſtatuens deiectionẽ, ac cordis contritionem tempore orationis.

Oratio quid. — Psal. 122. — Psal. 120. — Psal. 24. — Thren. 3. — 1. Tim. 2. — Matth. 6. — Vbi nulla fit vtilis deprecatio. Quæ precãda sunt à Deo. — Euth. c. 36 in Ioan. — Matth. 26.

Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Fuit hæc oratio vocalis, ſed pleniſſima ſpiritu, & affectibus ſanctis. Et primò continet petitionem pro ſe, & gloria ſua; deinde orat pro Apoſtolis ab eo loco: *Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi*. Pro quorum vnitate prius preces fundit, vbi ait: *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; vt ſint vnum, ſicut & nos*. Deinde pro eorum ſanctificatione, & confirmatione, ab eo loco: *Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus, veritas eſt*. Poſtremò pro eorum gloria, & conſummata fœlicitate, quando ait: *Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum*. Tertiò pro vniuerſo populo fideli, ſiue Eccleſia precatur, cùm ait: *Non pro eis autẽ rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*, vt vndique perfecta, & ſuis numeris abſoluta hæc conſtet oratio. Primùm ergo ait, *Pater*, quod abſolutè dictum, ſicut & Pater mi, naturalem Patrem ſignificat: ſicut nos adoptiui dicimus: *Pater noſter*, vt petere audeamus, & orando fiduciam habeamus impetrãdi. Nec ſine timore & gratia Patrem Deum vocamus nobis conſcij, quàm ingrati, & parùm morigeri filij ſimus. *Venit hora*. Non tempus, non dies, ſed hora, quia ſtatim capiendus erat: nec hora fatalis neceſſitatis, ſed ſui beneplaciti, ac paterni decreti. Eratque hora paſſionis, in qua merita ſuæ obedientiæ, ac mortis conſiſtebant: de qua Ioannes bis dixit: *Venit hora, vt clarificetur filius hominis*, & infrà: *Pater, clarifica nomen tuum* (id eſt, Verbum, quod eſt definitio, ac Patris nomen)

Qualis Christi ad Patrem oratio fuerit & pro quibus effusa. — Expenditur in hac oratione prima vox Pater. — Matth. 26. Suprà 6. Venit hora. — Ioan. 12.

Venit ergo vox de cœlo, dicens : Et clarificaui, & iterum clarificabo.

Clarifica Filium tuum. Hebr. 1. Ioan. 8. Suprà 1. Sap. 6.

Clarifica Filium tuum. Cùm Christus sit Verbum Patris, & Figura substantiæ eius, lux mundi, & quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illaque sapientia, de qua scriptam est: *Clara est, & quæ nunquàm marcescit sapientia:* quo modo petit clarificari? Deinde Christus nullam incurrit obscuritatem, aut culpę in affectu, aut ignorationis in intellectu, qua ergo indigebat claritate? Ad hæc quam claritatem obsecro habuit in cruce in medio duorum latronum pendens, irrisus, blasphematus, agens animam, & se derelictũ à Patre lamentans? Respondemus, hanc ipsam vocem Christi esse hominis, de qua Ambrosius libro de Fide, ait: *Vtique cùm & horam*, inquit, *venisse commemoret, & clarificari petat, quomodo nisi secundùm carnis assumptionem locutum eum conuenit æstimari? Nã nec vlla sibi temporum præscripta momenta diuinitas habet, nec clarificatione indiget lumẽ æternum*, Hæc ille. Voluit ergo Iesus, qui in se clarissimus erat, per crucem glorificari: sic enim habet vox Græca, pro qua nos habemus Clarificari. Tum primò, quia teste Chrysostomo, & Euthymio, pati ipsum, Dominus pro seruis gloriæ sibi ducebat, vt mundus eius alacritatem, bonitatem, ac diuinitatem agnosceret. Deinde per edita signa in morte glorificatus est: nam vel ad vnum eius verbum omnes hostes in terram prostrati sunt: seruo auriculam restituit, clarificatus est per tres horas eclipsis, quæ supra naturam fuit, per terræ tremorem, scissionem petrarum, sepulchrorum apertionẽ, mortuorum resurrectionem, & veli templi scissionem, quibus signis Deus testificatus est eius sanctitati, innocentiæ, ac deitati, quam de se prædicabat, nec illum esse purum hominem, vt res ipsa indicare videbatur. Adhæc mors tanta charitate & obedientia tolerata ab homine se Deũ prædicante, apertè indicat ipsum esse Deum: nam alioqui si falsus Propheta fuisset, & purus homo, impatienter egisset, & irritatus ipse alios verbis irritasset, & à charitate quæ non irritatur, defecisset; & tamen Centurio dixit: *Verè Filius Dei erat iste.* Hinc Dominus sæpè crucem suam exaltationem vocauit.

Matth. 27.

Ambr. li. 5 de Fide. c. 2 post med. tom. 2.

Quomodo à Patre clarificari filius petat, cùm ipse sit lumen æternum & immensum.

Chry. ho. 79. in Ioan.

Euthym. c. 17 in Ioan.

II. ratio.

Ioan. 17.

Luc. 22.

Matth. 27.

II. ratio.

1. Cor. 13.

V. ratio.

Prætereà in cruce fuit meritum proximæ claritatis per resurrectionem, & victoriam, de peccato, morte, inferno, Satana, & Patribus, quos è Limbo eduxit, partam. Etsi enim anima Christi ab instanti viderit Deum per lumen gloriæ, vt appareret gloriosus, & quasi vnigenitus à Patre, in resurrectione tamen habuit claritatem, & gloriam corporis, & in ascensione, in qua nube lucida exceptus est, mansionemque in cœlo obtinuit. Ad extremum, glorificari petit in omnium Iudæorũ, & Gentium cordibus, vt quibus ambulantibus in regione vmbræ mortis cruci suffixus videor, scandalum, & stultitia, vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis, leprosus, & percussus à Deo, & humiliatus, agnoscat deinceps vt verus Messias, legatus Dei, Filius eius vnigenitus, Deoque per omnia ęqualis, & consubstantialis: Dei virtus, atque sapientia, & electorum benedictio ex mea erga mundũ charitate, & ex obedientia erga Patrem esse intelligat, assumens pœnas tales, & supplicium, nempè crucis omnium horrẽdum atque ignominiosum, seruisq; tantùm debitum: fiatq; illis crucis tormentum meæ scutum, protegens, sceptrum regium, dulcis consolatio, ingensque gloria, de qua nõ solùm non erubescant, sed in illa seriò, & scienter glorientur, ac proinde me cordibus suis, vocibus, operibus, atque imitatione mortis glorificent, quemadmodum nonnulli ex Apostolis fecerunt, vnde & Andreas instante morte sua mira de cruce sua amabili, & amplectenda philosophatus est. Atque ita clarificari nihil est aliud, quàm detegi, & toti mundo cum laude, & gloria virtutes Filij Dei euulgari, quod proprium est Filij Dei naturalis, qui natiuitate, non creatione filius est, vt Arrius dogmatizabat; proprietate, & non nuncupatione, vt Sabellius, qui vnum & eundem esse asserebat, qui modò Pater, modò Filius, modò Spiritus sanctus diceretur; origine, nõ adoptione, vt impius Nestorius, qui Christũ dicebat Filium adoptiuum : & hypostasi humana constare. Vt autem mundus has Christi claritates agnosceret, dandus erat Spiritus sanctus, qui in cordibus hominũ Christum clarificaret, & Apostolorũ prædicatione, atq; signis illustraret. Has omnes claritates, siue excellentias petebat Filius Dei his verbis: quæ etsi iure sibi cõpeterent, & à Patre sibi essent reddendæ, idq; ipse non ignoraret, eas tamen vt homo petere voluit, vt nos etiam exemplo suo discamus petere, quæ nobis Deus ab æterno per prædestinationem dare decreuit.

Ioan. 1.

Act. 1.

V. & vltimà.

Esai. 9. & Matth. 4.

1 Cor. 1.

Psalm. 21.

Esai. 53.

1. Cor. 1.

Crucis virt^s.

Filius Dei clarificari, quid sit, contra Arrium, Sabelliũ atq; Nestorium.

Multiplicem Christi claritatem vnde mundus habebat agnoscere.

Christus à Patre petẽs clarificari, quid doceat nos.

Vt Filius tuus clarificet te. Quomodo potuerit Pater semper clarus clarificari, aut quomodo à Christo Filio suo potuerit infinita gloria glorificari, dubium est. Respondemus tamen, quòd etsi Dei claritas siue gloria, nec auferri possit, nec minui, extensione tamen in cordibus omnium fide-

fidelium augeri poterat: nam cùm olim notus esset in Iudæa Deus, & in Israel magnū nomen eius; nunc tñ nō in sola tantùm Iudæa, sed etiam in vniuersis Gentilibus per totum orbem cognitus est Deus per Christum. Deinde dignitas & gloria Filij Dei nihil est aliud, quàm laus, & gloria Patris: vnde cognito Christo, tanquàm vero Dei Filio, Pater ipse notus redditur, & illustris. Credentes enim in Christum Filium Dei, ac mediatorem, credunt & in Patrem, eiusque eximiam charitatem, & ineffabilem glorificant, qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: non solùm illam non impediens, sed etiam Filio præscribens vt illatā sibi mortem spontè, ac patienter perferat. Perpende autem quàm aptè clarificationē propriam petierit ad glorificandum per illam Patrem, ne propter se expetere videatur gloriam: quare Græcè dicitur: *Vt & Filius tuus*: quia per gloriam Filij erat glorificandus Pater, vtpotè autor gloriæ eius, & consors. Adhæc ne fortè Arrius Filium à Patre petentem clarificari, Patre minorem existimare valeat, rectè subiugit: *Vt Filius tuus clarificet te*, vt per omnia inter Patrem & Filium æqualitatem esse intelligas: vt rectè annotauit Bernar. in Cantica. Exemplo quoque Christi nos hic claritatē nostram, tùm hic, tùm in futuro seculo expetere debemus, non quidem propter nos ipsos, ita vt in nobis sistat, sed vt, q̄ debemus præstare valeamus, & Patrem glorificemus: aliàs nobis tenuis claritas cōtingeret, si pro nobis daretur tantùm: sed magna sit oportet, quæ digna sit, vt Deum clarificare valeat. Dices; Igitur nobis gloriam petere licet? Quidni petamus? non enim ipse nostri indiget. Num propter nos clarificari ipse opus habet? Quare propter nos maximè petimus, quod propter Deū petimus: quoniam nō ipse, sed nos indigemus ipsius claritate, & in hoc Iesum imitamur, qui nō propter se, nec propter Patrem suum claritatem suam postulat, sed propter nos: *Vt Filius tuus*, inquit, *clarificet te*. Id est, non peto ego, gloriam mei hominis in me sistere, sed reflecti in gloriam tuam. Ideo in oratione Dominica primùm petimus: *Sanctificetur nomen tuum*, & Dauid: *Ne quando dicant Gentes, vbi est Deus eorum.*

Psal.7. — *II. ratio.* — *Rom.8.* — *Bern. ser. 79. in Cant. paulò ante mediū.* — Quatenus claritatē nostram, & nos tam in hoc, quā in futuro seculo expetere debeamus. — Quid est: Vt Filius tuus clarificet te. — *Matth.6.* *Psal.113.*

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Per Synecdochen hoc loco caro ponitur pro toto homine, iuxta illud: *Videbit omnis caro salutare Dei*, &; *Ad te omnis caro veniet*. Rursus alibi ait: *In Deo speraui: non timebo quid faciat mihi caro*. Deinde aduerte rectam precandi rationem. Nam qui noua Dei dona orando vult impetrare, de acceptis beneficijs debet prius agere gratias: nam dignus non est accipiendis donis, qui ingratus existit de acceptis. Vnde Paulus in principio epistolarum semper gratias agit DEO de beneficijs in illos populos collatis ad quos scribit: & veteres olim Patres in precibus suis priora beneficia, quæ acceperant, percensebant, & coram Deo profitebantur. Tertiò perpende: Cùm Christus sibi datam potestatem asserit omnis carnis, tanquàm homo loquitur, cuius est & orare. Ita aliàs dixit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; &, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; &, *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Quartò aduerte, duo esse quæ hanc clausulam obscuram reddunt. Alterum est, coniunctio illa, *Sicut*, de qua nō satis constat ad quid referatur; alterum est, quod illud: *Vt omne quod dedisti ei*, variè exponitur. Nam quidā pro electis, & prædestinatis accipiunt. Vnde Euthymius, & Santes Pagninus alio modo vertit, nempè; Vt quotquot dedisti eis, det eis vitam æternā. Alij verò pro diuinitate, & gratia multiplici, siue etiam pro humanitate exponunt: vnde plures sensus elici possunt. Primus sensus sit Euthymij, qui asserit, *Sicut*, accipi pro, quia: vnde Græcè non habetur ὡς, sed καθὼς, id est, iuxta quod, vel ea ratione qua. Et ita sensus erit apertus, & sine vlla comparatione, nempè; Pater glorifica Filium tuum, quia ex beneplacito tuo dedisti ei potestatem omnium gentium, ad hoc vt det eis vitam æternam, & glorificetur ab eis, sicut scriptum est: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Vt quotquot dedisti ei, scilicet per fidem, & Sacramentum esse filios, membra, & fratres, quātum in se est, det illis vitam æternam. Nam licèt illorum quidam non permanserint in fide, id illorum culpa est, non Christi: omnes ergo dedit Pater, neminem perdidit, sed filius perditionis se ipsum suo vitio perdidit. Ad hunc modum Euthymius hunc locum absoluit. Et quod ait: *Vt omne quod dedisti ei*, volunt quidam esse Hebraismum, vt sit sensus; Omnibus quos dedisti ei, det eis vitam æternam. Vt illud: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Nam ille loquendi modus, cùm Latinis, & Græcis infrequens sit, ad Hebræorum idiotismum videtur referendus.

Quid itē: Sicut dedisti ei potestatē omnis carnis, more Hebr. — *Esai 40. & Luc.3.* *Psal.64.* *Psal 55.* — Recta precandi ratio à Christo tradita. — *Matt.11.* *Infrà 28.* *Ioan 5.* — *Euthy. vbi suprà.* *Santes Pagninus.* — In Christi verbis, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, plures sensus accommodantur. — I. sensus. — *Psal.2.* — *Matth.12.*

Secundus sensus est: Pater, clarifica Filiū tuū, vt Filius tuus te clarificet. Quòd autē clarificari velis, inde patet, quod dedisti

II. sensus.

disti Filio potestatem omnis carnis, id est, potestatem in omnem carnem: vt omne quod dedisti ei, videlicet omni carni, siue omni homini, id est, corpus, & animā (nā illis duabus partibus constat omnis homo) det illi vitam æternam, quæ est, vt cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et ad hunc sensum referri potest quod alij dicunt: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: id est, non restrinxisti eum ad Iudæos tantùm, sed & omnium Gentium potestatem ei dedisti. Alioqui nō erat opus, vt Filius glorificaretur, si Pater inter Iudæos tantùm erat glorificandus: quia notus erat in Iudæa Deus, & in Israel magnū nomen eius: at Iesus per se, & Apostolos toti mundo sui Patris notitiam communicare voluit. Sicut autem Dauid ius Imperij in populum Dei accepit ab ea die qua in Regem vnctus fuit à Samuele, suam tamen potestatem nō ostendit, nec ea vsus est nisi post mortem Saulis, & cùm primùm à tribu Iuda, & reliquis tribubus acceptus est in Regem: ita Christus etsi ab initio suæ incarnationis potestatem accepit ad saluandum homines, illā tamen non ante exeruit, quàm cum sua prædicatione & signis quosdam ad se cœpit trahere, & perfectiùs cùm iam in cœlos receptus per Spiritum sanctum à se missum totum ad se traxit mundum.

Psalm. 75.
1. Reg. 16.
Act. 1.
Infrà 2.

III. sensus.

Tertius sensus est: Sicut dedisti ei potestatem remittendi omnia peccata, & redimendi omnem carnem, iudicium faciēdi, signa operandi, mortuos suscitandi, in quibus Pater glorificauit Filium, ita etiam des potestatem glorificandi, & dandi ei vitam æternam, vt sic cùm glorificatus fuero, filios electos, & fideles meos omnes (quos neutro genere comprehendit, vt Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*, vt generalior esset sermo, & comprehenderet omnes) quos ante secula per prædestinationem, & in tempore per vocationem dedisti mihi, participes gloriæ meæ efficiam, eisq; donem vitam æternam, quā donare non possum priusquàm sim glorificatus, cùm ego debeam esse primitię dormientium, Primogenitus mortuorum, mihique filiationis iure competat, vt prior ascendam pādens iter ante eos: Data autem vita æterna electis meis, in eis ego Patrem glorificabo.

Matth. 9.
Ioan. 5.
1. Cor 15.
Coloss. 1. &
Apocal. 1.
Michæ. 2.

IV. ac postremus sensus. Pater Filio, vel De^us Christo quid dederit
Hila lib. 8. de Trin. sub fin.

Postremus sensus est: Quæris, quid est quod Pater dedit Filio, vel Deus Christo? Diximus, electos: dedit etiam ei deitatem ab æterno, secundùm Hilarium; in tempore verò dedit humanitatem multiplici gratia ornatam, de quo Ioannes dixit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.* Vt scilicet Diuinitas Christi & humanitas, tum animis tum corporibus nostris dent vitam æternam, & ex plenitudine gratiarum eius omnes accipiamus, nam hic homo Iesus loquitur. Clarifica ergo me, quia aliàs homines nō me cognoscent, atq; ita non potero illis dare vitam æternam, quæ illis constat ex agnitione mei, per quē tantùm te cognoscere poterunt. Si ergo ostenderis, in me gratiam, & diuinitatem esse, clarificabis me, & per me te cognoscent, & sic vitam ęternam habebunt, qua sine, te glorificare in membris meis non possum. Nam si homines, quos Christo fratres, & membra dedisti, vitam æternam non habent, nō te clarificabunt: quia non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui viuimus, benedicimus Domino. Dixit autem. *Sic dedisti ei potestatem omnis carnis*, ne putent Apostoli nouitatem esse, & præter voluntatem Patris: quoniam missurus erat eos in Gentes ad prædicandum Euangelium, indicat sibi potestatem traditam omnis carnis. Per illud verò quod ait: *Det eis vitam æternam*, damnat Beguinarum errorem in Concilio Viennensi sub Clemente V. condemnatum, asserentium, omnem creaturam intellectualem naturaliter per se esse beatam: quod falsum est, & Scripturis contrarium. Nec esset aliàs in oratione à Deo illud petendum, si naturâ nobis inesset. Sed fœminæ illæ magis cordatæ fuissent, si relictis Scripturis fusum, & colum tractassent. Indicat etiā verbum illud, *Det*, gratia Dei comparari vitam æternā: quia merita à libero arbitrio, & gratia profecta, gratia quædam sunt, vt meritò dicatur donari gratia, & Apostolus asserat, Gratia Dei, vita æterna. Hanc precem nos quoq; Patri offerre debemus æterno, ac dicere: Pater, clarifica filium tuum in nobis, vt Filius tuus in nobis clarificatus per nos te clarificet, & det vitam æternam eis, quibus vis: nam vita æterna illis non continget; nisi tu, & Filius tuus clarificati fueritis, quia vita æterna est, vt tu cum Filio tuo cognoscaris. Et quia dici posset, velle se prius obedientiam nostram experiri; Respōdemus, Filius tuus perfecit opus, quod ei commisisti, manifestauitq; nomē tuum hominibus quos ei dedisti: fac modò, vt in illis Filius tuus inclarescat, quo per eos te clarificet apud alios homines, & simus omnes ad gloriam tuam. Post peccatum etiam admissum, possumus fundere precem talē: Pater, venit hora vitæ præsentis, in qua exaudias ad remissionem peccatorum: quia tem-

Ioan. 1.
Ibidem.
Psalm. 113.

Beguinarum error asserentium omnē creaturā intellectualem per se naturaliter esse beatam, excluditur.
Concil. Viennens. sub Clemente V.
Matth. 6.
Rom. 6.

Quamadmodum nos Deum Patrem orare debeamus exemplo Christi.

Nobis cū peccamus, eadē precatio vti conueniat.
Psal. 101.

tempus miserendi eius, quia venit tempus: Clarifica filium tuum adoptiuum, conferendo gratiæ tuæ splendorem, quia post baptismum, in quo eum ab omni culpa, & pœna purum illustraueras, suo vitio turpissime se maculauit, vt sic permundatus, & clarificatus illustret te apud homines, secundùm præceptum Filij tui vnigeniti dicentis: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est: cui cum Filio, & Spiritu sancto æterna reddenda est gloria, honor & imperium, in secula seculorum, Amen.

Matth. 5.

TRACTATVS LXXIV.

In illa verba: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, Ioan. 17.

AD huius tam altę, & celebris sententiæ intelligentiam, primùm dicemus, quorsum Christus illam protulerit, & quomodo præcedentibus cohæreat; Deinde quid sit vita, quidque vita æterna: Tertiò, an sit hic sermo de beatitudine, quæ est in via per fidem, an de visione per speciem, quæ seruatur in præmium in patria, an verò de vtraque, ita vt hanc, & illam complectatur; Quartò, an solus Deus Pater, ita sit verus Deus, vt excludātur Christus, & Spiritus sanctus. In promptu est ad primum respondere. Nam cùm dixisset Christus, à Patre sibi datam potestatem omnis carnis redimendæ, vt illi vitam æternam conferat; hæc autem in cognoscendo Patre Deo, & Christo consistat, fit vt Christus nō possit ducere homines ad vitam æternam, nisi in eis à Patre clarificatus, vt sic ipse in eisdem iam beatis Patrem clarificare valeat, dum agnoscitur fons, & origo diuinitatis, & ex insita sibi, atque innata bonitate nostræ salutis per Christū partæ autor; atq; ita omnes cogantur præclarè sentire de Patre, illumque laudibus celebrare, immortalesque gratias agere. Hæc igitur claritas cùm in Patre, aut Filio noua aliqua gloria non sit, sed existat in nobis, quibus subinde clarior fit Deus, cùm maiestatis eius capaciores nos in Deo efficimur: vt constare potest ex eo, quod claritas hæc à Deo petitur, propterea quòd hæc est vita æterna, exponendum est: id est, ad hoc datur vita æterna, vt cognoscāt te solum; Deum verum, &c.

Ad qd Christus dixerit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, &c.

Ad secundum: Etsi alijs in locis multa dixerimus, hic tamen pro ratione loci nōnihil est, aut repetendum, aut adiungendum dictis. Vita igitur, est actio vitalis prodiens ab habente in se principium se mouendi: vel, natura se agens ad motum: siue, vt alij volunt, est illud, quod in se habet principium motus, & operationis. Vt enim voluntas, & intellectus non tantùm facultates volendi, & intelligendi, sed etiam illarum facultatum actus significāt: ita etiam hoc nomen Vitæ. Quare etiam vulgaris est modus loquēdi: Quam vitam hic agit? id est, quod est eius exercitium, aut quā artem profitetur; Et dicimur alterius vitam videre; cùm eius studia, & actiones cernimus. Vita ergo largo modo sumpta, dicitur cuiusque rei viuentis essentia: propriè autem, actio cuiusque viuæ rei, vita eius est, vt ei essentiæ vita comparata, nomen mortis sortiri posse videatur. Hinc omnes operationes, ad quas agens suapte natura mouetur, opera vitæ dicuntur: vt sunt nutrire, augeri, generare, quæ competunt plantis; sentire, & moueri, quæ animantibus; ratiocinari, & velle, quæ hominibus, intelligere, quod Angelo, & Deo conuenit, in quo nobilissima & suprema vita sita est. Propriè igitur tantùm viuunt plantæ, animantes, homo, Angeli, Deus: quæcunque verò ab alijs mouentur tantùm, non dicuntur viua, sed mortuā. Per metaphoram tamen dicitur aqua viua, quæ se mouet, & cum suo principio cōiungitur; ita pecunia viua, quæ emolumentum parit; fides viua, quæ opera bona impellit, & inter homines, qui diligens est in operibus suis, viuus dicitur, sicut piger mortuus; & in medicina brachium paralytici dicitur mortuum, quòd motu sit destitutum suo, & pulsus motu carens, mortuus vocatur. Dicitur autem aliquid dupliciter viuere: aut quia habet opera vitæ in potentia, vt homo dormiens, qui etsi actu non mouetur omni suo motu, quo aptus est moueri, moueri tamen potest; aut quia actu vitales exercet actiones. Hinc somnus dicitur dimidium vitæ, & imago mortis, & dormientes similiores mortuis, quàm viuentibus sunt, viuunt tamen ipsi, quia nonnihil habent vegetantis. Est autem vita rationis, cùm actiones dirigit secundùm virtutem: vita intellectus, cùm contemplatur altissima, vt Deum primam causam. Sed si naturali tantùm luce quis vtatur, naturalem tantùm beatitudinem attingeret, si nihil aliud obstaret: sed ob miserias originale peccatum consecutas nemo talē perfectè assequi potest beatitudinē. Quòd si præter intellectū, fidem quoq; adiūgat; adhuc ad perfectā felicitatē peruc-

Quid sit vita, & quid æterna vita.

Voluntas, & intellect' denotant duo.

Vitam quis alterius videat, vt vulgò dicitur.

Opera quæ vitæ censentur.

Propriè quibus viuere conueniat, quibus impropriè.

Quot modis aliquid dicatur viuere.

Qualis somnus, atq; dormientes.

Vita rationis quænam sit.

Intellectus quomodo viuat.

Psalm 83.

Quonã Dei cognitio aliquo modo felicitas appellari possit.

peruenire non est dicendus, donec dono luminis gloriæ videatur Deus deorum in Sion. Quia lumen intellectus agentis non potest exhibere diuinam substantiam in se contentam nisi per species creatas: potest tamen cognitio Dei per fidem inchoata, quædam beatitudo, felicitasve censeri, secundùm illud: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*; &, *Beata quæ credidisti, &c.* Vita quoque quę in labore posita est, & eorum, qui potius patiuntur, quàm agant, vel misera dicitur vita, vel potiùs quædam mors, appellari potest: hinc damnati, qui perpetuò cruciãtur, dicuntur esse in morte perpetua. Et quia anima est principium vitæ; hinc Scriptura nõ distinguit inter animam actu animantem, & vitam. Vnde scribitur: *Defuncti sunt qui quærebant animam pueri*, id est, vitam; &, *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Adhæc cùm vita hominum secundùm rationem, & virtutem esse debeat; eorum vita, qui inutilia, aut turpia, hominisq; ratione prorsus indigna agunt, infelix vita dicitur: & interdum etiam mors. Vnde Comicus in Hecyra dixit de Phanio:

Ioan. 20. Luc. 1. In Scripturis anima idẽ ferè quod vita. Matt. 20. Ioan 10. Terent.

Vixit, dum vixit benè,

& Scriptura: *Nomen habes quòd viuas, & mortuus es*; &, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quare viuere hi maxime, qui præclariora opera agunt, censentur; & hi eò magis, quo eadem agunt diutiùs. Inter opera autem vitæ altius opus est intelligentiæ; & ideo actio intellectus maximè est vita: quæ soli Deo, Angelo, & homini maximè competit. At verò quia idem prorsus est iuxta Philosophos sentiens actu, & sensibile in actu, & intelligens actu, & res intellecta in actu, cùm intelligentia sit vita, & intelligere sit viuere, sequitur, quòd intelligere vitam æternam, sit viuere vitam æternam. Nam Deus res æterna est, quæ vt principium, ita nec finem nouit. Hinc Pater dicitur habere vitam in semetipso, & dedisse Filio habere vitam in semetipso: itaque Deus per se ipsum viuit, id est, materia non indiget, quam tractet, vt protrahat vitam, sicut homo indiget humido vitali ad producendam vitam. Adhæc Deus externa alterius potentia non indiget, vt de potentia eius vita deducatur ad actum: quare etsi nihil esset prorsus, ipse nihilominùs viueret; ita qui eum vident, viuunt in ipso vitam æternam. Nam quàm nunc motu cœlorum, id est, per secundas caussas vitam producunt, instabilis est: caussæ enim secundæ cùm irrequietis motibus moueantur, quod in aliquem deduxêre finem, in eo esse, & permanere non patiuntur, sed ad alium trahunt, qui interdum plus passionis habeat, quàm actionis, vt virtutum nunc alia potentior regnet, nũc altera oppressa seruiat, quoad etiam materiæ penitus immersa videatur. Quòd tamẽ non materia fit, sed vi alia, quæ materiæ illi imperet: at vbi ad Deum conuersa sunt ea, quæ Deus ipse vocauit, nullis cœlorum alijsque motibus agitantur, sed penitùs in actu sunt, non tam suo, quàm diuino, & quem cuiq; Deus pro qualitate gratiæ donat: qui & perpetuus est, & immutabilis, sicut & Deus, à quo conceditur, perpetuus est, & immortalis. Hæc est ergo vita æterna, & bonitate, & delectationum omnium affluentia, & perpetuitate huic mortali minimè comparanda. Hic enim etsi præclara quædam incipiens cogitare quisquam, atque præclaram agere vitam dici possit; paullò post tamen alia & alia incurrunt, & caro cœlorum motibus agitata, ab illa præclara vita eum reuocat ad curam carnit agendam per cibum, somnum, medicinam, & similia: ita vt omnis hic actus à contrarijs virtutibus subducatur, nisi Spiritu Dei bono, æterno, atque immortali præseruanti coniungatur. Ex quibus habes quid sit vita, & quid æterna vita.

Apocal 3. Matth 2. Viuere censendi qui maximè. Ioan. 5. Secundarum caussarum proprium.

Quænam felicitas sit, de qua dicitur: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum, &c. 1. opinio. Matth. 25.

Ad tertium præmittendum est, quosdam sensisse Iesum hîc loqui de futura felicitate in cœlo: quia illa est, quam in Symbolo credimus, & profitemur, dum dicimus: *Et vitam æternam, Amen.* Et Dominus: *Ibi hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* De hac etiam videtur esse sermo, quia dixerat: *Vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*: constat autem, eos, qui Christo dati sunt, per fidem datos esse, & propterea quod sequitur, Det eis vitam æternam, de æterna felicitate videtur esse sermo. Adhæc plena illa, & perfecta Dei veri, & Iesu Christi cognitio magis contingit in patria, quàm in vita: nam de illa dicitur: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et Dilectus: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* De hac verò vita dicituur: *Non videbit me homo, & viuet*; &, *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*; &, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Cùm igitur tam tenuis, ac obscura sit cognitio Dei per fidem in via hac, minus illi quadrat nomẽ vitæ æternæ, & magis illi vitæ competit cognitio, quæ erit sine speculo vllo in cœlesti patria.

Alterum eius argumentũ. Psalm. 16. 1. Ioan. 3. Exod. 33. 1. Cor. 13. Ibidem.

Quibus Patrum testimonijs confirmetur.

Hunc sensum confirmant multi Patres, & in primis Ambrosius libro de Officijs, ita dicens: *Scriptura diuina vitam beatam*

Ambr. lib. 2. de off. c. 2. to. 1

tam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Denique vtriusque assertionis Euangelicum suppetit testimonium. Nam & de scientia ita dicit Dominus Iesus. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum, verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et de operibus ita respondit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratrem, aut sorores, aut patrem, aut matrem &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et Augustinus frequenter hoc docet. Nam libro de Spiritu & litera, sic habet: *Iam verò cùm sinistri ierint in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam: quia hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium.* Idem libro de libero arbitrio: *Ipse quoque Dominus noster, & dictis, & factis ad credendum primò hortatus est, quos ad salutem vocauit. Sed postea cùm de ipso dono loqueretur quod erat daturus credentibus: Hæc est autem vita æterna, vt credant, sed, Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Idem lib. de Trinitate: *Hoc contemplabimur, cùm viuemus in æternum. Ita quippe ait: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hoc fiet cùm venerit Dominus, & illuminauerit occulta tenebrarum, cùm tenebra mortalitatis huius, corruptionisq; transierint.* Idem in Ioannem: *Porrò si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis viuere tendimus, quantò magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna, tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit. Summa Dei tunc clarificatio, quia summa gloria, quæ Græcè dicitur δόξα. Ibi erit Dei sine fine laudatio, vbi erit Dei plena cognitio, & quia plena cognitio, ideo summa clarificatio, vel glorificatio. Sed prius hic clarificatur Deus, dum annuntiatus hominibus innotescit, & per fidem credentium prædicatur.* Hæc ille de visione, & fide simul intelligens. Hilarius lib. 3. de Trinitate: *Sed in quo tandem æternitas vitæ est, ait ipse: Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quæ hic difficultatum quæstiones sunt, & quæ pugnæ verborum? Vita est verum Deum nosse.* Et paullò antè: *Clarificatur ergo,* inquit, *per Filium Pater, in eo quòd sit à nobis per Filium intelligendus. Claritas autem hæc erat, quod ab eo Filius potestatem omnis carnis acceperat. Caro enim factus ipse, vita æternitatem erat caducis, & corporeis, & mortalibus redditurus. Vita autem nostræ æternitas non operationis erat, sed virtutis effectus, cùm æternitatis gloriam non iam molitio noua, sed sola Dei esset cognitio sumptura.* Hactenùs ille, non obscurè indicās per cognitionem Dei consurgere beatam visionem, & æternam in cœlo. Idem etiam docent Scholastici omnes Doctores, qui ex huius sententiæ verbis asserunt, essentiam beatitudinis in Dei visione sitam esse, extrinsecam verò felicitatem in Humanitatis Christi aspectu consistere. Et inter eos beatus Thomas hoc loco ait: *Et ideo Dominus dicit, quòd in visione consistit vita æterna, scilicet principaliter secundum totam suam substantiam. Amor autè est mouens ad hanc, & quoddam eius complementum. Nam ex delectatione, quæ est in fruitione diuina, quam facit charitas, est complementum, & decor beatitudinis, sed eius substantia in visione consistit.* Sic ille. Adde, quod Aristot. lib. 10. Ethico. beatitudinem hominis naturali motus ratione in speculatione optimi speculabilis entis costituit. Quod autem hic locus de cognitione Dei per fidem sit exponendus, non desunt rationes, aut Patrum testimonia. Nam in primis de credente dicitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Rursus: *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me; vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam,* scilicet in præsenti, prout habetur per fidem. Et subdit de futuro loquens de æterna felicitate: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Adhæc vox ipsa cognitionis, & nō visionis, qua Dominus vtitur, fidem significat in alijs huius orationis locis: *Nunc,* inquit, *cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba mea quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.* Et Apostolus: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus:* Et, *Nunc cognosco ex parte.* Habet etiam hæc sententia plerosque, tum Græcos, tum Latinos Patres, inter quos Tertullianus libro de Trinitate ait: *Si homo,* inquit, *tantummodò Christus, quare credendi nobis talem regulam posuit, quo diceret: Hæc est autem vita æterna, vt sciant te vnum, & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum? Si noluisset se etiam Deum intelligi, cur addidit, Et quem misisti Iesum Christum; nisi quoniam & Deum accipi voluit: quoniam si se Deum nollet intelligi addidisset, & quem misisti hominem Iesum Christum.* Hilarius lib. 9. de Trinitate: *Si vita æterna est in Deum solum verum credidisse, sed non sine Christo, separato Christo à solo Deo verò in confessione solius Dei veri, vita æterna non capitur. Non intelligo quomodo nobis à Deo vero separandus ad fidem sit, qui non sit separabilis ad salutem.* Idem libro de Patris & Filij vnitate, eundem locum edisserens, ait: *Vita æterna fidem, vel loqui hæreticè disce, vel credere, & separa à Deo Christum, si potes à Patre Filium, à Deo vero super omnia Deum, à solo vnum: Vnus enim*

Matth. 19.

Aug. li. de Spirit. & lit. c. 33. tom 3.

Idem lib. 2 de lib. arb. c. 2. to. 1 à medio.

Idem lib. 1. de Trin. c. 8. post med. tom 3.

Idē tract. 105. in Ioan. sub initium, to. 9.

Hilar. li. 3. de Trin paulò ante med.

Quomodo clarificetur per Filium Pater.

B. Thom. lect. 1 in c. Ioan. 17 tom 14.

De hominis felicitate, Aristotelis opinio.

Altera opinio.

Ioan 3. Infra 6.

Ioan. 17.

1. Cor. 13. Ibidem.

Tertull. li. de Trin. multo post medium.

Hila. lib. 9 de Tri. aliquātò ante med. ii.

Idē lib de patris, & Filij vnitate, paulò ante med.

enim Dominus eſt Chriſtus Ieſus. Si vita æterna eſt in Deũ ſolum verũ credidiſſe, ſine Chriſto confitendum eſt ſolũ verum Deum ſalute non dediſſe. Hæc ille, cui adiungimus Cyrillum, qui hunc locum explanans, inquit: *Radicem atq; originem æternæ vitæ fidem, & veræ pietatis virtutem eſſe affirmat: veram autem pietatem illam eſſe aſſerimus, cui alieni, falſiq; cultus crimen inuri non poteſt.* Idem libro de Recta fide ad Reginas: *Si cum agnitione, inquit, ſolius & veri Dei iunctam eſſe neceſſe eſt & agnitionem Ieſu Chriſti, & vitam hoc æternam parit, quomodo nõ omnibus manifeſtũ eſt quod Deus verus eſt Chriſtus?* Euthymius quoque eadem verba explicans, ait: *Et verè vita æterna eſt Dei cognitio fide, ac operibus coniunctis. Nam fides, inquit, ſine operibus mortua eſt.* Idem quoque attulit Auguſtinus ſuperius allegatus in Ioannem.

Cyril. lib. 13. in Ioan. c. 16. tom. 1.

Vera pietas quæ ſit, ſecundùm Cyrillũ.

Idem lib. 1. de recta fide ad Regi. ex Euãgel. Ioan. 10. 1.

Euthym. c. 17. in Ioan.

Iacob. 2.

Aug. tract. 105. in Ioan.

Dicendum igitur ad propoſitum dubium eſt: Quando textus aliquis duplicem ſenſum capere poteſt, & vterque eſt Catholicus, minimeque ſibi contradicens, neuter eſt repellendus, iuxta regulam aſſignatam à beato Auguſtino libro de Geneſi ad literã. Et Caietanus hoc loco aſſerit Chriſtum nõ vſum hoc loco voce reſtricta ad viſionem, vel ad fidem, ſed vt communis ad vtramque: vnde & Auguſtinus vtrunque ſenſum agnouit, vt ex citatis locis apparet, & ita Patres qui diſſidere videntur, facilè per hunc ſenſum, qui neutram expoſitionem excludit, conciliari poſſunt.

Vtilis canon B. Aug. ad intelligentiam Scripturarũ.

Idem li. 12. ſuper Geneſ. ad literam, to. 3.

Caietanus.

Eſt ergo hic germanus ſenſus: Vita æterna, qua ego cupio donare meos electos, in hoc conſiſtit, vt modò per fidem quaſi per ſpeculum in ænigmate, at poſt hanc vitam per viſionem claram perfectè cognoſcant te, qui ſolus verus eſt, extra quem non eſt alius: ſimul quoque cognoſcant me Filium tibi conſubſtantialem, quem in tempore miſiſti in mundum ad operandum ſalutem humani generis, quem congrua appellatione nominari voluiſti Ieſum Chriſtum. Fides enim perfecta non eſt, niſi Diuinitas ſimul, & Humanitas in Chriſto mundi Seruatore credantur. Vita etiam æterna hic inchoatur per fidem charitate formatam; ſed perficitur per eam, quæ eſt in cœleſti patria, viſionem. Quæ quò magis explicentur, perpendendum eſt, vitam ſanctam iuſtorum hic degentium, vitam æternam dici, quia facit vt actiones omnes virium noſtrarum ſecundùm notitiam Dei, & Chriſti, formamq; mandatorum eius ab ipſo præſcriptam benè ſint conſtitutæ, atque diſpoſitæ. Diciturq; vita æterna, quia talis vita ex Deo nata eſt, quæ autẽ ex Deo ſunt, æterna ſunt. Deinde quia Spiritus ſanctus cor noſtrum inhabitãs, principium eſt huius vitæ. Tertiò, quia prima eius proprietas eſt virtus (nam quantum quiſq; de vera virtute habet, tantùm & de vera beatitudine: hinc Chriſtus ſingulis virtutibus ſingulas beatitudines adſcripſit) at virtus ſua natura eſt inſuperabilis, aliàs non eſſet virtus, & ideo dicitur æterna. In cœlo verò adſunt aliæ rationes æternitatis, vt lumen gloriæ, viſio, conſummatio virtutum, perfecta vnio cum Deo, beatitudo; quę eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, qui dotes etiã corporis glorioſi includit. Iuſtus igitur vitã temporalem, quã accepit à progenitoribus ſuis, viuit, & ideo dicitur Filius hominis: degit etiam vitam æternam, quam accepit à Deo Patre luminum, & dicitur Filius Dei, & hæc vita inchoatur per gratiam, perficitur per gloriã.

Verus ſenſus & germanus eius ſententiæ: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant, &c.

1 Cor. 13.

1 Reg. 2.

Vita ſancta iuſtorum vita æterna cur dicatur.

II. ratio.

III. ratio.

Matth. 5.

Proprium virtutis.

Beatitudo quid.

Quare iuſtus filius hominis appelletur, & Filius Dei.

Iacob. 1.

Eſt igitur triplex vita; Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ. Vitam naturæ, viuunt omnes homines cuiuſcunq; ſectæ: Vitam gratiæ, ſoli pij & iuſti: Vitam glorię, ſoli ſancti qui peruenerunt ad patriam. Ad primam vitam generamur, dum ex vtero matris in lucem edimur: ad ſecundam, dum ex vtero Eccleſiæ per fontem baptiſmatis renaſcimur: ad tertiam, dum de hoc mundo per mortem tranſimus ad patriam. Vitam primam deformauit peccatum originale: Secunda verò priorem; & vtramque reformat tertia. Qui primam vitam degunt, mori debent, iuxta illud: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori:* qui ſecundam, viuere poſſunt in ęternum, ſecundùm illud: *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Et, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*, id eſt, in æternũ: Qui verò tertiam degunt, mori nequaquam poſſunt, quia abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum: & mors vltra non erit, neq; luctus, neque clamor.

Triplex vita quænam illa, quibusque conueniat.

Hebr. 9.

Ioan. 8.

Suprà 6.

Apocal. 21.

Obijcies; Quamdiu ſic vita corporalis eſt ſubiecta pugnæ quatuor qualitatum, & morbis, æterna dici nõ poteſt, aut immortalis, quia illa habet certiſſima mortis indicia; ita nec vita ſpiritualis pij hominis dici æterna poteſt, quia pugnam habet, & illam quidem continuam, ac moleſtam valdè. Nam caro concupiſcit aduerſus Spiritum; Spiritus autem aduerſus carnem; Et, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, & Dominus dixit diſcipulis paullò antè: *In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.* Si ergo pugna eſt, & in ea plerique à Fide & à gratia Dei excidunt, quomodò æterna eſt? Deinde nullum violentum perpetuum eſſe poteſt: debet autem homo iuſtus, vt vitam iuſtam tueatur, ſuæ naturæ, & affectibus vim inferre, ſecundùm illud:

Iuſtorũ præſens hæc vita æterna quomodo nominetur.

Galat. 5.

Iob 7.

Ioan. 16.

Nihil violentũ perpetuũ.

Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Respondemus, immortale, vel æternum dupliciter accipi posse. Primò, vt perinde sit, ac potens non mori, siue valens non deficere: & hac ratione immortalis fuit Adam in statu innocentiæ, iuxta vtramque vitam, tam corpoream, quàm spiritualem: poterat enim gratiam, & iustitiã originalem, in qua erat conditus, nõ amittere, & illam non perdendo, poterat mortem corporis euadere.

Immortale vel æternum quid dicitur dupliciter.

Alio modo sumitur æternum, aut immortale pro eo, quod non potest mori; & sic sũt immortales Christus, & omnes sancti cum eo suscitandi, quia aut in anima, aut in corpore mori, aut deficere non poterunt. Vnde de Christo dicitur: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur.* *Rom. 6.* Et sic vita æterna est sanctorum suscitandorum; cum Christo triumphãtium. Vita ergo iustorum in hoc mundo æterna est primo modo, qua possũt per gratiam adoptionis, qua viuunt Deo, nunquam deficere. Et licèt contingat vinci quandoque, hoc non est ex parte vitę ęternæ, quasi illa sit mortalis, sed aliunde ob voluntatem humanam, necdum in bono confirmatam. Vt enim homo duabus partibus constat, anima, & corpore, quarum anima in se vitam essentialiter possidet, corpus verò non nisi per accidens, & participatione eius vitæ, quam accipit ab anima: hæc autem animæ, & corporis compositio separabilis est, quamdiu corpus est contrarijs actionibus obnoxium: quibus dum efficitur, vt animæ domicilium sit minus idoneum, migrat anima ex corpore, & ex hac parte contingit hominem mori, non obstante quòd anima, eiusque vires sint in se immortales atque æternæ: at dum corpus hoc induet incorruptionem, non continget amplius separatio, vel mors: *1. Cor. 15.* ita homo iustus vitam degens spiritualem in Deo, vt talis est, conficitur velut ex duobus, nempè dono gratiæ, quam infundit Spiritus sanctus, & mente nostra fide illuminata, & affectu spontaneo ad obtemperandum diuinæ legi: & in illo quidem dono vita per se, siue essentialiter consistit; in istis verò nonnisi per accidens, eo quòd voluntas hominis ob libertatem arbitrij non necessariò præstat obedientiam, qua sublata non manet vltrà aptum domicilium Spiritus sancti viuificantis, sed subtrahit se Spiritus Domini cum donis suis: atque hac ratione contingit hominem iustum per peccata mori, non obstante quòd vita gratiæ qua viuebat, esset immortalis, æterna, & inseparabilis. At cùm

Vita iustorũ in hoc mundo vt sit æterna.

Hominem iustum efficiunt duo.

Quia ratione homo iustus mori possit.

fuerit per donum gloriæ, atque visionem beatam in bono confirmata, tunc fiet sermo, qui scriptus est: *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors, victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* *Osee 13. 1. Cor. 15.* Tunc enim vtraq; vita, & corporis, & spiritus, erit æterna, & immortalis, hostibus, & rebellione omni libera. Interim tamen in manu iusti gratia Dei adiuti positum est viuere in æternum. *Omnia,* inquit Apostolus, *possum in eo qui me confortat;* *Philip. 4.* Et: *Omnia possibilia sunt credenti:* *Marc. 9.* & Dilectus: *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* *1. Ioan. 5.* Permittit autem interim Deus carnis rebellionem, dæmonum impugnationem, mundi terrores, sudores, mortemque corporis: tùm quia sic imitamur Christum: tùm quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit; *2. Cor. 2.* tum quia respectu æterni præmij non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, *Rom. 8.* & mora sub pressuris non appellatur nisi vna hora, imò momentum, æternitatis comparatione, iuxta illud: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* *2. Cor. 4.* Ideò Scriptura sanctos corpore hinc migrantes, non vocat mortuos, sed dormientes. Vnde Stephanus obdormiuit in Domino, *Act. 7.* & Apostolus: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* *1. Thess. 4.* & liber Machabæorum: *Qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habebant repositam gloriam;* *2. Machab. 12.* eo quòd mors illorum similior sit dormitioni, quàm morti, tùm ob temporis breuitatem, quia mors ad æternitatem cõparata, momentanea est; tùm propter certam quæ speratur resurrectionem. Vita etiam æterna primùm est in Deo Patre, & Filio, vt dicitur apud Ioannem: *Et hoc est testimoniũ, quoniam vitã æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio eius est. Qui habet filium Dei, habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam nõ habet,* *1. Ioan. 5.* scilicet æternam, qua de sermo erat. Dicitur enim Christus vita, & vita æterna. *Ioan. 1. 1. Ioan. 1. & 5.* Et hactenùs de tertio sit dictum.

Contra multis malis, & miserijs obnoxia sit præsens vita iustorum.

Scriptura sanctos hinc migrantes cur vocet dormientes.

Ad quartum, dicendum est: Arrianos ex hoc loco ansam confirmandi errorem suum captasse, dicentes Christum non esse verum Deum: quia Christus cum solo vero Deo loquens, & ab illo se distinguens, dixit: *Vt cognoscant te solum, verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum:* Eadem ratione excludunt Spiritum sanctum à Diuinitate, quia eius nulla sit mentio. Respondendum est, eiusmodi argumenta debilia esse, & infirma, à sanctisque, qui antè nos floruerunt,

Quo sensu Deus Pater vnus Deus à Spiritu sancto nominetur.

I. solutio contra Arrianos Christi atq; Spiritus san-

& Diuinitatem negantes. ruerunt, profligata. Primum igitur argumentum soluitur multipliciter. Primò, vt dicamus per eiusmodi particulas, solus, & vnus, verus Deus. Et, *Extra me non est alius,* (*Deut. 32.*) (scilicet Deus) nequaquam excludi à Diuinitate vllam personam Diuinam, sed tantùm falsos Deos: quam doctrinam à Patribus accepimus.

Patrum testimonia. Nam inprimis Gregorius Nazianzenus (*Greg. Naziã. li. 5. Theolog. circa med.*) lib. 4. Theologiæ ait: *Si enim hoc, solum verum in Patre colloces, vbi tùm pones ipsam veritatem? Nam si soli sapienti Deo, aut soli habenti immortalitatem, lucem inaccessam habitanti, aut seculorũ incorruptibili, inuisibili, & soli sapienti Deo:* (*1. Tim. 6.*) *Hæc inquam, sic intelligas: nõ abibit quin ad mortem condemnatus Filius, aut tenebræ, aut non sapiens sit, tùm neq; Rex, neq; inuisibilis, denique, quod est dictorum omnium caput, neque Deus. Quomodo autem non & bonitatem, quæ vel maximè solius Dei est, vnà cum alijs perdet? Sanè mea est opinio, illud: Cognoscant te solum, verum Deum, ad eos, qui cùm dij dicantur, tamen non sunt, tollendos valere. Alioqui si Christo ex aduerso responderit, & non potius communiter de deitate diceretur, adiectum non esset, Et quem misisti Iesum Christum.*

Basilius epistola ad Cæsarianos: (*Basil ep. 141. ante mediũ, tom. vlt.*) *Tale,* inquit, *& quod dixit: Vt cognoscant te solum, verũ Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et illud:* (*Ioan. 14.*) *Creditis in Deum, & in me credite: vbique mentes nostras confirmat Spiritus sanctus, vt nedum alteri acquiescimus, ab altero excidamus: hoc est, nedum Theologiæ attendimus, dispensationem Christi contemnamus, & fiat, vt dum sublimitatem Diuinæ naturæ assequi nequimus, incidamus in impietatem.*

Idem docet Chrysostomus in Ioannem: (*Chrys. hom. 79. in Ioan. tom. 3.*) *Solum verum Deum, ad eorum, qui dij non sunt, differentiam, inquit. Ad Gentes namq; mittendi erant. Quod si non tolerarent, sed propter hoc tãtum Filium verum esse negarent, ex hoc etiam Deum tollerent. Inquit enim: Gloriam à solo Deo* (*Ioan 5.*) *non quæritis. Quid ergo? Non erit Deus Filius? Quidni? Si Deus, & solius Patris dicentis, constat etiam, & verum esse, & eius, qui solus Deus vocatur.* (*Deut. 32.*) *Quid cùm dicit Paulus: An solus ego, & Barnabas?* (*1. Cor. 9.*) *An Barnabam tollit? Minimè, solus enim ad aliorum ponit differentiam. Quod si non verus est Deus, quomodo veritas? Multum enim à vero veritas differt. Non verum hominem quid esse dicemus? Nonne non hominem? Sic si verus Deus non est Filius, quomodo erit Deus? Quomodo nos Deos facit, & filios, nisi sit verus?*

Idem docet Cyrillus libro Thesaurorũ, (*Cyril. lib. 10. Thesaur. c. 6. tom. 2.*) dicens: *Quod vt apertius intelligatur, ponamus* (*Duo exempla Cyrilli.*) *nonnullos errore impulsos, hominis, aut bruti animalis cuiusdam statuam erexisse, quam credant lucis esse originem, quamq; lucis nomine appellẽt. Adhæc fingamus, Solem ad huiusmodi homines magna voce clamasse: Erratis nimium omnes vos, ego enim solus sum lux, nec alia est præter me. An igitur his verbis splendorem Solis, & Lunæ, non esse lucem putabitis? Vel aduersus falsam lucẽ illa verba Solis dicta interpretabimini? Hoc exemplum profectò facietis. Quare cùm à Patre quoque dicitur: Ego solus sum Deus, nec est alius præter me: falsos Deos, non Filium extrudi, firma fide credendum est.* (*Deut. 32.*) *Quod ergo dicitur: Vt cognoscant te solum, verum Deum, aduersus falsos Gentilium Deos accipiendum est.*

Euthymius, atque Theophylactus idem hoc loco docent. (*Euthym. c. 1[illegible] in Ioan. Theoph. ibid. Athan. ser. 4 non longè à princ.*) Sed antè omnes Athanasius sermone contra Arrianos: *Quapropter, inquit, cùm Pater solus Deus, & verus appellatur, non ad exautorizationem eius appellatur, qui dicit: Ego sum veritas, sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt,* (*Ioan. 14.*) *qualis est Pater, & Patris Verbum, neque veri dij sunt. Ita enim illi in more est, in mentione alterutrius se cum Patre coniungere: quale est, cùm dicit: Et quem misisti Iesum Christum, qui si creatura esset, non ita coaptasset se, aut connumerasset cum suo Creatore. Quæ enim communio, aut societas vero, & non vero? Nunc autem qui se coaptat Patri, ostendit se naturæ Patris esse, deditq; nobis, vt illum cognosceremus esse veri Dei verum germen.* (*Exemplum Athanasij.*) *Id ipsum quoque in epistola sua disertè expressit: Et sumus in vero Filio eius Iesu Christo, hic est ille verus Deus, & vita æterna, &c.* (*1. Ioan. 5.*) Hæc ille.

Hæc etiam ratione confirmantur. Vt enim ait Paulus: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo; & vnus Dominus, Iesus Christus,* & reliqua. (*1 Cor. 8.*) minimè à Domino Pater excluditur: ita cùm Pater vocatur solus Deus, Filius à consortio Deitatis non expellitur, alioqui quia à Baruch manifestè de Christo dicitur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum,* (*Baruch 3.*) de quo statim subiunxit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est,* deberet Pater à diuinitate expelli: quod falsum est. Ita de Filio, & Spiritu sancto dicendum: quia non excluduntur, sed includuntur, quia vnus, & solus Deus cum Patre sunt, à quo procedunt. Hinc Hilarius lib. de Patris, & Filij vnitate, propè medium, inquit: (*Hilarius.*) *Quod si vnus Deus Pater Christo non adimit vt vnus sit Dominus: ita solus Deus Pater verus Christo Iesu non aufert vt Deus verus sit, cùm ad vitæ æternæ meritum hoc proficiat, vt cùm credatur solus Deus verus, credatur & Christus.* Hæc ille, rectè colligens ex hoc, quòd fidei in Christum tribuitur vita æterna, Christum verum Deum esse. Idem etiam probari posset ex cantione illa Ecclesiæ: (*Verba Ecclesiæ pro ea[dem] sententia.*) *Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altißimus, Iesu Christe,* quia hæc non propterea negantur Patri, & Spiritu sancto,

ſancto, maximè cùm ſequatur in dicta cantione, *Ieſu Chriſte, cum ſancto Spiritu in gloria Dei Patris, Amen*. Hinc Eccleſia Catholica in Symbolo Nicæno iſtas argutias Hæreticorum refellens, ait: *Deum de Deo, lumẽ de lumine, Deum verum de Deo vero.*

Symb. Nicæn.

II. Solutio.

Secunda ſolutio eſt: vt dicatur Pater ſolus Deus, quia ab alio nõ habet originem, vt Filius, & Spiritus ſanctus, qui à Patre procedunt, & non ſunt exemplar, ſed exẽplum, & imago veri Dei; vt verus non dicatur de Patre, ad excludendam deitatem Patris, & Filij, ſed ad denotandum ordinem: vt ſi quis retento exemplo vocis & Echo, dicat: Quæ harum eſt vera vox? Id eſt, Quæ eſt prima, & cauſſa alterius? Quia vtraque eſt vox. Ita Ambroſius lib. 3. de Fide, cap. 2. videtur exponere, dicendo: *Non ſunt fragilia comparanda Diuinis. Vna ſola ſubſtantia Diuinitatis, quæ mori neſcit. Vnde & Apoſtolus cùm ſciret animam, & Angelos immortales, quòd ſolus Deus immortalitatem habeat, prædicauit. Nam & anima moritur. Anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur. Nec Angelus immortalis eſt naturaliter, cuius immortalitas in voluntate eſt Creatoris.* Hæc ille, eleganter profectò, qui etiam libro 5. de Fide, cap. 2. pertractans hunc locum, quem præ manibus habemus, ait: *Coniunctione illa Patrem vtique copulauit, & Filium, vt Chriſtum verum Deum à maieſtate Patris nemo ſecernat. Nunquam enim coniunctio ſeparat, & ideo dicendo, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: & Sabellianos interfecit & Iudæos excluſit, eos vtiq; qui audirent loquentem: ne aut illi eundem Patrem putarent eſſe quẽ Filium, ſi non addidiſſet, & Chriſtum: aut iſti à Patre Filium ſepararent.* Sic ille.

Exemplum.

Ambr. tom. 2

1. Tim. 6.
Ezech. 18.

Idem.

III. Solutio.
Idem ibidem.
Aug. trac. 105 in Ioan. to. 9.

Tertia ſolutio eſt B. Ambroſij, atque Auguſtini in Ioannem: qui dicunt, ordinẽ eſſe verborum: Vt te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, cognoſcant ſolum verũ Deum. Ambroſius enim poſt vltimo loco verba citata: *Quæro autem*, inquit, *cur non ſic putem ſubaudiendum, & ex ſuperioribus colligendum, vt quod præmiſit, ſolum verũ Deum Patrem, ſubaudiamus & iam Ieſum Chriſtum ſolum verum Deum? Exprimendum enim alterum non fuit, ne duos Deos dicere videretur.* Hæc ille, cuius ſolutio ſolida videtur. Ad illud verò argumentum, quod de Spiritu ſancto propoſuimus hoc loco ſilentio ſuppreſſo, dicendum eſt, negatum non eſſe quod in hoc loco ſupprimitur: quia ſatis in alijs locis eſt affirmatum, & vel ratio ipſa docet, in Patre, & Filio ſupplendum Spiritum ſanctũ, tanquam amborum charitatem cõſubſtantialẽ, ac vinculum. Quemadmodum cùm dicimus: Hoc ego ſolus, & tu nouimus, nõ excluditur aut tuus, aut meus Spiritus, ſed maximè includitur: quia ille eſt, qui ſcrutatur omnia, quæ hominis ſunt, ſi humanus eſt, vel profunda Dei, ſi Diuinus. Et certus canon ex doctrina veterum Patrum acceptus, cõmodus eſt ad huiuſmodi locutiones Scripturæ intelligendas atque explicãdas. Dictiones excludentes, ſiue excipientes adiunctæ vni, vel duabus perſonis diuinis, reſpectu eorum quę eſſentialia ſunt (vt ſunt eſſe Deum, eſſe immortalem, eſſe ſapientem, eſſe omnipotentem, & creatorẽ, eſſe inuiſibilem, eſſe Regem ſeculorum, omnia noſſe, & ſimilia) tantummodò excludere ab eo, quod eſt aliud, & diuerſum: hoc eſt, excipiunt à Creaturis, non à tribus perſonis Diuinis inter ſe, quibus omnia, quæ ad eſſentiam ſpectant, ſunt communia. At verò, quando ſimiles dictiones excludentes: vt, vnus, ſolus, nemo, præter, ac ſimiles, adiunguntur vni perſonæ reſpectu proprietatum, aut relationum; excludunt ab his, qui alij ſunt, ſed non aliud, id eſt, alias perſonas Diuinas: Vt ſolus Pater generat, nemo pręter Filium gignitur, ſolus Pater eſt ingenitus; ſolus Spiritus ſanctus ſpiratur, vel procedit. Nam hæc ita vni perſonæ cõueniunt, vt excludant reliquas, cùm ſint perſonales proprietates. Quamobrem quod hic dicitur: Vt cognoſcant te ſolum, Deum verum, non excludit, aut Filium, aut Spiritum ſanctum. Quemadmodum neq; quando dictum eſt: *Nemo nouit Filium niſi Pater: neq; Patrem quis nouit niſi Filius*, non excluditur Spiritus ſanctus, ſed potiùs incluſus cenſendus eſt. Hęc mihi ad huius nodi diſſolutionem ſint dicta.

Quare cùm Christus dixit: Hæc est vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum, &c. nihil de Spiritu ſancto meminerit.

Qualis illa Christi ſententia.

1. Cor. 2.

Matth 11.

Expende iam verba: *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna*. Id eſt, in hoc ſita eſt, & poſita, ſiue felicitas, quam expectamus, ſiue beatitudo, quam in præſenti per fidem habere poſſumus. *Vt cognoſcant te*, ſcilicet Patrem, de quo aut nihil acceperunt, aut acceperunt quod locutus ſis Abrahæ, & Prophetis. Vt cognoſcant, inquam, te non eſſe aut Spiritum malum, aut Deum paruum aut magnum inter Deos, ſed ſolum verũ, & viuum Deum, qui cœlum ac terram, atque hominem condidiſti: qui tantoperè homines deamaſti, vt pro eis redimendis, atque beandis miſeris Filium tuum. Et meritò coniunxit Patrem cum Filio: quia non poteſt vna ſine altera perſona, aut hic, aut in cœlo cognoſci: Filius enim vt Filius ſine ſuo Relatiuo non intelligitur, nec Spiritus ſine illis, à quibus ſpiratur. Ex his etiam verbis apertè comprobatur ſententia illorum Patrum vera; qui conſtituunt beatitudinem in viſione, ſiue in actu intel-

Quid eſt ad literam: Hæc eſt vita æterna.

Vt cognoſcãt

Gen. 1.

Cur addidit Dominus: Et quem miſiſti Ieſum Christum.

Beatitudinẽ in intellectu conſtituen-

lectu

ctes, quā probabiliter opinentur.

lectus. Nam in cognitione Patris, & Filij constituit hic vitam æternam; Sicut & alibi: *Ostende mihi faciem tuam.* Et, *Ego ostendam omne bonum tibi.* Et, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Et, *In nomine tuo videbimus lumen.* Et, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et in Nouo Testamento: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Et Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autē cognoscam sicut & cognitus sum.* Et Dilectus: *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est.* Hoc docuit Augustinus, cuius celebris est illa sententia: *Visio est tota merces.* Et altera: *Fides est, credere quod nondum vides: cuius fidei merces est videre quod credis.* Non ignoro plerasque esse opiniones apud Scholasticos, qui inter se decertat, in cuius facultatis potissimùm actu consistat beatitudo, quæ salua fide defendi possunt; quemadmodum olim inter Philosophos innumeræ extitêre sententiæ de summo bono, siue de vltimo fine, quas percenset Augustinus in libris de Ciuitate Dei, & in epistola ad Dioscorum. Sed in his recensendis, aut confutandis non putaui operæpretium fusiori agere oratione: consultius erit & salubrius, si omnes neruos intendamus, vt fide, & bonis operibus summum bonum nobis propositum adipiscamur; ita vt cognoscamus solum verum Deum, & quē misit Iesum Christum, quibus cum Spiritu sancto æternus est honor cum gloria, & gratiarum actione reddendus in sempiternis seculis, Amen.

Cant. 2. Exod. 33. Psalm. 15. Psalm. 35. Psalm. 16. Matth. 14. Matth. 5. Ioan. 14. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3. Aug. in Psal. 90. in fi to. 8. Idem ser. 29. de verbis Apost. in princ. tom. 10. Idem lib. 8. de ciuit. Dei, c. 9 & epist. 56. tom. 5.

TRACTATVS LXXV.

In illa verba: *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te.* Ioan. 17.

Precationis Christi apud Patrem efficacia.

PRECATIO quæcunque in nomine Iesu ad Deum effusa, non potest à Patre æterno non exaudiri, qui vocem Filij sui per homines rogantis nouit, ac diligit: quanto magis igitur ipsius Christi deprecatio acceptior & exauditione dignior apud Deum erat, cùm infinitam vim ac meritum haberet impetrandi? Et vt dignus redditur, quem Rex exaudiat, qui nihil ab eo, nisi quod eius gloriam illustrandam spectet, petit, vel qui præceptis Regis se obsequentem, & morigerum præstitit: ita sanè sitis gloriæ Dei in Christo, & obedientia mandatorum eius, summè eius preces, vt exaudirentur apud Deum, commendauit. Scriptum enim est: *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum.* Et rursus: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorū exaudiet, & saluos faciet eos.*

Dignus quis à Rege exaudiri.

1. Reg. 2. Psalm. 144.

Quorsum id: Ego te clarificaui super terram.

Ait ergo: *Ego clarificaui te super terram.* Cùm superiùs petijsset Christus à Patre clarificari, nunc declarat iustam esse petitionem suam: eo quòd ipse iuxta primum mādatum ipsum iam prius clarificasset. Etsi Deus in mundi conditione, & creaturis satis propalasset gloriam suam; quia in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & non longè ab vnoquoque nostrûm: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: pauci tamen Deum ex creaturis agnitum glorificauerunt, vt Paulus docet. Alij autē & labijs honorârunt. At Moses & Prophetæ ostendentes Deum iustum iudicem, delictorum & peccantium vindicem in lege clarificauerunt. Sed perfecta est Dei vt Patris per Christum agniti & declarati clarificatio: plus enim vel vno opere IESVS Deum Patrem honorificauit: quàm totus mundus, Angeli in cœlo vniuersi, & Prophetæ, & Sancti in terra clarificârunt. Ideo emphasim habet, quod in primis ait: *Ego*, scilicet Filius tuus ὁμοούσιος, & æqualis tibi per omnia. *Clarificaui te*, inquit, non me: Ego enim non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet. *Et clarificaui*, ait, præterito vtens pro futuro, sicut: *Opus consummaui*, pro consummabo; vt annotat beatus Thomas ex Augustino: etsi reuera Christus suo tempore vtriusque rei iecisset fundamenta, quamquam per ea quæ supererant præstanda mysteria, & per Apostolos amplius esset clarificaturus, & opus suum ad effectum deducturus. Clarificauit porrò Iesus Patrem suum: quia vt imago, splendor, & sapientia eum ostendit, cuius est imago, vel splendor: & vt lux naturam, vel magnitudinem Solis ostendit, & sapientia artificem commendat; ita Christus, qui Filius erat Dei, Patris gloriam & sapientiam illustrauerat. Deinde ait, *Clarificaui*, quia eius gloriam prædicauit, eius potentiam, sapientiam, atque iustitiam detexit; reprehendit verò mundi potentiam, iustitiam, atque sapientiam, quam sibi, suisque viribus tribuebat; ita vt homines in se credentes euexerit, vt Deum Patrem nutritorem, ac seruatorem omnium inuocarent. Tertiò, signa fecit, atque prodigia, & numero, & magnitudine, & modo illa

Ioan. 1. Act. 17. Rom. 1.

Aliter Mose & Prophetæ aliter Christ. Deum Patr. glorificauit.

Hebraismus. Ioan. 8. B. Thom. in Ioan. c. 17. tom. 14.

Patrem suum vt clarificat Iesus. Hebr. 1.

II. Ratio.

III. Ratio.

Quarta ratio

illa edendi ingētia; quæ omnia ad Dei gloriam declarandam faciebat. Ad hæc, vt bonus filius omnia bona sua in Patrem transfundebat, seipsum imminuēdo, vt ille cresceret, vnde dicebat: *Mea doctrina nō est mea, sed eius qui misit me*; & rursus: *Pater in me manens, ipse facit opera.* Præterea clarificauit vt seruus dominum, cuius dura seruat mandata, iuxta illud: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Obediuit enim vsque ad mortem, mortem autem crucis: nulla verò perinde re Deus ita clarificatur, atque obedientia, & sanctitate nostra, quemadmodum impia & scelerata vita nostra blasphematur. Hinc dixit Dominus: *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* & Petrus: *Ex bonis operibus cōsiderantes, glorificent Deum in die visitationis.*

Ioan. 7. *Infrà 14.* *Psalm. 16.* *Philip 2.*

Qua vna re magis clarificetur à nobis Deus, idēq; à nobis blasphemetur. *Matth. 5.* *1. Petr 2.*

Cur inquit Dominus: Clarificaui te super terram. *Euthym.* *Ibidem.*

Additautē, *Clarificaui super terram*: quia, teste Euthymio, in cœlo glorificatus fuerat ex natura habens gloriam, & ab Angelis adoratus. Non ergo de illa loquitur gloria, quam ex substantia sua hæreditario iure possidet: nam illam etsi nemo eum glorificet, plenam habet; sed hanc dicit, quæ ab hominum cultu resultat. Nempè tale est illud: *Glorifica Filium tuum.* Vel glorificauerat super terram quantum ad aliquos, quibus per Filium Pater innotuerat, eiusq; gloria detecta erat: supererat vt idem in cęlis faceret, vt videlicet apud Patrem eos glorificaret, apud quos in terra eum glorificauerat, vt ipsi in terra vicem Christi gererent, & apud alios Patrem glorificarent. Illustrauerat autem Christus Patrem, ostendendo quanti Deus faciendus sit ab hominibus, pro quibus Deus Filium suum vnigenitum ad mortem tradidisset: signis verò indicauit, & verbo, quantum velit & possit Pater largiri hominibus per Christum. Super terram etiam explicari potest, id est, super corpus suum: iam enim ostenderat, quid corpore induti facere debeamus, qui Dei seruitutem profitemur; restabat vt quid à Patre in diuinis, siue in cœlis accepisset ante mundi constitutionē, ostenderet, hoc est, æternam illam à Patre genituram, quæ à nobis nonnisi in patria videri potest.

Alter sensus.

Quemadmodū Christus Patrem clarificauerit.

Quomodo etiam super terram clarificauerit.

Quodnam opus Patris ei iniūctum Christus consummauerit. *Esai 16.* *Luc. 4.*

Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Ostendit in quo glorificauerit Patrē, nimirùm ministerium redemptionis humanæ, & prædicationis Euangelicæ explendo, de quo: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me.* Hoc autem opere Christus fideliter, atque constanter perfunctus est, prædicationē bonis moribus, & sanctæ vitæ factis, & eorum quos conuertit, ornando, signis admirandis confirmando, sanguine suo, morte obsignando. Quòd etsi nondum esset completum, extremam tamen tunc operi manum imponebat, & reuertebatur ad Patrem, atque ita pro facto habet ac pronuntiat, quod iam concludebat. Nam quando, quæso, hoc orare potuisset, & dicere, si expectasset mori? Etsi enim hoc in cruce precatus esset, sicut reuera dixit: *Consummatum est*, non poterat tamen eius opus dici consummatum, nisi ea ratione, & consuetudine, qua soliti sumus dicere, nos opus perfecisse, cuius vltimam partem elaboramus. Hanc autem precem coram Apostolis facere voluit, quia omnes propter crucem ab crucis spectaculo metus causa nouerat abfuturos. Consummaui igitur, id est, quidquid erat futurum mearum partium, iam impleui: quemadmodum citharœdus docens alios pulsare citharam, tantùm sonat, quantum nouit alios posse discere.

Quàm ſtrenue atq; pręclarè id opus consummauerit. *Ioan. 19.* Simile.

Subdit autem: *Quod dedisti mihi vt faciam.* Non ait quod præcepisti: multa enim præcipit, quæ non dat exequi, propter quorundam animos minus dispositos ad suscipiendam gratiam. Significat ergo donum exequēdi, de quo scriptum est: *Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini*; & Salomon: *Sciui quoniam aliter non possem esse continēs, nisi Deus det.* & prudenter Augustinus: *Domine, da quod iubes, & iube quod vis.* Nemo ergo suis viribus fisus præcepta Dei seruare conetur: nemo eorū perfectionem sibi tribuat: nemo in bono perseuerantiam adscribat sibi; sed agnoscat esse Dei dona.

Expenditur hoc dictum Quod dedisti mihi vt faciam. *Ezech. 36.* *Sap. 8.* *Aug. lib. 10. Confess. c. 29. to. 1 jubmut.*

Ex hac igitur Domini prece discamus in primis non esse plura dona nobis postulanda, nisi prius perfecerimus quæ nobis mandata sunt; neque petendum esse præmium opere nondum perfecto. Sed hoc nos, qui nunquam fecimus opus Dei, dicere non valemus, nisi prius postulata venia pro facto habeamus quod non est factum, sed remissum est: vt docet pulchrè Augustinus in libro Retractationum. Vel melius ita possumus orare; quia Christus pro nobis fecit, vt hîc ipsemet docet; & plura talenta nobis dari voluit, vt ita simus diligentiores. Paulus tamen ait: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ.* & Ezechias: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Possunt tamen tales rectè dicere, vt Dominus docuit: *Quod debuimus facere,*

Precationis Christi ad Patrem tria documenta. *Aug. lib. 1. Retract. c. 19. tod. tom. 1.* *2. Tim. 4.* *Esai. 38.*

Luc 17. Secundũ documentum.

cere, *fecimus: & adhuc serui inutiles sumus.* Deinde aduerte, cùm Sancti à Domino per mortem vocãtur in iuuentute id esse, quia opus perfecerunt: *Consummatus enim in breui,* ait Sapiens, *expleuit tẽpora multa.* Tertiò, addisce donum perseuerantiæ, ne de te dicatur: Hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit consummare. Non enim velle, aut cœpisse facere; sed perfecisse, virtutis consummatæ est. Hinc multos legimus de Ægypto egressos; paucissimi tamen in terram promissam sunt ingressi. Vt enim Deus quemquam propter scelera sua nunquàm punit, si contingat eum in peccatis decedere: ita nec Dei liberalitas quemquam remunerat, nisi in finem vsque perseueret in bono. Hinc in lege volebat Dominus sibi offerri caput cum cauda in sacrificio, & Ioseph tunica talari, quæ totum tegebat corpus, præcinctus peruenit ad Regem; & apud Ezechielem legimus: *Omnem super quẽ videritis Thau, ne occidatis.* Thau, vltimum est elementum Alphabeti Hebraici, & formam crucis habet: quia perseuerantes in imitatione Christi, crucem gestando, & faciendo pœnitentiam, à percussione immunes sunt, atque seruantur. Sunt præterea multi vt semina, arbores, vineæ, quæ ad modicam pruinam tabescunt, ac decidunt; quemadmodum Saul, Iudas, & alij, qui cũ gaudio suscipiunt verbum, & in tempore tentationis recedunt.

Sapient. 4. Tertium documentum. Luc. 14. Opus virtutis consummatæ. Exod 12. Perseuerantiæ typus elegans. Leuit. 7. Gen. 37. Ezech. 9. Thau, Hebraicè quid sit, & quid denotet. Luc. 8.

Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui prius quàm mundus fieret, apud te. Locus hic difficultatem habet: quia in primis videtur peti, quod habitum est ab æterno, nec vnquam amissum est, nec amitti potuit, hoc est, illustratio Filij apud Patrem, quam semper habebat: precatio autem, rei nondum habitæ petitio est. Deinde aut petitur clarificatio Filij, secundùm diuinam naturam, & hoc non, quia nemo petit, vt qui sua natura Deus est, Deus sit, & omnipotenti virtute, & gloria præditus; aut secundùm humanam naturam, & hoc minus potest concedi, quia falsum est, naturam humanam habuisse claritatem apud Patrem, antequam mundus fieret, cùm nondum tunc humanitas esset. Ad hæc, nonne Filius Dei etiam cùm in terris ageret, hanc, quam nunc petit, claritatem habebat? Nonne eum apud Patrem videbant Angeli? Nonne eum Pater in eadẽ claritate habebat, ac si nulla carnis vmbra tegeretur? Dicendum est, quòd ad literam petit clarificationem secundùm naturam humanam, aut eam, quam necdum habebat, vt haberet: aut illam, quam ab æterno habuit, in humanitatem suam, extendi. Quod dupliciter intelligi potest, vt exponemus: sed prior sensus explicandus est. Petit autem Christus homo gloriam resurrectionis, ascensionis, sessionis ad dexteram Patris vsque ad iudicium; & claritatem habitationis in cordibus fidelium, qui animis, verbis, & factis, & sanguinis profusione quærunt Christi Filij Dei nomen illustrare. Quod ex eo potest constare, quod addit, Apud temetipsum, id est: Da mihi gloriam consistentem in commendatione tua: apud Deum siquidem commendatur & glorificatur per fidem; apud alios verò parui penditur, vel etiam blasphematur hæc commendatio. Patet etiam ex illo aduerbio, Nunc, id est, à tempore mortis, cùm cœpit triumphare de inferno, diabolo, morte, atque mundo. Petit igitur Dominus, se apud Patrem glorificari gloria spiritali, quæ in commendatione Dei consistit, per resurrectionem & regnum in cordibus fidelium: à tempore verò iudicij gloria erit extensa ad totum vniuersum, velint nolint inimici. Quamquam in eo quod ait: *Clarifica me tu Pater apud temetipsum,* intelligi possit, scilicet, reficiendo, ac dando claritatem, quam ipse Christus habuit apud eum, scilicet Patrem; quia antequam mundus fieret, erat prædestinata gloria humanitatis Christi; quæ est beati Augustini expositio. Et ita confutat Dominus stultitiam eorum, qui negligunt petere ea, quę sunt à Deo prędestinata, & qui dicunt: Si Deus prædestinauit aliquem, non oportet me pro illo preces fundere. Imò potiùs, quia ad finem prædestinauit, proculdubio & ea subsidia, siue adiumenta, quæ ad finem illum conducunt, destinauit. Vnde Isaac prædestinatus habere filios, pro illis habendis precabatur. Et ita petit Dominus gloriam suam, quia iam perfecerat opus suum: vt nos erudiamur tũc petere debere gloriam nostram nobis dari, quam ipse nobis prædestinauit tanquam membris Filij sui, cùm opus nobis impositum perfecerimus, id est, glorificauerimus nomen Domini, & obedientiam legi eius præstiterimus, & apud homines Iesum illustrem, omnique cultu & veneratione dignum reddiderimus. Adhoc enim è tenebris vocati sumus, sicut & prædestinati, vt virtutes enarremus eius qui nos vocauit in admirabile lumen suum; & simus in laudem gloriæ gratiæ suæ, hoc est, ad laudandam, & gloriosam reddendã gratiam suam. Et hic est primus sensus huius loci.

Quam claritatẽ Christus petat à Patre, cùm ait: Et nũc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui, &c.

I. Sensus. B. August. Prædestinatio nõ excludit merita. Gen. 25. Petere à Deo gloriam nostrã quando debeamus. Ad quid vocati à Deo simus atq; prædestinati. 1. Petr. 2. Ephes. 1.

Secundò possumus intelligere per claritatem habitam antè mundi constitutio-

II. Sensus.

nem, claritatem ęternam ipsius Filij Dei vt Deus est, vt illa ad humanitatem extendatur, quam tempore suæ exinanitionis, & viæ dissimulauerat, vt tandem & manifesta fiat hominibus; & per eam Christus in mundo illustrior reddatur: non quòd eandem omnino, aut æqualem diuinitati suæ, dari voluerit, sed quòd similem, & cuius ea pax esse posset eius humanitas. Atque in hunc modum Hilarius libro tertio de Trinitate interpretatur hæc verba: vt videlicet gloria, quæ soli Deo congruebat, extendatur in Verbum carnem indutum, & in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris: quia agnitus est ille homo, Deus verus per vnionem hypostaticam. Videturque exaudita hęc oratio pro Christi reuerentia, quia iam Christus vt verus Deus colitur; & vt vnigenitus Dei Filius ex Virgine natus ab omnibus agnoscitur. Innuitur quoque differentia glorificationis humanitatis Christi, & aliorum: quia illa Christi intrinsecè venit à gloria propriæ diuinitatis deriuata, de qua dicitur: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: cæterorũ verò gloria extrinsecè à Deo, de quo dicitur: *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ.* Atque ita intelligendo, etsi peti videatur, vt quod vno modo habebatur, alio nouo modo haberetur; vt gloria quæ erat in diuinitate, extendatur ad humanitatem: & quod erat in prædestinatione Dei, habeatur in executione.

B. Hilarius.
Philip. 2.
Hebr. 5.
Quomodo Pater Filium clarificauerit
Humanitatis Christi glorificatio ab Angelica & humana quid differat.
Ioan. 1.
Philip. 3.

Hunc posteriorem sensum magis probat Tertullianus, qui libro de Trinitate Christum non tantùm Deum, sed etiam hominem ab æterno confirmans, ait: *Nec enim habuisset gloriam, nisi ipse prius fuisset, qui gloriam posset tenere. Nemo enim habere aliquid poterit, nisi antè ipse fuerit, qui aliquid tenet.* Et infrà: *Deus igitur, quoniam antè mundum fuit, & gloriam ante mundum tenuit. Nec prædestinatio ista dicatur, quoniam nec posita est, aut addant hoc, qui hæc putant: sed væ adijcientibus, quomodo & detrahentibus positum. Non potest ergo dici, quod non potest adijci. Sublata ergo prædestinatione, quæ non est posita, in substãtia fuit Christus ante mundi institutionem. Verbum est enim, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil. Quoniam etsi in prædestinatione dicitur gloriosus, & antę mundi institutionem fuisse prædestinationem: ordo seruetur, & ante hunc erit multus numerus hominum in gloriam destinatus. Minor enim per istam destinationem Christus cæteris intelligitur, quibus posterior denotatur.* Hæc ille, sensum illum primum de existentia & gloria Christi prædestinata reijciens. Beatus Bernardus scribens in Cantica, hunc posteriorem sensum amplectitur, dicens: *Quanti putas æstimanda sit gloria quantacunque mortalium, vt ab ea, quæ à Patre suo ab æterno parata est, debeat eum vel ad modicum retinere? Adde quod nulla ratione in longius protrahi decet ipsius Filij petitionem. Quam dicam petitionem, quæris? Nempè illam, qua dicit: Pater clarifica Filium tuum. Quod tamen eum petijsse senserim, non vt supplicem, sed vt præscium. Liberè petitur, quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria Filij petitio est, non necessaria: quippè donantis cum Patre, quicquid à Patre acceperit. Vbi & hoc dicendum, quia non solùm Pater clarificat Filium, sed & Filius clarificat Patrem, ne quis dicat Filium minorem Patre, quasi à Patre clarificetur, cùm & ipse clarificet Patrem, dicente Filio: Pater clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Sed fortè adhuc submittendum putes Filium, quòd quasi inglorius videatur à Patre recipere claritatem, quam demùm Patri refundat. Audi quia non est ita: Clarifica me* (inquit) *Pater, claritate, quam habui priusquam mundus fieret, apud te. Si ergo claritas Filij posterior non est, vtpotè quæ ab æterno est, ex æquo te clarificant Pater, & Filius. Et si ita est, vbi Patris primatus? æqualitas profectò est, vbi coæternitas.* Hæc ille, in sensum Tertulliani descendens. At verò secundum regulam beati Augustini libro secundo de Trinitate, capite secundo: vt loci qui vtrique naturæ, tam diuinæ, quàm humanæ conueniunt, de vtraque exponantur; propterea rectè, & de diuina natura, quæ fuit ante mundi constitutionem, & de natura humana ab æterno prædestinata vt glorificaretur, hunc locum interpretandum esse cẽsemus. Est enim pulcher sensus: Clarifica me tu Pater claritate quam habui apud te in prædestinatione ab æterno decernentem, vt Adam non peccante homo venirem, gloriosus, & immortalis, illo verò peccante, claritas mea differretur vsque ad resurrectionem; ideo eam peto. Et ait, quam habui apud temetipsum; neq; quis existimet eum mundi gloriam quærere, velut superiùs dixit: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Et quam habui apud te; ne quis putet eum gloriæ egenum fuisse, aut alienam gloriam appetere, & inuadere, quemadmodum diabolus, & primus homo fecerunt. Plerumque etiam aliam gloriam non expetimus, quàm eam, quam proximis præripimus, ab eisque iniustè vsurpamus. Prior igitur sensus, quid credendum sit,

docet.

Tertullian.
De Christi æternitate Tertulliani dictum.
Deut. 4.
Apocal. 22.
Ioan. 1.
B. Bern. serm. 70. in Cant. paulo antè medium.
Qualis Filij petitio fit clarificationis suæ, teste Bernardo.
B. Augustin. canon intelligentiæ Scripturarum.
III. sensus aptissimus huius loci.
Cur Christus inquit: Qua claritaté habui apud temetipsum.
Ioan. 5.
Diabolus & Adam fures diuinæ gloriæ fuerunt.
Esai. 14.
Gen. 3.

docet. Secundus, quid faciendum, & imitandum. Sed iam audi Cyrillum in libro decimo Thesaurorum, de hoc loco contra Arrianos differentem: *Sed quomodo, inquiunt, non est inconueniens eiusdem dicere substantiæ Filium Patri, cùm à Patre Filius gloriam petat? Glorifica*, inquit, *me Pater, ea gloria, quã habebam apud te, antequam mundus esset. Nam si superfluum est petere quod habes: patet hinc non esse tam magnum petentem Filium, quantus Pater à quo gloriam petit. Non est possibile vt gloria indigeat gloriæ Dominus, cùm nihil deesse possit perfecto: nullus enim ferre vos poterit, si Dei Filium imperfectum in aliqua re dixeritis: quamuis alioqui turpissimum quid opinari quasi hominem nudum, cupiditate victum gloriæ, à Patre id petere. Sed altior dispensationis modus in hoc sermone reconditus est. Cùm enim Christus dixisset: Pater, glorifica Filium tuum, illicò Pater respondit: Et clarificaui, & rursus glorificabo. Si ergo talem Filius gloriam petebat, qualem vos putatis, Paterq́; statim promisit, cuius gratia post petitionem statim contrarium sequitur? captus enim à Iudæis, patibulo affixus est. Non sibi ergo à Patre gloriam petebat, qua sicuti natura Deus non indigebat, sed paternam gloriam in hominem, quem assumpsit, petendo vt homo traduceret. Omnia enim in ipso, & per ipsum bona consecuti sumus. Sed non est ab re, cùm hoc & potestatem etiam verbi considerare. Δόξα enim Græcè, modo gloriam, modo opinionem significat. Quando igitur Filius dicit: Δόξασόν με tu Pater, ea δόξα, quam habebam antequam mundus esset, hoc apertè dicit: Quoniam, ô Pater, homo factus, id solùm esse hominibus videor, nec cognitus sum coæternus tibi esse: doxason meta, id est, talem opinionem, atque fidem hominibus de me largiaris, qualem haberent credentes me apud te semper fuisse, etiam antequam mundus esset, vt videlicet me Deum existiment, credantq́; esse secundùm naturam lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Quòd autem ita hic locus intelligendus sit, à sequentibus manifestam est. Nam posteaquam hanc opinionem, existimationemq́; de se sentijt, vt Deus esse manifestaretur, causam intulit, dicens: Quoniam & ego nomen tuum hominibus manifestaui. Si ergo petit quod fecit: fecit autem ipse nomen Patris manifestum hominibus, nihil aliud certè petit, quàm vt homo hominibus Deus esse manifestaretur, non propter se, sed propter salutem ipsorum. Petit autem vt homo, & quidquid à Patre, vt homo petit, à seipso quoque vt Deo & Spiritu sancto petit. Gloriam verò petere Filium quasi non habeat, & ea de causa inferiorem Patre ostendi putare, nonne pudet? In Filio enim Pater inspicitur. Si ergo Pater gloria non eget, nec Filius eget profectò. Quomodo enim poterit esse non egens in egente? Sed qui vidit Patrem, vidit & Filium. Et, Ego, & Pater, vnum sumus. Perfectè igitur Filius sicut & Pater gloriam possidet.* Hactenùs ille, eleganter sanè, ac doctè. Quæ vt aliquo exemplo illustrētur, & apertiora fiant, ac dilucidiora: finge filium Regis, quem omnes sui putant in cubiculo delitescere, in conspectum omnium ex mandato Patris personatum prodire, atque ita contemptus habeatur, & inter seruos computetur, filius autem videns se obscurum, & gratis iniuria affici, patrem Regem deprecetur, ac dicat: Et nunc tu pater clarifica me, eamque gloriam redde: quam habui priusquam hãc personam assumerem: ita Christus Dei Filius in natura humana assumpta, obscurus fuit, & quasi leprosus, & percussus à Deo reputatus, claritatem, quam ab æterno habuit, habebitque quatenùs Deus est, ad eam, quam assumpsit naturam, extendi precatur, vt talis esse habeatur apud omnes, qualis apud ipsum Patrem est. Nos igitur præclarè de Christo Domino sentiamus, illiq; omnem gloriam, ac diuinitatis claritatem tribuamus, cùm hoc non minus propter nos, quã propter seipsum, rogârit Dominus IESVS Christus, cui vt vero & proprio Dei Filio cum Patre & Spiritu sancto, omnis gloria, maiestas, & imperiũ ab omni creatura deferatur in seculis sempiternis, Amen.

Cyril. lib. 10. Thesaur. c. 9. tom. 2.
Cõtra Arrianos Cyrilli argumẽtatio ex illo loco Ioannis, sanè fortissima.
1. Cor. 2.
Ioan. 12.
Δόξα Græcè duo significat.
Probat & cõfirmat Cyrillus sententiã suã non inepta ratione.
Ioan. 14. Suprà 10.
Exemplo illustratur hic sensus.
Esai. 53.

TRACTATVS LXXVI.

In illa verba: *Manifestaui nomen tuũ hominibus quos dedisti mihi de mundo (tui erant, & mihi eos dedisti) & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, &c.* Ioan. 17.

LATINÆ eloquentiæ princeps M. Tullius, cùm de legibus inter amicos seruandis edisserit: *Hæc est*, inquit, *prima amicitiæ lex, vt ab amicis nonnisi quæ iusta & honesta sunt, petamus, & petita concedamus.* Multi enim petunt, & non accipiunt, eò quòd malè petant, vt frater Domini dixit. Hinc Christus principi Patri suo preces porrigens, & vt amicus charissimus postulans nonnisi quæ æternam sapientiam decebant, & ad Patris sui gloriam, & ad nostram

Cic. lib. de Amicitia.
Prima amicitiæ lex quænam à Christo seruata.
Hebr. 5.

nostram vtilitatem spectabant, meruit exaudiri. Hinc rogaturus pro Apostolis, inquit: *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Commodè autem hæc cum præcedentibus adaptantur: cùm enim dixisset, *Ego te clarificaui super terram,* principium autem paternæ glorificationis fuerit Apostolorum institutio, per quos nomen Patris toti mundo erat inuulgandum: qui propterea dicti sunt sal terræ, & lux mundi, ideo rectè ait: *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Cognitio nominis apud sapientes, præcedere solet cognitionem rei; ita Deus nomen suum ad Apostolos misit, per quod ipse nobis innotesceret. Est autem nomen Dei, Verbum, & Filius Dei perfectè describens atque definiens Patrem. Christus enim & verbis, & factis, & Scripturis seipsum filium Dei Apostolis declarauit, Deumque sibi Filium per omnia æqualem habere mundo detexit. Etsi enim antequam Christus veniret, notus esset in Iudæa Deus; nō tamen notus erat Gentibus, & idola, & opera manuum suarum pro dijs colebant. Etsi enim Gentes Patrem vocarent Iouem, & Poëta diceret:

Diuûm pater, atque hominum Rex:

& Homerus: Πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε; neque tamen verum Deum, neque generationem diuinam, neque adoptionem sciebant, quam soli Christi cultores per fidem nouerunt. Deinde filij Israël habebant quidem plura Dei nomina, immò nomen illud ineffabile Tetragrammaton, de quo testificatus est: *Et nomen meum Adonai non indicaui eis:* ignorabant tamen veram diuini nominis virtutem: sciebant ipsum esse Deum, sed non Patrem, aut ex eius substantia genitum Filium: nouerant vnitatem diuinæ substantiæ, non autem personarum multitudinem in illa vna & eadem substantia. Ostendit autem nomen non secundùm verba, aut elementa, ex quibus constat, sed secundùm naturam & virtutem, indicando te esse Filium, me autem Filium tuum.

Mysterium enim Trinitatis etsi à Prophetis vtcunque cognitum fuerit, & expressum; innominatum tamen fuit sub tribus istis distinctis vocibus Patris, & Filij, & & Spiritus sancti: quare Iudæorum populus ad id credendum minimè arctabatur. Dominus tamen Iesus illud apertè detexit, & mundo distinctè reuelauit. Sed in primis beatæ Virgini Angelus illud expressit, cùm dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi:* sed illa annuntiatio initium Euangelij. Deinde Christus Apostolis primùm suggessit, cùm toties de Patre, & Filio, & Spiritu sancto apud eos sit concionatus, & per eos Gentibus: ideo absolutè dicit hominibus. *Quos dedisti,* inquit, *mihi,* interno gratiæ dono vocando, & ad me trahendo. Quia scriptum est: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et innuitur quòd voluntas Patris sit vt credamus in IESVM, eiusq; verbo nos morigeros præstemus. Hoc est enim opus Dei, vt credamus in eum, quem misit ille. Vult Apostolus, vt mysteria Euangelica, non omnibus, sed certis personis credantur. Quæ audiuisti, inquit, à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere: ita CHRISTVS Apostolis sibi à Patre datis concredidit Euangelium orbi toti per prædicationem diuulgandū. Quanquam beatus Ambrosius, & Scholia Græca verbum Apostolicum: *Qui idonei erunt & alios docere,* asserant, non de laicis, sed de Episcopis, & Presbyteris intelligendum, quorum functio propria est euangelizare: quanquam ab initio, cùm non tot suppeterent ministri, erant idonei quique atque apti ad hoc munus peculiari doctrina imbuendi, vt ad ministerium Ecclesiasticum eligerentur.

Tui erant, & mihi eos dedisti. Non est homo aliquis, qui non sit Dei per creationem, vel gubernationem; non tamen omnes sunt ipsius Dei per gratiam. Ideo perpende, quòd de seruis mundi plures deos colentibus, & per prauam voluntatem suam malè viuentibus efficimur primùm serui Dei, & vnius numinis cultores, quod lex præstat: postea verò Deus Pater nos ad Filium suum mittit, vt doceat nos Patrem, & saluet nos. Apostoli igitur prædicatione Ioannis pœnitentiam primùm egerunt; at audito Iesu decreuerunt serui Dei fieri, & non ampliùs mundo seruire. Et cùm postea facti essent peculiares DEI serui, Deus illos tradidit Filio suo IESV instituendos, à quo ad maius doctrinæ incrementum eueherentur. *Tui ergo erant.* Inquantum fidem in te Deum verum tantummodò habebant, & dona gratiæ abs te tantùm Deo adepti erant. *Et mihi eos dedisti.* Non priuando te ipsum illis, sed mihi communicando eos in discipulos; & quod ad fidem attinet, vt etiam in me hominem & Deum credant: & quod ad dona attinet, vt agnoscant per me, tanquam per Mediatorem omnia dona abs te in eos diffundi.

Et sermonem tuum seruauerunt. Hoc est, me

Quemadmodū hæc cum superioribus cōiungātur.
Matth. 5.
Nomen Dei quod sit.
Deum ante Christi aduētum ignotū Gentibus fuisse.
Psalm 57.
Virg. lib. 1. Æneidos.
Homerus.
Iudæos olim Deum trinū & vnum nequaquàm agnouisse.
Prophetæ quomodo mysterium Trinitatis agnouerint.
Luc. 1.
Quàm clarè ac perspicuè
Christus Deum Apostolis manifestauerit.
Ioan. 6.
Quæ sit voluntas Dei in nobis.
Ibidem.
2. Tim. 2.
Quibus euāgelica Paulus velit mysteria patefieri.
Ambr tom. 5.
Scholia Græca.
Apostoli quomodo Dei erant, priusquam traderentur Christo essent.
Deus Pater quatenus eos Christo tradiderit.
Quomodo Apostoli, vt

Quomodo Apostoli, vt Christus inquit, sermonem Dei seruauerunt.

Hebraismus. *Act 2.*

me secuti sunt, prout eis tu præcepisti: prętereà quod à me acceperunt, tuum esse senserunt; doctrinamque meam quasi abs te profectam amplexati sunt, & fide, & opere adimpleuerunt. Vel præteritum sumitur pro futuro, id est, adimplebunt, hausto Spiritu sancto post Pentecosten. Et ponitur futurum quasi factum ob rei euidentiam, more Prophetico: & idem de sequentibus præteritis dicendum, Cognouerunt, acceperunt, crediderunt.

Vera & solida cognitio vnde sit.

Esaia 7 iuxta LXX. *Psal 110.* *Ioan. 7.*

Nunc cognouerunt, inquit, *quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* A fide, & operibus vera est & solida cognitio, de qua: *Si non credideritis, non intelligetis*; & de qua; *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Vnde & Dominus in Euangelio: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Nunc etiam postquàm dedisti mihi eos: quia nisi mihi eos dedisses per gratiam erudiendos, nunquàm cognouissent, ait Euthymius. Ex dono ergo Dei est quod cognoscimus: quia caro & sanguis non reuelat nobis, sed Pater, qui in cœlis est. *Quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Id est, omnia quęcunque ego dico, ac doceo, tua præcepta sunt. Et ita quod subdit: *Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis*: quia, pro certè, accipiendo, prioris sententiæ sunt explicatio. Vel, omnia quæ in me sunt secundum rei veritatem, cognita sunt ab eis dona esse tua in me. Atque hac ratione declarat ab Apostolis fuisse illud, quod suprà dixerat, intellectum: vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Cognouerunt enim verè Apostoli, quòd omnia quæcunque dicebat, vel faciebat Dominus Iesus, à Deo essent; & non hæsitabant, vt qui dicebant: *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes?* Et, *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* &, *Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Et agnosce Christi charitatem: allegat coram Patre bona Apostolorum, omissis nostris imperfectis; quo citiùs impetret, & vt nos ita deprecantes faciamus, & pro morituris preces fundentes, fidem eorum allegemus, quòd videlicet crediderint in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

Euthym. c. 17 in Ioan. *Matth. 26.*

Quemadmodum Apostoli cognouerunt, quæ Christo dederat à Deo Patre esse.

Alter sensus. *Matth. 13.*

Ioan 7. *Matth 8.*

Christi in nos benignitas & charitas.

Muneris Apostolici proprium.

Verba Hebræis ferè quid sonent.

Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, &c. Ecce Apostoli funguntur & ipsi vice mea. Nam vt ego apud ipsos notum feci nomen tuum; ita ipsi apud alios notum facient. Quanquàm verba in sermone Hebræo non tantùm pro verbis, sed etiam pro rebus ac factis sumi soleant. Ex verbo ergo, & re, id est, Sacramento, quæ Christus à Patre acceperat, ipsi Apostoli nouerant ea quæ Christus habebat, etiam à Patre. Non ergo omnia, quæ nouerat, transfudit Iesus in discipulos suos, sed illa tantùm, quæ ei data fuerant in ratione verborum, hoc est, dicendorum: multa enim data sunt non dicenda, neque alijs patefacienda.

Quę tantùm Dei verba Christus Apostolis significauerit.

Ea verba, & secreta Dei Apostoli vnde acceperint.

Et ipsi acceperunt. Intus scilicet, verba data; nam efficax donatio ostenditur, ex acceptione doni dati subsecutâ.

Expolitio quid.

Fides quę cognitio sit, & cur hic ita nominetur. *1. Cor. 13.*

Et cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Expolitio, figura est Rhetorica, quæ tersius aliquid dicitur, & clarius. Credere, & cognoscere, hoc loco idem est. Fides enim, est quædam cognitio spiritualis, sed obscura, & ænigmatica, vt Paulus ait: sed quia tollit omnem dubitationem, & cor parat in eo, quod credit, ideo dicitur cognitio. Cognouerunt ergo fide, & omni acceptione dignum esse, ac proinde crediderunt duo: quod à te exiui factus homo visibilis; & quòd tu me misisti legatum tuum ad negotia salutis mundi pertractanda. Exire ergo Filium à Patre, licèt idem sit quod mitti; vtrumque tamen Dominus expressit, vt indicaret æqualem charitatem, & suimet venientis, & Patris mittentis: ex charitate quippe exiuit, & Pater ex charitate misit. Vel hęc pręterita statim pro futuris accipienda sunt, vt admonuimus, secundùm illud quod sequitur: *Clarificatus sum in eis*: pro, Clarificabor eorum vita, prædicatione, signis, atque morte.

Apostoli de Christo crediderũt duo.

Qua ratione Christ' fuerit clarificatus in Apostolis.

QuidChrist' à Deo petens clarificari, doceat nos.

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo. Hactenùs rogauit Dominus pro sua clarificatione, etsi oratione non eguisset, cùm sibi iam debita esset; sed vt doceret deprecari primùm Deum pro nobis, quia egemus, deinde pro ijs qui nostrę fidei crediti sunt, vt Apostolus docet Pontificem facere, cùm ad Hebræos scribit. Nam qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Modò verò Iesus rogat pro Apostolis se cognoscentibus, & in se credentibus; vt videlicet se homine recedente, det illis Spiritum sanctum protectorem eorum. Verbum autem bis repetitum, Rogo, Græcè dicitur ἐρωτῶ, quod significat obsecro. Per mundum autem hoc loco, non significat eos, qui electi non sunt, aut prædestinati: quia si pro eis moritur, ergo etiam pro eis precatur. Vnde dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*: & hic paullò inferiùs: *Et cognoscat mundus, quia tu me misisti*, & Apostolus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Sed vel non cognoscentes, vel credere nolentes, & per amorem mundo adhærētes, & Christi impedientes preces, de quibus frater Domini: *Quicunque volue-*

Hebr. 5.

Eccles. 14.

Pro quo mũdo Christus Patrem non roget.

Ioan. 3.

2. Cor. 5.

Iacob 4.

voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. Deinde possumus asserere, mundi nomine venire alios omnes ab Apostolis nondum credentes; pro quibus non petit illam peculiarem protectionem, & sanctificationem Spiritus loco Christi hominis, quam pro Apostolis postulauit, de qua superiùs dixit: *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Rogauit autem Dominus pro Apostolis, vt eos Deus seruaret à malo, quandoquidem iam boni erant, & crediderant: mundo autem iam nō satis erat à malo seruari, quandoquidem in maligno totus positus erat; & rogare prius opus erat pro mundo, vt à malo liberaretur. Hoc autem facturus Iesus ad mortem ibat, qua mundum liberaret à malo; & ignosci ipsi ea peteret, quia nesciebat quid ageret: quia venit vt seruaret mundum. Vbi autem mundus à malo liber extiterit, & hic Apostolis de Christo concionantibus crediderit; tunc pro eis etiam Iesus orabit, vt infrà dicitur. Non ergo rogat pro mundo, vt perstet in mundi, & bonorum illius amore; sed benè rogat pro mundo, vt desinat insanire, & ab insania ad sanitatem conuertatur. Cùm ergo dicimus: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum:* non precamur pro mundo, vt ipse glorificetur vel regnum ipsius inclarescat, aut eius voluntas fiat; sed potiùs vt Dei nomen illustretur, regnumque eius, ac voluntas in nobis perficiatur.

Alter sensus.

Ioan. 14.

Cur Christus Patrem roget Apostolos vt seruet à malo.

1. Ioan. 5.

Luc. 23.

Ioan. 3.

Quatenus Christ⁹ oret pro mundo.

Matth. 6.

Quid orem⁹ cùm dicim⁹: Pater noster qui es in cœlis.

Sed objicies contra hanc sententiam; Si non orat pro mūdo, quomodo pro crucifixoribus rogauit, dicens; *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt;* Quare & Esaias inquit: *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Quare Ecclesia pro infidelibus, Iudæis, & hæreticis deprecari Deum consueuit. Respondemus, Dominum pro illis preces fudisse apud Patrem, quia ex ignorantia peccabant, & nesciebant quid facerent, siue Romani essent, siue Iudæi, qui illi mortem crucis inferebant: vt Bernardus exponit, cū Augustino. Christus quoque non tantùm pro Apostolis, sed etiam pro illis, qui crediturì erant per sermonem Apostolorum in se; qui ex mundo conuertendi erāt ad Deum. Paulus enim cùm Ecclesiam persequeretur, & Christianos vinctos perduci iuberet in Ierusalem, de mundo erat; & tamen Stephanus orauit pro eo, ita Ecclesia pro Paganis, & Iudęis, & hæreticis orat, vt mundum deserentes, incipiāt esse Christi.

Cū pro crucifixoribus suis atq; inimicis Dominus rogauerit, quomodo nō pro mundo.

Luc. 23.

Esai. 53.

Bernar. li. de præcept. & dispens. vers. init.

Aug. tract. 31 in Ioan. post med. tom. 9.

Act. 9.

Ecclesia cur pro Paganis, Iudęis, & hęreticis oret.

Si secundò objicias: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nō pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Sed his verbis declarat efficaciam orationis, & propitiationis Christi, non autē quid facto ipso euenerit; quia multi obicem orationi & gratiæ Christi ponentes frustrati sunt, quod ad se attinet, precum Christi fructu, vt sunt illi, qui peccant peccatum ad mortē, & obstinato animo peccata amplectuntur, pro quibus Ioannes preces fusas non promittit fore exaudiendas. Quia impossibile est corrigere, quem Deus despexerit: qui non despicit, nisi se prius despicientes. De quibus Dominus per Ieremiam dixit: *Cu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem; quia nō exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.* Sunt enim quædam peccata ex fragilitate, ignorantia, zelo, aut timore admissa, in quæ interdum incidunt electi, vt Dauid, Petrus, & Paulus; pro quibus Christus deprecatur Patrem. Sunt verò alia ex mera malitia & obstinatione veritatem respuente: & hæc verè mundanos efficiunt, qui quæ habent, mundus sunt, id est, cæci, superbi, inuidentes gratiæ Dei, & rebelles lumini; pro quibus non precatur Christus.

1. Ioan. 2.

Infrà 5.

Quorum preces à Deo minimè exaudiantur.

Eccles. 7.

Ierem. 11.

Suprà 7.

Duplex gen⁹ peccatorum.

Sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Hæc est prima ratio deprecandi pro illis: quia sunt, inquit, mihi dati à Patre, ideo eorum cura mihi incumbit, ex eo quod illos mihi tradidisti, & meos esse voluisti: & proptereà eos vt tuos tibi commendo, quia tu elegisti eos, & ad salutem vocasti, vt perpetuo essent tui. Perpende ergo pios spectare ad Patrem, qui elegit, & vocauit; & ad Christum, qui eos saluauit, & ad Spiritum sanctum, quia ipsos inhabitat, & illuminat. Objicies; Quomodo orat pro his, quos tradidit sibi, cùm superiùs dixerit: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis? Dicendum: Omnium hominū Christus Dominus est: sed cognitus Dominus, & mundi redemptor à paucis tantùm, qui iam dicūtur alia ratione sui.

Prima ratio, cur Christus pro Apostolis roget.

Pij ad Patrē, Filiū, & Spiritum sanctū vt spectent.

Cùm Pater Christo dederit potestatē omnis carnis cur pro his rogat, quos tradidit sibi.

Et subdit: *Et mea omnia tua sunt.* Lyranus exponit hunc locum de inseparabili diuinitatis, & humanitatis vnione in Christo: ob communicationem enim idiomatum humana adscribuntur Deo, & diuina homini Christo. Quemadmodum si Regina Angliæ nuberet Regi Hispaniæ, alter coniugum alteri communicaret titulos. Hoc etsi verum sit, non tamen aptè dicitur: quia Christ⁹ in hac oratione Patrem alloquitur. Certum est autem propter communicationem idiomatum, ea quæ sunt Christi hominis, non conuenire Patri, neque è contrario quæ sunt Patris, homini

Horū verborum Christi: Et mea omnia tua sunt, Lyrani sententia reijcitur.

Altera sententia aptior & cõgruentior.

Christo; non enim Pater est incarnatus, vel passus; neque Christus est Pater, vel ingenitus, vel genitor. Aliud ergo hîc agit. Cum enim dixisset: Tui erant, & mihi eos dedisti, non tamen te illis spoliando; ostendit vtrumque verum esse. Subiungit: *Mea omnia tua sunt; & tua mea sunt*: ostendendo eis omnia esse communia: non solùm diuina ad essentiam spectantia, vt sunt, sapientia, potentia, bonitas, & huiusmodi; sed omnia etiam creata, electa, & possessa quæcunque communia esse, atque indiuisa Patri, & Filio. Ideo qui sunt sub cura Patris, etiam spectant ad Christum, & ècontrario. Etsi qui sine Christo præsenti erant, sub cura Patris erant; Christo tamen recedente sub curam Patris redibant, egentes Spiritu sancto Paracleto loco Christi hominis. *Et glorificatus sum in eis*. Prima ratio sumpta fuit ex parte Patris: quia eos dederat Christo: secundam rationem precandi desumit ex parte sui, quia ipse clarificatus erat in eis: imperfectè tamen, quia dixerant: *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus, quia à Christo existi*. Prædicauerant in nomine suo, dæmonia expulerant; & ideo ex parte aliqua in illis fuerat glorificatus; at post Pentecosten multò perfectius, quando Petrus dixit: *Non est in alio aliquo salus*. Quare præterito pro futuro accepto, more Hebræorum, exponendum est, [illegible]d immobili decreto diuinæ prouid[illegible] posita erat Iesu glorificatio in Apostolis, id est, in eorum mentibus, moribus, prædicationibus, miraculis, passionibus, martyrijs, quibus de vita hac discesserunt, & fructibus quos in hoc mundo edituri erant, vt meritò Iesus pro eis roget: atque hoc audientes discipuli, Christum à Patre pro eis petere, redderentur per omnia fidentiores, recrearenturq; eorum pauidæ conscientiæ, innotesceretque eis Patris animus, & charitas, qua agnita, post casum illius noctis citius, & confidentius resurgerent.

Qualis bonorum communio Patris, & Filij sit.

Secunda ratio orationis Christi ad Patrem pro Apostolis. *Ioan. 16.*

Apostoli vti Christum clarificauerant, atque clarificaturi erant multò magis *Act. 4.*

Hebraismus

Et iam non sum in mundo: & hi in mundo sũt, & ego ad te venio. Tertia ratio ex sua à mundo absentia, & Apostolorum in mundo permansione à Iesu producitur. Estque sensus, Ego à tempore mortis meæ iam instantis amplius in mundo non sum corporè conuersans, vt possim eos protegere, & seruare, vt gallina protegit pullos suos: vnde & ad extremum vsque actum quo datus est in manus peccatorum, eos defendit, cùm dixit: *Sinite eos abire*. Apostoli verò remanebant in mundo, & egebant propterea intercessione Christi Spiritum sanctum ad tot persecutionum procellas perferendas impetrantis, & ad eas, quæ à Iudæis, & Gentibus contra Euangelium, eiusque concionatores suscitandæ erant calumniæ; propterea prò eis seriò precatur. *Et ego*, inquit, *ad te venio*. Non sicut alij homines, qui vbi semel mortui sunt, ampliùs non sunt in mundo; sed Christus ibat ad Patrem ad immortalem vitam corporis assumendam, & ad incorruptibilem gloriosumque statum, Patri incorruptibili, ac glorioso conformem: eratque in Apostolis per totum orbem prædicandus, & tanquam verus Deus colendus, & adorandus; ad quod præstandum singulari Dei ope indigebant. Erudiuntur hîc Prælati, vt orent pro sibi subditis ouibus; & maximè cùm ab eis subtrahere præsentiam debent, & necessitate aliqua cogente recedere à residentia: tunc enim ardentioribus precibus ac sacrificijs vti debent, quò absentiæ suæ incommoda resarcire valeant, & quamprimùm possunt, ad sponsam suam redire satagant. Instituit quoque Dominus omnes in fide excessuros, vt eos, quos per mortem deserunt filios, vxorem, parentes, & amicos, Deo suis precibus commendent, nihil dubitantes diuinum illis affuturum subsidium, præstãte Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit omnis honor, gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

Tertia ratio precandi Deum pro Apostolis.

Ioan. 18.

Quomodo Christus ibat ad Patrem morti proximus.

Quid Christus moriturus Patrẽ rogans pro Apostolis doceat Ecclesiæ Pastores.

Fideles quoque moribũdi quid à Christo doceantur.

TRACTATVS LXXVII.

In illa verba: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeãt gaudium meum impletum in semetipsis, &c.* Ioan. 17.

MAXIMA mundi imperia nulla maiori ratione confirmantur, atq; stabiliuntur, quã vnitate atq; concordia: qua paruę res crescunt; & discordia maximę dilabuntur. Tale profectò est regnũ Christi, quod est Ecclesia, quod cùm maximè charitate & pace auctum est & propagatũ; bellis verò domesticis atq; internis Christianorũ inter se, aut hęreticorũ cum Catholicis imminutũ est ac debilitatum; quemadmodũ bellis externis cum infidelibus atq; tyrannis non solùm non fuit læsum, sed

Qua re maximè regna atque imperia cõseruentur. *Sallust. in Iugurtha.*

etiam locupletatum & amplificatum. Vnde Apostolus hortabatur Ephesios: *Solliciti*, inquiens, *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis:* Et Christus Patrem vt vnitatē & concordiam largiatur Ecclesiæ suæ rectoribus precatur.

Ephes. 4.

Christus Apostolis quid à Patre precaretur.

Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Cùm igitur Dominus superiùs, vt Apostolorum animos erigeret, pro eis orare cœpisset, adducens etiam rationes, tam ex parte Patris qui eos sibi tradiderat, quàm ex propria, cùm foret in eis clarificandus, tùm ex eo, quòd ipse de mundo decederet; & ipsi in mundo laboribus & persecutionibus expositi remanerent: nunc indicat quid sit illud, quod Apostolis suis à Patre concedi velit, nempè vnitatem, & concordiam. Et dicendo, Pater, captat beneuolentiam à persona Patris, qui filios solet & debet pro paterno affectu & clementia exaudire: atque hæc vox ex maximis & intimis ardentis charitatis medullis, ac flammis profecta est. Sancte ait, id est, qui natura & essentia sanctus es, siue Græcè ἄγιος, id est, sine terra, scilicet purus, ac mundus, ac proinde firmus & stabilis, cuiusque proprium est alios sanctos efficere, quemadmodum Solis est lucere, & ignis incendere; homo autem sanctificatus Deo vnitur, & vnus cum eo efficitur Spiritus. Nec est maior sanctitas, quàm magis Deo vniri, ac proinde dicere: Sancti eritis, quia ego sanctus sum; nihil aliud est quàm dicere: Curate pro virili vnum mecum effici: quare qui summè ei hærent in gloria, absolutè dicuntur sancti.

Deum Christus cur appellet Patrem.

ἄγιος Græcè quid.

1. Cor. 6.
Quo arctior cum Deo vnio, eo sanctitas maior.
Leuit. 11.
1. Petr. 1.

Serua eos: Ponderat Rupertus huius verbi proprietatem: est enim seruare propriè eos, qui in bello capti erant, & occidi iure belli poterant, victoris clementia asseruari, & vita donari, vnde & serui dicebantur. Ita nos quoniam cum hoc mundo Dei inimico hoste damnari debuimus, victoris tamen Christi munificentia ac clementia dimissi seruamur. Serua ergo eos, tùm in bono, ne deficiant, cùm multa bonum operari nolentibus obsistant. Serua deinde à mūdo, & mundi principe, siue à maligno excitante tyrānos cruentissimos, Nerones, Domitianos, Diocletianos, Philaridas, & Busirides, atque his immaniores, quos eos, eorumq; doctrinā Euangelicam extinguant. Serua quoque eos à peccato, & à peccati fontibus, id est, ignoratione, carnis fragilitate, atque malitia: quia solùm animam inquinat peccatum, & mortem ei inducit, & impedit sanctificationem nostram. Denique serua eos à se ipsis inuicem inter se pugnantibus, ab æmulationibus, contentionibus, rixis hæreseon, quibus tunica Christi inconsutilis discinditur. *In nomine tuo.* Id est, per nomen tuum, seu Christum tuum, id est, vnitos in Filio tuo, quem diximus Dei nomen esse. Est autem hoc nomē Domini turris fortissima, & propugnaculum inexpugnabile, ad quod confugiens peccator, & iustus, seruatur: de quo dicitur in Actis: *Nec enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Sanctum est fidelibus, terribile dæmonibus: de quo; *Sanctum, & terribile nomen eius.* Ecque propterea perpetuis laudibus celebrandum & benedicendū. *Sit*, inquit Propheta, *nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & vsq; in sæculum.* Non enim Deus nos à peccato, siue à difficultatibus, & molestijs huius vitæ liberat propter vlla nostræ iustitiæ merita, sed ad nomen suum illustrandum, quemadmodum ipse per Prophetam dixit: *Non propter vos ego faciam domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus, ad quas intrastis.* Cùm ergo Apostoli ceciderint ad horam à me fugiendo; serua eos gratiosè, supponēdo manum tuā ne collidātur. *Quos dedisti mihi.* Repetit hoc superiùs non semel dictum ad eorum animos subleuandos, & fiduciam excitandam. Quos dedisti mihi, erudiendos, & instituendos vt præceptori, & sanandos vt medico, & regendos vt regi, & [illegible]endos vt pastori. *Vt sint vnum.* Tacit[illegible] petitio Spiritus sancti, qui vnum efficit corpus Christi mysticum. Nam vt corpus vno tantùm spiritu animatur, ita tota Ecclesia vno Spiritu sancto idem omnes docente, atque viuificante, vnum corpus constituitur, in quo singuli simus membra capitis Christi, & inuicem commembra sibi mutuo compatientia, & congaudentia, mutuamque opem, & operam præstantia. Vt sint, etiam vnum ædificium, ac templum, siue habitaculum Deo dicatum, calce charitatis cōglutinatum, vbi lapides se inuicem sustinere per patientiā debent, de quo Lucas ait: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, sicut per Prophetam promiserat Ieremiam: *Dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & bene sit eis, & filijs eorum post eos.* Vnum etiam in orando, quò facilius impetrēt, quod vnus, aut pauci nō possunt, & impleatur in eis illud Prophetæ: Et seruiant ei humero vno: quatenus multi in oratione conuenientes: quasi humero vno quod volunt, impetrēt. Est enim vnitas cuiusuis rei fortitudo, qua amissa, perit rei essentia: quia ens, & vnū conuertuntur: ita fortitudo Ecclesiæ in vnitate, & pace contra.

Rupert. lib. 12 in Ioan.
Seruare propriè quid sit.

Christus vti Apostolos à Patre seruari volebat.

Fontes peccatorum.

Quomodo Christus Apostolos in nomine Patris seruabat.
Prou. 18.
Iesu nominis virtus & efficacia.
Act. 4.
Psalm. 110.
Psalm. 12.
Ezech. 36.
Psalm. 36.
Apostoli eū dati sint Christo à Patre.
Qua ratione Christus Apostolos vnum esse cupiebat.
Rom. 12.
Altera ratio vnitatis Apostolorum inter ipsos.
Act. 4.
Ierem. 32.
III. ratio.
Sophon. 3.
Vnitas cuiusuis rei fortitudo.
Fortitudo Ecclesiæ in quo sita sit.

contra hostes consistit: & quandiù illa est vna, esse habet, & vitam: diuisa verò, & in partes dissecta, debilis redditur, & morti appropinquat. Perpende hoc loco Cyrillum, & Euthymium legere: *Serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi.* Verè enim Christo homini datum est nomen Dei, siue nomē Iesu à cœlo ad nos deriuatum, quia pax est nobis à Deo, iustitia, sapientia, sanctificatio, & redemptio.

Cyrill. li. 11. in Ioan. c. 20. tom. 1. Euthym. Luc. 2. 1. Cor. 1.

Quomodo accipiendum sit verbum Christi: Sicut & nos vnū sumus.

Sicut & nos vnum sumus. Ego scilicet, & tu Pater. Perpende igitur, quòd pronomen nos, demonstrat Patrem, & Iesum, quatenùs homo est: quod ex eo ad literam colligitur, quia ille idem demōstratur qui orat: constat autem quod Filij hominis est orare, ideo in tota hac oratione demōstratur Iesus secundùm humanitatem, non autem secundùm diuinitatem, vt Pater, quem alloquitur. Non enim mens est Christi dicere: Vt sint vnū, sicut & nos, scilicet Deus, & ego Filius hominis: tum quia Deus, & Filius hominis non possunt appellari nos; nam pronomen, Nos, plures demonstrat personas: Iesus autem homo, & Deus non sunt duæ, sed vna persona, sed Iesus homo, & Pater, duę sunt personæ. Deinde non dicit: Vt sint vnum quantum nos, sed, sicut nos, quia non significatur, quòd quanta est vnitas inter Christum, & Patrem, tanta sit inter Apostolos, & Iesum, sed significatur similitudo quædam. Tertiò perpende, Iesum hominem, & Patrem esse vnum, non quidem natura, quia alia est natura Patris, alia verò Filij Dei vt homo est: neq; rursus persona, alia est enim persona Iesu, & alia est persona Patris, sed sunt vnum indissolubili vinculo charitatis mutuę, & inde donorum spiritualium, hinc verò pleni vsus illorum donorum. Item sunt vnum vnitate gloriæ, & beatitudinis, quia Iesus homo erat non tātùm viator, sed comprehensor. Et hunc vnitatis modum non quidē adæquandum, sed limitandum, atq; in discipulos deriuandum petit Iesus, vt scilicet vinculum adsit firmum mutuę charitatis relatæ in Deum, & dona habeant ab ipso spiritualia, ad quorum vsum omni conatu studeant in hac vita viuere, vt tandē assequantur vnitatem glorię. Quanquàm alia ratione dici possit, vt B. Thomas hoc loco docet, quòd vt in Patre, & Filio est duplex vnitas, altera naturæ, de qua: Ego & Pater vnum sumus, & altera amoris, qua sese in Spiritu sancto ab vtroque procedente mutuo diligunt; ita vtraque in nobis existant, nō quidem per æquiparantiā, sed per similitudinē quandam: nā vt illi sunt vnū in eadē numero natura, ita nos idē sumus in ea-

II. documentum.

III. docum.

Deus Pater, & Christus homo quomodo sint vnum.

Quam vnitatem Christus à Patre Apostolis petat.

Alter sensus. B. Tho. lect. 3. in c. Ioan. 17. tom. 14. Ioan 10. In Patre, & Filio vnitas duplex.

dem specie, id est, humana natura: adde etiā vnū in natura diuina participata, quia consortes nos fecit diuinę naturę. Et vt illi rursus vnū sunt per amorem, nō creatum, aut participatum, sed per Spiritum sanctū qui personalis est amor ab ipsis procedens, ita nos vnū sumus per amorem creatū, & participatum, qui à Spiritu sancto nobis infunditur. Quare Theodor. rectè inquit: *Vt sint vniti in vna fide, confessione, & gratia: qui & pietate Dei Patris, & Domini, ac Saluatoris nostri benignitate, ac amore vnum esse possint.* Hęc ille.

2. Petr. 1. Rom. 5. Theodor. li. 2. hist. tripa. cap. 8.

Quum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Cōpleta petitione, reddit eius rationem, & assignat tres caussas cur eos Patri commendet. Prima est, quia ipse Iesus functus erat in vita sua officio custodis seruantis eos: *Cùm essem,* inquit, *cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo.* Id est, propter te vel intuitu tuo, sicut petijt: *Serua eos in nomine tuo.* Seruauit autem eos in bono ne retrocederent, sicut quidam discipuli retrocesserunt, audito sermone de pane vitę manducando: liberauerat eos à dæmone volente eos cribrare sicut triticum: seruauit à tempestate maris periclitantes, & à calumnijs, & tentationibus Scribarum, & Pharisæorū oppressos, & deniq; dum vixit, semper eos seruauit, tanquàm gallina pullos, aut tanquàm pastor oues sibi commissas.

Prima Christi ratio, cur Apostolos Patri cōmendauerit.

Quomodo eos seruauerit. Ioan. 6. Luc. 22. Matth. 8. Infrà 23. Ioan. 10.

Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditiōis. Hæc oratio videtur tātùm à Domino effusa pro duodecim Apostolis: quod ex multis colligitur. Tum ex eo quod ait: *Quos dedisti mihi,* ad officium scilicet Apostolatus, tùm ex eo, quod tantùm excipit Iudam: nā ex alijs qui Apostoli non erant, multi retrò abierant, vt Ioannes inquit, tùm deniq; quoniam infrà ait: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:* quibus verbis indicat superiùs pro Apostolis tantùm precatū fuisse. *Nemo,* inquit, *ex eis perijt.* Quāuis scilicet perire posset: aliàs enim q̄ virtus esset custodiētis, si perire nequirent? Et rursus quorsum rogaret eos seruari, qui perire non poterant? Christus ergo secundùm naturā assumptam discipulos suos doctrina, hortatione, exemplo, & increpatione custodierat; at secundùm naturā diuinā eos seruauerat efficienter, ac principaliter operando intus per gratiam. Verùm in hac secunda custodia nō differt Filius à Patre, & Spiritu sancto, quia tota Trinitas vnus est electorum custos & conseruator, cui soli dicitur: *Quid faciam tibi ô custos hominum?* Et alio loco: *Conserua me Domine, quoniā speraui in te.* Et vt Christus mox per mortem abiturus, de se quasi iā mortuo, & absente

Vnde perspicuū sit, Christi hanc orationē ad Patrem, quam cōmemorat Ioannes hoc capite, ad Apostolos propriè pertinere. Ioan. 6.

Christus Apostolos dupliciter seruauit, & custodiuit.

Christi Apostolorum custodia quę Patre & Spiritu sancto communis. Iob. 7. Psalm. 15.

loqui-

Qua ratione Iudas dicitur periisse, qui nondum perierat.
Matth. 27.

loquitur, ac si non esset ampliùs cum Apostolis: Vnde dixit: *Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt*: ita de Iuda loquitur quod perijt, cùm necdū perijsset, nec Dominum osculo prodidisset, & nonnisi cùm vidisset Iesum damnatum, laqueo se suspédisset. Quia tamen erat in proximo se præfocaturus laqueo, æternæque damnationi adiudicandus, de præterito ait, perijt. Quanquàm negari nō debeat, illum, quod attinet ad gratiam amissam, & gehennæ æternæ meritum, & proditioné promissam, omninò iam perijsse. Deinde perpende in hac exceptione, quod verbum illud sæpè repetitum à Christo; Quos dedisti mihi, intelligit secundùm discipulatum, siue adhæsionem officij, & gradus Apostolatus, & gratiam præsentem, siue fidem, alioqui locum non haberet exceptio. Nam de ijs, qui ab æterna prædestinatione dati erant Iesu, nullus perijt: duodecim enim sunt dati Christo, sed non omnes prædestinati.

Quid est illud tam frequens Christi dictum: Quos dedisti mihi.

Iudas cur dicatur Filius perditionis. I. sensus.

Tertiò aduerte, Iudam dici filium perditionis: non quòd Iesus eum noluerit seruari, qui tanta, vt à peccato resipisceret, & dixit, & fecit; & quia aliàs nō tradidisset eum Christo custodi, eique imputaretur perditio, cùm tamen scriptum sit: *Perditio tua Israël: tantummodò in me auxilium tuum.* Nec dicitur secundò Filius perditionis, quia natus sit ad perditionem, & prædestinatus vt traderet Iesum: absit. Quia Iudas liberatus fuit ab originali peccato, & aliquando bonus extitit, scilicet à principio, ante quàm auaritia cæcaretur. Deniq; quoniā asserere aliquem à Deo prædestinatum ad peccandum, non est de Domino in bonitate sentire. Nam audi quæso Leonem Papam in Concilio II. Arausicano definientem: *Aliquos autē diuina potestate prædestinatos ad malum, non solum nō credimus, sed et si sunt, qui tantum malum de Deo credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Hęc in eo Cōcilio nomine Leonis Papæ producuntur. Dicitur ergo perditionis filius, quia spontè ea fecit, quæ æternam animæ, & corporis, & boni nominis perditioné faciunt: peccans contra iustitiam, & fidelitaté, dum vt proditor vendidit mundi salutē, & contra misericordiam, ac clementiā Dei, dum iudicauit misericordiā Dei sua culpa maioré esse; ac proinde desperans se laqueo suspendit. Dilexit ergo maledictioné, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elōgata est ab eo. Adhæc diabolus perditio vocatur, teste Euthymio, qui omnes sibi obedientes perdit; & propterea filij eius sicut filij diaboli dicuntur. Simili ratione Antichristus à Paulo vocatur filius perditionis.

Ose. 13.

Alter sensus.

De Domino qui sentire nō videantur in bonitate. *Sap. 1.*
Conc. Arausican II. ca. 25.
Nullus diuina potestate ad malum est prædestinatus.
III. sensus, verus, & omni acceptione dignus.

Matth. 27.
Act. 1.
Psalm. 108.

Euthym.
Diabolus cur dicatur perditio.
2. Thess. 2.

Quartò perpende quod ait: *Vt Scriptura impleatur.* Chrysostomus in hęc verba scribit: *Non propterea perijt, vt impleretur: Hic enim proprius modus Scripturæ est, vt quæ euentus sunt, pro causa ponat.* Hæc ille. Tradendo ergo spontè, & pereundo, fecit vt Scriptura de se impleretur, quæ habet: *Diabolus stet à dextris eius*; Et, *Oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter.*

Chrys. ho. 68. in Ioan. to. 3.
Modus Scripturæ proprius secundū Chrysost.
Quomodo verum sit, perijsse Iudam, vt Scriptura impleretur.
Psal. 108.
Act. 1.

Nunc autem ad te venio. Secunda ratio redditur ex bono interni gaudij spiritualis, ad quod seruandi sunt: quod modò ipse illis studet ingerere. Et vt prima ratio ex præterito officio, & fructu sumpta est; ita hæc ex præsenti officio, & secuturo fructu. *Nunc*, inquit, *ad te venio*: subtrahens istis corporalem præsentiam, qua seruabam eos. *Et hæc loquor in mundo* adhuc existens, vt possim pro eis mereri. *Vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.* Id est, vt eo gaudio ipsi in se ipsis afficiantur, quo ego afficior, quòd sciam me à te per omnia seruari, non obstante passione, & morte. Fructus ergo præsentis officij est, vt participent internum meum gaudium spirituale, experimentum capiendo in proprijs animis de illo impleto. Nam ad hoc eos seruari oportet: quia gauisi sunt discipuli viso Domino; & accepto Paracleto Spiritu sancto glorificabunt Patrem & Filium. Et gaudium habent in semetipsis, qui non aliunde illud quærant, sed in se ipsis a Deo, cui credunt, & fidunt. Atque ita impletur gaudium Domini, subinde illud adaugendo, donec ad perfectionem gaudij in patria perueniant. Illis autem verbis: *Ego ad te venio*; Et, *hæc loquor in mundo*, satis indicat, cur tam longam habuerit orationem, quasi dicat: Non quidem mei caussa feci hæc: certus sum enim de mea glorificatione: nec ideo quòd de te Patre meo, ac de tua voluntate quicquam dubitem: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis; non enim durus est & inexorabilis; sed propter vos, vt gaudium in vobis sit. Quid enim magis consolari potest, quàm nosse, Christum semper exauditum à Patre, deprecatumque fuisse pro nobis, nosque illi commendasse: *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit.*

II. ratio, cur Christus Apostolos Patri commendet suo.

Apostoli vt haberēt gaudium Christi impletum in semetipsis.

Ioan. 20.

Quomodo gaudium Domini impleatur.

Caussa huius Christi orationis ad Patrem.

Ioan. 16.
Summū hominis solatiū quodnam sit.
Hebr. 5.

Tertia adiungitur ratio, per quam eos Diuino auxilio dignos ostendit. Ego, inquit, non solùm verbo prædicaui Euangelium, sed etiam intus per gratiā dedi eis sermonem tuum, inscribendo legem Euāgelicam in mētibus eorum, vt ipsis dulcescat, ad quod opus est gratia: dedi præterea eis sermonē tuum alijs prædicādum; ad quod opus

III. ratio Christi pro Apostolis supplicandi.
Ierem. 31.

opus est fortitudine. Ideo pro eis rogo. *Et mundus eos odio habuit.* Id est, habebit; reprobi enim mundanis bonis inhærentes, solēt odio habere suscipiētes sermonem tuum, quasi concipientes Christum in corde per fidem; & prædicantes, id est, parturientes Christum in aliorum cordibus. Nō solùm ergo longè à patria sua; tanquàm exules, & nullum præsidium habentes coguntur in mundo diutiùs non permanere, sed etiam persecutiones graues, & acerbas perpessuri sunt: qui ideo digni existunt, qui à te consolentur. Tibi enim derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Et ne mundus videatur magis suos diligere, suorumque curam maiorem gerere, quibus gaudij nonnihil concedit; quàm tu Pater de tuis habeas, eos deserendo, subdit: *Quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Magnam differētiam constituimus superiùs inter esse aliquem de mundo, & esse in mundo. Sunt enim de mūdo, quibus sapit mundus, & qui habent concupiscentiam carnis & oculorum, atq; superbiam vitæ: qui mūdi legibus se accommodant, atque in illis summum bonum constituunt. In mundo verò sunt iusti & sancti, qui mundo bellum indixerunt, & ab eo, tanquàm ab Ægypto exierunt. Ait ergo, Nō sunt de mundo, id est, non sunt mundo inuisi quòd fures sint adulteri, & homicidæ; sed quia immunes à vitijs, & peccatis mundi sunt; & spreta Philosophorū, & Pharisæorum doctrina, simplici fide meis decretis parent. Item quia mundo contraria docēt, ibi impietatem esse prædicantes, vbi mundus ponit iustitiam, & innocentiam. Deniq; odio sunt mūdo, quia hæreditarium eis reliquæ prædicandæ veritatis officium. Veritas autem odium parit. Et ne graue videretur ipsis pati mundi odium, ad eorum consolationē, subiungit: *Sicut & ego non sum de mundo.* Idem etiam dixit ad doctrinā, vt discerent mundo esse dissimiles, quemadmodū Apostolus, qui dicebat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Hoc enim citò tolli de mundo per mortem, vel rapi, vt Elias, & Henoch, nec ipsis prodesset, nec mundo, nec Euangelio. Non quidem ipsis, quia multò ampliores meritorum progressus facient in mundo manendo, & seminando Euangelium, Ecclesiamq; plantando, & pro veritate patiendo, quam si breui de mūdo eriperentur. Deinde nec ipsi quidem mundo prodessent: quia ablatis columnis mundus non subsisteret, & ablatis meritis Apostolorum, nisi solidum maneret in Ecclesia: propter vites enim fructum edentes, baculi infructuosi ad eas sustentādas supponuntur. Et si de mundo tollerentur, quo vehiculo, quibusve curribus, aut equitatu in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? Tu enim postulanti mihi dedisti Gentes hæreditatem meam, & possessionē meam terminos terræ. Soli enim Apostoli ad id erant apti, & instructi, de quibus Propheta prædixerat: *Ascendens super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Vnde Paulus etsi cuperet dissolui, & esse cum Christo, subiunxit tamen: *Permanere autem in carne, magis necessarium propter vos:* & magnus ille Martinus: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Tertiò nec ipsi quoq; Euangelio congruebat: quod non nisi per aliquos plenè persuasos, & qui oculis proprijs veritatem ipsam cōspexissent, tradendum erat, ita vt dicerent ipsi: *Non possumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui:* & alter: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, qd' perspeximus, & manus nostræ cōtrectauerunt de Verbo vitæ:* vt parati essent pro veritate Euāgelij sanguinem fundere. Cùm ergo Iesus non roget, vt tollamur è mundo, nec nos rogare debemus, sed poti⁹ vt hic, & vbi velit, opera nostra vtatur: tantùm nos à malo eripiat. Ipse enim suo tempore colliget frumentum in horreum, & fructū de arbore maturum, vt bonus agricola. *Sed vt serues eos, inquit, à malo.* Non ait, ab odijs, ac persecutionib. quia hoc saluti eorum nō expediebat: nā beati qui persecutionē patiūtur propter iustitiam, sed vt seruaret eos à malo, id est, peccato, quod verū est, & summū malum, ne vel per impatientiam, vel inconstantiam, vel per timorem, aut proximi odium deficerent in aduersis, quò ita diligētibus Deum omnia cooperarentur in bonum. Et vt Christus hic orauit vt seruarentur Apostoli, ita nos in precatione Dominica oramus: *Sed libera nos à malo.* Et tam hic, quā ibi habet Græcè, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quod signat malignū, siue improbum illum, dæmonem scilicet: à quo vt à latrone nocturno, & lupo vespertino seruari petimus, ne aut verbo Dei, & gratia nos spoliet, aut deuoret, & perdat per desperationem. Et ab illo vno singulariter liberari postulamus, quoniam in omnibus aduersis quæ nobis contingunt, se immiscet, vt per illa nostrā frangat constantiam, aut charitatem extinguat, aut fidem debilitet. Instruimur ergo preces assiduas, & ex sincero corde profectas ad Deum fundere, vt nos ab huius maligni insidijs, & & fraudulentis consilijs libe-

Quis mūdus odio habuerit Apostolos.

Cur digni illi fuerint diuino solatio.

Psal. 9.

Esse de mundo, & in esse mundo, differunt.

1. Ioan. 2.

Apostoli qua re non erant de mundo.

Tert. in And. act. 1 scen 1.

Quorsum id, Sicut ego nō sum de mundo.

Galat. 6.

Quare Christus Apostolos non roget tolli de mundo.

4 Reg. 2.

Gen. 5.

II. ratio.

Apostolorū necessitas in Ecclesia.

Psalm. 18.

Psal 2.

Apostoli vbi olim adumbrati.

Habac. 3.

Philip. 1.

III. ratio.

Act. 4.

1. Ioan. 1.

Quid & rogare debeamus cum Christo.

Matth. 13.

Seruari Apostolos à malo, quid.

Matth. 5.

Rom. 8.

Matth. 6.

A quo malo seruare Apostoli debeāt.

Rom. 16.

liberet, & conterat Satanam sub pedibus nostris velociter, benè fauente, atq; hoc ipsum præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto, semper viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS LXXVIII.

In illa verba: *De mundo non sunt, sicut & ego de mundo non sum. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quia tu me misisti.* Ioan. 17.

Apostoli in Ecclesia Dei quales esse debuerint.

QVEMADMODVM in vniuerso hoc corporeo quasi diuina quadam fabrica sunt partes quædam firmæ, & perpetuæ, vt cœli, & quatuor Elementa, quæ quantùm ad se tota omninò deficere non possunt, cætera verò alia, quæ mixta à Philosophis dicuntur, generationi, & corruptioni, atque adeò multiplici transmutationi sunt obnoxia: ita in Ecclesiæ sanctæ domicilio, à Christo sapientissimo architecto partes quędam sunt solidæ, atq; constantes, id est, Apostoli, qui totam Ecclesiæ molem sustinebant; ideo oportuit eos solidioribus, & firmoribus diuinæ gratiæ subsidijs cõfirmari, quòd domus supra firmam petram posita non corrueret. Nam vt in exercitu vnum, aut alterum, aut plures milites cadere nil refert, grandis autem foret iactura, si vel vnus ex ducibus interiret: ita in Ecclesia Dei aliquos à gratia Dei excidere, aliquod incommodum est: at vbi aliquis ex maioribus per hæresim, vel per deprauatam vitam corruerit, magnum exitium adfert Ecclesiæ, quia eius exemplo ad peccandum alij permouentur. Propterea Dominus hoc loco confirmationis donum pro Apostolis postulauit, dicendo: *De mundo sunt, sicut ego de mundo non sum. Sanctifica eos in veritate, &c.* Vbi primũ aduerte, Christum sæpè repetisse illam clausulam: *Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo:* Tum vt intelligamus qui sint illi, pro quibus Christus preces fundit ad Patrem: non enim pro his qui humanis voluptatibus sunt dediti, sed pro illis, qui animo, vitæque sanctæ actionibus è mundo exierunt: tum vt ostendat eos magno indigere subsidio: nam qui ciues Sanctorum, & domestici Dei facti sunt, eos pro alienis mũdus habet, eosq; persequitur: ac proinde cũ inter medios hostes versentur, auxilio diuino indigent, quemadmodum Israëlitæ de Ægypto egressi, & in deserto existentes, magnis difficultatibus premebantur, nisi illis vis diuina adfuisset. Itaque vt pater de filio paruulo, & olitor de nouis plantis, & pastor de agnis nuper natis peculiarem curam, & custodiam exercet: ita Christus de Apostolis, quod ad fortia prouehere volebat. Demùm vt & ipsi agnoscentes se nõ esse de mundo, velut mundo mortui viuerent, nihil de mundi odio, aut persecutionibus soliciti.

Cur toties Apostoli dicantur non esse de hoc mundo.

Pro quibus Christus preces fundat ad Patrem. Ephes. 2.

Quomodo Christus Apostolos seruaret & custodiret.

Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Declarandum est verbum, sanctificare, vt meliùs intelligamus quid sit illud, quod pro Apostolis petit; & quid sit item veritas, in qua vult illos sanctificari. Ad primum igitur, verbum sanctificare nihil est aliud, quàm sanctum facere, siue Diuino cultui mancipare, & applicare; ideo templum, vasa, vestes, & cætera omnia, quæ ministerio templi dedicabantur, sancta dicuntur, id est, Deo dicata, & applicata. Hinc Dominus benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: id est, in diuinum cultum ab alijs diebus segregauit. Ita etiam dicitur: *Sanctifica mihi omne primogenitum: quod aperit vuluam in filijs Israël.* Ideo dicitur ciuitas sancta Ierosolyma; quia in ea Diuinus cultus & sacrificia peragebantur. Est quoque in Leuitico: *Sanctificabis annũ quinquagesimum:* hinc qui baptizãtur, sancti, vel sanctificati dicuntur, quia Christo, & eius cultui offeruntur. Quia verò quæcunq; Deo applicantur, munda, pura, atq; immaculata esse debẽt, ne alioqui Deus videatur contemni; idcirco animalia debilia, aut trunca, aut immunda à sacrificio reijciebat, vt habes apud Malachiam: & ad Sacerdotium promoueri non permittebat aut luscum, aut leprosum, aut magnum vel tortum nasum habentem, aut aliquo membro, & sensu priuatum, vt habes in lib. Leuitici. Hinc sanctificare, idem est quod mundare, & ab omni sorde, & pollutione peccati expurgare. Hinc accepturis legẽ Iudæis Dominus dixit: Sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua: & Iob quotidiè sanctificabat filios suos, & ita sanctificatur vir infidelis per mulierẽ fidelem, & è contrario. At verò quia quæcunq; Deo sanctificãtur, per aliquã cæremoniam Deo applicantur: hinc belluæ, & ratione carentes sola oblatione,

Sanctificare propriè quid sit.

Gen. 2. Exod 13. Num. 8. Leuit. 12. Matth. 4. & 27.

Leuit. 25.

Quales Deo victimæ olim offerri debebant.

Malach. 1.

Leuit. 21.

Exod. 19. Iob 1. 1. Cor. 7.

Homines vt Deo verè perfectèque applicentur, consecrenturque.

tione, vel morte, vel vnctione à Sacerdote sanctificabantur. Tali ritu etiam altaria sacrabantur: at homines ratione præditi Deo perfectè nisi per gratiam Dei non applicantur, per quam Deus verè fit noster, & nos eius serui, filij, & amici: hinc sanctificare est, gratiæ sanctitatem conferre creaturę rationali: ita Christus dicitur sanctificatus, quia ex nō sancto sanctus factus est, quemadmodum apud Ioannem ipse de se dixit: *Quem pater sanctificauit, & misit in mundum.* Porrò Christus dicitur factus sanctus ex nō sancto, non quòd Christus aliquando fuerit nō sanctus, sed quòd nos prius naturam cogitamus animā Christi, quam sanctam. Ita etiā B. Virgo dicitur sanctificata, de qua illud multi accipiunt: Sanctificauit tabernaculum suū altissimus. Atque hac ratione Angeli dicuntur sancti. Ita Adā & Eua sancti effecti in conditione sua: non quod vllam immūditiam peccati prius habuissent, quemadmodum nec Angeli, nec beata virgo, nec ipse Christus, sed quia gratię sanctitatem Dei munificentia sunt adepti. Nec semper homo ex immundo, aut polluto fit sanctus, sed vel ex nō sancto sanctus, vt prędicta omnia exempla ostēdunt, vel ex sancto sanctior: *Qui iustus est*, inquit, *iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* At verò si in homine contingat immunditiam, siue pollutionē peccati præcedere; tunc sanctificari, non tantùm est gratię sanctitatē recipere, sed etiam peccati sordem per illā ablui. Hinc Paulus ait: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei*; & ad Ieremiā dixit: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te*, mundando scilicet à peccato originali. Quia verò quæ sancta sunt, & diuino applicata cultui, non possunt amplius in profanos vsus conuerti, ideo sanctificare, est confirmare, & in semel adepta munditia stabilire. Vnde sancire Latinis, est aliquid solidum, firmum atque perpetuò duraturū constituere. Hæc autem confirmatio, nō nisi ex gratiæ diuinæ incremento consurgit. Hinc Christus dicitur prædestinatus secundum Spiritum sanctificationis, corroborantis scilicet in veritate, & sanctitate: & Apostolus Corinthijs scribit: *Qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine*, & Petrus Apostolorum Princeps: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitq;*. Ex his colligimus, sanctificare esse Deo aliquem applicare per communicationem gratiæ, vel sanctitatem, non sanctis conferentis, vel ab actu peccati mundantis, vel à potentia peccandi liberantis. Atque in hac postrema significatione eos qui ad patriam iam peruenerunt, & ciues sanctorum, & domestici Dei facti sunt, vocamus sanctos, hoc est, firmos & solidos in gratia, & amicitia Dei, siue in adepta munditia. Hic verò petere videtur Christus Spiritum sanctificantem, & confirmantem in gratia, & veritate.

Ioan. 10.

Christus eiusque virgo mater vt fuerint sanctificati.

Psal. 45.

1. Tim. 5.

Apoc. 22.

Altera sanctificationis species.

2. Cor. 7.

Ierem. 1.

Sancire quid.

Vnde oriatur sanctificatio, confirmatio ve.

Rom. 1.

1. Cor. 9.

1. Pet. 5.

Quos ferè vocemus sanctos.

Pro cuius rei maiori intelligentia aduertendum est; duplicem esse cōfirmationem, quia intellectu, & voluntate infirmi sumus, atque mutabiles: alteram in doctrina, per quam Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis, non potest, aut falsa dogmata amplecti, aut filijs talia credenda proponere: hoc autem facit Spiritus sanctus magister in ea residens, & eam omnem veritatem erudiens. Altera sanctificatio est perseuerantia, & firmitas voluntatis humanæ in bono: atque hæc Mariæ Virgini ac Deiparæ, Ioanni Baptistæ, Apostolis, atque alijs quibusdam electis singulari Dei priuilegio cōcessa fuisse creditur in die Pentecostes, pro qua hic Dominus precatur, & de qua Dauid dixit: *Confirma hoc Deus, quod operatus est in nobis.* Nam vt in ædificio columnæ fabricæ sustentant pondus, & in corpore humano ossa solida carnem debilem fulciunt, & in exercitu duces, ac viri fortissimi belli pondus sustinent, qui sua sapientia, & ducatu inferiorum militum animos accendunt: ita in Ecclesia Dei debebant esse quidam veluti ossa infracta, ducesq; strenui, atque columnæ aliorum, de quibus dicitur: Ego confirmaui columnas eius. Ideò diuinam decuit prouidentiam tales nobis exhibere Apostolos, qui neque à fide excidere, nec à gratia per crimen mortiferum prolabi possent, nam etsi leuiter delinquere possent, illa delicta tamen gratia, aut perfectione non spoliant: in cœlo autem perfectior erit, atque excellentior confirmatio, vbi tota, vel venialiter peccandi potentia absorpta erit. De prima sanctificatione in doctrina potest intelligi primum hoc verbum: *Sanctifica eos in veritate*, scilicet sermonum tuorum, vel dogmatum, quod ab Spiritu sancto sibi assistente habet Ecclesia, vt ita Apostoli luce veritatis firmati, dæmoni sophistæ, & eius organis hæreticis resistere valeant, qua possint mundi consilia euertere, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, ex dialecticis, & acutis syllogismis, aut ex Philosophorum arcanis, aut ex linguarū peritia confectam destruere. Et ita promisit Christus portas inferi non præualituras in Petrum, hoc est, in Episcopum Ro-

Confirmatio siue sanctificatio, duplex.

1. Tim. 3.

Ioan. 16.

Psalm 67.

Apostoli Apostolicique viri quibus similes sint in Ecclesia Dei.

Psal. 74.

In cœlo qualis sanctificatio futura.

Ecclesiæ sanctificatio vnde pendeat.

2. Cor 10.

Matth 16.

manum Christi Vicarium, & Petri successorem, ac proinde nec in Ecclesiam eius, quæ mater est, & magistra omnium Ecclesiarum: siue ille in consultationem adhibeat Concilium Oecumenicum, siue viros sapientes, ac excellenti doctrina præditos, quos de more penes se habere solet, ac debet. Nam illud Romanæ Ecclesiæ priuilegium, non tam est ob ipsam Ecclesiam Romanam, quàm ob Ecclesiam per vniuersum orbem diffusam, cuius iudicium in omnibus amplecti, sequique debet.

Ecclesia Romana, omniũ Ecclesiarum mater est, & magistra.

Potest secundò hic locus intelligi de altero genere confirmationis in gratia Dei: *Sanctifica*, inquit, *eos in veritate tua* (ita enim Græcè legitur) & potest intelligi nomine veritatis, aut ipse Christus, qui de se dixit: *Ego sum via, & veritas, & vita*, & quam Pilato curiosius interroganti, sed instabili non indicauit; aut veritas doctrinæ, & vitæ, & iustitiæ, quæ in Euangelio traduntur apertè, & perspicuè, non in vmbris, aut figuris, vt olim in lege. Erit igitur sensus: Confirma tuos in gratia semel obtenta, nec ab illa excidere sinas, aut propter technas, & insidias dæmonis, aut propter carnis blanditias, aut propter mundi terrentis, vel allicientis tentationes, aut propter propriæ voluntatis mobilitatem, & inconstantiam: ita vt dicere valeamus: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c.* De hoc munere videtur loqui Apostolus ad Thessalonicenses, cùm ait: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia aut integer Spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Hoc autem donum facilè est Deo cõcedere: vel corroborando volũtatem gratia sua, ne ad malum flecti valeat, vel intellectum illustrando, ita vt nullum malum boni speciem habens illi occurrat, de quo non peculiariter erudiatur, quia nunquam voluntatis est ferri in id, quod apertè malum esse cognoscit, nisi quibusdam integumentis, inuolucrisque rationem aliquam honesti, aut vtilis, aut delectabilis boni induerit. Neque hæc sanctificatio, aut confirmatio Deo repugnat, qui omnia potest: aut Christo, qui omnia dona suo sanguine promeruit, & in eius gloriam cedunt, per quamque confirmationem ipsi Christo confirmatissimo in gratia similes reddimur. Neque Scripturis repugnat, quæ confirmationem, sanctificationemque pollicentur, & Paulus ait: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Nec nobis aduersatur, quia etsi ex natura nostra Proteo ipso mutabiliores simus, ex

Alter sensus. *Ioan. 14.* *Infra 18.* *Hebr. 10.* *Vnde homines excidant à gratia Dei.* *Rom. 8.* *1. Thess. 5.* *Quemadmodum homines in gratia Dei confirmentur, ab eoq; sanctificentur.* *Confirmationis donum nec Deo, nec Christo, neq; Scripturis, aut nobis repugnare ostenditur.* *Rom. 8.*

gratia dij efficimur, & filij excelsi omnes. Nec denique libero arbitrio opponitur, quia illud per confirmationem non tollitur, imò perficitur potius, vt constat in Christo, & Virgine, & Apostolis post Pentecostẽ: quia nec est liberum arbitrium, aut eius vlla pars posse peccare, sicut posse cadere, vel ægrotare, vel mori, non est potentia, sed impotentia. Estque hæc confirmatio excellentissimum Dei donum, quo homo infirmus redditur constantissimus, ac solidissimus: estque perinde ac dicere, butyrum gladio impenetrabile, aut vitrum infractum, quòd frangi nequeat; cùm natura sua butyrum sit molle, & vitrum fragile. Sunt qui exponant: *Sanctifica eos in veritate:* Id est, separa eos ad verbum prædicandum, & fac eos sacrificium, quod veritati administrent tuæ, cui suam vitam consecrent, & pro veritate se sacrificent. Et prius rogaui, Serua eos à malo. Et ne putes satis esse hoc, ponit alteram partem iustitiæ, quæ est facere bonum, dicendo: Sanctifica eos in veritate, vel in veritate, id est, cõstantia, promissorumque fideli obseruantia de dando Spiritu sancto, Sanctifica eos: quia sermo tuus promittens veritas est, hoc est verax, certus, & constans est. *Sermo tuus veritas est.* Hoc est, diuinum verbum, & increatum, ipsissima est veritas: per quam solam sanctificamur, si fide illam amplectamur, Sacramento induamus, operibusque sanctæ vitæ illam ostendamus. Vel loquitur de sermone Euangelico, quod prędicabat, de quo: *Principium verborum tuorum veritas.* Sermo enim Christi magna veritatis excellentia prȩditus est: nam mundi sapientia multum falsitatis habet admixtum: lex Mosaica rerum vmbris, & integumentis est celata; at sermo tuus, quem ego docui, & qui non meus, sed est eius, qui misit me Patris, pura est veritas, fucos nescit, vmbras ignorat, omnem falsitatem prodit, atque depellit, & nostræ veræ sanctificationis caussa est, & instrumentum: vnde & Euangelium dicitur veritatis, & regni Dei.

Sicut & tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Id est, meritò sanctificandi sunt Apostoli in veritate, quia ad sermonem tuum (qui veritas est, odiosa tamen mundo) toti orbi prædicandum ex charitate eos ego mitto, sicut tu ex charitate me misisti in mundum ad prędicãdum. Et quemadmodum ego à te sanctificatus missus sum in hunc mundũ; ita & illi egent sanctificatione tua, vt dignè fungantur vice mea, & ministerio suo. Missus est autem Christus à Patre sine vllis humanis prȩsidijs, aut pecunijs, aut armis, aut militibus,

Psalm. 81. *Arbitrij libertatem confirmat non demum non modo non tollit, sed etiam perficit.* *II. sensus eius dicti, Sanctifica eos in veritate.* *Duæ partes iustitiæ.* *Psalm. 33. & 1. Pet. 3.* *IV. sensus.* *Quid: Sermo tuus veritas est.* *Psalm. 118.* *Alter sensus.* *Hebr. 10.* *Ioan. 7.* *Actor. 20.* *Matth. 4. & alibi.* *Quemadmodum Deus Pater Christum miserit, hic autem Apostolos in mundum.*

sed

Luc. 9. sed cum summa paupertate, nō habens vbi caput reclinet: ita ego hos meos tanquam Infrà 20. agnos inter lupos emitto, vt contra totam mundi potentiam, sapientiam, atque iustitiam decertent, & gloriosum referant tri- 1. Cor. 1. umphum. Proinde Spiritus sancti confirmatione indigent: quem propterea antequam emitterentur, receperunt. Dixit au- Hebraismus. tem de præterito Misi, pro Mittam, more vatum, cùm antea solùm in Iudæam emisisset eos, necdum enim dixerat: *Euntes in* Matth. 10. Marc. vlt. *mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Quomodo Christus pro Apostolis sanctificauerit seipsum.

Et pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Etsi possit exponi, Iesum se sanctificasse opera sancta faciendo, ac se se sanctum ostendisse, quò nobis gratiam promereretur, & gloriam: tamen quia propriè sanctificare, est diuino cultui applicare, & sacrificium offerre; ideo sensus est: Ego Deo Patri me offero in cruce in veram, & acceptabilem hostiam, & in sacrificium vespertinum in odorem suauitatis, nō solùm pro eorū peccatis abluendis immolandùm, sed etiam pro dono confirmationis eorum impetrando: vt sint & ipsi sanctificati in veritate, id est, corroborati, & verè sancti in iustitia: & non vt olim typica, siue legalia sacrificia, sed qui se Deo offerant in prædicandæ veritatis testimonium, &, si opus sit, pro veritate tuenda, in sacrificium, & immolationem se se offerāt. In hunc modum hoc verbum exponunt Chrysostomus, & Theophylactus, cuius Chrys. ho. 81. in Ioan. to. 13. Theophyl. hæc sunt verba: *Sanctifica eos in veritate tua, hoc est, separa eos in verbum, & prædicationem, & fac eos sacrificiū, quod veritati tuæ ministret, huic suam vitam consecrent.* Sic ille. Hæc est illa confirmationis gratia, de qua suprà: quæ tāta est, vt quis illa indutus malit mortem, quàm veritatem deserere. Cæterùm etsi Iesus esset natus sanctus, secundùm illud: *Quod ex te nascetur sanctū, vocabitur filius Dei*, iterum tamē per passionis, & obedientiæ merita se in cruce offerendo, sanctificauit pro nobis. Non solùm ergo suos à Patre sanctificari petit, sed & sese sanctificatorem à Deo missum pro eis sanctificat, quo Apostoli magis sanctificentur. Quisquis ergo à Deo sanctificatus est, sanctificet seipsum pro alijs sanctificandis. Sic Iesus qui Matth. 3. ad baptismum venit sanctus, iterum se sanctificauit, non quidem maiorem sanctitatem adipiscendo in seipso, qui plenus erat gratia, & Spiritu, sed vt maius sanctitatis meritum nobis compararet, & in se alios emundaret, exemploq; suo alijs præluceret: ita nunc ad baptismum sanguinis in cruce venit, quò Apostoli sanctificati à Deo & Spiritu sancto baptizati, sanguinis quoque nō formidarent baptismum, quo aliorum spem alerent, & ad sanctificationem inuitarent, & sic in eis impleatur verbum Ioannis: *Qui sanctus est* (scilicet in seipso) *sanctificetur adhuc*, scilicet pro alijs. Quod autem tradiderit se ipsum in hostiam viuam pro alijs sanctificandis declarat Apostolus, dicens: *Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea:* vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Vsus est autem Dominus Iesus potius verbo sanctificandi, quàm sacrificandi; vt ea voce innuat se sordidum fuisse: sed addendo pro eis, innuit se sorduisse per alienas, non per proprias sordes. Vnde & Esaias inquit: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrū*, & apud Zachariam Iesus pollutus sordibus induitur. Et cùm ait: *Vt sint & ipsi sanctificati in veritate*, indicat: Christum quę pro nobis fecit, non ob id fecisse, ne idem nos faciamus; sed potius vt eum imitari valeamus. Vnde Dilectus ait: *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est*, subseruiens videlicet diuinæ sanctificationi, quæ erga ipsum fit. Et Apostolus: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam.* Non ergo satis est, Christum fuisse sanctum, nisi & tu sis sanctus, & sanctus in veritate. Euthymius hæc verba aliter exponit, dicens: *Vt & ipsi immolati sint per veram hostiam: legalis siquidem victima figura erat, non veritas, vt & ipsi immolati sint, capite videlicet ipsorum immolato. Vel etiam tanquam, & ipsi immolati. Habiti sumus, inquit, sicut oues cadi deputatæ.* Hæc ille.

Cui & nos Deus sanctificet. Apocal. 22. Ephes. 5. A quibus sordibus Christus sanctificauerit, & emundauerit seipsum. Esa. 53. Zachar. 3. Quorsum id: Vt sint & ipsi sanctificati in veritate. 1. Ioan. 3. Rom. 12. Alter sensus. Rom. 8. Euthym.

Confirmationis donum quàm sit eximium. Luc. 1. Quare Christus pro Apostolis sanctificauerit seipsum.

Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ne quis erraret, existimando ad solos Apostolos spectare hæc; declarat se pro omnibus in se credituris postulare: non enim hoc esset Saluatoris vniuersalis. Ex quo patet, quod non omnia quæ Apostolis, vel pro Apostolis dicebat, omnibus diceret; sed tantùm illa, quæ exprimebat ipse, vt illud: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Marc. 13. Si fortè in contrarium quis dicat, hoc non esse additionem precibus Christi factam, sed declarationem, qua intelligi voluit id quod Apostolis precatus erat, omnibus, qui crederent verbo Dei, postulatum esse: hanc tamen declarationem non propter Deum, qui conscius eius erat, sed propter nos tantum fecit. Dicendum tamen videtur,

Quare Christus non solùm pro Apostolis, sed pro omnibus eū in eum crediturus dicat se orare. Eane Domini sententia, additio quædam, an declaratio sit eorum quæ Deo postulauerat.

tur, reuera potius fuisse additionem: non enim omnia, quæ pro Apostolis precatus erat Dominus, omnibus alijs credẽtibus cõcedit: nec tantùm gratiæ diuinæ donum est alijs impensum, quia semper primũ locum habent Apostoli. Hoc autem peculiare donum sanctificandi seipsum pro vnitate tuenda, non tantùm Apostoli habuerunt; sed etiam oẽs omnis tẽporis martyres, qui veritate fidei Catholicę sanguine suo subscripserunt. Perpende ergo, quòd non oret pro omnib⁹ futuris hominibus, sed pro omnibus credituris: soli enim credẽtes membra sunt Christi capitis. Atq; hoc quidẽ generaliter sine experiẽtia vlla, ne q̃s aut Iudæus aut Gẽtilis à fructu orationis huius videatur exclusus. Et ait: *In me*, quia non satis est omnis fides, nisi in Christum per fidẽ dilectione operantẽ credatur. Nec, inquit, qui per vos credent, ne soli illi videãtur includi, quos Apostoli viua voce conuerterunt, sed qui per verbum eorũ credituri sunt, siue proximè, siue remotè verbum eorum sit susceptũ; vt & nos posteri, q̃ mortuis Apostolis credidimus, includamur, & consolemur.

Christus quã postulet fidẽ in se. *Galat 5.*

Cur dicitur in tertia persona de Apostolis: pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.

Non enim in Ecclesia credimus nisi verbo Apostolorũ ad nos per Patres transmisso: cuius rei Symbolum Apostolorum locupletissimus est testis, quod qui fide accipit, in verbũ Apostolorũ credit. At Apostolorum verbo nõ tanquã humano credimus, sed tanquã diuino, à Iesu primò in Apostolos transfuso, & per eosdẽ in vniuersam Ecclesiam deriuato: quod credere, nõ est aliud, quàm in Iesum ipsum credere, qui cùm vnus sit magister, intus quoq; mouet, ac docet. Nec vocat verbum eorũ quasi ab eis sit inuentũ, sed quia eorũ fidei commissum primò. Quare ab hac prece nõ excluduntur latro, & Paulus, vt August. docet, q̃ etsi non crediderunt per verbum ab Apostolis prædicatum, crediderunt tamen per verbum eorũ, quod ipsi alijs prædicârunt.

Verbo Apostolorũ quatenus credamus.

Cur verbum Apostolorũ nominetur. *Luc. 23. Act. 7. Aug trac 110 in Ioan. to. 9. Psalm 43.*

Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnũ sint. Ecce donum vnitatis, quod in vniuersum petit Dominus Iesus pro omnibus credentibus; nõ autem alia eximia dona, quæ solis Apostolis, vel Martyribus Christus parauit. Pro omnibus ergo credituris in Christum, petit, vnitatem dogmatum Fidei, iam verbo definitæ, vel quasi facto ipso definitæ: nam qui deficit ab vnitate fidei Catholicæ, hæreticus est. Vnum etiam, vinculo charitatis, & amoris mutui, sine quo nihil iuuat fides, vel montes transferens: in qua vna qui deficit, factus est omnium reus: vt exponit Augustinus. Vnum etiam corpus mysticũ, vt iã non sit distinctio inter Iudęos & Gręcos, sed ex duobus vnus populus fiat, pariete inimicitiarũ, & macerię legis soluto. Cõtra quod grauiter delinquunt, qui stultis ac vanis carnis genealogijs studiosius inuigilãt, vt videantur oculos carnis Christo tantùm tribuere. Vnum etiã corpus, per eiusdem finis expetitionem, & pręsidiorum ad illud ducentium apprehẽsionem: omniaq; Dei dona, q̃ singuli habent, ad aliorum cõmodum & salutem se habere intelligant, ea ratione qua membra in eodẽ corpore, quæ singulariter habẽt, in totius corporis beneficium exercent, vt sine vlla etiã inuidentia quòd hic vel ille maiorib⁹ donis temporalibus, aut spiritualibus, abundet; quia quod habet vnus, pro toto corpore habet: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint:* hoc verbum explicans Conc. Later. sub Innoc. III. ita habet: *Cùm ergo veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat: Volo, inquiẽs, vt ipsi sint vnum, sicut & nos vnum sumus: hoc nomen, vnũ, pro fidelibus quidẽ accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia, pro personis verò diuinis, vt attendatur identitatis in natura vnitas, quemadmodum veritas alibi ait: Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est: perfectione naturæ, vtraq; videlicet suo modo: quia inter creatorem, & creaturã non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.* Hæc ibi.

Quare Christus, nõ Apostolis solùm, sed etiã omnibus credentibus, à Deo petat donũ vnitatis.

Altera vnitas credentium in Christum. *1. Cor 13. Aug. ibid. Iacob. 2.* III. vnitas.

Rom 6. Ephes. 2. Tit. 3. IV. vnitas.

Conc. Later. c. 2.

Matth 6. Inter creatorem & creaturas nõ potest tãta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda, ait Innoc. III.

Fundata ergo vnione in Patre, & Filio per Spiritũ, seruare debemus vnitatẽ amoris inter nos. Ideo qui se ab vnitate tollit, non illam, q̃ est tunica incõsutilis, & quæ secari non potest, sed seipsum ab ea p̃scindit. Vnitas aũt Christianorum signum est, & argumentũ, quòd Deus est in eis; sicut diuisio hęreticorũ, quòd dęmon est illorũ doctor, & institutor: *Vt & ipsi in nobis vnũ sint.* Exponit modũ, quo ipsi electi debent esse vnum in nobis, id est, in Patre, & me. Et signatur modus vt fructus prioris vnitatis inter Patrem, & Iesum, sicut illa cõiunctio, vt, indicat. Sunt aũt electi vnum cũ Patre, & Iesu; in hoc, quòd sunt vnius Fidei, Spei, & Charitatis, iuxta illam parabolã de vite: *Manete in me, & ego in vobis.* Et infrà: *Manete in dilectione mea.* Neque quęlibet vnitas Deo placet, sed illa tantùm, quæ ex Deo est, & in Deum dirigitur. Multi enim vniũtur inuicem sine præcedẽti vnione ad Deum, vt adulteri, fures, & homicidæ; quorum cõiunctio atq; societas horaria est atq; momẽtanea, de qua Prou. 1. Salomon ait: *Sortem mitte nobiscum, marsupium vnũ sit omnium nostrũ.* Ideo qui cõiunguntur matrimonio, prius debẽt Deo cõiungi: hęc enim est fortis colligatio, vbi Deus est in Christo, & Christus in nobis, & nos mutuo cohæremus. Deus Pater radix eius est, & stipes Christus & Spiritus

Ioan. 19. Christianorum vnitas quid denotet hæreticorum que diuisio.

Electi quomodo sint vnum cum Patre, & Iesu. *Ioan 15.* Vnitas quænam sit Deo placens, & accepta.

Fortis colligatio quæ sit.

ritus sanctus succus, nos rami; opera nostra fructus sunt huius vnitatis. Porrò Dominus hanc à nobis exigit vnitatem, deditque illa adiumenta, quibus illam præstaremus. Nam vt cum ipso coniungamur, accepit à nobis naturam nostram; & contra dedit nobis corpus & sanguinem suum: vt autem etiam cum Deo vniamur, dedit nobis Spiritum suum. Hic est ergo Christianismus verus, vnum esse cum Deo per fidem, & amorem; & vnum cum proximo per opera iustitiæ, & misericordiæ per amorem.

Christianismus verus quis.

Qualem esse velit Christus inter se fidelium vnitatē.

Vt credat mūdus, quia tu me misisti. Saluator mundi hanc credentium suorū, & Dei coniunctionem obscuram esse non patitur, sed tam claram esse voluit, vt mūdus eam spectans seruari possit. Mundus enim, q Iesum vt hostem acceperat, considerauit esse Dei nuntium, & talem nuntium, qui in se credentes Deo coniungat; vt sic & ipse mūdus Christi esse velit, seq; regi ab eo seriò petat. En hic pro mundo rogat, quod suprà negare videbatur: sed ex hoc loco venit ille explicandus. Nō rogat pro fide mundi, dum pro suis orat; & ita mundus desinat esse mūdus ea parte, qua infidelis est, & insanit, vt Augustinus explicat. Vt credat ergo mundus quia tu me misisti. Hoc tunc præcipuè videtur impletum, quando Spiritu sancto misso factum est multitudinis credentium cor vnum, & anima vna. Quæ res mundo stupenda erat, vt exclamare cogeretur: *Digitus Dei est hic.* Et, *Nonne hæc est mutatio dexteræ excelsi?* Quia omnes natura superbi sumus, atq; auari, & quæ nostra sunt, tantùm quærimus. Vnde in Actis dicitur: *Quotidie quoq; perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebāt cibum in exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum, & habētes gratiam ad omnem plebem.* Nostra igitur animorum coniunctio atque vnitas, fortitudo est Ecclesiæ, Christi decus, & ornamentum, & mundi lucrum, vt homines illum deserant, & ad Christum veniant, quemadmodum nostrę dissensiones ac sectæ Ecclesiam debilitant, Christi gloriam maculant, & mundum nobis magis infestum reddunt. Simus igitur vnitatis studiosi, & in domo Dei ambulemus cum cōsensu: pacem diligamus, vt nobiscum sit Deus pacis Dominus noster Iesus Christ[us], cui cum Patre, & Spiritu sancto sit omnis honor, gloria, & imperium in sempiternum, Amen.

August. loco præcit. Mundus quādo credident Christum esse missum à Patre. *Act. 2.* *Exod. 8.* *Psalm. 76.*

Act. 2.

In quo sita sit Ecclesiæ fortitudo.

Quales esse debeamus. *Psalm. 54.* *2. Cor. vlt.*

TRACTATVS LXXIX.

Ac postremus, In illa verba: *Et ego claritatem quā tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante cōstitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, &c.* vsque in finem capitis.

RECTE sapientissimus ille autor libri Ecclesiastici eos insectatur, qui talentum abscondunt, neque proximis vt debent, communicant: *Sapientia*, inquit, *absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Quasi diceret: Cùm mundus versetur in tanta paupertate, & rerum salutarium ignoratione, non est vtilis hæc auara retentio. Nam vt auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet; ita scienti, & non communicanti, tam deest quod nouit, quā quod ignorat. Hinc ipse Salomon longè se alienum fuisse ab hac auaritia testatur, dum de se in Sapientia ait: *Quam sine fictione didici, & sine inuidia cōmunico, & honestatem illius nō abscondo.* Propterea Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscōditi, meritò in hac postrema orationis parte se se nobis aperit, detegitque, & quā magnificas donorum opes per eum nos credentes suscipiamus, vt & eius precationem magnipendere, & eius immensis beneficijs grati aliquo modo esse possemus. Cùm ergo in superioribus, fidem, charitatem, sanctificationem in illis, seu confirmationem atque vnitatem pro nobis postulasset, pergit & vitam æternam, seu cœlestem gloriam nobis deprecari, dicens: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Per hanc claritatem B. Augustinus intelligit prædestinatam vitæ æternæ immortalitatē, signorum potestatē. Cyrillus, Euthymius, vnionem cum Deo: alij Spiritum S. quo medio illi vnimur; gloriam verò alij. Est autem gloria in sacris literis, non tantùm fama celebris, bonumque nomen, atque illustre, sed etiam illa, quæ ingenti laude digna sunt, & magno in pretio habentur. Hinc Christus

Quid est illud Sapiētis: Sapientia absconsa, & thesaur[us] inuisus, quæ vtilitas in vtrisque. *Eccles. 20.*

Salomonis charitas. *Sapient. 7.*

Coloss. 2.

Horum verborum cum superioribus connexio: Quam claritatem Christus à Patre acceptam Apostolis dedit, atque credentibus. *Aug. tract. 110. tom. 9.* *Cyril. li. 11. in Ioan c. 27.* *Euthym. to. 1.* Gloria in sacris literis quid.

de opibus, potestate, atque splendore Salomonis loquens, ait: Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis, lilijs scilicet, & Ioseph ad fratres suos ad patrem suum reuertentes, dixit: *Nuntiate patri meo omnem gloriam meam*. Hic autem significare videtur vniuersa dona, quæ à Patre acceperat, quorumque Apostolos suos, ac omnes in se credentes pro cuiuslibet modo participes fecerat. Habuit enim Christus Dominus gloriam Filij quasi vnigeniti à Patre, gloriam legati & nuntij Dei, de qua: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël*; Prophetæ, ac magistri cœlestis, tradentis Euangelium, quod est virtus in salutem omni credenti, vnde mirabantur, quomodò hic literas sciret, cùm non didicisset? Habuit miraculorum gloriam quibus prodebat virtutem suam, vt populus Deum laudaret propter omnia, quæ gloriosè à se fierent; habuit & gloriam concordiæ in omnibus cum Patre, vt nunquam sibi eius gloriam præripuerit, ac nihil vnquam fecerit, nisi quòd vidisset Patrem facientem: hinc remittebat peccata, pellebat dæmones, suscitabat mortuos, inuocato prius nomine Patris. Habebat enim concordiam cum Spiritu sancto, per quem prædicabat, & in eo quasi in digito Dei eijciebat dæmonia, & omnia heroica opera patrabat. Gloriam quoque comprehensoris, & iam beati possidebat, nam animi portione superiore beatus erat, atque comprehensor, corporisque immortalitatem, & nominis per vniuersum orbem celebritatem, & potestatem iudiciariam, & aduocandi apud Patrem honorem, & officium breui expectabat. Sed vniuersas has glorias atque excellentias, in vniuersos quidem credentes, sed plenius, & vberius in Apostolos transfudit. Dedit enim illis in primis gloriam Vnigeniti, habentes vt essent filij Dei per adoptionem, honorantes primogenitum fratrem Christum: nam dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et huic sensui fauet quod sequitur: *Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Dedit & illis legatorum Christi excellentiam. Pro Christo, aiebat Paulus, legatione fungimur. Habuerunt gloriam ministrorum, & Euangelistarum, quia & verbo, & scripto Euangelium prodiderunt: vnde Apostolus doctorem Gentium se vocat in fide, & veritate; & non minus de Apostolorum doctrina, quàm de illa Christi mirabantur. Ex quo fit, vt in Actis dicatur: *Videntes autem Petri constantiam, & Ioannis, comperto quòd homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur.* Ad hæc signorum potestate præditi fuerunt: nam illis dixit Christus: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones.* Et; *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Habuerunt & vnitatem cum Christo, tùm in doctrina tradenda, tùm in remissione peccatorum: *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et, *Quæcunque solueritis super terram, erunt & soluta in cœlo.* Fuerunt & inter se concordes in Euangelio prædicando, & traditionibus exhibendis: & quia omnes vno spiritu, & eodem, quo Christus, regebantur. Habebant & certissimam spem, & quasi arrham immortalitatis & beatitudinis in ipso Dei Spiritu, & gratia eius, atque operibus bonis ex illa profectis. Has omnes claritates acceperat Iesus à Patre, non tantùm pro se, sed vt caput, vt eas in alios effunderet: quia vnctus erat oleo lætitiæ præ consortibus suis, sed præcipuè in Apostolos, qui futuri erant in prædicando Euangelio quasi eius vicarij: ideo partem donorum iam dederat; sed breui in Pentecoste maiora erant accepturi; idcircò Dedi dixit, pro Dabo. Euthymius hæc verba exponens, ait: *Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis. Quæ à doctrina & miraculis procedit; aut quæ à concordia: neque enim ex hac minus, quàm ex illis glorificantur. Dedi autem dixit etiam hic, & suam insinuans dignitatem, & æqualem cum Patre honorem, quemadmodum frequenter alijs in locis.* Sic Euthymius.

Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Omnia illa dona dantur, vt simus inuicem vnum per Charitatem & Fidem, fideique confessionem, eundemque Sacramentorum ritum, quod ad substantialia spectat. Atque hoc facit Spiritus sanctus, qui, sicut est vnio Patris, & Filij, & vinculum substantiale, ita nos inuicem vnit, & cum Deo intrinsecus, & per obedientiam vnius Christi Vicarij, & Pastoris, à quo vnitatem æternam Ecclesia habet, sicut ab Spiritu internam. Et vt Iesus vnum est natura, & voluntate cum Patre, ita nos, qui dicimus: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Hinc Dilectus ait: *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu sancto suo dedit nobis.*

Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum. Ego, inquit, in eis, vt caput in membris, suppeditans sensum fidei, motum amoris, directionem bonæ actionis. Nam vt in capite sunt spiritus animales, qui intelligentiæ deseruiunt; ita omnis nostra dogmatum intelligentia à Christo pro-

Margin notes: Matth. 6. — Gen. 45. — Quæ dona Christus homo acceperit à Patre. — Ioan. 1. — Infrà 12. — Secundùm Apostolum Euangelium quid. — Rom. 1. — Ioan. 7. — Luc. 19. — Ioan. 5. — Luc. 11. — Claritatem suam, & gloriã Christus Apostolis quatenus cõmunicauerit. — Ioan. 1. — 2. Cor. 5. — 1 Tim. 10. — Variæ Apostolo. ũ prærogatiuæ singulares. — Act. 4. — Luc. 10. — Ioan. 14. — Infrà 20. — Matth. 18. — Psalm. 44. — Euth c. 59. in Ioan. — Claritatem illã cui Christus credentibus impertiat. — Externam, & internã vnitatem Ecclesia vnde habeat. — 1. Ioan. 4. — Quemadmodũ Christus in Apostolis erat, idem & in omnibusq; credentibus. Omnis dogmatũ intelligentia à quo proficiscatur.

proficiscitur Et tu, inquit, in me, per essentiam scilicet, & charitatem, qua me dilexisti: & ex hac vnitate, quia tu es in me, nascitur illa, qua ego sum in eis. Iesus ergo in nobis est, non tantùm per carnem, quam de nobis assumpsit, sed & per dilectionem, qua nos, vt commembra sua, diligit. In ipso autem est Pater, vt sic Deus sit omnia in omnibus, quemadmodum Iesus in suis fidelibus implet omnia in omnibus: nam Christus per fidem habitat in cordibus nostris. A cogitationibus ergo cordis agnoscere possumus, an vnum cum Deo simus; an diuina nobis sint cordi; si diligimus fratres: nam hæc vnio per fidem, amoremque fit, neq; his tantùm, sed coniunctione substantiæ, velut ignem igni applices, vel lumen lumini, vel lucem colori: non enim fit color lux, sed ipsa lux colori applicita facit colorem viuaciorem, venitque ad oculos color cum luce, vnum facti color, & lux; neque tamen lux confusa colori est, neque color luci. Vt si corpori nigro album, lucidumve corpus admisceas, superueniente luce aptiùs vnumq; cum luce clariùs factū videbitur. Sic Iesus dum in nobis est per corpus, & animam suam, nobis velut admiscetur; in eo verò ea diuinitas est, vt magis quàm vnquàm fuerimus, Deo coniungat, amabili scilicet coniūctione, hoc est, ipso amore: nam & sine Christo vnum in aliquo semper sumus cum Deo. Nisi enim Deus esset in nobis, nihil essemus: sed multum interest, vtrùm vnū simus cum Deo amore, quo tātùm velit nos esse (nam hoc amore etiam damnati sunt vnum cum Deo) aliud amore quo beatos nos esse vult, & sua frui visione, quod nonnisi filiorum est. Idcirco illa non est consummata vnio; non enim quantum possunt, poterantve, vniti erant cum Deo. Adhęc est vnio consummata, vt hic dicitur; itaq; quātum capaces sunt etiam per gratiam tantùm cum Deo vniuntur, de qua Apostolus: Sitis perfecti in eodem sensu & in eadem scientia. Consummati etiam in vnum dici possunt: quia in vnitate crescunt, & proficiunt, secundùm illud Apostoli: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*; & Salomon ait: *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsq; perfectam diem.* Vel etiam consummati in vnū, id est, perfecti in vnitate, nempè directi ad vnum finem, sed ad stabilem æternitatem, in qua Deus erit omnia in omnibus: quemadmodum in lege hostiæ debebant esse integræ, non morbidæ, vel vitiosæ.

Christus est in nobis dupliciter.

1. Cor. 15. Ephes. 3.

Vnde nobis constare possit vnum nos esse cum Deo

Exempla vnionis illius.

Quo amore velit Deus esse vnum cum ipso.

Imperfecta quænam sit, quæ perfecta vnio cū Deo.

1. Cor. 1. Credentes vt sint consummati in vnū. Ephes. 4.

Prou. 4.

Quid etiam Vt sint consummati in vnum. 1. Cor. 15. Deut. 17.

Et cognoscat mundus quia tu me misisti; & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Vult Iesus hanc consummatā vnionem apertam esse omnibus, vt mundus respicere possit salutem suam: vt cùm viderit Christum legatū esse Dei, & eos, qui Christum sequuntur, amari à Deo, sicut est Christus amatus, & ipse credat Christo, non contēnat eius verbum, nec persequatur Apostolos, sed idem de se speret, & credere velit verbo illorum, quod est verbum Christi; nec velit repugnare spiritui trahenti ad Christum, atq; illum glorificanti. Adhæc vt innotescat mundo toti; doctrinam Euangelicam non est humanam, sed ab ipso, quem Pater misit in mùndum, profectam, vt si fidem non amplectitur, inexcusabilis reddatur.

Apostolorū atque credentium perfectam vnionē cum Deo, & cum ipsis Christus cur velit mundo innotescere.

Doctrina Euangelica vnde sit.

Et quod dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Non ait, tantum, quantum me dilexisti; sed, sicut: omnia siquidem dona primùm à Deo in Filio suo, & capite nostro posita sunt, & ab eo in Apostolos, vt membra nobiliora, & capiti propinquiora, deriuantur: vnde & ipsi sunt ministri Euangelij, & aduocati nostri. Postremò, eorum ministerio in alios omnes credentes, secundùm illud Propheticum: vbi primùm cùm de vnitate dixisset: *Ecce quàm bonum, & quàm iocundum habitare fratres in vnum*, subiunxit de modo quo vnum efficiamur: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Vnguentum in capite, plenitudo donorum est in Christo, qui summè Patri fuit dilectus. Descendunt ab eo dona in barbam, quæ pars est honoratior hominis; in qua Apostoli & Pastores sancti designantur, in quos vberiùs dona Christi descendunt, non vt in ipsis sistant, vel vt ipsi viri masculi, & parentes alios gignant in Christo. Pòrrò ab illis descendit vnguentum in oram vestimenti, id est, vsque ad infimos, & minimos quosq; qui in Ecclesia Dei sunt, quę vestis est Domini, de qua ait Propheta: *Omnibus his, velut ornamento vestieris.* Nam vt vestis, etiamsi vilis sit, à gestante honorem sibi vendicat; ita Christi Ecclesia omnem suam gloriam, ac magnificētiam à Christo Domino accipit.

Aliter Deus Pater diligit Christum, aliter Apostolos atq; credentes.

Psal. 132.

Quid sit illud apud Psaltem: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, &c.

Quales Apostoli futuri erāt, eorumque successores in Ecclesia.

Esai 49.

Pater, quos dedisti, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Loquitur secundū Euthymiū, de coronis, & brauijs, quæ post hanc vitam conceduntur, quo ampliorem sumant fiduciam. Cyrillus in hunc locum ait: *Quia dixit, Clarificationem, quam mihi dedisti, ego dedi eis, vt sint vnum; & dilexisti eos sicut me, & quos mihi dedisti (scilicet in discipulos, & Apostolos) volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum. Ideo voluntate Patris factus homo Filius est, vt natura hominum per Spiritum sanctificata, & DEO coniuncta, in superioribus*

His verbis: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, quid precetur Dominus.

Euthymius. Cyril. li. 11. in Io. c. 29. to. 1.

Caietani rationes, vt probet ea verba ad petitionem, precemve minimè pertinere, quàm leues sint & infirmæ.

habitet mãsionibus. Caietanus, nescio quibus rationibus inductus, putat hanc non esse precem: quia initio capitis decimioctaui apud Ioannem dicitur: *Hæc cum dixisset*; non ait, Cùm orasset: vt potiùs fuerit instructio discipulorum, quàm deprecatio. Quasi verò qui voce orat, nõ aliquid dicat, aut quasi pugnet, esse orationem, & instructionem discipulorum. Addit Caietanus, non esse supplicantis dicere, Volo, cùm alibi orans, dixerit: *Non quod ego volo, sed quod tu*; & tot petitionibus ad humanitatem suam spectantibus adiungere voluit actum, quo Deum se esse proderet, ne solũ hominem putares, vel ne errares, aut putando solum hominem, aut quod Iesus, quatenùs Deus, nõ sit donorum petitorum autor simul, & largitor cum Patre. (Marc. 14.) Respondemus, Christum reuera adhuc Patrem suum precari, cùm paullò pòst subiungat: Pater iuste, mundus te non cognouit. Adhæc contra rationem erat, vt quatenùs Deus aliquid peteret, quia voluntas diuina Filij ab ipso non erat Patri suo aperienda, quæ vna & eadem erat cum Patris sui voluntate. Adhæc quæ orãdo petimus, proculdubio volumus, & petitiones volũtatis sunt nostræ, secundùm illud: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* (Psalm. 144.) Et dicendo: *Non quod ego volo, sed quod tu*, ostendit, quòd in petitione includitur voluntas. Erat ergo hæc petitio familiaris quædam postulatio quasi rei sibi debitæ; & Hebræa phrasi dicitur, volo; id est, cupio, desidero, opto. (Hebraismus.) Ait autem, (vbi sum ego) scilicet nũc in animæ beatitudine, & gloria: non tantùm quatenùs DEVS sum, sed etiam quatenùs homo, secundùm partem animæ superiorem. (Expenditur illud: Vt ibi sum ego, & illi sint mecũ.) Et sum, pro ero, quantum ad corpus attinet immortale, in regno, in consolatione, & in gloria. *Et illi sint mecum.* Hoc est, in eisdem bonis possidendis, & fruendis, secundùm illud: *Hodie mecum eris in Paradiso*, (Luc. 23.) & Apostolus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* (Philip. 1.) Iustum enim est, vt qui hic in via fuerunt in Christo, atque illum sint sectati per obedientiam, & charitatem, & sustinuerunt pro illo tot aduersa, carceres, exilia, plagas, & mortem, similes etiam sint atque participes in gloria, & in regno. (Quàm suaue sit esse cũ Christo.) Scribit autem Cyrillus: *Quæ autem oratio, quàm suaue sit esse cum Christo, explicabit? ineffabilia certè sunt, nec oculus vnquàm vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ DEVS præparauit diligentibus se. Quid enim maius, quam esse cum Christo? Melius est resolui, & esse cum eo, vt Paulus ait. Quibus ille verbis etiam huic vitæ dignitatem amicorum Dei præposuit, quæ est (vt alibi testatur) esse* (Cyrill li. 11. in Ioan. c. 28. tom 1. 1. Cor. 2. Esai. 64. Philip. 1. Ibidem. 1. Thess. 4.) *cum Christo. Resurgent enim mortui, ait, & nos simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Saluator etiam alibi: Vado, inquit, & præparabo vobis locum; & iterum veniam, & accipiam vos mecum, vt vbi sum, & vos sitis.* (Ioan. 14.) Sic ille. Loquitur ergo de gloria immortali, & de loco eius, id est, cœlo Empyreo. Annotat Augustinus non simpliciter dictum: Et illi sint vbi sum ego; quod etiam impijs competit; sed, *Illi sint mecum*, quod impijs non competit. (Aug. trac. 111 in Ioan. 10. 9.) (Quorsum id: Et illi sint mecum, secundũ Aug.) *Sicut cæcus, inquit, si ibi sit, vbi lux est, non est tamen ipse cum luce, sed absens est à præsente; ita infidelis atque impius est vbi Christus, non est tamen ipse cum Christo, vt eum videat.* Oremus autem, vt Dominus, qui vult nos esse, vbi ipse est per gloriam, & ipse nunc nobiscum sit, vbi nos sumus, per gratiam, vt eam in nobis seruet, & vnà nobiscum gradiatur, iuxta illud, quod olim petebat Moyses: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro, vt gradiaris nobiscum*, (Exod. 34.) & secundùm illud Salomonis: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis*, (Sap. 9.) & rursus: *Mitte illam* (scilicet sapientiam) *de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.* (Ibidem.) Nam & nos nunquàm cum eo erimus in cœlo, nisi prius ipse nobiscum sit in terra, nos nostraque omnia moderans atque defendens. (Quando nos futuri simus in cœlo cum Christo.)

Vt videant claritatem meam quam dedisti mihi. (Quid est: Vt videant claritatẽ meam quam dedisti mihi.) Non ait, Vt credant; nam visio est tota merces: & hic satis illam credimus, & illam eandem, quam dixerat se dedisse Apostolis. Explicatq; quid sit esse secum, nimirùm per beatam visionem ipso frui. (Quid sit esse cũ Christo.) Et loquitur de gloria humanitatis, quam imperfectè, & ex parte Apostoli degustauerant; sed post datum Spiritum sanctum amplius erant degustaturi: sed nec adhuc plenè, & perfectè, donec perueniatur ad patriã, vbi plenè, & perfectè spectandum, ac beatis oculis fruendũ se omnibus iustis proponet. Nec ampliùs erant illum visuri in sordido & vili mortalitatis habitu, nec tantùm gloriam corporis, quam etiam impij cernent, iuxta illud: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate*, (Matth. 24.) sed potissimùm animi gloriam, ex qua illa corporis pendet. Euthymius etiam de gloria diuinitatis per generationem Filio à Patre datã hęc intelligit. (Alter sensus, minus tamẽ congruus. Euthymius.) Quanquã non videatur quadrare quod sequitur: Quia dilexisti me ante constitutionẽ mũdi; nõ n. dilectione, sed natura data est illi gloria Deitatis. Et quod dicitur: *Ante mundi constitutionem*: non tantùm conuenit Filio, sed etiam nobis, de quibus testatur Paulus: *Ele-*

git nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in cõspectu eius in charitate. Sed quemadmodum non illis, quos magis diligimus, prius prospicimus, ita antequàm reliqui de communi mũdo destinarentur ad gloriam, prædilectus est Christus, vt fundamentum, & caput dilectionis, & electionis aliorum: & Apostoli prædilecti sunt vt Christo magis familiares, & ad disseminandum Euangelium tanquàm ministri, & socij laboris electi. Et ait: *Quam dedisti mihi*, ab initio videlicet in diuinæ prædestinationis decreto, quanquàm ad tempus peccatũ generis humani executionem illius vsq; ad resurrectionem impedierit.

Ephes.1.

Ante mundi constitutionem Apostoli quam dilecti à Deo præ cæteris.

Quando primum Deus Pater dederit Christo claritatem quã habuit.

Quare Christus Patrem suum iustum appellet.

Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti. Quemadmodũ superiùs petiturus sanctificationem Apostolorum, appellauit Patrem sanctum, ita nunc iustitiam postulaturus, vocat Patrem iustum, quòd petat suis retributionem felicitatis æternæ, vt intelligamus, non acceptione personarum, sed mera Dei iustitia facta esse, aut futura, quæ subiunguntur. Et iustus, ait, non potens: quia præter antiquum delictum alia mundus propria cuiq; addidit, ne Deum suum posset agnoscere. Est enim iusti damnare mundum & autorem eius diabolum; quòd Deum verum eius opificem agnoscere noluerit. *In mundo erat*, inquit Ioannes, *& mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.*

Ioan.1.

Cur mundus Deum non cognouit.

Mundus te non cognouit. Græcè apponitur coniunctio: *Et mundus te non cognouit*, pro, quãuis mundus te nõ cognouerit: quia hebes est mundus, & tantæ lucis nõ est capax, quemadmodũ nec noctua Solem agnoscit; ita iniustus mũdus, iustũ Deum agnoscere noluit, cũ ex his quæ per me, & dixit, & fecit cognoscere potuisset; aut si aliqua aliquo modo cognouit, nõ saltẽ salubri cognitione: quia cũ Philosophi Deũ cognouissent, non sicut iustũ glorificauerunt, neq; bonitatẽ ipsius receperũt, neq; ipsius pertimescenda iudicia formidauerunt. Ideo iustè cæcatus est mundus, vt eius perderet cognitionẽ, cuius nõ accepit dilectionem, eiusq; amitteret auxiliũ, cuius spreuerũt consiliũ. *Ego autem te cognoui.* Quia iustus sum & iustificator, & quia nemo nouit Patrẽ, nisi Filius, iustitiæq; diuinę est, quod ego Filius tuus, ac legatus in mundũ à te destinat⁹, secundũ naturã assumptam donũ te cognoscendi acceperim: mundus verò tũ ex antiqui criminis labe, tum ex reliquis personalibus hanc dãni pœnã sustineat, ne Patrem agnoscat. Et vt pueri patrẽ non agnoscunt, sed famulos & nutrices, à quibus accipiunt poma & bellaria, putantes sibi ab illis omnia concedi, diligunt, patrem autem timet; ita mundus Dei voluit famulũ nobiscũ agere, & nutritorem, vt per ipsum agnosceremus & diligeremus Patrẽ. Tales erant Apostoli, de quibus subdit: *Et hi cognouerũt, quia tu me misisti.* Hi videlicet Apostoli, quos dedisti mihi vt iustos & sanctos, me missum & per me mittentem agnouerunt; per fidẽ scilicet: quia consummata iustitia est, nosse Deum, vt ait Sapiens. Quanquàm autẽ gratiæ fuerit, quòd sint aliqui de mũdo electi, & Christo dati, iustitiæ tamen fuit sibi & Christo Domino debitæ vt tales agnoscãt, Deum Christũ misisse. Quemadmodũ meræ gratiæ est, & munificentiæ, quòd aliqua eligatur à Rege in vxorem; eo tamen ipso quòd est vxor, iustitiæ est, vt Reginæ priuilegijs gaudeat. Et declarãs modũ, quo eum cognouerunt, subdit: *Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam.* Et more Hebræorũ capitur pro Etenim: quia, inquit, notũ feci eis nomen tuum, non tantùm prædicatione, ac voce, sed etiam interno lumine: & adhuc magis notũ faciã, misso Spiritu sancto, & post resurrectionẽ, per quadraginta dies apparens & loquens de gratia Dei, & palàm annuntians de Patre meo. *Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Primùm aduerte Græcum tropũ, *ἵνα ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με*. nõ est vsitata locutio, vt dilectio, qua dilexisti me, sed est de Græco ad verbũ trãslata, & sunt aliæ illi persimiles; vt, fidelem seruitutẽ seruiuit, strenuã militiã militauit, pro, fideli seruitute seruiuit, strenua militia militauit. Et, *Bonũ certamẽ certaui* pro, bono certamine certaui. Idẽ Paulus ait: *Charitatẽ fraternitatis inuicem diligentes*, Quanquã Græca litera per Dandi casum habeat; *Charitate fraternitatis inuicem diligentes.* Est autẽ sensus: Quemadmodũ notitia nominis tui per me ad eos deriuatur, sic quoq; per me à te dilectum extendatur ad eos dilectio tua, siue Spiritus sanctus faciẽs eos mundũ sibi subijcere, vt fecit in me. Vniuersa ergo dona tua, quæ mihi mediatori paterna charitate communicasti, per me in eos deriuentur. Et dilectio mea in ipsis sit; id est, mea beneficia sint in ipsis, tanq̃ in corpore meo. *Et ego in ipsis*, scilicet sim. Ne grauetur ergo conferre ea beneficia illis, cùm ego sim in ipsis, vt scilicet diligens ipsos respicias in ipsis me, quò ita dilectionẽ, qua me prosequeris, in ipsos proferas, in ipsis me ames, mihiq; in ipsis benefacias: nã illis q̃ feceris, mihi feceris, non secùs atq; illud: *Quamdiũ fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Dilectio namq: qua Deus Iesum dilexit propter nos, in nobis esse non potest, nisi

Rom.1.

Mundus cur meruerit obcæcari.

Matth.11.

Qualis mundus Deũ non cognoscens.

Quænã consummata iustitia Salomoni.

Sap.15.

Apostoli vt cognouerint Christum missum à Patre.

Hebraismus.

Quomodo Christus Apostolis notum fecerit, & magis notum facturus erat nomen Dei Patris.

Act.1.

Quid sit: Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit &c.

1. Tim.4.

Græcismus.

Rom.12.

Matth.25.

Duplici exemplo innotescit, quomodo dilectio, qua Christus à Patre diligitur, in Apostolis atque credentibus.

nisi Iesus per fidem in nobis habitet. Hæc autem dilectio aliud nõ est, quàm spiritus, si quidem is est, quo pater Filiũ diligit. Vt ergo Filius in nobis sit, ipse nomen Patris in nobis notum faciat. Vt (verbi gratia) sit Sol Pater, lux Filius, nos autem in cubiculo simus, nisi indicijs quibusdã cognoscamus Solem super terram ortum esse, non eximus, indicia autẽ maiora lucis nulla, quam vt echo lucis, hoc est, splendor, cubiculum penetret: ab ipso igitur splendore ad lucem meraciorem accedimus, atque ita Solis nomen pleniùs agnoscimus: Ita in nobis non splendor lucis, sed lux ipsa est Christus, & imago nostra luce perfusa in Solem cũ suo reflectitur radio. Ad hunc modum & lux in nobis habitat, & dilectio qua Sol diligit lucem suam. Ponatur, (exempli gratia) Solem lucem suam diligere, eaq; dilectio calor dicatur, qui etiam clausis omnibus potuerit ante lucis echo, vel sensibilior quàm lucis echo nos penetrare, & Solis nos admonere. Tunc si hominem poneres, qui nunquàm Solem aspexisset, vtcunque eius rei exemplum habere posses. Sic ergo ego in eis sim quasi caput in membris, vel quasi habitator in domo, vel Sacerdos, id est, in templo mihi dicato, vel dilectus amicus in diligentibus. Pulchrè autem Euthymius hoc loco annotauit: *Iterum ergo in dilectionem terminauit, hanc imponens sermoni cõsummationem. Nam perfectio virtutum est dilectio.* Hæc ille. Hæc omnia precatus est Iesus præsentibus Apostolis, primò, vt sciamus quid Christo Domino, cuius oratio semper est exaudita, debeamus, & de quibus, & quantis sint illi à nobis gratiæ agendæ. Deinde, vt erudiret nos quid petere & orare nos debeamus. Tertiò, vt intelligamus, eadem in cruce petijsse; vbi cum clamore valido, & lacrymis preces, supplicationesque

Euthymius.

Perfectio virtutum est dilectio. *Ioan 11.*

Quibus de causis Christus hæc quę dicta sunt, omnia coram Apostolis à Deo postulauerit.

pro nobis offerens, exauditus est. Quartò, vt non ignoremus, quas preces ipse in cœlo pro nobis fundat, vt mediator pro nobis: nam pro se, & pro sua glorificatione nõ est quòd ampliùs aliquid petat. Quintò, vt doceat Ecclesiæ Pastores, quid pro se, & pro ouibus suis postulare debeãt à Deo, & quid Ecclesia Catholica pro suis filiolis desiderare habeat, & quanta solicitudine curã eorum gerere apud Deum debeat. Postremò, vt in virtute huius precationis à Christo fusæ, quasi certo chirographo, & fideiussoria cautione nos à Deo exaudiendos fore non dubitemus. Atque hic finem huic tractatui, & libro imponimus. Pro quo immortales Deo gratias & habemus, & agimus. Cuius rei apertum erit indicium, & argumẽtum, si ex tanta Filij Dei submissione pedes suorum discipulorum lauãtis, humilitatem didicerimus: si charitatem ex mysterio Eucharistiæ à Christo institutæ, qua nos in alios effundamus, hauserimus: si diuinæ sapientiæ lumen ex tam docto, & verè diuino sermone Christi ad discipulos suos habito traduxerimus: nam in eo multarum virtutum, & maximarum viuæ hortationes quasi stellæ quædam splendent. Si deniq; precandi rationem, & ea, quæ à Deo postulanda sunt, & verba quibus illa ante Deum sint proponenda, imitatione complecti voluerimus. Beati igitur, quibus mysteria hęc sacrosancta agnoscere datum est; ac beatiores, qui verba Dei in actiones transtulerint, humilitatis & charitatis studijs vacando, diuinique verbi intelligentiæ, & precationis studio incumbendo, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto, sit laus, honor, & imperium in secula seculorum. Amen.

Hebr. 5. Infrà 7.

Sermonis Domini in cœna perutilia documenta compendio nobis tradita, commendataq; *Ioan. 13. Matth. 26.*

Finis Libri Noni.



INDEX LOCORVM NOTABILIVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE IN HOC TOMO NONO Alfonsi Salmeron. Com. in Euang. & acta Apostolorum latius explicantur.

Primus numerus paginam, secundus columnam indicat.

Facta

INDEX RERVM OMNIVM, QVAE IN HOC NONO TOMO ALPHONSI SALMERONIS CONTINENTVR.

Prior numerus paginam indicat, posterior columnam demonstrat.

A.



Euchari-

F.

G.

Haereditas

H.

I.

L.

M.

Oeco-

P.

Q.

R.

S.

T.

Tribula-

FINIS.



